UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT
900000088061

-f. 62

GLOSSARIUM GERMANICUM,

CONTINENS

ORIGINES & ANTIQUITATES

TOTIUS LINGUÆ

GERMANICÆ,

ET OMNIUM PENE VOCABULORUM,

VIGENTIUM ET DESITORUM.

OPUS BIPARTITUM

ET QUINQUE INDICIBUS INSTRUCTUM

JOHANNIS GEORGII WACHTERI.

L I P S I Æ,

APUD JOH. FRID. GLEDITSCHII B. FILIUM,

MDCCXXXVII.

CONTENTA TOTIUS OPERIS.

TOMUS I.

PRÆFATIO AD GERMANOS.

PROLEGOMENA.

SECT. I. De Etymologia.

SECT. II. De Geneſi Literarum.

SECT. III. De Cognatione & permutatione Literarum.

SECT. IV. De transpoſitione, augmentatione & diminutione literarum.

SECT. V. De literis & particulis præpoſitivis.

SECT. VI. De literis & particulis terminantibus.

ADMONITIO AD LECTOREM.

GLOSSÆ AB A. USQUE AD M.

TOMUS II.

GLOSSÆ AB M. USQUE AD FINEM ALPHABETI.

EPILOGUS.

INDICES VERBORUM.

ERRATA EXTANTIORA.

SERENISSIMO, POTENTISSIMO
AC INVICTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,

DOMINO
CAROLO VI.

ELECTO
ROMANORUM IMPERATORI
SEMPER AUGUSTO,

REGI GERMANIÆ, CASTELLÆ, ARRAGONIÆ, LEGIONIS, UTRIUSQUE SICILIÆ, HIERUSALEM, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, NAVARRÆ, GRANATÆ, TOLETI, VALENTIÆ, GALLITIÆ, MAJORICARUM, SEVILIÆ, SARDINIÆ, CORDUBÆ, CORSICÆ, MURCIÆ, GIENNIS, ALGARBIÆ, ALGEZIRÆ, GIBRALTARIS, INSULARUM CANARIÆ ET INDIARUM, AC TERRÆ FIRMÆ, MARIS OCEANI,

ARCHI-DUCI AUSTRIÆ, DUCI BURGUNDIÆ, BRABANTIÆ, MEDIOLANI, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ, LIMBURGIÆ, LUCEMBURGIÆ, GELDRIÆ, WURTEMBERGÆ, SUPERIORIS ET INFERIORIS SILESIÆ, CALABRIÆ, ATHENARUM ET NEOPATRIÆ, PRINCIPI SUEVIÆ, CATALAUNIÆ, ASTURIÆ, MARCHIONI SACRI ROMANI IMPERII BURGOVIÆ, MORAVIÆ, SUPERIORIS ET INFERIORIS LUSATIÆ, COMITI HABSPURGI, FLANDRIÆ, TYROLIS, FERRETIS, KYBURGI, GORITIÆ ET ARTHESIÆ, LANDGRAVIO ALSATIÆ, MARCHIONI ORISTANI, COMITI GOZIANI, NAMURCI, ROSSILIONIS ET CERITANIÆ,

DOMINO MARCHIÆ SCLAVONICÆ, PORTUS NAONIS, BISCAIÆ, MOLINÆ, SALINARUM, TRIPOLIS ET MECHLINIÆ ETC. ETC.

DOMINO MEO LONGE CLEMENTISSIMO.

AVGVSTISSIME CÆSAR

POsteaquam pax, Tua, INVICTISSIME IMPERATOR, providentia, Europæ reſtituta, Sereniſſimæ Domus Auſtriacæ incolumitas auſpicatiſſimo connubio firmata, tranquillitas Patriæ ſanctiſſi-

mis fœderibus communita, infinitæque moleſtiæ pro gentium quibus imperas ſalute, ſapientiſſime ſuſceptæ feliciſſimeque ſunt ſuperatæ; gratulationibus, fauſtisque ominibus, Gloriæ Tuæ plaudentium, cunctæ imperii germanici provinciæ reſonant, eoque altius extolluntur, quo certius inde futurorum, quæ erunt temporum, felicitatem pendere & promoveri, prævidemus atque mente & cogitatione aſſequimur. Muſæ etiam in iſtius communis lætitiæ ſocietatem pervenire, & ſuam apud Te, AVGVSTISSIME IMPERATOR, profiteri pietatem geſtiunt, quibus Te valde propitium præbes, earumque conatus eximia indulgentia probas, juvas, tueris, & ut in Germania, quaſi in amœniſſimo Helicone, conſidere quiete & ſuis ſacris ſecure operari queant, ſapientisſimis conſiliis efficis. Quid itaque eas deceat magis, quam ut Tibi, OPTIME IMPERATORVM, ſi quid a ſe novi meditatione repertum, aut ex antiquis rerum monumentis ingenio erutum,

aut

aut ad perficiendas poliendasque artes quomodocunque accommodatum habent, ejus potisſimum rationem reddant, Tuo Auguſtisſimo Nomini illud præcipue conſecrent, atque inde curis ſuis literariis, præſidium quærant primariumque ornamentum? Adproperat itaque eo etiam nomine, ad ſacratisſimum ſolium Tuum, præſens Gloſſarium germanicum, meis ſumtibus editum, & ad vindicandas Germanorum memorias diſcutiendasque in eorum antiquitatibus tenebras, unice comparatum. Multæ in eo Regum & Imperatorum noſtrorum, bello ac pace præclarisſime res geſtæ explicantur atque illuſtrantur. Quorum virtutem cum Tu, MAXIME IMPERATORVM, nonſolum perfecte exprimas, verum & longisſime ſuperes, Tibi, non alii, iſtud opus ſubjectisſima devotione offerri oportere viſum eſt. Plurimis majorum noſtrorum moribus, inſtitutis, legibus, in eo lucis haud parum fuiſſe affuſum, confidi; & omnia, Te, SAPIENTISSIME

IMPERATOR, ad Germaniæ gubernacula ſedente, emendata ſollicite, egregie aucta, & fere perfecta gaudeo. Quamobrem hanc antiquiorum memoriam, & cum noſtris rebus ſermonibusque factam comparationem, Tibi potiſſimum inſcribendam putavi, quo pateat omnibus, quam beata Patriæ noſtræ conditio, Tuis pro ejus ſalute curis ſit reddita. Præterea linguæ noſtræ origines, vetuſtate propemodum obliteratæ, ſummo hic ſtudio indagantur, repetuntur, & obtrectationes ab iniquioribus in iſtam congeſtæ, penitus propulſantur. Quæ pro vernaculæ noſtræ nitore & venuſtate lucubrationes atque contentiones ſuſceptæ, cui potius dicandæ fuiſſent quam Tibi, CLEMENTISSIME CÆSAR, ſub cujus leniſſimo imperio, ſermonis patrii lepores tanto cum ſucceſſu reſtituti, novæ etiam veneres copioſiſſime additæ ſunt. Ea enim eſt temporum ſub Tuo principatu felicitas, ut Germanos, qui nunc artium & ſcientiarum cognitione & cultura,

nullis

nullis gentibus cedunt, linguæ patriæ perpoliendæ cupido potiſſimum inceſſerit; cujus non puritatis modo, ſed & elegantiæ adeo ſe præbent ſtudioſos, ut, poſtquam iſtam tam terſam reddidere, ejus eloquium jam maxime vernare & omnibus feſtivitatibus florere, jure dicatur. Cui ſtudio ornando perficiendoque quam maxime inſerviet Etymologiæ ejus curioſior inveſtigatio & originis vocum noſtrarum ſolidior cognitio, quæ hoc opere, ut haud vanus ſpero, inſigniter promovebitur. Accipe itaque, INDVLGENTISSIME IMPERATOR, quod demiſſiſſimo cultu offero, Gloſſarium Germanicum, ſereno illud vultu intuere, ſtatorem & tutorem Te ſtudiorum doctorum in poſterum quoque præbe atque effice, ut res literaria & libraria, in Germania Tua perpetuo floreat, & nullo livore, nullis malitioſorum & turpi lucro inhiantium technis & fraudibus perturbetur. Deus T. O. M. Te ſervet, POTENTISSIME IMPERATOR, incolumitatem Tuam, in firmamen-

mentum & robur Germaniæ augeat, faxitque clementisſime, ut auſpicatisſimo ſerenisſimæ Archiducis, tanto Principe digniſſimæ filiæ, connubio, gentis auſtriacæ ſtirps, ad extremos ſeculorum orbes, una cum fortuna Tua felicisſime transferatur.

SACRÆ CÆSAREÆ ET REGIÆ
CATHOLICÆ MAIESTATIS
TUÆ

HVMILLIMVS ET DEVOTISSIMVS
SERVVS
IOHANN GOTTLIEB GLEDITSCH
B. IOHANNIS FRIDR. FILIUS.

GLOSSARII
GERMANICI
TOMUS PRIMUS.



PRÆFATIO
AD
GERMANOS,
SPECIMINI HUJUS GLOSSARII LIPSIÆ
M DCC XXVII.
EDITO PRÆMISSA.

I.

LEXICON concinnare ETYMOLOGICUM, & Sermonis noſtri ſecreta ex remotiſſima antiquitate inveſtigare, etiamſi immenſæ molis & unius hominis vires excedentis eſſe videbatur, a multis tamen abhinc annis arcano & improbo ſtudio aggreſſus ſum, propoſiti difficultate non ſegnior, ſed audentior & conſtantior factus. Res equidem moleſta eſt, ut bene Tullius ait, vocabulorum reddere rationem, nec moleſta tantum, ſed etiam difficilis, humani ſermonis receſſus omnes rite explicare, grata tamen & jucunda, ſi pro GERMANICI NOMINIS gloria ſuſcipiatur. Et hinc, opinor, cauſam intelligitis, cur VOS ante omnes in limine hujus SPECIMINIS compellandos mihi ſumpſerim.

II.

Linguas non fortuito natas eſſe, aut ſolo impetu naturali, aut arbitrio vulgi tantum, ſed magno præterea ingenio formatas & inſtitutas, & experientia teſtatur, & a multis jam Philoſophis proditum eſt. Hos inter PLATO, Græcorum ſapientiſſimus, *primos nominum impoſitores haud hebetis ingenii fuiſſe*, ſcribit in Cratylo. Hinc partem Sapientiæ non res ſolum naturales, divinæ, & humanæ, ſed etiam Vocabula, quibus res illæ enunciantur, ſibi vindicant. Quid enim ſunt Vocabula, niſi ſigna rebus accommodata, quibus res ipſæ earumque naturæ vel convenienti ratione, vel imitatione quadam exprimuntur? Quod adeo verum, ut CLEMENS ALEXANDRINUS non dubitarit adſerere: *Duas eſſe Veritatis ideas, nomina & res: & nominibus ignoratis ipſas quoque res neceſſario ignorari.* (a)

(a) Clem. Alex. Strom. Lib. VI.

III.

Cum ergo totius Philoſophiæ haud infima pars ſit vocabulorum cognitio, hinc ETYMOLOGIÆ ſtudium a multis jam Philoſophis ſuſceptum eſt, tanquam negotium Sapiente dignum. PLATO in nominum quorundam origines & rationes diligenter inquirit in Cratylo. ARISTOTELES librum de NOMINIBUS BARBARICIS compoſuit, ſed proh dolor a tempore devoratum. Præſtaret alia periiſſe, quam hunc libellum deſiderari. Quid ZENO, & poſt illum CLEANTHES, & deinde CHRYSIPPUS ſuſceperint, ex Cicerone (b) cognoſci poteſt. STOICI enim hanc Philoſophiæ partem cæteris Philoſophis diligentius excolebant, nullum eſſe verbum rati, cujus non aliqua ratio reddi poſſit, etiamſi in aliis conſpicua ſit, in aliis vero lateat.

(b) Cicero de Nat. Deor. Lib. III. cap. 24.

IV.

Quæſitum eſt inter Philoſophos (qui ſcil. ſtudium rerum cum ſtudio vocabulorum conjunxerunt) utrum nomina rerum ſint NATURALIA, an ARBITRARIA tantum (c)? Utraque ſententia magno ſe judice tuetur, illa Platonis, hæc Ariſtotelis. PLATO videtur contendere, ſermonem eſſe a natura, non ab arte, nec inſtituto, & naturam præformaſſe quosdam oris ſonos motusque labiorum, certis rebus ſic accommodatos, ut ad alia videantur inepti & inutiles: Contra ARISTOTELES nomina ad placitum ſignificare, nullo cum rebus naturali nexu intercedente. Si quid ego judicare poſſum, male utrinque opponuntur, quæ fuerant componenda. Nam ut alias Linguas nunc omittam, manifeſtum eſt conſideranti, non omnes ſermonis noſtri partes unius ejusdemque

conditionis esse, sed alias nomenclaturas vindicare sibi naturam, alias rationem, alias consensum & institutum. Quintilianus videri posset rem acu tetigisse, dicendo (d), *fermonem conflare ratione, vetustate, auctoritate, & consuetudine:* nisi naturam excludisset.

(c) Gellius Lib. X. cap. 4.
(d) Quintil. Lib. I. cap. 6.

V.

Operæ pretium est ostendere, quanta sit vis NATURÆ in fingendis vocabulis. Primo, quædam voces ita sunt comparatæ, UT NON SOLUM IDEARUM NOSTRARUM, SED ETIAM RERUM IPSARUM SINT IMAGINES, & proinde ab ipsa natura videantur ori hominum sponte ingestæ. Sic quando volumus significare id quod supra nos est, tunc aerem haustum in altum protrudimus, manifesta vocis cum ipsa re convenientia. Nam altus Gothis dicitur *hauh*, Anglosax. *heah*, Alam. & Francis *hoh*, Cambris *uch*, Anglis *high*, Belg. *hoog*, nobis *hoch*. Ad hanc classem spectant, *heben* levare in altum, *haubt* caput, pars hominis excelsa, & ad sublimia inspicienda facta, *hübel*, *hügel* collis, *hauffe* cumulus, *hæffe* fæx, &c. In aliis vocibus aliæ expriuntur naturæ qualitates. Sic clarum & perspicuum vocamus *bar*, obscurum *dunkel*, manifesta signi cum re signata similitudine, quoniam claritas & obscuritas in ipsis vocibus jam continentur. Et sic in aliis nominibus alia insunt secreta, nec inventu difficilia, nec scitu injucunda.

VI.

Secundo loco observari meretur, QUOD PRIMI CONATUS PUERORUM UTENDI VOCE SINT LITERÆ LABIALES. Patet hoc, non solum ex pueris Psammetichi (e), qui, etiamsi nullius hominis aut animantis sonum ante audivissent, sponte ediderunt vocem BEK, sed etiam ex quotidiana experientia. Hinc credere fas est, AP, PAP, EM, MEM, quæ sunt infantilis linguæ prima rudimenta, & naturalia lallantium puerorum blandimenta, esse voces secreto naturæ instinctu prolatas, vel potius ab ipsa natura in puerorum labiis formatas, & postea a parentibus, ut par erat, in omnibus fere Linguis, etiam antiquissimis, adoptatas. Hinc parens Hebræis dicitur *ab*, Chaldæis & Syris *abba*, Persis *pader*, Græcis *ἄππα*, *πάππα*, *πατὴρ*, Latinis *pater* quasi *papater*. Nam *ter* Thomasino judice mera terminatio est. Cum his manifesto conveniunt, quod Gallis & Italis pater dicitur *papa*, Hottentottis *bo*, & Americanis in Insulis Antillis *baba*, teste Kolbio & Vocabulario Caribaico. Majores nostri literam labialem naturæ loquentis transformarunt in F. dicendo *fæder* vel *fater*, pro varietate Dialectorum, levi quidem vitio, sed originem vocis obfuscante, quæ certe non a *fodan* (gignere, nutrire) sed ex lingua puerili ortum suum trahit. In eadem lingua præparavit sibi alma Natura & omnibus genitricibus dulcissimum nomen Matris. Hinc mater Hebr. dicitur *em*, Gr. *μάμμη*, Lat. *mamma*, Cambris *mam*, Hispanis *ama*, Gallis & Italis *mamma*, Svevis *memme*. Ægyptii dicunt eodem sensu *muth* teste Plutarcho in Iside, Persæ *mâder*, Græci *μητὴρ*, Latini *mater*, Anglosax. *meder*, *modor*, Franci & Alam. *muater*, *muoter*, nos *muter*, voce naturali novo augmento decorata, vel potius vitiata, quod certe non est a natura, sed ab instituto loquentium.

(e) Apud Herodotum Lib. II. cap. 2.

VII.

Denique ad naturam spectat, quod in omnibus Linguis quædam sint vocabula, & forte innumera, per Onomatopœiam facta, præcipue vero in nostra. Hujus asserti specimen sat amplum dedi ex Regno animali in ipso Glossario (f). Nam per totam vagari Linguam, & omnes ejusdem sensus voces colligere, immensi laboris opus esset. Quid autem est Onomatopœia, nisi VOX REPERCUSSA NATURÆ? Et nomina inde orta, nonne rectius ad imitationem, quam ad institutionem referuntur? Hoc videtur Fabula de Nymphis & Faunis indicari, quos vetustas finxit montes sylvasque incolere, & acceptas reddere voces.

(f) V. Gloss. in voce *Guguk*.

VIII.

Quemadmodum autem Natura in Linguis condendis primas habet partes, ut alienissimi sint a veritate, qui eam ab hoc negotio plane excludunt: Ita RATIO habet secundas. Testes sunt apud nos nomina composita & derivata, quæ si quis casu, & cœco vulgi impetu, nulla naturæ rerum habita ratione, facta esse contendat, certe audacissimus est, & similis iis stultis, qui mundi seriem & compagem ex fortuito atomorum concursu conflatam esse imaginantur. Tanta enim est vis, vel in minimis, quas contemnimus, particulis, tanta aptitudo in derivationibus & compositionibus, tanta denique concinnitas in Scala significationum, ut facilius sit Iliadem Homeri ex temere conjectis literis, quam hæc sine ulla ratione fuisse prognata. Quid obstat, quo minus dicamus, fuisse in Gente nostra omnibus temporibus, etiam antiquissimis, viros quosdam cæteris Sapientiores, quibus non solum cura rerum & hominum, sed etiam verborum fuerit? Qualis inter Ægyptios erat quidam HERMES, de quo memoriæ proditum (g) est, *quod multis rebus nomine destituis nomen indiderit*. Et Hercules quidam OGMIUS inter Gallos, qui sermonem Gallicum expolivit & verborum ubertate ditavit (h). Linguæ enim, & reliqua ad vitam necessaria, non subito, sed paulatim inventa sunt. Et cum homo sit animal natura ingeniosum, hinc verosimile est, illum non-

nonſolum articulate, ſed etiam concinne & ſolerter loqui voluiſſe.

(g) Diodor. Sicul. Lib. I. pag. 10.

(h) Ita Herculis Celtici imaginem interpretatur Bochartus in Orig. Gall. apud Boxhorn. pag. 13.

IX.

Poſtremo etiam USUS, omnium rerum magiſter, inter fontes Linguarum referendus eſt. Utile enim erat, homines ſe mutuo intelligere, victuros alias ferarum more miſere & ſordide. Hinc ut vitam agere poſſent beatiorem & cultiorem, vocabulis opus erat tanquam ſignis, quibus animi ſenſa ſibi invicem communicarent. Eatenus bene Lucretius:

Utilitas expreſſit nomina rerum.

Nonſolum autem hoc præſtitit utilitas mortalibus, ſed etiam plures in unum nomen conſentire fecit. Ex hoc conſenſu nata eſt conſuetudo, ex conſuetudine antiquitas, ex antiquitate auctoritas. Et his principiis, ni fallor, totum Linguarum negotium abſolvitur.

X.

Dixi quantum ſatis eſt, de ORIGINE Linguæ noſtræ NATURALI: nunc ut de CIVILI aliquid proferam, ſeries orationis poſtulat. PROXIMA origo haud dubie eſt a FRANCIS & ALAMANNIS: ſed unde REMOTA ſit, nondum ſatis liquet. Sunt, qui Linguam noſtram ex Campis Sinear immediate progreſſam, & poſt diſperſionem humani generis ſtatim in his terris auditam arbitrantur, quos ego non refutandos, ſed explodendos exiſtimo. Nam natura non facit ſaltum, neque in locorum intervallis, neque in tempore, neque in ulla alia re: ſed ex proximo tendit ad propinqua, a propinquis ad remotiora, & a remotioribus non niſi longo temporis tractu ad remotiſſima progreditur. Itaque ex una & primitiva Lingua (quod facræ Literæ & Gentium conſenſus teſtantur) ſuſcitatæ ſunt primo variæ DIALECTI, & totidem pene variationes, quot hominum familiæ, aut familiarum cognationes (i), quibus deinde ſeparatis, Dialecti paulatim abierunt in LINGUAS (k). Ex his Linguis poſtea formatæ ſunt novæ Linguæ & Linguarum Dialecti, & Dialectorum Linguæ, non ſubito & repente, ſed gradatim & pedetentim, temporum, locorum, migrationum, & coloniarum adjumento. Hunc enim Natura continuo ſervavit ordinem & quaſi Legem in novis Sermonibus producendis, ut recentiores fierent ex antiquioribus, Occidentales ex Orientalibus. Et vi hujus Legis impoſſibile erat, ullam in toto terrarum Orbe exiſtere linguam, quæ non in aliqua priore fuerit radicata. Hunc ducem & hanc legem ſi ſequamur, reperiemus, nos genus & linguam ducere ab antiquiſſimis Aſiæ & Europæ Colonis & Dialectis, SCYTHIS inquam, PHRYGIBUS, & CELTIS. Quos omnes una propemodum Lingua antiquitus uſos eſſe, & Germanicæ perſimili, pluribus nunc vocabulis oſtendam, eoque libentius, quod vera antiquitatis noſtræ gloria hic ſita videatur.

(i) Vide Edward. Simſonium in Chronico Catholico pag. 10.

(k) Linguas a Dialectis ſic diſtinguo, ut differentia Ling. ſit a conſonantibus, Dialectorum a vocalibus.

XI.

Unde SCYTHICUM nomen ſit deſumptum, non una eſt Eruditorum ſententia. Sunt, qui Scythas cum *Kithis* ad mare Caſpium & *Getis* in Sarmatia confundunt (l), hoc inducti argumento, quod Æoles pro Kithis dixerint Σκύθας, & pro Cimbris Σκίμβρους teſte Stephano. Sed vereor, ne Kithi illi & Getæ Scythis ſint inferiores, & ab illis progeniti. Tanta enim eſt Scythici nominis canities, ut Scythas inter & Ægyptios diu contentio fuerit de generis vetuſtate, & Scythæ ſuperatis Ægyptiis ſemper viſi ſint antiquiores, teſte Juſtino (m). Communior & verior opinio eſt, Scythas ſic appellatos eſſe quaſi Sagittarios, quod primi ferro alas addidiſſent. Nam *ſcytan* pro jaculari in Linguis Occidentis & Septemtrionis antiquiſſimum eſt (n), & perfecte reſpondet nomini & invento Scythico. Arcum vero & ſagittas e Scythia primum prodiiſſe, multa ſunt, quæ evincunt. Herodotus (o) Scythas jaculandi peritia omnes populos ſuperaſſe, & Medorum pueros artificium utendi arcus docuiſſe tradit. Plinius (p) primum Sagittarium *Scytham* appellat. Julius Pollux (q) Scythas interpretatur Sagittarios. Diodorus (r) Cretenſes arcui *Scythici* cognomentum tribuiſſe teſtatur.

(l) Hanc ſententiam tuetur G. Hornius in Præfatione Originib. Gallicis Boxhornii præmiſſa.

(m) Juſtinus Lib. II. cap. 1.

(n) V. Gloſſ. in verbo *ſchieſſen*.

(o) Herod. Lib. I. cap. 73.

(p) Plinius Lib. VII. cap. 56.

(q) Jul. Pollux Onomaſt. Lib. VIII. cap. 10.

(r) Diodor. Lib. V. pag. 235.

XII.

SCYTHÆ viricidam vocant ÆORPATA (Gr. *ἀνδροκτασία*), ub *æor* vir, & *pata* cædere, teſte & interprete Herodoto (s). Utramque compoſiti partem reperire licet partim apud Armenios, qui genus ducunt a Phrygibus, & linguam Phrygum in multis imitantur, teſte Stephano de Urbibus (t), partim apud populos Celticos in Britannia, Gallia, & Germania. Hinc vir (qui Scythis *αἰὼρ*) Armeniis dicitur *aïr* teſte Baxtero in Gloſſario Britannico, Cambris & Armoricis *ur*, Gothis *wair* per proſthefin ut reliquis qui ſequuntur, Angloſaxonibus *wer*, Francis & Alam. *bar*, nobis *wer* & *ber*, in compoſitis *werwolf*, *berwolf* homo-lupus, *wergelt* pretium hominis occiſi. Cædere vero (quod Scythis eſt *pata*) Cambris dicitur *baeddu*, An-

gloſax. *beatan*, Gall. hod. *battre*, nobis *patſchen* frequentative, ubique manifeſto cum Scythica voce concentu.

(s) Herod. Lib. IV. cap. 110.
(t) Stephanus in voce *Armenia*.

XIII.

SCYTHÆ unoculum vocant ARIMASPU, ab *arima* unus, & *ſpu* oculus, teſte & interprete Herodoto (u). Prior vox conſtat ex negativo *a*. & *rim* numerus, & vi compoſitionis neceſſario ſignificat unum, quia unitas eſt negatio numeri ſecundum omnes Philoſophos. *Rim* pro numero, etiamſi hodie obſoleſcat, olim tamen Angloſaxonibus & Francis erat familiare. *Spu* pro oculo ſuperat apud Armoricos teſte Pezronio (w). Nos ab hoc primitivo habemus *ſpæhen*, ut dixi in Gloſſario.

(u) Herodot. Lib. IV. cap. 27.
(w) Pezron. in Antiq. Celt. pag. 374.

XIV.

SCYTHÆ mare glaciale appellabant *mare mortuum*, ſive quod pigrum eſſet & pene immotum, ut Tacitus (x) ſcribit, ſive quod ad manes potius ſpectare videretur quam ad viventes, utpote innavigabile & inhoſpitum. Teſtem nomenclaturæ habemus Orpheum in Argonauticis verſ. 1077.

\- - *Cronius ipſe vocatur*
Pontus Hyperboreis a Gentibus, & MARE MORTUUM.

Hyperborei autem dicuntur Scythæ maxime Septemtrionales, quod non poteſt ignotum eſſe iis, qui in Geographia Antiqua vel leviter verſati ſunt. Vox Scythica, etiamſi ab Orpheo non ſit literis conſignata, cognoſcitur tamen aliunde, nempe ex Dialecto Cimbrica. Cimbri enim habentur pro genere Scytharum Cimmerio ab omnibus Antiquis, & hinc illos Scythice locutos eſſe, ab æquis rerum æſtimatoribus facile impetrabo. Hoc præſuppoſito panditur nobis via ad Scythicam vocem inveſtigandam, quæ certe alia eſſe non poteſt, quam MORIMARUSA a Plinio prodita (y) his verbis: *Phileмon tradit, Oceanum Septemtrionalem MORIMARUSAM a Cimbris vocari, hoc eſt, mortuum mare.* Convenit cum hac interpretatione, quod Cambris in hunc usque diem mare dicitur *mor*, mori *marvv*, & mortuus *marvvſs*, teſte Boxhornio in Vocabulario Antiquo-Britannico. Convenit etiam, quod mare Gothis dicitur *marei*, Angloſax. *mere*, nobis *meer*.

(x) Tacit. de M. G. cap. XLV.
(y) Plin. Lib. IV. cap. 13.

XV.

SCYTHÆ Caucaſum vocant GRAUCASUM, hoc eſt, ut Plinius interpretatur, nive candidum. Ab hoc ſignificatu tanquam primitivo per gradus effluxit, quod nobis & Francis *grau* dicitur canus, & Armoricis *grai* vetus. Quamvis enim albus, canus, & vetus videantur differre, cognata tamen ſunt, & ſe mutuo producunt, ut in ipſo Gloſſario oſtendi.

XVI.

Reliqua Scytharum vocabula, cujusmodi ſunt, *amaxampeus* via ſacra, & nomina Deorum, Regum, Philoſophorum, & fluviorum apud Herodotum, etiamſi a me explicari non poſſint, non ideo dubiam aut incertam reddunt Linguarum Occidentalium cum Scythica cognationem. Multa enim & innumera vocabula floruerunt olim in Gente Francorum & Alamannorum, quæ hodie non magis intelliguntur, quam Scythica remotiſſimi temporis. Et nihilominus Lingua noſtra hodierna a Francis & Alamannis ad nos pervenit tanquam hæreditas ad poſteros, quamvis magna ſui parte in itinere interfecta. Quod ſi paucæ ætates valuerunt tam ingentes edere vocabulorum ſtrages, quid non putabimus ter mille annis licuiſſe?

XVII.

Quantum Sermonis SCYTHICI nobis ſuperſit, non aliunde melius & tutius cognoſcitur, quam ex Lingua PERSICA, in qua magnus eſt vocabulorum Scythicorum proventus, quorum concentus cum noſtris tam admirabilis tamque clarus eſt, quamvis immenſis terrarum ſpatiis interceptus, ut ſemel audita ſtatim intelligi queant. Talia (z) ſunt:

BEND vinculum. Angloſaxonibus *bend* Marc. VII. 35. Nobis hodie *band*.
BER ſuper. Nobis *por* editus, *empor* ſurſum.
BER term. Perſica, idem ſignificans quod nobis *bar* in compoſitis (a). Hinc Propheta Perſis dicitur *beigam - ber*, quaſi novi aliquid ferens.
BERBER tonſor, raſor barbæ. Nos vitioſe *balbier*, Galli rectius *barbier*. *Barf* pro barba habent Armorici.
BESTEN claudere, firmare. Angloſax. *fæſtnian*, Franc. & Alam. *feſtinon*. Hodie *veſt machen*, *befeſtigen*. (*)
BIHTER melior. Angloſax. & hodie Belgis *beter*. (*)

(z) Perſica, quæ hic ſequuntur, ſuggeſſit mihi Vir ab eximia Literarum Orientalium & Occidentalium peritia clariſſimus Johannes Chriſtianus CLODIUS, L. Arabicæ in hac Univerſitate Prof. Publ. cujus ope & eruditione in hoc negotio eo libentius uſus ſum, quod cæteri Collectores videbantur Perſica, Turcica, & Arabica ſæpe confundere, & interdum male ſcribere.

(a) Vid. Prolegom. Sect. 6. in Subfixo *Bar*.

(*) Ad Harmoniam Linguæ Perſicæ & Germanicæ ſpectat omnino, quod, obſervante Doctiſſ. Clodio, verba utrinque deſinunt in *en*, & comparativi in *er*. Quamvis enim Antiqui aliis plerumque vocalibus in terminando utantur, cuſtodiunt tamen conſonantes.

BIK tympanum. Nobis *pauke*.

BORDEN portare. Nobis & Antiquis *bæren*, & hinc *bürde* quantum quis portare poteſt.

BRADER frater. Goth. & Angloſax. *brother*, nobis *bruder*.

CHODA Deus. Hinc *Chodabéndeb* ſervus Dei, titulus Regis Perſiæ (b). Angloſax. & Belgis *god*, nobis *godt* vel *gott*.

(b) *Choda*, ut a laudatiſſ. Dn. Prof. Clodio accepi, creditur Perſis apocopatum ex *Chod-ajendeh*, a ſe ipſo veniens. Quod ſi verum eſt, *Gott* & *Choda* ſono convenient, non ſignificatu. Noſtri enim Deum a bonitate vocant *Gott*, ab unitate *Ai*, a veritate *San*, ſicut alibi oſtendo.

CHOK ſus. Anglis *hog*, & in agro Lipſienſi *hakſch*. (c)

(c) Perſæ videntur hanc vocem accepiſſe ab Armeniis. Confer, quæ ad vocem Armeniam χꝛ̃ς annotavi infra §. XXII.

CORBOS cucurbita. Francis & Alam. *curibiz*, nobis hodie *kürbis*.

DENDAN dens. Gothis *tunths*, Armor. *dant*, Belg. *tand*, nobis & Francis *zan*.

DER porta. Inde *derban* janitor. Belgis *deur*, nobis *thüre*.

DOCHTER filia. Conſentiunt omnes veterum & recentiorum Dialecti.

DRUG fraus, fallacia. Nobis *trug*, & compoſite *betrug*.

DU duo. Goth. & Angloſax. *tvva*, Cambris *dau*, nobis & Francis *zvvei*, *zvvo*.

ENDER inter. Nobis & Antiquis *under* vel *unter*.

EST eſt. Nunc & olim *iſt*.

ESTADEN ſtare. Omnes Antiqui habent *ſtandan*, & inde *ſtad* pro loco, re utique ſtabili.

EZ ex. Alamannis *uz* in compoſitis, cujusmodi ſunt, *uzkangan* egredi, *uzſentan* emittere, *uzkelidan* excedere.

GHELI collum, gula. Conveniunt *hals* & *kele*.

GHIRIFTEN rapere. Angloſax. & hodie Belgis *gripen*, nobis *greiffen*.

GHIRISTEN flere. Goth. *greitan* flere, *grets* fletus. Cambris *cri* clamor. Suevis *grætig* clamoſus, querulus, diciturque in primis de infante in cunis vagiente, qualis Islandis vocatur *grætingr*.

GHAV vacca. Nobis *kuh*.

IUK jugum. Gothis *juk*, *gajuk*, Angloſ. Belg. Angl. *joc*, Franc. & Alam. *johh*, nobis *joch*.

KHAH palea. Inde Succinum vulgo vocatur *Carabe*, quaſi *khah rubah* paleam rapiens vel attrahens. Palea Angloſax. *ceaf* Matth. III, 12. nobis *kaf*.

KHAL calvus. Nobis *kahl*.

KISTI ciſta, navis. Nobis *kiſte*.

LIB labium. Nobis *lippen*.

MADEH puella. Angloſax. *mæden*, Angl. *maid*. *maiden* virgo.

MADER mater. Nobis *muter*.

MAH luna. Gothis *mena*, Belg. *maen*.

MALIDEN molere, terere molendino. Nobis & Gothis *malen*.

MEN meus. Olim *min* in plerisque Dialectis, hodie *mein*, quod Gothicum.

MORK mors, *morden* mori, *mordaniden* occidere, mori facere. Quod Perſis eſt mori, id nobis eſt occidere. Neuter ſignificatus a fonte recedit. Nam qui moritur, mortem obit, & qui occidit, mortem infert. Ejusmodi variationes in Scythicis Dialectis reperiuntur plures, ubi eadem vox diverſis ſenſibus, cognatis tamen, adhibetur. Sic Gothis *gadauthnan* eſt mori, Joh. XII, 33. a *dauth* mors, nobis *tödten* occidere, a *todt* mortuus. Ex adverſo Angloſaxonibus *ſteorfan* eſt occidere, nobis *ſterben* mori.

MUSCH mus. Hodie *maus*.

NAF umbilicus. Olim, ut videtur, *nabe*, poſtea diminutive *nabel*.

NAM nomen. Conſentiunt omnes Dialecti.

NAMWAR celebris. Idem nobis *namhar*. Ratio compoſitionis utrinque eadem. Nam *war* (quod & *bar* & *ber* effertur) ſignificat ferentem, derivaturque a *borden* portare, plane ut nobis *bar* a *bæren*, & Latinis *fer* a *ferre* in quibusdam compoſitis, cujusmodi eſt *fructifer*, *lucifer*, & alia.

NEH non. Olim *neh*, *ne*, & *ni* in omnibus Dialectis, hodie *nein*.

NEU novus. Conſentiunt omnes Dialecti.

NU novem. Gothis, Franc. & Alam. *niun*, Armor. *naou*, nobis *neune*.

PA vel *pai* pes. Armoricis *pedd* pes, *bet* ivit. Gothis, Angloſax. & hodie Anglis *fot* pes, Francis & Alam. *fuaz*, inde nobis *fuſs*.

PADER pater. Nobis *Vater*.

PENSCH quinque. Cambris *pump*, Armor. *pemp*. Francis & Alam. *funf* & *finf*, inde nobis *fünf*.

POSTER culcitra. Nobis *polſter*.

RUBADEN rapere. Gothis *rauban* ſpoliare, *biraubodedun* ſpoliaverunt. Utrumque uſus hodiernus agnoſcit.

SAZDEN ponere. Francis & Alam. *ſezzan* ponere, *ſazta* poſui. Inde nobis *ſezen* & *ſazte* eodem ſenſu.

SCHESCH ſex. Gothis *ſaihs*, Belgis *ſes*, nobis *ſechs*.

STAREH ſtella. Conſenſum ſiſtet Gloſſarium in voce *ſtern*.

TONDER tonitru. Nobis quidem *donner*, ſed Belgis *tonder*, & Anglis *tunder*.

TU tu & tuus. Nobis *du* & *dein* conſentientibus Antiquis.

XVIII.

Hanc utriusque Linguæ Harmoniam, quæ omnibus temporibus doctiſſimos Viros in ſtuporem rapuit, ſi quis caſu factam contendat, næ ille parum harmonice factus eſt. Non equidem hoc volo, ut Germaniam a Perſide, vel hanc ab illa voces ſuas accepiſſe exiſtimetis, ſed ut ſimilia ad ſimiles & communes ortus mecum redigatis, Matricem inquam SCYTHICAM, nobilem ſane, & utrique Genti convenientem. Scythas enim non ſolum in Europa (quod ſupra demonſtravi) ſed etiam in Aſia genus & Linguam ſuam proſeminaſſe, multa nobis perſuadent, & inprimis hoc, quod antiquiſſimis temporibus in Ægyptum usque

pene-

penetrarunt, & inde reverſi Aſiam vectigalem ſibi fecere per *mille quingentos annos*, donec pendendi tributum finis a Nino Aſſyriorum R. factus eſt, teſte Trogo Pompejo (d), Scriptore rerum Scythicarum diligentiſſimo. Quid mirum, Victores domitis gentibus ſuam impoſuiſſe linguam, aut partem linguæ? Aut vocabula ſua immiſcuiſſe tam longo temporis intervallo? Nonne idem fecerunt Romani in Occidente? Et nonne Hiſpania, Romanis, Gothis, & Mauris quondam occupata, ſermone ſuo tot Gentium linguis quaſi lue infecto, priſtinam ſubjectionem hodieque teſtatur? Nec deſunt præclari Auctores (e), qui imperio non contenti, genus Perſicum a Scythis deducunt, vel progenitoribus Parthis, vel Dais, vel Carmanis, vel aliis Scytharum in Aſia Colonis. Multa equidem ſunt in noſtris & Perſarum moribus antiquis, quæ utriusque Gentis communem originem haud leviter urgent, Commentatoribus Taciti pridem obſervata.

(d) Juſtinus Lib. II. cap. 3.

(e) Salmaſius, Pezronius, & alii.

XIX.

Itaque ad PHRYGES me converto, quos hominum antiquiſſimos & ipſis Ægyptiis priores eſſe (f) vetus fama eſt. Horum vetuſtiſſimi Coloni ſunt Thraces. Thraces enim circa originem Phrygiam ultro glorioſos eſſe, ſeque a Titanibus ortos profiteri, teſtis luculentus eſt Orpheus Hymno in Titanes, qui originem Gentis ſuæ non potuit ignorare. Unde haud dubie fabuloſum eſt, quod ex ore Macedonum refert Herodotus, & ex Herodoto deſcripſit Strabo, Phryges Thracum colonos eſſe, & cum prius habitaſſent in Europa, poſtea migraſſe in Aſiam. In hoc tamen conveniunt iſti mendaces, Phryges appellatos eſſe *Briges* dialecto Thracica, quæ, ut apparet, eadem erat cum Phrygia. BRIGAM autem ſignificare τὸν ἐλεύθερον, hoc eſt, *hominem liberum*, ex Juba Hiſtorico notavit Heſychius in voce βρίγας. Et hunc vocis ſignificatum in Germania noſtra a primis inde temporibus obtinuiſſe, teſtes ſunt veteres Dialecti. Nam liber, ingenuus Gothis appellatur *frije*, Angloſaxonibus *freo*, *frig*, Keroni *friger*, nobis *frey*. Hoc nomen apprime conveniebat antiquis illis Phrygibus, ab Aſcanio Japheti ex Gomaro Nepote ortis, cum quod a prima origine fuerint ſui juris, nec unquam alterius populi imperio ſubjecti, tum quod artibus liberalibus & ingenuis unice intenti, homines a belluina ad cultiorem vitam revocarent, & oſtenſo mitiore cibo agriculturam & reliqua vitæ præſidia primi docuiſſent (g). Horum Linguam Scythicæ ſimillimam fuiſſe, jam ſupra ex appellatione VIRI perſpeximus. Plura hujus conſenſus & inſignia documenta ſubminiſtrabunt nobis Linguæ occidentales (quas Scythicas eſſe ex antecedentibus præſuppono) in omnibus Dialectis.

(f) Herodot. Lib. II. cap. 2.

(g) Vide Gloſſar. in verbo *Baken*.

XX.

PHRYGES hircum nuncupant ATTAGOZ, quaſi patrem caprarum (h), teſte Arnobio. Quæ vox compoſita videtur ab *atta* pater, & *goz* capra.

(h) Arnob. adv. Gentes Lib. V. *Hircos Phryges ſuis ATTAGOS elocutionibus nuncupant.*

XXI.

PHRYGES aquam diſcriminatis vocibus appellaſſe BEDY, & HYDOR, teſtes ſunt Didymus Grammaticus & Plato in Cratylo. Utramque vocem produxi in Gloſſario (i): prioris quidem poſteritatem oſtendens hodieque ſuperſtitem: alterius vero mutationes, quibus aucta vel imminuta eſt in Occidente. Solent enim voces mutari non ab exteris tantum, ſed etiam a Coloniis. Hinc Armenii, quamvis a Phrygibus oriundi, vocem progenitorum ὕδωρ non diu tenuerunt incorruptam: ſed transformarunt in ὄφ, quod illis eſt aqua, plane ut priſcis Gallis & Britannis *dur*. Nam Armeniorum Lingua innumera repræſentat Britanniæ veteris vocabula, celeberrimo Antiquitatum Britannicarum interpreti WILIELMO BAXTERO obſervata: manifeſto indicio, utriusque Gentis communem originem eſſe a Phrygibus. Hinc idem doctiſſimus Auctor in Gloſſario ſuo ſubinde recurrit ad Phryges tanquam generis Britannici parentes, & hos totam pervagatos Europam usque ad Herculis columnas, univerſam Galliam, Hiſpaniam, Britanniam, atque Germaniam tenuiſſe, paſſim (k) inculcat. Idem non veretur adſerere in Præfatione, Linguas, quas vulgus Orientales vocat, absque Armenicæ & Britannicæ ope in pluribus non poſſe explicari. Utinam Clariſſ. Dn. LA-CROZE, qui juxta Armoricam, quæ illi vernacula eſt, præcipuas totius Orbis Linguas, & inprimis Armenicam diuturno ſtudio excoluit, poſſet abs me perſuaderi, ut ſuam nobis de hoc argumento animi ſententiam ſcripto aliquo deprometet.

(i) V. Gloſſar. in vocibus *Bad* & *Waſſer*.

(k) Baxter in Gloſſ. Antiq. Britan. voce ALVION. BRIGANTES. IBERNIA. & fere ubique.

XXII.

Ad PHRYGIAM elocutionem haud dubie etiam ſpectat, quod Armenii, Phrygum coloni, porcum vocant χοῖρ: & ad conſenſum Occidentis cum Phrygibus, quod idem animal Cambris dicitur *hwch*, Armoricis *houch*, Anglis *hog*, Francis *fou*, nobis *ſau*, ſpiritu in ſibilum converſo ut ſæpe alias. Lacones ex eodem fonte habent σῦκα, Græci σῦς, Latini *ſus* & *ſucula*.

XXIII.

Cæteras ſermonis PHRYGII apud nos reliquias, cujusmodi ſunt βέκκος, Πέργαμος, πῦρ, σύκχα, & alias, in ipſo Gloſſario (l) fuſe proſecutus ſum, ut neceſſe non ſit, eas hic denuo in ſcenam producere.

(l) V. Gloſſ. in vocibus *Baken. Berg. Feur. Socken.*

XXIV.

XXIV.

Nunc ordo tangit CELTAS, utpote Scythis & Phrygibus ætate inferiores, nec ante Bellum Trojanum auditos. Nam primis temporibus floruit nomen Scythicum, deinde innotuit Phrygium, Phrygio ſucceſit Celticum. Hodie totus mundus crepat CELTAS, & Libri recentiorum tantum non ſunt Celtis a capite ad calcem referti: ſed quinam illi fuerint, aut qua de cauſa ſic dicti, etiamſi omnes ſibi in cognitum imputent, ſinguli tamen videntur ignorare. Phryges olim vaſtiſimum imperium tenuiſſe, & coloniis ſuis nonſolum partem Aſiæ, ſed etiam Græciam, Thraciam, & totum pene Occidentem occupaſſe, illuſtris Abbas PEZRONIUS in Antiquitatibus Celticis tanta argumentorum copia & perſpicuitate demonſtravit, ut difficile ſit illud negare: hoc uno erroneus, quod SACIS, quos Gallorum ſuorum progenitores exiſtimat, hoc imperium tribuit. Poſtquam enim Sacas ſuos ex Provinciis Aſiæ Margiana, Bactriana, & Hyrcania, in Armeniam, & ex Armenia in Cappadociam perduxiſſet, ubi ſubito diſparent ex Hiſtoria: huic defectui ſupplendo Sacas fingit ulterius progreſſos, & occupata Phrygia aſſumptoque TITANUM nomine novam ibi MONARCHIAM condidiſſe. Verum Sacas non ad Phryges usque penetraſſe, ſed a Perſarum præfectis funditus deletos eſſe in Cappadocia, vir Doctiſſimus ex Strabone ſuo (m) intelligere poterat. Igitur Sacas poſt illud excidium tanquam Deos ex machina nobis oſtendere, aut Orbi tanquam rerum Dominos imponere, infirmum eſt, ne dicam falſum. Primus totius Occidentis imperio præfuit URANUS, teſte Diodoro, Ennio, aliisque permultis. Hunc Phrygem, non alienigenam fuiſſe, & parentem TITANUM, & hoc nomine nullum unquam populum, ſed auguſtam & regnatricem familiam apud Phryges antiquitus nuncupatam eſſe, alibi oſtendam. Neque enim tam vaſtum argumentum breviculæ Præfationis ambitu contineri, aut digne abſolvi poteſt.

(m) Strabo Geograph. Lib. XI. pag. 511. 512.

XXV.

Huic Monarchiæ interitum acceleraruntGræci, Phrygicæ dominationis poſt aliquot ſæcula pertæſi, & Coloniis Africanis ex Ægypto & Phœnicia in immenſum aucti. Everſo itaque ILIO, tanquam ſede Regni, & creſcente indies Græcorum potentia, multi metu Victoris receſſerunt in interiora Scythiæ (n): alii duce ÆNEA per mare aufugerunt in Italiam (o): alii duce ANTENORE in Venetiam (p): alii duce TUTISCONE pedeſtri itinere in Germaniam (q): alii ductore DITE in Galliam cultoribus tunc vacuam, teſte Marcellino (r) aut potius Timagene, unde ſua deſcripſit Marcellinus. Enim vero a Bello & excidio Trojano magnam BARBARIS confuſionem inciditſſe, ita ut plurimæ tum migrationes factæ ſint, & variæ Europæ partes a profugis confertim occupatæ, Strabo (s) ubique memorat.

(n) Duce Scamandrio, Hectoris & Andromachæ filio.

(o) Res antiquis Scriptoribus teſtatiſſima. Qui ſidem Veterum nimia dubitandi licentia hic labefactant, indigni ſunt qui legantur.

(p) Henetos indigito, de quibus conſuli poteſt Strabo in Geogr. Lib. I. pag. 48. Lib. XII. pag. 543. 544. Lib. XIII. pag. 608. item Livius, Virgilius, Juſtinus, & alii.

(q) Migrationis hujus teſtis eſt veteſtiſſima fama, & traditio in Gente noſtra jugiter recepta, quæ primos parentes noſtros a Trojanis oriundos eſſe perhibet. Franci circa affectationem originis Trojanæ ultro glorioſi ſunt, & Scriptores medii Ævi in eo tantum videntur errare, quod ſolos Francos inde deducant, unde omnes Germani fuerant deducendi. Tacitus majores noſtros non aliunde veniſſe, ſed ex terra ſua vermium inſtar natos eſſe exiſtimavit, quod plane inſubidum eſt & tanto Hiſtorico indignum. Provocat ad Carmina noſtra, quæ nobis ſunt inſtar Annalium, quæque *Tuiſconem quendam celebrant Deum terra editum, & originem Gentis atque conditorem.* Verum nihil certius eſt, quam Tacitum carmina noſtra male interpretari. Nam Germani poterant Tuiſconem celebrare *Deum*, non quod terra editus ſit inſtar Dei ſponte nati (Dii enim non naſcuntur ex terra, & origo Deorum apud omnes Gentes ex hominibus eſt) ſed quod ex homine factus ſit Deus, familiari Gentibus inſtituto, quæ Conditores ſuos in cenſum Deorum referebant, ſive grati animi cauſa, ſive ut viderentur a Diis orti. Eundem poterant vocare *originem Gentis* atque *Conditorem*, non quod genus Germanicum ab illo ſit, ſed quod populum aliunde eductum in nova ſede collocaſſet. Anſam errandi videtur præbuiſſe nomen TUISCONIS, quod Tacitus noverat ſignificare *terræ editum*, unde *Deum terra editum* & reliqua confingere cœpit.

(r) Marcellin. Lib. XV. cap. 9. *Ajunt quidam, paucos poſt excidium Trojæ, fugitantes Græcos, ubique diſperſos, loca hæc occupaſſe tunc vacua.* Loquitur de Gallis & Gallia. Nomen Ducis exhibet Cæſar his verbis Lib. VI. de Bello Gall. cap. 17. *Galli ſe omnes a DITE patre prognatos prædicant.* Solent enim Coloniarum Ductores haberi pro patribus, & populi ab illis conducti aut ſede aliqua collocati, pro poſteris eorum.

(s) Strabo Geograph. Lib. I. pag. 48. Lib. XII. pag. 572. Lib. XIV. pag. 678.

XXVI.

Ab his migrationibus ortum eſt nomen CELTARUM auctoribus Græcis, qui profugos illos univerſe appellabant CELTAS, vocabulo ex idiomate non ſuo, ſed migrantium Lingua petito. Nam *cil* in hodiernum usque diem Cambris ſignificat receſſum, receſſum, fugam, & *Ciliad* ſive *Cylidd* (quod eſt omnino nomen Celtarum) profugum, item fugatorem, teſte Boxhornio in Vocabulario Antiquo-Britannico. Uterque ſenſus conveniebat illis populis, qui, dum Græcos fugiebant,

giebant, ſæpe alios viciſim fugabant, ut fieri ſolet in migrationibus.

XXVII.

Hinc paulatim invaluit diſcrimen inter SCYTHAS, CELTAS, & CELTO-SCYTHAS, quod antea nullum erat, ita ut SCYTHÆ a Græcis dicerentur omnes Gentes Septemtrionales, CELTÆ omnes Occidentales, reliqui a medio ſitu CELTO-SCYTHÆ. Quod inprimis videtur convenire Germanis, quorum ſitus inter Septemtrionem & Occidentem quaſi medius & anceps eſt, & vocabulo compoſito indigebat. Strabo, qui hujus diſtinctionis diſerte meminit, ſe illam explicationem ex priſcorum ſententia Græcorum afferre profitetur (t).

(t) Strabo Geograph. Lib. I. pag. 33.

XXVIII.

Galli igitur veteres & Britanni ſunt veriſſimi nominis CELTÆ, & Cambri atque Armorici, qui ab illis deſcendunt, certiſſimi Celticæ Linguæ hæredes: Ingevones vero, & Iſtævones, & Herminvones veteris Germaniæ, ſunt ipſi CELTO-SCYTHÆ, & indubii Gothorum, Angloſaxonum, Francorum, Alamannorum, & reliquorum, unde genus & idioma Germanicum hodie exiſtit, progenitores. Quæcunque ergo in hiſce Dialectis ſono & ſignificatu conveniunt, ad communem Linguam & Matricem referri debent. Qualia cum permulta ſint & pene innumera, hinc efficitur, Linguam primævam Celtarum & Celto-Scytharum eo tempore, quo a Græcis pulſi ſunt, eandem fuiſſe & pene indiſcretam, etiamſi tractu temporis multas & incredibiles mutationes obierit. Et hæc eſt illa Lingua, quam ſubinde in Gloſſario CELTICAM appello, quæque eodem jure SCYTHICA & PHRYGIA appellari poterat, ob manifeſtam cum utroque ſermone convenientiam.

XXIX.

Quanta ſit, olimve fuerit CELTICI & Scythici eloquii ſimilitudo, vel una vox MORIMARUSA, a Plinio cuſtodita, VOS docere poteſt, quæ Hyperboreis Gentibus in remotiſſima mundi ætate, & noſtris quoque Cimbris in Germania, *mare mortuum* denotavit, poſtea nobis periit, hodie vero ex Lingua Cambrica tam feliciter recluditur & quaſi inſtauratur. Omitto nunc appellationem VIRI, aliasque quas jam ſupra produxi pene indiſcretæ ſimilitudinis voces, quarum numerum ex nomine & lingua SACARUM, quos Scythici generis fuiſſe extra dubium eſt (u), augere poſſem, niſi hæc ab eruditiſſimo Pezronio jam eſſent occupata.

(u) Appianus Lib. 3. *Sacæ ex Scythis oriundi, iis qui Aſiam incolunt.*

XXX.

Unum videtur reſtare ut oſtendam, CELTAS Phrygice locutos eſſe, aut Phryges Celtice. Utrumque enim dici poteſt, ſi cavillatio abſit. Verum & hoc officio partim in præcedentibus, partim in ipſo Gloſſario jam defunctus ſum, productis appellationibus VIRI, & PATRIS, & CAPRÆ, & PORCI, & CANIS, & AQUÆ, & IGNIS, & PANIS, & MONTIS, & SOCCORUM, quarum aliæ Gallis, Britannis & Germanis communes ſunt, aliæ ſolis Germanis propriæ & cuſtoditæ, dum Gallis & Britannis perierunt, ut neceſſe non ſit, in tanta vocabulorum copia plura conſenſus ſpecimina anxie conquirere.

XXXI.

Ab his igitur originibus, Scythicis inquam, Phrygicis, & Celticis, dum Linguam noſtram nobiliſſimam deduco, me non errare, nec divinare, ſed quod veroſimillimum eſt ſentire puto. Equidem hunc rerum nexum literis proditum nusquam invenio, partes tamen veritatis tanquam membra avulſa ubique reperio. Scythicam originem tuentur Boxhornius & Stiernhielmius: Phrygiam Scriptores medii Ævi, & noviſſime Baxterus: Celticam Cluverius, & omnes pene Eruditi hodie in Germania. Solus KATENIUS, qui Libris de Belgico idiomate editis, Patriæ & Vernaculæ ſuæ haud leve decus contulit, videtur ab omnibus diſſentire, & Gentes Germanicas non Scythas, non Phrygas, nec Celtas, ſed quartum genus hominum opinari (w). Liberum cuique ſit, ſectari opinionem, quam judicat meliorem. Liberum ſit & mihi, hypotheſin meam pro viribus adornare. Calculum unusquisque ex ingenio ſuo vel addat, vel ſubducat.

(w) Katenium & Baxterum, auctores in Germania rariſſimos, dum hæc ſcribo, ill. Dn. MENKENIUS Conſil. Aul. ex Bibliotheca ſua celeberrima perluſtrandos humaniſſime communicavit.

XXXII.

Oſtenſa itaque Linguarum Celticarum cum ore Scythico & Phrygio harmonia, nunc incumbere mihi videtur, ut eam, quam Celticæ Linguæ inter ſe habent, eloquii conformitatem, pluribus exemplis oſtendam. Quamvis enim in rebus Aſiaticis penuria exemplorum ob monumentorum defectum forte excuſetur, in propioribus tamen & domeſticis nemo paucis contentus eſt, ſed nubem teſtium deſiderat. Verum quia acta agere ſupervacaneum, & tempori quoque parcendum eſt, ad Gloſſarium meum VOS remitto, quod, etiamſi exiguam Linguæ noſtræ partem complectatur, ſupra cc. vocabula Gallica & Britannica (x) ſiſtit, quæ cum noſtris ſono & ſignificatu conveniunt, & alternis vicibus radices modo nobis reddunt, modo a nobis accipiunt, manifeſto indicio, utramque Linguam in uno quodam & vetuſtiori idiomate radicatam eſſe, in quo tanquam communi theſauro, quicquid tempus vel nobis vel illis eripuit aut reliquit, olim continebatur. Quantam putabitis vocabulorum conſonantium ſegetem ab ipſo LEXICO exſpectari poſſe,

poſſe, ſi minima pars Linguæ tam fertilis ſit atque fecunda? Sed qualiacunque hæc ſint, certe non ſunt niſi tabulæ ex naufragio, & nullius numeri nec ponderis, ſi conferantur cum iis vocibus, quæ nobis perierunt. Nam quo antiquior eſt ſermo noſter, & ab uſu hodierno alienior, eo major eſt ejus cum Gallico & Britannico convenientia. Poſſem hoc ſexcentis exemplis demonſtrare, niſi talis demonſtratio Limites Præfationis excederet. Ideoque pauca tantum ex omnibus Dialectis decerpta VOBIS ante oculos ſtatuam.

(x) Vide Indiculum Vocabulorum *Celticorum, Cambricorum & Armoricorum*, huic ſpecimini annexum.

AHA flumina. Vox Alamannica apud Keronem in Gloſſario. Cambris *aches* rivus, flumen.

BERTH clarus, ſplendidus. Vox omnibus veterum Dialectis (y) uſitata. Cambris *berth* pulcher, nitidus.

(y) V. Gloſſarium in *brecht*.

CENNAN generare, *cenned* genitus, *cynne* genus, generatio. Vox ultima ab omnibus veterum Dialectis agnoſcitur, reliquæ ſunt idiomati Angloſaxonico (z) propriæ. Cambris *cenedlu* generare, *cenedl* gens, genus, natio, *geni* naſci.

(z) V. Gloſſar. in *kennen* gignere.

DERA vel DRE arbor. Ita Franci & Alam. Gothi habent *triu*, Angloſax. *treovv, trevv* & *tryvv* eodem ſenſu. Cambris *dar* & *dervv* quercus, & hinc Druides *dervvyddon*, quaſi domini arborum, ab *udd* dominus, & *dervv* quercus. *Udd* pro domino nobis ſuperat in nomine proprio OTTO.

ELITHEODIG peregrinus, qui ex alia terra vel agro eſt. Vocem habet Iſidorus pag. 263. Cambris *alltud* alienigena, advena, ab *all* alius, alienus, & *tud* terra. Utramque compoſiti partem agnoſcunt etiam noſtri in omnibus Dialectis (a).

(a) V. Gloſſar. in *el* & *teut*.

FIDWOR quatuor. Vox Gothica. Cambris *pedvvar* idem.

GOMMA, GOMMAN vir, maritus. Extat in omnibus Dialectis. Cambris *cymmar*, compar, conjux, ſocius, ſodalis, forte ab Armorico *cbom* ſimul morari.

HUNSLA munus, oblatio, ſacrificium. Vox Gothica, quæ Angloſaxonibus eſt & efertur *husl*. Cambris *honſel* ſtrenam denotat, ſi non eodem, certe cognato ſignificatu. Quid enim eſt ſtrena niſi munus & oblatio?

KRY clamor militaris. Vox Alamannica (b). Cambris *cri* clamor, *crio* clamare, *crivvr* præco.

(b) Goldaſt. Tom. II. Rer. Alam. *Chry dir alten Kilchin* Symbolum veteris Eccleſiæ.

LOCHAN claudere, *intlochan* aperire, *loch* clauſura, *pilobhir* clauſtra. Voces Alamannicæ apud Keronem. Cambris *locc* angulus, angiportus, *lloches* latebra, *llechu* latere, nonnulla cum reliquis adfinitate.

MATS, MÆTE cibus, nutrimentum. Prior vox Gothica, altera Angloſaxonica eſt. Idem Cambris *maeth*.

NITHJIS cognatus. Vox Gothis propria. Cambris *nith* neptis ex fratre vel ſorore.

OGAN timere, *iggur* timor. Prius Gothicum, poſterius Islandicum eſt. Cambris *egryn* timor, terror.

PAIDA tunica, nomenclatura. Gothica. Cambris *pais* tunica, palla, Islandis *pasta* induſium.

QUENA vel *quino* mulier. Vox apud Gothos & Francos paſſim obvia, quam Britanni videntur transtuliſſe ad Venerem denominandam. Nam Venus Cambrice dicitur *gvvener*, & dies Veneris *diau gvvener*, & ſtella Veneris *feren gvvener*.

RUNA ſecretum, ſive divinum, ſive magicum. Proſtat in omnibus Dialectis (c). Cambris *rhin* ſecretum, arcanum, myſterium, *rhiniau* incantationes, quia ſecretiores ſunt, & in occulto fiunt.

(c) V. Gloſſar. in *rune*.

SAUM ſive *ſum* onus, ſarcina, & figurate impedimentum. Vox Francis inprimis uſitata, cujus veſtigia extant in Lege Salica, & paſſim alibi. Hoc primitivum agnoſcunt etiam Armorici, quibus *ſum* onus, teſte Pezronio in Celticis.

THEOW ſervus. Ubique obvium apud Veteres (d). Cambris *tyvvas* famulus domeſticus.

(d) V. Gloſſar. in *dieb*.

UNDEN aqua, fluctus, Dialecto Francica. Videatur Otfridus Lib. III. cap. VIII. ubi ter eadem voce utitur, ut Tatianum & alios nunc omittam. Idem Cambris *tonn* per metatheſin, & *tonnog* undoſus. Hæc figura in præſenti negotio non eſt negligenda, quia voces Britannicæ fæpe ſola literarum transpoſitione a noſtris differunt, cujusmodi ſunt, *draen* ſpina, nobis *dorn: daear* terra, nobis *erd: tad* pater, noſtris olim *atta: naf* dominus, noſtris olim *fan: tair* tres, nobis *drei: nam* culpa, delictum, noſtris olim *man: bervvy* coquere, nobis *brauen: aren* rete, nobis *nieren* &c.

WERED plebs, multitudo. Vox Angloſaxonica, a *vver* vir derivata. Cambris *gvvr* vir, *gvverin* viri, virorum multitudo.

XXXIII.

Hæc ni fallor in compendio ſufficere poſſunt. Vereor enim ne VOS tædium capiat antiquitatis, ſi vocabulis nimis multis & tam procul a conſuetudine abductis aures veſtras ulterius aggrediar. Unum tamen ſilentio præterire non poſſum, quod ante omnia fuerat memorandum, cum propter Viri claritatem, tum propter inſignem vetuſtatem, nomen inquam Conditoris noſtri TUTISCONIS

NIS, antiquis carminibus celebratum, quod teſte & interprete Tacito TERRA EDITUM ſignificat. Fuit hoc nomen proprium non Dei, ſed hominis & Viri illuſtris, qui progenitoribus noſtris circa Trojana tempora dux & auctor fuit migrationis in Germaniam, & eam Reip. formam, quam Jul. Cæſar & reliqui Scriptores Romani tantopere mirati ſunt in noſtris, inter eos conſtituit, poſtea a filio MANNO & gente univerſa in Deorum numerum relatus ob tanta & tam præclara beneficia. Hic noſtrum ſuo de nomine nomen nobis reliquit, quod ex Lingua Celtica petitum eſſe, in ipſo Gloſſario luculenter demonſtravi.

XXXIV.

Quemadmodum autem nihil in univerſo eſt, quod non mutationi obnoxium ſit: ita etiam LINGUÆ ſuas experiuntur calamitates, dum ex antiquis vocibus aliæ obſolefcunt, aliæ plane depereunt, aliæ depravantur, aliæ novis & ſæpe contrariis ſenſibus ſervire coguntur, aliæ ab exteris tanquam fordes finceris partibus admixtæ, aut ab indigenis ſponte confictæ civitate donantur & propagantur. Unde mirum non eſt, Linguam CELTICAM, ab initio uniformem & pene indiſcretam, tractu temporis tantas perpeſſam eſſe mutationes, ut ARIOVISTUS Gallice loqui non niſi longo uſu didicerit (e). Nam ab exceſſu Celtarum in occiduas regiones usque ad Arioviſtum computantur MCXXVI. anni (f), qui tanto diſcrimini efficiendo abunde ſufficiunt.

(e) Cæſar de Bell. Gall. Lib. I. cap. 47.

(f) Utor Chronologia Edwardi Simſonii, qui Excidium Trojanum collocat ad A. M. 2821. ante C. N. 1182. & res Cæſaris cum Arioviſto geſtas ad A. M. 3947. ante C. N. 56.

XXXV.

Teſtem habemus experientiam. Debemus enim meminiſſe, Linguam Germanicam non hanc tantum obiiſſe mutationem, ſed longe majorem, & minori temporis intervallo. Omitto nunc veteres Sermones, *Gothicum*, *Saxonicum*, *Francicum*, qui certe adeo diverſi ſunt, ut ſingulis intelligendis tanto diſcendi ſpatio hodie opus ſit, quanto olim regio ingenio Arioviſti ad Gallice loquendum. Hoc unum jubeo VOS conſiderare, intra paucas ætates aliquot millia vocabulorum Francicorum & Alamannicorum nobis periiſſe, quæ ante octingentos annos in omnium ore erant, hodie vero non magis intelliguntur, quam Cambrica aut Armorica. Quæ niſi facta eſſent, fieri poſſe negarem. Accipite, ſi placet, ex ore priſco ſequentia.

Ammarari humiles.
Bimmtono odoramentum.
Cumiſci ſenatores.
Droa onus.
Erine pavimentum.
Fibbara alieni.
Gozophar libamentum.
Horatupil onocrotalus.
Inchenta arauueiz frixum cicer.
Kaluppas toxica, *kalupperu* toxicata.
Lapel mare, concha, labrum.
Mammonti blandimentum, placor, *mammontiu* placabilis, *gimmanmontot uuirdit* linietur.
Nibhus crocodilus.
Opiſal cultus.
Prorth labium, *prarte* labio, *prarta* labia, *prart* ora.
Querder eſca.
Riunun pſittacus.
Schabho lingua.
Tougani Sacramentum, *gitougani* ſacramento, *getougini* ſacramenta, *taugni* myſticos.
Vochumilo racemus, acinus.
Zaſcot rapuit.

XXXVI.

Quis hæc Germanica eſſe ſuſpicetur, niſi in Gloſſis Theotiſcis a R. P. PETZIO publicatis legerentur? Horum vero vocabulorum & ſimilium, ab uſu hodierno damnatorum, & civitate exulantium, apud omnes Gloſſatores & in omnibus Veterum Monumentis, tanta copia tantumque examen eſt, ut numerum Britannicorum a noſtris diſſonantium facile æquent aut excedant. Et nihilominus Lingua noſtra hodierna veriſſima Filia eſt veteris Fraiſcicæ & Alamannicæ, quamvis Matri in multis diſſimilis, quod opinor omnibus eſſe manifeſtum. Quemadmodum autem haud dubie erraret, qui propter hæc innumera, quæ olim in honore erant, nunc autem ceciderunt, aliis in locum eorum ſubſtitutis, proximam Linguæ noſtræ originem ex Francis & Alamannis in dubium revocaret: Ita errare mihi videntur, qui remotiſſimam ex CELTIS ob eandem cauſam nobis abjudicant, nulla tot Sæculorum, quæ Linguas mutare ſolent, habita ratione. Contrarium enim patet ex permultis Linguæ Celticæ apud nos reliquiis. Et etiamſi longus Sæculorum ordo omnia ſermonis veſtigia deleviſſet (quod ſane falſum eſt) Græci tamen Scriptores audiendi eſſent, qui uno omnes ore CELTICUM nomen nobis imputant, unde communio generis & Linguæ per ſe ſequitur. *Antiquiſſimis temporibus*, inquit Dio (g), *populi iſti, ad utramque Rheni ripam colentes, CELTÆ appellati fuerunt.* Nonſolum autem antiquiſſimis, ſed etiam ſecutis temporibus ita nuncupati ſunt. Quamvis enim Gentes illæ cognitis regionibus occiduis diverſa nomina adeptæ ſint, ita ut colentes ad ſiniſtram fluminis GALLI, reliquæ ad dextram GERMANI dicerentur: hoc tamen non obſtante Celticum nomen Germanis æque ac Gallis conſtanter adhæſit. Hinc Appianus Cimbros vocat *Celtas* (h), & Libanius Francos *gentem Celticam* (i), & Dio Germaniam *Celticam* (k). Equidem Strabo, qui reliquos ætate antevertit, Germanos a Celtis diſtinguit (l): ſed per aliam viam ad nos redit, dum Germanos ibidem ob ſimilitudinem formæ, & morum, & victus,

victus, FRATRES GALLORUM, alibi vero CONSANGUINEOS vocat (m). Unde vero conſanguinei, niſi ab Iliaco aut Scythico ſanguine? Omitto nunc mores utriusque Gentis, quæ communem originem aperte teſtantur.

(g) Dio Lib. 39.

(h) Appianus in Celtico pag. 758.

(i) Liban. in Baſil. pag. 138.

(k) Dio in Excerpt. pag. 761. *Ganna virgo poſt Velledam in CELTICA vates oracula fundebat.*

(l) Strabo Geograph. Lib. VII. ab initio.

(m) Lib. IV. pag. 196. *Nam & NATURA (φύσει) & vitæ inſtitutis hæ Gentes invicem ſibi ſimiles ſunt & COGNATÆ (συγγενεῖς).*

XXXVII.

An Germania noſtra ante TUTISCONIS cum manu ſua adventum, habuerit colonos, & unde advectos, fateor me ignorare. Quis enim in iſta remotiſſimorum temporum nocte verum perſpicere queat? Si habuit, veroſimile eſt, Scythas, Phryges, aut Thracas fuiſſe, & hos a noſtris pulſos eſſe ultra mare in Britanniam (in qua ſententia videtur verſari BAXTER (n) jam ſæpe laudatus) vel ultra ſinum Codanum in Scandinaviam. Tutiſſime incedunt, qui prima Germaniæ initia ab INGEVONIBUS, ISTÆVONIBUS, & HERMINVONIBUS deſumunt, quorum fama vetuſtiſſima eſt, & cæteris nominibus, paucis exceptis, antiquior. Orta autem ſunt hæc NOMINA, non primis ſtatim temporibus, ſed proxime ſecutis, quando ſolitudines Germaniæ a Gente jam valentiore & populoſiore per deductos colonos fuerunt occupatæ, incipiendo ab ISTHMO CIMBRICO, qui, ut videtur, prima fuit Majorum noſtrorum in Germania ſedes (o). Quidam MANNO tres filios aſſignant (p), e quorum nominibus tria illa nomina componunt. Verum cum ex omnibus traluceat verbum antiquum *wonen* habitare; hinc veroſimilius eſt tribus iſtis nominibus loca potius manſionum, quam filiorum Manni memoriam contineri. Id quod etiam H. Grotio ſe magis probavit (q), qui inde ſuos *In-woners*, *Herum-woners* & *Weſt-woners* more ſuo fabricavit.

(n) Baxter in Gloſſ. Antiqu. Brit. voce SAXONES. Item pag. 209.

(o) Huic conjecturæ adſinis eſt illa, quam R. D. LOESCHER in Literatore Celta theſi XV. proponit his verbis: *Cimbri, Cheruſci, Suevi, accurate ſupputando, Majores noſtri ſunt, exciſaque & penetrata Hercynia Sylva, totam, qua bodie patet, Germaniam, ſibi ſubjectam reddidere.* Utraque conjectura vetuſtate nominis Cimbrici ſe tuetur.

(p) Tacitus de M. G. cap. 2. *Manno tres Filios aſſignant, e quorum nominibus proximi Oceano INGÆVONES, medii HERMINONES, cæteri ISTÆVONES vocentur.*

(q) H. Grot. in Prolegom. ad Procop. pag. 25.

XXXVIII.

Primi omnium ſunt INGEVONES, Plinio *prima Germaniæ Gens* dicti (r), Tacito vero *proximi Oceano* (s), & inde nomen, ab *wng* prope, quod ſuperat eo ſenſu apud Cambros. Dicti autem ſunt a proximitate, quod ab utroque latere iſthmi, inter duo maria protenſi, oras Oceani & Sinus Codani legentes, hinc a Chaluſo ad Viadrum, illinc ab Albi ad Rhenum, ſedes ſuas in locis maritimis fixiſſent. Idque nomen poſtea communicari cœpit iis, qui Inſulas occuparunt, quod a litoralibus eſſent oriundi. Prioris generis ſunt Cimbri in ipſa Cherſoneſo, & Suevorum Gentes inter Codanum & Albim, & Chauci & Friſii ad Oceanum. Poſterioris Teutones, Hilleviones, Suiones, & cæteri Septemtrionales, quos ab Ingevonibus Germaniæ oriundos eſſe, Plinius & Solinus (t) haud obſcure teſtantur.

(r) Plin. Hiſt. Nat. Lib. IV. cap. 14.

(s) Tacit. loc. cit.

(t) Plinius loc. cit. Solinus cap. 23. Scandiam a Cimbris, Suevis, aliisque Theotiſcis tertio vel quarto Sæculo ante Chriſtum natum occupatam eſſe, ex Lingua, moribus, aliisque indiciis breviter oſtendit R. D. LOESCHER in Literatore Celta theſi XXXI.

XXXIX.

Alii ulterius progreſſi ſedes ſuas trans Viadrum ad Viſtulam usque promoverunt. Et hos ISTÆVONUM conditores eſſe arbitror, etiamſi hoc nomine Rheno proximi a Plinio inſigniantur. Plinius enim Genera Germanorum (u) præter neceſſitatem multiplicat, Tacitus vero dicendo, *cæteri Iſtævones*, in dubio relinquit, quinam ſint illi cæteri. Dicti autem ſunt ISTÆVONES, quaſi Æſtivones, id eſt, ad orientem colentes. Nam *eaſt* Angloſaxonibus Orientem ſignificat. Quod apprime convenit Vandalis, & qui ex proſapia ipſorum prodierunt, Burgundis & Gothonibus ſive Gothis, quos antiquitus intra Viſtulam & Viadrum ad mare Suevicum habitaſſe, Tacitus memorat.

(u) Plin. Hiſt. Nat. Lib. IV. cap. 14. *Germanorum genera quinque: Vindeli, quorum pars Burgundiones, Varini, Carini, Gutsones: alterum genus Ingævones, quorum pars Cimbri, Teutoni, ac Cauchorum gentes. Proximi autem Rheno Iſtævones, quorum pars Sicambri. Mediterranei Herminones, quorum Suevi, Hermunduri, Chatti, Cheruſci. Quinta pars Peucini, qui & Baſtarnæ, ſupra dictis contermini Dacis.*

XL.

Omnium noviſſimi videntur HERMINVONES, qui intra ambitum reliquorum habitabant, a Rheno prætenti, unde Tacito *medii*, Plinio *mediterranei*, Melæ (w) *ultimi* vocantur. Ab his orti ſunt Cheruſci, Chatti, Hermunduri, Marcomanni, Ubii, Sigambri, Uſipetes, Tencteri, Bructeri, Marſi, & alii, quorum latera partim a Gentibus Friſionum & Cauchorum, partim a Suevis Trans-albianis clauduntur. Dicti autem ſunt *Herminvo-*

nes quaſi prolixe habitantes. Nam *menn* Celtis locum, *hir* vero longum & prolixum denotat. Cambri iisdem vocibus hodienum eodem ſenſu utuntur.

(w) Mela Lib. III. cap. 3.

XLI.

Ab his TRIBUS tota Germania, quæ primis temporibus una Lingua utebatur, paulatim facta eſt TRILINGUIS. Nam ab Ingevonibus habemus Linguam ANGLO-SAXONICAM, ab Iſtævonibus GOTHICAM, ab Herminvonibus FRANCICAM & ALAMANNICAM, de quibus nunc ordine aliqua dicam, quæ VOBIS fortaſſe haud erunt ingrata.

XLII.

Lingua ANGLO-SAXONICA, cum ſit ab Ingevonibus orta, filia eſt Celticæ maritima & primogenita, natalibus ſuis nec omnino ſimilis, nec omnino diſſimilis, clariſſima tamen originis ſuæ documenta in ſe gerens. Dedit illi Mater hanc inprimis prærogativam, ut Sororibus ſuis nonſolum ætate prior, ſed etiam venuſtate & ſimplicitate commendabilior eſſet. Dedit & immenſum vocabulorum veterum, Celticorum, Cimbricorum, & Suevicorum Theſaurum, & flumen elocutionis uberrimum, unde ſæpe prata aliena rigantur. Cur *Anglo-Saxonica* dicatur, & a quibus, ratio in propatulo eſt. ANGLI Tacito ſunt pars Suevorum in Ingevonibus: SAXONES Ptolemæo gens Cimbris contermina. Hi famam nominis navalibus auſis extenderunt, dum illi diu reticentur in Hiſtoria, quamvis maturius nominati. Utraque Gens circa initium Sæculi quinti in unum fœdus, & occupata bello ſociali Britannia, in unum nomen coaluit, ita ut qui diſcretim ANGLI & SAXONES, conjunctim ANGLO-SAXONES dicerentur, & Lingua ipſorum ANGLO-SAXONICA, quod communi ſermone uterentur Anglus & Saxo. Ipſi vero Saxones Linguam ſuam vocabant ANGLICAM, non Saxonicam, manifeſto (ni fallor) indicio, primos Saxones partem Anglorum fuiſſe, & genus inde accepiſſe unde Linguam. Operæ pretium eſt, interpretem audire Saxonicum Matth. XXVII. 46. *Heli. Heli. lema Zabdani. that is on ENGLISC. Min God. min God. to hwi forlete thu me.* Utcunque autem hoc nomen, ex Anglo & Saxone compoſitum, novum ſit, nec ante Britannicam Expeditionem auditum, partes tamen nominis antiquæ ſunt. Et hinc manifeſtum eſſe reor, Linguam Angloſaxonicam nomine ſuo longe vetuſtiorem eſſe, ſi non fama & claritudine, ſaltim uſu & exercitio. Hæc Lingua cum tempore devenit mater fœcunda plurium aliarum Linguarum, inprimis *Anglicanæ, Belgicæ, Norwegicæ, Islandicæ, Danicæ, Sueticæ*, quæ ſunt quaſi Celticæ Linguæ ex hac filia nepotes.

XLIII.

Lingua GOTHICA, cum ſit filia Vandalicæ, & Soror Burgundicæ, cognoſci rite non poteſt, niſi cognita prius matre & ſorore, & omnibus quas inter migrandum perpeſſa eſt mutationibus. Vandali ſunt Gothorum & Burgundionum progenitores, teſte Plinio (x). Hos primis temporibus Celtice locutos eſſe, multa arguunt, & inprimis vetuſtas nominis Vandalici. Vandali enim non ſunt novi homines in Germania, nec aliunde advecti, ſed nomen verum & antiquum populi indigenæ, quamvis licentia vetuſtatis a quibusdam ex ipſa Manni familia fabuloſe deductum (y). Idem colligitur ex reliquiis Sermonis Gothici & Burgundici vetuſtiſſimis, quæ, ſi recte inſpiciantur, ſunt totidem Linguæ Celticæ fragmenta. Burgundi, cum adhuc eſſent in Germania, Regem nuncupabant HENDINUM, quaſi Seniorem, teſte Marcellino. Hanc vocem ex duabus Celticis compoſitam eſſe, in ipſo Gloſſario (z) oſtendi. Id unum hoc loco prætermittere non poſſum, Gothos eodem nomine uti, in Præfide Judææ denominando. Hunc enim appellare ſolent KINDINS, Matth. XXVII. 11. 15. Quæ vox, cum a Burgundica non ſit diſcriminata, niſi levi, eaque uſitatiſſima literæ H. in K. converſione, haud dubie ex eodem cum illa fonte manavit. Leges Burgundicæ novalia vocant EXARTA, Art. XIII. opinor a Celtico *hear* aratu facilis, arabilis, Cambris uſitato. Noſtri hodie nihil habent, quod aliquo modo reſpondeat: Gallis autem remanſit *eſſarter*, ſilvam cædere & in agrum convertere. Utrinque ſpiritus in ſibilum mutatur, more antiquis perquam familiari. In iisdem Legibus WITTEMON ponitur pro dote. Prior compoſiti pars Celtis conjugium & ſponſalia, poſterior munus & donum denotat. Illa Cambris compoſite dicitur *dyvveddi*, a *dyvveddio* conjugare, hæc Francis & Alamannis *man* & compoſite *manaheit* apud Keronem in Gloſſis. Utramque vocem agnoſcunt etiam Gothi, quibus *gavvath* eſt conjunxit, conjugavit, Marc. X, 9. & *manvvi* ſumptus, Luc. XIV. 28. Nobis totum compoſitum periit: Viguit tamen inter nos adhuc Willerami Abbatis ævo, qui illo in Cantico Canticorum utitur. Omitto nunc canem venaticum, quem Latini vertagum, noſtri *vvindhund*, Burgundi VELTRAUS vocant, a *veltra* ventus, quoniam hæc vox a Lindenbrogio jam eſt occupata. Omitto etiam alia, & hoc ſolum mantillæ loco cæteris adjicio, quod in Additamentis Legis Burgundicæ navis vocatur CAUPULUS, Art. VII. §. 1. quæ vox manifeſto Celtica eſt, & apud Cambros hodie ſuperſtes, quibus linter, cymba, ſcapha dicitur *ceubal* & *ceubol*, quaſi venter cavus, a *cau* cavus, & *bol* venter. Hæc enim ſufficere poſſunt oculatis, ut perſpiciant, Lingua veteri Burgundica, quamvis veriſſimi nominis Germanica, utpote e Vandalica orta, multa & præclara Antiquitatis Celticæ veſtigia contineri.

(x) Plinius loc. cit.

(y) Tacit. de M. G. cap. II.

(z) V. Gloſſar. in voce *Elterman*.

XLIV.

Miſſis igitur Burgundis ad GOTHOS propius accedo, quos Lingua cognata uſos eſſe, jam demonſtravi, & nunc porro demonſtrabo. Loquor autem de ea parte Gothorum, quæ Viſtulam transgreſſa primo ripis ſinus Venedici inſedit, & celebrem illam *maris* concreti ſubſtantiam, quam ſuccinum & electrum vocant, collegit, poſtea vero litoribus illis relictis ad Mœotidem usque progreſſa eſt, unde poſt aliquot ætates ad Danubium regreſſa, Romanis innotescere cœpit. Nam ab his habemus EVANGELIUM GOTHICUM interprete ULFILA, Gothorum in Dacia Epiſcopo. De reliquis autem popularibus, qui vel domi in Germania, vel foris in oppoſita Peninſula Scandinavia claruerunt, & nomen genusque Gothicum vel apud ſuos propagarunt, vel apud exteros condiderunt, nihil literarum ad nos pervenit, unde de natura & conſtitutione Linguæ Gothicæ judicium ferri poſſit. Etenim verba illa vetera, quæ Inſcriptionibus RUNICIS, aliisque Septemtrionalium monumentis continentur, Islandica ſunt, non Gothica. Et tametſi non deſint Viri eruditiſſimi & celeberrimi, qui hæc & talia pro Gothicis haberi cupiant, certiſſimum tamen eſt, hoc illos optare, non ipſius rei veritate, ſed potius affectatione nominis Gothici compulſos, vitio quidem vernaculo, & ob nimium Patriæ amorem excuſabili, ſed novo & Majoribus ignoto. Tantum enim abeſt, ut veteres Sueci gloriæ & linguæ Gothicæ unquam fuerint ſtudioſi, ut potius Gothos, quamvis latiſſime quondam imperitantes, ſuisque Regibus utentes, tanquam exteros & aliunde advectos odio haberent, nec prius ceſſarent, donec rebus eorum attenuatis & Regno penitus deſtructo, ſubjectos ſibi reddidiſſent. Cujus rei teſtem habemus domeſticum & Secretorum Septemtrionis apprime gnarum Ottonem SPERLINGIUM (a), qui novum illud Gothicæ Linguæ Palladium fortiter & feliciter evertit, omni Antiquitatis laude Islandis reſtituta.

(a) In Commentariolo *de Danicæ Linguæ & nominis antiqua gloria & prærogativa*, §. XII. XIII. XIV. XVI. XVII. XVIII.

XLV.

Igitur quoties GOTHOS in his paginis nomino, non illos Gothorum in Scandinavia Conditores, quos Germanos fuiſſe ſatis veroſimile eſt (b), ſed antiquos illos Succini collectores, quos vetuſtas *Guttones*, *Gothones*, & *Gothunos*, recentior vero ætas *Gothos* appellavit, intelligo, reliquorum quidem conſanguineos, utpote ex communi Vandalorum ſtirpe cum illis ortos, ſed migrationibus, rebus geſtis, & Martis operibus, ab illis diſtinctos. Horum Lingua, quo vetuſtior eſt, eo Celticæ propior & conformior deprehenditur. Teſtis eſt vox antiquiſſima MENTONOMON, qua Gothi Æſtuarium deſignabant, de qua juvat audire Plinium (c): *Pytheas Guttonibus, Germaniæ genti, accoli Æſtuarium Oceani* (maris Suevici) *affirmat*, MENTÓNOMON *nomine, ſpatio ſtadiorum ſex millium: ab hoc diei navigatione abeſſe Inſulam Abalum: illuc vere fluctibus advehi* (Succinum), *& eſſe concreti maris expurgamentum, incolas pro ligno uti eo, proximisque Teutonis vendere.* Quamvis enim in hac deſcriptione quædam ſint parum explorata, manifeſtum tamen eſt, Pytheam Guttones haud fruſtra nominaſſe. Hos enim ad Viſtulam habitare, & Vandalorum progeniem eſſe, poſtera ætas aperuit. Tacitus ſane inter Germanicas Gentes expreſſe *Gothones* memorat (d), & in Caſſubia collocat, unde facilis erat parti Gothonum prioribus ſæculis ad Gleſſarias & Electrides Inſulas tranſitus, etiamſi migrationis hujus nulla apud Tacitum extet memoria. Tacito enim ſufficiebat, illos Gothones nominaſſe, qui in Patria remanſerant. Reliquos, qui ante tempora ſua Æſtuarium accolebant, cum in interiora Sarmatiæ dudum eſſent digreſſi, piſcatu Succini Æſtiis poſt ſe relicto, mirum non eſt ſilentio ab illo præteriri. Cur enim procul abſentes nominaret? Conſtat igitur Pytheæ ſua narrandi ratio, & æquum omnino eſt, ut nomina Gothica ab illo tradita, ceu fide digna ſuſcipiamus. Omitto nunc *Inſulam Abalum*, quæ videtur eſſe *Inſula indigentiæ*, alias *Finningia* dicta (e), & ad nomen Æſtuarii me converto. Quid ſit MENTÓNOMON non aliunde melius quam ex Lingua Celtica intelligitur. In illa enim Lingua manifeſto ſignificat, *locum aquarum brevium*, componiturque a *menn* locus, *tonn* aqua, unda, & *man* parvus, tenuis, exilis, vocibus apud Cambros hodienum reſiduis. Totum compoſitum perfecte convenit Æſtuario, Latinis quoque ejusmodi loca a brevitate aquarum *Brevia* vocantibus. Hæc una vox, etiamſi nullæ aliæ ſupereſſent (ſuperſunt autem quam pluriмæ) faciem Linguæ Gothicæ, qualis erat circa ætatem Pytheæ, hoc eſt, diu ante C. N. fufficienter repræſentaret.

(b) LUTHERUS in Libell. de nom. prop. German. pag. 6. *Nam Goti fuerunt Germani.* Gothos Scandinaviæ a Gothis Germaniæ originem ducere, communis hodie eſt Eruditorum in Germania ſententia, quam etiam R. D. LOESCHER, qui nuper Literaturam Celticam eleganti libello ornavit, theſi XXXI. breviſſime tuetur his verbis: *Ipſo autem Chriſti naſcentis Seculo Gothi ad ſinum Codanum habitantes, ubi nunc Gedanum eſt, trajecto mari, primum Gothlandiam inſulam, deinceps magnam Suediæ partem occuparunt.* Et in theſi XXX. *Cum Gothones, qui ad Viſtulam remanſerant, navigatione inclaruiſſent, & Gotlandiam inſulam occuparent, paulatimque potentiores fierent, videntur navibus in Suediam ingreſſi, magnam ejus partem occupaſſe, quæ vel hodie Oſtrogothia & Weſtgothia vocatur. Hic & regnum peculiare habuerunt, quod a Suecis tandem fuit deſtructum.* Confer cum his Inſularibus *Gutæ* a Ptolemæo memoratos, qui ſcripſit circiter A. C. 150.

(c) Plin. Hiſt. Nat. Lib. XXXVII. cap. 2.

(d) Tacit. de M. G. cap. XLIII.

(e) Plinius exiſtimavit Finningiam ſive Finnlandiam

landiam eſſe Iaſulam a Scandia, Baltia, & Baſilia diſcretam, ſicut & Pytheas. Gothi videntur Finnlandiam *Abalum* appellaſſe, quod rerum omnium inops eſſet, a Celtico *aball* inopia, defectus, quod ſuperat hodie apud Cambros. Nota eſt Fennorum *facta paupertas* ex deſcriptione Taciti cap. ult. de M. G.

XLVI.

Verum hæc facies poſtea ſub Cœlo alieno inter tot Barbaras Gentes Ponto conterminas (quarum XXII. a Plinio (f) numerantur) non nihil mutata eſt. Nam pro vocibus patriis & antiquis paulatim inductæ ſunt peregrinæ, Sarmaticæ, Ponticæ, Scythicæ, & promotis deinceps in Daciam ſedibus Græcæ etiam atque Latinæ, quales in reliquis Dialectis non reperiuntur, de quibus alibi egi ex profeſſo (g). Unde facies nova Linguæ Gothicæ exorta, quæ EVANGELIO GOTHICO, unico & ſanctiſſimo Gothorum monumento, & omnium Theotiſcorum veruſtiſſimo, continetur. Quemadmodum autem vultus hominis nunquam ita mutatur, ut in aliam plane ſpeciem tranſeat, nullo priſtinæ ſimilitudinis relicto indicio: Ita Lingua Gothica mutata quidem eſt in aliam formam, ſed non adeo deformem, ut non certiſſimæ notæ primævi ſermonis, *Celtici* inquam, *Vandalici*, & *Theotiſci*, cumulatim adpareant. CELTICA veſtigia paſſim detexi, in quibus ſunt non nulla, quæ immenſam eruditionem & infatigabile ſcrutinium primi Editoris & in Literatura Gothica facile principis FRANCISCI JUNII, F. F. effugerunt. VANDALICA, cum nihil literarum a Vandalis nobis relictum ſit, hodie diſcerni non poſſunt. Certiſſimum tamen eſt, Linguam Gothicam Sæculo VI. a materna, hoc eſt, Vandalica, haud multum diſcrepaſſe. Nam Vandalos, Gothos, & Gepidas, ſolis nominibus differre, cæterum iisdem Legibus, & iisdem ſacris, puta Arianis, & una demum Lingua uti, tanquam ad unam Gentem univerſi ſpectarent, auctor eſt Procopius (h), cujus teſtimonium tanto validius, quia Belifario in omnibus Expeditionibus contra Vandalos & Gothos fuit a codicillis. Quid dicam de THEOTISCIS, quorum numerus tam ingens eſt, & idiomati Germanico utriusque Ævi, veteris & hodierni, tam conſentaneus, & a Sermone Suecico, quem Gothicum eſſe volunt, tam longe abludens, ut totus Codex videri poſſet ab homine Germano conſcriptus, niſi de veritate aliunde conſtaret? Et hæc utriusque Linguæ congruentia non nuper demum a Clariſſimis Viris, ſed omnibus temporibus a Scriptoribus Eccleſiaſticis obſervata eſt, & obſervari a cunctis poteſt, ſufficienti meditatione inſtructis. Hinc WALAFRIDUS STRABO diſerte ſcribit (i), Gothos cum adhuc in Græcia verſarentur, THEOTISCUM SERMONEM habuiſſe. Operæ pretium eſt integrum locum deſcribere: *Multa noſtros*, inquit, *quæ prius non noverant, utilia didiciſſe, præcipueque a GOTHIS (qui & GUTTONI) cum eo tempore, quo ad fidem Chriſti, licet non recto itinere* (puta Ariano dogmate) *perducti ſunt, in Græcorum Provinciis commorantes, NOSTRUM, hoc eſt, THEOTISCUM SERMONEM habuerint, & ut Hiſtoriæ* (Socratis, Sozomeni, Philoſtorgii) *teſtantur, poſtmodum ſtudioſi illius Gentis Divinos Libros in ſuæ Locutionis proprietatem transtulerint, quorum adhuc MONUMENTA apud nonnullos habentur.* Quibus verbis CODICEM ARGENTEUM, quo Evangelium ab ULFILA Gothorum Epiſcopo in locutionis Gothicæ proprietatem translatum continetur, tantum non digito monſtrat.

(f) Plin. Hiſt. Nat. Lib. VII. cap. 24.

(g) In Diſſert. *de Lingua Codicis Argentei.*

(h) Procop. de Bello Vandal. Lib. I. cap. 2. *Cutis omnibus candida* (loquitur de Vandalis, Gothis & Gepidis) *flava caſaries, corpus procerum, facies liberalis, eadem Leges, eadem Sacra, Ariana ſcilicet, UNA demum LINGUA, quam Gothicam vocamus: ita ut ad unam univerſos Gentem pertinuiſſe quondam, ac ſuorum deinde Ducum nominibus diſcretos fuiſſe, exiſtimem. Antiqua eorum ſedes trans flumen Iſtrum.*

(i) Walafrid. de Reb. Eccleſ. cap. VII.

XLVII.

Hunc Codicem Walafridus vidiſſe poterat & legiſſe. Eſt enim antiquiſſimus, atque in uſum alicujus Principis aut Regis Gothici multo ſumptu conſcriptus, quantum ex literis argenteis & reliquo ornatu magnifico colligere licet. Et niſi me omnia fallant, fuit hic Codex ipſius ALARICI Regis Toloſani, cujus regnum & regiam deſtruxit & ſpoliavit CHLODOVEUS an. DVII. Vel certe AMALARICI, quem CHILDEBERTUS Chlodovei filius an. DXXXI. prælio ſuperavit. Argumenta, quibus hæc conjectura firmetur, cum illis conquirendis mihi nunc non vacet, opportuniori tempori & loco reſervo (k). Cuſtodia hujus pretioſiſſimi Monumenti, & quovis Theſauro potioris, tandem a Francorum Regibus Cœnobio Werdinenſi fuit demandata, ubi per multa Sæcula delituit. Hodie adſervatur Upſaliæ. Quo caſu quibusve Patriæ calamitatibus eo pervenerit, omnibus notum, & VOBIS adhuc alta mente repoſtum. Verum Arctoi Scriptores hac acquiſitione non contenti, conantur Gentem & Librum eadem clade involvere, & Gothos ipſos nobis eripere, CLUVERIUM, qui ſua & Patriæ immortali gloria Gothos, diu exules, Germaniæ primus reſtituit, maledictis laceſſentes, tanquam furem alienæ gloriæ (l), ne quid gravius dicam. Equidem ante Cluverium noſtros in hoc Studiorum genere aliquanto remiſſiores fuiſſe, & Græcarum magis Romanarumque, quam patriarum Antiquitatum curioſos, negari vix poteſt. Hodie vero vix unus vel alter ſic hebes eſt, ut nomen Gothicum extra Scandiam peregrinum & adventitium eſſe, perſuaderi ſibi patiatur. Obſtat enim fides & aucto-

auctoritas Scriptorum vetuſtiſſimorum, PYTHEÆ, PLINII, TACITI, qui *Guttones* ſive *Gothones* inter Gentes Germanicas & genera Vandalorum computant, quos Gothos eſſe nimis manifeſtum eſt. Quemadmodum enim *Burgundi* (quod optime obſervatum a Cluverio) alia vocis flexione dicuntur Burgundiones, & *Friſii* Friſiones, & *Lygii* Logiones, & *Franci* Francones: Ita *Gothi* Guttones, Gothones, Gothuni, multiplici quidem variatione, ſed non adeo diſſimili, ut non iidem homines agnoſci poſſint, ſi cavillatio abſit. Igitur, ne turbetur Hiſtoria, neve populi multiplicentur in infinitum præter neceſſitatem, GOTHOS eſſe *Guttones* Plinii, & *Gothones* Taciti, nominibus tam diu credendum eſt, donec aliæ adſint cauſæ, quæ nos aliter determinent, qualis omnino eſt, quod *Gothinos* Gallica lingua coarguit non eſſe Germanos, adeoque nec Gothos, ſed homines novos in Germania, & nuper aliunde advectos. Videamus ergo quam rationem afferant Diſſidentes, & utrum digna ſit, quæ vel detur vel accipiatur? Primo præſcriptionem longi temporis & diuturnam poſſeſſionem opinioni ſuæ obtendunt. Verum quia errores præſcribi non poſſunt, aliis argumentis opus eſt, ut nos errare intelligamus. Negant deinde Gothos unquam dici Gothones, aut ſimile quid. Hoc, quia palmarium eſt, & arrogantius dictum quam verius, absque reſponſione dimitti non debet. *Evolve univerſos*, inquit Anti-Cluverius, *excute cunctos, qui de Gothis aliquid ſcribunt, non CREDO, uſpiam ulli indifferenter & reciproce uſurpatum reperiri Guttonum vel Gothonum pro Gothorum nomine* (m). Sed falluntur Vir doctiſſimus. Nam Gothos a Claudiano appellari *Gothunnos*, non ſemel, ſed aliquoties (n), certiſſimum eſt. Idque Vir Clariſſ. D. MASCOVIUS in Hiſtoria ſua Germanica (o) ex Idatii & Marcellini Chronico, & columna Theodoſiana, inſigni Victoriæ Gothicæ monumento, tam clare demonſtravit, ut incredulitati nullum ſubterfugium ſit relictum. Claudiano jungere licet Walafridum (p), quem ſupra audivimus dicentem: *Gothi qui & Guttoni.*

(k) Accipe interim ſequentia. Gregor. Tur. Hiſt. Lib. 2. cap. 37. *Chlodovechus vero apud Burdigalenſem urbem hyemem agens, cunctos Theſauros Alarici a Toloſa auferens.* Idem Lib. 3. cap. 10. *Childebertus inter reliquos Theſauros miniſteria Eccleſiarum pretioſiſſima detulit. Nam ſexaginta calices, quindecim patenas, VIGINTI EVANGELIORUM CAPSAS detulit, omnia ex auro puro, ac gemmis pretioſis ornata: ſed non eſt paſſus ea confringi. Cuncta enim Eccleſiis & Baſilicis Sanctorum diſpenſavit, ac tradidit in miniſterium.*

(l) Georg. Stiernhielm. Anti-Cluv. pag. 3.

(m) Verba ſunt Georgii Stiernhielmii in Anti-Cluverio pag. 5.

(n) Claudian. de IV. Conſ. Honorii verſ. 624.

Auſi Danubium quondam transnare Gothunni.

Idem Lib. II. in Eutrop. verſ. 152.

- - Oſtrogothis colitur miſtisque Gothunnis Phryx ager.

Et paſſim alibi.

(o) D. Maſcou *Teutſche Geſchichte* Lib. VII. §. XXX. not. 3. 4. Conf. Lib. VIII. §. VIII. not. 3.

(p) Walafrid. loc. ſupra citato lit. i.

XLVIII.

Lingua Gothica deceſſit improlis, relictis tamen multis priſtinæ ſedis ſuæ tam in Oriente apud Præcopenſes, quam in Occidente apud Italos, Gallos, Hiſpanos, & Latino-Barbaros veſtigiis, quæ etiamſi oculos vulgi fugiant, vera tamen ſunt, & a peritis deprehendi poſſunt.

XLIX.

Lingua ALAMANNICA & FRANCICA eſt omnium veterum Dialectorum noviſſima, ex omnium Gentium Germanicarum, quotquot communis libertatis contra Romanos tuendæ cauſa, in Alamannicum vel Francicum nomen & Fœdus conceſſerant, Sociali bello & mixtis idiotiſmis apud Herminvones nata, immenſus vocabulorum veterum, tam Celticorum, quam Friſicorum, Cauchicorum, Salicorum, Bructerorum, Cheruſcorum, Chatticorum, Sigambricorum, Hermunduriorum, & Trans-albianorum quoque Theſaurus, quæ etiamſi hodie omnia diſcerni non poſſint (multis, quæ Celtica, Saxonica, & Salica eſſe novimus, exceptis) in illo tamen tanquam fede communi morantur & adſervantur. Voces plerumque ſunt longæ, & vel gutturalibus hiulcæ, vel diphthongis gravidæ, vel dentalibus (q) aſperæ, ſed plenæ ſenſu & majeſtate, adeo ut vix ulla tam longa ſit, cui non longitudinis ſuæ ratio conſtet. Tantum enim abeſt, ut hanc Linguam cum Otfrido Monacho inculcam & Barbaram vocare auſim, ut potius mirari ſubeat, quomodo tam ſapiens & elegans dicendi genus inter ferritribaces & ſagatos oriri potuerit? Ab hoc ſermone fluxit *Noſter hodiernus* (r), qui de primæva longitudine non nihil remittit, ſed tanto ſæpe obſcurior, quo brevior eſſe cupit. Si jam quæratur, utra Sermonis proprietas præſtantior ſit, vetus an nova? Fateor, me hærere, non quid ſentiam, ſed quid dicam. Enim vero ſi dixero, veteres eſſe pueros, nos autem veros dicendi magiſtros, injurius ero in Veteres. Sin dixero, veteres habere fruges, nobis autem paleas relictas eſſe, omnes me exſibilabunt. Itaque hanc quæſtionem, ſi placet, VOBIS definiendam relinquo. Hoc unum addo, falli eos, qui exiſtimant, idioma, quo hodie utimur, eſſe primævum illud, quo primi Germaniæ Coloni uſi ſunt. Manifeſtum enim eſt ex antecedentibus, Linguam primigeniam, priusquam ad nos veniſſet, mutationes in via obiiſſe maximas & incredibiles, fato omnibus Linguis communi, quæ quo magis a fonte recedunt,

dunt, eo magis illas mutari neceſſe eſt. Et hujus mutationis, etiamſi omnes literæ periiſſent, teſtes ſunt innumera Locorum nomina, quæ olim erant appellativa, hodie vero non magis intelliguntur, quam Colchica aut Tartarica. Atqui quotes vocabulum fluminis, montis, ſylvæ, gentis, pagi, oppidi, villæ non intelligimus (verba ſunt illuſtris & optime judicantis Leibnitii) toties intelligere debemus, nos ab antiqua Lingua diſceſſiſſe (s). Hinc etiam vulgo verba vetera ludibrio habemus, & novis unice delectamur, imo nova quotidie confingimus, quæ magno Vernaculæ periculo inter nos graſſantur, adeo ut niſi conjunctis & ardentibus ſtudiis huic fingendi licentiæ obviam eatur, actum eſſe videatur de Lingua noſtra.

(q) Litera Z. Alamannis & Francis fere propria eſt, dum Gothis raro, Angloſaxonibus nunquam uſurpatur. Dicitur dentalis quia dentes monſtrat, & per dentes exſibilatur, utpote ex D. & S. compoſita.

(r) Suevicus & Helveticus ab *Alamannico*, Palatinus, Franconicus, & Saxonicus ex *Francico*.

(s) Leibnit. in Miſcell. Berol. Tom. I. pag. 1.

L.

Reſtat, ut de GLOSSARIO meo aliquid dicam, in quo, ni fallor, Leges Etymologicas, quas ipſe mihi impoſui, ſtricte ſecutus ſum, ſemper recurrendo ad Fontes, nihil magis inverecundum exiſtimans, quam abſque ſuffragio Antiquitatis de cauſis vocabulorum aliquid pronunciandi. Itaque cujusque Gentis vocabula ex ejusdem Gentis Monumentis Theologicis, Legibus publicis, Fragmentis, Gloſſis antiquis, aliisque, quæ typis impreſſa extant, indubiæ fidei documentis deſumpſi, quorum nullum eſt, quod non ſemel vel aliquoties perlegerim. *Gothica* hauſi ex Evangelio Gothico, jam ſæpe memorato: *Angloſaxonica* ex Evangelio Angloſaxonico, cum Gothico ſimul publicato, ex Legibus Angloſaxonicis, a Cel. Davide Wilkins editis, ex Gloſſario Ælfrici, & Lexico Somneri, & Vocabulario Benſonii: *Alamannica* ex Fragmento Iſidori, & Gloſſario Keronis, quod ſuperioribus annis notis perpetuis illuſtravi. Et cum Franciſco Junio multa Alamannica ex Codicibus manuſcriptis, quos ego nunquam inſpexi, ſint obſervata, hæc quoque aliquando quamvis parcius immiſcui. Quoties Alamanni & Franci convenire videbantur, utrosque tanquam ejusdem ſermonis homines, conjunxi, in reliquis diſcrepantiam notavi. *Francica* decerpſi ex Monumentis Theotiſcis Otfridi, Tatiani, Willerami, & quæ illum multis ſæculis ſuperant, Gloſſis antiquis Lipſii, Boxhornii, & R. P. Pezii: *Cambrica* ex Vocabulario Antiquo-Britannico Boxhornii e Chartis Davieſianis digeſto: *Armorica* ex Antiquitatibus Celticis Abbatis Pezronii: *Islandica* ex Indice Verelii, Edda Islandorum, aliisque: *Procopienſia* ex Epiſtolis Busbequii: *Runica* ex Lexico Runico & Monumentis Danicis Olai Wormii. Cætera, hic omiſſa, Gloſſarium indicabit.

LI.

Quæri poteſt, cur ex immenſa vocabulorum, quæ eligi poterant, ſylva, horum potius optionem fecerim, quam aliorum? Reſpondeo, totam congeriem impetu magis quam conſilio factam eſſe. Ad electionem enim meditatione & mora opus eſt, quorum utrumque mihi denegatum erat. Igitur prout prima quæque vox in farragine occurrebat, ita a me fuit arrepta, tacta vel intacta, trita vel neglecta. Nihil enim referebat, anxie conquirere voces, ubi omnes auxilio opus habent, modo ex omnibus orationis partibus quædam ſiſterentur, ut intelligerent Lectores, me de omnibus, etiam minimis, fuiſſe ſollicitum. Fateor tamen me illas voces, quæ præ cæteris videbantur ſtabiliendo Celtismo, & firmandæ Particularum Doctrinæ inſervire, libentius arripuiſſe. Verba obſcœna & verecundiæ plena conſulto devitavi. Quædam peregrina immiſcui, uſu tamen recepta, ut obiter oſtenderem, Linguam noſtram a contagio alieno haud omnino puram & immunem eſſe. Nomina quoque Animahum, quæ fere neglecta jacebant, in ſcenam produxi. In reliquis idem mihi accidit, quod properantibus, qui multa ſecum rapere ſolent ab inſtituto aliena. Verum & hæc boni conſuli poſſunt, quatenus præguſtum præbent, quamvis præcipiti calamo exarata. Quicquid ab aliis pulcre excogitatum eſt, paſſim laudavi. Et hunc morem, ſuum cuique tribuendi, ſervabo quoque in LEXICO concinnando, laudesque primis inventoribus debitas, non libabo tantum, ſed etiam profundam. Cui inſtituto, ut omnes faveant, opto.

LII.

Interim, dum hæc ago, hunc fœtum quadrimeſtrem, inter varias ærumnas natum, imo feſtinatum, VOBIS do, dico, conſecro, nullum aliud laboris mei præſentis aut futuri præmium a VOBIS exſpectans, quam ut inter ingenia PATRIÆ nata locum aliquem mihi concedatis. Scripſi Lipſiæ, die IV. Auguſti, MDCCXXVII.

PROLE-

PROLEGOMENA.

SECTIO I.

De Etymologia.

I.

Es omnes in Universo sua habere Nomina Naturæ conformia apud omnes Gentes, etiam Barbaras & incultas, credibile est. Alium enim Sermonem, quam rationalem, non decet habere humanum genus; nec alium habuisse unquam, aut nunc habere, a negantibus demonstrari potest. Atque utcunque sint discordes tot populorum Linguæ in facie terræ, non tamen sunt ferinæ, aut ab humanitate alienæ: quamvis forte feræ dici possint, quæ sunt minus excultæ. Hinc omne cognoscibile in Universo, in duo summa Genera, RES & NOMINA RERUM, commode distribui potest.

II.

Quemadmodum autem in REBUS non omnia sunt aperta aut conspicua; quam multa enim nos latent, quæ nullo ratiocinio aut experimento assequi possumus? Ita etiam in VERBIS permulta sunt obscura & tenebris involuta, sive quia Lingua omnis est res fluxa & murabilis, nec incorrupta transit ad posteros, sive quia omnes Linguæ partes per tot Sæculorum decursus ad nos usque non pervenerunt. Alias causas nunc omitto. Hinc VARRO, qui origines Latinæ Linguæ diligenter examinavit, cogitur fateri: *Non omnium verborum posse dici causas. Et qui de originibus verborum multa dixerit commode, potius boni consulendum, quam qui aliquid nequiverit, reprehendendum.* Lib. 6. de L. L.

III.

Quale ergo est id, quum dicimus, *verborum significationes VULGO NOTAS esse?* Verumne dicimus, an mentimur? Respondeo: cum dicimus, hanc vel illam significationem *vulgo notam* esse, tunc nihil aliud dicimus, quam hanc vel illam vocem ab usu communi & populari huic vel illi rei dicatam destinatamque esse, & hoc a nemine ignorari. Et hactenus verum dicimus, etiamsi vulgus de vocibus suis præter valorem externum vix aliquid cognoscat. At si quis existimet, nos illis verbis dicere aut profiteri, voces, quas *vulgo notas* vocamus, nihil aliud esse quam signa arbitrario instituta, & sonos per se nihil significantes, & ad significandum suapte natura non magis idoneos, quam garritus avium, aut strepitus rotarum, nisi placitum accesserit, & plebem de his signis tantundem veritatis percipere, quantum a sapientissimo mortalium intelligi potest, tunc fallit & fallitur. Nam in omni Verbo duplex occurrit valor, *externus* & *internus*: illum cum plebe ex usu & consuetudine addiscimus, hunc non nisi diuturno Linguarum studio deprehendimus. Quid notius verbo *geben* dare? At quid eodem ignotius, si sensum reconditum spectes? Qui certe a manu petitus, & aliis rebus significandis prorsus inutilis est, aptissimus vero ei, cui ab origine destinatus. Et talia sunt innumera, non solum in nostra, sed etiam in aliis Linguis, sapienter quidem rebus impositа, sed ab intellectu vulgi remota. Quo ipso simul patet, existere ARTEM ETYMOLOGICAM, quæ verborum origines tradat, & hanc artem præstantia & utilitate sua omnibus Eruditis commendabilem esse. Id quod ex natura & amplitudine ejus mox pluribus elucebit.

IV.

ETYMOLOGIA vi nominis ἔτυμα, hoc est, VERA promittit. Quam grande hoc est, & quam magnificum! Quid homini promitti potest humanius, quam ut verborum suorum veritatem intelligat? Homini inquam, qui nulla re magis quam rationis & linguæ usu a brutis distat? VERUM autem in verbis a STOICIS & PLATONICIS, qui hanc Philosophiæ partem præ cæteris Philosophis excoluerunt, dicitur id, *quod naturæ rei conforme est, & aliquam ejus partem repræsentat.* Natura enim præsumitur esse vera, nec posse mentiri. Solem quis dicere falsum audeat? Hæc ulti- Collige ex dictis in Præf. ad Germ. §. 2. 3. 4.

ma VERI ratio, nec datur ulterius progredi. Ab hoc VERO verba ipſa dicuntur vera, etiamſi veritatem ſæpe occultent. Fictitia autem cenſentur, quæ ſunt bruti ſine mente ſoni, & nihil de natura rei intimant. Qualia fortaſſe ſunt aliqua in omnibus Linguis, a ſtupidis inventa, & genuinis immixta. His principiis omnes, quotquot abditos verborum ſenſus ſcrutamur, tacite innitimur: & contra damnamus eos, qui omnia in Orbe verba a primis inventoribus temere & præter rationem conficta eſſe putant.

V.

In aliis rebus VERITAS eſt conformitas cum intellectu, in Verbis vero conformitas cum Rebus. Vide autem quam eleganter inter ſe conveniant. Illa principatum tenet in pulcritudine Mundi, & ordine naturæ præcedit: hæc illi ſubordinatur, & ſequitur veſtigia præeuntis. Quemadmodum enim RES ſunt imagines expreſſæ divini intellectus: ita VERBA viciſſim ſunt imagines rerum, & MUNDUS quidam idealis, nova & admirabili creatione ab hominibus haud hebetis ingenii & naturæ rerum gnaris productus. Qui, etiamſi *forſitan in quibusdam ſunt lapſi*, ut VARRONI videtur, univerſe tamen ſibi propoſuerunt, ut naturam rerum pro modulo cognitionis verbis exprimerent.

Lib. 7. de L. L.

VI.

Hanc VERITATEM in lucem collocare, ETYMOLOGIÆ negotium eſt. Et hanc Veritatem omnibus Verbis noſtris (paucis exceptis) ineſſe arbitror, SIVE a natura nobis ſint ſuggeſta, SIVE aliunde accepta & uſu comprobata, SIVE ex acceptis aut domi natis legitime deducta. Primi generis verba, in quibus vel linguam puerilem, vel cantus avium, vel clamores ferarum, vel colliſiones corporum, vel qualitates eorum naturales imitamur, manifeſto veritatem ſuam habent a natura duce, quam ſequimur fingendo. Alterum genus verborum, quamvis ſit exoticum, & a Majoribus noſtris adoptatum, habet tamen veritatem ſuam in iis Linguis, e quibus hauſtum eſt, & hactenus non poteſt eſſe mendax aut a veritate alienum, etiamſi nexus, qui eſt inter rem & vocem, e noſtro Sermone oſtendi non poſſit. Qua in re dignitati Linguæ noſtræ nihil omnino decedit. Quam multa enim ſunt, non dicam apud Latinos, ſed etiam apud Græcos, quæ in alienis Linguis radicantur? Tertium genus, quod domi natum & educatum eſt, ſicut majorem & luculentiorem Linguæ noſtræ partem conſtituit, ita eodem partu & decus ſimilitudinis & lumen veritatis accipit a parentibus, a quibus derivatur. Quæ cum ita ſint, manifeſtum eſt, ETYMOLOGIAM veri nominis ſcientiam eſſe, & dum VERUM inquirentibus promittit, nihil quod nimis magnificum, aut ſupra humanam conditionem ſit, promittere.

VII.

Optime igitur CICERO ἐτυμολογίαν Latine vertit VERILOQUIUM, in Topicis ad Trebatium. Eumque merito defendit MARTINIUS: *Certe verbotim non potuit melius Cicero. Nam certum eſt, quod ἔτυμον ſit verum: & ἐτυμολόγος, qui τὸ ἔτυμον λόγῳ, accentus enim oſtendit, compoſitionem factam eſſe cum verbo, non autem cum nomine λόγος, id eſt, ratio.* SCALIGER tamen Etymologiam ſic definit, tanquam eſſet a λόγος ratio. *Etymologia*, inquit, *eſt vocis ratio, id eſt vis, qua vox a voce generatur.* Et alibi vocem Ciceronis haud obſcure reprehendit his verbis: *Nominis definitio eſt, quam Etymologiam vocant. Hanc ego NOMINIS RATIONEM ubique ſum interpretatus. Nam VERILOQUIUM quonam modo dicas? Veritas enim unica in voce non conſiſtit, ſed integræ & perfectæ orationis. Niſi intelligas, quemadmodum in prima Philoſophia declaratum eſt, Verum & Unum idem eſſe.* Sed fallitur vir ſummus. Nam Etymologia ab antiquis dicitur *Veriloquium*, ob graves cauſas, quamvis Scaligero ignotas. Cauſa appellationis eſt, quia Etymologia eſt *ſermocinatio ſeu argumentatio, qua VERUM in voce latens ex cognatione alterius vocis recluditur.* Quid ſit VERUM in voce ſecundum veteres, jam ante definitum. Hæc Veritas non pendet a combinatione cum aliis vocibus, ſed eſt & eſſe intelligitur in omni verbo humano, ſolitarie & extra orationem conſiderato. Et quamvis *Veritas orationis unica in voce non conſiſtat*, quod Scaligero libenter concedimus; male tamen inde concluditur, quod extra orationem non ſit veritas in ulla voce, & conſequenter quod Etymologia non poſſit dici Veriloquium. Denique *ratio nominis* non debet opponi *veriloquio.* Nam aut falſa eſt, aut in veriloquio comprehenſa.

Lex. Phil. v. etymologia.

Lib. 3. Poët. cap. 89. Ibid. cap. 54.

VIII. Poſ-

VIII.

Possem hic manum de tabula tollere. Verum, quia Lectorem ad alium, qui hoc argumentum luculenter tractaverit, remittere non possum, necessitatem mihi impositam video, ut de Etymologia, quatenus VERILOQUIO definitur, pluribus edisseram.

IX.

Fundamentum omnis Etymologiæ est COGNATIO vocis cum voce, ut ex data Definitione patet. Verissime VARRO: *Ut in hominibus quædam sunt cognationes & gentilitates, sic in verbis.* Ita sane est, nec aliter concipi potest. Quemadmodum enim cognati ex communi stirpe, ita voces a vocibus nativa quadam necessitate procreantur, sed a cognatis tantum, hoc est, similibus. Nam Generatio est productio similis, secundum omnes Philosophos. SIMILIA autem in vocibus censentur, *quæ sono & significatu conveniunt.* Ubi alterutra similitudo deficit, ibi Cognatio non habet locum. Et hæc Cognatio non fingitur ab ingenio humano, sed cernitur & animadvertitur, sicut similitudo quæ est inter patrem & filium. Lib. 7. de L. L.

X.

Nihil autem refert, unde vox cognata, quæ Etymologiæ substernitur, accipiatur, ex nostro, an ex alieno Sermone, modo sit antiqua, & antiquior ea, quam illustrandam suscepimus. Quamvis enim ad decus cujusque Sermonis pertineat, si derivatio ex domesticis vocibus instituatur, & sapientis non sit, neglectis patriæ Linguæ divitiis, temere & præter necessitatem ad externos fontes confugere; quia tamen conatibus nostris sæpe obstat inopia & res angusta domi, adeo ut vel abstinendum sit ab Etymologiæ negotio, vel alibi quærendum, quod proposito conducat; hinc in Etymologia defectum, quo domi laboramus, ex aliis Linguis & æque antiquis supplere licet, etiamsi forte demonstrari non possit, qua via, aut quibus auctoribus vel traditoribus vox peregrina ad Majores nostros pervenerit? Sufficit, in genere nosse & tenere, quod omnes Linguæ totius Universi ex una & primigenia per varias mutationes sint prognatæ, & consequenter cognatæ: quod Linguæ novæ ex veteribus oriantur, sicut gentes a gentibus: quod ex commercio cum vicinis, migratione Gentium, deductione Coloniarum, occupatione alieni soli, victorum in victos imperio, captivitate & expulsione populorum, mutatione Religionis, & pluribus similibus casibus & causis, necessario sequatur Linguarum permixtio: & quod nulla amplius sit Lingua tam pura in Universo, quæ non ex contagio alterius plurimum contraxerit. Nam in hoc conveniunt, aut convenire debent omnes periti, quorum suffragia hic anxie colligere, nec necessarium, nec operæ pretium est. Unus in transitu pro omnibus verba faciat GEORGIUS STIERNHIELMIUS: *Ajo, videri omnes Linguas, quæ in Orbe cognito extiterunt, & hodie extant, ex una ortas, & ad unam posse reduci.* Hanc primam, generalem, perennem, & nunquam, qua substantia, perituram vocat. Quo pacto ex illa omnes ortæ sint & porro orituræ, eleganti similitudine declarat: *Qua conditione similis est Materiæ Primæ, quæ capax omnium formarum, unam post aliam induit, nullius perpetuo pertinax, ipsa in basi existens immobili & immortali.* Verissima hæc sunt, & nonsolum sacrarum Literarum auctoritate, sed etiam Historia & Experientia omnium temporum fulta & comprobata. Qui plura desiderat, adeat auctorem. Nec obstat, quod in Historia circa Origines & migrationes Gentium adhuc multa sint obscura, & forte inexplicabilia. Nam hæc ardua, qualiacunque sint, non efficiunt, ut non sit UNA humani Generis Lingua, quamvis a longa sæculorum serie infinitis modis variata. At si UNA est & perennis humani Generis Lingua, adeo ut reliquæ omnes ad eam referri possint ac debeant, tanquam sorores ad matrem, aut neptes ad aviam: ergo quicquid ubique est in illa Lingua, quamvis in mille formas transmutata, quod nobis inservire potest ad nostram intelligendam, id merito acceptamus, & summo jure in usum nostrum convertimus. Nulla enim ratio excogitari potest, cur id, quod ad universos spectat, non etiam ad nos spectare putemus. Præf. ad Evang. Ulfil.

XI.

COGNATIO, qua verum in voce obscura ostendere conamur, debet esse vera, genuina, & scientifica, & in se continere *causam & rationem, cur verum in voce vel necessario existat, vel debeat aut possit existere.* Quæ his qualitatibus destituitur, hoc ipso spuria

est, & ab affinitate aliena: & omnis Etymologia huic fundamento superstructa, non magis hoc nomine digna erit, quam nugæ aut somnia.

XII.

Atque hinc jam patet, quid proprie sit SCIENTIA ETYMOLOGICA, & quotuplex sit. SCIRE enim dicimur omnium Philosophorum judicio, nonsolum CERTA & evidentia, & quæ illis proxime accedunt PROBABILIA, sed etiam POSSIBILIA, quatenus rationibus ostendi potest, quod esse possint, etiamsi nescimus an sint? Hinc Etymologia, quatenus Veriloquio definitur, triplex esse potest, alia quidem *certæ*, alia *probabilis*, alia *possibilis* tantum. Operæ pretium est, hos scientiæ gradus paulo attentius considerari ab iis, qui hæc lecturi sunt. Incipiam autem a possibili, & postea ad reliqua progrediar.

XIII.

Quid sit VERUM in verbis, jam aliquoties monui, nec satis monere possum, nempe id *quod naturæ rei conforme est, & aliquam ejus partem exprimit.* Hinc omnis Etymologia, quæ aliquid in voce obscura declarat, quod rei vel subjecto, cui vox illa ab usu destinata est, convenire potest, & revera convenit, hoc ipso POSSIBILIS est.

XIV.

Verum, cum res naturales ita comparatæ sint a natura, ut plures habeant qualitates, virtutes, affectiones, perfectiones, & consequenter plures vultus & facies, quæ respici possunt a considerantibus: hinc omnis Etymologia, quæ aliquid veri in voce dubia declarat, possibilis quidem est, sed hactenus possibilis tantum, etiamsi sit valde bella & ingeniosa, quia nescimus, an primi nominum impositores præcise ad hoc naturæ punctum, quod nos cogitando invenimus, respexerint, an vero ad aliud punctum ejusdem rei? Nam hoc fieri potuisse, ex indole rerum naturalium intelligimus, quæ sunt instar regionum & palatiorum multigeni aspectus, & diversimode objiciuntur considerantibus. Quemadmodum igitur regio aut palatium pro vario vel laterum vel intuentium situ, multiplices producit in oculo picturas, omnes quidem veras, admirabiles, & naturæ conformes: Ita una eademque res tot nominibus ansam dare potuit, quot habet a natura vultus, & species cognoscibiles. At quænam sit illa species, quæ primis naturæ contemplatoribus præ cæteris placuerit in nominibus creandis? Si interrogetur, respondeo: non constat. Nam hæc est quæstio de re facti, de qua nullum habemus testem. Et tametsi testis facti adesset, quæstio inter incredulos recurreret, an testis ille idoneus & fide dignus sit?

XV.

Video enim multos tam pertinaces esse, ut ne testibus quidem fidem adhibere velint. Negant Longobardos a longa barba, & Saxones a brevibus gladiis sic dictos esse, etiamsi illud a P. DIACONO, hoc a G. VITERBIENSI memoriæ proditum sit. Ponamus vero tantisper, omnes Antiquitatis testes & synceros & fide dignos esse, tunc (fateor) Etymologia non amplius erit possibilis tantum, sed certa & indubitata, & certitudinem suam habebit, non quidem a se (ut Etymologiæ quas stricto nomine certas vocamus) sed a fide historica. At quam paucæ sunt Etymologiæ, tam præclaris testimoniis instructæ! Scilicet vix totidem quot Thebarum portæ vel divitis ostia Nili. Reliquæ ergo, quæ hoc ornamento carent, non erunt certæ, sed possibiles tantum, etiamsi alioquin sint probæ, elegantes, & veridicæ.

XVI.

Tametsi autem Etymologia in multis nominibus sit SCIENTIA POSSIBILIUM tantum, non ideo cessat esse scientifica, aut hoc nomine sublimi digna. Nam scire possibilia, pars magna humanæ sapientiæ est. Quod adeo verum, ut nostri Philosophi non vereantur asserere, ipsam Philosophiam nihil aliud esse quam *Scientiam possibilium, quatenus esse possunt.* Qua definitione de pristina ejus laude (quod sit rerum divinarum humanarumque, & causarum quibus hæ res continentur, scientia) nihil detractum putant.

XVII.

Etymologia PROBABILIS prærogativam suam habet a medio situ, quia plus est quam possibilis, & paulo minus quam certa. Hoc ut recte intelligatur, observandum

dum, quod in quovis ſubjecto totius univerſi aliæ qualitates ſint magis principales, aliæ minus, & quod omnes voces, quæ qualitatem rei magis principalem repræſentant, non ſolum ſint naturæ convenientes, ſed etiam convenientiſſimæ. Qui talem Etymologiam reperit, gloriari poteſt, ſe aliquid, quod poſſibili excellentius ſit, inveniſſe. Nam ſi recte æſtimetur inventum ejus, tunc patebit, eum nonſolum VERUM in voce oſtendiſſe, ſed etiam verum præſtantiſſimum, quod in ipſo ſubjecto, cui vox ab antiquo deſtinata, primum & principem locum tenet. Et hic ſcientiæ gradus valde augebitur, ſi ex analogia doceri poſſit, alia ejusdem rei nomina ſimiliter facta eſſe, & eandem naturæ qualitatem intimare, ſive in noſtra Lingua, ſive in aliis. Nam hinc videtur firmiter colligi poſſe, priſcos nominum repertores præciſe ad idem naturæ punctum reſpexiſſe, nec alio debuiſſe reſpicere. Sed videtur tantum. Nam in impoſitione nominum non ſemper fit, quod fieri debet. Credibile tamen eſt (fateor), veteres, quorum ſingularis ſapientia ex multis nominibus perſpecta eſt, & potuiſſe & voluiſſe ad meliorem & potiorem naturæ partem reſpicere, & optima rebus ſigna imponere. Et hactenus omnis Etymologia, quæ tam pulchra ſecreta in vocibus pandit, & ipſa credibilis, & pro ratione circumſtantiarum valde probabilis eſt.

XVIII.

Tertius & ſummus Scientiæ Etymologicæ gradus eſt certitudo. Certum a cernendo, ut evidens a videndo dicitur. Hinc CERTUM proprie eſt id, quod neceſſario exiſtit, quod aliter nec eſſe nec concipi poteſt, quam apparet, & de quo nemo dubitare poteſt. Et talis quoque eſt Etymologia CERTA, tota manifeſta, tota perſpicua, tota indubitata, ut ſolent eſſe res, quas oculis videmus. Nam ex Duce familiæ cognito & perſpecto, reliqua ſui generis in ſerie & ordine deducit, tanta quidem evidentia, ut major optari a mathematicis non poſſit. Sed hæc ſcientia majore ſui parte mere vulgaris, inartificialis, & plebeja eſt. Nam in natales ipſius Ducis nequaquam inquirit, ſed ad eum, prout eſt, & ab omnibus agnoſcitur, ſive domi natus ſit, ſive alibi, tanquam ad principem & auctorem generis, omnia refert, quæ ad gentilitatem ejus ſpectant. Quod ſæpe tam facile & obvium, ut lippis & tonſoribus notum ſit, & nullo indice, nedum erudito, opus habeat. Quis neſcit, quod *göttlich* ſit a *Gott, menſchlich* a *menſch?* Et talia ſunt innumera in Lingua noſtra GERMANICA, lege tam juſta effigiata, ut ſæpe ad patrem noſcendum ſolus ſufficiat aſpectus.

XIX.

Excipe tamen PRIMITIVA, ſeu capita familiarum. Nam in his tanta eſt caligo, ut præclare nobiſcum agatur, ſi in iſta nebula *probabilia* aut *poſſibilia* tantum aſſequi liceat. Proinde ſi quis aliquid de originibus dixerit commode, & naturæ rei aut genio Linguæ convenienter, ei potius gratia habenda, quam ſi aliquid nequiverit, impotentia exprobranda. Non enim verſamur hic in campo Mathematico, ut vires vocabulorum, perinde ut corporum, ex magnitudine æſtimari poſſent. Ob eandem cauſam in conjecturis noſtris aſſerendis debemus eſſe circumſpecti, in aliorum refutandis placidi. Interim, quia ſeries Orationis nos ad PRIMITIVA perduxit, de quibus multa vulgo traduntur incerta aut fabuloſa, neceſſe eſt, ut, priusquam ab Etymologiæ conſideratione diſcedamus, adhuc paucis oſtendatur, quid proprie ſint Primitiva, quæ cauſa obſcuritatis, & an aliquid de illis ſciri poſſit?

XX.

PRIMITIVA dico, quæ in computatione familiarum *ſumuntur pro primis*; non quod non aliunde oriantur, aut ex campo SINEAR ἀμέσως ad nos pervenerint, ut vulgus exiſtimat, ſed quod origo eorum ſit ignota. Hæc ignorantia eſt ab *obſcuritate*. Cauſa autem *obſcuritatis* eſt, non quod ii, qui primi nomina impoſuerunt rebus, temere & præter rationem id fecerint, aut in impoſitione nominum lapſi ſint: Sed vel *oblivio* veterum vocabulorum a quibus oriuntur, quæ cum in itinere ſint deleta, & ab uſu penitus relicta, hodie non amplius audiuntur, nec audita intelliguntur: Vel *mutatio* vocis in aliam formam, & a primigenia pronunciantium vitio detortam; Vel *nimia antiquitas*, quæ in ſe & originem ſuam inquiri vetat. Gravia (fateor) ſunt hæc impedimenta: ſed nondum talia, quæ ſuperari non poſſint a Linguarum peritis. Enim vero, quam multa Primitiva ex obſoletis absque ulla erroris formidine & derivantur & illuſtrantur? Quam multa priſtinæ formæ & integritati reſtitui poſſunt, quæ larva detracta

tracta ſtatim agnoſcuntur? Quam multa eorum, quorum antiquitatem extollimus, ſimilia habent in aliis & vetuſtiſſimis Linguis, quæ nobis tantiſper ſervire poſſunt pro etymo, donec aliunde pateat, non noſtra ab illis, ſed illa a noſtris derivanda eſſe?

XXI.

De ſingulis exempla invenient Lectores innumera, nonſolum in hoc Opere, cujus gratia hanc Diſſertationem præliminarem conſcripſimus; ſed etiam apud alios, qui Rem Etymologicam, ſive Latinam, ſive alterius Linguæ, ſtudiis ſuis auxerunt & nobilitarunt. Quo ipſo rurſus manifeſtum eſt, dari SCIENTIAM ETYMOLOGICAM, & Primitiva cujusque Linguæ præcipuum & nobiliſſimum ejus objectum eſſe.

XXII.

Hanc SCIENTIAM ita definio, quod ſit *Ars inveniendi verum in verbis obſcuris*. Per ARTEM hic intelligo cognitionem omnium mediorum, quæ intellectum juvare poſſunt in Veritate verborum inveſtiganda, inprimis noſſe naturam rerum ſingularium, & varios earum vultus, gradus & ſpecies: noſſe ſimilitudines rerum, & omnes comparationes, quæ ab ingenio humano excogitari poſſunt: noſſe Hiſtoriam & mores ejus Gentis, cujus Linguam examinamus: noſſe antiquitatem iſtius Linguæ, & verba obſoleta ac pridem exculcata: noſſe omnes mutationes, quas Lingua illa obiit ab ultima ætate usque ad præſentem: noſſe omnes ejus Dialectos, tam veteres quam novas: noſſe harmoniam & conſenſum aliarum Linguarum cum Lingua examinanda: noſſe Genium & proprietatem ejus Linguæ, de qua ſoliciti ſumus: noſſe denique regulas, ſi quæ ſunt, quæ intellectum in via ad veritatem dirigere poſſunt. His artibus, & his mediis, quæ præter multifariam Eruditionem, ingenium felix, memoriam obſequentem, & acumen judicandi acerrimum, deliderant, pervenitur ad SCIENTIAM ETYMOLOGICAM, quæ eſt cognitio Veri in verbis obſcuris.

XXIII.

Quam vaſtus ſit hujus Scientiæ campus, ex multitudine vocabulorum patet. Res omnes in Univerſo, creatas & artefactas, corporeas & incorporeas, ſenſibiles & intelligibiles, divinas & humanas, ſua habere nomina, quibus deſignantur; & omnes humanæ vitæ Societates, privatas & publicas, domicilia & Regna, communione Vocum tanquam vinculo colligari; tam certum eſt, quam nos & Mundum exſiſtere. In tanta & incredibili copia lucem oſtendere in obſcuris, fidem in dubiis, ſapientiam in multis, naturam in omnibus, & humanum genus ab exprobratione feritatis & STULTILOQUII vindicare, nonne immenſi laboris Opus eſt?

XXIV.

Verum, ut proſpere ſuccedat negotium, ante omnia abſtinendum a vocibus fictis, cavendumque ne ſimilitudine ſoni decipiamur. Quam multa enim ſunt in omnibus Linguis, quæ eundem habent ſonum, nec tamen eundem intellectum? Quemadmodum igitur ex verbis fictis non licet deducere vera: ita ex verbis veris non licet argumentum capere affinitatis, ſi ſono tantum conveniant, non etiam intellectu. Et univerſe plus ſemper attendendum eſt ad intellectum, quam ad ſonum. Quamvis enim a ſono temere & absque gravi cauſa non ſit recedendum; Fieri tamen poteſt, ut dicentes non ſemper ſint fideles ſoni cuſtodes, ſive quia literas pronunciando permutant aut transponunt, ſive quia novas adſciſcunt, aut veteres & adeſſe debitas expellunt. Quoties hoc fit, ſit autem teſte experientia ſæpiſſime, tunc regula patitur exceptionem, & Etymologo idem conceditur quod Vulgo, ut ſcilicet, ſi poſſit, vocabula eodem modo, quo afflicta ſunt, ſanitati reſtituat. Quemadmodum enim in ludo, ſi quod opus eſt non cadit, arte ut corrigas neceſſe eſt: ita in Etymologia, ſi quid occurrit in voce, quod a vero ſono abluit, id ſummo jure emendabitur. Hac via innumeræ voces a depravatione liberari, atque una & domiciliis ſuis & primævæ notioni reddi poſſunt. Quanti ſit hæc res in negotio Etymologico momenti, omnes (opinor) intelligunt. Ideoque ne videar eam gratis aſſumere, oportet me oſtendere, quot modis peccetur in SONO, quod indicium pravitatis, quo jure corrigatur, & quæ cautelæ in exercitio hujus juris obſervandæ ſint.

XXV.

XXV.

Verba, dum volant per ora virûm, insignes mutationes obire, cum sit experientia nimis testatum, nemo (quod sciam) hactenus in dubium vocavit. Posse tamen aliquem ex nimio patriæ Linguæ amore in eam hæresin incidere, ut existimet, omnia vocabula intaminata & incorrupta esse, & nulla medicina opus habere, fateor. Verum, si idem, sepositio pauliſper affectu, rationem & experientiam consuleret, longe aliter sentiret, & jus Etymologiæ in voces corruptas non solum agnosceret, sed etiam vocibus tam salutare beneficium, quale est restitutionis in integrum, non denegaret. Tripliciter autem delinquitur in SONO seu pronunciatu, primo *dum literæ permutantur*, secundo *dum ordo literarum pervertitur*, tertio *dum numerus literarum augetur aut minuitur, vel ab initio, vel in medio, vel in fine vocis.* De primo genere corruptelæ videbimus Sect. III. de reliquis Sect. IV.

XXVI.

Causæ harum mutationum possunt esse plures, tam generales quam speciales. Generalis est fluxa & instabilis conditio omnis Linguæ, quæ certe a vicissitudine non magis exemta est, quam aliæ res humanæ, aut reliquæ in Universo. Enim vero, si Lingua esset invariabilis, & nulli vel levissimæ mutationi obnoxia, necessario una & uniformis esset totius humani Generis Lingua, utpote ex uno parente sati, nec alia uti posset, nisi una, & æterna, & omnibus intelligibili. Quod cum experientiæ adversum sit, nonne hoc ipso manifestum est, tot dissonas populorum Linguas ex una & primigenia per varias mutationes emanasse? Altera causa est permixtio Linguarum, & migratio vocum in alias Linguas. Nam vox aliunde veniens statim corrumpitur, & Linguæ indigenæ accommodatur, & sic a nova Civitate aliam accipit formam, & valde diversam ab ea, quam ante habebat. Tertia mutationis causa est neglectus & oscitantia pronunciantium, qua fit, ut voces non solum externæ, sed etiam domesticæ, & nullæ magis quam sæpius nominandæ, insigniter depraventur. Quarta est ab affectu & impotentia loquentium. Hinc illi, qui sibilis, & labialibus, & gutturalibus delectantur, eas quavis occasione vocibus præfigunt aut inserunt. Qui vero blæsi sunt, lingua ob hebetudinem abertante (verba sunt PLUTARCHI) a litera R. ad L. delabuntur. Et sic unusquisque, prout vult & potest, sibilat, hirrit, gingrit &c. Quæ res non potest non insignem literis mutationem afferre. Quinta ab ipsis Literis. Nam labiales se mutuo attrahunt, & quæ sunt ejusdem instrumenti, facile & continuo, ob naturalem affinitatem, permutantur. Et his fere de causis (nam plures commemorare brevitatis gratia supersedeo, potiores indicasse contentus) exsistunt tot SONI fallaces, qui nobis non solum aures, sed sæpe etiam mentem obtundunt, ne verum in voce videamus. Exempla omnium mutationum dabit Sectio III. & IV.

XXVII.

Indicia pravitatis in SONO alia sunt obscura, alia satis clara. Si facto examine nullam undique vocem invenire licet huic SONO consonam, vel consonam quidem, sed adeo dissimilem significatu, ut omnis Etymologiæ aditus sit præclusus; tunc animum subit dubitatio, an SONUS recte se habeat? Nam quod uni potest accidere, cuivis potest. Et hactenus SONUS nobis erit suspectus. Falsum tamen dicere, aut depravatum, nondum audemus, quia novimus, multa ex antiquis vocabulis æterna nocte damnata esse, quæ forte fuerunt similia, multa etiam nos fugere, quæ, si nobis perspecta essent, forte dubitationem omnem eximerent. At si eodem vel alio tempore, vel forte fortuna, se offerat vox, similia significans, quamvis non iisdem literis, affinibus tamen aut convertibilibus expressa; tunc certe non amplius dubitare possumus, an SONUS sit corruptus, & pravitate sua originem occultet? Nam hoc non amplius augurari, sed sentire, & experimento cognoscere possumus, si unius vel alterius literulæ mutatione facta, origo manifesta sit. Et hoc in casu literas illas eodem jure, quo mutatæ sunt, rursus mutabimus.

XXVIII.

Atque hinc jam patet, quid sit JURIS Etymologici circa voces depravatas, unde nascatur, & in quo consistat, & quod nemo hoc jure defraudari debeat, qui eodem decenter & moderate utitur. Verum, quia multi hoc privilegio abutuntur, & vel absque necessitate ad pravitates vocum confugiunt, vel pro libitu addunt, detrahunt,

Cel. Joan. Cleric. Differt. Etymol. ad Lex. Philol. Martin.

mutant, ut, ſi principiis eorum inſiſtas, poſſis *vel ex Serum Lingua*, ut ille ait, *Latinam deducere*, & quodvis ex quovis exſculpere; quæ res jam multos Eruditos, & Etymologiam ipſam aliorum ludibrio & contemtui expoſuit; hinc ſummopere cavendum, ne quid dicatur SINE ARTE, ne quid SINE EXEMPLIS, ne quid CONTRA GENIUM LINGUÆ, ne quid PRÆTER NECESSITATEM. Quicquid ſecus profertur, ipſo jure nullum eſt.

XXIX.

Quemadmodum autem, qui nimis licenter in vocibus graſſantur, & ſibi & arti labem adſpergunt: ita ex altera parte prorſus iniqui ſunt, qui omnes mutationes, etiam legitimas, & omnium Gentium Linguis uſitatas, ferre recuſant. Utrumque genus hominum merito notavit RELANDUS his verbis: *Genuinæ vocum origines, per legitimos tramites deductæ, ſat multos homines inveniunt, qui eas deridenti, quum nitantur ſæpe mutationibus literarum affinium, quas aut omnino non percipiunt homines, qui nunquam ſedulo ad Linguarum ortus & interitus attenderunt, aut a quovis ad libitum fingi exiſtimant: Ita ut ad exſtinguendum plane & tollendum ex mundo ſtudium etymologicum, non fuerit neceſſe heroas tales oriri, qui ſtupidos aut pigros homines in ſua perverſa opinione confirmarent, nec ſe ipſos tantum, ſed alios vere eruditos ac modeſte ἐτυμολογοῦντας deridendos præberent, & indagationem vocum, ſub quarum cortice res latent, veluti rem nullius momenti, in contemtum adducerent.*

Differt. de L. Americ. pag. 152.

XXX.

Poſtremo obſervandum, quod non omnis *derivatio* vel *originatio*, quocunque modo inſtituta, ſit Etymologice bona, legitima, juſta, ſed ea tantum, quæ Genio cujusque Linguæ conformis eſt. Non omnia in omnibus Linguis ſunt permiſſa, & quod in una licet, in alia ſæpe nefas eſt. Hinc ſedulo cavendum, ne veri in voce indicatio fiat inſolitis modis, & a natura Linguæ alienis. Quod inprimis obſervandum Germanis, quorum Lingua non patitur quosvis derivandi modos, ſed eos tantum, qui conſtitutioni ejus primævæ & perenni ſunt conformes, quos ultra citraque nequit conſiſtere ullum derivatum. Reſtat ergo, ut adhuc oſtendam, quæ ſit LEGITIMA DERIVATIO in Lingua Germanica, quis modus aut media derivandi? Sed hoc non poſſum oſtendere, niſi incipiendo a Literis & particulis, huic Operi ab antiquo deſtinatis. Nam harum interventu totum hoc negotium unice abſolvitur: & ex earum conſideratione, quam poſtea Sect. VI. inſtituam, clariſſime patebit, quid jure vel injuria fieri poſſit? Puto autem me in hac cauſa judicem quodammodo competentem eſſe, qui tot moleſtias ejus cognoſcendæ gratia devoravi, & totam LINGUAM GERMANICAM, veterem & novam, a capite ad calcem, nulla vel minima Linguæ particula neglecta, primus examinavi.

SECTIO II.

De Geneſi Literarum.

Literarum permutatio alia eſt a natura, alia ab aliis cauſis. Naturaliter nullæ Literæ permutantur niſi cognatæ. Hæc permutatio valde crebra eſt, & nobis etiam inſciis ſubrepit. Hinc vulgus, quamvis fere neſciat, quænam literæ ſint cognatæ, ſponte tamen & ſolius naturæ ductu eas permutat. Vim cognationis ſentit & ſequitur, ipſam cognationem ejusque cauſas non intelligit, nec curat. Nam hoc altioris indaginis eſt, & ſola mente cernitur. Plurimum autem rei Etymologicæ intereſt, ut intelligatur, nihil temere aut præter rationem permutari. Sed hoc oſtendi recte non poteſt, niſi incipiendo ab ovo, hoc eſt, a generatione Literarum. Nam ex hac conſideratione patebit, quo plectro Natura tot Literas diſſonas producat, cur aliæ aliis ſint cognatæ, & quænam natura permutabiles ſint. De hoc argumento, quod haud dubie ſublimiorem Grammaticæ partem conſtituit, MARIUS VICTORINUS quædam dixit haud ſpernenda, VOSSIUS in Ariſtarcho nihil, AMMANNUS multa & egregia; Quibus nunc paucula addam de meo, maxime ea, quæ nobis in foro Etymologico ſcitu neceſſaria ſunt. Idque eo libentius faciam, ut pateat, veterem criminationem de Linguæ noſtræ BARBARIE iniquam eſſe, GERMANOS nullas habere literas

nisi a natura præstitutas, & Linguam eorum, quamvis sero scribi cœptam, semper exarabilem fuisse.

I.

Per VOCEM intelligo sonum oris humani organicum & aliquid significantem, sive simplex sit, sive compositus, sive primitivus, sive aliunde derivatus. Idem per *verbum* & *dictionem* intelligo.

II.

Sonus oris humani est motus spiritus vitalis per fauces.

III.

Sonus organicus est sonus oris humani ab instrumentis loquelæ destinatis formatus & modificatus.

IV.

Sonus primitivus est sonus organicus, qui reliquos ordine naturæ præcedit, & sine quo reliqui sonare non possunt.

V.

Per LITERAM intelligo sonum primitivum, & signum ejus soni.

VI.

Materia omnium Literarum est spiritus vitalis.

VII.

Sonus primitivus potest esse duplex, *unisonus*, & *consonus*, pro varietate organorum, a quibus producitur.

VIII.

Tot ergo possunt esse *Literæ*, quot soni primitivi, non plures, nec pauciores.

IX.

Organa, a quibus sonus primitivus formatur, ex consideratione oris humani agnoscuntur, & sunt vel *apertura oris*, vel *palatum*, vel *guttur*, vel *lingua*, vel *labia*, vel *dentes*.

X.

Natura in formandis Literis tam *unisonis* quam *consonis*, facit quantum potest, quantumque necesse est; & si unum instrumentum non sufficiat negotio, tunc utitur duobus. Hinc aliæ Literæ sunt *unigeneres*, aliæ *bigeneres*. Illæ formantur ab uno, hæ a duobus instrumentis.

XI.

Ex *Palato* magis vel minus diducto oriuntur Literæ A. E. I. & ex *apertura oris* magis vel minus contracta U. & O. Hæ sunt Literæ principes omnis loquelæ, dissonæ quidem & discrepantes, sed *unisonæ* omnes. Natura, quæ illis differentiam dedit, dedit quoque numerum, ut plures esse non possint, nec pauciores quam quinque. Litera Y. vel ejusdem potestatis est ut U. (quomodo quod Græcis vocatur *μῦς* & *σῦς* Latinis effertur *mus* & *sus*); Vel est I. longum aut obscurum; Vel litera ex U. & L. composita. Quicquid fuerit, non magnopere necessaria est.

XII.

Quamvis autem hæ literæ sint valde simplices, non tamen sunt *unigeneres*. Nam quando dico I. E. A. tunc lingua ad dentes inferiores magis vel minus accedit; & quando dico U. O. tunc magis vel minus ad fauces retrahitur.

XIII.

Omnes *unisonæ* sunt & dicuntur VOCALES, cum quia per se sunt sonoræ, absque concursu alterius literæ, tum quia reliquis literis sonum suum communicant. Hæc definitio competit quoque *diphthongis*, ut consideranti patet. Mallem igitur Grammatici Vocales appellassent *unisonas*, ob soni simplicitatem, & diphthongos *bisonas*, ob soni duplicitatem. Sed quia cum illis loquendum est, nihil in stylo mutabo.

XIV.

Vocalis cum vocali combinari potest, & in unum sonum coalescere: quod ubi fit, tunc oritur *bisona* seu DIPHTHONGUS, cujus ea natura est, ut sit sonus ex duabus vocalibus mixtus & quasi conflatus.

XV.

Hæc combinatio viginti modis inſtitui poteſt. Hinc patet, quot ſint *Diphthongi*, & quod per naturam rei nec plures eſſe poſſint, nec pauciores quam viginti. Sunt autem ſequentes:

ae,	*ai*,	*ao*,	*au*,
ea,	*ei*,	*eo*,	*eu*,
ia,	*ie*,	*io*,	*iu*,
oa,	*oe*,	*oi*,	*ou*,
ua,	*ue*,	*ui*,	*uo*.

Lingua, quæ tot Diphthongis abundat, vulgo cenſetur Barbara & ruſtica, ſed immerito. Nam in natura nulla eſt barbaries nec ruſticitas, ſed omnes ſoni articulati ſunt humano eloquio æqualiter digni. Contra, omnis Lingua, quæ hiſce Diphthongis caret, videtur imperfecta, quia non habet omnes ſonos, quos Lingua naturalis habere poteſt. Græcis ſunt diphthongi duodecim, Latinis quatuor aut quinque, Francis viginti, hoc eſt, totidem, quot per naturam eſſe poſſunt. Idque ex monumentis eorum vetuſtiſſimis, ſi cum Alamannicis conferantur, tam manifeſtum eſt, ut negari nequeat. Gothi & Saxones ſunt hic parciores. Quamvis enim Diphthongis valde delectentur, non tamen omnibus, ut Franci & Alamanni, ſed quibusdam tantum. Hoc uno incommodo (ne quid diſſimulem) premuntur Linguæ Diphthongorum nimis feraces, quod difficilius & pronunciantur & in literas referuntur, & quod ſimplicitate illa, quæ res omnes, & Linguas quoque commendabiles facit, deſtituuntur.

XVI.

Literæ, quæ absque concurſu alterius inſtrumenti quam *palati* & *aperturæ oris*, non ſunt ſonoræ, vocantur CONSONÆ, vel *conſonantes*, quia cum vocalibus una ſonant, & absque illis ſonare non poſſunt. Natura, quæ ſonos omnes, poſſibiles & impoſſibiles, in cauſis ſuis præordinavit, hic ſuprema Lex eſt.

XVII.

Vulgo dividuntur in *ſemivocales* & *mutas*. Semivocales vocant, in quibus vocalis præcedit: Mutas, in quibus ſequitur. Sed præter rationem. Nam conſonantes omnes ante conjunctionem cum vocalibus, natura ſua ſunt ἄφωνα, hoc eſt, ſoni expertes, & ſic vocantur a PLATONE in Cratylo. Latine dixeris mutas. Mutum enim cenſetur, quod per ſe ſonum edere non poteſt, niſi conjunctum cum alio. Tales autem ſunt omnes conſonantes, ſecundum datam definitionem, & conſequenter *mutæ*. At ſi vocalis acceſſerit, ſtatim fient ſonoræ. Et hic ſonus ſemper participabit de ſono vocalis, & conſequenter erit ſonus mixtus, & altera ſui parte *vocalis*, ſive vocalis præcedat, ſive ſequatur. Quod autem ex dimidia parte *vocale* eſt, id haud dubie eſt *ſemivocale*. Ergo ſicut ante conjunctionem cum vocalibus omnes conſonantes ſilent, ita poſt conjunctionem omnes ſunt *ſemivocales*. Unde ergo, inquies, eſt illa differentia, ut vocalis in aliis præcedat, in aliis ſequatur? Reſpondeo, ab arbitrio eorum, qui nomina literis impoſuerunt. Nam e natura nihil oſtendi poteſt, cur e. g. M. & N. dici debeant *em* & *en*, & non potius *my* & *ny*. Pone vero rationem oſtendi poſſe: tunc alterutra appellatio erit falſa. Nam ſi utraque vera eſſet, ſequeretur, easdem literas eſſe *ſemiſonas* apud nos, & *inſonas* apud Græcos. Quod haud dubie abſurdum.

XVIII.

Cauſæ, a quibus formantur Conſonantes, ſunt vel *ſociæ*, vel *inſtrumentales*. Utrumque patet ex definitione. Illud, quia conſona absque conjunctione cum vocali neceſſario filet: hoc, quia absque concurſu alterius inſtrumenti quam palati & aperturæ oris, nec vocali jungi poteſt, nec cum illa ſonare.

XIX.

Inde patet, quot ſint vel eſſe poſſint Genera conſonantium. Cum enim in ore humano præter palatum & aperturam oris nullum detur inſtrumentum, quo ſonus primitivus formari poſſit, niſi *guttur*, *lingua*, *labia*, *dentes*, ut dixi §. IX. hinc manifeſtum, quod conſonantes aliæ ſint *gutturales*, aliæ *linguales*, aliæ *labiales*, aliæ *dentales*, & quod plura aut pauciora genera nec ſint, nec eſſe poſſint.

XX. *Gut-*

XX.

Gutturales appello, quæ in regione Gutturis formantur, ſive ſimplici adſpiratione, ut H. ſive aſpera adſpiratione, ut CH. ſive exploſione ſpiritus, ut K. ſive attractione ſpiritus, ut J. vel *Jod*. Quæ ſint Linguæ partes in his literis procreandis, nemini, qui naturam paulo attentius contemplatur, ignotum eſſe poteſt. Quando pronunciamus H. tunc lingua placide quieſcit in ore, & liberum ſpiritui tranſitum relinquit. At quando pronunciamus CH. vel K. tunc poſterior pars linguæ retrahitur ad fauces, arctatque meatum ſpiritus, ut cum aſperitate vel vi erumpere poſſit. Et quando pronunciamus *Jod*, tunc medium linguæ effertur ad faſtigium palati, & ſpiritum tumore preſſum denſatumque attrahit, attractumque cum vocali expellit. Græci hanc literam non poſſunt pronunciare, non magis ac W. & F. Hinc illis ἰῶτα ſemper eſt vocalis, nunquam conſona. Quo ipſo manifeſtum, eos, etiamſi omnia a ſe profecta videri velint, non poſſe tamen inventionem literarum Barbaricarum ſibi vendicare.

XXI.

Ad *Gutturales* adhuc ſpectat G. quod certe nihil aliud eſt quam K. mitigatum aut leniter protruſum. Non enim differunt naturis aut inſtrumentis, ſed qualitatibus tantum, ut magis & minus durum. Et hæc differentia, quæ mere gradualis eſt, deprehenditur etiam in aliis conſonis, e genere lingualium §. XXVI. & labialium §. XXVIII. ut mox patebit. Literæ C. & Q. vel ſono conveniunt cum G. & K. & tunc ſunt inutiles & minus neceſſariæ, vel nullum habent in natura fundum.

XXII.

Linguales dico, quæ motu Linguæ figurantur. Hic motus experientia teſte quintuplex eſt, *tactus*, *pulſus*, *flexus*, *tremor*, & *tumor*. Tactus, pulſus, & tremor ſunt in apice Linguæ: flexus in medio: tumor in poſtica. A tactu ſimplici palati vel dentium ſuperiorum oritur N. a pulſu ſeu ictu earundem partium D. a flexu & pulſu earundem partium L. a tremulo motu & pulſu R. a tumore vel elatione litera *Anonyma*. Omnes a ſpiritu, qui, dum per os apertum transire conatur, ab oppoſita Lingua variis modis intercipitur, rumpitur, alliditur, criſpatur, ita ut neceſſe ſit, vel ad nares regurgitare, vel per latera oris elabi.

XXIII.

Litera N. & *Anonyma* ſunt valde affines, Quamvis enim a diverſis Linguæ partibus generentur, illa, dum palatum tangitur acumine Linguæ, hæc, dum media pars Linguæ palato admovetur: una tamen eſt utriusque cauſa, nempe Lingua palatum tangens, & unus effectus cauſæ, dum halitus ita reprimitur a Lingua, ut exitus non niſi per nares pateat. Hoc videtur innuere MARIUS VICTORINUS, dum ſcribit: *N. gemino narium & oris ſpiritu explicatur*. Non, quod N. ſit rhonchus narium, ſed quod naſo digitis compreſſo ægre proferri queat. Id quod nonſolum de litera N. ſed etiam de *Anonyma* (quam NG. vocat) optime animadvertit AMMANNUS, vir literarum miraculo celeberrimus, qui ſurdos primus loqui docuit. Has literas appellat *naſales* ab effectu, nos *linguales* a cauſa. In Tract. de ſurdo loquente c. 2.

XXIV.

Litera *Anonyma* non eſt ſonus medius inter N. & G. ut VOSSIUS exiſtimat, & multo minus ex N. & G. compoſitus. Nam ſonus medius non habet locum niſi in literis ejusdem inſtrumenti: & ſonus compoſitus non dicitur niſi de duobus mixtis. Atqui hujus mixtionis nullum extat indicium in pronunciatione *Anonymæ*, in qua nec N. nec G. auditu percipitur, etiamſi illud a Latinis, Gallis, & Germanis, hoc a Græcis & Gothis aſſumatur pro ſigno *Anonymæ*. Nam quando Gallus dicit *raiſon*, *deſſein*, *bain*, & mille alia, tunc recte quidem pronunciat *anonymam*, ſed male pingit per N, quia ſi verum N. eſſet, Lingua palatum apice tangeret, quod minime fit. Similiter quando Græcus dicit ἄγγελος, tunc recte pronunciat *anonymam*, ſed male deſignat per γ. Nam ſi prius γ. verum γ. eſſet, non aliud ſonaret quam poſterius. De hac litera ita diſſerit NIGIDIUS apud GELLIUM Lib. XIX. cap. 14. *Inter literam N, & G, eſt alia vis, ut in nomine* Anguis *&* Angaria, *&* Ancoræ, *&* Increpat, *&* Incurrit, *&* Ingenuus. *In omnibus enim his non verum N. ſed adulterinum ponitur. Nam N. non eſſe, lingua indicio eſt. Nam ſi ea litera eſſet, lingua palatum tangeret.* Lib. I. de arte Gramm. cap. 20.

XXV.

Apud Germanos *Anonyma* conjungitur cum omnibus gutturalibus. Inde *lang* longus, *eng* arctus, *bang* anxius, *bank* ſcamnum, *gang* inceſſus, *dank* gratia, *ding* res, *bung* tympanum, *engel* angelus, *enkel* nepos, *denken* cogitare, *wanken* nutare, *ſingen* cantare, & alia innumera. In quibus N. non eſt verum N. alias Lingua palatum tangeret cuſpide, ſed nota *Anonymæ*. Ne quis vero exiſtimet, N. hunc ſonum recipere a conjunctione cum G. vel K. cogitet, quam multa ſint apud Gallos & Suevos vocabula in N. deſinentia, quæ ſimiliter pronunciantur. Certum igitur eſt, quod *Anonyma* ſit ſonus diſtinctus ab N. diſtinctus a G. nec pendens ab illis, nec ex illis compoſitus, verus tamen, & a natura præparatus, qui, cum in nulla Lingua peculiarem figuram habeat, recte vocatur *innominatus*. Poſſit tamen appellari N. *imperfectum* vel *defectivum*, ſi tædium abſit in inopia. Qui hanc literam frequenter conjungunt cum G. dicuntur *gingrire*.

XXVI.

Litera T. in nulla re differt a D. niſi quod appulſu fortiori excuditur. TH. vel ſonus medius eſt inter D. & T. vel ipſum T. cum ſpiritu aſpero prolatum. Quicquid fuerit, inter literas non neceſſarias referri poteſt.

XXVII.

Labiales appello, quæ diſpari labiorum officio exprimuntur. Labia ſunt quaſi fores & valvulæ oris, quæ alternis vicibus claudi & aperiri poſſunt. Clauduntur autem vel totæ, vel ſecundum angulos tantum, rima in medio relicta. Quando ſpiritus per hanc rimam tranſit, tunc a motu labiorum oritur W. litera Barbara, & Germanicis populis inprimis chara & propria. At quando idem ſpiritus per eandem rimam tranſire volens, labium imum ſupremis dentibus admotum offendit, tunc naturaliter ſonat F. Et hinc etiam cognoſcimus, quid ſint, vel eſſe poſſint V. & PH. Nempe V. vel idem eſt quod W. vel ejusdem poteſtatis ut F. Similiter PH. vel idem eſt quod F. vel ſonus médius inter F. & W. Quicquid ſtatuatur de his Literis, tolerari eas poſſe fateor, neceſſarias eſſe nego.

XXVIII.

Quando Labia vel valvulæ oris totæ clauduntur, tunc id duobus modis fieri poteſt, vel ſimplici contactu, vel compreſſione magis vel minus intenſa. Ex ſimplici & mutuo contactu Labiorum naſcitur primo mugitus quidam intra oris clauſi ſpecum, & ſpiritus ad nares regurgitatio. Utrumque ſentitur ab iis, qui naſo digitis compreſſo conantur dicere *Me*. At ore rurſus patefacto, mox ſpiritus erumpit cum ſono *Me*. Hinc M. a Græcis ſapienter vocatur μῦ, non ὖμ. AMMANNUS *naſalem* vocat ab effectu, nos *labialem* a cauſa. Ejusdem indolis ſunt Literæ P. & B. quod experiuntur omnes, qui naſo digitis compreſſo conantur pronunciare *Pe* vel *Be*. Hoc uno differunt ab M. quod a Labiis invicem compreſſis formantur, & explodi magis quam proferri videntur. Nam dum ſpiritus compreſſu Labiorum ita cohibetur, ut ex carcere oris prodire non poſſit, mox ruptis Labiorum repagulis vi progreditur, & cum illo ſonus *Pe* vel *Be*, prout compreſſio vel eruptio fortior aut debilior eſt. Hinc porro intelligimus, quod P. & B. non differant niſi gradu, nec aliter ac magis & minus.

XXIX.

Dentalis una tantum eſt, nempe S. Eſtque ni fallor nihil aliud quam ſibilus, hoc eſt, halitus fortis, a tumore Linguæ palato alliſus, & a dentibus in tranſitu oris laceratus, a quibus etiam nomen ducit. Nonnulli S. e Literarum numero expellunt, & ad ſerpentes, quos figura imitatur, rejiciunt, eodem ſcil. jure, quo alii R. ad canes. Et hi, quantum in ipſis eſt, *aqua* & *igni* nobis interdicunt, quia nec aquam nominare poſſumus absque ſerpentina, nec ignem absque canina. PLATO in Cratylo S. inter Spirituoſas literas collocat: *Quoties vehemens quippiam*, inquit, *& ſpiritu plenum imitari vult nominum inſtitutor, tales ut plurimum literas adhibet*. Nec deſunt vocabula apud nos, quibus id comprobari poſſit: at in plerisque S. inutile aſſumentum eſt, & ex mera ſibilandi libidine vocibus adjectum.

XXX.

Conſona cum conſona combinari poteſt, & tunc oriuntur tot compoſitæ, quot lege combinationis exiſtere poſſunt, duplices vel triplices. Tales ſunt apud nos X.

id

id eſt, *gs*, *chs*, vel *ks*, & Z. id eſt, *ts* vel *ds*; apud Græcos ψ. id eſt, *ϖσ*, apud Gothos ⊙. id eſt, *chw* &c. Reliquæ, quæ plures habent characteres, ſe ipſas manifeſtant.

XXXI.

Dixi, me per *Literam* intelligere *ſonum primitivum* §. V. Nec me pœnitet dixiſſe. Nam hinc cognoſco, cur idem ſonus poſſit eſſe *Litera* & *Vox*, hoc eſt, per definitionem Vocis §. I. *ſonus ſignificans*, ſi uſus voluerit. Quod ideo obſervandum, quia omnes Literæ, vocales, diphthongi, conſonantes, revera aliquid ſignificant in omnibus Linguis, ſive ab inſtitutione, ſive a derivatione. Ita *a*. Angloſaxonibus eſt ſemper, *e*. Alamannis lex, *i*. Anglis ego, *o*. & *u*. Suecis & Islandis non. Ita *au* Cambris eſt jecur, *ea* Angloſaxonibus aqua, *oe* Suecis inſula, *ŏ* Græcis utinam &c. Ita *be* Anglis eſt ſum, *de* Latinis præpoſitio, *eſ* Islandis particula dubitandi, *em* Hebræis mater, *err* Suecis vibex &c. Quid igitur de vulgari definitione, qua Litera dicitur *pars minima vocis*, cenſendum ſit, patet. Nam ſi vera eſſet definitio, litera non poſſet elevari ad dignitatem voçis, aut ſe ſola aliquid ſignificare.

XXXII.

Dixi ibidem, me per *Literam* præterea intelligere *ſignum ſoni primitivi*. Reſtat ergo, ut adhuc de characteribus, quibus id, quod auditu percipitur, viſibus objicitur, & de ordine characterum aliquid dicam. Sonum ſimplicem duplici charactere exprimi, & compoſitum uno, inconveniens eſt, & ſæpe etymologiam turbat. Male igitur gutturalem CH. qua tantopere delectamur, duobus ſignis pingimus, melius Græci per χ. Male etiam X. & Z. uno charactere deſignamus, cum quia utriusque ſonus eſt ex duobus mixtus, ut paulo ante dictum §. XXX. tum quia literæ, e quibus componuntur, ſæpe patiuntur aphæreſin, apocopen, & anaſtrophen, ut Sect. IV. videbimus. Sed hæc cogimur ferre, quia ab uſu ſunt ſtabilita. Alterum inconveniens eſt, quando ſub una figura vocalem & conſonantem confundimus, ut fieri ſolet in U. V. & I.

XXXIII.

Ordo literarum maxime naturalis eſt, ut *Vocales* præcedant, *Conſonantes* ſequantur. Hic primatus colligitur ex §. XIII. Inter vocales principatum tenet A. cum jure naturali, quia pueris a natura ante omnes ſuggeritur, tum jure divino Apoc. I. 8. ubi ἄλφα exponitur per ἀρχὴ, tum etiam conſenſu Gentium cultiorum & vetuſtiſſimarum, Hebræorum, Phœnicum, Græcorum. Quæ, cum ſit palatina, reliquas ſui generis E. & I. poſt ſe trahit. Has excipiunt O. & U. At quo ordine *Conſonantes* ſint diſponendæ, plane ignoramus. Facilius eas in tribus, quam tribus in ordinem redigimus. Hoc unum videtur cavendum, quod parum cavit Antiquitas, ne diſpares literæ diſparibus jungantur. Nam cognatas a cognatis avellere, aut alterius inſtrumenti literis miſcere, non eſt ratione diſponere, ſed genera confundere, & ordinem pervertere. Nos deinceps ſingulas denuo conſiderabimus, non ea ſerie, qua decet, & quam tuto ignoramus, ſed qua vulgo utimur.

XXXIV.

Poſtremo ad *Vocem*, a qua dicendi initium feci, revertor. Quemadmodum *Germanica loquela* nullos habet ſonos, nec unquam habuit, niſi eos, qui in Elementis ſupra expoſitis conſiſtunt, vel ex iis coëunt: Ita nullas habet Voces (hoc eſt, ſonos ſignificantes), nec unquam habuit, niſi tales, quæ a literarum gnaris facillime in omnium Gentium characteres referri poſſunt. Hinc dicta noſtra ſunt vere humana, & humano ore dignisſima, ſive ſonum ſpectes, ſive ſignificatum, & nos ac Linguam noſtram a feritate omnibus modis abſolvunt. Quapropter non poſſum ſubſcribere judicio, quod de Lingua FRANCO-THEOTISCA tulit OTFRIDUS: *Hujus Linguæ BARBARIES, ut eſt inculta & indiſciplinabilis, atque inſueta capi regulari freno Grammatice artis, ſic etiam in multis dictis ſcriptu eſt propter LITERARUM CONGERIEM, & INCOGNITAM SONORITATEM difficilis.* Scire velim, quænam ſit illa *literarum congeries*, & *incognita* (ſive ut alii legunt *incongrua*) *ſonoritas*, *ſcriptu difficilis*? Quinam ſtridores, & ſoni horriſoni, qui literis mandari non poſſunt? Quæ cauſa, tam fœdæ accuſationis? Scilicet hæc una, quod literis utimur K. W. Z. & quod W. ſæpe ponimus ante U. & ſic tria UUU. cumulamus. Idque *extra uſum Latinitatis*, ut verba ſonant Epiſtolæ. Quaſi vero uſus Latinitatis ſit regula omnium Linguarum in pronunciando & ſcribendo. Quid ergo fiet de Lingua Græca, in qua nihil magis obvium

In Epiſt. ad Liutbert. Archiepiſc. Mogunt.

vium quam K. & Z? Quid de veteri Latina, quæ certe dixit & ſcripſit *Krus*, *Karus*, *Kanus*, *Kaput*, *Karthago*, *Kalumnia*, *Kalendæ* &c. Quid magis exploratum, quam V. Latinorum idem valuiſſe quod W. Germanorum, nec aliter pronunciatum fuiſſe antiquitus? Quid denique certius, quam Latinos hanc conſonantem ſubinde conjungere cum vocali U. more Germanorum, in vocibus *Vulcanus*, *Vulgus*, *Vulnus*, *Vulpes*, *Vultur*, *Vultus* &c. Quid in hac *literarum congerie* inſolitum? Quid *incognitæ ſonoritatis?* Quid *ſcriptu difficile?* Et nihilominus his capitibus tota illa *difficilis ſcripturæ* accuſatio unice ſuperſtruitur. Quam vellem, hæc bono viro non excidiſſent. Reliqua hujus Monachi vel ſola inſpectione GRAMMATICÆ HICKESIANÆ refelli poſſunt. Quid ergo, an dicemus, Otfridum Linguæ ſuæ ignarum fuiſſe? Non certe fuit ignarus, ſed nimia admiratione Latinæ Linguæ, & affectatione Nominis BARBARICI (vitio Francis valde familiari) in Gentem & Linguam Germanicam injurius. Qua in re non debuit eum imitari VADIANUS: *Quum interim nemo vernacula Lingua quicquam ſcriberet, adeo dura illo tempore, ut ne exprimi quidem ore ſine magnis ſibilis hiatibusque & rictibus potuerit, ne dum in litteras commodum referri.* Nam cauſa, cur Lingua Germanica ſero in literas relata ſit, non eſt a feritate Linguæ, quæ certe nulla eſt, ſed ab ingenio Gentis bellicoſo, quæ res magnas gerere, quam ſcribere maluit. Hinc ille Literarum & Scripturæ neglectus, ut nec Gentis ſuæ originem, nec res geſtas Majorum, nec Hiſtorias ullas, ſcripto proderent, Carminibus antiquis contenti, quod unum apud eos memoriæ & Annalium genus fuit ante receptas literas.

In Epiſt. ad Bulling. Tom. 2 Rer. Alam. Gold. pag. 59.

SECTIO III.

De Cognatione & permutatione Literarum.

I.

QUemadmodum in Vocibus eſt quædam affinitas & gentilitas, ſecundum Sect. I. §. 9. ita etiam in Literis. COGNATÆ autem cenſentur, quæ ab eodem inſtrumento, tanquam communi generis auctore figurantur, etiamſi ſono diſſimiles ſint. Qua in re admirabile eſt Naturæ artificium, quæ ex uno monochordio tot literas diſſonas producit. Hujus COGNATIONIS duplex eſt effectus in ore humano, *attractio* & *permutatio* Literarum affinium. Similia enim ſimilibus amant conjungi, & cum illis converti. Ab *attractione* ſunt literæ ſupervacaneæ in voce, & a *permutatione* literæ vicariæ, in ſpeciem falſæ, revera autem homogeneæ & æquipollentes. Ab utraque cauſa exiſtit inſignis obſcuritas in vocibus ſic affectis, quæ ſæpe imponit ignaris.

II.

Et hujus generis voces ſunt innumeræ, quæ nec intelligi, nec parentibus ſuis reddi poſſunt, absque literarum, e quibus coëunt, examine & æſtimatione. Hinc ii, qui vocum origines inveſtigare volunt, ſummo jure poſtulare poſſunt, ut quædam in limine ſibi concedantur, quo facilius ea, quæ volunt, efficiant, cujusmodi eſt,

I. Quod Literæ cognatæ ſe facile attrahant,

II. Quod Literæ cognatæ facile permutentur.

Nam his niſi datis & conceſſis nullius voculæ ratio reddi poteſt. Cum ex adverſo negotium proſpere ſuccedat, ſi, prout par eſt, poſtulata tam juſta & ex ipſa natura rei petita admittantur. Ponamus, centum eſſe vocabula, tam graviter affecta, ut intelligi vix poſſint: neceſſe eſt ſecundum antecedentia, obſcuritatem eorum eſſe vel ab *attractione* vel a *permutatione* literarum. Si prius, litera ſuperflua, quæ non cognoſcitur ex ſe, noſcitur ex ſocia per Regulam *primam*: Si poſterius, litera vera & adeſſe debita noſcitur ex vicaria per Regulam *ſecundam*.

III.

Verum cum multæ ſint in vocibus obſcuritates, quæ non a literis cognatis oriuntur, nec ex lege cognationis tolli poſſunt, de his quoque aliquid dicendum eſt. Conſtat enim experientia, Literas, quæ ſua natura non ſunt permutabiles, permutari tamen

men a loquentibus apud omnes fere Gentes, cujus mutationis cauſas ſat multas dedi Sect. I. §. 26. Apud Latinos omnes fere Literæ permutantur, quæ tamen non ſunt affines nec congeneres, etiamſi vulgo appellentur *affines*. Nam affinitatis verum & unicum argumentum eſt communio organi, non conſuetudo permutandi. Hinc male & imperite vocantur *affines*, eam ſolam ob cauſam, quod permutari ſoleant a Latinis. Multa hic audent Latini, quæ in aliis Linguis nec licita ſunt, nec uſu recepta. Certum autem eſt, nullam eſſe in univerſo Linguam, quæ non certis quibusdam mutationibus, ſibique peculiaribus, quamvis præter naturam factis, delectetur. Quæ res non poteſt non inſignem vocibus obſcuritatem inferre. Quapropter vel a negotio Etymologiæ univerſe abſtinendum eſt, vel præter regulas ſuperiores adhuc concedendum nobis

III. Quod quædam Literæ non cognatæ ex genio Linguæ permutentur.

IV.

Operæ pretium eſt, ut provocationi in poſterum locus ſit, exempla omnium mutationum, tam naturalium quam præternaturalium, per ſingulas Literas hic oſtendi; inprimis vero earum, quæ GERMANIS (de quorum Lingua hic unice ſoliciti ſumus) ſive propriæ ſunt, ſive cum aliis Gentibus communes. Nam exempla habent maximam vim demonſtrandi in negotio permutationis, & absque exemplis aliquid affirmare, omnino nefas eſt. Dabo autem Exempla, non omnia, quæ exſtant (nam ſingulorum recenſioni vix modicum volumen, nedum Diſſertatio præliminaris ſufficeret), ſed aliqua tantum, quantum ſcil. ad fidem abſentibus conciliandam ſatis eſſe poteſt.

A.

Mutatur in omnes vocales propter affinitatem naturalem. v. Sect. II. §. 11.

Laſſen finere, Goth. *letan*.
Nacht nox, Angloſax. *niht*.
Athem & *odem* halitus.
Staffel & *ſtuffe* gradus.
γαλήνη tranquillitas, Æolice γαλήνη.
χάω Lat. *hio*.
δαμάω Lat. *domo*.
καλάμη Lat. *culmus*.

A.

Mutatur in omnes Diphthongos ob eandem cauſam. JUNIUS in „Obſervat. ad Will. pag. 124. „Franci plerumque commutant Angloſaxo„num *a*. in *ei*. ac pro Anglo-Saxonico *an* unus, dicunt *ein*, pro *ban* os, oſſis, „*bein*, pro *dal* pars, *deil*, pro *gaſt* ſpiritus, *geiſt*, pro *had* perſona, *heit*, pro „*hal* ſalus, *heil*, pro *ham* domus, *heim*, pro *lath* odioſus, deteſtabilis, *leid*, pro „*man* malus, pravus, *mein*, pro *ſtan* lapis, *ſtein* &c. Hæc ille. Plura mutationum genera non opus eſt anxie colligere, cum in ipſo opere paſſim occurrant, & ex uno reliqua digno ſci poſſint. Latina exempla dabit VOSSIUS in tractatu *de literarum permutatione*.

B.

Naturaliter mutatur in F. M. P. PH. V. W. vi Regulæ ſecundæ, ſi conferatur cum Sect. II. §. 27. 28. præternaturaliter in G.

B. & F. permutantur.

βλύω Lat. *fluo*.
βρέμω Lat. *fremo*.
βυλλῶ implere Germ. *füllen*.
bæren Lat. *ferre*.
bruder Lat. *frater*.
geben dare Angloſax. *gyfan*.
krebs cancer Belg. *kreft*.
erbarmen miſereri Belg. *ontfermen*.
ſchnauben & *ſchnaufen* promiſcue pro ſpirare.
a *ſchreiben* ſcribere derivantur *ſchrift* ſcriptura, a *treiben* agere *trift* agmen, ab *heben* tenere *heft* manubrium, a *blaſen* inflare *flöte* tibia. Et ſic alia ab aliis.

B. & G. permutantur.

Quamvis hoc raro fiat, & præter naturam, non deſunt tamen exempla.

βάλανος, Æolice γάλανος, Latine *glans*.
daube tabula doliaris, Belg. *duig*, Lat. Barb. *doga*.
bübel & *bügel* promiſcue uſurpantur pro colle, quamvis fortaſſe ex aliis cauſis.

B. & M. permutantur.

βραβεῖον Lat. *præmium*.
ſtibium Græce στίμμι.
marbre a *marmore*.
ſtimme vox Gothice *ſtibna*.
ſchlummer ſomnus ſuſpenſus Anglice *slumber*.

B. attrahitur ab M.

Exempla vide in M.

B. & P. permutantur.

βόσκω Lat. *paſco*.
σείβω Lat. *ſtipo*.
buch liber Alam. *puach*.
bürde onus Alam. *purdi*.
berg mons Alam. *perg*.
brennen, *bernen* ardere a πῦρ ignis.

B. & V. permutantur.

βικία Lat. *vicia*.
βορὶς Lat. *vorax*.
Danubius in nummis Imperatorum *Danuvius*.
bær Lat. *verres*.
bar Lat. *vir*.
ſalbei a *ſalvia*.
pfulb a *pulvinus*.

B. & W. permutantur.

βωτᾶν paſcere Germ. *weiden*.
βάζειν loqui Germ. *ſwazen*.
bullire Germ. *wallen*.
braſſica Germ. *werſich*.
bar in LL. Ant. vir, Saxonice *wer*.
beugen flectere Island. *ſveigia*.
banſt & *wanſt* pantex.
binſeln & *winſeln* flebilem vocem edere.
bieb ictus ab *bauwen* cædere.

C.

Angloſaxonibus eſt pro K. & iisdem mutationibus obnoxium ut K. quod vide.

C. & G. permutantur.

Exempla vide in G.

C. & H. permutantur. vide H.

C. & Z. permutantur.

Exempla vide in Z.

CH.

Naturaliter mutatur in G. H. K. Q. vi Regulæ ſecundæ, ſi conferatur cum Sect. II. §. 20. 21. præternaturaliter in F. vi conſuetudinis.

CH. & F. permutantur.

χολὴ Lat. *fel*.
χλόος Lat. *flos*.
χυτὸς Lat. *futus* & *fuſus*.
tauchen & *taufen* immergere.
luchs & *luſs* aër, illud Belgis, hoc Germanis.
kracht & *kraft* vis, robur, illud Belg. hoc Germ.
achter & *after* poſt, illud Belg. hoc Germ.
nicht & *niſſel* neptis, illud Belg. hoc Germ.
ſlichs & *ſlifi* fundatio, illud Belg. hoc Germ.
zwerch nanus, Angl. *dwarf*. Et hujus generis ſunt innumera in omnibus Dialectis.

CH. & G. permutantur.

ἄγχω Lat. *ango*.
ἠχήνες Lat. *egeni*.
ἔχειν habere Goth. *aigan*, Suec. *ega*.
macht potentia a *mögen* poſſe.
tracht geſtamen a *tragen* portare.
gewicht pondus a *wægen* ponderare.
ſchlacht pugna a *ſchlagen* pugnare.
ich Græc. ἐγὼ.
joch Lat. *jugum*.

CH. & H. permutantur.

χεῖμα Lat. *hyems*.
χαμαὶ Lat. *humi*.
Chatti nunc *Haſſi*.
geſicht viſus, aſpectus, a *ſehen* reſpicere.
ſchmach contumelia, a *ſchmæhen* vituperare.

CH. & K. permutantur.

χιτὼν tunica, Ionice κιθὼν, Germ. *küttel.*
Chriſtus Angloſax. *Criſt.*
Chatti & *Catti* idem populus.
chinn & *kinn* maxilla, illud Alamannis, hoc Gothis.
march & *mark* equus, illud Cambris, hoc Alamannis.
ſpeichel ſputum a *ſpocken* ſpuere.
milch lac a *melken* mulgere, aut vice verſa.
machen facere Belg. *maaken.*
brechen rumpere Goth. *brikan.* Et alia ſine numero.

CH. & Q. permutantur.

Exempla vide in Q.

CH. & Z. permutantur.

Exempla vide in Z.

CK.

Easdem obit mutationes ut K. ſimplex. Gothi, quoties opus eſt, duplicant KK. ut Græci, Angloſaxones CC. ut Latini. Ipſum vero CK. & hi & illi ignorant. Veroſimile eſt, Francos & Alamannos, primos hujus elementi ſtatores, quum incerti aut dubii eſſent, quomodo voces in iſta Dialectorum diverſitate ſcribendæ ſint, C. Angloſaxonicum cum Gothico K. conjugaſſe, ut litem ſcribendi dirimerent. Ergo in ſcenam literariam tanquam novum ex machina idolum produxerunt CK. ex utraque ſcriptura, Saxonica & Gothica compoſitum, non quod illo opus haberent, ſed quod utramque ſcripturam combinare in unam, quam alterutram imitari aut erroris arguere mallent.

D. mutatur in Jod.

Exempla vide in T.

D. & K. permutantur.

Exempla vide in K.

D. attrahitur ab N.

Exempla vide in N.

D. & S. permutantur.

Exempla vide in S.

D. & T. permutantur.

Patet ex Regula ſecunda, ſi conferatur cum Sect. II. §. 22. & 26. Idemque dicendum de TH. Hæc viciſſitudo tam frequens & obvia eſt in Dialectis, ut idem nomen, quod uni ſcribitur per D. alteri ſcribatur per T. vel TH. & vice verſa. Exempla cuivis vel librum aperienti occurrent, ut neceſſe non ſit, tempus inducendo perdere.

D. & Z. permutantur.

Exempla vide in Z.

DT.

Litera nova, & iisdem mutationibus obnoxia ut D. & T. Repertores ejus videntur ſibi propoſuiſſe, ut ſcriptiones veterum in unam conflarent. Cum enim vidiſſent, Saxones nomen *loci* ſcribere *ſtede*, Francos *ſtat*, Gothos autem variare, nec tamen alia Lege tot inſtabiles ſcripturas conciliare poſſent, niſi pari erga omnes reverentia; hinc paulatim cœperunt ſcribere *ſtadt*, bono quidem inſtituto, ſed novo & priſcis ignoto.

E.

Mutatur in omnes vocales & diphthongos, ob eandem cauſam ut A.

ere honor Saxonice *are.*
eben planus Gothice *ibn.*
kern & *korn* granum.
ſchwur a *ſchweren* jurare.
ἐνος Lat. *annus.*
ἐνδύω Lat. *induo.*
κέρας Lat. *cornu.*
νέφος Lat. *nubes.*

F.

Naturaliter mutatur in B. M. P. PH. V. W. ob eandem cauſam ut B. præternaturaliter in CH. G. H. T.

F. & B. permutantur.
Exempla vide in B.

F. & CH. permutantur.
Exempla vide in CH.

F. & G. permutantur.

Hæc mutatio, quamvis ſit rara, non caret tamen exemplis. Ita Latinis *ningo* eſt a νίφω. Angloſaxones pacem promiſcue vocant *frith* & *grith:* Angli pumilionem *dwarf*, Germani *zwerg:* Belgæ tempus capitis *slag*, Germani *ſchlaf.* Et a Latino *fel* multi derivant *galle.*

F. & H. permutantur.
Exempla vide in H.

F. & M. permutantur.
Exempla vide in M.

F. attrahitur ab M.
Exempla vide in M.

F. & P. permutantur.

feur ignis Phrygice πῦρ.
fünf quinque Æolice πέμπε.
fuſs Græc. πέζ, Lat. *pes.*
früe mane Græce πρωί.
frigere Germanice *pregeln.*
fell Latine *pellis.*
fiſch Latine *piſcis.*
helfen juvare Belgice *helpen.*
kaufen emere Belgice *koopen.*
ſchleifen & *ſchleppen* trahere.

F. attrahitur a P.
Exempla vide in P.

F. & T. permutantur.

fliehen fugere Gothice *thliuhan.* Hoc exemplum eſt prorſus ſingulare, & præter naturam factum. Extant tamen ſimilia in Græcorum Dialectis, ut θερμὸς & φερμὸς calidus, φὴρ & θὴρ pro fera &c. CANINIUS hac via derivat *fores* a θύρα, & *ſuffio* a θύω.

F. & V. permutantur.
Exempla vide in V.

F. & W. permutantur.

φαῦλος Lat. *vilis.*
favus Germ. *wabe.*
formus calidus Germ. *warm.*
unflat turpitudo Angloſax. *unwlite.*
ungefær fortuito ab *ungewar.*
ſüden & *weiden* paſcere.

G.

Naturaliter mutatur in omnes gutturales, C. CH. H. I. K. & Q. ſecundum Sect. II. §. 20. 21. præternaturaliter in F. I. & W.

G. & C. permutantur.

ἄργω Lat. *arceo.*
focus a φυγνύω cremo.

In

In Columna roſtrata C. Duillii legitur *maciſtratos, pucnando, ceſit*, Cartacinenſis pro *magiſtratus, pugnando, geſit*, Carthaginenſis.

Alamanni, quorum dialectus cæteris aſperior eſt, eadem ſcriptura utuntur in multis vocabulis.

Gott Deus Alam. *cot.*
gut bonus Alam. *cuat.*
garten hortus Alam. *cartin.*
honig mel Alam. *honec.*
tragen portare Alam. *tracan.*

G. & CH. permutantur.

Exempla vide in CH.

G. & F. permutantur.

Exempla vide in F.

G. & H. permutantur.

zug tractus a *ziehen* trahere.
ſchlagen & *ſchlahen* percutere.
reiger & *reiher* ardea.
Angloſaxonibus *burg* & *burh* pro urbe, *loga* & *lah* pro lege, promiſcue uſurpantur.
Hiſpanis a *germanus* fit *hermano.*
Germanis *geſtern* ab *heſternus.*
Latinis *gibbus* ab γίβος, *tragula* a *traho.*

G. & *Jod* permutantur.

Geſt & *jeſt* flos fermenti.
gach & *jach* præceps.
geigen & *jucken* fricare.
gichen & *jahen* confiteri.
geirfalk genus accipitris Anglice *jerfalcon.*
magnus in comp. *major.*
garten hortus Gallice *jardin.*

G. & I. permutantur.

Quamvis id nullo naturæ jure fiat, fit tamen nonnunquam, & nullibi frequentius quam apud Anglos.

magd virgo Anglice *maid.*
flegel tribula Angl. *flail.*
regen pluvia Angl. *rain.*
nagel clavus Angl. *nail.*
bregen cerebrum Belg. *brein.*
hain lucus ab *hagen* ſepire.

Et huc etiam ſpectat, quod *pagus* Gallice dicitur *pais.*

G. & K. permutantur.

γόνυ genu Germ. *knie.*
γένυς maxilla Germ. *kinn.*
gan ire Græc. κίεν.
werk opus Græc. ἔργον.
granum Germ. *kern* & *korn.*
klug ſagax Angloſax. *gleaw.*
gaſt hoſpes Alam. *kaſt.*
geiſt ſpiritus Alam. *keiſt.*
geben dare Alam. *keban.*
gucken ſpectare Belg. *kyken.*
graupe alica Sorab. *krupa.*

G. attrahitur ab N.

Exempla vide in N.

G. & Q. permutantur.

Exempla vide in Q.

G. & W. permutantur.

γάνος lætitia Germ. *wonne.*
γένυς gena Germ. *wang.*
γοῦν quoniam Belg. *want.*
γυρῶν volvere priſcis *wirren.*
walgen volvere Goth. *walwjan.*
neigen inclinare Goth. *hneiwan.*
tauw ros, Suecis *dagg.*
verwen Belgis tingere, Suecis *færga.*
hauwen cædere Suecis *hugga.*
waſen cæſpes Gall. *gazon.*
warten cuſtodire Gall. *garder.*
walt potentia Camb. *gallued.*
bogen arcus Angl. *bow.*
vogel ales Angl. *fowl.*
ab *eag* oculus Angloſax. derivant *eowian* oſtendere.

H.

Tripliciter ſpectari poteſt, vel ut *ſpiritus ſimplex*, vel ut *ſpiritus aſper*, vel ut *ſatelles vocalium.* Prima conſideratio eſt hujus loci, ſecunda & tertia non item.

Antiquiſſimis H. nonſolum eſt *ſpiritus ſimplex*, ſed etiam *ſpiritus aſper* in vocibus innumeris. Gothi & Angloſaxones non habent ſignum, quo pingant CH. niſi ſimplex H. Quod etiamſi obſervatione dignum ſit, JUNIUS tamen monere neglexit. Franci & Alamanni ad deſignandum ſpiritum aſperum tribus characteribus utuntur, modo ſimplici H. modo duplici HH. modo CH. Hodie H. eſt lenis tantum ſpiritus, aſper vero CH. Qua in re obſervandum, quod ſcriptura quidem mutata ſit, minime vero pronunciatio. Nam quando Gothus potentiam vocat *maht*, & noctem *naht*, tunc legendum & pronunciandum acſi ſcriptum eſſet *macht* & *nacht*. Et talia quoque ſunt

liuhath lux, Angloſax. *leobt*, hodie *liecht*.
slaiht planus, hod. *ſchlecht*.
waiht aliquid, Angloſax. *wibt*, hod. *wicht*.
uhtwo mane, Angloſax. *ubt*, Belg. *ucht*.
ſauht morbus, Angloſax. *ſubt*, hod. *ſucht*.
rahnan ſupputare, hod *rechnen*.
hauh altus, Angloſax. *heah*, hod. *hoch*.
ahtau octo, Angloſax. *eahta*, hod. *acht*.

Hanc ſcribendi legem, qua duæ literæ uno ſigno confunduntur, merito abrogarunt recentiores, quamvis in hæreſin longe deteriorem lapſi, dum H. tanquam vile mancipium vocalibus producendis emanciparunt, & vel præcedere Dominam, vel ſubſequi lento progredientem, compulerunt. Quo temerario inſtituto nonſolum innumeras voces turpiter afflixerunt, ſed etiam Etymologiæ negotium, quantum in ipſis eſt, difficile & intricatum reddiderunt. At *Perſæ*, inquiunt, ſimiliter ſcribunt. Scilicet illi, qui ſuperfluitate ſicut in cultu, ita etiam in literis delectantur. Cur non potius imitemur Aborigines noſtros, *Francos*, *Saxones*, *Gothos*, qui hanc ſcribendi rationem, Perſicam & luxurioſam, penitus ignorarunt. Quæ, cum ab ignaris nuper invecta ſit, libere corrigi poteſt a peritis. Nam ut inſano novandi ſtudio parem honorem deferamus aut majorem quam Antiquitati, nihil neceſſe eſt. Itaque illud H. quoties inutile additamentum eſt, & ſatellitio tantum fungitur, libere extermino, & voces priſtinæ ſimplicitati reſtituo, quamvis non ſemper, quia interdum tyrannicæ conſuetudini cedendum fuit. Ubi vero radicale eſt, ibi, ut par eſt, illud retineo, non nunquam etiam reſtituo, ubi expulſum eſt, & ſedi nativæ reddo, ubi tranſpoſitum.

H.

Mutatur in omnes gutturales, C. CH. G. J. K. Q. vi Regulæ ſecundæ, ſi conferatur cum Sect. II. 20. 21. præternaturaliter in F. & S.

H. & C. permutantur.

hals Lat. *collum*.
horn Lat. *cornu*.
haubt Lat. *caput*.
helen Lat. *celare*.
Haſſi olim *Catti*.

H. & CH. permutantur.

Exempla vide in CH.

H. & F. permutantur.

Lat. *herba* ab Æolico φρφς,
faba ab obſoleto *haba*, judice MENAGIO.
Gallis *hors* a *foris* vel *foras*.
Hiſp. *hazer* a *facere*, *hablar* a *fabulari*,
hermoſo a *formoſus*, *hierro* a *ferrum*.
Germ. *horſt* & *forſt* nemus, *folgen* ab ὄλχος veſtigium impreſſum.

H. & G. permutantur.

Exempla vide in G.

H. & *jod* permutantur.

Herthe terra Suethice *jord*.

H. & K.

H. & K. permutantur.

κλύειν incumbere antiquis *blinen.*
κάνναβις Germ. *hanf.*
κάλαμος Germ. *halm.*
κοίλος cavus Germ. *hol.*
knie genu Island. *hnie.*
hoſen tibialia Belg. *kouſſen.*
naben adpropinquare Belg. *naken.*
halter vivarium Suev. *kelter.*
γνὶς gnatus a κνέω gigno.

H. & S. permutantur.

Quamvis hæ conſonæ diverſi generis ſint, habent tamen aliquid affinitatis. Nam H. eſt principium & fundamentum non ſolum omnium gutturalium, ſed etiam dentalium, & S. absque halitu forti nec eſſe nec concipi poteſt. Quemadmodum igitur adſpiratio facile convertitur in ſibilum ex libidine ſibilandi: ita ſibilus facile mutatur in halitum ex tædio ſibilandi. Exempla prioris mutationis ſunt pene innumera, poſterioris rariora.

ἕξ Lat. *ſex.*
ὑπὲρ Lat. *ſuper.*
ἑκυρὸς Lat. *ſocer.*
ἵζειν ſedere Germ. *ſitzen.*
ἑσεῖν ponere Germ. *ſetzen.*
ὁδὸς iter Angloſax. *ſith.*
ἥ ea, ipſa Angloſax. *heo*, Germ. *ſie.*
ſonne ſol Camb. *huan.*
ſoge porca Camb. *hwch.*
ſat ſemen Camb. *had.*
ſovor Armor. *hoar.*
ſol Armor. *haul.*
waſſeil Anglis pro *wat hail* eſto ſalvus.

Germani, qui ſibilos præter modum amant, non facile eos dimittunt, aut cum halitu commutant. Dicimus tamen promiſcue *humſen* & *ſumſen* bombire. Item *Hennegau* pro *Sonnegau.* Imo etiam *heil* multorum judicio eſt a Lat. *ſalus.* An *harke* ſit a *ſarculum*, & *hülſe* a *ſiliqua*, dubitari poteſt. JUNIUS *helfen* deduxit a συλλαβεῖν opitulari; ſed vereor ne Græcis aliud ſignificet.

I.

Mutatur in omnes vocales & diphthongos ob eandem cauſam ut A.

binde & *band* faſcia.
bitten & *beten* orare.
ſtoppel a *ſtipula.*
trunk potus a *trinken* potare.
θίγω Lat. *tango.*
μίνθη Lat. *mentha.*
σύτης nocivus Lat. *ſons*, *ſontis.*
δίπλᾶς Lat. *duplex.*

Jod & G. permutantur.

Cauſa permutationis eſt a gutture, in quo conveniunt tanquam cognati. Inde *jar* a γύρος, *jammern* a *gemere.* Plura exempla vide in G. Ob eandem cauſam *jod* & K. permutari poſſunt. Inde *juwel* a κειμήλιον judice REIZIO.

K.

Naturaliter mutatur in omnes gutturales, præternaturaliter in D. S. T. & Z.

K. & CH. permutantur.

Exempla vide in CH.

K. & D. permutantur.

Idem dicendum de K. & T. Nam D. & T. non differunt genere, ſed modo naſcendi tantum.

κεῖνος ille, Dorice τῆνος.
fleck aſſumentum, Goth. *plat.*
bleken balare, Angloſax. *blætan.*
kleck macula, Belg. *klad.*
vlak & *flaat* planus, latus, illud Belgis, hoc Suecis.
lenden & *lanken* ſunt latera.
bak & *bot* linter.
kopp & *topp* ſummitas.
fladen multorum judicio eſt a Gr. πλακοῦς placenta.
krume mica a θρύμμα fragmen.
quaken tremere a *quati*, i. e. concuti.
mucker muſſitator a *mutire.*
boulevart a *bolwerk.*

K. & G. permutantur.

Exempla vide in G.

K. & H. permutantur.

Exempla vide in H.

K. mutatur in *Jod.* V. *Jod.*

K. attrahitur ab N.

Exempla vide in N.

K. & Q. permutantur.

Exempla vide in Q.

K. & S. permutantur.

ἐκλιμάω Lat. *æſtimo.* *küſſen* oſculari Goth. *kukjan.* *eſſig* acetum Belg. *eek.*

K. & T. permutantur.

Ob eandem cauſam ut K. & D. Ad hanc mutationem valde proni ſunt Angli in vocibus e Lingua Angloſaxonica acceptis. Nam CC. quod Angloſaxonibus ejusdem poteſtatis eſt ut KK. ſubinde mutant in TCH. e. g.

wæccean vigilare in *watch,*
wræcca miſer in *wretch,*
wicce ſaga in *witch,*
bicce canicula in *bitch,*
recce - leas negligens in *retchleſs.*

K. & Z. permutantur.

κύμβαλον inſtrumentum muſicum Germ. *zimbel.*
κρίκος circulus Germ. *zirkel.*
runzel ruga Angl. *wrinkle.*
ſpitze cuſpis a *picken* pungere.
zunft conventus a *kommen* venire.
pickeln ludere a παίζω.
mücke muſca a μύζω ſtridere.
warze a *verruca.*

L.

Mutatur in N. & R. vi Regulæ ſecundæ, ſi conferatur cum Sect. II. §. 22.

L. & N. permutantur.

φίλτις & φύτις auriga.
πνεύμων pulmo Attice πλεύμων.
melior a *menior*, cujus poſitivus eſt *manus* bonus, unde *immanis* non bonus.
illiberalis, illecebræ, illicium, pro *inliberalis, inlecebræ, inlicium.*
himmel cœlum, Goth. *himin.*
kind puer, infans, Angloſax. *cild.*
zelt tentorium Belg. *tent.*
ſonne Suecis & Island. *ſol.*
ſchnebbe & *ſchlebbe* frontale.
nieten & *loten* ferruminare.
kneuel & *kleuel* glomus.
knüppel fuſtis Belg. *kluppel.*
knebel paſtomis a *klöben* findere.
annuzi & *anluzzi* facies apud Francos.
Gallis *bruler* a *brennen.*

L. & R. permutantur.

κλίσανος Attice κρίσανος.
διαιρέω & διελεῖν dividere.
ἀργαλέος moleſtus ab ἀλγέω moleſte fero.
lilium a λείριον.
varius a βαλιὸς.
breit latus a πλατὺς.
dauren a *dolere.*
kleuel glomus Angl. *crewel.*
pflaum, plum, a *prunum.*
pilger a *peregrinus.*
albergo ab *herberg.*
ſtammern & *ſtammeln* balbutire.
balbier tonſor pro *barbier.*
Mellobaudes pro *Merobaudes.*

M.

Attrahit omnes labiales, vi Regulæ primæ, ſi conferatur cum Sect. II. §. 27. 28.

M.

Mutari poteſt in omnes labiales, per Regulam ſecundam. Imo etiam in N. per Regulam tertiam.

M. attra-

M. attrahit B.

ambio ab *am* & *eo*.
um & *umb* circa.
emſig & *embſig* induſtrius.
ameiſ formica Helvet. *ambeiſ*.
Alambanni pro *Alamanni* apud Dion. in Excerpt.

M. & B. permutantur.

Exempla vide in B.

M. & F. permutantur.

Hæc mutatio, inquit SKINNERUS, in Germ. & recentioribus Dialectis non occurrit. Critici tamen a Gr. *μύρμηκα* derivant Lat. *formica*, & a *μόρος fors*. Hæc ille in Proleg. Etymol. Mihi certum eſt, hanc mutationem naturæ conformem & uſu receptam eſſe.

ſtimme vox Ang'oſax. *ſtefn*.
name nomen Dan. & Island. *nafn*.
hafen portus Suec. *hampne*.
ſtraff & *ſtramm* rigidus, durus.

M. attrahit F.

Gothis *andanumſt* eſt aſſumptio ab *andaniman* recipere, per medium derivandi T.
Alamannis *teilnumſt* participatio a *teilnemen* participare.

M. & N. permutantur.

μὴ Lat. *ne*.
decanus a *decem*.
abſtemius ab *abſtineo*.
camena a *cano*.
narr ſtultus a Græc. *μωρὸς*.
matte ſtorea Gallis *natte*.
nennen ab antiquo *nemmen* appellare, quod eſt a Lat. *nominare*.
nunſt in comp. pro *numſt*, quod eſt a *nemen* capere.
kunſt in comp. pro *kumſt*, quod eſt a *kommen* venire.
hanf cannabis Angl. *hemp*, Suec. *hampa*.
brenn-ſtein & *brimſtone* ſulphur, illud Islandis, hoc Anglis.
ſemperleut pro *ſendbarleut* homines aptitudine ſynodales.
pilgrim a *peregrinus*.

M. & P. permutantur.

Ob eandem cauſam ut B. & M. Ita multorum judicio *ſomnus* eſt ab *ὕπνος*, *vermis* ab *ἕρπω* repo. Nos a *polenta* habemus *malz*: & *pinkeln* a *mingere*.

M. attrahit P.

Suecis *ſömpn* a *ſomnus*.
Item *nampn* a *nomen*.
Germanis *ſtumpf* a *τόμος*.
Latinis *promptus* a *promoveo*.

M. attrahit PF.

Vel, quod idem eſt, P. attractum ab M. viciſſim attrahit F. Quod, etiamſi fatis naturale ſit per Regulam primam, non tamen contingit in omnium populorum Germanici idiomatis labio, ſed Teutiſco tantum. Nam Gothi, Angloſaxones, Franci, & ex recentioribus Belgæ, Angli, et omnes Septemtrionales, hoc tanquam futile ornamentum & auribus ingratum refugiunt. Itaque, quando fumus nominandus eſt, Belga dicit *damp* a *θῦμα*, unius labialis attractu contentus: Germanus vero ſuperior attrahit quantum poteſt, dicendo *dampf*. Omnes antiqui & recentiores propudium & dedecus vocant *ſcham*, Germani ſoli *ſchimpf*. Et horum vocabulorum, quæ nimia labialium aggregatione & pronunciationem & etymologiam impedicam reddunt, immenſa ſeges eſt in Lingua ſuperioris Germaniæ. Confer P-F.

M. & V. permutantur.

Exempla vide in V.

M. & W. permutantur.

mid & *with* cum, Dial. Angloſax.
wille me pro *willen we*, Dial. Belg.
muffel labeo, a *waffel* labrum.
win amicus, a *minnen* amare.

wonen a *manere* vel μένω. *juwel* preciosum a κειμήλιον, judice REIZIO. Sylva *Martiana* a *ſwarzwald*, judice CLUVERIO. Confer V-W.

N.

In medio vocis plerumque dubiam & difficilem reddit Etymologiam, cum quia ſæpe expellitur, ubi erat cuſtodiendum, aut inſeritur, ubi ſupervacaneum, aut e loco nativo in alienum rejicitur; tum quia literas cognatas & non cognatas attrahit, & cum cognatis & non cognatis permutari ſolet. Quæ res non poteſt non inſignem vocibus obſcuritatem inferre. Oportet ergo eum, qui cauſas verborum ſcrutatur, ante omnia naturam & affectiones hujus literæ cognitas habere & perſpectas. Eaque ſcientia, etiamſi levis & exilis videatur, non eſt obvia & parabilis, ſed acre judicium exigit, & non niſi longo uſu acquiritur.

N.

Mutari poteſt in omnes Linguales, vi Regulæ ſecundæ, ſi conferatur cum Sect. II. §. 22. etiamſi forte non omnes mutationes apud nos receptæ ſint. Eadem litera mutari poteſt in non linguales, ſi uſus voluerit, ut patet ex Regula tertia.

N. attrahit D.

Ita Latinis a τείνω fit *tendo*: Germanis *ſpindel* ab antiquiori *ſpinnel* fuſus, *überwinden* ab antiquiori *überwinnen* ſuperare, *ſchwinden* a *ſchweinen* deficere, tabeſcere: Danis *mand* a ſimpliciori *mann* vir, homo, unde nobis *iemand* & *niemand* aliquis & nemo. Cauſam attractionis exhibet Regula prima, ſi conferatur cum Sect. II. §. 22.

N. defectivum.

Attrahit omnes gutturales, inprimis G. & K. Quid ſit N. defectivum, jam Sect. II. §. 23. 24. 25. expoſui. Dico autem *defectivum*, quia eſt imperfectum, & ſe ipſo minus, dum palatum non adtingit cuſpide linguæ, ut verum N. ſed mediæ tantum partis tumore. Quo ipſo Gutturalibus, quæ absque linguæ ad fauces retractu formari non poſſunt, quodammodo cognatum intelligitur. Et hanc qualemcunque affinitatem eſſe veram cauſam omnium attractionum, valde credibile eſt. Quam facilis autem ſit linguæ a tumore mediæ partis ad tumorem poſterioris tranſitus, neminem, qui meditari aut experiri volucrit, fugere poteſt.

N. attrahit G. & K.

Angloſaxonibus *ren* eſt pluvia. Hoc poſtea converti cœpit in *reng*. Vocem exhibet BENSONIUS. Nos inde habemus *regn* per metathesin.

Suecis *ſtænga* eſt coniſcare, cornu petere, haud dubie a Gr. θένω ſtimulo.

A Lat. *gena* fit *wang* in multis Germanicæ Linguæ Dialectis.

Item *winken* ab *annuo*, ut mihi quidem videtur.

Et huc etiam ſpectat *hengſt* caballus, quod primo fuit *heſt*, poſtea *henſt*, denique *hengſt*.

Imo etiam *könig* rex, quod primo fuit *kun*, poſtea *kung*, tandemque inſerto I. *kunig* & *könig*.

N. & L. permutantur.

Exempla vide in L.

N. & M.

N. & M. permutantur.
Exempla vide in M.

O.

Mutatur in omnes vocales & diphthongos, ob eandem rationem ut A.

brodem & *bradem* exhalatio.
ſtepfel a *ſtoppen* obturare.
wille a *wollen* velle.
ſchuld a *ſollen* debere.
βόσκω Lat. *paſco.*
πόλεμος Lat. *bellum.*
κονὶς Lat. *cinis.*
δοκῶ cenſeo Lat. *duco.*

P.

Mutatur in omnes labiales, vi Regulæ ſecundæ, ſi conferatur cum Sect. II. §. 27. 28.

P. & B. permutantur.
Exempla vide in B.

P. & F. permutantur.
Exempla vide in F.

P. attrahit F.

Hæc attractio, quam omnes fere Gentes, Græci, Latini, Gothi, Saxones, Franci, Belgæ, Angli, & omnes Septemtrionales, tanquam barbaram & indecoram horrent, Germanis ſuperioribus unice eſt in deliciis. Hinc quando nominandus eſt nummus, non dicunt *penning*, ut reliquæ Dialecti, tam veteres quam recentiores, ſed *pfenning*. Et ſic in aliis innumeris adſciſcunt F. non certe contra naturam (nam labiales ſe mutuo attrahunt per Regulam primam) ſed contra conſuetudinem omnium populorum, qui Germanico idiomate utuntur. Exempla vide in *Epenthesi* Sect. IV. Optandum vero eſſet, ut hæc attrahendi intemperantia, qua tantopere delectamur, nunquam in uſu fuiſſet, cum quia Etymologiam ſæpe turbat graviter, tum quia Linguam externis difficilem pronunciatu reddit. Confer M-PF.

P. & M. permutantur.
Exempla vide in M.

P. attrahitur ab M.
Exempla vide in M.

P. & V. permutantur.
Exempla vide in V.

P. & W. permutantur.
Exempla vide in W.

PH.

Ejusdem poteſtatis eſt ut F. ſecundum Sect. II. §. 27. & conſequenter iisdem permutationibus obnoxium. Cum hac litera non utamur niſi in Vocibus peregrinis, nec ulli veterum uſi ſint præter Francos, non opus eſt, ut aſſertionem noſtram exemplis ſtabiliamus.

PH. & V. permutantur.
Exempla vide in V.

PS.

Non agnoſcitur a populis Germanicis, niſi in vocibus Græcis civitate donatis. Et in his vel prima parte truncatur, ut *ſalm* pro *pſalm.* Gloſſ. Keron. pſalmis *ſalmin*, pſalmodiæ *ſalmſanges.* Vel totum transponitur in SP. ut *ſpilen* fidibus canere pro ψάλλειν, *ſpützen* ſpuere pro ψύττειν, quibuſcum

 conferri

conferri merentur */pröd* aſper, */pat* ſero, & alia ſimiliter facta. Vel P. aſſumitur expulſo S. ut *punian* conterere (quod Angloſaxonicum) a ψάειν comminuere. Sed hæc nunc mitto, quia non ad permutationes, ſed ad alios literarum caſus, quibus Sectionem IV. deſtinavi, ſpectant. Male interim Græci ſuum *pſy*, una litera pingunt, cum ſit ex duabus & natura diverſis compoſitum.

Q.

Accepimus a Francis, illi a Latinis. Gothi pro QV. utuntur CHW. vel ſimili litera, Angloſaxones CW. quod eſt ejusdem poteſtatis ut KW. Islandi vel ſimplici K. vel KV. quod eſt ejusdem valoris ut KW. ut pateat, Q. eſſe gutturalem in omnium ſententia, & in omnes gutturales convertibilem. Hinc *kommen*, *quemen*, *chumen*, pro venire, in priſcis Dialectis permutantur. In iisdem mulier aliis dicitur *quena*, aliis *chena*, aliis *cwen*, aliis *kona*. Et a *coquus* alii formant *coc*, ut Saxones, alii *cog*, ut Cambri, alii *kock*, ut Belgæ, Angli, & Sueci, alii *koch*, ut Germani. Male autem ſcribimus QU. cum omnino ſcribendum ſit QV. vel QW. Nam U. conjunctum cum Q. ſuſtinet officium conſonantis, non vocalis, & eodem ſigno duas literas confundi, non decet.

Q. & Z. permutantur.

Exempla vide in Z.

R.

Eſt a volubilitate & criſpatione linguæ, ſecundum Sect. II. §. 22. & ideo cum omnibus Lingualibus permutari poteſt, per Regulam ſecundam, etiamſi fortaſſe non omnes permutationes nobis ſint uſitatæ. Sæpe etiam præter naturam mutatur in diſſimiles, ſi uſus voluerit. Neque id a Regula tertia abhorret.

R. & L. permutantur.

Exempla vide in L.

R. & S. permutantur.

Quamvis hæc mutatio ob diverſam literarum indolem pene incredibilis ſit, nihil tamen ea frequentius eſt in toto orbe. Nec alia reperiri cauſa poteſt, niſi inſtabilis vulgi mutandi deſiderium, quo fit, ut in iisdem vocibus nunc *hirrire*, nunc *ſibilare* malit.

Græci dicunt τάρρος & τάρσος pro crate.
Latini *dorſum* & *doſſum*, *honor* & *honos*, *decus* & *decor*, *naſus* & *naris*; *vomer* & *vomis*, *flores* a *flos*, *mores* a *mos*, *aſſum* ab *ardeo* &c.
Angloſaxones *iſen* & *iren* pro ferro.
Germani *weſſen* cujus, a *wer* quis, *deſſen* illius, a *der* ille, *verlieren* perdere, alia Dial. *verlieſen*.
frieren gelare, alia Dial. *frieſen*.
küren & *kieſen* eligere.
ohr auris, Goth. *auſo*,
haſe lepus Angloſax. *hara*,
glas vitrum Island. *gler*.
Et quod Anglis eſt *cloſe*, id Gallis eſt *clorre*.

S.

Ceſſantibus cognatis (nam unica ſui organi litera eſt, per Sect. II. §. 29.) mutatur in non cognatas apud omnes Gentes.

S. & D. permutantur.

Imo etiam S. & T. quia inter D. & T. nulla pene differentia eſt. Ita Latinis *medius* a μέσος, *fons* a *fundo*, *ſaltus* ab ἅλσος. Quibus addi poſſunt *ſonus* & *tonus*, *ludus* & *luſus*, & alia bene multa. In Dialectis Græcorum

rum hæc literarum permutatio eſt perpetua, ut a viris doctis pridem oſtenſum. Hinc elegans & feſtivus Dialogus natus apud LUCIANUM, in quo σίγμα actionem inſtituit adverſus τᾶυ, quod apud Atticos & Dores plerisque dictionibus ab eo ejiciatur. Idemque comperiemus fieri apud nos in vocibus innumeris, ſi Dialectos invicem contendamus.

Saxon. *rad* celer, Belg. *rad*. Belg. *water* aqua, Germ. *waſſer*.
Angl. *maid* puella Belg. *meüje*. Germ. *fluſs* amnis Belg. *vloedt*.

Plura exempla vel librum aperienti occurrent, ut neceſſe non ſit, tot obvia & vulgo etiam nota conquirere.

S. & H. permutantur.
Exempla vide in H.

S. & K. permutantur.
Exempla vide in K.

S. & R. permutantur.
Exempla vide in R.

S. mutatur in SC. SCH. & SCHW.

Ita Longobardis a μασσᾶσθαι mandere fit *maſca* ſtrix, mulier hominem vivum devorans, & Gallis *maſcher* manducare. Hoc genere mutationis nihil eſt frequentius in ore ſuperioris Germaniæ, præſertim ab initio vocis. Inde monſtra vocabulorum, *ſchlaffen* pro *ſlaffen* dormire, *ſchmecken* pro *ſmecken* guſtare, *ſchweigen* a σιγᾶν tacere, *ſchweſter* a *ſyſter* ſoror, & alia permulta, inutilibus literis turgentia, & a priſca æque ac elegantiore pronunciatione turpiter deflexa, imo etiam Etymologiam graviter turbantia.

S. & T. permutantur.
Vide S-D.

S. & Z. permutantur.
Exempla vide in Z.

SC.

Angloſaxonibus, Francis, & Anglis eſt pro SK. Germani & Belgæ nec hoc nec illo ſigno amplius uti poſſunt, ex quo pronunciatio vetus apud eos in *ſchin* mutata eſt. In vocibus Latinis mutatur in SCH. Inde *ſchreiner* a *ſcriniarius*. Imo etiam in Z. Inde *zepter* a *ſceptrum*.

SCH.

Elementum ex ſibilo & gutturali conflatum, ſed novum, & in prima literarum Germanicarum ætate nec ſcriptum nec auditum. Poſtquam pronunciatio mutata eſt (quod ſero admodum factum), ſucceſſit in locum τῦ SC. vel SK. Ita verba antiqua *ſkaffen* formare, *ſkeinen* fulgere, *ſkamen* pudere, & alia innumera, conſuetudo paulatim mutavit in *ſchaffen*, *ſcheinen*, *ſchæmen* &c. non ſolum apud nos, ſed etiam apud Belgas, ejusdem corruptelæ reos, minime vero apud Septemtrionales, qui, cum antiquæ pronunciationis & ſcripturæ adhuc retinentes ſint, nobis, qui ab utraque deſcivimus, novitatem & mutatæ Linguæ dedecus jure objiciunt. Præſtaret, elementum tam fœdum & Etymologiæ infeſtum, vel draconibus reliquiſſe omnino, vel parcius uſurpaſſe, nec niſi in verbis externis.

SCH. & Z. permutantur.
Exempla vide in Z.

SK.

Utitur Codex Argenteus ubique. Utuntur etiam monumenta Francorum paſſim. Et cuſtoditur hodie a Septemtrionalibus conſtanter, dum in Germania & Belgio mutatur in SCH. ut paulo ante dictum.

SL. SM. SN. SW.

Germania recentior mutavit in SCHL. SCHM. SCHN. SCHW. contra conſenſum omnium Dialectorum, tam veterum quam recentiorum, ne Belgica quidem excepta.

SS. & Z. permutantur.

Exempla vide in Z.

ST. & Z. permutantur.

Exempla vide in Z.

T.

Mutari poteſt in omnes Linguales, per Regulam ſecundam, ſi conferatur cum Sect. II. §. 22. 26. etiamſi non omnes mutationes ab omnibus linguis, nec a noſtra admittantur. Reliquæ mutationes non ſunt a natura, ſed a conſuetudine & uſu vulgari, quem penes arbitrium eſt, & jus & norma loquendi.

T. permutari ſolet cum gutturalibus.

Angloſaxonibus *plece* eſt a *platea*.
Eadem Dialecto *ſtræde* (Angli dicunt *ſtride*) eſt a *skrit* paſſus.
Nos planum & latum promiſcue vocamus *plat* & *flach*, Belgæ vero *vlack*. Cuncta a πλατυς. Gothi ſpiritum vocant *ahma* (*achma*) nos *atem*.
Plura exempla vide in K.

T. & D. permutantur.

Cum hæc mutatio ſit perpetua in omnibus Dialectis, & exempla ſponte ſe offerant quærentibus, inductione minime opus eſt.

T. & D. mutantur in F.

Exempla vide in F.

T. & D. mutantur in *Jod*.

Sed præter naturam, & a Mœſo-Gothis tantum, & qui eos imitantur. Talia ſunt in Codice Argenteo,

ahjan arbitrari, pro *achten*,
bidjan orare, pro *bitten*,
kaurja focus, pro *herd*,
kausjan guſtare, pro *koſten*,
midja medium, pro *mitten*,
ſatjan ponere, pro *ſetten*,
thaurſjan ſitire, pro *dürſten*,
thiubja furtum, pro *thiubda*, quod extat in Legibus Friſionum.

Et huc etiam ſpectat CLOJO, Rex Francorum apud Sidonium Apollinarem, cujus verum nomen eſt CLODIO.

T. & D. mutantur in K. & vice verſa.

Vide exempla paulo ante addu&ta, & confer literam K.

T. & D. mutantur in S. & vice verſa.

Exempla vide in S.

T. & D. mutantur in TH. & vice verſa.

Id quod cuivis vel librum aperienti manifeſtum eſſe poteſt. Confer Sect. II. §. 26.

T. & D. mutantur in Z. & vice verſa.

Exempla vide in Z.

TH.

TH. mutatur in S. & vice verſa.

Deus Attice *θεὸς*, Æolice *σιὸς*. Confer S-D.

TZ.

Litera nova & inutilis, quia TS. in ipſo Z. jam continetur.

U.

Mutatur in omnes vocales & diphthongos, ob eandem cauſam ut A.

ſal ſpurcus a *ſulen* maculare.
elle ab *ulna*.
klimpen paſtilli a *klump* maſſa.
kogel a *cucullus*.

Hæc mutatio ſæpe in eadem voce per omnes vocales decurrit. Ita particula copulativa *und*, Anglóſaxonibus & Anglis effertur *and*, Francis *inti*, Belgis *en*, *end*, dum vulgus in Germania paſſim pronunciat *ond*. Similiter & verbum *urteilen* judicare, per omnes vocales ſcriptum invenimus, *arteilen*, *erteilen*, *irteilen* apud Francos, *oordeelen* apud Belgas.

V.

A Latinis per Francos & Alamannos accepimus, qui ſoli inter Veteres hoc ſigno, quamvis minime neceſſario, utuntur. Et Francis quidem atque Alamannis plerumque eſt pro F. Islandis vero pro W. Nos illud Labialibus annumeravimus Sect. II. §. 27. Quo, ut par eſt, conceſſo, ſequitur per Regulam ſecundam, quod cum omnibus ejusdem generis converti poſſit.

V. & B. permutantur.

Exempla vide in B.

V. & F. permutantur.

Veſt firmus, Angloſax. *faſt*, *feſt*.
vor ante, antiquis *for*.
für pro, Belgis *voor*.
fürchten timere, Belg. *vorchten*, *vruchten*.

V. & M. permutantur.

fomes a *foveo*.
Vulcanus, quod ferrum *mulceat*, unde alias *mulciber* dictus.
promulgare a *provulgare*.
meiden a *vitare*.
Confer M - W.

V. & P. permutantur.

vater Græc. *πατὴρ*, Lat. *pater*.
opilio pro *ovilio*.
palliſaden a *vallo*.
prudens Belg. *vroed*.
Prater Viennæ in Auſtria eſt Inſ. in Danubio a Lat. *viridarium*.
Gallis *ville* civitas a Græc. *πόλις*.

V. & PH. permutantur.

vogd advocatus Franc. *phogat*.
viole a *phiala*.

V. & W. permutantur.

vermis Germ. *wurm*,
vidua Germ. *witwe*.
vallum Germ. *wall*.
vrong & *wrong* Belgis tortus.
vryven & *wryven* iisdem fricare.

W.

Non eſt duplex U. etiamſi Franci & Alamanni ſic pingant, ſed potius duplex *Vau*, quamvis unum ſufficere poſſit. Germanica Lingua nunquam caruit hac litera, & quo antiquiores ſunt Dialecti, eo frequentior eſt ejus occurſus, nonſolum in capite vocis, ut hodie, ſed etiam in medio & fine. Quod niſi probe animadvertatur, multorum cauſa derivatorum inveniri nequit. Mutatur autem vi cognationis in omnes labiales, ſecundum Regulam ſecundam, ſi conferatur cum Sect. II. §. 27. 28. Reliquæ mutationes non ſunt a natura, ſed ab uſu tyranno.

W. & B. permutantur.
Exempla vide in B.

W. & F. permutantur.
Exempla vide in F.

W. & G. permutantur.
Exempla vide in G.

W. & M. permutantur.
Exempla vide in M.

W. & P. permutantur.
pantex Germ. *wanſt.* *wallen* Lat. *palare.*

W. mutatur in U.
Anglis *durgen* a *dwerg* nanus.

W. & V. permutantur.
Exempla vide in V.

X.

Habent Saxones antiqui crebro, Franci & Alam. raro, Gothi nunquam. Apud omnes mutatur in Literas e quibus componitur, cujusmodi ſunt CS. CHS. GS. KS.

ἀξίνη ſecuris Angloſax. *æxe* & *æcſe.*
rixian & *riciſian* regnare, eadem Dial.
αὔξω creſco, Germani & omnes veteres imitantur in *wachſen*, Saxones fidelius in *weaxan.*
oxa Saxonice bos, Goth. *auhs*, Franc. *ohſo*, hodie *ochs.*
ſenex Goth. *ſineigs.*
Arphaxad Goth. *Arfakſad* Luc. III. 36.
Alexander Goth. *Alaikſandrau* Marc. XV. 21.
ἀξίνη Belgis *ackſe.*

X.

Quatenus eſt litera compoſita, per aphæreſin mutatur in S. per apocopen in CH. & K. per metatheſin in SC. & SCH. Qua in re ſimilis eſt elemento PS. & Z. Exempla vide in Sect. IV.

X.

Belgis peculiare eſt, Saxonicum X. mutare in SS. Inde *oſs* bos, *waſſen* creſcere.

X. & Z. permutantur.
Exempla vide in Z.

Y.

Apud Saxones antiquos ſæpe occurrit, apud Francos & Alam. raro, apud Gothos nunquam, niſi in vocibus peregrinis, cujusmodi eſt *ſynagoga.* Græcis interdum eſt conſona, valens *vau*, Germanis ſemper vocalis. Et hactenus cum omnibus vocalibus & diphthongis permutari poteſt. Vide plura de hac litera Sect. II. §. II.

Z.

Angloſaxones non utuntur niſi in vocibus externis, quales ſunt *Zacharias* & *Elizabeth*; Gothi vero, Franci, & Alamanni in domeſticis; illi parcius, hi intemperantius. Ubi tamen obſervandum, quod Gothi hoc elemento nunquam utantur in iisdem vocibus ut Franci & Alamanni, ſed plerumque in aliis, & a Francico & Alamannico idiomate alienis: quales ſunt, *izwis* vos, *hazjan* laudare, *marzjan* ſcandalizare, *razn* domus, *huzd* theſaurus

rus &c. Et quod Franci & Alamanni Gothorum & Saxonum T. continuo convertant in Z. id quod cuivis vel librum aperienti manifeſtum eſſe poteſt. Hæc una litera, ſi nulla præterea argumenta ſupereſſent (ſuperſunt autem quam plurima), ſatis oſtenderet, conjecturam eorum, qui interpretem CODICIS ARGENTEI hominem FRANCUM fuiſſe volunt, minime opinabilem eſſe.

Z.

Proprie non eſt una litera, ſed duplex, ex DS. vel TS. compoſita. Atque ob hanc duplicitatem affinitate jungitur cum tribus literis e quibus componitur, & conſequenter in ſingulas converti poteſt, & ſingulæ in illam.

Z.

Quatenus eſt litera ex DS. vel TS. compoſita, mutatur in S. per aphæreſin, in D. & T. per apocopen, in ST. per metatheſin. Qua in re ſimile eſt elementis X. & PS. Exempla vide in Sect. IV.

Z.

Obit omnes mutationes, quas literæ e quibus componitur, obire ſolent. Hinc cognoſcimus, quod Z. converti poſſit in SS. & in omnes gutturales, perinde ut D. & T.

Z.

Mutari poteſt in SCH. & X. ob communionem ſibili, & literarum D. & T. in gutturales conſuetum tranſitum.

Z. & C. permutantur.

cingo a ζωννύω. *zinnober* a *cinnabarи*.

Z. & CH. permutantur.

erz ab ἀρχὴ. *ſtechen* a στίζω pungere.

Z. & D. permutantur.

diabolus Alam. *zabel.* *zwerg* nanus, alia Dial. *dwerg.* *ſcheiden* dividere, Gr. σχίζω.

Z. & K. permutantur.

Exempla vide in K.

Z. & Q. permutantur.

zwele & *quele* manutergium. *quer* & *zwerch* oblique. mulier Francis *quena*, Sorabis *zona.*

Z. & S. permutantur.

ziſchen ſibilare, Græc. σίζω. *ſidere* potus coctus a ζύθος.
zerren trahere, Græc. σύρω. *geis* capra Franc. *geis.*
ſee mare a ζέω ferveo.

Z. & SCH. permutantur.

ziſchen ſibilare, Græc. σίζω. *zettul* a *ſchedula.*

Z. & SS. permutantur.

maſſa a μάζα. *meſſen* metiri, Franc. & Alaman. *mezzan.*
muſſo a μύζω.
laſſen ſinere, Franc. & Alam. *lazzan.* *nezen* humectare a *naſs* humidus.

Z. mutatur in ST. & vice verſa.

zin a Celtico *ystain*, vel Latino *ſtannum.* *leſter* lanio a *lezen* ſcindere, ſecare.
zack cuſpis a *ſtechen* pungere. *moraſt* palus a Francico *mraz.*
palaſt palatium a Francico *palaz.*

Z. & T. permutantur.

Germ. *zitz* mamilla a τιτθὸς.
bret affer a πρίζω ſeco.
ziegel later, a *tegula*.
Belg. *ſitten* ſedere, ab ἵζω vel ἵζομαι.
ſetten ponere, ab ἕζω.
Goth. *witan* ſcire, Francis *wizzen*.
giutan fundere, Franc. *giezen*.
Angloſax. *etan* edere, Franc. *ezzan*.
hætan jubere, Franc. *heizan*.

Et ſic in aliis multis, & pene innumeris, ubi Gothi & Saxones habent T. ibi Franci & Alamanni Z. adeo ut hæc differentia, ſi non perpetua (pauca enim excipiuntur), oppido tamen frequens ſit, & ubivis obvia.

Z. & X. permutantur.

rixari ab ἐρίζειν. *kreuz* a *crux*. *bliz* fulgur, trans mare Balticum *blix*.

Hiſce puto me omnia, aut certe potiora *permutationum genera*, quæ GERMANICÆ LINGUÆ, tam veteri, quam novæ, familiaria ſunt, abſolviſſe, & nonſolum exemplis, ſed etiam rationibus (quod a nemine huc usque tentatum) probaſſe. Qui hiſce & ſimilibus non habent aures aſſuetas, ad opus Etymologicum prorſus ſunt inidonei, & nec de aliorum inventis recte judicare, nec aliquid de origine vocum, quod vel hilum valeat, ipſi proferre poſſunt. Nam aut ſenſum perverſum voci affingunt ex alia voce, quæ ſono tantum cognata, & metu mutationis in nugas incidunt pueriles: aut literas minime convertibiles permutant, & quodvis ex quovis exſculpunt, quod merito exploditur & ridetur ab omnibus. Sed & hi riſones ſæpe præter rationem rident, dum omnem literarum permutationem in luſum & jocum vertunt, quod eſt hominis vel ſtolidi vel iniqui.

Nihil autem refert, una vel plures mutationes in eadem voce occurrant. Quamvis enim felicior ſit etymologia, quæ paucis, impeditior, quæ multis indiget; univerſe tamen numerus mutationum lege quadam definiri nec poteſt nec debet. Quemadmodum enim vulgus non patitur ſibi modum aut numerum præſcribi in depravandis vocibus: ita omnis vox totidem modis ſummo jure reſtituitur, quot modis a vulgo depravata eſt, ſi alia lege non poſſit. Quicquid hic opus eſt, id liberum eſſe debet cuivis, qui rationes verborum reddere conatur. Menſura juris eſt neceſſitas. Quid quæſo certius, quam vulgus formaſſe *biſchof* ab *epiſcopus*, & *bilgram* a *peregrinus*? Vide vero quot mutationibus opus fuerit in ſingulis, & annon fidem excederent, niſi eſſent manifeſtæ?

Biſchof ab *Epiſcopus*.

(1.) E. abjicitur.
(2.) P. mutatur in B.
(3.) SC. mutatur in SCH.
(4.) P. mutatur in F.
(5.) US. abjicitur.

Bilgram a *Peregrinus*.

(1.) P. mutatur in B.
(2.) E. mutatur in I.
(3.) R. mutatur in L.
(4.) E. abjicitur.
(5.) I. mutatur in A.
(6.) N. mutatur in M.
(7.) US. abjicitur.

SECTIO IV.

De transpositione, augmentatione & diminutione Literarum.

Præter *permutationem* multa accidunt Literis, dum coëunt in voces, si non æque gravia, certe æque violenta, quæ nisi probe observentur ab originum scrutatoribus, operam eorum eludunt. *Enim vero ut omnia humana* (verba sunt SKINNERI in fine Proleg.) *ita maxime omnium Linguæ in fluxu sunt, perpetuis mutationibus obnoxiæ, imo ausim dicere, nullum annum elabi, quin aliquid in singulis Linguis, Viris attentis, sed non nisi attentis, observabile varietur. Nec in Etymologia omnia concinna, accurata, methodica, & ad amussim exacta expectes: non enim Grammaticorum Senatus, non Sapientum concessus, quales hodie Academias vocant, Linguas in hanc, quam videmus faciem exsculpserunt, sed imperitum, insanum, &, quod nullis se unquam astringi regulis patitur, vulgus. Hic est ille immanis, & quovis Busiride & Nerone crudelior tyrannus, qui insontia vocabula tam miris & truculentis modis mutilavit, laniavit, excarnificavit, & centum equuleis torsit & distorsit, cui tamen, vel ipsis sapientibus, repugnare nefas est, quoniam huic & huic soli merum & plenum in Linguas imperium Natura concessit.* Hoc unum Sapienti a Natura & arte concessum est, ut cognitis tot cladium causis, singulas in genera dispescere, & voces iisdem modis, quibus afflictæ sunt, pristinæ integritati restituere possit.

Dispesci autem possunt in duas classes. Nam aut *ordo* turbatur in literis, & situs naturalis pervertitur: aut *numerus* præter rationem augetur vel minuitur. Ordinem pervertit *Metathesis* & *Anastrophe*, quamvis diversis modis: Numerum auget *Prosthesis* in capite, *Epenthesis* in medio, *Paragoge* in fine: Numerum minuit *Aphæresis* in capite, *Syncope* in medio, *Apocope* in fine. Et his fere casibus implicantur Literæ, quos memoriæ causa hisce versiculis complectimur vulgo:

PROSTHESIS *apponit capiti, quod* APHÆRESIS *aufert.*
SYNCOPE *de medio tollit, quod* EPENTHESIS *indit.*
Consona quod gemina in medio est, dat DIPLASIASMUS.
Aufert APOCOPE *finem, sed dat* PARAGOGE.
Dicitur e binis conflare SYNÆRESIS *unam.*
Dicitur in binas diffiare DIÆRESIS *unam.*
Litera si legitur transposita, METATHESIS *extat.*
Compositæ vocis dissectio TMESIS *habetur.*

Nos singulis exempla subjicere consultum duximus, incipiendo ab *anastrophe*, ut fides constet absentibus, & similiter afflictis, quæ passim in ipso Opere occurrent.

ANASTROPHE.

Per *anastrophen* intelligo reditum literarum, quomodo ex γάλα fit *lac*, ex *top pot* olla, alia ex aliis. JUNIUS in Gloss. Goth. pag. 142. multa huc refert Anglosaxonica, ut *deop* profundus a βύθιος, *lif* charus a φίλος, *lef* folium a φύλλον, *lim* membrum a μέλος, *mod* animus a θυμὸς. Quæ suis locis examinamus. Addere poterat, quod surdus Gothis est *baud*, Germanis *taub*. Hæc figura meretur notari, quia multas voces, Celtis & Germanis communes, quamvis valde dissonas, conciliat.

Dominus Gothis *fan*, Camb. *naf.*
Delictum Anglosax. *man*, Camb. *nam.*
Bonum Francis *od*, Camb. *da.*
Lima Germ. *feil*, Camb. *lif.*
Ren Camb. *aren*, Germ. *niere.*

Qui hæc & similia a scriptura retrograda orta existimant, haud dubie falluntur. Nam verba mutationes suas accipere solent, non a visu, sed ab auditu, & nullibi magis, quam inter Gentes literarum expertes. Hinc multa ex illis, quæ per anastrophen se mutuo producunt, usu literarum antiquiora sunt.

Præterea anaſtrophen patiuntur etiam literæ compoſitæ ψ. ξ. ζ. id eſt, PS. CS. TS. imo etiam σ. ſeu ST.

PS. mutatur in SP. Inde Germ. *ſpilen* a ψάλλειν, *ſpützen* a ψύττειν, *ſprōd* a ψωρώδης, *ſprat* ab ὄψιος.

ST. mutatur in TS. hoc eſt in Z. Ita a *ſtechen* pungere fit *zſtack*, *zack* cuſpis: a στρέφειν vertere *zſtirbel*, *zirbel* trochus: a *ſtopfen* obturare *zſapf*, *zapf* epiſtomium. Nec aliunde *zſinn*, *zinn* quam a Latino *ſtannum*, vel a Britannico *yſtaen*.

ξ. hoc eſt CS. mutatur in SC. Inde Latinis *aſcia* ab ἀξίνη: Germanis *ſcenke* hoſpitium a ξενιεῖον.

Z. hoc eſt TS. mutatur in ST. Ita a *lezen* ſcindere fit *leſter* lanio, a *moraz* palus *moraſt*, a *taze* palma *taſten* palpare.

APHÆRESIS.

A. Lat. *Mulgeo* ab ἀμέλγω. *Munio* ab ἀμύνω. Germ. *mahen* defalcare ab ἀμᾶν.

B. Lat. *rugio* a βρυχάομαι.

C. Lat. *lena* a κλαῶνα. *Ildebertus* pro *Childebertus*, apud Iſidorum in Chron.

D. Lat. *ros* a δρόσος. Germ. *ropfen* evellere a δρέπειν.

E. Lat. *ructo* ab ἐρεύγω. Germ. *biſchof* ab *epiſcopus*.

G. Lat. *noſco* a γινώσκω.

H. quod ab antiquis præfigi ſolet literis L. N. R. W. ab hodiernis Germanis univerſe truncatur, & ſæpe magno etymologiæ detrimento. Similiter & ſpiritus aſper in vocibus Græcis ſæpe aufertur. Ita Lat. *orcus* ab ὄρκος. Germ. *as* monas ab ὡς unus.

I. Suec. *ook*, a *jocb* vel *jugum*. Germ. *neid* ab *invidia*.

K. Lat. *alapa* a κόλαφος, *aper* a κάπρος. Germ. *lenen* incumbere a κλίνειν, vel potius a *glin* genu: *lam* mancus a κλώμενος fractus: *nagen* rodere ab antiquiori *knagen*, quod Belgis familiare: *leiter* ſcala a *kletteren* ſcandere. Anglis *to nip* vellere a *knypen*: Belgis *rym* pruina a κρυμὸς gelu.

L. Germ. *otter* a *lutra*, SKINNERI judicio. Ital. *uscignuolo* a *luſcinia*.

M. Lat. *amulus* a μιμηλὸς, *imitari* a μιμέομαι. Camb. *anudon* perjurium a Sax. *manath*.

O. Lat. *dentes* ab ὀδόντες. Germ. *name* ab ὄνομα, *reis* ab ὀργεα.

P. Lat. *latus* a πλατὺς.

PH. Lat. *rana* a φρῦνος. Germ. *loh* flamma a φλέγω comburo.

S. Lat. *myrrha* a σμύρνη, *fungus* a σφόγγος, *tego* a στέγω. Germ. *ſaum* a *ſpuma*, *ſelen* a σφάλλεσθαι.

T. Germ. *rocken* colus a τρόχος rota, *reiben* terere a τρίβειν.

W. Suec. *ulf* lupus, a *wolf*, & hoc a *wilwan* rapere. Ubi tamen cavendum, ne omnia Septemtrionalium vocabula, in quibus W. initiale deficit, huc referantur. Nam in examine ſingulorum patebit, Germanicum W. plerumque eſſe a proſtheſi, & a Septemtrionalibus jure meritoque omitti.

Aphæreſin quoque patiuntur literæ compoſitæ, ξ. ζ. ψ. id eſt, CS. TS. PS. dum prima abjecta altera tantum ſervatur. Inde *ſtreiner* ab *extraneus*. *Salm* a *pſalmus*. *See* mare a ζέω æſtuo.

Interdum integræ ſyllabæ auferuntur. Inde Latinis *luna* a σελήνη. Gallis *oncle* ab *avunculus*. Italis *fucina* ab *officina*. Angloſax. *ſtor*, *ſtar* ab *hiſtoria*. Germ. *ſpital* ab *hoſpitale*, *pflaſter* ab ἔμπλαστρον, *Hans* a *Johannes*, & ſimilia innumera.

APOCOPE.

Fines vocabulorum, a Græcis vel Latinis acceptorum, ſolent Germani vel ſervare, ſi ſuis ſimiles ſint, ut *Kaiſer* a *Cæſar*, *Prieſter* a *Presbyter*: vel mutare & linguæ ſuæ accommodare, ut *küſter* a *cuſtos*: vel penitus præcidere, ut *biſchof* ab *epiſcopus*, *heid* ab *atheus*. Ita etiam Latinis *mel* a μέλι, *leo* a λέων, *haut* ab ἅτε, alia ab aliis.

Quidam Germanici idiomatis populi talia audent in domeſticis vocibus. Inde Germ. *bider* a *biderber* utilis, Anglis *holy* ab *heilig* ſanctus, *hony* ab *honig* mel. Scandis *hæra* pro *hæren* portare, *blaſa* ſufflare pro *blaſen*. Et ſic ubique literam N. omnibus antiquis uſitatam, ab exitu verborum eliminant.

Huic

Huic mutationi etiam obnoxiæ ſunt literæ Græcorum compoſitæ, Ψ. Ξ. Z. id eſt, PS. KS. TS. dum prima aſſumitur, altera abjicitur. Inde Angloſaxonibus *punian* conterere a ψάειν. Germanis *bret* a πρίζω ſeco, *jucken* a ξυεῖν ſcalpere, *locker* a *laxus*. Ubique expulſo S.

Interdum integræ partes compoſitorum auferuntur. Inde *tanne* abies, pro *tannebaum* arbor ignis. *Wind* vertagus, pro *windhund* canis odorator. *Teer* axungia, pro *teer-ſchmer* unguentum axis. *Schlot* caminus, pro *rauch-ſchlot* lapis fumarius. Et horum mutilatorum numerus eſt haud exiguus.

EPENTHESIS.

B. Lat. *dubium* a *duo*, *bibo* a πίω, *ambio* ab *am* & *eo*. Gall. *trembler* a *tremere*.

C. Lat. *ſpecus* a σπέος.

CH. Germ. *niebt* non a *niet*: *wicht* aliquid a *quid*: *furcht* a *faren* timere: *ſchachtel* capſa a *ſcatola*: *fracht* onus a *fretten* gravare, *forſchen* a *verſare*. Belgis *kracht* robur a κρατὸς. Et talia ſunt permulta, a Græcis oriunda, quæ dum originem per epentheſin gutturalis occultant, oculos inquirentium fallunt, ut falſa cunabula pro veris ampleƈtantur.

CHW. Germ. *ſchweigen* tacere a σιγᾶν: *ſchwitzen* a *ſudare*: *ſchwein* a σύνος: *ſchweſter* a *ſiſter*.

D. Lat. *bidens* a *biennis*: *redire* pro reire, *redamare* pro reamare, *redarguere* pro rearguere. Cunƈta apud MACROBIUM Lib. VI. Saturn. cap. ult. Addi poteſt *medulla* a μυελὸς, & plura alia. Ita Germanis *beſudlen* a *beſulen* conſpurcare: *dulden* a *dolen* pati. Inprimis vero utuntur hac epentheſi, quoties N. quod naturaliter attrahit D. præcedit. Exempla vide in Seƈt. III.

F. Germ. *zweifel* pro *zweiel* dubium, a *zwei* anceps: *halfter* pro *halter* capiſtrum: *darfen* pro *darren* audere: *büffel* a *bu* & *el* bos peregrinus: *klafter* a *clatbri*. Anglis *ſwift* celer ab A.S. *ſwith*. Et hac Epentheſi nullibi frequentius & intemperantius utimur, quam ubi præcedit P. quod in ore Germanico naturaliter attrahit F. Sic a porta fecimus *pforte*, a poſtis *pfoſte*, a parochia *pfarr*, a pavo *pfau*, a papa *pfaf*, a palus *pfal*, a pepones *pfeben*, a piper *pfeffer*, a pila *pfeiler*, a planta *pflantze*, a perſicum *pferſich*, a pluma *pflaum*, a pondo *pfund*, a πόδες *pfoten*, alia ab aliis.

G. Lat. *largus* a λαῦρος, *gigno* a *geno*. Germ. *endigen* pro *enden* finire, *nötigen* pro *nöten* cogere, *beveſtigen* pro *beveſten* firmare, *zergen* pro *zerren* trahere. Et huc etiam ſpeƈtant voces, in quibus G. attrahitur ab N. quod nonſolum in fine, ſed etiam in medio fieri ſolet. Vide Seƈtionem præcedentem.

H. antiquum. Francis *drubtin* pro *drutin* dominus: *mahal* pro *mal* curia. Longobardis *pahis* & *pahais* a παῖς puer, famulus, & inde *marpahis* & *marpahais* ſtrator regius.

H. hodiernum. Innumeris vocibus inſeritur, ubi minime neceſſarium. De abuſu hujus literæ in medio vocis vide plura in Seƈtione præcedenti.

L. Lat. *halo* ab ἄω ſpiro, *ſterilis* a στέρω. Germ. *firmlen* pro *firmen* confirmare, *ſchüttlen* pro *ſchütten* quatere, concutere, *ſtolpern* pro *ſtübberen* cæſpitare. Et fortaſſe etiam *fliehen* & *fliegen* a φεύγειν vel fugere.

M. Lat. *almus* ab *alo*. Francis *ſambazdag* pro *ſabbatdag* dies ſabbati. Germ. *klump* maſſa a *klebben* adhærere, *ſtampfen* pro *ſtapfen* calcare, *trampen* pro *trappen* calcare, *wimpel* pro *wippel* velum antennæ, *wimperen* pro *wipperen* niƈtare oculis. Belg. *pampier* pro *papier*.

N. Lat. *frango* a *frago*, *tango* a θίγω, *pango* a πήγω, *lingo* a λείχω, *magnus* a μέγας. Cambris *hynt* ab ὁδὸς iter, via. Francis *ſund* pro *ſud* meridies. Germ. *leichnam* a *licham* cadaver, *ſeint* a *ſeit* abhinc, *glantzen* a *glitzen* ſplendere, *wanken* a *wacken* nutare, *ſchlingen* a *ſchlucken* glutire, & alia innumera. Gallis *cingler* a *ſeglen* plenis velis navigare. Anglis *punger* a *pagurus*. Belg. *ſpanſeeren* a *ſpatiari*.

NG. Germ. *hengſt* pro *beſt* caballus. Belg. *dingsdag* pro *disdag* dies martis.

O. Alam. *Chonodomarius* pro *Gondomarus*.

P. ſæpe attrahitur ab M. in medio vocis. Ita *damp* & *dampf* vapor a θύμα: *kempen* & *kempfen* pugnare, a *kam* manus.

R. Lat. *flagro* a Φλέγω. *Proſerpina* a περσεφόνη. *Tergus* a *tegus*. *Tartari* a *Tatari*. Germ. *garſtig* a *gaſtig*, *fordern* a *fodern*.

S. Lat. *menſis* a μήν. Gall. *uſtencile* ab *utenſile*. Germ. *gerſte* a Belgico *gort* vel Gr. κριθή hordeum, *fleiſch* ab antiquiori *flec* & *leik* caro.

T. Lat. *plecto* a πλέκω, *dubito* a *dubium*. Germ. *beſtig* pro *beſig* gravis, *leuſtig* pro *leuſig* currens, *waren* & *warten* reſpicere. Confer D.

V. Lat. *ævum* ab αἰών, *lævis* a λεῖος, *navis* a ναῦς.

W. Angloſax. *gearwian* parare pro *garen*, *ſwæt* dulcis pro *ſöt*. Germ. *zwibel* a *cepula*, *quappe* a *gobio*, *zwicken* a *zucken*. Hæc inſertio reperitur in vocibus innumeris, & creberrime in iis, quæ ab S. vel SCH. incipiunt. Quod ideo notandum, quia haud impune negligitur in ſcrutinio originum.

METATHESIS.

Latini habent *anas* a νῆσσα, *cancer* a κάρκινος, *caro* a κρέας, *forma* a μορφή, *ſpecio* a σκέπτω, *lædo* a δηλέω, *inula* herba ab ἑλένιον, alia ab aliis.

Apud Germanos quatuor inprimis literæ ſunt, cæteris mobiliores, L. N. R. S. quæ neſcio qua vulgi inconſtantia e loco nativo continuo trajiciuntur in alium, proximum & remotum, anticum & poſticum.

L. Germ. *kolb* clava a *kloppen* pulſare, percutere: *beul* tumor ex verbere a *bleuwen* verberare: *ſchleier* peplum a Succico *skyla* tegere, nubere, velare: *ſpalten*, *ſpleiſſen*, *ſplyten*, in Dialectis promiſcue uſurpantur pro findere: *ſchwefel* eſt a *ſulphur*, & *beuteln* a *plodere*. Belgis *gulzig* guloſus a *glutio*. Anglis *almond* ab *amygdalum*.

N. Angloſaxonibus *cennan* & *cnawan*, Anglis *ken* & *know* eſt noſſe. Imo etiam Francis. Hinc OTFRIDO admodum familiare eſt dicere *irknaen* pro *irkennan* agnoſcere, *irknata* pro *irkanta* agnoſcebat, *irknatin* pro *irkantin* cognoſcerent. Vide Lib. IV. Cap. V. 31. 52. Lib. V. Cap. VII. 89. 110. Cap. IX. 22. 37. *Tonn* & *und* Cambris & Francis idem ſignificant, nempe undam. Unum ex altero transpoſitum eſt. *Uns* & *nos* ſe mutuo producunt per metatheſin. *Schneiden* eſt a *ſcindere*, *knütten* a *nectere*, *ſchmirkel* a *cornu*, *ſchwank* a *ſchnaken*, & hoc a *nugari*.

R. tam crebro transponitur, ut exemplorum multitudine pene obruamur. Angloſaxonibus *græs* & *gærs* eſt gramen, *wyrhta* & *wyrhta* opifex, *threſcan* & *therſcan* batuere. Belgis *driede* & *derde* tertius. Germanis *bernen* & *brennen* urere, ardere, *berſten* & *breſten* rumpi, *born* & *brun* puteus, *bert* & *brecht* clarus, *durſtig* & *dryſtig* audax. Islandi dicunt *Girkia* pro *Græcia*, & qui Veſpaſiani ævo dicti ſunt *Tongri*, poſtea vocantur *Toringi*. Itali faciunt *vipiſtrello* a *veſpertilio*, Hiſpani *milagro* a *miraculum*, nos *operment* ab *auripigmentum*, *traube* a *botrus*, *dreck* a *ſtercus*, alia ab aliis. Idem elementum, ſi Dialectos invicem contendas, quæ Germanico ſermone utuntur, in continuo eſt trajectu. Ita ſpatium temporis pro diverſitate idiomatum dicitur *fyrſt* & *friſt*, rana *froſch* & *vorſch*, timère *fürchten* & *vruchten*. Exempla Græca qui deſiderat, adeat SKINNERI Prolegomena.

S. Angloſaxonibus fraxinus promiſcue dicitur *æſc* & *acſe*, tremulus *æſpe* & *æps*. Iisdem *acſian* eſt interrogare, dum Franci dicunt *eiſcon*. Utrum rectius dicatur, difficilis eſt inveſtigandi cura, nec tamen infructuoſa. Multa enim, quæ ab initio erant obſcura, poſtea, mutato hujus literæ ſitu, intelliguntur. Talia ſunt *haſpel* rota, *beſpe* fibula, *knoſp* gemma, ut in ipſo Lexico oſtendi.

De literis compoſitis earumque inverſione, vide *anaſtrophen*.

Ad *metatheſin* referri etiam poſſunt præpoſteri ordinis compoſita, cujusmodi ſunt apud Græcos, φιλόσοφος ſapientiæ ſtudioſus, διανιδάμων ſpiritus metuens, μισογάμος oſor conjugii, ἐπιχαιρέκακος alienis malis lætior factus, apud Gallos *coupe-gorge* ſpelunca latronum, *port-enſeigne* ſignifer, & ſimilia. Quæ compoſitionis ratio, etiamſi a genio linguæ Germanicæ abhorreat, habet tamen exempla in vetuſto & hodierno ſermone. Talis eſt vox Angloſaxonica *werewulf* lycanthropos, homo in lupum mutatus: Alamannica *runzabel* pythonilla, runa diaboli: Islandica *brigdmali* violatio promiſſi: Germanica

manica *truchſeſs* dapifer, *feyrabend* otium veſpertinum, *tagfart* dies cauſæ condictus, *reuw-kauf* emenda pro pœnitentia ſeu mutatione voluntatis in cauſa contractus, *beifuſs* artemiſia: Anglica *gavelkind* partitio bonorum inter liberos, &c.

PARAGOGE.

Sicut Græca a Latinis augentur in fine, ut *decem* a δέκα, *ſeptem* ab ἑπτα &c. Ita Celtica a Germanis.

Camb. *cun* dominus, Angloſax. *cyng*, *cynig*, *cyning* rex, a dominio.
Camb. *ffraw* pulcher, Franc. *fron*.
Camb. *brawd* frater, Germ, *bruder*.
Camb. *gardd* hortus, Germ. *garten*.
Camb. *cwn* canis, Germ. *hund*.
Camb. *garan* grus, Germ. *kranich*.

Et ſic paſſim in aliis quoque Celtarum vocibus aliquid addimus in fine, dum Cambri contraria figura utuntur in noſtris. Idemque in vocibus Græcis facere ſolemus. Ita a γῆ terra fit *gew* pagus, a χωρίον fundus *grund*.

Interdum idem audemus in domeſticis. Sic vulgo dicimus *trunkenbold* pro *trunkenboll* ebrium caput, *weichbild* pro *weichbill* jus civitatis, *gelb* pro *gel* flavus, *mürb* pro *mar* mollis.

Inprimis vero S. & Z. in exitu vocum præter ullam rationem & ex mera ſibilandi libidine a multis adjiciuntur. Inde Gothis *dags* pro *dag* dies, *hlaibs* pro *hlaib* panis, *dauths* pro *dauth* mortuus, *gods* pro *god* bonus, &c. Germanis ſuperioribus *ſaltz* pro *ſalt* ſal, *hertz* pro *hert* cor, *boltz* pro *bolt* ſagitta, *ſpeltz* pro *ſpelt* far, & alia innumera.

Alii amant labiales in fine, & præcipue W. & WE. quod fæpe inutile augmentum eſt. Inde Angloſax. *mealewe* pro *meal* farina, *ſmerwe* pro *ſmer* adeps.

Nec omittendi ſunt *ü* qui gutturalibus delectantur in fine. Inde Cambris *merch* pro *mare* virgo, *march* pro *mar* equus: Germanis *walch* pro *wale* peregrinus, *molch* pro *mol* ſtellio.

PROSTHESIS.

B. Germ. *breidel* habena a Græc. ῥυτὴρ: *bunt* verſicolor ab ἄνθος flos: *bleich* albus & albicans a λευκὸς.

C. Lat. *cura* ab ὤρα.

D. Lat. *dignus* ab ἄξιος. Gothis *driuſan* cadere, a ſimpliciori *riſen*, *reiſen*, quo reliquæ Dialecti utuntur. Germanis *dwalen* a *wallen* errare.

E. præfigere vocibus Latinis & Germanicis ab S. incipientibus, admodum familiare eſt Gallis.

F. Lat. *fas* jus ab ὁσία juſtitia. Angloſax. *from* fortis a *ram* validus. Belg. *flauw* tepidus a *lauw*. Apud Germanos abundat in *fleiſch* caro, *fleis* induſtria, *flanke* latus, *flor* area, *flechten* mentagra, aliisque, ut in ſingulis oſtendi. Notum eſt, Æoles eadem licentia uti in vocibus Atticis.

G. Lat. *Gracus* a φαῖκος, *gnatus* pro *natus*, *gnavus* pro *navus*. Gallis *grenouille* a *ranuncula*. Germ. *geifer* ab ἀφρὸς, *gicht* dolor ab ἄχθος. Angl. *glad* a *lætus*.

G. in Linguis Occidentis continuo præfigitur Latinis & Germanicis vocibus a V. & W. incipientibus. Inde Cambris *gwynt* a *wind* ventus, *gwyllt* a *wild* ferus, *gwerth* a *wert* pretium. Gallis *guespe* a *veſpa*, *guet* a *wacht* excubiæ. Italis *guaſtare* a *vaſtare*, *guardare* a *warten*. Hiſpanis *guindar* a *winden*, *guiſa* a *weiſe*.

H. Lat. *haurio* ab ἀρύω, *haut* ab ὄτε, *humerus* ab ὦμος. Francis *ero* & *hero* prior, *erdu* & *herdu* terra, *ubil* & *hubil* malum. Germ. *hören* ab *ohr* auris, *hitze* ab αἴθος, vel *eiten* urere, *heide* ab ἄθεος, *hußten* tuſſis ab ὠχέω impello.

H. quoties præfigitur vocibus ab L. N. R. W. incipientibus, quod fieri ſolet a Gothis, Angloſaxonibus, Francis, Alamannis, & Islandis ſæpiſſime, non ſemper eſt litera radicalis, ſed interdum augmentum initiale tantum. Examen ſingulorum non eſt hujus loci.

I. raro occurrit. Extat tamen apud Gothos *iup* ſurſum pro *up*, & apud Willeramum

mum *ifol* pro *fol* plenus. Habent etiam Itali *iſnello* pro *ſnello*. Et Geldris *iſala* pro *Sala* eſt. Confer Y.

Jod. Germ. *jagen* ab ἄγειν, Suec. *jord* ab *erd* terra.

K. Angloſax. *clypian* vocare a *llef* vox. Belgis *keuſchen* mundare ab *aſche* aqua, *kladden* maculare a *litu*. Germ. *krupen* a *repere*, *kuſs* ab *os*, *kwell* a *well*.

L. Angloſax. *læc* medicus ab ἀκέομαι ſano: Germ. *lamm* agnus ab ἄμνος. Utrumque ex conjectura JUNII. Addi poteſt *lugen* cernere ab *aug* oculus.

LL. duplicatur a Cambris ab initio vocis, neſcio qua de cauſa.

M. Lat. *Mars* ab ἄρης. Germ. *maſt* arbor navis ab ἱστὸν.

N. Gall. *nombrill* ab *umbilicus*. Andegavienſes dicere *nance* pro *anſe* ab *anſa*, MENAGIUS obſervat. Apud Germanos rarius occurrit. Dicimus tamen vulgo *nöſſel* pro *öſſel*, menſura liquidi.

P. Germ. *pfui* a *fy*, *pfingſten* a *fünfzigſten* quinquageſimus, *pflock* paxillus a *flicken* findere.

Q. Germ. *qwelle* a *welle*, *qwalm* a *walm* vapor, *qwerl* a *wirren* vertere. Island. *queda* ab ἄδειν canere.

S. Lat. *ſum* ab εἰμὶ, *ſcribo* a γράφω, *ſaltus* ab ἅλδος. Germ. *ſal* ab αὐλὴ, *ſalben* ab ἀλείφειν, *ſitzen* ab ἵζειν. Angl. *ſcratch* a *kratzen* ſcabere, *ſneeze* a *nieſſen* ſternutare. Hiſp. *ſombra* ab *umbra*.

SC. SK. Angloſax. *ſcathe* noxa ab ἄτη, *ſcearpan* ſcindere ab ἅρπη falx. Francis *ſcurgen* impellere ab *urgere*.

SCH. Germ. *ſchnur* a *nurus*, *ſchleim* a λῦμα, *ſchmieren* a μυρῶν, *ſchmelzen* a μιλδὼν, *ſchroten* a *rotare*.

SCHW. SW. Angloſax. *ſwalan* inflammare ab *ala* flamma. Francis *ſuangar* prægnans ab ἔγκυος. Gothis *ſwart* niger a Celtico *arddu*.

T. Lat. *tædeo* ab ἀδέω.

V. Lat. *vinum* ab οἶνος, *venter* ab ἔντερον, *veſper* ab ἕσπερος, *ver* ab ἔαρ.

W. præfigitur alienis. Inde *werk* opus ab ἔργον, *waſſer* aqua ab ὕδωρ, *wetter* ſtatus aëris ab αὐθήρ, *wider* vervex ab ἐθρὶς, *wale* peregrinus ab ἄλλος vel *el* alienus, *weibe* facer ab ἅγιος, *waren* cuſtodire ab ὠρῶν, *welken* marceſcere ab ἐλίκομαι, *weſen* ab *eſſe* vel ἔσεσθαι, *wegen* ab ἄγειν, *wiſſen* ab ἴστημι, *wittern* ab *odorare*, & ſimilia innumera.

W. præfigitur domeſticis. Inde *wan* nota defectus ab *anen* carere, privare, *würze* olera ab *urte* herba, *wirren* implicare ab *irren* impedire. In Dialectis *rechen* & *wreken* ulciſci, *recken* & *wrecken* pellere, *ringen* & *wringen* luctari, *reiben* & *wryven* fricare, promiſcue uſurpantur.

Y. incœptivum apud Cambros, præcipue in vocibus exteris. Inde *ysgrin* a *ſcrinium*: *ysgub* a *ſcopa*: *ysſtrad* a *ſtratum*: *ysſpodol* a *ſpathula*: *ysper* a *ſper* haſta: *ysſtang* a *ſtang* pertica: *ysſtol* a *ſtul* ſedile: *ysſtorm* a *ſturm* procella.

Ad *Proſthefin* quoque ſpectant quædam compoſita, in quibus articulus cum nomine coaleſcit. Cujusmodi ſunt, quæ JUNIUS congeſſit in Gloſſ. Goth. pag. 63.

Auca vel *ocha* ex ὁ χὴν vel χᾶν Dorico.
Anas ex ἡ νῆσσα vel νᾶσσα, item Dorico.
Temetum ex τὸ μέθυ.
Obliquus ex ὁ πλάγιος.
Doſinus color, teſte Iſidoro dictus eſt quod ſit color quaſi *de aſino*.
Ebur, tanquam *e barro*.
Oſiris, quibusdam olim, teſte Plutarcho in Iſide & Oſiride, putabatur dictus quaſi ὁ σῆριος ſol.
Tigala dicitur ſaccharum in Conſtantinopolitanis pigmentariorum officinis, ex τὸ γάλα, tanquam ſit lac concretum.
Olibanum iisdem officinis eſt thus, ex ὁ λίβανος thus.

Huc usque Junius. Eodem vitio laborant *Almanach*, *Alcoran*, *Alkali*, dum articulus Arabicus *al* cum voce conjungitur.

SYNCO-

SYNCOPE.

B. Lat. *ſuſpicio* a *ſub* & *ſpecio*. Gall. *geot* carcer a *gabiola*. Germ. *han* ab *haben* habere. In Jure prov. Alam. paſſim occurrit *git* & *geit* pro *gibet* dat.

C. Gall. *fruit* a *fructus*. Ital. *ſaramento* a *ſacramentum*. Angl. *pie* a *pica*. Germ. *benedeyen* & *maledeyen* a *benedicere* & *maledicere*.

CH. Lat. *aranea* ab ἀράχνη. Germ. *ſollen* debere a *ſchollen*. Suec. *ratt* a *recht* jus, *natt* a *nacht* nox.

D. Belg. *weer* a *wider* vervex. Germ. *erenbold* pro *erendbold* miniſter publicus. Gall. *rire* a *ridere*, *envie* ab *invidia*, *obeir* ab *obedire*, *cruel* a *crudelis*, & ſimilia innumera, neſcio quo caſu a MENAGIO in Principiis artis Etymologicæ præterita. Angl. *ail* morbus ab Angloſax. *adel*, & hoc ab ἀθλέω laboro, judice SKINNERO. In nom. prop. *Cloio* uſurpatur pro *Clodio*.

F. Angl. *head* caput ab Angloſax. *heafod*, *hafde*, niſi forte ſit a Græc. κεφὴ, mutato K. in H.

G. Gall. *geant* a *gigas*, *gigantis*, *fuir* a *fugere*. Angl. *fair* a *feger* pulcher, quod Angloſaxonicum. Germ. *beicht* a *begicht* confeſſio, *mad* & *maid* pro *magd* ancilla, & fortaſſe etiam *man* pro *magen* papaver. In Jure prov. Alam. paſſim occurrit *lit* pro *liget* jacet, *treit* pro *tregit* portat, *ſait* pro *ſagit* dicit. Eadem litera in nominibus propriis antiquorum ſæpe eliditur. Inde *Meroveus* pro *Merovigus*, *Chlodoveus* pro *Chlodovigus*.

H. Angl. *draw* a *traho*. Belg. *zien* ab antiquiori *ſehen* videre.

K. Germ. *ſteil* acclivis a *ſtickel*.

L. Belg. *koud* pro *kalt* frigidus, *ſchout* pro *ſchultz* prætor, *goud* pro *gold* aurum, *ſchouder* pro *ſchulter* humerus, *houden* pro *halten* tenere, & ſimilia innumera. Syncopen omnibus Dialectis communem vide in *vogel* avis.

M. Angl. *to lap* a *lambo*. Belg. *duffig* mucidus, ſitu corruptus a *dumpfig*. Germ. *duft* exhalatio a *dampfen* exhalare.

N. Lat. *cieo* a κινέω, *grus* a γέρανος, *trado* a *transdo*. Ital. *iſola* ab *inſula*. Hiſp. *meſa* a *menſa*. Germ. *muſter* a *monſtrando*, *eller* ab *alnus*, *eifel* ab *inſula*, *elf* ab *einlif*, *verdüſtert* turgidus a *dunſen* tumere. Hoc genus eliſionis in nullo frequentius idiomate occurrit quam Angloſaxonico. Inde *cuth* pro *kund* notus, *muth* pro *mund* os, *toth* pro *tand* dens, *ſoft* pro *ſanft* mollis, *us* pro *uns* nos, *ure* & *uſſer* pro *unſer* noſter, & alia innumera. In nominibus propriis occurrit *Godemarus* pro *Gondomarus*.

P. Gall. *ſur* a *ſuper*. Ital. *contare* a *computare*. Germ. *ſchaum* a *ſpuma*.

R. Lat. *lectus* a λέκτρον, *artus* ab ἄρθρον. Ital. *peſca* a *perſica*. Gall. *valet* a *varlet*, & hoc a *vernula*. Angloſax. *ſpæcan* a *ſpræcan* loqui.

S. Germ. *blum* & *blosm* flos.

T. Gall. *vie* a *vita*, *naif* a *nativus*. Belg. *ſchroyen* a *ſchroten* præcidere. Suec. *halla* ab *halten* tenere.

V. Gall. *paon* a *pavo*. Belg. *koye* a *cavea*.

W. Angl. *ſore* gravis a *ſwer*. Germ. *dolen* pro *dwalen* errare.

Interdum una ſyncope plures literæ & integræ ſyllabæ auferuntur. Ita Lat. *prudens* a *providus*. Hiſp. *don* a *dominus*. Ital. *dito* a *digitus*. Gall. *dortoir* a *dormitorium*, *deſir* a *deſiderium*, *peril* a *periculum*. Angl. *lord* a *hlaford*. Germ. *Maynтz* a *Moguntia*, *Pfingſten* a *fünfzigſten*.

Et huc etiam ſpectant voces ex duabus in unam contractæ, ut *juglans* ex *jovis glans*, *peſſum* ex *poſis ſum*, *junker* ex *junger herr*, *drauſſen* ex *dar auſſen*, *Bamberg* a *Papenberg*.

SECTIO V.

De Literis & Particulis præpositivis.

Vidimus hactenus fata Literarum, & varios earum casus in quibuscunque vocibus. Nunc, ut Literam consideremus, quatenus *vox* est, instituti series postulat. Sæpe enim *Literas* compositis præfigimus, & frequentissime antiqui, non temere aut sine causa, ut fieri solet in Prosthesi, sed cum aliqua significandi potestate.

Eodem fine præfigimus etiam *Particulas*. Et ab his præfixis, sive *literis*, sive *particulis*, sæpe verus compositorum sensus pendet unice, adeo ut virtutibus earum (variæ autem sunt & multiplices) ignoratis, necesse sit, ipsa composita ignorari.

Talia cum sint innumera, operæ pretium erat, parandis parata quædam substernere, & toti ædificio præstruere, ne postea animo pluribus intento minor esset ad singula sensus. Et hoc labore nunc eo libentius defungar, cum ut habeam, quo Lectorem in progressu Operis remittam, & Lector habeat, quo recurrat, tum ut repetitiones (quarum alias nullus modus ac numerus fuisset) jure præcludi possent.

Olim *Particulæ* erant quasi metu sacræ, adeo ut nemo illas adtingere, nec ordine explicare ausus esset. Nunc autem omnes (opinor) intelligent, & fortasse cum voluptate, quanta sit in illis virtus & sapientia.

A.

Duplex est, positivum, & negativum seu privativum.

A. positivum.

Auget significatum in compositis. Inde Gothis *astath* fundamentum Luc. I. 4. a *statten* ponere, statuere, collocare. Anglosaxonibus *aberian* denudare, *abiteran* acerbare, *acoren* electus, *adilgean* destruere. Francis & Alamannis *abahon* pervertere, quod est a *bah* tergum, *auueraf* abjectio &c. Ita Græcis ἄξυλος lignosus.

Hæc particula, quæ olim latissime regnavit in Dialectis, præcipue Saxonica, hodie ab omnibus vocabulis exulat, excepto *arg* pravus, quod contraximus ex *arug*, perversus.

A. privativum.

Tollit aut minuit sensum in compositis.

Græcis ἄσοφος insipiens, ἀδύνατος impotens.
Gothis *abaks* columba Luc. III. 22. a *bak* hamus, quia non habet ungues adunco s, quibus prædam arripiat.
Anglosax. *a-menne* hominibus nudus.
Francis *ateilo* exsors, non-particeps.
Alamannis *achust* vitium, quasi privatio virtutis, a *chust* virtus.
Longobardis *amund* liber a tutela.
Germ. *ameisse* formica, sic dicta a *musse* otium, quasi minime otiosa.

Septemtrionales pro A. utuntur O. & U. quia vocales inter se permutantur.
Inde Suecis *olyk* dissimilis, *ofrom* improbus.
Danis *u-fund* infalubris, *u-wis* incertus.
Islandis *o-heilagur* profanus, *u-rikr* pauper.

AB.

Adverb. latissimæ significationis, quod Gothis effertur *af*, Anglosax. *of*, Francis & Alam. *ab, aba, apa*, Græcis ἀπὸ, ὑπὸ, Latinis *ab*.

AB, adverb. ordinis, significans ultimum terminum rei. Inde *abthun* finire, abolere, tollere e medio, perimere, *abwarten* præstolari exitum rei, *abrede* conventio ultima.
AB, adverb. loci inferioris. Inde *abwerts* deorsum, *abhangig* declivis, *absteigen* descendere, *abfallen* decidere.
AB, adverb. loci remoti. Inde *abwesend* absens, *abgelegen* longinquus.

AB,

AB, adverb. motus de loco, *abtritt* abſceſſus, *abzug* migratio, *zum abzug blaſen* receptui canere.

AB, adverb. ſimilitudinis, idem ſignificans, quod Latinis *ſecundum*, Gallis *d'aprez*. Viget in compoſitis *abbilden*, *abdrucken*, *abformen*, *abgieſſen*, *abmalen*, *abſchreiben*, *abzeichnen*, & ſimilibus, quæ nihil aliud ſignificant, quam effingere, exprimere, aut deſcribere aliquid figuris, coloribus, lineis, literis, ad ſimilitudinem alterius rei, quæ vocatur *exemplar*, cujusmodi eſt quævis ſpecies ad imitandum propoſita, ſive naturalis ſit ſive artificialis.

AB, adverb. intendendi, ſignificatum augens in compoſitis. Hujusmodi ſunt, *abbitte* deprecatio, *ablaſs* remiſſio, *abſcheu* averſio, *abtrünnig* deſertor, *abgemüdet* delaſſatus, & alia innumera.

AB, adverb. remittendi, *abkommen* obſoleſcere, *abſtehen* deſiſtere.

AB, adverb. ſeparandi. Viget in verbis *abbrechen*, *abhauwen*, *abſchneiden*, aliisque quam plurimis noti ſignificatus.

AB, adverb. negandi, ejusdem valoris ut *un*. Exempla ſunt, *abgott* deaſter, *abgunſt* invidia, *abgrund* abyſſus, *abgeſchmack* inſipidus, *abbold* malevolus, infenſus, quam minime favens.

AB, adverb. privandi & removendi: *abdecken* tollere tegumentum, *abſchaumen* deſpumare, *abſchaffen* abolere, exauctorare, *abbringen* abrogare.

AB, nota defectus. Inde *abarten* degenerare, *abnemen* decreſcere, decrementum capere, *abweg* ambages, declinatio a via recta &c.

AN.

Gothi, Franci & Alamanni in quibusdam compoſitis habent *ana*, Angloſaxones *on*.

AN, adverb. ordinis, notans originem & principium rei. Hoc ſenſu regnat in compoſitis *anherr* & *anfrauw* avus & avia, qui ſunt quaſi principes originis, unde cæteris vivendi initium: nec non in *antritt* exordium, *anfang* principium, *ankunft* primordium, *anheben* ordiri, initium capere, *anſtimmen* præludere, præcinere, *anbeiſſen* prægustare &c.

AN, adverb. copulæ: *anbinden* alligare, *anleimen* adglutinare, *annaglen* affigere, *anſetzen*, *anmachen* coagmentare, *angeboren* connatus, innatus, *angenommen* adoptatus, *anhang* appendix.

AN, adverb. intenſionis: *anreitzen* allicere, *anrichten* ordinare, *anzeigen* demonſtrare, *anhalten* detinere, *angenem* gratus, acceptus.

AN, adverb. loci, notans motum ad locum: *anlauffen* incurrere, allidere, *anblicken* intueri, *anbeten* adorare, *anlachen* arridere, *anblaſen* afflare, *anbieten* offerre.

AN, adverb. loci, notans motum in loco: *anſchreiben* annotare, *antreffen* offendere in loco vel via, *anhalten* inſtare, inſiſtere, urgere, *anbrennen* amburere.

AN, adverb. temporis: *anſtand* mora, procraſtinatio, *ich ſtehe an* hæreo, *die ſache anſtehen laſſen* protelare rem vel cauſam & tempori relinquere. Et huc etiam ſpectat *annoch* adhuc.

AN, adverb. qualitatis: *anſtandig* decens, *unanſtandig* indecens.

AN, interdum eſt negandi vel privandi particula, prorſus ut *un*, de quo poſtea. Inde Cambris *anhwyl* invaletudo, a *bwyl* valetudo, *anhun ἀύπνία*, inſomnia, ab *hun* ſomnus, *anwir* mendacium, minus verum, a *gwir* verum. Confer *anlot* immunis. Huc etiam referri poteſt ANLANT extorris, cognomen cujusdam Ducis Auſtriæ, terra privati, apud R. PEZIUM in Script. Auſt. in Chron. Salisburg. nec non Ducatus ANHALT, quem multi ab inopia ligni ſic dictum putant.

ANT.

Gothis & Angloſax. *and*, Francis & Alam. *ant*, ſignificat *contra*, *adverſus*, plane ut Græcis *ἀντὶ*.

Hoc ſenſu occurrit in *antlitz* facies, a *litan* reſpicere ſic dicta, nec non in *antwort* reſponſum. Quid enim eſt facies, niſi ſpecula humani corporis, radios ſuos in objecta undique ſpargens, dicente etiam PLAUTO: *adſpice contra me*. Et reſponſum quid eſt, niſi contralocutio, ſive ſermo qui regeritur alloquenti?

AUF.

Gothis, Francis & Alam. *uf*, Angloſax. *up*, Belg. *op*, Island. *off*. Adverb. latiſſimæ ſignificationis.

AUF, adverb. ordinis, ſignificans ortum & initium rei. Hinc *aufgeben* oriri, *aufkommen* in morem venire, *aufbringen* introducere conſuetudinem, *aufziehen*, *auferziehen* educare a teneris.

AUF, adverb. ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Inde *aufeſſen*, *auffreſſen* totum conſumere & devorare, nihil, unde alii famem levare poſſint, relicto, *aufreiben* penitus attenuare ad internecionem usque.

AUF, adverb. qualitatis: *auffeyn* valere, bene vel male.

AUF, adverb. intenſionis: *aufgeben* dedere, *aufheuſſen* cumulare, *aufhalten* detinere, *aufſpannen* intendere, *auffaben*, *auffangen* intercipere, *aufmerken* attendere, *auflöſen* ſolvere, *aufopfern* immolare, *aufwecken* expergefacere, & alia innumera.

AUF, adverb. temporis: *aufſchub* dilatio, *aufwarten* exſpectare ſi quid imperetur, *aufhalten* prorogare, differre in diem.

AUF, adverb. numeri, repetitionem ſignificans. Inde *aufſagen* recitare, quaſi denuo dicere.

AUF, adverb. loci, ſignificans motum in loco: *aufſchreiben*, *aufzeichnen*, annotare, referre in tabulas.

AUF, adverb. loci, ſignificans motum de loco. Hujusmodi eſt *aufbrechen* iter aggredi, diſcedere a loco.

AUF, adverb. loci, ſignificans *coram*, *præſto*. Inde *auffeyn vor tag* præſto eſſe ante lucem, *auffeyn die ganze nacht* pernoctare.

AUF, adverb. loci, ſignificans *deſuper*. Inde *aufgieſſen* ſuperfundere, *aufladen*, *aufſetzen* imponere, *aufligen* incumbere.

AUF, adverb. loci, ſignificans *ſurſum*. Inde *aufwerts* ſurſum verſus, *aufſteigen* adſcendere, *aufhauen* exſtruere, *aufſtehen* ſurgere, ſurſum erigi, *auffliegen* volare ſurſum de terra, *aufheben* levare, tollere in altum, *aufhenken* ſuſpendere, *aufblaſen* ſufflare, ſuſcitare inflando, *auffüren* excitare e fundamento.

AUF, adverb. privandi & removendi. Inde *aufdecken* detegere, tollere tegumentum, *aufbinden* ſolvere ligamenta.

AUF, adverb. aperiendi. Inde *aufthun*, *aufmachen* aperire, *aufbrechen* effringere, *aufgraben* effodere. Huc etiam referri poſſunt, *aufhauwen*, *aufſchneiden*, & alia vulgo nota.

AUF, adverb. congregandi. Talia ſunt, *aufblaſen* ſignum dare ad pugnam, *aufſpilen* ſignum dare ad tripudium.

AUF, adverb. defectus. Inde *aufhören* deſinere, ceſſare ab agendo, *aufgeben* deficere, quod dicitur de defectu refidui in numeris. Nota formula arithmeticorum, *zwei von zwei gehe auf*.

AUF, adverb. exceſſus. Inde *aufgelt* uſura, pecunia quæ ſummam creditam vel permutandam excedit, *aufmutzen* exaggerare, *auffchlagen* ingraveſcere, quod dicitur de annona, quando pretium ejus immodice augetur.

AUF, in quibusdam compoſitis plures admittit ſignificatus, quos facile inveniet attenti. Idemque ſtatuendum de particulis *ab*, *an*, *aus* &c. quæ univerſe tantum valent, quantum poſſunt.

AUS.

Adverb. latiſſimæ ſignificationis, quod Gothis effertur *us*, *ut*, *uta*, Angloſax. *ut*, Francis & Alam. *uz*, Angl. *out*, Belg. *uyt*, Lat. *ex*, Gr. ἐξ.

AUS, adverb. locale, quod præſentiam in loco excludit: *ausſchlieſſen* excludere, *ausbleiben* abeſſe, non comparere, proprie ſupereſſe, ſed non coram, nec in loco.

AUS, adverb. locale, quod motum de loco includit: *ausgehen* exire, egredi, *ausfallen* decidere, item erumpere, & excurſionem e loco facere, *ausfliegen* evolare, *ausflieſſen* emanare, *ausgieſſen* effundere, *ausfüren* educere, *ausſenden* emittere, *austreiben*, *ausſtoſſen* expellere.

AUS,

AUS, adverb. locale, significans *foris* vel *extra*, sed citra motum. Hujusmodi est *auslander* peregrinus, externus.

AUS, adverb. locale, significans *funditus*, *radicitus*. Inde *austilgen* exscindere, *ausrotten* exterminare, *ausjatten* eruncare.

AUS, adverb. ordinis, significans ortum & initium rei: *ausschlagen* progerminare, *ausdenken*, *ausgrüblen* excogitare.

AUS, adverb. ordinis, significans ultimum terminum rei: *auswüten*, *ausrasen* desævire, *ausmachen* perficere, perducere ad finem, *ausreden* sermonem absolvere, *ausschlaffen* dormire ad satietatem, *ausfauffen*, *austrinken* ebibere, exhaurire, more palatino, ne gutta supersit, *ausbauwen* absolvere ædificium, *ausseyn* perire, finiri, ad nihilum redigi, *es ist aus mit ihm* conclamatum est de illo, *das spil ist aus* scena finita est, *ausgedient* emeritus.

AUS, adverb. intensionis, augens significatum: *ausbreiten* extendere, *auslöschen* exstinguere, *ausspahen* explorare, *auserlesen*, *auserwehlt* eximius, egregius, præ cæteris electus.

AUS, adverb. qualitatis, significans *palam*. Inde *ausruffen* proclamare, *ausschreiben* literis publicis indicere, *ausbringen* divulgare, *aussprengen* spargere in vulgus, *auslegen* venale exponere.

AUS, adverb. qualitatis, significans *extra*, non ratione loci, sed ratione præstantiæ, quo sensu vulgo dicimus *extra-fein*, *extra-schön* &c. quando aliquid e sorte communi excipimus. Inde *ausbund* præstantissimum in suo genere, *überaus gelert* excellenter doctus.

AUS, adverb. segregandi: *auslesen* eligere, *ausschiessen* selectum facere, *ausnemen* excipere, *ausmustern* reprobare.

AUS, adverb. removendi: *austhun* expungere, *ausstreichen* delere.

AUS, adverb. privandi: *ausmergeln* emacerare, *ausweiden* eviscerare.

B.

Interdum absolute ponitur pro *be*, ut *bleiben* pro *beleiben* manere, *erbarmen* pro *er-be-armen* misereri. Idemque accidit quoque in aliis præfixis, & præsertim in præfixo G. Quicquid horum est, ex vitio est, & contractione vulgi, ut in singulis ostendi.

BE.

Gothis *bi*, Anglosax. *be*, Francis & Alam. *bi*, *pi*, Belg. *be*.

Olim fuit præpositio & adverbium; hodie est adverbium tantum, & extra compositionem insolens.

Græcis ἐπὶ valet *in*, *cum*, *juxta*, *super*, *ad*.

Gothis *bi* significat *in*, *pro*, *contra*, *per*, *circum*.

KERONI Alamannorum interpreti *pi* notat *pro*, *secus*, *propter*.

Hodie *be*, quod in locum τῦ *bi* successit, vix unum vel alterum ejus retinet significatum. Extant tamen verba, in quibus videtur hæc quatuor denotare, (1.) *juxta*, *secus*, (2.) *circum*, (3.) *ad*, (4.) *in*.

Exemplum primi generis est *begleiten* comitari.

Exempla secundi generis sunt, *beschneiden* amputare, circumcidere, *berennen*, *belagern* cingere copiis, cingere obsidione, *bescheinen* circumfulgere, *begürten* præcingere, *beflecken* circumdare sudibus, *bewinden* circumligare.

Exempla tertii generis sunt, *beruffen* advocare, *berüren* adtingere, *besprengen* adspergere, *besuchen* adire.

Exempla quarti generis sunt, *begraben* infodere terræ, *beschweren* incantare, *beseben*, *beschtigen* inspicere.

In reliquis videtur significatum intendere, cujusmodi sunt, *bedecken*, *bedencken*, *behalten*, *befestigen*, *bedienen*, & similibus noti significatus.

BE.

Interdum est particula privans. Gloss. Keron. privati *piteilte*, privetur *piteilit si*. Puta a *teilen* partiri, per exclusivam *pi*. Sic etiam Anglosaxonibus *bedæled* est expers,

i. e. non particeps, deſtitutus, excluſus, a privativo *be*. Et hoc ſenſu videtur etiamnum occurrere in verbo *bevorteilen* defraudare, commodum & lucrum alteri detrahendo.

DURCH.

Vide Gloſſarium.

E.

Duplex eſt, negativum & intenſivum, prorſus ut *A*. Prius in adjectivo *emſig* aſſiduus: poſterius in ſubſtantivo *eber* porcus ſylveſtris. Utramque vocem dabit Gloſſarium.

EIN.

Omnes Antiqui habent *in*. Significatus plerumque eſt localis & æquipollens Latino *in*, *intus*, *intro*, cum motu in loco conjunctus, ut patet ex compoſitis, *einſchreiben* referre in librum vel catalogum, *einblaſen* inſpirare, *eingraben* inſculpere, & aliis ſine numero.

In aliis ſignificat locum ambientem, & explicatur per *circum* vel *intra*. Hujus generis ſunt, *einfaſſen* circumdare, *einſchrenken* intra limites cohercere.

EIN.

Sæpe idem eſt quod *una*, *ſimul*, *conjunctim*, & in compoſitione idem valet quod Latinis *con*. Inde *einbellig* conſonans & conſonanter, *einſtimmen* conſonare, conſentire. Et alia ſine numero.

EIN.

Alamannis ſæpe idem ſignificat quod *ob*, *contra*, *adverſus*, prorſus ut Græcis ἀνὰ, in formula ἀνὰ ποταμὸν πλέειν adverſus flumen navigare. Gloſſ. Keron. obſtinatus *einſtritter*, contumax *einſtreiter*, zelotypus *einsueller*. Gloſſ. R. Mauri: pertinax *einuuillig*. In quibus *ein* explicatur per *gegen* & *wider*, quatenus *contra* ſignificant. Et hujus indolis ſunt etiam hodierna, *einrede* interpellatio, *einſpruch* oblocutio, *einwenden* obvertere, objicere &c.

EIN.

Interdum idem valet quod *un*. Gloſſ. Keron. abſurdum *eingilih*, alium *einlibban*. Id eſt, diſſimilem. Hodie dicimus *ungleich*. Talis enim eſt tam alius quam abſurdus, & ſic appellari poteſt, quo magis ab identitate & ſimilitudine recedit. Hoc ſenſu *ein* etiamnum perennat in *einfalt* ſimplex & ſimplicitas. Nam *ſimplex* non eſt unius, ſed nullius plicæ homo, & ideo ſic dicitur Latinis quaſi *ſiniplex*, absque plica, non a *ſemel*, quaſi *ſemel plicatus*. Ita *ſimplus* non eſt *ſemel - plus*, ſed *ſine - plus*.

EM.

Videtur profectum a Græc. ἐν, quod in compoſitis ſæpe mutatur in ἐμ: quomodo etiam Latinis *in* & *im* ſæpe permutantur.

Servit autem motui ad locum. Inde *empor* ſurſum, in editum, verſus altum, *empören* inſurgere contra magiſtratum.

EMP.

Eſt a Græc. ἐμ, quod ſæpe intendit ſignificatum in compoſitis. Et talia quoque ſunt apud nos *empfaben* accipere, *empfinden* ſentire, *empfelben* commendare. Litera P. attrahitur a labiali M. ut dixi in Sect. III.

ENT.

Gothis *and*, *anda*, Angloſax. *at*, *ed*, *and*, Francis & Alam. *ant*, *ent*, *int*, *an*, *in*, Belg. *ont*. Extra compoſitionem nullum, in compoſitis varium & ampliſſimum habet ſignificatum.

ENT, contra, Gr. ἀντὶ, *entſagen* renúnciare, contradicere.

ENT, in, Gr. ἐν, *entzwei* in duo, *entgegen* in contrarium.

ENT, ad, cum motu in loco, *entzünden* inflammare, accendere.

ENT, ab, cum motu de loco, *entſchütten* excutere, *entfliehen* aufugere, *entführen* abducere, *entweichen* excedere &c. In quibus *ent* convenit cum Lat. *inde*.

ENT,

ENT, ab, cum motu retractivo, *entziehen* ſubtrahere, *enthalten* abſtinere, h. e. ita tenere & cohibere animum, ut ſimul retrahatur a placitis.

ENT, ab, absque motu, *entlegen* remotus, procul inde ſitus.

ENT, adverb. ordinis, ſignificans ortum & principium rei, fontium & fluminum in *entſpringen*, arborum & plantarum in *entſprieſſen*, aliarum rerum in *entſtehen*.

ENT, adverb. ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Huc ſpectat *entſchlaffen* diem ſupremum obire.

ENT, adverb. numeri, ſignificans *rurſus*. Inde *entlonen* remunerari, retribuere, Angloſax. *ed-leanian*, forte a Græc. ἀϑις iterum.

ENT, adverbium intendendi, ſignificatum augens in compoſitis. Hujusmodi ſunt, *enteſchlieſſen* decernere, *entſcheiden* dirimere, *entblöſſen* denudare, *entbrennen* exardeſcere, *entfremden* alienare, *entfernen* abſentare, removere.

ENT, adverb. privativum. Sic *entrüſten*, *entehren*, *entwaffnen*, *entkleiden*, *enterben*, *entleiben*, *enthaubten*, nihil aliud ſignificant, quam privare aliquem tranquillitate, honore, armis, veſtimentis, hæreditate, vita, capite. Quibus addi poſſunt, *entwönen* deſueſcere, a conſuetudine abducere, *entſpanen* ablactare, privare ubere. Hæc particula oritur ab *anen* privare, facere ut careat.

ENT, adverb. remittendi, *enthinden* ſolvere ligamenta.

ENT, interdum idem eſt quod *los* liber, ſolutus. Inde *entlaſſen* dimittere e nexu, *entſetzen* liberare obſidione.

ENZEN.

Non eſt mera terminatio, ſed ex ſubſtantivis & adjectivis facit verba moralia & imitativa, ob cauſas in Gloſſario memoratas.

ER.

Particula Francis & Alam. propria, & per omnes vocales, *ar*, *er*, *ir*, *or*, *ur*, audita, variæ & latiſſimæ ſignificationis in compoſitis. Interdum utuntur anaſtrophe, dicendo *re* & *ri*, pro *er* & *ir*.

Olim erat præpoſitio, ſignificans *ex*. Gloſſ. Keron. ex *er*, ex alio *er indremu*, ex hoc *er diu*, ex illo *er einemu*, ex lege *er euu* &c. Scriptores Islandici dicunt *or*. VEREL. in Ind. pag. 115. *or helju heimta* e faucibus mortis eripere. Hodie non amplius eſt præpoſitio, ſed adverbium præpoſitivum tantum.

ER, adverb. locale, ſignificans *ſuper*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *ar* ſuper. Inde ARMORICA regio maritima, vel ſupra-marina, a *mor* mare. ARELATE urbs ſupra paludes, vel Rhodano impoſita, a *llaid* cœnum, vel *llaith* humidum. Hoc ſenſu etiamnum dicimus, *erſteigen*, i. e. *überſteigen* tranſcendere. Poſtea ab elevatione locali ad res omnes, quæ ſubſtratum habere videntur, transferri cœpit. Inde *erleben*, i. e. *überleben* ſupervivere, vivendo ſuperare, *ſich erheben*, i. e. *ſich überheben* efferre ſe ſuper alios.

ER, adverb. ordinis, ſignificans initium rei: *erbauen* exſtruere e fundamento, *erziehen* educare a teneris.

ER, adverb. ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Huc referri debent *erſtechen*, *erſchlagen*, ita percutere atque ita fodere, ut mors inde ſequatur: & quædam mentis actiones, cujusmodi ſunt, *ergründen* perſcrutari, *erſchöpfen* exhaurire cogitando.

ER, adverb. intendendi, ſenſum reddens fortiorem, ut ἄρι apud Græcos. Ad hanc claſſem ſpectant, *erhalten* ſervare, *erretten*, *erlöſen* liberare, *erquicken* reficere, *ergeben* dedere, *ergreiffen* arripere, *ernähren* ſuſtentare, *erkennen* cognoſcere, & alia ſine numero.

ER, adverb. ſegregandi. Patet ex compoſitis, *erleſen*, *erwehlen*, *erkieſen* eligere, legere ex multis.

ER, adverb. privandi. Inde *erblöden* timorem exuere, *ſich erblöden* audere. Cum hac particula convenit Latina *re* in verbis *recludere*, *revelare*, i. e. clauſum aperire, velatum manifeſtare.

ER, adverb. aperiendi, ejusd. qualitatis ut *auf*. Hinc promiſcue dicimus *erbrechen* & *aufbrechen* effringere, aperire rumpendo.

ERZ.

ERZ.

Vide Gloſſarium.

FUR, *für.*

Vide Gloſſarium.

G.

Sæpe abſolute ponitur pro *ge*, ut B. pro *be*. Talia ſunt, *gleis* pro *ge-leis* orbita, *gnad* pro *ge-nad* gratia, *glid* pro *ge-lid* membrum, *glimpf* pro *ge-limpf* æquitas, *gleich* pro *ge-leich* ſimilis, *glauben* pro *ge-lauben* credere, *gönnen* pro *ge-unnen* favere, *begleiten* pro *be-ge-leiten* comitari. Similia reperiuntur apud priſcos. Ita Francis *girron* pro *ge-irron* errare, *irkoboron* pro *ir-ke-oboron* conſequi, adipiſci. Latinis *cogo* pro *coago*.

GE.

Gothis *ga*, Angloſax. *ge*, Francis & Alam. *ga, ge, gi, ka, ke, ki, cha, che, chi*. Linguæ Septemtrionales carent. Belgæ nobiſcum utuntur *ge*.

GE, adverb. locale, ſignificans *prope*. Inde Gothis *gavaznans* vicini, a *razn* domus. Angloſax. *gebure* vicinus, a *bur* colonus vel habitaculum. Germanis *gelegen* prope ſitus, a *ligen* jacere, *gelangen* pertingere, a *langen* tangere.

GE, adverb. aggregandi, ſignificans *una, ſimul, pariter*. Inde *geſtleben* adſentiri, una ſentire, *gebellen* conſonare, una ſonare, *geleiten* comitari, una ducere. Ita etiam Gothis *gaquiman* convenire, una venire, *gawithan* conjugare, una jugare. Cum hac particula convenit Latina *co* in verbis *co-eo*, *co-apto* &c.

GE, aggregat ſpecies rerum ſub uno genere, & tunc eſt ſignum & medium faciendi collectiva. Inde *geſtirn* aſtra, *gebeine* oſſa, *geſtreuch* dumetum, *geſchmeiſs* inſecta, *gewürm* reptilia, *getraide* frumentum, *gebürge* montana, *geſchmeide* fabrilia, *gefilde* campeſtria, *getränke* ſorbilia &c.

GE, nominibus ſociorum præpoſitum ſignificat participem ejus rei cui præfigitur. Exempla vetera & nova vide in *geſell* ſocius.

GE, eſt nota præteriti in verbis: ſed infinitivo præfixum, plerumque inutile ornamentum eſt, & ſignum nihil ſignificans, niſi quod aliquando videtur ſenſum augere.

GE, in reliquis vocabulis eſt particula plerumque otioſa, principem tenens locum ornatus potius quam officii cauſa, utpote quæ ſalvo & integro ſenſu abeſſe & adeſſe poteſt, cum in illis nec præpoſitio ſit, nec adverbium, nec ullam orationis partem conſtituat, & antiquitate magis quam utilitate ſe commendet.

I. Y.

Augmentum initiale apud Francos, ſed parum frequens. Extat tamen *iſol* pro *ſol* apud WILLERAMVM Merulæ Cap. V. 2. *min hoſvet is iſol douwes*, caput meum plenum eſt rore. Cambri Germanicas voces plerumque augent incœptivo *y*. Talia ſunt, *yſper* haſta, *yſtang* pertica, *yſtol* ſella, *yſtorm* tempeſtas.

In Lingua hodierna uſus hujus præfixi exiguus eſt, quamvis non nullus. Dicimus enim vulgo *y-doch* pro *doch* veruntamen, attamen. Et huc fortaſſe etiam ſpectat *y-bel* pro *bal* malum. Utrinque ſenſus dictionis intenditur.

IN.

Alias præpoſitio eſt, quæ in omnibus derivatis intimum rei ſignificat, ut patet ex derivatis *innen* intus, *inner* intra, internus. Quando vero officio fungitur præfixi, tunc eſt vel adverb. *loci interioris*, vel adverb. *intenſionis*, ſenſum reddens validiorem. Ad priorem claſſem ſpectat *inwendig* introverſus: ad poſteriorem, *inſtandig* inſtanter, *ingedenk* memor, *inhalten* ſiſtere, ſtare facere curſum vel motum rei.

K.

Interdum idem eſt quod G. vel *Ge* in compoſitis. Inde *klug* pro *ge-lug* prudens, perſpicax, a *lugen* videre: *knix* pro *ge-nix* genuflexio, a *neigen* inclinare: & fortaſſe etiam *kwelle* pro *ge-welle* fons. Quidam huc etiam referunt *kringel* pro *ge-ringel* ſpira.

MISS.

MISS.

Gothis effertur *miſſa*, Angloſax. *miſ*, *miſſen*, Francis & Alam. *miſſi*, Gallis *mes*, Italis & Latino-Barbaris *miſ*.

MISS, adverb. privandi. Inde *miſlingen* ſucceſſu privari, *miſpreiſen* vituperare, contemnere, laudem detrahere. Galli eodem ſenſu dicunt *mespriſer*, a *preiſen* laudare.

MISS, adverb. qualitatis, inprimis *defectus*, *erroris*, & *prævitatis*.

MISS, defectum rebus, quibuscum jungitur, communicat. Inde *miſgönnen* invidere, non favere, *miſiſallen* diſplicere, non placere, *miſtrauwen* diffidentia & diffidere, a defectu fiduciæ, *miſtibellig* diſcors, a defectu concordiæ vel conſonantiæ, ut dixi in *hallen* ſonare.

MISS, errorem rebus, quibuscum jungitur, communicat. Inde Islandis *mismale* lapſus linguæ, Germanis *miſtgeburt* monſtrum, fœtus naturæ erroneus, *miſverſtand* error in ſenſu vel intellectu.

MISS, pravitatem actionibus, quibuscum jungitur, communicat. Inde Latino-Barbaris *miſfacere* pro delinquere; Germanis *miſſetat* delictum, malum factum, *miſbrauchen* abuti, male uti; Italis *miſfatto* maleficium; Gallis *mesdiſant* maledicus, *meſchant* malus, improbus, quaſi *mes-agent* male agens, interprete FERRARIO.

NACH.

Vide Gloſſarium.

OB.

Senſum intendit in compoſitis. Inde *obacht* obſervantia, *obbut* cuſtodia, *obſiegen* vincere. Reliquos ſignificatus vide in Gloſſario.

OR.

In compoſitis Angloſaxonicis plerumque eſt ſignum privationis. Inde *or-dale* expers, *or-mete* immenſus, *or-mod* deſperatus, *or-wurthe* ignominia.

In aliis compoſitis ſignificationem habet inchoativam: & tunc frequentius dicitur *ur*, quod vide.

RE, RI.

Idem quod *er* & *ir*, per anaſtrophen. Gloſſ. Lipſ. *ribaridos* denudaſti, *rebarnuſſi* revelatione. Id eſt, *irbaridos* & *erbarnuſſi*, ab intenſivo *er*, & *baren* denudare, manifeſtare. Hodie non amplius occurrit.

UM.

Vide Gloſſarium.

UN.

Particula latiſſime regnans, Gothis, Angloſax. Francis & Alam. *un*, Belgis *on*, Cambris *an*, Septemtrionalibus *o.* & *u.* Græcis *ἀ* & *ὐ*, Latinis *in* & *im.* Præfigitur ſubſtantivis & adjectivis. In illis varium admittit ſignificatum, in his unum tantum.

UN, ſubſtantivis præfixum, ſignificat defectum. Sic impotentia a privatione virium dicitur *unmacht*, & ignominia a privatione honoris *unehre*.

UN, ſubſtantivis præfixum, ſignificat exceſſum. Gloſſ. Keron. nimis *unmez*. Eodem ſenſu intemperantia hodieque dicitur *unmaſſe*, utique a nimio, quod menſuram excedit.

UN, ſubſtantivis præfixum, vim habet negandi. Inde *unchriſt* non-chriſtianus, alienus a Chriſto, *ungunſt* non-favor, malevolentia, *unmuſſe* non-otium, occupatio, *unzeit* tempus intempeſtivum, & alia innumera; in quibus aliqua etiam ſenſum privativum admittunt.

UN, ſubſtantivis præfixum, ſignificat pravitatem naturæ. Talia ſunt, *unmenſch* homo immanis, *unart* prava indoles, *unkraut* mala herba, *unthier* mala beſtia, *unſtatte* locus malus, & tranſeunti nocivus.

UN, ſubſtantivis præfixum, ſignificat vitium in agendo. Inde *unthat* ſcelus, factum flagitioſum.

UN, ſubſtantivis præfixum, ſenſum intendit. Hinc caſus extraordinarius, ſed triſtis & fatalis vocatur *unfall*, & quisquiliæ *ungeniſt*.

UN, adjectivis præfixum, semper negandi vim habet. Inde *unſterblich* immortalis, *unwürdig* indignus, & alia sine numero.

UNTER.

Vide Glossarium.

UR.

Gothi, Franci & Alamanni habent *ur*, Saxones *or*. Significatus suos accipit, partim ab *ar* principium, partim ab *er* ex, partim a *vor* ante, coram.

UR, adverb. ordinis, significans principatum in existendo & operando. Inde *urweſen* essentia primitiva, *urbild* archetypus, imago primitiva, *uranen* proavi, genitores avorum, *urbau* rudera, fragmenta ruinarum, sic dicta, quod novo ædificio præstruantur. Et huc etiam spectat ex Glossis Boxhornianis: *uruuerchman* artifices. Nam artifex est operis sui princeps & primus auctor. Hodie *urwerckmann* commode dici posset de VERBO, per quod omnia facta sunt.

UR, adverb. ordinis, significans ortum & initium rei. Inde Gothis *urruns* oriens, quasi cursus ab ortu, Germanis *urbeber* incœptor, auctor originis, *urſache* principium, causa originis, *urſprung* scaturigo, initium saliendi, vel saltus ab ortu.

UR, adverb. temporis, idem significans quod *vor* ante. Inde *urfriede* pristina amicitia, *urfede* pristina inimicitia.

UR, adverb. loci, idem significans quod *vor* coram. Talia sunt, *urgicht* confessio judicialis, quia coram judice facta, *urſal* traditio, quia coram testibus facta.

UR, abverb. loci, significans motum de loco. Inde Gothis *urrinnan* exire, *urrune* exitus e vita. Et huc videtur etiam referri posse e Lingua Francorum *urſtend* resurrectio, surrectio e sepulchro.

UR, adverb. intendendi, sensum reddens auctiorem, planè ut apud Græcos ἄρι. Inde Francis *urmari* percelebris, perquam famosus, *urdruzzig* pertæsus. Quæ, etiamsi hodie sint inusitata, non carent tamen similibus. Talia sunt, *uralt* pervetustus, valde antiquus, *urplötzlich* derepente, *urbietig* officiosus. Et huc etiam referri debent, *urkund* testimonium, a *kunden* notum facere, & *urlaub* venia, a *lauben* permittere.

UR, adverb. privandi, sed obsoletum. Gloss. Boxh. *urberzer* excors. Gloss. Lipſ. *urrebton* iniquitatibus. Gloss. Pez. spadonis *uruuires*. Gloss. Keron. exheredet *ererberbe*. SOMNER. in Dict. Anglosax. *or-dale* expers, *or-leabtre* inculpatus, *or-mate* immensus, *or-ſorgh* incuriosus, *or-truwian* diffidere. VERÉL. in Ind. *or-endur* sine spiritu, mortuus, *or-ſakr* extra culpam, *or-witi* amens &c. Confer *er*.

UR, in monumentis Francorum continuo permutatur cum *er*. Quod iis, qui verum verborum sensum assequi volunt, scitu maxime necessarium.

VER.

Gothis *far* & *fra*, Anglosax. *fra* & *for*, Francis & Alam. *far*, *fer*, *fir*, *fora*, *furi*, per omnes vocales, & sæpe etiam cum *Vau*. Particula inseparabilis, vario & multiplici significatu pollens in compositis, extra composita nullo.

VER, sensum intendit. Inde *vermehren* augere, *verbeſſern* emendare, *verharren* persistere, *verzagen* desperare, *verhindern* impedire, *verſpotten* illudere, *verordnen* disponere.

VER, sensum remittit: *verachten* contemnere, *verlernen* dediscere, *verzeihen* ignoscere, *verſchmerzen* dedolere, *vertoben* desævire. Et huc etiam spectat ex Versione Sacra Deut. XXVIII. 55. *vergönnen* invidere, non favere. Talia sunt apud priscos permulta in omnibus Dialectis. Ita Gothis *frakunnan* est contemnere, quod est quasi notitiam alicujus aversari: Alamannis *farhugan* spernere, non meminisse, *faruuanan* desperare, non sperare, *farchoraner* reprobus, non lectus nec probatus &c.

VER, nota erroris, in agendo vel dicendo. Hinc, quando lingua præcurrit mentem, id vulgo vocamus *verſprechen*, errorem calculi committere *verrechnen*, non satis sibi prospicere *verſehen*. Et tale quoque est Gallicum *fourvoyer* aberrare a via, quod MENAGIUS in Etymologico omisit.

VER,

VER, nota pravitatis, in actione vel oratione. Sic *verſprechen* aliquando eſt maledicere, obtrectare, & occurrit eo ſenſu in Sacris Literis Jud. IX. 23. Similia ſunt, *verwürken* delinquere, *verdenken* ſuſpicari, *verdacht* ſuſpicio criminis, *verraten* prodere, pravum conſilium dare, *verführen*, *verleiten* ſeducere, corrumpere, *verleumden* diffamare, h. e. ita vulgare, ut infamia inde exiſtat. In quibus idea mali particula *ver* pulcre exprimitur. Compoſita antiqua vide in *forlegani*.

VER, nota privationis: *vervorteilen* defraudare, commodo & lucro privare.

VER, nota negationis: *verſagen* recuſare, dicendo abnuere.

VER, nota deſtructionis: *vergehen* tabeſcere, *verweſen* interire, putreſcere, *verligen* ſitu corrumpi, *verderben* quocunque modo corrumpi.

VER, adverb. ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Inde *verblüben* defloreſcere, *verbluten* ſanguinem profundere usque ad ultimam guttam. Et huc etiam ſpectant verba diſſipandi & decoquendi bona ad ultimum usque obolum: ſcortando *verhuren*, comeſſando *verpraſſen*, *verſchlemmen*, *verſauffen*, ludendo *verſpilen*, quocunque modo *verthun*.

VER, adverb. eventus, ſignificans *fruſtra*. Hinc id, quod fruſtra datur vel impenditur, vocatur *vergebens*, *vergeblich*.

VER, adverb. eventus, ſignificans *proſpere*. Sic de homine, cui optime proſpectum eſt, dicere ſolemus *er iſt verſorget*, felicem curarum eventum hac particula indicantes.

VER, adverb. copulæ: *verſprechen* promittere, *vermalen*, *verheuraten* conjugare, connubio jungere.

VER, adverb. viciſſitudinis, ſignificans commutationem unius rei cum alia, veſtimentorum cum veſtimentis in *verkleiden*, domicilii cum domicilio in *verhauſen*, mercium cum pretio in *verkauffen*, uſus cum pretio in *verpachten*, *vermieten*.

VER, adverb. loci, ſignificans *trans*. Inde *verſetzen* transponere, translocare, *verpflanzen* transplantare.

VER, adverb. loci, ſono & ſignificatu conveniens cum Alamannico *fer* procul. Huc ſpectant, *verreiſen* proficiſci, *verweiſen* relegare, *verjagen* fugare, *vertreiben* expellere, profligare.

VOLL.

Vide Gloſſarium.

VOR.

Vide Gloſſarium.

WAN.

Vide Gloſſarium.

WEG.

Vide Gloſſarium.

Y. vide I.

ZER.

Apud Francos & Alam. decurrit per omnes pene vocales, & dicitur promiſcue *zar*, *zer*, *zir*, *zur*, ſed apud illos tantum. Nam reliqua veterum idiomata hanc particulam inſeparabilem, & ſe ſola nihil ſignificantem, ignorant. Saxones inferiores dicunt *ter*, Latino-Barbari per metathef. *tra* & *tri*. Inde *trabattere* pedibus conculcare, *tribattere* verberibus obruere. Illud a *pedden* calcare, hoc a *batten* cædere. Utrumque in Lege Salica.

ZER, adverb. intendendi, ſenſum reddens fortiorem. Gloſſ. Keron. ſcrutandi *zarſuabchane*. Gloſſ. Pez. temporalis *zurganglihiu*. Similia ſunt, *zernichten* annihilare, *zerteilen* dividere, & alia bene multa.

ZER, adverb. privandi, ſenſum remittens aut excludens. Gloſſ. Pez. tædere *zurluſtan*, faſtidioſus *zurluſthher*. Gloſſ. Schilt. *zurtriuue* perfidus. Hodie in nullo compoſito occurrit.

ZER, adverb. ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Gloſſ. Pez. occidendum *zirpizanne*. A *pizan* (*beiſſen*) cædere. Ejusdem indolis ſunt, *zerreiſſen*

dilacerare, *zerhacken* concidere, & alia permulta, quibus *zer* non diviſionis, ſed deſtructionis cauſa præponitur.

ZU.

Gothis *du*, Angloſax. *to*, Francis & Alamannis *za*, *ze*, *zi*, *zua*, *zuo*.

ZU, adverb. qualitatis, bonæ vel malæ. Inde *zuſtand* ſtatus, conditio bona vel mala, *zufall* caſus, bonus vel malus.

ZU, adverb. quantitatis. Inde *zunemen* creſcere, grandeſcere, capere augmentum, *zuſetzen* addere, adjicere, *zuwachs* accrementum.

ZU, adverb. exceſſus: *zuhoch* nimis altum, *zulang* nimis longum, *zuvil* nimium, nimis multum, *zuſpat* ſero nimis, *zuwarm* nimis calidum &c.

ZU, adverb. intenſionis, ut ζὰ apud Græcos. Hujus generis ſunt, *zubereiten* parare, præparare, *zulaſſen* concedere, *zuſchlieſſen* claudere, *zureden* inſtare verbis, *zuvor* ante, *zuwider* contra, adverſus, *zuſamen* conjunctim.

ZU, adverb. ordinis, ſignificans ultimum terminum rei. Hujusmodi eſt *zubringen* tranſigere, ducere tempus ad finem usque.

ZU, adverb. copulæ. Inde *zuſagen* promittere. Promiſſa enim moribus antiquis dabantur manu ſtipulata, id eſt, de manu ad manum. Forte etiam Latinis a preſſione pollicis dicitur *polliceri*.

ZU, ſignificat clauſum, ſicut *auf* apertum. Hinc vulgo dicimus, *die thür iſt zu* janua clauſa eſt, item *zuthun*, *zumachen* claudere, clauſum facere, *zufrieren* congelare, *zubeilen* vulnus hians ſanando jungere & cute obducere, *zudrucken* oculos comprimendo claudere, ſuos vel alienos, *zuſcharren* terra obruere.

SECTIO VI.

De literis & particulis terminantibus.

Quanta ſit literarum & particularum in *capite* vocum poteſtas, paulo ante oſtenſum. Nunc, quæ ſit earum virtus & uſus in *fine*, exponendum reſtat. Nam ab his minutiis pendet totum *originationis* negotium, adeo ut ſine illis nullum vocabulum (exceptis verbalibus, quæ nullius literæ nec particulæ interventu a verbis ſuis formantur) ab alio legitime derivari poſſit.

Quemadmodum autem multa ſunt *Præfixa*, quibus in componendo, ita multa ſunt *Subfixa*, quibus in derivando utimur. Si quæratur, unde ſit tanta particularum diverſitas, tantusque tam præcedentium quam ſubſequentium numerus? Reſpondeo: multitudinem & varietatem rerum & idearum peperiſſe multitudinem & varietatem particularum. Enim vero ſi medium derivandi & componendi unum tantum fuiſſet & ſimplex, non varium aut multiplex, res & ideæ rerum innumeræ manſiſſent anonymæ & vocabulis deſtitutæ. Igitur neceſſitas vocabulorum provida, ut poſſet augere numerum compoſitorum, & ex uno fonte plures deducere rivulos, & res ſingulas variis nominibus diſcernere, tot commenta eſt particulas, quot videbantur negotio ſufficere.

Videamus, quænam ſint illæ, quibus ab antiquo in derivando utimur, quasque uſus perennis ad ultimas vocabulorum ſedes ablegavit. Nam his probe cognitis & perſpectis, in progreſſu Operis patebit, quid in Derivationibus jure fieri poſſit, necne.

AT.

Medium formandi ſubſtantiva a verbis, & abſtracta a ſubſtantivis. Inde

monat menſis, a *mon* luna.

heimat patria, ab *heim* locus natalis.

zierat ornamentum, a *zieren* ornare.

ſchraiat palus infamis, in Jure prov. Alam. Cap. CLXXXVIII. 4. a *ſchreien* clamare.

Huic terminationi ſimiles ſunt in aliis vocibus OD, OT, UT, ED, ET, imo etiam DA, DE, TE, quæ certe non differunt ab AT, niſi literarum convertibilium transpoſitione. Quod vel hinc patet, quia promiſcue dicimus *zierde* & *zierat*.

Galli permultis utuntur vocabulis in *ade* deſinentibus, cujusmodi ſunt *promenade*, *barricade*, & ſimilia, quam illi terminationem videntur a noſtris accepiſſe.

BAR.

BAR.

Quamvis non ſit mera terminatio, & medium componendi potius, quam derivandi: eſt tamen particula *poſtpoſitiva*, ab ultimo loco inſeparabilis, extra compoſitionem inſolens, & nullius in oratione uſus, maximi vero in compoſitis. Nam ex ſubſtantivo facit adjectivum ſui generis, & adjectivo novum ſenſum, quem ante non habebat, communicat.

BAR.

Idem quod Latinis *fer* & *ger* in compoſitis, omnino a *baren* ferre. Inde
Perſis *beigam-ber* propheta, quaſi novi aliquid afferens.
Angloſaxonibus *waſtmbære* fructifer, *dead-bære* mortifer, *tacn-bora* ſignifer.
Longobardis *ſchilpor* armiger vel ſcutifer.
Francis *undhancpare* ingratus, in Gloſſis Boxhornianis, i. e. qui gratiam non refert.
Germanis *laſtbar*, *fruchtbar*, *zinsbar* qui onus, fructum, cenſum fert, *dankbar* qui gratiam refert, *wunderbar* qui admirationem adfert. Plura non addo, quoniam ex his reliqua turba dijudicari poteſt.

BAR.

Sono & ſignificatu convenit cum Lat. *par*, & in compoſitis notat modo *aptum* & *idoneum*, modo *ſimilem* & *æqualem*, prorſus ut Latinis *par*. Talia ſunt:
mannbar nubilis, apta viro.
ſchöppenbar par Scabino, aptitudine Scabinus.
vogdbar majorennis, defenſori ſimilis, qui ſe ipſum tueri & rebus ſuis præeſſe poteſt.
brauchbar aptus ad uſum.
ſtreitbar bellicoſus, par certamini, aptus ad bellum vel militiam.
erbar illuſtribus æqualis.
thingsher qui in Judicio teſtari poteſt, vox Islandica apud VEREL. in Ind.

Adjectivis annexum, ſimilitudinem ſocio tribuit. Inde *offenbar* evidens, manifeſto ſimilis, *ſonderbar* ſingularis, privo ſimilis, *lautbar* divulgatus, ſonoro ſimilis. Et alia ejusdem cenſus.

BAR.

Interdum idem eſt quod *fer* facilis, a *faren* facere. Inde *heilbar* ſanatu facilis, *unheilbar* inſanabilis, immedicabilis, ab *heilen* ſanare. Et talia quoque ſunt, *kennbar* cognoſcibilis, cognitu facilis, *haltbar* ſervabilis, ſervatu facilis, *dienſtbar* officioſus, ad ſerviendum facilis, *einbar* ſocialis, conjungi facilis.

D.

Medium formandi ſubſtantiva a verbis, aliisque partibus orationis. Ita *brand* incendium derivatur a *brennen* ardere,

ſchuld debitum a *ſollen* debere.
hemd induſium ab *heimen* tegere.
gelübd votum a *loben* promittere.
gemald pictura a *malen* pingere.
fed inimicitia a *fien* odiſſe.
gegend plaga, loca oppoſita, a *gegen* contra.

Et ſic alia ab aliis. Confer exempla in DE. In reliquis, quæ hnc referri non poſſunt, D. eſt litera participialis, & nota originis ex participio. Solent enim Priſci ex participiis formare ſubſtantiva, & terminationem participialem derivatis relinquere, tanquam cuſtodem originis. Hæc una litera nos quaſi manu ducit ad permulta vocabulorum ſecreta intelligenda, quæ certe ſuam ſignificandi vim non aliunde habent quam a præſentis temporis participio, a quo oriuntur. Hujusmodi ſunt,

abend veſpera, ab *aben* deficere.
heiland ſervator, ab *heilen* ſervare.
freund amicus, a *freyen* amare.
feind inimicus, a *fien* odiſſe.
wind ventus, a *wehen* flare.
mond luna, a *manen* monere.

DE.

Gothi habent *da* & *tha*, Angloſaxones *de* & *the*, Franci & Alamanni *da* & *di* &c. Latini *do*.

Et primo quidem illis eſt medium formandi ſubſtantiva e verbis. Inde Gothis *trawaida* fiducia, a *trawen* fidere; Francis & Alam. *purdi* onus, a *baren* ferre, *ſculdi* noxa, a *ſculen* debere, quia pœnam legibus debet.

Secundo ex adjectivis. Inde Gothis *haubitha* altitudo & gloria, ab *hoch* altus; Angloſaxonibus *yrmthe* paupertas ab *arm* pauper; Francis & Alam. *rheinida* mundities, a *rein* mundus. Ita Latinis *albedo* ab *albus*, *nigredo* a *niger* &c. per terminationem *do*.

Tertio ex ſubſtantivis. Inde Angloſax. *theofde* furtum, a *theof* fur. Germanis *leumde* fama, a *leum* ſonus & auditus.

Quarto medium formandi collectiva. Tale eſt Angloſax. *eowde*, *eowthe* grex, ab *eow* ovis.

Hodie D. & DE. in negotio derivationis promiſcue uſurpamus, & utriusque particulæ ope innumeras voces procudimus. De ſimplici D. vidimus paulo ante. Ad alteram claſſem ſpectant,

freude gaudium a *freuen* lætari. *warmde* calor, a *warm* calidus.
zierde ornamentum, a *zieren* ornare.

Plura vel librum aperienti occurrent, ut neceſſe non ſit, ſingula repetere. Confer TE.

DER.

Medium formandi ſubſtantiva e verbis, aliisque orationis partibus.

Ita a *galen* cantare Islandis derivatur *galder*, & præpoſito ſibilo *skalder* muſicus, poëta, incantator. Et huc etiam ſpectant, *bruder* frater uterinus, a *bru* venter. Item *gelender* reclinatorium a *lenen* inniti. Confer TER.

E.

Facit ſubſtantiva ex adjectivis. Talia ſunt,

kürze brevitas a *kurz* brevis. *ebene* planities ab *eben* planus.
ſtrenge rigor a *ſtreng* rigidus. *güte* bonitas a *gut* bonus.
tiefe profunditas a *tief* profundus. *röte* rubor a *rot* rubeus.

Et alia ſine numero. In quibus formandis Franci utuntur medio I. quia ſcilicet vocales permutantur. Inde illis *nabi* vicinia, hodie *nähe*, a *nah* propinquus; *derbi* utilitas a *derb* utilis; *nazzi* humiditas, hodie *naſſe*, a *naz* humidus. Sæpe etiam Græcis ſimplices vocales ſunt derivandi media. Ita πρωΐα hora matutina a πρωΐ mane.

ED. ET. ETH.

Convenit cum *at*, *od*, *ut*, eundemque uſum præſtat antiquis in ſubſtantivis formandis. Ita Francis *duged* eſt virtus, a *dugen* valere: Suevis *ſterbed* peſtilentia, a *ſterben* occidere.

EI.

Terminatio Gothica, nec alibi facile reperiunda, cujus miniſterio fiunt nonſolum ſubſtantiva in genere ex quacunque orationis parte, ſed etiam abſtracta a concretis, & collectiva a ſingularibus.

Hujusmodi ſunt apud Gothos, *dalei* vallis, a *dal* deorſum: *andei* finis, ab *anden* privare: *magathei* virginitas, a *magath* virgo: *managei* multitudo, a *manag* multus.

Et in hodierno idiomate, *lakei* curſor, a *laken* currere: *beuchelei* ſimulatio, ab *beucheln* ſimulare: *zauberei* magia, a *zaubern* incantare: *malerei* pictura, a *maler* pictor: *zankerei* litigium, a *zanker* litigator. Et huc etiam ſpectat collectivum *reiterei* equitatus, a *reiter* eques.

Franci & Alamanni pro *ei*. utuntur litera Pythagorica Y. vel duplicato II. in formandis tam ſubſtantivis quam abſtractionibus. Talia ſunt apud KERONEM in Gloſſis:

fullii ſatietas, a *foll* plenus. *managii* multitudo, a *manag* multus.
ſetii ſatietas, a *ſat* ſatur. *uppigi* otioſitas, ab *uppig* otioſus.
horſamii obedientia, ab *horſam* obediens. *heily* ſalus, ab *heil* ſalvus.
finſtrii tenebræ, a *finſter* opacus. *heilanty* ſalutare, ab *heilant* ſervator.
farſtraganii tolerantia, a *farſtragan* ſufferre. *huuialihhy* qualitas, a *huuelih* qualis.
abulkii iracundia, a *belgan* iraſci. *ſtadigii* ſtabilitas, a *ſtadig* ſtabilis.

EL.

Medium faciendi ſubſtantiva, adjectiva, diminutiva, ex quacunque parte orationis. Priſci habent *al*, *el*, *il*.

Ad

Ad primam claſſem ſpectant (1.) quæ formantur a verbis, ut *ſtachel* aculeus, a *ſtechen* pungere: *ſpeichel* ſputum, a *ſpocken* ſpuere: *fliegel* ala, a *fliegen* volare: *grewel* abominatio, a *graven* horrere: *fidel* ſcamnum, a *ſitten* ſedere: *wachtel* coturnix, a *wachten* excubare, quia noctu vigilat. (2.) quæ formantur a ſubſtantivis, ut *eichel* glans, ab *eiche* quercus: *igel* erinaceus, ab *ecke* acies, *horſel* Belg. muſca equaria, ab *hors* equus. (3.) quæ formantur ab adjectivis, ut *rötel* creta rubra, a *rot* ruber.

Ad ſecundam claſſem: *lützel*, *lyttel* parvus & paucus, ab Angloſax. *lyt* parum.

Ad tertiam claſſem: *ſchenkel* crus, a ſimpliciori *ſcanc* tibia, quo utitur Lingua Angloſaxonica, & hodie Anglica: *ſærkel* porcellus, a Belgico *vark* porcus: *bordel* lupanar, parva domus, ab Angloſax. *bord* domus.

EN.

Ut ειν apud Græcos, ita *an*, *on*, *en* apud Majores noſtros eſt terminatio infinitivi in verbis; ſed & medium formandi infinitivos a ſubſtantivis, vel aliis orationis partibus. Ita a *ſpan* uber eſt *ſpenen* lactare: ab *end* finis *enden* finire: a *ſonn* ſol *ſonnen* apricari, ſoli exponere. Et ſic alia ab aliis.

EN.

Ex ſubſtantivis facit adjectiva, & ex præpoſitionibus adverbia.

Ad primum genus ſpectat, *eiſeren* ferreus, quod eſt a Belgico *yſer* ferrum: *eren* æneus, quod eſt ab obſoleto *er* metallum: *gülden* aureus, a *gold* aurum: *fellen* pelliceus, a *fell* pellis.

Ad ſecundum, quando ab *aus* ex, fit *auſſen* extra; ab *in* in, *innen* intus.

EN.

Sæpe eſt nota verbi ſubſtantivati, ut *laden* pro taberna, a κλειδᾶν claudere, *ſchöppen* ſcabinus a *ſchöppen* jus dicere: vel ſubſtantivi aliunde oriundi, ut *küſſen* cervical, a κοττη caput: vel inutile augmentum finale, cujus ratio nulla reddi poteſt.

END.

In derivatis *tugend* & *jugend* virtus & juventa, eſt terminatio per epenthefin vitiata ex *at*, *et*, *ot*, *ut*. Nam priſca vocabula ſunt *tuged*, *duguth*, *jogoth*, *juguth*, quæ poſtea auctoribus Francis mutata ſunt in *tugend* & *jugund* inſerto N. Belgæ breviſſime dicunt *deugd* & *jeugd*.

ENZEN.

Non eſt mera terminatio, ſed ex ſubſtantivis & adjectivis facit verba moralia & imitativa, ob cauſas in Gloſſario memoratas.

ER.

In nominibus officiorum, quorundam judicio non eſt mera terminatio, ſed idem quod Latinis *vir*, Cambris *ur*. Hinc PEZRONIUS in Antiquitatibus Celticis exiſtimat, piſtorem Germanis vocari *becker*, quaſi virum panis, a Phrygia voce *beck* panis, & Celtica *ur*. Huic conjecturæ favere videtur, quod multa nomina in *er* deſinentia, paſſim in Dialectis terminantur quoque per *man* vir, tanquam *man* & *er* ſint ſynonyma. Ita Belgis *ſchipper* & *ſchipman* eſt nauta, Anglis *plower* & *plowman* arator, Germanis *krieger* & *kriegsman* bellator, *kauffer* & *kauffman* mercator, *arbeiter* & *arbeitsman* operarius, *burger* civis, olim etiam *burgman*, *reiter* eques, olim etiam *reitman*.

Huc etiam referri poſſunt *orator* & *triarius* & multa Latinorum hiſce ſimilia, in quibus *or* & *arius* virum deſignare videntur.

Nec abhorrent ab hoc ſignificatu Gentilia, quæ ope hujus particulæ e nominibus locorum, urbium & regionum formantur, qualia ſunt, *Oeſterreicher* Auſtriacus, *Leipziger* Lipſienſis.

In reliquis vero nominibus, ubi ſignificatus hominis vel viri locum habere non poteſt, *er* eſt ſimplex terminatio, & medium formandi ſubſtantiva e verbis vel aliunde, ut *or* apud Latinos in *candor* & *ſplendor*. Talia ſunt, *zunder* fomes a *zünden* inflammare, *wacher* flabellum a *wehen* ventum facere, *ecker* glans ab *eik* quercus. Et huc etiam ſpectant monetarum nomina, *thaler* & *kreuzer*, a *thal* vallis & *kreuz* crux.

ER.

Utimur in comparativis formandis, ut Latini *or*, in *doctior*, *brevior* &c. Ita a poſitivo *bas* bonus fit *beſſer* melior, a *ſtark* fortis *ſtærker* fortior. Et huic negotio nulla aptior

aptior eſt particula. Nam *er* priſcis ſignificat *ante*. Hinc poſitivo annexum, ſignificatum ejus intendit, gradumque ei communicat, quem ante non habebat. Nam *ante* nonſolum de tempore & loco, ſed etiam de qualitate dicitur.

ERN.

Hoc inſtrumento facimus adjectiva e ſubſtantivis : *glaſern* vitreus a *glas* vitrum, *bölzern* ligneus ab *holz* lignum, *ſteinern* lapideus a *ſtein* lapis, alia ab aliis.

FACH.

Videtur eſſe a Lat. *vice*, vel Cambrico *ffüig* ejusdem ſignificatus. Nam ex numero facit numerum diſtributivum, quando quæſtio eſt, quotenis vicibus ſimplum in toto complexu exiſtat. Ita dicimus *einfach* ſimplus & ſemel, ab una vel nulla vice, *zwiefach* duplus & bis, a bina vice, *zehenfach* decuplus & decies, a dena vice, *hundertfach* centuplus & centies, a centena vice.

FT.

Cum litera terminalis T. ſola ſufficiat ad formandas derivationes, ut poſtea videbimus, ratio reddenda eſt, cur F. in ſocietatem terminationis veniat. Hoc autem non fit, niſi in vocibus vitiatis, ubi labialis M. quæ naturaliter attrahit F. in vocibus antiquis, a vulgari pronunciatione mutatur in N. cujusmodi ſunt *zunft* pro *zumft* conventus, *kunft* pro *kumft* adventus, *vernunft* pro *vernumft* intellectus. De attractu literæ F. vide plura Sect. III. in M.

G.

Medium formandi ſubſtantiva a verbis, & undecunque. Inde *ſorg* mœror a *ſeren* dolere, *ferg* nauta a *faren* remigare, *gang* itus a *gan* ire, *ding* res actu exiſtens a *thun* facere, *berg* mons a *baren* levare, attollere.

HAFT.

Ab *haben* habere, ſignificat habentem vel præditum ea re, cui annectitur. Inde Gothis *quithuhafta* prægnans, utero prædita, a *quith* uterus : Francis *ſpunhaft* mammoſus, mammis præditus, a *ſpan*, *ſpun* uber : *unzalahaft* innumerus, a *zal* numerus: *slozhaft* concluſus, peſſulo vel ſera munitus &c. Quibus addi debent ex hodierno idiomate *ehaft* legitimus, jure præditus, *tugendhaft* virtuoſus, virtute præditus, *ſtandhaft* conſtans, conſtantia præditus, *narhaft* nutricius, vi nutriendi præditus, *namhaft* celebris, ſæpe nominatus, & alia innumera.

Dicitur etiam in malam partem de eo, quod vitio quodam affectum eſt. Inde *zaghaft* timidus, metu vel ignavia affectus, *breſthaft* morbidus, morbo affectus, *boshaft* malignus, malitia affectus, *mangelhafi* mancus, defectu laborans &c.

HAFT.

Ab *haben* ſervare, cuſtodire, ſignificat obſervantem ejus rei cui annectitur. Inde Alamannis *mezhaft* moderatus, a *mez* modus, quia modum ſervat: nobis *erhaft* honeſtus, cuſtos honoris, *warhaft* verax, tenax veritatis.

HAFT.

Ab *heben* capere, ſignificat adeptum. Inde *habhaft* particeps, uſucapiens.

HAFTIG.

Ig eſt habens, ut poſtea oſtendam: *haft* poſſeſſio vel uſucapio. Hinc *haftig* duo inprimis ſignificare poteſt, præditum & adeptum. Ad primam claſſem ſpectat Francorum *liumhaftig* celebris, bona fama præditus, & ex hodierno idiomate *ſtandhaftig* conſtans, conſtantia præditus, *leibhaftig* corporeus, corpore præditus, *warhaftig* verus, veritate præditus. Ad ſecundam, *teilhaftig* particeps, partem adeptus.

HALB.

Per ſe partem, latus, & plagam ſignificat; ſed in compoſitis eſt adverbium loci vel ſitus, junctumque lateribus ſignificat *ſecus*, *vel juxta locum*. Hoc ſenſu dicimus, *auſſerhalb* extra, *innerhalb* intra, *oberhalb* ſuperne, *unterhalb* inferne, i. e. ſecus vel juxta inferiora.

HAND.

In compoſito *allerhand* omnigenus, vel judice populo ſignificat *genus*, etiamſi originem ſignificatus ignoret. Oritur autem ab Angloſax. *cind* genus, quod eſt a *cennan* genera-

generare. Anglis *kind* etiamnum pro genere & ſpecie uſurpatur. Apud priſcos invenimus *kund* & *chund*, eodem ſenſu, quamvis in compoſitis tantum. Inde Gothis *himinakund* cœleſtis, i. e. cœleſtis generis, Angloſax. *eorthcund* terreſtris, terreni generis, Alamannis *cotchund* divinus, divini generis. Atque hinc jam patet, unde recentioribus ſit *hand* eo quo dixi ſignificatu, nempe a permutatione vocalium & gutturalium, & quia nihil frequentius eſt in Dialectis, quam K. converti in H. Id quod multis exemplis oſtendi Sect. III.

HEIT.

Saxonice *had*. Ante fuit vocula, quam particula poſtpoſitiva. Quod cum ſcitu neceſſarium ſit, nonnulla de ortu & priſtino ejus uſu hic apponam.

Ab initio fuit adjectivum, ut mihi quidem videtur, idemque quod Græcis ὁιος vel τοῖος, qualis, talis, hac vel illa qualitate præditus, hoc vel illo modo affectus.

Hoc adjectivum, quando more antiquo ſubſtantivatur, neceſſario ſignificat quantum poteſt, *qualitatem*, *perſonam*, *ſtatum*, *genus*, *ſexum*, *modum*, *ordinem*, *gradum*, & quicquid a natura vel aliunde ſingularem habet conditionem & conſtitutionem, qua ab aliis rebus diſtinguitur, ut ſit tale quid. Et totidem quoque modis uſurpatur a Veteribus. SOMNER. in Dict. Angloſax. *had*, *hade* ſexus, perſona, ordo, gradus, ſtatus, qualitas, genus. Operæ pretium eſt, per ſingulos ire ſignificatus, uſumque exemplis docere.

HEIT, perſona. Gloſſ. Keron. perſona *heit*, perſonarum *heito*, ex perſona *fona heitio*. ISIDORUS Hiſpalenſis Palthenii pag. 244. *der ander heit Gotes*, perſona ſecunda Dei. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. VII. 151. *ther thritto uuas niheinheit*. Quod judice SCHERZIO vertendum: *tertius erat perſona nihili*.

HEIT, perſona abſtracta, natura perſonis ſingularibus communis. Inde OTFRIDO *gomeheit* humanitas, humana natura, a *gomo* vir, homo. Hodie *menſchheit*.

HEIT, perſona publica. Vide *keit*.

HEIT, perſona ſcenica. Quemadmodum *heit* mutatur in *keit*, ita Saxonum *had* in *haz*, præſertim in ore Francico. Gloſſ. Pez. ſtrio *hazus*, ſtrionibus *hazaſa*. Ubi notandum, quod *ſtrio* in Gloſſa ponitur pro *biſtrio*, ut *Speria* pro *Heſperia*, & ſimilia a medio Ævo capite truncata.

HEIT, perſona multitudinis, vel collectiva. Hinc omnes Chriſtiani ſimul ſumpti, ſive tota Respublica Chriſtianorum, quatenus pro uno cœtu ſumitur, dicitur *Chriſtenheit*, non nobis ſolum, ſed etiam antiquis. Jam enim interpreti ISIDORI Eccleſia Chriſtiana appellatur *dhera Chriſtinheidi chirübba*. pag. 269.

HEIT, ſtatus, conditio. Inde Angloſaxonibus *camp-hade* militia, ſtatus militaris, *cnibt-hade* pueritia, ſtatus puerilis: Francis *mogadheit* virginitas, ſtatus virginalis, apud TATIANUM Cap. VII. 9. Et huc etiam ſpectat ex hodierno idiomate *freiheit* libertas, ſtatus & conditio libera.

HEIT, ſexus vel genus. Inde Angloſax. *wer-hade* genus maſculinum, *wif-hade* genus fœminum, *aghwæthere hades* utriusque ſexus. Similiter & Francis *uuipheit* eſt ſexus fœmineus, in Gloſſis Pezianis.

HEIT, ordo. SOMNER. loc. cit. *had* ordo, *preoſt-hade* presbyteratus, ordo ſacerdotalis, *hades-man* ordinatus, ſacris ordinibus initiatus, *had breca* ſacrorum ordinum violator, *had-bryce* ſacrorum ordinum violatio, *had-bote* ſacrorum ordinum violatorum compenſatio, *hadian* ordinare, conſecrare, ſacris initiare, *hading* ordinatio, conſecratio, ſacrorum ordinum collatio, *hadod* ordinatus, initiatus &c. Cum hoc ſignificatu convenit Græc. ὅσιος ſanctus.

HEIT, modus vel ratio. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXII. 111. *ni firnamun zi niheineru heiti*, nulla ratione ſeu modo intelligebant. Hæc doctiſſimi SCHERZII lectio & verſio Schilterianæ præferenda eſt.

HEIT, qualitas, *gutheit* bonitas, *bosheit* malitia. Id eſt, bona vel mala affectio.

HEIT, in reliquis, quæ ad ſuperiora genera referri non poſſunt, eſt, vel fictio perſonæ, quam *proſopopœiam* vocant, vel mera terminatio, ut *itas* & *udo* apud Latinos. Utimur autem duobus modis. Primo in abſtractionibus a concretis, ſecundo in derivatis undecunque formandis.

HIN.

Vide Gloſſarium.

I. vel II.

Hodie ceſſat. Vetera verba vide in E. & EI.

ICH.

Ejusdem valoris ut IG.

ICHT.

Subſtantivis annexum facit adjectivum abundantiæ. Et hanc multiplicandi vim habet ab antiquiſſima Lingua Angloſaxonica, in qua *iht* auctum ſignificat, ab *ican* augere, ut oſtendi in verbo *auchen*. Inde Angloſaxonibus *beriht* piloſus, pilis auctus, multos pilos habens, & alia permulta. Ejusdem generis ſunt, *bergicht* montoſus, *felſicht* petroſus, *fleiſchicht* carnoſus &c. in quibus *icht* ſubſtantiam montis, petræ, & carnis eleganter multiplicat.

IG.

IG, ab *eigen* habere, tenere, poſſidere, ſignificat habentem, tenentem, poſſidentem, & univerſe præditum affectumque ea re, cui annectitur. Inde *durſtig* ſitiens, ſitim habens, *dürftig* egenus, opus habens, *meſſig* moderatus, modum tenens, *felig* beatus, bonum poſſidens, *gütig* benignus, bonitate præditus, *grimmig* atrox, iracundia affectus, *wenig* paucus, defectu laborans. Et alia innumera, quæ hujus particulæ ope ex ſubſtantivis fiunt adjectiva.

Terminatio Græca ικος, qua a τέχνη ars fit τεχνικὸς arte præditus, a γένος γένικος, ab ἔθνος ἐθνικὸς, alia ab aliis, Germanicæ valde ſimilis eſt, ſono & virtute.

Gothica Dialectus habet *ags*, *abs*, *eig*, *eigs*. Inde *audags* beatus, *unbarnahs* ἄτεκνος, qui non habet liberos, *mahteiga* potens, potentia præditus, *thiuthеigs* bonus, bonitate præditus &c.

Cambrica *og*: Inde *pennog* capitatus, *daupennog* biceps, duo capita habens, a *dau* duo & *pen* caput.

Angloſaxonicâ tantum *ig*, Francica & Alamannica *ag*, *eg*, *ech*, *ig*, *ak*, *ek*, *ik*, *icho*, *ager*, *eger*, *iger*, *aker*, *achar*, *eker*, *iker* &c. Islandica *ugr*. Ita dives & beatus, qui Gothis *audags*, Angloſaxonibus vocatur *eadig*, Francis & Alam. *odag*, *odeg*, *otaker*, & in Lexico Runico *audugr*. Ubique a poſſeſſione ſubſtantiæ, quæ variantibus Dialectis dicitur *aud*, *ead*, *od*, *ot*.

IG, ab *auchen* multiplicare, quod Angloſaxonice effertur *ican*, ex ſubſtantivis facit adjectiva abundantia. Ita Cambris *tonnog* eſt undoſus, a *tonn* unda: Germanis *weſſerig* aquoſus, *moderig* cœnoſus, *giftig* viroſus. Id eſt, aquis, cœno, & veneno plenus.

IG, ab *augen* apparere, pro indole rei, cui annectitur, modo apparentem, modo appariturum, modo eum qui apparuit, ſignificat, omnibus temporibus ex æquo obtemperans.

Inde eſt, quod hornus dicitur *heurig*, qui hoc anno apparet, veteranus *fernig*, qui ſuperiore anno apparuit, venturus *künftig*, qui poſtea apparebit.

IN.

Subſtantivis annexum, ex maſculino facit fœmininum. A *mann mannin* virago, a *könig königin* regina. Alia ab aliis.

ING.

Videtur eſſe a Celtico *engi* parere, naſci. Nam in Patronymicis ſignificat gnatum ejus cui annectitur, & in Gentilibus indigenam, ſeu natum eo loco cui annectitur. Et hactenus convenit cum Græc. γένος proles.

ING, in Patronymicis ſignificat gnatum. Ita *Bryning* Angloſax. eſt Brynæ filius, *Kypping* Cippi filius. Plura exempla vide in Gloſſario.

ING, in Gentilibus ſignificat indigenam, natumque eo loco cui annectitur. Ita *Thuringi* a montibus, *Marſingi* a paludibus, *Tulingi* a vallibus ſic appellantur, ut in ipſo Gloſſario oſtendi.

ING.

In nominibus manſionum, pagorum, urbium, regionum, ſignificat terram, & convenit cum Græc. γῆ per anaſtrophen. Sic terra domicilii B. Virginis OTFRIDO vocatur *heiminge* Lib. I. Cap. XXI. 9.

Thia

Tbia muater ouh bibringe
Zi iro heiminge.

Matrem quoque reduc
In terram domicilii ſui.

Ob eandem particulam *Lothringen* recte exponitur terra Lotharii.

ING.

In nominibus animalium idem eſſe poteſt quod *einig*, h.e. unus aliquis ex illa ſpecie, unde fit denominatio. Sic anniculum omnium animalium domeſticorum, præcipue ovium & porcorum, olim Franci vocabant *friſking*, quaſi unum ex recentioribus. Similiter halecula dicitur *hering* quaſi unus ex piſcibus gregariis, fundulus *ſchmerling*, quaſi unus e genere pumilorum.

ING.

Interdum eſt terminatio per epentheſin facta ex *IG* habens. Inde *pfenning* nummus pro *pfennig*. Nam proprie eſt nummus capite ſignatus, ut oſtendi in ſede vocis.

ING.

Nonnunquam eſt mera productio vocis ex litera terminali N. orta. Ita ex *cyn* rex, primo factum eſt *cyng*, quia N. naturaliter attrahit G. Poſtea ex *cyng* ortum eſt *cynig*, & *cyning*, per epentheſin. Omnes iſtæ flexiones reperiuntur in Lingua Anglo-ſaxonica.

ISCH.

Gothi habent *isk*, Angloſaxones *isc*, Franci & Alamanni utrumque. Opinor ab *axen*, *waxen* creſcere. Nam *axl* eſt incrementum in Indice VERELII, & W. poſtliminio acceſſit, ut patet ex verbo *αὔξω*. Ipſum vero X. cum ſit compoſitum ex KS. CS. CHS. transpoſitis literis facile mutatur in SK. SC. SCH. Vide Sect. IV. in *metatheſi*. Creſcere autem nonſolum eſt incrementum capere, ſed etiam oriri, produci. Inde *cretus* ſæpe idem qui ortus, genitus, editus.

Atque hinc jam patet, quid proprie ſit *iſch* in compoſitis, nempe oriundus, ſive is, qui genus ſuum ducit ab eo cui annectitur. Talia ſunt,

Cheruſci, Harcigenæ, ab *harz* ſylva hercynia, quaſi *die harziſche*, e montibus hercyniis oriundi.
Teotiſci, terrigenæ, a *teut* terra, alias *die Teutſche* vel *Teutiſche*, e terra editi.
Franciſcus, a franco vel ingenuo ortus.
welſch, *welſch* exoticus, a peregrino oriundus.
himmeliſch cœleſtis, *irdiſch* terreſtris, i.e. ætherei & terreni generis.
teufeliſch diabolicus, *hölliſch* infernalis, i.e. diabolici & infernalis generis.

ISCH.

In Appellativis eſt ſignum adjectivi ſubſtantivati. Ita apud Antiquos *hiwiske* primo fuit domeſticus vel domeſtici, ab *hiwe* domus, & poſtea familia per ſubſtantivationem. Gloſſ. Keron. familias *hiuuiskes*. Similiter & *mariſch* primo fuit paludoſus, a *mer* humor, liquor, uligo, vel *mor* palus, deinde locus paludoſus. Inde nobis *marſch*, & Latino-Barbaris *mariſcus* pro palude. Et huc etiam ſpectat *menſch* homo, quod certe eſt a *menniſch* humanus, humanæ conditionis, & hoc a *mann* homo: imo etiam *harniſch*, quod primo fuit ferreus, ſeu ferrei generis, ab *iren* ferrum, poſtea armatura ferrea. Confer SCH.

K. KE.

Veteres utuntur hac litera, ejusque cognata C. & CH. in formandis ſubſtantivis, adjectivis, & diminutivis.

Ad primam claſſem ſpectant: *ſchalk* ſervus, a *ſcolen* (hodie *ſollen*) debere, quia ſervus eſt homo obnoxius, quem oportet imperata facere: *bark* ſcapha oneraria, ſive a *baren* portare, ſive a *faren* vehere, remigare: *zank* jurgium, a *zanen* mordicare.

Ad ſecundam claſſem, *mank* deficiens, defectu laborans, ab adverb. defectivo *man*.

Ad tertiam, *funk* ſcintilla, igniculus, a *fon* ignis: *mennike*, *manke* homunculus, a *man* vir. Similiter in Slavonicis Linguis a *ſyn* filius eſt *ſynk* filiolus, apud FRENZEL. in Orig. Sorab. pag. 797.

KEIT.

Quamvis *keit* pro *heit* novum ſit, nullisque veterum ſcriptis uſurpatum, pollet tamen eodem ſignificatu in compoſitis, & hinc ex illo factum intelligitur mutato H. in K. quod fieri ſolet ſæpiſſime, ut oſtendi Sect. III.

KEIT, perſona publica, *oberkeit* corrupte *obrigkeit*, magiſtratus, perſona ſuperior, collective ſenatus imperantium.

KEIT, ſtatus perſonalis, bonus vel malus, *einſamkeit* ſolitudo, *dienſtbarkeit* ſervitus, *ſeligkeit* felicitas.

KEIT, qualitas perſonalis, bona vel mala, *mæſſigkeit* temperantia, *tapferkeit* fortitudo, *grauſamkeit* crudelitas, & alia multa ex virtutum & vitiorum turba.

KEIT, qualitas naturalis, *feuchtkeit* humiditas, *heiterkeit* ſerenitas, & alia ſine numero, quæ proſequi inutile & ſupervacaneum eſt. Confer *heit*.

L.

Nota antiquiſſima derivationis & diminutionis. Ita Gothis *ſitl* eſt ſedes a *ſitan* ſedere: Angloſaxonibus *ſnægl* limax a *ſnican* repere: Germanis *zwel* manutergium ab obſoleto *thwean* lavare, *keil* cuneus a κίω findo. Græci eadem litera utuntur in derivandis. Inde κᾶλον lignum a καίειν urere.

Et ſic fiunt etiam diminutiva. Inde *mannl* homuncio, *ſteinl* lapillus. Qua in re Græcos & Latinos habemus conſentientes, quibus λος & *lus* idem præſtant. Inde ναυτίλος nautulus a ναύτης nauta.

LE.

Idem quod ſimplex L.

LEI.

Novum, & priſcis ignotum, ſed e Celtica Lingua petitum a Cambro-Britannico *llîw* color. Ponitur autem metaphorice pro *genere*, quia genera rerum ſunt coloribus ſimilia; & vel eadem inter ſe, vel diſparia. Inde *einerlei* ejusdem generis, *zweierlei* diverſi generis, *welcherlei* cujus generis, *mancherlei* varii generis, *allerlei* omnis generis. Quaſi dicas, ejusdem coloris, diverſi coloris &c.

Terminationem antiquam vide in *all* varius & *ſchlacht* genus. STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 75. hodiernam terminationem ducit a *ley* via, quod tribuit Belgis: ſed non perſuadet. Nam *ley* eſt color, & color dicitur *ley* & *llîw* a λαίω video, quia eſt ſpecies viſibilis.

LEIN.

Nota parvuli, a Francis relicta, & haud dubie a *klein*, ejusdem valoris, oriunda. Inde *mannlein*, *frawlein*, & alia innumera noti ſignificatus. Franci dicunt *lin*, a *chilin* parvus. Inde

tubilin columbella, apud TATIANUM Cap. VII. 3. hodie *teublein*.

ſchifilin navicula, apud eundem Cap. LIV. 1. hodie *ſchifflein*.

kindilin filiolus, apud eundem Cap. CLX. 5. hodie *kindlein*.

Sæpe etiam L. ſimpliciter ponimus pro *LEIN*. Hinc porcellus promiſcue dicitur *farkl* & *farklein*.

Hiſce conveniunt particulæ *lus*, *a*, *um*, & *culus*, *a*, *um*, quibus diminutiva apud Latinos formantur.

Harum particularum ea vis eſt, ut compoſitis ſuis cum parvitate ſæpe etiam notionem teneritudinis & delicati tribuant. Et hoc ſenſu frequenter utimur in blandimentis.

LEY.

Idem quod *LEI*.

LICH.

Adjective ſimilem ei, cui annectitur, ſubſtantive ſimilitudinem ſignificat. Quod vel hinc patet, quia ſimilis etiamnum extra compoſitionem Anglis dicitur *like*, Suecis *lyk*, haud dubie a Græc. ὅμοιος per metatheſin.

Apud Antiquos regnat tantum in compoſitis, & Gothis dicitur *leik*, *leiks*, Angloſax. *lic*, Francis & Alam. *lih*, *lihho*. Exempla vide in *gleich* ſimilis, *mißlich* diſſimilis, *anlich* ſimilis, *manlich* imago hominis.

Quibus

Quibus addi possunt ex Lingua hodierna, *göttlich* divinus, deo similis, *menschlich* humanus, homini similis, *lieblich* amabilis, amori vel charo similis, *wærlich* certe, quia certum est vero simillimum. Et sic ubique *lich* significat similem exemplaribus iis, quibus annectitur. Dicitur autem de similitudine non qualicunque & relativa tantum, sed de ea, quæ ejusdem naturæ particeps est, & easdem habet qualitates, quomodo ovum ovo, & filius patri similis est.

LING.

Non eodem modo dicitur in omnibus compositis.

LING.

In patronymicis, gentilibus, & appellativis, significat *filium*. SPELMANNUS in Glossario Archæologico pag. 10. *Saxonibus autem in more fuit, patrio nomini LING subjungere, cum vel filium vel juniorem significaturi essent: ut pro filio Eadmundi EADMONLING &c.* Et paulo post: *Hinc Normanni ipsi NORDALINGI nuncupati, quasi filii aquilonis. Et Danos hodie EASTERLINGOS vocamus, quasi sobolem orientis.*

Et huc etiam spectant ex appellativis *FRILINGI*, id est, ingenua Saxonum progenies, haud dubie sic dicti, quod a liberis parentibus orti essent. Item, quod Francis spurius vocatur *huorilinc*, in Glossis Pezianis, id est, meretricis filius.

Hanc autem significandi vim habet, non a *ling* imago, ut SPELMANNUS existimare videtur. Quamvis enim *ling* id significare possit, si derivetur a Cambrico *llun* effigies, quod sistit BOXHORNIUS: incongruum tamen est, filium appellare imaginem, etiamsi patrem referat. Malo igitur LING deducere a *langen* tangere. Tangere enim dicuntur non solum extrema, sed etiam cognationes & propinqui. Hinc filius dici potuit *ling*, velut tangens, quia patrem proxime tangit origine.

Dicitur autem sensu latissimo, non solum de prole humana, sed etiam de plantis, aliisque rebus e terra vel aliunde nascentibus. Inde *pfifferling* fungus, vilissima planta a flatu producta. Et sic etiam terrigena (qui in hodierna lingua non habet nomen) dici commode posset *erdling*, *irdling*, terra editus, si usus vellet, & tædium absit in indigentia.

LING.

SOMNERUS in Dict. Anglosax. *LING, nonnullarum vocum terminatio Anglosaxonica: non autem progeniem vel sobolem significans, ut quibusdam traditum: nec in vocis solum productionem, ut aliis visum: sed ut adjuncti, cui additur, notet subjectum.* Primum falsum esse vidimus: alterum est verissimum: tertium scholio opus habet.

Oritur autem a *langen* spectare, pertinere, & hinc substantivis annexum, ex substantivo suppositum facit personale, & quodvis subjectum denominationis, quatenus subjectum illud ad substantivum sub aliqua ratione pertinere creditur. Hinc Anglosaxonibus colonus dicitur *eorthling*, *yrthling*, *byrthling*, a terra quam colit, captivus *rapling*, *hæfiling*, a fune vel vinculo cui alligatus, mancipium *medling*, a necessitate cui obnoxium, exactor *nidling*, a vi cogente, mercenarius *hyrling*, a mercede.

Hisce addi possunt ex hodierna Lingua, *höfling* aulicus, ab aula in qua versatur, *gunstling*, *liebling* amasius, a gratia & favore sive principis sive alterius, *miedling* mercenarius, a mercede quam respicit, *flüchtling* fugitivus, a fuga quam capit.

LING.

A *langen* desiderare, expetere, significat appetentem ejus rei, cui annectitur. Inde *hænfling*, *henferling* linaria, avis quæ semen lini appetit, *neuling* novator, novitatis studiosus, *urling* antiquitatis affectator, *sonderling* qui singularia sectatur, *söfling* potator, potulentorum cupidus &c.

LING.

Ex adjectivo facit substantivum, ea qualitate præditum, cui annectitur. Inde *frischling* anniculus, porcus recentior, *spætling* serotinus, serius natus, *zwilling* gemellus, unus ex geminis simul natis, *früling* ver, tempus anni matutinum, *fremdling* advena, homo peregrinus, *jüngling* juvenis, ætate novus, *lytling* parvulus (Dial. Anglosax.), i. e. statura parvus. Et huc etiam spectat *illing*, quod Islandis tyrannum, Germannis malam bestiam significat. Utrumque ab *ill* malus.

LING.

In nominibus a verbo oriundis, actioni vel paſſioni ſubjectum tribuit. Inde *ſeugling* lactaneus, qui lactatur vel ſugit, *ſchilling* ſolidus minor, qui majorem in plures partes dividit, *binderling* ſupplantator, qui impedit aut decipit, *ſetzling* viviradix, quæ in terra ponitur.

LING.

Interdum eſt nota diminutivi. Inde *ſperling* paſſerculus, a *ſpier* paſſer. Vulgo tamen pro paſſere in genere ſumitur. SKINNERUS *ling*, quando diminuit, arceſſit a *klein* parvus.

M.

Medium formandi ſubſtantiva e verbis, & aliunde. Ita Angloſaxonibus *cwalm* mors, interitus, a *cwellen* occidere: Francis *uuahsmo* fructus a *uuahſen* creſcere, *galm* clangor a *gellen* ſonare: Suecis *ſotma* dulcedo a *ſöt* dulcis: Germanis *berm* fæx a *baren* levare, *qualm* vapor a *wallen* æſtuare, *halm* arundo frumenti ab *holen* cavare, *helm* galea ab *büllen* tegere, *ſchelm* morticinium a *ſchelen* excoriare.

MAL.

Inter alia multa ſignificat *tempus*, ut ſuo loco oſtendi. Poſteritas utitur eodem ſenſu, ſed in compoſitis tantum, recentibus quidem, ſed legitime factis, ad tempus vel vices temporis ſignificandum. Talia ſunt, *einmal* aliquando, aliquo tempore, *iemal* unquam, ullo tempore, *niemal*, *keinmal* nunquam, nullo tempore, *dazumal* tunc temporis, *diſsmal* hac vice, hac hora, *andermal* alia vice, alio tempore, *allemal* ſemper, omni tempore.

Additur etiam numeralibus, quia *mal* nonſolum eſt ſignum temporis, ſed etiam quanti in numeris, ſicut ibidem oſtendi. Hinc in numeralibus eam frequentiam ſignificat, quam numerus, cui annectitur, exigit. Inde *einmal* ſemel, *zweimal* bis, *dreimal* ter, *vielmal* ſæpius, ſæpenumero.

Auxilia computandi, tam vices quam numeros, quibus Antiquitas in compoſitis ſuis uſa eſt, quære in *ſind* & *ſtund*. Confer etiam *niemal*.

N.

Non eſt merum augmentum finale, ſed verum & antiquiſſimum derivandi medium. Ita Angloſaxonibus a *twa* duo fit *twin* gemellus, quod habet BENSONIUS. Et huc etiam ſpectant,

dein tuus, a *du* tu.
mein meus, a *me* me, quod Angloſaxonicum.
ſein ſuus & ejus, a *ſa*, *ſe*, is, ille, quorum illud Gothis, hoc Angloſaxonibus proprium.
zwirn filum duplicatum, a *zwier* bis.
dorn locus anterior, a *vor* ante.
fern longinquus, a *fer* procul.
zorn ira, a *zerren* irritare.
born & *brun* fons, a *βρύειν* ſcaturire.

NISS. NUSS.

Gothi habent *naſſus*, Angloſaxones *neſſe*, *niſſe*, *nyſſe*, Franci & Alam. *neſſi*, *niſſi*, *niſſa*, *nuſſi*. Quid ſignificet, nondum inveſtigare licuit. Quicquid vero ſit, particula minime inutilis eſt. Hujus enim miniſterio antiqui ſubſtantiva formant ab adjectivis, & abſtracta a concretis. Et hunc uſum etiamnum præbet nobis.

Inde Gothis *thiudinaſſus* regnum & territorium, a *thiuda* populus & terra: *gudjinaſſus* ſacerdotium, a *gudji* ſacerdos: *horinaſſus* fornicatio, ab *horja* meretrix.

Angloſaxonibus *ſeocneſſe* ægritudo, a *ſeoc* ægrotus: *godneſſe* bonitas, a *god* bonus: *wodnyſſe* dementia, a *wod* inſanus.

Francis & Alam. *driniſſa* trinitas, a *drio* tres: *folneſſe* complementum, a *fullo* plenus: *arlosneſſe* liberatio, a *los* liber.

Germanis *gleichnüſs* ſimilitudo, a *gleich* ſimilis: *wildnüſs* deſertum, a *wild* incultus: *gebeimnüſs* myſterium, a *gebeim* arcanus.

Et

Et alia innumera. In quibus aliqua ſunt, quæ rectius derivantur a verbis. Ita Alamannis *ſtuncnuſſi* eſt compunctio, a *ſtingen* pungere: nobis *bildnüſs* effigies, a *bilden* formare, *zeugnüſs* teſtimonium, a *zeugen* teſtari. Alia ab aliis.

O.

In vocibus *ietzo*, *dahero*, *dannenhero*, *nummero*, & ſimilibus, non eſt terminatio regularis, nec ullius uſus in derivando, ſed mera productio vocis ex arbitrio loquentium facta.

OD. OT. OTH.

Hoc medio Antiquitas, vocabulorum locupletatrix, fecit quod potuit & voluit, abſtracta a concretis, collectiva e ſingularibus, ſubſtantiva e verbis & aliunde.

Sic lex Gothis dicitur *witoth*, Francis *wizzod*, a *wetten* ligare, obligare.

Angloſaxonibus virtus *dugoth*, a *dugan* valere: inteſtinum *innoth*, ab *in*, *inna* intus, quaſi interaneum: cœtus virorum & militum *werod*, a *wer* vir.

Inprimis vero Franci & Alamanni abundant vocabulis in *ode* deſinentibus. Talia ſunt apud KERONEM in Gloſſis,

ellinode æmulatio, ab *ellinun* æmulari, contendere virtutis cauſa, quod originem refert ad vocem Angloſax. *ellen* virtus.

libbiſode tyfus, quod obſcurum.

mittikodi medium noctis vel alterius rei, a *mittil* medius.

murmulodi murmuratio, a *murmolon* murmurare.

hevode poſſeſſio, in Gloſſis Lipſ. ab *haben* poſſidere.

vogalode aucupium, in Gloſſis Pezianis, a *vogel* avis.

heroti principatus, ab *hero* prior. Vox OTFRIDO familiaris.

einodi ſolitudo, in Gloſſ. Lipſ. ab *ein* unus, ſolus.

Hodie dicimus *einöde*. Vox unica, ni fallor, atque ſola, quæ cum priſca terminatione ad nos venit, dum cæteras tempus abolevit. Niſi forte excipiendum ſit *kleinod* gemma, quod poteſt eſſe a *klein* pretioſus, per terminationem *od*. Confer AT. & UT.

R. RE.

R. ponitur pro *er* vel *ur* in Lingua Islandica, ut RE. pro *er* in Angloſaxonica.

S.

Apud Gothos multa terminat vocabula ex mera libidine ſibilandi, cujusmodi ſunt, *ſiuks* pro *ſiuk* æger, *ſtaths* pro *ſtath* locus, *gods* pro *god* bonus. Et hujus quoque furfuris ſunt innumera, quæ more Gothico exſibilamus, ut *herts* pro *hert* cor, *ſalts* pro *ſalt* ſal, *bolts* pro *bolt* ſagitta &c. Idque non animadvertimus, quia ſcil. TS. ſcribendo mutamus in Z. more quidem Francorum, ſed etymologiæ valde infeſto.

In reliquis S. eſt verum & antiquum derivandi medium. Ita a *krupen* repere fit *krebs* cancer: a *weichen* cedere *wachs* cera: ab *büllen* tegere *buls* folliculus: a *gruen* virere *gras* gramen: a *can* albus *gans* anſer, avis candida: a *grau* canus & vetus, *greis* ſenex.

SAL.

Accipit valorem ſuum a *ſelen* tradere, præbere, exhibere, & ideo pro re nata traditionem, præbitionem, & exhibitionem ejus rei, cui annectitur, ſive bona ſit ſive mala, ſignificat. Inde *labſal* refrigerium, a refectione quam præbet: *ſcheuſal* terriculamentum, a terrore quem exhibet: *irreſal* hæreſis, ab errore quem tradit: *drangſal* anguſtia, a preſſura quam affert: *trübſal* ærumna, a moleſtia quam infert.

Et huc etiam ſpectant quædam antiqua e penu Francorum, quæ, quia olim non potui, nunc explicabo. Talia ſunt,

opiſal cultus, ab *üben* colere.

marriſal obſtaculum, a *marren* tardare, impedire.

ahtiſal calamitas, ab *achten* perſequi.

wertiſal corruptio, ab Angloſax. *werdan* corrumpere, quod habet BENSONIUS.

cruoziſal moleſtia, a *cruce*. Nam crux quamvis moleſtiam ſignificat, etiam Latinis, teſte PLAUTO in Bacchide: *Quæ te mala crux agitat?*

Si forte reperiantur, quæ ad ſuperiora commode referri non poſſint, in illis

SAL.

SAL. non ideo eſt augmentum inane & muneris expers, ſed ſignum & medium derivandi, idemque quod SEL.

SAM.

Gothis eſt præfixum, ut patet ex compoſito *ſamaleiko* ſimiliter, quod hodie inverſo ſyllabarum ordine effertur *leichſam*, *gleichſam*.

In reliquis Dialectis eſt ſubfixum. Inde Angloſaxonibus *ſibſum* pacificus, *langſum* diuturnus, *hyrſum*, *gehyrſum* obediens: Francis & Alamannis *liepſam* amabilis, *leidſam* abominabilis, *lobeſam* laudabilis, *kamanſam* communis.

Proprie eſt adverb. comparandi. Hinc quoties in Regula S. Benedicti occurrit *acſi*, *velut*, *quaſi*, *tam*, *ſimiliter*, KERO vertit *ſama*.

Hodie extra compoſitionem obſolescit. At in compoſitis adjectivatur a ſocio, ſimilemque ei, cui annectitur, ſignificat, ſive ſubſtantivum ſit, ſive adjectivum. Inde *tugendſam* virtuoſus, virtuti ſimilis, *ſeltſam* inſolitus, raro ſimilis, *heilſam* ſalutaris, ſaluti ſimilis.

Hujus ſubfixi ſynonymum eſt LICH. Hinc promiſcue dicimus *friedſam* & *friedlich* pro pacifico. Amant autem Germani ſic loqui, non quod de omnibus dubitent, ſed quod mens in dijudicandis rerum & perſonarum affectionibus ſæpe decipiatur, ut ſæpe præſtet dicere, quid res videatur eſſe, quam quid ſit.

SCH.

Obtinet tantum in adjectivis ſubſtantivatis, cujusmodi ſunt, *menſch* pro *menniſch* homo, *teutſch* pro *teutiſch* terrigena, *marſch* pro *mariſch* palus, *elbſch* pro *elbiſch* olor. Et hinc ortum intelligitur ex ISCH per apharesin.

SCHAFT.

Olim *ſcaf*, *ſcef*, *ſcip*, *ſcop*, pro varietate Dialectorum. Gloſſ. Keron. conſortio *kinozskaffi*, diſſenſiones *fiantskeffi*, provincia *lantſceffi*, provincias *lantſcaffi*. Gloſſ. Boxh. *uuiniſcaf* fœdus. Gloſſ. Lipſ. *genuuiſcopi* teſtimonia. SOMNER. in Dict. Angloſax. *ealdor-ſcipe* principatus, *woruld-ſcipe* negotium vel munus ſeculare, *mægſcipe*, *ſibſcip* cognatio, *hus-ſcype* familia, *cyneſcipe* regalitas, *bodſcip* legatio, nuncium, juſſum, *gebeorſcipe* ſympoſium, *theodſcype* gens, *thegn-ſcipe* dignitas, *landſcipe* regio, *dolſcipe* error, ſtultitia &c.

Belgæ, Sueci, Angli, in particulis *ſchap*, *ſkap*, *ſhip*, fidelius imitantur veteres, quam Germani. Conſtat tamen etiam Germanis ſua dicendi ratio. Nam *ſchap* & *ſchaft* non differunt, niſi modo naſcendi. Illud eſt verbale, hoc derivativum a *ſchaffen*.

SCHAFT, a *ſchaffen* agere, facere, ſignificat (1.) *actionem*. Inde *bürgſchaft* fidejuſſio, actio fidejubentis, *rechenſchaft* expoſitio cauſæ, actio rationem reddentis, *herrſchaft* dominatus, actus dominantis. (2.) *negotium*. Inde *kaufmanſchaft* mercatura, negotium mercatoris, *wirtſchaft* œconomia, negotium hoſpitis, heri, manſionarii.

SCHAFT, a *ſchaffen* conſtituere, ſignificat (1.) *ſtatum* & *conditionem*. Inde *knechtſchaft* ſervitus, conditio ſervilis, *jungferſchaft* virginitas, ſtatus virginalis, *ſchwangerſchaft* graviditas, ſtatus prægnantis. (2.) *qualitatem*, ſimilem ſubjecto cui annectitur. Inde *freundſchaft* & *feindſchaft*, amicitia & inimicitia.

SCHAFT, a *ſchaffen* formare, ſignificat *formatum* quid. Huc referri poteſt, *wiſſenſchaft* ſcientia in formam artis redacta, *landſchaft* terra in formam provinciæ redacta, & poſtea omnis regio.

SCHAFT, a *ſchaffen* procreare, *generationem* ſignificat. Inde *ſippſchaft* cognatio, procreatio ex communi ſtirpe.

SCHAFT, a *ſchaffen*, *ſchöpfen* jus dicere, *jurisdictionem* deſignat. Inde *Graffſchaft* jurisdictio comitis, & poſtea territorium comitis.

SCHAFT, ex concretis facit abſtracta, ex verbis ſubſtantiva, ex ſingularibus collectiva.

Ad primam claſſem ſpectat *eigenſchaft* proprietas, ab *eigen* proprius.

Ad ſecundam, *leidenſchaft* affectus, a *leiden* pati.

Ad tertiam, *mannſchaft* copiæ, manus militum, multitudo virorum, *geſellſchaft* ſodalitium, cœtus ſociorum, *burgerſchaft* populus urbanus, cives univerſi.

SCHAFT,

SCHAFT, plures admittit notiones in uno compoſito. Ita *ritterſchaft* ſignificat militiam & ordinem equeſtrem. In priori compoſito *ſchaft* eſt nota *negotii*, in poſteriori ſignum *collectivi*.

SCHAFT, plures habet ſignificatus in compoſitis, quos facile invenient, qui latiſſimos verbi *ſchaffen* ſignificatus diligenter excutere, & animo verſare voluerint.

SCHE.

Annectitur derivationis gratia. Sic a *batten* percutere fit *peitſche* flagellum, a *kutten* tegere *kutſche* vehiculum tectum, a *brytan* fecare *prütſche* ferula ex aſſulis.

SE.

Hujus particulæ ope multa fiunt derivata, nonſolum a verbis, ſed etiam a ſubſtantivis. Talia ſunt, *golſe* porca majalis a *gelden* caſtrare, *lefze* labium a *laffen* lambere, *ſchultze* prætor a *ſchalten* compellere, *bülſe* ſiliqua ab *büllen* tegere. Item *götſe* Deaſter a *gott* Deus, *flechſe* tendo a *flachs* filamentum.

Vulgo ſcribimus *golze*, *ſchulze* &c. Sed cum prima litera ad radicem, altera ad medium derivandi ſpectet, TS. male contrahitur in Z. & cum damno etymologiæ.

SEL.

In loco, quem occupat, minime otioſum eſt, ſed defectum ſignificationis officio compenſat, dum ſubſtantiva ex verbis producit. Hujusmodi ſunt, *ſtopfel* obturamentum a *ſtoppen* obſtruere: *feilſel* limatura a *feilen* radere: *füllſel* farctura a *füllen* implere: *hackſel* palea conciſa ab *hacken* ſcindere: *bleibſel*, *überbleibſel* reliquiæ a *bleiben* reſtare.

SELIG.

Quot modis uſurpetur in compoſitis, in ipſo Gloſſario expedivi.

ST.

Medium faciendi ſuperlativos, Græcis & Germanis commune. Quemadmodum enim Græcis a μέγας magnus fit μέγιστος maximus, a καλὸς pulcher κάλλιστος pulcherrimus, a κακὸς malus κάκιστος peſſimus: Ita Germanis ab *er* prior fit *erſt* primus, ab *hoch* celſus *höhſt* celſiſſimus, a *ſtark* fortis *ſtærkiſt* fortiſſimus.

ST.

Medium formandi ſubſtantiva a verbis. Sic a *dienen* ſervire, *brennen* ardere, *ſchwellen* tumere, *gunnen* favere, *trauen* confidere, *kennen* noſſe & poſſe, legitime derivantur, *dienſt* ſervitium & officium, *brunſt* ardor & incendium, *ſchwulſt* tumor, *gunſt* favor, *troſt* fiducia, *kunſt* ars, ſcientia cum agendi potentia conjuncta.

Et huc etiam ſpectant, quæ ex capitibus verborum fiunt, ventre & cauda amputatis: ut ſunt, *laſt* onus a *laden* gravare, *baſt* vinculum a *binden* ligare, *glaſt* ſplendor a *glantzen* fulgere, *raſt* requies a *ruhen* quieſcere, *breſt*, *gebreſt* defectus a *brechen* deficere, *bruſt* pectus a *brechen* frangi, quia in medio ruptum.

STER.

Particula Latinis & Germanis communis, cujus ope ſubſtantiva formantur e verbis, adjectiva e ſubſtantivis. Ita

Latinis *feneſtra* a Φαίνω lucere.

Belgis *vryſter* virgo nubilis a *freyen* nubere.

Islandis *alſter* fœtura ab *ala* educare.

Latinis *ſylveſter* a *ſylva*.

Francis *chimſter* caliginoſus a *dimma* caligo.

Germanis *düſter* obſcurus, a Celtico *du* ater.

In quibusdam Dialectis ejusdem particulæ miniſterio fiunt fœminina e maſculinis, & ſubſtantiva e ſubſtantivis. Illud Saxonibus antiquis, hoc recentioribus peculiare eſt. Ad primam claſſem ſpectat *thenеſtre* ſerva, a *then* ſervus: ad poſteriorem, *ſchuſter* ſutor, a *ſchu* calceus, item *hamſter* mus agreſtis, ab *hamm* ager.

T.

Eundem uſum præbet in derivando ut D. Inde *macht* potentia, a *mögen* poſſe: *trift* agmen pecudum, a *treiben* agere, pellere: *haubt* caput, ab *heben* levare, erigere: *pracht* ſplendor, a *brechen* fulgere. Et alia ſine numero. Confer D. & *De*.

TE.

De terminatione antiqua, ejusque usu in derivando, vidimus exempla in DE. Quibus nunc addo ex idiomate Gothico *inwinditha* injustitia, a *winden* torquere: Anglosaxonico *aryste* resurrectio, a *rysan* surgere: Francico & Alamannico *felida* domus, mansio, tabernaculum, a *saljan* manere.

Hodie eodem adminiculo substantiva facimus ex verbis & adjectivis. Inde *leufte* pes animalis, a *lauffen* currere: *belfte* dimidium, ab *halben* dividere: *platte* tabula, patina, lamina, a *plat* planus: *dinte* atramentum, a Cambrico *du* ater, per epenthesin.

TE.

Numeralibus annexum, ex numero cardinali facit ordinalem sive quotum in ordine. Inde *zweite*, *dritte*, *vierte*, secundus, tertius, quartus, a *zwei*, *drei*, *vier*, duo, tres, quatuor. Consensum Antiquitatis vide in singulis.

TER.

Ejusdem potestatis ut DER, in substantivis undecunque formandis. Inde *malter* mensura frumenti, a *malen* metiri: *wachter* excubitor, a *wachen* vigilare: *gelachter* cachinnus, a *lachen* ridere; *alter* ætas, ab *alen* crescere.

TUM.

Hujus subfixi genera & classes facilius, quam originem investigamus. SOMNERO est merus exitus vocis, compositionis gratia appositus, ut apud Latinos *ia*, *io*, *ium*, & similia. Cui conjecturæ obstat, quod Anglosaxonibus *dom* est judicium, a *deman* judicare, & Francis *duam* præter judicium etiam potentia, quia judicare sæpe est regere imperio, & potentatum in subditos exercere. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XX. 358. *giloub ih fasto in thinan duam*, credo firmiter in tuam potentiam. Inde est, quod in multis compositis, socio cui annectitur, *juriditionem*, *potestatem*, & *dominium* communicat. Talia sunt ex antiquis,

cynedom regnum, Dial. Anglosax. a *cyne* rex.

rihthuom imperium, quod dicitur de imperio Tiberii in Harm. Evang. Tat. cap. XIII. 1. a Gothico *reik* princeps.

hertuom principatus, quod dicitur de Herode tetrarcha ibidem, ab *hero* dominus.

meistartuam magisterium, apud Keron. in Glossis, a *meister* magister.

Et talia quoque sunt ex recentioribus *Kaisertum*, *Fürstentum*, *Bischoftum*, quæ primo jurisdictionem Cæsaris, Principis, Episcopi, & reliqua, postea etiam territorium jurisdictionis significant, quomodo Latinis *regnum* nonsolum potestas regia, sed etiam terra regnata dicitur.

Quibus addi possunt, *reichtum* divitiæ, quæ sæpe sunt parva imperia, & etiamsi sint modicæ, *facultates* tamen vulgo vocantur, id est, potentiæ, *eigentum* peculium, facultas propria, quæ absque jure & dominio in rem suam nec esse nec concipi potest, *beweistum* demonstratio, documentum, quod sæpe est instar sententiæ vel judicati in rebus dubiis & controversis, *wachstum* incrementum, crescendi potentia, *irrtum* error, præcipue dominans. Olim huc etiam retuli *Feudum* prædium a potentiore concessum, quia cum Feudo semper transfertur utile dominium, quamvis directo Domino reservato.

TUM.

In multis compositis est a Θέω pono, statuo, constituo. Græci inde habent Θέμα positio & locus ubi aliquid ponitur, Θεσμὸς lex, sanctio, ritus, religio, institutum, Anglosaxones *dom* sanctio, *domas* ritus, ceremoniæ.

Hinc *tum*, quatenus est a Θέω pono, quod verisimiliter supponere possum, non est mera terminatio in compositis, sed tria inprimis significans, (1.) *statum*, (2.) *institutum*, (3.) *locum statutum*.

Ad primam classem refero Anglosaxonica *freo-dom* libertas, status & conditio libera, *theow-dom* servitus, status servilis, & ex Versione Lutheri *magdtum* virginitas, status virginalis.

Ad secundam, *christentum*, *heidentum*, christianismus, paganismus, id est, lex & religio christiana, ritus & cultus paganus, institutum divinum & humanum.

Ad tertiam, *heiligtum* sanctuarium, locus sacer.

TUM.

TUM.

In reliquis, quæ ad ſuperiora genera reduci non poſſunt, etiamſi forte nihil ſignificet, eſt tamen medium formandi ſubſtantiva ex adjectivis, aliisque partibus orationis. Inde *altertum* antiquitas, *heiligtum* res ſacra, reliquiæ ſanctorum &c.

UND.

Caſus fecit, non inſtitutio primæva aut uſus perennis. Nihil enim ope ejus derivamus aut componimus. Hinc non occurrit, niſi in vocibus corruptis, & admodum paucis. Ita ex *leumde* fama, paulatim factum eſt *leumut*, converſione *de* in *ut*, & denique *leumund* per epentheſin. Et huc etiam ſpectat *iezund* nunc, quod vulgus depravavit e Gothico *juthan* per paragogen.

UNG.

Omnibus veterum Dialectis, ſi Gothicam excipias, uſitatum. Quid ſignificet, non liquet. Sed non ideo meram & arbitrariam vocis deſinentis flexionem eſſe exiſtimem, cum quia vetuſtas & longus ſæculorum ordo multa delevit, quæ hodie ignorantur, tum quia jam ſæpe vidimus, multis particulis quosdam ineſſe ſecretos ſignificatus, quos neque noſtra neque ſuperior ætas animadvertit.

Præcipuus ejus uſus eſt in formandis ſubſtantivis, non omnibus promiſcue, ſed iis, quæ actionem aut paſſionem rei ſignificant. Ita Angloſaxonibus *thancung* eſt gratiarum actio, Francis & Alamannis *auchung* augmentatio, Germanis *ſamlung* collectio, & alia innumera, a verbis oriunda.

Sæpe etiam uni compoſito duplicem ſenſum, activum & paſſivum communicat. Inde *verachtung* contemtus, tam is, quo quis contemnit, quam quo contemnitur.

UNG.

Subſtantivis annexum, eſt nota frequentiæ. Opinor ab *aucben* augere, ut proprie idem ſit quod *ig*, *eg*, *ug*, & poſtea per epentheſ. *ung*. Inde *waldung*, *holzung* ſylva, locus lignoſus, a *wald* & *holz* lignum.

UT.

Idem quod *at*, *ed*, *od*, & ejusdem uſus in formandis undecunque ſubſtantivis, quamvis rari occurſus. Habent tamen Gloſſæ LIPSII *witut* lex, quod mea opinione factum a *wetten* obligare. Hodie priſca terminatio ſuperat in *wermut* abſinthium, & *armut* paupertas. Illud formatur a *warmen* calefacere, hoc ab *arm* pauper.

W. WA. WE.

Medium derivandi antiquum, & omnibus pene Dialectis familiare, præcipue in formandis ſubſtantivis ex quacunque orationis parte. Sic Angloſaxonibus *ſwalewe* hirundo derivatur a *ſwale* atrium, *clywe* globus a κυλίω volvo: Francis *milwa* tinea a *malen* conterere, *wewa* dolor a *we* væ, *cliuua* furfur a κλάω frango: Suecis *gafwa* donarium a *geben* dare: Germanis *auwe* pratum ab *aa* aqua, *frauw* domina a *frau* dominus.

WAN, WEN.

Terminatio infinitivi in verbis, quæ hodie eſt *en*, olim fuit *an*, & per prostheſin *wan*, in omnibus & antiquiſſimis Dialectis.

Apud Anglos innumera verba exeunt in W. apud Suecos in *wa*, apud Belgas in *wen*, apud Francos in *wan*, apud Angloſaxones in *wan* & *wian*. Nobis exulat W. in medio verborum plerumque, & ſæpe cum damno derivatorum. Exemplum vide in *hauwen* cædere.

Quemadmodum autem *en* non ſemper eſt mera terminatio, ſed ſæpe etiam medium, quo verba naſcuntur ex aliis partibus orationis, quæ verba non ſunt; Ita *wan* ſæpe adhibetur ab antiquis, quando verbum e ſubſtantivo vel adjectivo formandum eſt.

Talia ſunt apud Gothos, *bliggwan* cædere, a *plaga*, quatenus eſt verber: *balwjan* torquere, a *bal* cruciatus.

Similiter Angloſaxonibus, Francis & Alamannis a *gar* totus, totalis, derivatur *gearwian*, *gerwan*, *karawan*, parare, præparare, perficere.

Quando W. in literas cognatas B. & F. mutatur, quod fieri ſolet ſæpiſſime, tunc oritur caſu ſpuria terminatio *ben* & *fen*, quæ multos in venatu verborum decipit, ut ad falſos fontes delabantur, dum veram & primigeniam terminationem ignorant. Ita *kalben*, quatenus ſignificat fœtare, originem ſuam mire occultat. At ſi reſtituas *kalwen*, patebit eſſe a κοιλία venter, per medium derivandi primævum *wen*. Quid enim eſt fœtare, niſi ventre edere?

WARTS. WERTS.

Particulæ omnibus Dialectis communes, adverbiis loci formandis ab antiquo deſtinatæ, & uſu perenni probatæ.

Utimur autem duobus modis, cum motu, & ſine motu. Cum motu, quando dicimus *aufwarts* ſurſum, *niderwarts* deorſum &c. Sine motu, quando dicimus *inwarts* intus, *auswarts* extus, *anderwerts* alibi &c.

Quæ motum excludunt, ſunt a genitivo nominativi *wart* locus, & formantur eodem modo ut *diſſeits* & *jenſeits* cis & trans, a *ſeite* latus.

Quæ vero motum includunt, ſunt a Lat. *verſus*, quia non locum, ſed motum ad locum deſignant. Qua in re cum manifeſto differant a reliquis, differre etiam origine cognoſcuntur. Nam locus per ſe eſt indifferens ad motum, & ideo adverbia loci, ſive tendant ad locum, ſive ab illo recedant, commode formari non poſſunt a loco.

Y.

Terminatio Francis & Alamannis propria, ejusdem valoris ut EI. quod vide.

Z.

Coaluit ex TS. vel DS. & per ſe non eſt medium derivandi. Venit tamen aliquando in ſocietatem terminationis, ſed tantum in vocibus, quæ in aliis & vetuſtioribus Dialectis exeunt in T. Nam his annectimus S. non derivandi, ſed ſibilandi ſtudio, malo illo hæreditario, a Gothis nobis relicto, ut oſtendi in S. Sic a *bolt* ſagitta, quod eſt a *bolen* jaculari, facimus *bolts*, *bolz*, *boltz:* a *ſalt* ſal, quod eſt a *ſalten* ſalire, *ſalts*, *ſalz*, *ſaltz:* a *ſpelt* far, *ſpelts*, *ſpelz*, *ſpeltz:* ab *hert* cor, *herts*, *herz*, *hertz:* a *ſtelte* gralla, *ſtelts*, *ſtelze*, *ſteltze:* Alia ab aliis, & numero haud parvo. Quod niſi probe obſervetur, etymologiam turbare poteſt,

ZE.

Verum & antiquum derivandi medium eſt SE. de quo ſupra. Idque vulgus in multis vocibus fideliter cuſtodit, in aliis vero pro ſua inconſtantia mutat in ZE. Sic vulgo dicimus *lefze* labium, cum deberemus dicere & ſcribere *leſſe*.

ZE.

In multis vocibus contrahitur ex TSE. præcipue illis, ubi T. eſt litera radicalis, & SE. derivandi medium. Exempla hujus depravationis vide in SE. Nemo has minutias contemnat. Qui parva noſſe recuſant, nec majora intelligent.

ZIG.

In numeralibus idem valet quod denus, & ſic dicitur a *zieben* ducere, trahere, quia denarius eſt ductor decadum, quamvis ultimo loco poſitus. In reliquis Dialectis obtinet *tig*, quod idem. Exempla vetuſtiſſimi uſus vide in *zehen* decem.

ADMONITIO AD LECTOREM.

Compoſita, quæ non extant, in Simplicibus: Obſoleta in Uſitatis: Cætera in Indicibus quærenda ſunt.

Richter Conrect. del. Bernigeroth fil. fc. Lips.

A. Particula præpoſitiva, duplici pollens ſignificatu, *augente* & *privante*. V. *Proleg.* Sect. V.

A, e, ſemper, uſque. Adverb. temporis per omnia momenta fluentis, quod Græcis effertur *ἀεὶ*, Angloſaxonibus *a*, *aa*, Islandis *æ*, apud VERELIUM in Ind. Anglis *ay*, in compoſitis *ay-green* ſemper vivum, & *for-ay* in ævum. In aliis Dialectis extat *ew*, quod vide. Sed à ſimpliciori *a*, *e*, oritur comparativus *ér*, *eher*, prius & prior, & ab illo ſuperlativus *eriſt*, *erſt*, primum & primus, in omnibus Dialectis.

AB, præpoſ. localis, præſentiam excludens a loco, ut *ἀπὸ* & *ab* apud Græcos & Latinos. Inde *ab handen ſeyn* abeſſe, non eſſe ad manum.

AB, præpoſ. cauſalis, idem ſignificans quod Græcis *ὑπὸ*, Latinis *ob*. Inde *erſchrecken ab etwas* propter aliquam rem contremiſcere.

AB, in compoſitis eſt Adverb. *loci*, *ordinis*, *motus*, *ſimilitudinis*, *intenſionis*, *remiſſionis*, *ſeparationis*, *negationis*, *privationis*, & *defectus*. Vide *Proleg.* Sect. V.

AB, elliptice ponitur pro *abwerts* deorſum. Inde *berg-ab* a dorſo montis verſus radices.

AB, elliptice ponitur pro *hau-ab*. Notæ formulæ, *hand-ab*, *kopf-ab*, item *rein-ab bis auf den boden*, Pſal. CXXXVII, 7.

ABDANKEN, quatenus componitur ab adverb. ordinis *ab*, & *danken* gratiam referre, ſignificat proprie *ultimas gratias agere*, & dicitur (1) de eo, qui officium ſponte deponit, quod fieri ſolet cum gratiarum actione pro ſtipendio, aliisque emolumentis hactenus perceptis, (2) de eo, qui alium ab officio dimittit, quia præſumitur merita ejus agnoſcere & gratum animum teſtari. Nihil honeſtius dici poteſt. Latina *abdicare*, *exauctorare*, præ his dura ſunt.

ABEN, imitari. Adverb. ſimilitudinis *ab*, quando abit in verbum, naturaliter producit hunc ſignificatum. Priſci videntur inde formaſſe *ape*, *affe*, ſimia, & fortaſſe etiam *amen* imitari, mutata labiali B in M.

ABEN, abire. Extat hoc ſenſu *auen* apud KILIANUM, quamvis vetus & obſoletum. Hic ſenſus oritur ab adverb. loci *ab*, quatenus motum de loco ſignificat.

ABEN, cadere, declinare. Ab adverb. loci *ab*, quatenus per *deorſum* explicatur. Videtur ſuperare apud Cambros in ſubſtantivis *aber* & *afon*, quorum illud locum, ubi aqua in aquam cadit, hoc fluvium deſignat. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *aber* caſus fluvii, oſtium fluvii, portus. Venedotis torrentem ſignificat, quod in fluvium effundatur: *afon* flumen, fluvius. Hæc ille loc. cit. Certe *avon* hodieque eſt multorum in Anglia fluviorum nomen, teſte EDUARDO LUIDIO in Adverſariis poſthumis. Quod rectius ab *aben* cadere, quam a lat. *amnis* derivatur. Vox Gallica *havre* non differt a Britannica *aber* niſi ſpiritu præpoſito.

ABEN, deficere. Ab adverb. defectus *ab*. Priſcis Belgis *auen*. KILIANUS in Etymol. *auen* (vetus) abire, deficere. Hodie ſuperat apud Helvetios, quibus interprete PICTORIO *aben*, *abnemmen* eſt deficere, *ich aben faſt* deficit me ætas, *es abet* veſperaſcit, i. e. dies deficit. Eundem ſignificatum agnoſcit quoque STILERUS in Theſ. L. Germ.

ABEND, veſpera. Gloſſ. Keron. veſpera *abant*. Idem Angloſaxonibus *æfen*, Belgis *avond*, Anglis *even*, *evening*. Omnino a participio verbi *aben* deficere, etiamſi nota participii D. non ab omnibus Dialectis cuſtodiatur. Nam hic neglectus eſt ab apocope. Res ipſa reſpondet vocabulo. Quid enim eſt veſpera niſi dies deficiens? Et participia ſubſtantivari, quid magis obvium apud priſcos? Exempla vide in *beiland*, *freund*, *feind* &c. In Codice argenteo veſpera dicitur *andanabti*, Marc. XI, 19. ubi interpres Angloſaxonicus habet *æfen*. JUNIUS vocem Gothicam componit ab *andei* finis, & *nabt*, nox, quod, ſi recte intelligatur, non eſt repudiandum. Latet enim in hac appellatione veruſtiſſimæ conſuetudinis veſtigium, non dies, ut hodie, ſed noctes numerantis, quam Germanis tribuit TACITUS cap. XI. de M. G. Gothi igitur cum eſſent Germani & e Germanis oriundi, veſperam diei appellabant *finem noctis*, puta non naturalis, ſed civilis, quam ipſum eſſe diem civilem, a nocte duce ſic appella-

tum, infra demonſtravi in *nacht* dies civilis. Si quis tamen malit noctem naturalem in voce Gothica ſubintelligere, habebit, quo ſe tueatur. Nam *anda* Francis & Alam. eſt frons, & hinc *andanahti* poteſt denotare *frontem vel initium noctis*. Alamanni, Franci, Saxonesque, dum veſperam vocant *deficientem*, videntur hac appellatione ſua nonſolum ad finem diei civilis, ſed etiam ad defectum lucis reſpexiſſe. Nam quocunque modo Veſper accipiatur, ſive pro termino diei civilis, ſive pro parte extrema diei naturalis, veſper ſemper eſt dies abiens vel deficiens, & ſapienter dicitur *abend*. Septemtrionales alia utuntur nomenclatura, & veſperam deſignant ab *after* poſt, quia lucem ſequitur a tergo. VERELIUS in Ind. *aptan* a tergo, *aptan-dags* veſperi, circa veſperam, inclinata die, *jola aptan* paraſceve Juliorum, *aptur* re vel retro, *aptur koma* redire, *apturgangur* ſpectra, lemures, forte quia veſperi apparent.

ABEND, pars mundi occidentalis, *gegen abend* verſus occidentem. Quia ſol ibi videtur *abire*, *cadere*, *deficere*, a tergemino ſignificatu verbi *aben*. Olim aliis nominibus utebantur ad hanc plagam deſignandam, quamvis hoc ſatis probum ſit. Gothis occaſus dicitur *ſait-qua*, Matth. VIII, 11. a *ſatjan* ponere, uti volunt, quomodo Italis *ponente*. Angloſaxonibus *weſt-dæl*, quaſi pars occidua, ibid. Francis & Alamannis *ſedelgang*, quaſi ſolis ad ſedes ſuas abitus, Septemtrionalibus *ſol-biorg*, quaſi cubile ſolis.

ABENDEN, veſperaſcere. Vetus Francicum a ſubſt. formatum. TATIANUS cap. CCXXVIII, 2. *uuone mit uns unanta iz abandet*, mane nobiſcum quoniam veſperaſcit. Angloſaxonibus *hyt æfen-læcth* veſperaſcit, Luc. XXIV, 29. Ubi *lecth* ſimilitudinem & appropinquationem ejus rei, cui affigitur, denotat, quod multis exemplis docet SOMNERUS in voce *Lecan*. Hodie utrumque inſolens.

ABEND-MAL, cœna vulgaris. Utitur Luth. Joh. XII, 2. Marc. VI, 21. Compoſitum novum, ſed partibus conſtans antiquis. Proprie eſt epulum veſpertinum. Priſci eundem ſenſum, quamvis aliis vocabulis, exprimunt. Gothis cœna eſt *nahtamat*, Marc. VI, 21. Angloſaxonibus *æfen-mete*, Alamannis *abandmuas* & *abantcauma* apud KERONEM in Gloſſis. Prior compoſitorum pars noctem & veſperam, altera cibum denotat, ut dixi in *mus* & *gaum*. Reliqua vide in *mal* convivium.

ABEND-MAL, cœna ſacra. Utitur Luth. 1. Cor. XI, 21. Primis Germaniæ Chriſtianæ temporibus alia vigebant vocabula. Angloſaxones S. Euchariſtiam appellabant *husl*, quaſi oblationem, ut demonſtravi infra in *opfer*: Franci *uuizzod*, quaſi legem vel obſervationem. Formula S. Confeſſionis apud ECCARDUM in Cat. Theot. p. 98. *ih gihu Gode almahtdigen, daz ih das heiliega uuizzod vehoda mit unreinemo lichamen*, confiteor Deo omnipotenti, quod ſacram Euchariſtiam acceperim impuro corpore. Et ſic paſſim NOTKERUS in explicatione Pſalm. SCHILTERO affatim citatus in Gloſſario pag. 879.

ABENTEUR, vel *ebentheur*, auſum virile, molimen audax, & inde nomen, ab *aben* vir, & *teur* auſum. Prior compoſiti pars pure Gothica eſt. Nam in Evangelio Gothico, quod CODICE ARGENTEO continetur, Luc. I, 27. 34. II, 36. Marc. X, 12. vir dicitur *abd*, in accuſ. *aban*, in dat. & abl. *abin*. Agnoſcunt eandem vocem veteres Islandi in Indice VERELII Scando-Scythico, ubi *abo* exponitur *colonus*. Altera compoſiti pars eſt a *dürren* audere, verbo antiquiſſimo, & omnibus veterum Dialectis, Britannicæ, Saxonicæ, Francicæ, imo etiam Græcis uſitato, ut demonſtravi infra in loco. Et in his Dialectis quædam ſunt, quæ non ſolum verbum, ſed etiam derivatum agnoſcunt. Nam a *dürren* audere, Cambris fit *dewr* fortis, audax, ſtrenuus, & *antur* auſum, molimen, quæ extant in Lex. Ant. Brit. BOXHORNII Ex eodem fonte audacia Islandis dicitur *thor*, Græcis Θάρσος. Video etiam alios hanc vocem ad Linguam Germanicam referre conatos, quamvis nullo aut parum proſpero ſucceſſu. KILIANO ſic dicitur, quaſi *avend-ure* hora veſpertina. Alius derivat a *thüren* audere, & hactenus bene: Sed dum alteram compoſiti partem ab *aſſe* ſimia repetit, a vero & ſerio pariter aberrat. Neque enim facta ridicula & Quixotiana hoc nomine deſignamus (quale eſt illud *Ajacis Sophoclei*, qui magnam in ovium grege ſtragem edidit, hirco etiam maledictis onerato & virgis cæſo, quod illas Græcorum turmas, hunc vero Ulyſſem eſſe exiſtimaſſet) ſed potius res fortiter & viriliter geſtas *Rekiorum* & *Riſiorum*. Et hoc ſenſu paſſim occurrit apud Hiſtoriæ fabuloſæ (cujus hæc vox propria) conditores, quos heroas ſuas ignominioſo vocabulo legentium riſui exponere voluiſſe, minime veriſimile eſt.

ABENTEUR, hiſtorica narratio, ſed propter incredibiles auſus, obtectationis gratia confictos, maximam partem fabuloſa. VEREL. in Ind. *æfintyr* hiſtorica narratio jucunda. Proprie ſignificat *molimina vitæ*, derivaturque, non ut antecedens ab *aben* vir, ſed ab *ewe* ſeculum hominis, ſpatium vitæ humanæ longiſſimum, partu & morte definitum, de quo ſignificatu actum infra in loco.

ABENTEUR, caſus, fortuna, periculum. Hic ſenſus oritur a Gallico *avanture*, & hoc a Lat. *eventus*.

ABENTEURLICH, audax, temerarius, periculoſus, mirus, incredibilis, fabuloſus. Collige ex antecedentibus.

ABER, poſt. Adverb. ordinis. Gothis *afar* poſt, *afar leitil* poſt puſillum, Matth. XXVI, 73. *afar aglon* poſt tribulationem, Marc. XIII, 24. Inde compoſita Gothica, *afargangan*, *afarleiſljan* pone ſequi. Dicitur & ſubſtantive, & tunc ipſum *ordinem* ſignificat. Hinc *vices Abiæ* ULFILÆ vocantur *afar Abiyins*, Luc. I, 5. ab ordine ſuccedendi. Huc etiam ſpectare

ſpectare videtur, quod filius Angloſaxonibus dicitur *afora*, quaſi ſucceſſor patris, vel poſterior patre. Vocem ex Paraphraſi Saxonica ſiſtit SOMNERUS. Hodie non occurrit.

ABER, ſecundum. Adverb. ſimilitudinis. Evang. Goth. Luc. I, 59. *jah haibaitun ina afar namin attins*, & vocabant eum ſecundum nomen patris ſui Zachariam.

ABER, rurſus, iterum, denuo. Adverb. numeri Francis & Alam. *abur, afur, auur*. Cæteræ Dialecti habent *after*, de quo infra. Gloſſ. Keron. iterum *anur*. Repone *auur*. TATIANUS XVI. 1. *andares tages abur ſtuont Johannes*, altera die iterum ſtabat Johannes. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XII, 33. 34. *er ni uuerde irboran afur*, niſi naſcatur denuo, i. e. regeneretur. Lib. IV. Cap. VII, 148. *unz er auur quami*, donec rurſus veniat, i. e. redeat. Utitur Luth. 1. Reg. VIII, 65. Inde compoſita *aber-mal* altera vice, *aber-acht* proſcriptio iterata, *æfferen* repetere, reiterare. Quibus conſentit Gr. ἄν iterum, ſi pronuncietur ut ἀφ.

ABER, autem. Conj. adverſativa, ſed rariſſimi exempli apud veteres, nec niſi apud Francos & Alam. ISIDORUS pag. 241. Edit. Palth. *Chriſtus auur ſus quham ſona fater ziuuare, ſo ſelp ſo dhiu berahtniſſi ſona ſunun*, Chriſtus autem ita venit a Patre revera, ut ſplendor a ſole. OTFRIDUS Lib. II. cap. XVIII, 25. *ih zellu afur thanana*, dico autem vobis amodo. Interpres Tatiani *autem* vel non reddit in Verſione, vel incongrue per *thanne*, ut Cap. XXIX, 2. Cap. XXX, 2. Cap. XXXI, 2. KERO *autem* interpretatur *keuuiſſo*, quod non eſt adverſativum. Gothi habent *ak* & *akei*, Angloſaxones *ac* & *ah*.

ABER, nota defectus, ab *aben* deficere. Inde *aberwitz* delirium.

ABER, nota exceſſus, idemque quod *über*, de quo infra. Confer *aberglaube*.

ABER-ACHT, proſcriptio iterata. Ab *aber* rurſus, iterum. Nam moribus Germanicis receptum eſt, ne quid in pœnis irrogandis præcipiteturgradibus in proſcribendo uti. Ab his gradibus nomina acceperunt *unter-acht* & *ober-acht*, hoc eſt, proſcriptio inferior & ſuperior. Et inferior quidem præcedit ſuperiorem, tanquam levior graviorem. Primo enim proſcribitur contumax & convictus, conceſſo tamen annuo ſpatio ad defenſionem, quo neglecto proſcriptio iteratur, bonis proſcripti fiſco adjudicatis. Inde eſt, quod hæc proſcriptio, quæ revera eſt *ober-acht*, etiam *aber-acht* dicitur, ab iteratione.

ABER-BANN, bannus novatus. Idem quod *aberacht*.

ABER-GLAUBE, ſuperſtitio. Compoſitum novum, ſed legitime factum. Proprie eſt nimia & abſurda credendi facilitas, præcipue in negotio religionis, ab exceſſu fiduciæ ſic dicta. Et derivari poteſt e fonte Celtico *ofer* vanus, iners, quo ſenſu utuntur Cambri, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Quid enim eſt ſuperſtitio niſi vana & iners fiducia? Sed & Germanica origo ſuam habet elegantiam. Nam *glaube* fidem & fiduciam, *aber* vero vitioſam ejus rei cui annectitur magnitudinem notat, prorſus ut *über*, quod ſæpe eſt nota exceſſus in compoſitis. Hinc KILIANO Belgarum interpreti *avergheloove* & *overgheloove* unam eandemque rem ſignificant, nempe ſuperſtitionem, h. e. nimiam religionem, & vanum Dei cultum. Quamvis enim DEUS nimium coli non poſſit, falſo tamen & vitioſe coli poſſe, omnes conſentiunt. Hinc ſuperſtitio a THOMA Aquinate definitur *vitioſus veri vel falſi numinis cultus*. Exqua definitione ſimul patet, quod ſuperſtitio non ſemper pro objecto habeat Deum verum, ſed ſæpe etiam falſum, idola, dæmones, ſacra magica, incantationes, & ſimilia. Quorſum etiam ſpectat nimia fiducia in res naturales, herbas, radices, vel artefacta, Talismanos, amuleta, ſigilla, & alia ſine numero. Latinis quoque *ſuper* in *ſuperſtitio* aliquid ſuperfluum denotare videtur, quod modum rectum excedit & quaſi ſuperſtat.

ABER-MAL, iterum, ſecunda vice. Compoſitum novum, ab *aber* rurſus, & terminatione numerali *mal*, de cujus origine & poteſtate actum in PROLEGOM. Sect. VI.

ABER-WITZ, duplicem admittit ſenſum, quorum uterque ab uſu agnoſcitur. Ita enim vulgo vocant nonſolum *ſtultitiam* ex nimia ſciendi cupiditate ortam, ſed etiam *delirium*, quod ex deliquio rationis & ſanæ mentis ſequitur. Cauſa diverſitatis eſt a præfixo *aber*, quod in compoſitis jam *exceſſum* jam *defectum* notat, ut ſupra monui in voce. Cætera vide in *Witz*.

ABFEUMEN, deſpumare, *abgefeumt* deſpumatus, quod vulgo torquetur in hominem callidum ſceleriſque artificem, ut dixi in primitivo *faum* ſpuma.

ABGOTT, deaſter, falſus Deus, Deus expers divinitatis, ob præfixum negativum *ab*. Hinc etiam appellari ſolet *ungott*. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *afgod* idolum, *afgodneſſe* idololatria. Gloſſ. Pez. excelſis *abgotir*, ad fanum *ze apkutio hus*.

ABGRUND, profundum. Gloſſ. Ker. profundum inferni *abcrunte dera* hella. Gloſſ. Pez. gurgitibus *apcruntim*. Sic & profundum ſtagni interpreti Gothico dicitur *afgrund*, & in accuſandi caſu *afgrunditha*, Luc. VIII, 31. Oritur a *grund* profundum, & præfixo *ab*, quod hoc loco ſenſum intendit.

ABGRUND, abyſſus, profundum ſine fundo. Senſus vocis hodiernus, a *grund* fundum, & negativo *ab*.

ABGUNST, invidia. Gloſſ. Pez. livor *abanſt*. Gloſſ. Keron. invidiam *abanſt*, invidiæ *abanſti*. In veteri confeſſione peccatorum OTFRIDO præfixa, invidia dicitur *abunſt*, & in Harmon. Evang. TATIANI *abjunſt*, Cap. CXCIX, 4. Appellationis ratio ubique eadem. Nam *ab* ubique negat favorem & benevolentiam, quæ priſcis dici-

tur *anſt*, nobis *gunſt*. Qua de cauſa, jam dixi infra in voce.

ABGUNSTIG, invidus. Gloſſ. Keron. invidentium *abanſtikeru*.

ABLASS, venia delictorum, remiſſio pœnæ. Gothis *aflatei* & *fralet*, Francis *ablaz*, Alamannis *antlaz*, Belgis *aflaat*. ULFILAS Marc. I, 4. *du aflateinai frawaurhte*, in remiſſionem peccatorum. Idem Marc. III, 29. *ni habaith fralet aiw*, non habet remiſſionem in æternum. Gloſſ. Keron. veniam *antlaz*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. I, 59

Ni freuuit uuiht hiar unſer muat
ſo thin ablazi duat,
Nihil æque exhilarat animum noſtrum
ac remiſſio tua.

Angloſaxonibus *liſſe* eſt quævis *remiſſio*, non pœnæ tantum, ſed etiam laborum & ærumnarum, teſte SOMNERO in voce. Cuncta a *laſſen* remittere. Præfixa *af*, *fra*, *ant*, *ab*, hoc loco non variant ſenſum, ſed intendunt.

ABLASS, indulgentiæ, literæ veniales Romani Pontificis. Ex eodem fonte.

ABLEIBEN, mori, decedere e vita. Non a *leib* corpus, ſed a *leib* vita, de quo infra.

ABSAGEN, abdicare, ſtylo eccleſiaſtico *abnegare*, *abrenunciare*. Utitur Luth. Luc. XIV, 33. Referri poteſt ad *ſagen* dicere, ut ſimile ſit compoſito Gothico *afquithan*, quo utitur ULFILAS ibidem, quod eſt a *quithan* dicere. Nam qui ſe jure aut poſſeſſione alicujus rei abdicant, ſolent id verbis ſolemnibus declarare.

ABSAGEN, renunciare amicitiam, dicam ſcribere, bellum indicere, *abſage*, vel *abſag-brief* clarigatio, literæ provocatoriæ, *abgeſagter Feind* hoſtis apertus & capitalis. Non a *ſagen* dicere, ut antecedens, ſed a *ſachen* contradicere & litem conteſtari, de cujus familia actum infra.

ABSCHEIDEN, diſcedere, ſeparari. Gothis *afskaidan*, interprete ULFILA Luc. IX, 33. *jah warth miththanei afskaidunſik af imma*, & factum eſt cum diſcederent ab illo. Refer ad ſimplex ejusd. ſignif.

ABSCHIED, abitus, diſceſſus, & ſynecdochice venia abeundi vel dimiſſio, *abſchied nemen* valedicere, *abſchied begeren* miſſionem efflagitare, *abſchied geben* dimittere, exauctorare, *abſchieds-rede* oratio valedictoria. Cuncta a *ſcheiden* diſcedere.

ABSCHIED, vel *abſcheid*, decretum, *reichsabſchied* decretum comitiale imperii. Proprie eſt *diſceſſus*. Transfertur autem ad decreta, quia his in tabulas relatis ſupplices in Curiis, & coëuntes in Comitiis ſolent dimitti. Hinc decreta Comitiorum Imperii vulgo vocantur *Receſſus*, quia his confectis Status ſeparantur. Imo etiam Latinis ſenatusconſulta antiquitus *decreta* videntur dicta ob eandem cauſam. Nam *cernere* in primo & antiquiſſimo ſignificatu eſt dividere, ſeparare. Hinc *decretum* videri poteſt id, quo confecto & definito Senatus ſurgit & diſcedit. Quod ideo monendum duxi, ne quis exiſtimet, *diſceſſum* ad *decreta* aliaque civilia negotia nullo antecedentium temporum exemplo a noſtris adhiberi.

ABSCHROTEL, præſegmen cibi lautioris. V. *ſchrot*.

ABSPANNEN, quatenus eſt a *ſpannen* ligare, jugare, ſignificat (1) rem intenſam remittere, & dicitur de arcu, de fidibus, aliisque rebus, quæ laxantur. (2) disjugare, & dicitur de equis, quatenus currui funiculis juncti ſunt.

ABSPANNEN, abſtrahere aliquem a partibus alicujus, *abſpenſtig* abſtractus. Hic ſenſus oritur ἀμέσως a *ſpenen* allicere, ſeducere, vel per metaphoram a *ſpannen* trahere. Hinc *abſpenſtig machen* ſignificat quantum poteſt, ſeducere, captare res alienas, ex amico alienum facere &c.

ABSTAND, renunciatio, *rechts-abſtand* renunciatio juris ſui. Forte eſt *receſſus*, translatumque a recedentibus ad deſiſtentes, & ab his ad renunciantes, quia a proſecutione juris ſui deſiſtunt & quaſi recedunt: a verbo Gothico *afſtandan* recedere, quod extat in Verſione antiquiſſima Codicis Argentei Luc. VIII, 13. *jah in mela fraiſtubnjos afſtandana*, & in tempore tentationis recedunt. Luc. IV, 13. *Diabolaus afſtoth fairra imma und mel*, Diabolus receſſit ab eo usque ad tempus. Aliam interpretationem vide in *ſtan* tranſigere.

ABT, abbas. Angloſax. *abbad*. Proprie eſt pater. Gloſſ. Keron. abbas *fater*, abbate *fatere*, abba pater *lib fater*. Nomen e ſacris literis & lingua Syriaca hauſtum eſſe, apud omnes in confeſſo. Vide Commentatores ad Marc. XIV, 36. Rom. VIII, 15. Gal. IV, 6. Tranſiit ad præfectos Cœnobiorum, quia Abbas in Monaſterio eſt quaſi pater monachorum.

ABTRUNNIG, deſertor, transfuga, qui nexum priſtinum diſſolvit, *abtrünnig machen* abalienare, ex conjuncto facere segregem vel hoſtem, *abtrünnig werden* deficere a nexu, ſive religionis, ſive fidei, & amicitiæ. Proprie eſt adjectivum, ut patet ex terminatione *ig*. Et hæc terminatio ſupponit ſubſtantivum *trunn* disjunctio, ſeparatio, quod etiamſi deletum ſit, formari tamen juſta lege potuit a *trennen* rumpere, disjungere, ſolvere. Præfixum *ab* ſenſum intendit. Priſci utuntur alio præfixo, ſed eandem vim habente. Gloſſ. Pez. apoſtaſiam *antrunnigi*. Cur *an*? Quia *an* apud priſcos ſæpe ponitur pro *ant*, *int*, *ent*, hoc eſt, pro adverbio intenſionis.

ABWEG, diſpendium viæ. Proprie declinatio a via recta, ob præfixum *ab*, quod hoc loco defectum notat. Apud Francos & ſeptemtrionales eſt adjectivum. NOTERUS Pſal. LXXVII, 8. *anuekkiu ſlahta* prava generatio. VEREL. in Ind. *afvega* occulta & extra viam poſita.

ABWERTS, de loco. Adverbium ex nomine & præpoſitione compoſitum, cujusmodi

modi ſunt apud Latinos *extemplo*, *inpoſterum*, *inprimis*. Prior compoſiti pars per ſe manifeſta. Altera locum ſignificat, ut dixi in *wart* locus.

ABWERTS, deorſum. In hoc compoſito *ab* non eſt præpoſitio, ſed adverbium loci inferioris, & *werts* motus verſus locum.

ACH, interjectio dolentis vetuſtiſſima, & ab ipſa natura, ut videtur, ſuggeſta, Hebræis *ah*, *ahah*,, Lat. *ah*, Suevis *och*.

ACH, ſubſtantive poſitum, ſignificat quantum poteſt, gemitum & dolorem, actum gemendi, & ipſum cruciatum, qui gemitus & ſuſpiria exprimit.

ACH, gemitus, planctus. Cambris *och*, apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 281. & inde *ochi* & *ochain* gemere, plangere, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Græci inde formant ὀχθέω & ὀχθίζω gemere, quod imitamur in *echzen*.

ACH, dolor, cruciatus. Angloſax. *ace*, Angl. *ach*, Græc. ἄχος, & inde ἀχυῶσαι dolere, cruciari. Forte huc etiam ſpectat nomen infernalis fluvii ACHERON, quod non ſolum Græcis ſed etiam noſtris ſignificare poteſt *fluvium doloris*, ſi altera compoſiti pars ſit *run*, quod in multis veterum dialectis fluvium denotat.

ACH, elementum aquæ. Gothis *ahwa* in compoſito *ahwaſtodus*, inundationes aquarum, quod extat Luc. VI, 49. Cui ſimile eſt Latinum *aqua*, Hiſpanicum *agua*. Cuncta ex ſimplicioribus orta. Videamus quænam illa ſint. Aqua Angloſaxonibus dicitur *ea*, plur. *æa*. Somnerus: *ea* aqua, *æa* aquæ. Gloſſ. ÆLFRICI pag. 76. flumen *flod* vel *yrnende ea* (aqua currens) fluvius *ſingal*, *ſtowende ea* (aqua fluens vel continua) fluctus *wealcynde ea* (aqua revolvens). Ubi obſervandum, quod *e*, in voce Angloſaxonica diphthongetur per *a*, & quod *ea* monoſyllabum ſit. Quando vero ex *ea* fit biſyllabum, tunc mutatur ſignificatus, & ex aqua fit flumen. Similiter Septemtrionalibus *a*, ſimpliciter poſitum *aquam*, duplicatum *flumen* denotat, ut poſtea dicetur. Hæc monoſyllaba, cum ob nimiam brevitatem nec componi, nec aliunde derivari poſſint, neceſſario ſunt primitiva, niſi quis illa ex longioribus abſciſſa exiſtimet; Quæ vero, cum rationem nominis ſui luculentam non habeant in ulla lingua, brevioribus pro etymo ſubſterni non poſſunt. Hinc fortaſſe non errabimus, ſi breviſſimis initiis cætera longitudinis ſtudio profecta opinemur. Saxonicum *ea* Galli imitantur in *eau* aqua. Imo etiam Germanis *ey* interdum aquam denotat. Quid enim eſt *eyland*, niſi terra aqua circumflua? Cæterum *ach* pro aqua, videtur hodie ſuperare in appellatione ſuccini, quod cum in aqua reperiatur, rectius *achſtein*, quam *agtſtein* dicitur.

ACHA, flumen, & omnis aqua fluens. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *aches* rivus, flumen. Gloſſ. Keron. flumina *aha*. Quod pronunciandum ut *acha*. Plura Francorum teſtimonia ſiſtit *Gloſſarium Schilterianum* ex Verſione Pſalmorum Notkeriana, ubi Jordan & Nilus vocantur *abo*. An Græcis ἄχαι idem ſignificet, aliis inquirendum relinquo. Gothi literam Celticam in medio vocis transmutarunt in *chw*. Latini in *qu*. Hinc flumina Gothis vocantur *ahwa*, Luc. VI, 48. & flumina aquæ *ahwos watins*, Joh. VII, 38. & Jordan *ahwai* in caſu obliquo, Marc. I, 5. Apud Latinos non ſolum elementum fluidum, ſed etiam fontes, & ipſa quoque flumina, arcuato opere in Urbem deducta, vocantur *aqua*, ut patet ex appellationibus *Aqua Martia*, *Aqua Claudia*, *Aqua Virgo*, & ſimilibus. In reliquis Dialectis nullum eſt Literæ Celticæ veſtigium. Nam flumen Angloſaxonibus dicitur *ea*, plur. *eae*, VERELIO in Ind. *aa*, Suecis *æa*, ubique duabus ſyllabis, ut ſupra oſtenſum. Quibus convenit Græc. ἀα, quod *Heſychio* interprete eſt σύστημα ὑδάτων, congregatio aquarum. Cuncta a ſimplici *æ* vel *a*, quod Saxonice aquam denotat. Et ex hoc fonte videntur etiam reliqua manaſſe. Alii tamen alias origines ſectantur. CANINIUS *aquam* a fuſione ſic dictam putat quaſi ἀ χόα, quam etymologiam multis exemplis, in quibus articulus cum nomine coaleſcit, ſuſtinet JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 63. Quamvis in Obſerv. ad Will. pag. 137. adhuc fluctuet: *De Etymologia*, inquiens, *nihil adhuc certi ſtatuere poſſum: libet interim ſuſpicari, vetus Avel* AHA *ab* ἀχελῶος *abſciſſum eſſe, quum* ACHELOUM *generaliter, ut Servius inquit, propter antiquitatem fluminis* OMNEM AQUAM *veteres appellaverint.* Quod ibidem ex *Heſychio* & *Virgilio* demonſtrat. MARTINIO *aqua* derivatur ab *ago*, quod fluenta in perpetuo motu ſint, ſi naturæ ſuæ permittantur. VARRONI & FESTO *aqua* dicitur ſubſtantia, *a qua* juvamur, ineptiſſime *Scaligeri* judicio. Primus cunctorum originem ad ſimpliciſſima initia reduxit STIERNHIELMIUS in Gloſſ. Ulphila-Goth. pag. 6. *Patet fons*, inquit, *unde derivatur vox* AQUA. *Nimirum a Linguæ noſtræ Monoſyllabo puriſſimo A, id eſt, aqua. Inde AA aqua fluens. Inde AHA* (per literam intercalarem H.), Græcis ἄχα. *Ac tandem ex* AHVA *Latinis factum* AQUA. *In cujus etymo oppido ſudant, qui origines venantur, ut videre eſt apud* VOSSIUM *in Etymol.* Itaque quicquid ubique literarum inter duo *AA* in medio deprehenditur, ſive ſit H, ſive CH, ſive CHW, ſive QU, a pronunciantibus vel euphoniæ gratia, vel Scythicæ brevitatis tædio, adjectum cenſeri poteſt. Video Cl. FRISCHIUM in ſpecimine Germanico *de permutatione literarum* Francicum *aha* tanquam primitivum amplecti, & cætera multo labore & ingenio ex illo deducere: Sed quo minus adſentiar, cohibent me diverſi *aquæ* & *fluminis* ſignificatus. Recte interim monet, *aha* pro flumine, quamvis hodie extinctum videatur, veſtigia tamen ſui ubique in Germania reliquiſſe, nonſo-

lum in nominibus fluviorum *Kinzach, Aiterach, Mernach, Geiſach, Kaslach*, ſed etiam Oppidorum, *Rufach, Biberach, Bacherach*, & ſimilium, quorum nomenclatura haud dubie ab alluentibus fluviis deſumpta eſt.

ACHEN, Belgice *Aken*, Lat. *Aquisgranum*. Vox Germanica, cum ſit ab aquis deſumpta, nullam habet difficultatem. Sed quid ſit *granum* in Latina, haud æque manifeſtum. Nomen AQUISGRANI jam Caroli M. ævo innotuiſſe, contra PAPEBROCHIUM oſtendit MABILLONIUS de Re Diplom. Lib. II. Cap. XXVII. §. 12. Initia nobiliſſimæ Civitatis ad GRANUM quendam, Neronis & Agrippæ fratrem, vel ab ipſo Carolo M. in quodam Diplomate, quamvis ſuſpecto, referuntur. Cujus traditionis infirmitatem pluribus oſtendunt GUNDLINGIANA XIIX. pag. 234. & ſimul nomen aquis junctum vel *viriditatem* vel *flumen* denotare poſſe, ex vocibus *gruna* & *gerunna* colligunt. BAXTER in Gloſſario Antiquitatum Britannicarum pag. 130. *Aquisgranum* interpretatur *fontes ſolis*, quia *Grein* Ibernis pro ſole eſt. Nob. ECCARDUS in Diſſert. *de Apolline Granno* nomen loci a ſaburra deſumit, quæ Cambris dicitur *graian*, forte quod terra circa urbem ſit valde ſterilis & glareoſa. An res Etymologiæ reſpondeat, neſcio. Interim ſuſpicor, illud *granum* formatum eſſe a Belgico *kran*, ſiphunculus, tubus, canalis, vel certe a Græco κρήνη fons, ut quemadmodum *Hippocrene* eſt fons pegaſeus, ſic *Aquigranum* ſit fons aquarum ſalubrium. Harum enim jam olim tanta erat celebritas, ut Carolus M. thermarum gratia ſuam ibi ſedem collocaret, teſte EGINHARDO in vita Caroli Cap. 22. *Delectabatur etiam* KAROLUS *vaporibus aquarum naturaliter calentium, frequenti natatu corpus exercens, cujus adeo peritus fuit, ut nullus ei juſte valeat anteferri. Ob hoc etiam* AQUISGRANI (en veteſtatem nominis) REGIAM *exſtruxit, ibique extremis vitæ annis uſque ad obitum perpetim habitavit.*

ACHSEL, humerus. Hebr. *azzil*, Angloſax. *ehsle, eaxle, exla*, & inde *eax-clath* humerale, Franc. & Alam. *ahſal*. Gloſſ. Keron. humeris *ahſalom*. Verel. in Ind. *æxla* in humeros ſuſcipere, *axlbyrd* onus, quantum humeris portari poteſt. Celtis ſignificat alam. Hinc *aſgell* in Lexico Ant. Brit. BOXHORNII exponitur *ala*. Et Latinis *axilla* eſt parva ala, apud MARTINIUM. Ut adeo vox ab avibus ad homines, ob qualemcunque humerorum cum alis ſimilitudinem, profecta videatur. Sed Latino-Barbari ab humeris redierunt ad alas. Hinc illis *aſcella* ala, & *aſcellare* furca alaris, qua humeri claudicantium ſuſpenduntur, ad firmandos greſſus. Gothi hæc neſciunt, & humerum vocant *ams*, plur. *amſans*, haud dubie a Græco ὦμος, unde etiam *humeri* Latinis, ſicut Gallis *eſpaule* a *ſcapula*.

ACHT, bis quatuor. Græc. ὀκτὼ, Lat. *octo*, Goth. *ahtau*, Angloſax. *eahta*, Franc. & Alam. *aht*, Præcop. *athe*. Conſenſum reliquorum idiomatum vide apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 42. Etymon, ſi quod eſt, adhuc valde obſcurum eſt. Interim ab *acht* derivantur & componuntur:

achte, octavus, Goth. *ahtudo*. Angloſax. *eahtothe*, Alam. *ahtodo*, apud Ker. in Gloſſ.

achtzehen, octodecim, Angloſax. *eahtatyne*.

achtzig, octoginta, Goth. *ahtautehund*, Angloſax. *eahtatig, hund-eahtatig*.

achtzigſte, octogeſimus, Alam. *achtozogoſto*, apud Keron. in Gloſſ.

Cambri octonario præfigunt W. dicendo *wyth*, quod imitantur Galli in *huit*.

ACHT, varias mentis operationes denotat, *conſiderationem, attentionem, obſervationem &c.* pro vario verbi *achten* ſignificatu.

ACHT, perſecutio. Angloſax. *ehtnyſſe*, Franc. & Alam. *ahtunga*. Gloſſ. Keron. perſecutionem *aahtunga*. Notkerus Pſalm. LIX, 10. *in fiure ahtungo*, in igne perſecutionis. Græcis ἐχθος odium. Cuncta ab *achten* perſequi. Moribus antiquis dividitur in *publicam* & *privatam*, quamvis nominibus indiſcretis.

ACHT, proſcriptio, perſecutio publica. Hujus perſecutionis ea vis eſt, ut proſcriptum fortunis omnibus, & ſæpe etiam vita exuat. Omnes enim contra proſcriptum armantur, tanquam contra hoſtem publicum, & cuivis liberum eſt, vincula illi injicere, captumque ad judicem remittere. Vide Jus prov. Alam. Cap. 250. & 251. Helvetiis præcæteris Germanis id peculiare eſt, quod illis proſcriptio vocatur *aach*, teſte *Pictorio* in Diction. Hoc GOLDASTUM ſeduxit, ut vocem Germanicam *acht* ab *ach* aqua, & hoc a Lat. *aqua* arceſſeret, quaſi Bannus imperii ſit *aquæ & ignis interdictio*, præſertim cum Judices (uti ſcribit) priſco ritu in ſententia damnationis initiales tantum literas adſcriberent, hoc modo AQ. unde Helvetiis *aach* aqua & proſcriptio. Vide ejus Animadverſ. in Paræner. pag. 428. Verum Helvetiorum illud *aach*, quatenus proſcriptionem notat, non eſt ab ullo ritu, quem fruſtra fingit Goldaſtus, ſed potius a ſegnitie pronunciantium, qui, dum literam T deglutiunt, videntur dicere *aquam*, quum volunt dicere *proſcriptionem*. Amant hanc in pronunciando pigritiam inprimis Gothi, qui literam illam in medio vocis ſæpe elidunt, ut infra oſtendam in *achten* arbitrari.

ACHT, vindicta privata. Idem quod perſecutio. Occurrit eo ſenſu in compoſito *aht-eid*, quod extat in Legibus popularibus Taſſilonis §. VI. ubi exponitur *Sacramentum*. Agitur autem de Sacramento ejus, qui vindictam meditatur. Quod cum non animadvertiſſet LINDENBROGIUS, *acht* ad bannum retulit. SPELMANNUS vocem Boioaricam componit ex *ath* juramentum, & *tied* obſtrictus, quod eſt a *tian* ligare, quaſi

abteid ſit juramento obſtrictus. Sed hæc interpretatio non ſolum a lege, ſed etiam a voce recedit. SCHILTERO *abteid* eſt juramentum calumniæ, quod provocans ad pugnam prius jurare debuerit, *ſe non calumniandi, perſequendi, aut vexandi cauſa hoc facere.* Mihi videtur proprie denotare *juramentum vindictæ*, quod dimicaturi ſibi mutuo præſtabant. Idque ex LEGE NORMANNICA, ab ill. LUDEWIGIO nuper publicata, omnino manifeſtum eſt, in qua formulæ mutui iſtius juramenti, & reliquæ circumſtantiæ, recitantur his verbis Part. II. Cap. II. §. 10. *Poſt hoc autem pugiles ad campum convocentur, & juret primus* DEFENSOR *per verba de Duello recitata, flexis ambobus genibus, & tenebunt ſe per manus,* APPELLATOR *a dextris, &* DEFENSOR *a ſiniſtris. Interrogato ab utroque & reſponſo nomen, quo denominantur in Baptiſmo, & utrum credat in Patrem & Filium & Spiritum Sanctum? Et utrum teneat fidem, quam ſancta conſervet Eccleſia, & reſponſo ab utroque, quod ita, & tunc jurabit in hac forma.*

(Juramentum Defenſoris ſeu provocati.)

AUDI. HOMO. QUEM. TENEO. PER. SINISTRAM. QUI. TE. N. IN. BAPTISMO. FACIS. APPELLARI. QUOD. EGO. PATREM. TUUM. NON. MULTRAVI. IN. CRUDELITATE. NEC. IN. FELONIA. SI. DEUS. ME. ADIUVET. ET. SACROSANCTA.

Jurabit autem & alius ſic.

(Juramentum Appellatoris ſeu provocantis.)

AUDI. HOMO. QUEM. PER. MANUM. DEXTRAM. TENEO. QUI. TE. N. IN. BAPTISMO. FACIS. APPELLARE. QUOD. DE. OMNIBUS. VERBIS. QUE. JURASTI. TE. PERIURASTI. SI. DEUS. ME. ADIUVET. ET. SACROSANCTA.

Deinde jurabunt SORCERIAS, *& primus Defenſor, quod nec per ſe, nec per alium in Campo* SORCERIAS *fecit afferre, que ei poſſint vel debeant juvare, vel parti adverſe nocere. Et appellator conſequenter jurabit ſimiliter.* Tom. VII. Diplom. pag. 278. His rite juratis Judex (nam absque Judicis permiſſu nemini duello contendere licebat) *vindictæ jurantium*, unde ipſi juramento nomen, habenas laxabat. De hac ſæva & inhumana Priſcorum, armis ſive objecta diluendi, ſive lites decernendi conſuetudine, vide plura apud CANGIUM in voce *Duellum*, & apud SPELMANNUM in voce *Campus*. Primus hujus inſtituti ſtator & inventor fuit *Gondebaldus* R. Burg. ut oſtendi inter *Ordalia*.

ACHT, bellum. Ex eodem fonte ut reliqua, ob communem perſecutionis naturam. Quid enim eſt bellum, niſi ſtatus populorum, qui ſe mutuo vi & armis perſequuntur? Extat eo ſenſu *aht* apud OTFRIDUM Lib. I. Cap. I, 175. ubi de Francis dicitur:

Sie in ſibbu joh in ahtu
Sin Alexanderes ſlahtu.

Vertit SCHERZIUS:

Illi in pace & in bello
Sunt Alexandri generis.

Id eſt, ſimiles Alexandro, iisdem artibus Belli & Pacis inſtructi. Aliam loci interpretationem ſequitur SCHILTERUS: aliam LEIBNITIUS in Origine Francorum § VII. ſed cel. SCHERZII interpretatio omnibus eſt præferenda, ſi quid judicare poſſum.

ACHTBAR. v. *bar* ſpectabilis.

ACHTEN, proprie ſignificat *ſequi*, ſive id fiat corpore, ſive animo, derivaturque a Belgico *achter* pone, poſt, quia ſequi eſt ire poſt alium. Hoc verbum pro vario *ſequendi* modo, qui poteſt eſſe *corporalis*, vel *mentalis*, varios induit ſignificatus, non fortuito efformatos, ſed juſta & eleganti ſerie cohærentes. Cel. SCHILTERUS catenam ſignificationum in Gloſſ. pag. 7. ita proponit: *Significat 1. attendere, obſervare attente, achtung geben auf &c. idque generatim. 2. de re obſervata judicare, arbitrari, exiſtimare prout ea eſt, non ſimulate, hypocritice. 3. in ſpecie æſtimando rem quoad precium ejus, æſtimare, ſchætzen. 4. perſonam æſtimare, hoch achten, werth ſchætzen. 5. hinc & numerare, vide Ahtinga. 6. in malam partem, obſervare perſonam ad eam perſequendam. Et denique 7. proſcribendam.* Verum cum in hac Catena ſignificatus *ſequendi*, qui reliquorum ductor, ſit omiſſus, hinc fieri aliter non poteſt, quam ut ea, quæ primo intuitu adparent ordinata, mihi videantur præpoſtera. Nam *achten* primo eſt *ſequi*, hoc eſt, ire poſt alium. Secundo *ſectari*, *obſequi* &c. ſi alium bono animo ſequamur, *perſequi*, *turbare*, ſi malo animo. Poſtremo idem verbum translatum eſt ad actus mentis, quia *conſiderare*, *deliberare* &c. revera nihil aliud eſt quam *cogitatu proſequi*. Nos hunc ſignificatum, etiamſi natura ultimus ſit, primo loco conſiderabimus, ſalva tamen etymologia, quam modo adduximus.

ACHTEN, conſiderare, meditari. Proprie cogitatu proſequi. Tatianus VI, 6. *Maria gihielt allu thiſu uuort, ahtonti in ira herzen*: Maria autem conſervabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. OTFRIDUS Lib. I. Cap. IV, 157. de populo:

Sic fuoron drurenti,
Joh ouh tho ahtonti.
Diſcedebant mœrentes,
Atque meditabundi.

Hinc cogitationes Francis paſſim vocantur *ahton*, quaſi animi proſecutiones. OTFRIDUS Lib. II. Cap. IV, 69.

Untar theſen ahton,
joh managen gedrahton.

Quæ verba recte vertit SCHILTERUS: *Inter has cogitationes Et varias conſultationes.* Eodem obſervante *meditatio cordis* Notkero in Pſalmis dicitur *herzens-ahta*. Hodie quoque *achten* ſæpe eſt conſiderare, & *acht* conſideratio. Sic vulgo dicimus, *was tæglich*

lich geſchiehet das achtet man nicht, quæ cottidie fiunt non conſiderantur, hoc eſt, non ad animum revocantur: *er hat keine acht darauf gehabt*, non cogitavit de ea re.

ACHTEN, deliberare, conſultare. Id eſt, proſequi cogitatu, quid agendum aut omittendum ſit. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. VIII, 6.

Bigondun thie Euuarton
Ahton kleinen uuorton.
Cœperunt Sacerdotes
Deliberare ſubtilibus verbis.

Hodie obſoleſcit.

ACHTEN, attendere, animum advertere. Id eſt, ita proſequi cogitatu, ut totus animus præſens ſit. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXV, 47. *ioh ir ouh uuiht thes ni ahtot*, non attenditis, non animadvertitis, quod præſtet, unum pro ſingulis mori. Hodie *acht* ſæpe animadverſionem notat. Sic vulgo dicimus, *ich hab es nicht in acht genommen*, non animadverti.

ACHTEN, judicare. Id eſt, ita proſequi cogitatu, ut bona a malis, vera a falſis, certa ab incertis diſcernantur. Quod tunc demum recte fit, quando mens in judicando eas ſequitur cogitationes, quæ ex præcognitis neceſſario ſequuntur. Et tamen ſi in judicando ſæpe erremus, ſemper tamen ſequimur anteceptas mentis cogitationes, & ex illis alias, quas *conſequentias* vocant, elicimus. Quod cum optime viderit Antiquitas, nomen judicio a *ſequendo* ſapienter impoſuit. Gloſſ. Pez. opinari *ahton*, autumant *ahtont*, ducis *ahtos*, duxit *ahtota*, opinio *ahtunga*. Gothi dicunt *ahjan* Matth. X, 34. *ni ahjaith thatei quemjau lagjan gawairthi ana airtha*, nolite arbitrari, quod venerim ponere pacem in terra. Solent enim Gothi literas T & D in medio vocis libenter mutare in *Jod*, quod pluribus exemplis oſtendi in PROLEGOM. Sect. III. Nos in pronunciando ſequimur Francos, non Gothos. Hinc nobis *achten* arbitrari, *ich erachte* judico, *meines erachtens* meo judicio, *für eine ehre achten* honori ducere.

ACHTEN, numerare. Rurſus a *ſequendo*, quoniam computantes in colligendis numeris ſeriem numerorum ſequuntur. Inde numerus *ahtmga*, in Gloſſ. Lipſ. Hodie obſoleſcit.

ACHTEN, æſtimare, parvi vel magni, ſecundum computum, quem omnes ſibi de pretio rerum & perſonarum formant. Nam ab hoc computo, ſive vero ſive falſo, pendet ipſius rei æſtimatio. Latini dicunt *eſſe in numero*, *haberi in numero*, pro æſtimari & in pretio haberi. Eamque ob cauſam ſenſus a numerando ad æſtimandum translatus eſt, quia æſtimare eſt computare. Hinc æſtimare Angloſax. dicitur *ehtian*, Francis *ahton*. Gloſſ. Boxh. *luzzil hahtonter* parvipendens. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XX, 127. de Judæis Sabbatum nimis extollentibus:

Ahtotun iz reinor,
joh harto filu kleinor.
Æſtimabant illud purius
Et longe pretioſius.

ACHTEN, obſervare, curare, cuſtodire. Dicitur de rebus æſtimatis tantum. Nam has ſolas cura & obſervatione noſtra dignas cenſemus. Quæ vero nullius pretii aut valoris ſunt apud nos, ea nec curamus ipſi, nec aliis curanda committimus. Unde manifeſtum, ſenſum ab æſtimatione ad obſervationem, quæ æſtimationis ubique comes & ſocia, traductum eſſe. Hic ſenſus cognoſcitur ex compoſitis & derivatis. Francis *ahta* cura, apud SCHILTERUM in Gloſſario. Angloſaxonibus *ahte-ſwan* porcarius, a cuſtodia porcorum. Gothis *bi-uhti* conſuetudo, ab obſervantia, quod ante SCHILTERUM nemo animadvertit, ne ſummi quidem in Literatura Gothica viri, JUNIUS & STIERNHIELMIUS, qui eam vocem in Gloſſariis ſuis intactam reliquerunt. Hodie quoque *achten* eſt obſervare, curare. LUTH. Joh. X, 13. *er iſt ein miedling, und achtet der ſchafe nicht.* Inde *acht* obſervantia, cura, cuſtodia, *acht auf einen geben* obſervare aliquem, bono & malo ſenſu, *in acht nemen* curare ne quid res detrimenti capiat, vel ut imperata fiant, *ſich in acht nemen* cavere ſibi, *achtſam* curioſus, *unachtſam* negligens, cui nulla rei neceſſariæ cura, *beobachten* obſervare &c.

ACHTEN, obſequi, ſequi juvandi & miniſtrandi cauſa. A *ſequendo*, ut Latinum. Hinc miniſtrare Gothis dicitur *andbahtjan*, Marc. X, 45. Angloſaxonibus *embehtan*, Francis & Alam. *ambahtan*. Gloſſ. Keron. miniſtraverit *ambahtit*, ſubminiſtret *untarambahte*. Oritur ab *embe* circa, & *ehtan* ſequi, ſic ut *embehtan* proprie ſit circumſectari aliquem officii & obſequii cauſa. Si Gothi dicunt *and* pro *am*, id ex vitioſa pronunciatione eſt, quæ etymologiam non debet turbare. Hinc aſſentiri non poſſum celeberrimis ULPHILÆ interpretibus, qui, cum vocem Gothicam ex reliquis Dialectis ſanare potuiſſent, maluerunt etymologias vitio conformes effingere, quam vitium ipſum agnoſcere aut emendare. JUNIUS, qui primus ULFILAM aggreſſus eſt, vocem Gothicam componit ab *and* contra, & *bah* tergum, quod miniſtrantes proxime circumſtent eos, quorum aſſeclæ ſunt: ſenſu quidem commodo, ſed litera T contumaciter repugnante. STIERNHIELMIUS, qui ſecundas manus ULFILÆ admovit, meliora daturus ſic præfatur: *Circa originem hujus vocis multa nugantur viri etiam doctiſſimi. Sunt, qui Latinam volunt, ab* AM & ACTUS, *fruſtra & imperite. Vox eſt Celtica, Gothica, Germanica, Norvagica, omnibus linguæ Scythicæ Dialectis communis. In Legibus Suethicis, Danicis, Norvagicis paſſim legitur* AMBUT, OMBAT, & UMBAT. UMBUDS-MAN, EMBETS-MAN *officiarius, opifex*, EMBETE *officium, etiam opificium. Pro*

Servo

Servo, etiam pro procuratore, pro villico. His præmiſſis *ambat* componit ex *am* vel *an* & *biuda* præcipere, mandare. Si vera eſt origo, cur ergo Gothi dicunt *andbaht*? Sed falſam eſſe, res ipſa & nomen rei arguit, quod in Codice Argenteo nunquam de miniſtris imperantibus, ſed ſervientibus tantum uſurpatur. Servum autem ab imperio denominari, quis ſibi perſuaſerit? Reſtat ergo, ut ſervus & miniſter dicatur *ambacht* ab obſequio. Hanc vocem cuſtodiunt Saxones & Franci, & hanc ſolam veram & intemeratam eſſe, ex optimo & perſpicuo ejus ſenſu intelligitur. Reliquæ ex illa ſunt depravatæ, primo quidem *andbaht*, dum *and* ponitur pro *am*, poſtea etiam *ambat*, dum gutturalis in medio vocis eliditur, quod Septemtrionalibus admodum familiare in innumeris vocibus.

ACHTEN, vel *ächten*, perſequi, ſequi deſtruendi cauſa, *durchächten* valde perſequi. A ſequendo, ut Latinum. Angloſax. *ehtan*, Franc. & Alam. *ahton*. Gloſſ. Lipſ. *ehton* perſequi, *ehton ſal* perſequar, *ehtindun* perſequentibus. TATIANUS XXXII, 2. *betot furi thie ahtenton*, orate pro perſequentibus. XLIV, 15. *mit thiu ſie juuer ahtent in thero burgi, fluhtet in andera*, cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam. Græcis ἐχθω odio habeo, manifeſto cum cæteris conſenſu. Hodie dicimus *verfolgen* eodem ſenſu, a *folgen* ſequi.

ACHTEN, turbare, tumultuari. Gothi hoc ſenſu dicunt *auhjan*, & inde *auhjodei* tumultus, ſeditio, quia ſcil. literam T. in medio vocis ſolent mutare in *Jod*, ut paulo ante monui. JUNIUS voces Gothicas deducit ab *auhn* furnus, quod ſeditioſi fornacis inſtar æſtuent, & ſeditio Latinis quoque ſcriptoribus *accendi, exardeſcere*, & *deflagrare* dicatur. Mihi videtur verbum Gothicum factum e genuino *achten*, quia Græcis ἐχθεῖν idem ſignificat, & inde ἐχθησις pro θόρυβος tumultus, apud HESYCHIUM.

ACHTER, vel *ächter* perſecutor. Ab *achten* perſequi. Angloſaxon. *ehtere*, Franc. *ahtor, echter*. Senſus apud NOTKERUM paſſim obvius, quem diligentiſſime annotavit Cel. SCHILTERUS in Gloſſario, unde ſequentia decerpo, *ahtero* perſequentium, *ahtarin* perſecutoribus, *von minen echtern* a perſequentibus me. Quibus convenit Græc. ἐχθρός hoſtis qui ante fuit amicus. Hodie obſoleſcit

ACHTER, vel *ächter*, a judice proſcriptus vel bannitus. Extat in Jure prov. Alam. Cap. 86. cujus inſcriptio: *Von den Ähtern*, de Proſcriptis. Oritur, non ab *ähten* perſequi (perſecutionem enim non facit, ſed patitur), ſed immediate ab *acht* proſcriptio, ſic ut *ächter* proprie ſit homo banni.

ACHTER, vel *ächter*, turbator Reip. inimicus Patriæ, qui in cives, a quibus proſcriptus eſt, viciſſim graſſatur, pacem & ſecuritatem publicam evertens. Acceptio ſingularis, qua videntur uti Alamanni in Jure prov. Cap. 251. cujus inſcriptio: *Der ainen Æhter oder Fridbrecher jagt*, de eo, qui turbatorem pacis publicæ perſequitur. Refer ad *achten* turbare, tumultuari.

ACHT-SCHAZ, ſive *ächt-ſchaz*, pecunia a proſcriptis ſolvi debita. Extat in Jure prov. Alam. Cap. 89. cujus Inſcriptio: *Von ähtſchatze*. Cætera vide in *Schatz*.

ACHTUNG, æſtimatio. Angloſax. *ähte, eahtunge*, Belg. *achte, achtinghe*. Refer ad *achten* æſtimare.

ACHTUNG, obſervatio, cura, cuſtodia, *achtung geben* obſervare cum cura, cuſtodire. Refer ad *achten* obſervare.

ACHTUNG, perſecutio. V. *acht*.

ACKER, terra arabilis, Gr. ἀγρὸς, Lat. *ager*, Camb. *atcor*, Armor. *acre*, Goth. *akrs*, Matth. XXVII, 8. Angloſax. *æcer*, ibid. & alibi *æccer*, Franc. *akar, accar*, Alam. *achra*. Gloſſ. Keron. agro *achre*, agrorum *achro*, agris *achrun*. Gloſſ. Boxh. *acharla* agellus. TATIAN. Cap. LXXII, 1. *Sata guotan ſamen in ſinan accar*, ſeminavit bonum ſemen in agro ſuo. Inde Latino-Barbaris *acra* menſura terræ portio, jugerum, aut ſimilis dimenſio, apud SPELMANNUM in voce. In Linguis orientalibus, Heb. Syr. & Arab. *ickar, akoro*, & *akkaron*, non agrum nec jugerum, ut in reliquis linguis, ſed agricultorem ſignificat.

ACKERMANN, agricola, colonus. Angloſax. *æcer-mon, æcer-ceorl*, Franc. & Alam. *acharman*. Gloſſ. Pez. agricultura *acharmanne*. Lege *agricultore*.

ACKERN, arare, terram vomere proſcindere. Derivatum novum. Verbum antiquum vide in *eren* arare.

ADEBAR, ciconia. V. *edebar*.

ADEL, nobilitas, proſapia nobilis. Angloſaxonibus *æthelo*, apud BENSONIUM, Francis *adal*, apud OTFRIDUM Lib. III. Cap. XVI, 90. Cambris *eddyl* eſt gens, cognatio, in Gloſſ. Celt. LEIBNITII, Alamannis *edil* genus, familia. Patet ex verbis ISIDORI Cap. V. in fine: *chichundimes aub nu dhes edhili endi odhil*, demonſtremus nunc etiam genus & patriam ejus. Idem Cap. VII. *chundida bifora dhaz ir in ſines edhiles fleiſche quhoman ſcolde*, prænunciabat ſe venturum in carne generis ejus, h. e. in ſemine Abrahæ. Et rurſus Cap. VIII. *ni uueizs ih einighan chuninc ſona Judaſes edhile*, neſcio quem regem ex genere Judæ. Utrumque vocabulum, tam Celticum quam Alamannicum, videtur proprie deſignare *genus paternum*, & derivari ab *ætte* pater. Ex eodem fonte hauriri poterat *adel* nobilitas, ut proprie ſit *patriciatus* a patribus ſic dictus. Optime autem majores noſtri nobilitatem a patribus appellare inſtituerunt. Quid enim eſt nobilitas niſi claritas avita? Et claritas avita quid eſt, niſi magna Patrum virtus, in gerendis qua pace qua bello magiſtratibus? Hoc ut evincam, laudandi mihi ſunt Græci & Latini ſcriptores, de nobilitate paria tra-

dentes, non ſua tantum, ſed etiam Germanica. *Nobilitas*, definiente ARISTOTELE Lib. 2. Rhetoricor. Cap. 15. *eſt quædam* MAJORUM *dignitas*. Græcis nobilis dicitur ἐυγενὴς, quaſi bene natus, quod imitantur Germani in *wolgeboren*, titulo nobilibus proprio. Sic & Latini nobilitatem *patriciatum* a claris parentibus vocant. Et Romæ ii demum cenſebantur nobiles, quorum patres magiſtratus geſſerant majores, ædilitatem, quæſturam, prætoram, dictaturam, ſenatoriam dignitatem, conſulatum. Et de his intelligendi ſunt Poëtæ, quoties nobilitatem in *imaginibus majorum* collocant. Nobilitas enim erat gentile decus, & multorum ex uno genere prodeuntium clariſſimorum virorum ſucceſſio. Ex his judicium ferri debet de ſcriptoribus Romanis, quoties GERMANIS (quod ſæpe fit) NOBILITATEM tribuunt. Qualis illa fuerit, TACITUS optimus nobilitatis æſtimator, & rerum Germanicarum diligentiſſimus ſcriptor, Cap. XIII. de M. G. prodidit his verbis: INSIGNIS NOBILITAS, *& magna* PATRUM MERITA, *Principis dignationem etiam adoleſcentulis adſignant*. Ubi per nobilitatem non bona avita, ſed potius genus avitum indicat. Nec aliter ſentire poſſum, quoties recogito, Tacitum Latine loqui, & alibi *genus Marobodui*, & *ſtirpem Claudii Civilis* laudibus extollere. Illa vero merita, quæ mox cum nobilitate conjungit, quid ſunt, niſi merita paterna in Remp. unde generis aviti ſplendor & claritudo exiſtit? In his ergo duobus, antiquitate & claritate generis, ſi Taciti auctoritatem & nominis etymon non adſpernamur, indoles nobilitatis antiquo-Germanicæ conſiſtet. Ex hac nobilitate, eodem Tacito memorante, prodierunt Reges veterum Germanorum Cap. VII. Reges Marcomannorum & Quadorum Cap. XLII. Principes Batavorum Hiſt. IV. 13. Principes Cheruſcorum, memorante VELLEJO Lib. II. Cap. 118. & ſecutis temporibus Reges quoque Francorum, teſte GREGORIO Turonenſe Lib. II. 9. & Reges Longobardorum, teſte WARNEFRIDO in Geſtis Cap. 14. L. I.

Nomina Propria ex interpretatione *Grotii.*

ATHALARICHUS, nobilitate pollens. Theodorici R. Gothorum in Italia ex Amalaſuentha filia nepos & ſucceſſor apud PROCOPIUM.

ADALGISUS, nobilitate fortior. Aliam interpretationem vide in *edel*.

ADALWALDUS, nobilitate pollens. Bremenſis de illo: *Adalwaldus magno prædicandi fervore Evangelii Suediam ingreſſus.*

Nomina Propria ex Indicibus *Goldaſti.*

ADALBERT, nobilitate clarus.

ADALBOLD, nobilitate fretus, a *bald* audax.

ADALHART, nobilitate ferox.

ADALHELM, protector nobilitatis, ab *hilma* tegere.

ADALMUNT, defenſor nobilitatis, vel defenſor nobilis.

Huc etiam ſpectant *Udalbert*, *Udalrich*, & contracte ULRICH.

ADEL-ERBE, hæreditas legitima. Vocem exhibet OTFRIDUS Lib. I. Cap. XVIII. 57. 58. ubi paradiſus, noſtra olim patria, unde noſtro vitio exulamus, vocatur *adalerbi*. De ſenſu non convenit inter Commentatores. SCHILTERUS interpretatur *nobilem hæreditatem*, allodium, & bonum aviaticum: STADENIUS *propriam hæreditatem*, ſive poſſeſſionem hæreditariam: SCHERZIUS *primariam & præcipuam hæreditatem*. Nos noſtræ interpretationi inhæremus, eoque magis, quod *adal* eo ſenſu ſæpiſſime occurrat in Indice VERELII, unde ſequentia decerpimus,

adalman maritus legitimus,
adalkona uxor legitima,
adalkunu barn liberi legitimi.

Hoc ſenſu ait OTFRIDUS:

Nu ligit uns unbitherbi
Thaz unſer adalerbi.

Innuens, hæreditatem noſtram legitimam ſive paradiſum nunc nobis jacere vervacti inſtar inutilem nullosque fructus ferentem. Eadem vox recurrit Lib. III. Cap. I. 80. nec alio ſignificatu. De origine vocis ita videtur ſtatuendum. Ab *æ* lex oritur *eid* jus, de quo infra, ab *eid* jus *adel* legitimus, juſtus, & juri conformis.

ADEL-ERBE, hæres legitimus. OTFRIDO *adelerbo* Lib. IV. Cap. VI. 15 LUTHERUS eundem hominem vocat *erbe* ſimpliciter, interpres Angloſaxonicus *yrfenuma* Matth. XXI. 38. Hodie obſoleſcit, ut antecedens.

ADELICH, nobilis, proprie patricius, id eſt, claris parentibus ortus & patribus ſimilis, quaſi *attalich*, ab *ette* pater & *lich* ſimilis, quod vide in PROLEGOM. Nimirum is demum vere nobilis cenſeri debet, qui non ſolum claro genere ortus eſt, ſed & ab avita virtute haud quaquam recedit. Ab hac generis & virtutis claritate *Attalici Reges* apud Phryges (quos lingua Germanicæ ſimili uſos eſſe, ex multis vocabulis manifeſtum) STRABONI memorati, nomen accepiſſe videntur. Eodem nomine infantes illuſtribus parentibus nati ſæpe affecti leguntur. Hinc ſcil. nomen ITALICO cuidam Suevorum Regi apud TACITUM Hiſt. III. 5. Unde de antiquitate vocis judicium ferri poteſt. Duravit hoc nomen diutiſſime inter Alamannos. Inde apud Goldaſtum in Indicibus EDILICHO inter nomina propria Alamannorum. Contrarium eſt *unadelich* ignobilis, obſcuro loco natus.

ADELICH, generoſus, cujus oppoſitum *unadelich* degener, quo utuntur antiqui. Gloſſ. Pez. degeneres *unadaliske*.

ADELICH, elegans, inſignis. Dicitur præcipue de animo, de moribus, ſenſu a præſtantia

ſtantia generis ad omne decorum translato. Gloſſ. Pez. ſignanter, eleganter *adalliho*. Similiter & Angloſaxonibus *æthellice* inſigniter, apud BENSON. in Vocab.

ADELING. vide *Edeling*.

ADEL-SCHALK, ſervus nobilis e comitatu Regis vel Principis. Decretum TASSILONIS part. I. §. 7. *ſervi Principis, qui dicuntur* ADELSCALCHE. LINDENBROGIO ſunt pueri nobiles, ut hodie *edel-knaben*, SPELMANNO viri in dignitate conſtituti.

ADER, ſanguis. Hunc ſignificatum colligo ex compoſitis, quale eſt Angloſax. *ædre-wegga* vena, id eſt, via ſanguinis, & noſtrum *aderlaſſen* emittere ſanguinem. Haud dubie ab ἀαρ ſanguis, per epenthefin.

ADER, vena, rivus ſanguinis. SOMNER. in Dict. AS. *ædre, ædre-wegga* vena, i. e. ſanguinis via, *ædre-ſeax* phlebotomum, ſcalprum chirurgicum, quo vena inciditur. VEREL. in Ind. *ædur* vena. Idem Danis expulſo D. *aer*, Hungaris *ér*, tanquam eſſet ab ἀαρ ſanguis, per metonym. contenti pro continente. Sed præſtat derivare ab ἀορτη vas. Quid enim ſunt venæ niſi vaſa ſanguinis? Huc ſpectat vetus compoſitum *athargrati* ruptura venæ, quod extat in Lege Bojorum Tit. III. Cap. I. 3. *ſi in eo venam percuſſerit, ut ſine igne ſanguinem ſtagnare non poſſit, quod* ATHARGRATI *vocant*. Alii legunt *atharſcarti*. Sed & prior lectio defendi poteſt, ſi vox ducatur a *kratzen* ſcindere, ſecare.

ADER, arteria, ſpiraculum animæ. Græc. ἀρτηρία, Angloſax. *ædre* ut ſupra. Senſus a vaſe ſanguinis ad conceptaculum ſpiritus ob manifeſtam utriusque ſimilitudinem translatus. Hodie utimur compoſito *luftader*.

ADER, nervus. Viget in compoſitis *ſpann-ſenn-flachs-ader* tendo. Unde ſit illa nervorum tendinumque cum venis confuſio, non liquet. Græcos quoque Φλέβας ſive venas cum nervis & arteriis confundere, obſervat MARTINIUS in voce *nervus*.

ADER, viſcera. SOMNERUS loc. cit. *ædran* renes. VERELIUS in Ind. *ydur* exta, ilia. Rhythmus de S. Annone §. 40.

Diz riche alliz bikerte ſin geweſine
In ſin eiginin adere.

Vertit SCHILTERUS:

Totum imperium convertebat arma ſua
In propria viſcera.

Hic ſenſus videtur oriri a τρύω perforo, quia viſcera ſunt ductus & canales a natura excavati.

ADFATIMIRE, vox Ripuaria, Titulo Legis 49. ſed nemini hactenus intellecta. Proprie eſt in ſinum alterius conjicere, & inde appellatio ab Angloſaxonico *fæthm* ſinus. BENSONIUS in Vocab. Angloſax. *fæthm, fæthme* ſinus, *fæthmend, fæthmlic* ſinuoſus. VEREL. in Ind. *fadmur* gremium, complexus. Hinc *adfatomia*, vel, ut eſt in Lege Salica Tit. 48. *affatomia*, proprie eſt conjectio in ſinum, & dicitur, cum quis alium in poſſeſſionem rei ſuæ poſuerit, conjiciendo feſtucam in ſinum ejus, quod recte vidit SPELMANNUS, quamvis originis cum cæteris ignarus. SCHILTERO *affatomia* eſt diſpoſitio de hæreditate, ab Angloſax. *fadan* diſponere. Dubito. Nam in Capitulis ad Legem Salicam adjectis *affatomia* exponitur *traditio*. Vide Capit. III. an. 819. §. 10. apud BALUZIUM Tom. I. pag. 610. Erat autem traditio, ſed ſymbolica, quæ a *ſinu* recte dicebatur *inſinuatio*. Confer *buſem*.

ADGANDESTRIUS, princeps Cattorum. TACITUS Annal. II, 88. *Reperio apud ſcriptores ſenatoresque eorum temporum, Adgandeſtrii principis Cattorum lectas in ſenatu literas, quibus mortem Arminii promittebat &c.* Quod monſtrum nominis? Et quam parum fideliter traditum? At quam pulcrum, ſi legatur *Adageſtrius?* Tunc enim *feliciſſimum* ſignificat. SOMNER. in Dict. Angloſax. *ead* proſperitas, *eadig* fœlix, *eadigre* fœlicior, *eadigeſt* (*eadigeſtre*) fœliciſſimus. Plura veterum nomina a felicitate deſumpta, vide in *Od* ultimæ ſignificationis. Similis depravatio eſt, quando Græci ex *Theodelinda* fecerunt *Thuſnelda*.

ADLER, aquila. Belgis *adelaar*. An a Gr. ἀετὸς? Ita quidem nonnulli, ſed præter neceſſitatem, cum majori facilitate & elegantiori ſenſu componi poſſit ex *edel-ar* nobilis accipiter, nobilis vultur. Talis enim eſt aquila, quæ & rex avium, & Jovi ſacra cenſetur, & ſummorum Principum inſignia (ut de Aquilis Romanis nunc nihil dicam) hodieque exornat. Tradit hanc etymologiam CYRIACUS SPANGENBERG in Speculo Nobilitatis Lib. II. Cap. 2. eandemque multis rationibus confirmat doctiſſimus FRISCHIUS in Miſcell. Berol. Tom. I. pag. 61. Hoc compoſitum, quamvis ſatis aptum, novum tamen eſt, & ſæculo demum XIV. ſive a falconariis ſive ab artis Heraldicæ cultoribus inventum. Vetuſtiſſima mentio, quam FRISCHIUS reperire potuit, incidit in annum 1350. Nomen vetus & ſimplex vide infra in *ar*. Quam facile autem *ar* in compoſitis tranſeat in *er*, patet exemplo *ſperber*, quod confer.

ADOBARE, equitem creare. CANGIUS ex *adoptare* confectum putat, quod miles per arma adoptantis filius fieret, id quod ex *Caſſiodoro* Lib. 4. Var. Epiſt. 2. demonſtrat. Veriſimilius eſt, Latino-Barbaros hoc verbi a Septemtrionalibus accepiſſe; quibus *at dubba* idem ſignificat. VEREL. in Ind. *dubba til riddara* equitem creare. Opinor a τύπτω percutio, quomodo alias dicimus *zum ritter ſchlagen*, quia eques creandus gladio percutitur. Hinc *dubba* proprie eſt percutere. Et hoc ſenſu etiamnum uſurpatur in particula *dopp*, qua manum alterius ad ſtipulationem provocamus.

ADRHAMIRE, vel *arramire*, condicere ſibi vel alteri diem aut locum negotio faciendo. Occurrit eo ſenſu in Lege Lon-

gobard. Lib. I. Tit. XXV, 76. *Accuſatus ad præſentiam Comitis ſe adramiet, aut fidejuſſorem donet, qui eum adrhamiet.* Lib. II. Tit. LV, 20. *Ut Sacramenta, quæ ad palatium fuerint arramita, in palatio finiantur.* Oritur a ſimplici *ramen* definire, determinare. Hodie dixeris *anberamen.*

ADRHAMIRE, vi auferre rem furtivam ubicunque fuerit inventa. Oritur a ſimplici *ramen* capere, arripere, de quo infra. Occurrit eo ſenſu in Lege Sal. Tit. XL. *de adrhamire.* Ubi agitur de bove vel caballo furto ſurrepto, quem dominus, qui veſtigia ejus perſequitur, agnitum & deprehenſum abactori debet eripere per tertium, etiamſi illum emiſſe aut permutaſſe dixerit. Verba Legis ita ſonant: *Si quis bovem aut caballum, ſive quodlibet animal in furto perdiderit, & ejusdem veſtigia ſequitur, & id confectus fuit in tertia nocte, & ille qui id duxerit, aut emiſſe ſe aut cambiaſſe dixerit aut proclamaverit, ille qui per veſtigia ſequitur, res ſuas per tertiam manum* ADRHAMIRE *debet.* Ubi *adhramire* non eſt *per ramum in jus citare*, ſed rapinam raptori eripere, & per tertium quaſi ſequeſtrare, atque in tuto collocare, donec res ad judicem fuerit delata. Nam primo periculum erat in mora, & huic periculo alio opus erat remedio, quam citatione. Præterea *ramus* nunquam fuit ſymbolum citationis aut ſtipulationis de judicio ſiſti, & etiamſi fuiſſet, non utique a tertio, ſed ab illo ipſo, qui res ſuas vindicat, offerendus erat. Quid ſit manus tertia, & quis ejus in re furtiva uſus, clariſſime docet Lex Ripuar. Tit. XXXIII. de intertiare, §. 1. *Si quis rem ſuam cognoverit, mittat manum ſuper eam,* (id eſt, adrhamiat & per tertium auferat). *Et ſi ille, ſuper quem intertiatur, tertiam manum quærat, tunc in præſente ambo conjurare debent cum dextera armata, & cum ſiniſtra ipſam rem teneant. Unus juret, quod in propriam rem manum mittat, & alius juret, quod eam manum trahat, qui ei ipſam rem dedit &c.*

ÆCHTEN, proſcribere. Idem quod *achten* perſequi.

ÆCHTER, proſcriptus, homo banni, item turbator reipubl. Vide *achter.*

ÆCHZEN, gemere. V. *ach* gemitus.

ÆCKERN, glandes. Vox Germanis inferioribus ab Angloſaxonibus relicta, quibus *ac*, *æc* quercus, arbor glandifera, & inde *æcern*, *accern*, *accorn* glans, fructus ilicis. Germani ſuperiores dicunt *eichel*, ab *eiche* quercus, quod Francicum. Gothis *akran* eſt quilibet fructus, ventris Luc. I, 42. arboris Luc. III, 9. vineæ Luc. XX, 10. Hinc STIERNHIELMIUS dubitari poſſe exiſtimat, an glandes quercinæ hinc ortum habeant, an ab *ek* quercus? Sed res ipſa videtur condicere pro quercu.

ÆFERN, repetere, reiterare. Francis *afaron*, & compoſite *giafaron.* Gloſſ. Pez. repetere *giavaron*, repetitus *giavarter.* OTFRIDUS Lib. V. Cap. IX, 97.

Thio huah bigann er afaron
Fon Moyſeſe oub tho redinon.

Vertit SCHERZIUS:

Libros (ſacros) cœpit repetere,
De Moſe quoque narrare.

Oritur non ab adverb. ſimilitudinis *ab*, ſed ab adverb. numeri *aber.* Inde *wideræfern* denuo repetere, *wideræferung* Deuteronomium, quaſi recapitulatio Legis, & ſimilia ex ævo LUTHERI apud Commentatores Vocum Biblicarum. Ipſe uſus eſt ſimplici *æfern* Prov. XVII, 9. pro quo typographi linguæ imperiti male poſuerunt *evern.*

ÆFERN, imitari, *eines angeſicht æfern* fingere vultum alicujus, interprete SCHOTTELIO de L. Germ. pag. 1278. Non ab adverb. numeri *aber* ut antecedens, ſed ab adverb. ſimilitudinis *aber* ſecundum. Hodie utrumque obſoletum.

ÆFFEN, ridicule imitari.

ÆFFEN, illudere. Vide utrumque in *affe* ſimia.

ÆHR, ſpica. Evang. Angloſax. Matth. XII, 1. *Ongunnun pluccian tha ear and etan*, cœperunt vellere ariſtas & manducare. Hactenus imitamur Angloſaxones in voce *ear*, quæ vero, cum nimia brevitate laboret, & aurem cum ariſta confundat, haud dubie orta eſt a prolixiore *echir* per contractionem. BENSONIUS in Vocab. Angloſax. *echir* ſpica. Nec aliter inveniri in vetuſtiſſimis Angloſaxonum monumentis, teſtis eſt Fr. JUNIUS in Obſ. ad Will. pag. 136. Hoc ergo biſyllabo verum & primigenium ariſtæ nomen repræſentari, plane perſuaſus ſum, eoque magis, quod appellatio Francorum cum illo mire conſentiat. Gloſſ. Pez. ſpica *ahir.* TATIANUS Cap. LXVIII, 1. *ababrahun ahir inti azun*, vellebant ſpicas & manducabant. *Ahir* autem lingua Francorum pronunciatur ut *achir.* HELVIGIUS vocem hodiernam effingit ex Lat. *ariſta* per apocopen, vel ex Gr. ἀθήρ per ſyncopen, hoc interim ſuppoſito, vocem hodiernam eſſe primitivam & genuinam, quod falſum. Mihi priſcis illis ariſta videtur *æchir* dicta ab *ecke* acies, cuſpis, quia tota acuminata, & mucronibus munita, prorſus ut Lat. *ſpica* a ſpiculis. Et in hoc fonte videntur mihi convenire etiam aliæ voces, quibus eadem res deſignatur, cujusmodi ſunt, quod ſpica Angloſax. rurſus dicitur *egla*, in Gloſſis ÆLFRICI, Gothis *ahs* in Evangelio Marc. IV, 28. Danis & Suecis *ags.* Quæ certe non aliunde ſunt deſumptæ quam a ſimpliciſſimo *ec*, *ek*, *eg*, *ech*, *eh* acies, quamvis per varia derivandi media, & terminationibus magis vel minus diverſis, ut fieri ſolet in Dialectis. Neque hoc ullam habet difficultatem, niſi forte apud illos, qui in transmutationibus literarum nondum ſatis ſunt exercitati.

ÆLTE, vetuſtas, ſenecta. Angloſax. *ylde*, Franc. *eldi.* Gloſſ. Lipſ. *eldi* ſenecta, *ureldi* ſenium. Ab *alt* vetus, annoſus.

ÆNDERN, mutare. Vide in *ander.*

ÆNE, avus. Ita vulgus in Suevia, priſci ſermo-

ſermonis tenax. Gloſſ. Florent. apud Staden. in Voc. Bibl. pag. 836. *ano* avus, *ana* avia, *altirano* proavus. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XI, 53. de B. Virgine:

Uuanta ira anon uuarun thanana
Gotes drut thegana.
Nam majores ejus erant
Fideles Dei miniſtri.

Audi etymon bove dignum Gloſſatoris ad *Land-recht* Art. 29. Lib. 3. *Das Wort* AHNEN *iſt aus dem Latein gezogen, von dem wörtlein* ANUS, *welches heiſſet der hinder an dem menſchen.* Contumeliam hoc dixeris, non etymologiam. Mirum eſt hunc ſcriptorem majores ſuos non deduxiſſe ab *affinis* per ſyncopen. Proprie ſignificat *auctorem generis*, ut oſtendi in adverb. ordinis *an.* Ab *æne* componuntur *elteræne* proavus, pater avi, quaſi ſenior & antiquior avus, *uræne* abavus, pater proavi, ab adverb. ordinis *ur*, quaſi caput & princeps avorum, *guckæne* ultimus & remotiſſimus avus. Rationem interpretationis vide in loco.

ÆNLICH, ſimilis. Alam. *anachilihho.* ISIDORUS Cap. III, 4. *Got chiſcouf mannan anachilihhan*, Deus creavit hominem ſibi ſimilem. Proprie eſt archetypo ſimilis, ab *an, ana* exemplar, & *lich, lihho, chilihho, geleich* ſimilis. De voce *ana* ejusque ortu vide plura in adverb. ordinis *an.* Angloſaxonibus *ænlic* idem denotaſſe, tacentibus Lexicographis loquitur derivatum *anlicneſſe* imago, ſimilitudo, quod extat in Evangelio Gentis Luc. XX, 24. *ywath me anne peninc, hwes anlicneſſe hæfth he*, oſtendite mihi denarium, cujus habet imaginem?

ÆR, æs. Angloſax. *ar, ær*, Franc. *er*, Island. *ær.* Gloſſ. Pez. æs *er*, faber ærarius *erſmid.* VEREL. in Ind. *ær* æs, cuprum. Hodie dicimus *erz.* Sed ab antiquo *er* derivamus *eren* æneus. Metonymice dicitur de pecunia & pretio rerum. Inde Gothis *aiz* pecunia Marc. VI, 8. Angloſax. *hyre* merces, ſtipendium, pretium, Danis antiquis *öra, ora* genus nummi, Germanis *weren* taxare, pecunia æſtimare. Cuncta veriſimiliter a Lat. *æs, æris, æſis.*

ÆSCHE, fraxinus. V. *aſche.*

ÆTTE, pater. Vox pueris apud Suevos & Helvetios familiaris, ſed antiquiſſima, & multis gentibus uſitata. Phryges nunc mitto, quorum *attagos* in Præfatione produxi. Græcis ἄτ⟨α eſt reverentiæ vocabulum junioris erga ſeniorem, & dicitur ab Achille ad Phœnicem apud HOMERUM in Iliade. Eodem nomine compellat Diana Jovem parentem ſuum apud CALLIMACHUM Hymno in Dian. verſ. 5. *Da mihi* ἄτ⟨α (ſic enim legunt quidam codices vetuſti, non ἄππα) *virginitatem æternam conſervare.* Latini, ut prodit FESTUS, pro reverentia cuilibet ſeni dicunt *atta*, quaſi patris eum nomine appellantes. Unde porro iisdem *atavus* quaſi *atta avi* dicitur. Similiter & Gothis *atta* eſt pater. Matth. VI, 9. *atta unſar thu in himinam*, pater noſter qui es in cœlis. Idem Cantabris *aita*, Friſiis *hayte, heyte, teyte*, teſte JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 71. Quibus addi poſſunt, Hungaricum *attya*, Bohemicum *otec*, Dalmaticum *otacz*, novis ſaltim flexionibus amplificata. Idque nomen etiam matri commune in multis Dialectis. Inde Gothis *aithei* mater, Luc. I, 43. Marc. III, 32. & in Bibliis Finlandicis *Jeſuxen æiti* mater JEſu, Joh. II, 1. annotante MARESCHALLO in Obſerv. pag. 422. Quibus conſonat Lapponicum *aitea*, ex relatu STIERNHIELMII in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 7. VOSSIUS ad voces naturales refert, quibus pueri parentibus blandiuntur. Neſcio, an neceſſario. Obſtat enim ingens cognatio vocabulorum, quæ una cum *ætta* videntur aliunde manaſſe, cujusmodi ſunt in veteri Islandorum lingua, *ætt* genus, proſapia, *etting* generatio, *ættingur* conſanguineus, *ættland* patria, *ættiord* natale ſolum, *ættmenn* propinqui, *ættartal* computatio genealogica, & alia plura apud VERELIUM in Indice. Hinc ſuſpicor, quod *ætta* pro generare in veteriſſima Septemtrionis lingua aliquando invaluerit. Et huc etiam refero Gr. ἔθνος gens, natio, generatio.

ÆZEN, cibare. Ab *as* cibus. NOTKERUS Pſal. CIII, 27. *allíu bitent ſíu din, daz du ſin azeſt, ſo is zit ſi*, omnes exſpectant te, ut des illis eſcam in tempore. Convenit Gr. ἔσθω, quod apud HESYCHIUM ſatiare, paſcere &c. Convenit & Lat. *obeſare*, quo utitur COLUMELLA Lib. VIII cap. 7. Hodie dicitur tantum de avibus, quæ cibo in os ingeſto pullos ſuos paſcere ſolent.

ÆZEN, allicere, eſcare decipiendi cauſa. Ab *as* cadaver, morticinium, cibus tectus & fallax, quo feræ capiuntur.

ÆZEN, dentibus conficere, *abæzen* depaſcere. Frequentativum ab *eſſen* edere.

ÆZEN, incidere, *in gold und ſilber æzen* auro & argento cælare, *in ſtein æzen* marmori inſculpere, *in kupfer æzen* cupro incidere, ſive ſcalpello ſive acri humore. Ab *ecke* acies, mutato k in z.

ÆZEN, incitare, ſtimulare, acriter impellere. VEREL. in Ind. *etia* incitare, inſtigare. Inde Francorum compoſita, *anazen, an-azung*, & ſimilia. Gloſſ. Pez. inſtigaſſet *anazzi*, incentor *anazari*, ſtimulis *anazung.* Gloſſ. Boxh. *anazentemu* inſtigante. Hic quoque ſenſus videtur ab acie deſumptus. Quid enim eſt incitare, niſi acie quadam impellere?

AFFATOMIA, quid ſit, jam dixi in *adfatimire.* Monſtrum vocis appellat ECCARDUS, ſed immerito, quia legitime facta.

AFFE, ſimia. Vox Celtica. Cambris *ap, eppa*, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Angloſaxonibus *apa*, Anglis *ape*, Belg. *aap.* HELVIGIUS a naribus ſimis deducit, quod Hebræis naſus dicatur *aph.* Sed proprie eſt mima & imitator hominis, ab *aben* imi-

tari, vel ſi mavis ἀμέτρως ab adverb. ſimilitudinis *ab*, quod in multis Dialectis tam recentibus quam antiquis effertur *af*, ut oſtendi in PROLEG. Sect. V. Nomen aptius animali imponi vix poterat. Nam ex omnibus brutis nullum eſt, quod ad ſpeciem humanam magis accedat, aut facta hominum magis imitetur. ENNIUS apud Ciceronem primo de Nat. Deorum:

Simia quam ſimilis, turpiſſima, beſtia nobis.

PLINIUS Lib. XI. cap. 44. *Simiarum genera perfectam hominis imitationem continent, facie, naribus, auribus, palpebris &c.* Lib. VIII. cap. 54. *Mira ſolertia, viſco inungi, laqueisque calceari imitatione venantium tradunt. Mutianus & latrunculis luſiſſe* &c. Appoſite etiam CYPRIANUS Epiſt. 73. *Simiarum more, quæ cum homines non ſint, homines tamen imitantur.* Hinc imitatores ſtolidi & abſurdi vulgo vocantur *ſimiæ*. Sic Regulus Ruſticum per convitium appellat *Stoicorum Simiam*, apud PLINIUM Lib. I. Epiſt. 5. Eſt & laudabile imitandi ſtudium, propter quod etiam præſtantiſſimi naturæ imitatores, & artes quoque ipſæ cum Simiis comparantur. Sic ars pictoria, cum ſit naturæ in lineis & coloribus imitatrix, hieroglyphice per Simiam deſignatur. Ob eandem cauſam TITIANUS, celebris pictor, appellatus eſt ſui temporis Simia, quod naturam perfecte imitaretur, teſte CATANÆO in not. ad Plin. Eadem vis Latini vocabuli, ſi Scythicas origines adhibeas. Nam *ſam* eſt ſimilis, in innumeris compoſitis. Et hinc fortaſſe *Simia* rectius a *ſam*, quam a *ſimis naribus* deducitur. Hunc ſenſum manifeſto præ ſe ferunt etiam alia vocabula, quibus hæc beſtia a Celtis inſignitur, cujusmodi ſunt,

a'βράνας, apud HESYCHIUM, quod ill. LEIBNITIUS in Gloſſario Celtico recte derivat ab *aber*. Nam hoc adverbium duplici pollet ſignificatu, ſimilitudinis & numeri, & derivatis ſuis neceſſario imitationem & iterationem communicat.

gwr-ab, vox Cambro-Britannis uſitata, quam JUNIUS recte componit a *gwr* vir, & *ab* ſimia, in Obſ. ad Will. p. 266.

dynwaredwr, ejusdem Dialecti, a *dynwared* imitari, eodem interprete.

Ab *affe* oriuntur verba (1) *æffen*, *nachæffen*, ridicule imitari, ut ſolent ſimiæ actiones hominum, (2) *effen* illudere ut ſimiam, habere pro ſimia. Et hinc rurſus *ap* irriſio, apud VEREL. in Ind.

AFRICA, pars mundi meridionalis, ab antiquis Celtarum Philoſophis ſic dicta, quod *regio ſimiarum* eſſet. Nomen videtur a Phrygibus conditum, ex *af* & *rice*, quorum illud ſimiam, hoc regionem, ditionem & regnum etiamnum ſignificat. Conſtat enim Phryges antiquitus uſos eſſe Lingua Germanicæ ſimili: quod ideo moneo, ne quis ad hanc etymologiam obſtupeſcat. Nomen certe Barbarum eſt, & a vetuſtiſſimis Græcorum non intellectum. HERODOTUS Lib. IV. cap. 45. *Neque poſſum conjectura colligere, unde, cum una ſit Terra, triforia ſint ei nomina indita e mulierum cognominibus.* Unde dubium non eſt, Græcos id nominis aliunde accepiſſe. A quibus autem, niſi a Phrygibus mortalium antiquiſſimis & ſapientiſſimis? Hos enim cœlum & Terram primos lineis deſcripſiſſe, & deſcriptiones ſuas Græcis tradidiſſe, alibi oſtendimus. Res ipſa mire reſpondet vocabulo. Quis enim in Geographia adeo hoſpes eſt, ut Africam ſimiarum quaſi natale ſolum eſſe neſciat? SOLINUS in Memorabilibus Africæ: *Omne autem latifundium, quod inter Ægyptum, Æthiopiam Libyamque diffunditur, quantumcunque lucis opacum eſt, varium implevit ſimiarum genus.* Ad quæ verba Commentator Solini GEORGIUS DRAUDIUS in margine notavit, *Africa ſimiarum patria.* Similia refert STRABO e Poſidonio de ſilvis Libyæ Lib. 17. Geographiæ. Confer dicta in ASIA.

AFTER, iterum. Adverb. numeri. Gothis *afira*, Angloſax. *eft*. Græcis αὖθις quaſi ἀφθις. Hodie obſoleſcit.

AFTER, ſecundum. Adverb. ſimilitudinis: Gloſſ. Lipſ. *after* ſecundum. Gloſſ. Keron. juxta *after*, ſecundum merita *after keuuahti*, ſecundum juſſionem *after kipote*. Hodie non amplius occurrit.

AFTER, poſt, retro, infra. Adverb. ordinis. Goth. *afiana*, *aftaro*, Angloſax. *æfter*, Franc. & Alam. *after*, Belg. *achter*. Gloſſ. Keron. poſt *after*, poſtea *after diu*, poſt factum *after tatim*. Quibus convenit Gr. αὖσὰρ poſtea, poſthac, poſtquam. Hodie utimur in compoſitis tantum, cujusmodi ſunt,

after-darm inteſtinum rectum.
after-geburt ſecundæ.
after-kind poſthumus.
after-rede calumnia, quaſi ſermo a tergo, quia abſentem mordet amicum.
after-erbe hæres ſubſtitutus.
after-lehn ſubfeudum.
after-lehnsmann, ſubvaſallus, ſubinfeudatus, in feudo caduco ſucceſſor. Et alia.

AFTER, per. Rhythmus de S. Annone §. 14. *after lantin* per regiones. WILLERAMUS cap. III, 1. *after dero burg* per civitatem. Significatus Cel. SCHERZIO obſervatus, in not. ad Otfrid. pag. 238.

AGLASTER, *agleſter*, pica. Gloſſ. Pez. migale, pica *agalſhra*. Proprie eſt pullus picæ, & componitur ab *age* pica, & *elſter* fœtura. Gloſſ. Æliſ. in nom. avium: pica *agu*. VEREL. in Ind. *alſter* omnis generis animalium fœtura. Ab *alen* gignere.

AGLEN, feſtuca. Angloſaxonibus *egle* non ſolum eſt feſtuca, ſed etiam carduus, ariſta, & quicquid in acumen definit. Familiam vocis vide in *ecke* cuſpis. Vocem Germanicam ſiſtit HENISCHIUS in Theſauro.

AGS-

AGSTEIN, ſuccinum. Videtur denominatum ab *ach* aqua, quia in aqua naſcitur, ſive ab *aug* oculus, quia oculis medetur. Vulgo vocant *agtſtein*, & confunduntur cum *achate*.

AHL, anguilla. Angloſax. *el*. Apud Latinos nomen habet a forma ſerpentina, apud Germanos a pinguedine, ſi derivetur ab *alen* ſaginare. Vide vero, annon *ahl* forte corruptum ſit ex *alah*. Nam in Gloſſis Pezianis anguilla exponitur *alb*. Quod ipſum videtur contractum ex *alah*. Quid autem ſit *alah*, rimatoribus antiquitatis obſcurum eſſe nequit. Nam *a*. vim negandi habet in compoſitis, ut notavimus in Præfixis: *lah* vero videtur idem eſſe quod *laich* luſus venereus. Jam cum PLINIUS anguillam animalibus adnumeret, *quibus nec genus maſculinum eſt, fœminimumve, quæque nec animal nec ovum ex ſe generant*, inſolens videri non debet, ſi majores noſtri idem ſenſerint de hoc piſce, eamque ob cauſam nomen illi creaverint ab impotentia generandi, mira in tam fœcundo elemento naturæ proprietate.

AHL, ſubula. Angloſax. *æle, ale*, Anglis *awl*, Belg. *els, elſen*, Gall. *alesne*, Ital. *leſina*, Suec. *ſyl*. Cuncta inter ſe cognata, ſed a ſutoribus adeo turbata, ut vix initium aut exitus pateat. Puto tamen *ſyl* eſſe verum & genuinum. Nam *ſy* Suecis eſt ſuere, & inde *ſyl* ſuendi inſtrumentum. A *ſyl* per aphæreſin fit *al*, & per metatheſin *els*. Ab *elſen* vero ſunt *leſina* & *alesne*, transpoſitis literis.

AHORN, platanus. Gloſſ. Pez. platanus *aborn*. Videtur eſſe ab *acernis*. Ita MARTINIUS in voce *acer*. Quem ſequitur FRISCHIUS in Voc. Bibl. pag. 193. Vox Saxonica eſt *mapulder*, quamvis obſcura. Gloſſ. Ælf. in nom. arb. acer *mapulder*, acernum *mapuldern*. Datur & tertium nomen ejusdem arboris, quod vide in *mas-holder*.

AID-STEIN, ſuccinum, lapis uſtilis, ut dixi in *eiten* uri, ardere.

AIS, ulcus. Refer ad familiam verbi *eiten* urere.

ALAMANNI, nomen commune omnium populorum, qui Marcomannis & Sociis a Danubio, Rheno, Mœnoque digreſſis in ſolo vacuo ſucceſſerunt. Horum duo genera deprehenduntur apud Hiſtoricos, ſi recte inſtituatur computatio, *Galli* & *Germani*. Nam poſt exceſſum Marcomannorum mox in ſedibus eorum trans Rhenum Danubiumque confederunt GALLI, de quibus TACITUS cap. XXIX. *Leviſſimus quisque Gallorum, & inopia audax, dubiæ poſſeſſionis ſolum occupavere*. Et deinde ſub Antoninis *Germani*, quos ex omnibus Germaniæ oris eo confluxiſſe, Lingua Alamannica, quæ certe Germanica eſt, quamvis vocabulis Gallicis mixta, ſatis prodit. Utrisque nomen commune fuit *Alamannorum*. Hinc gens Alamannica, ſi parva initia ſpectes, originem refert ad *Gallos*, ſi magnitudinem & incrementa ad *Germanos*. Eſtque omnino convena quædam multitudo ex acerrima Gallorum Germanorumque juventute congregata, prorſus ut olim plebs Romana, quæ ex diverſis Italiæ colonis coaluit. Unde mirum non eſt, ALAMANNOS, cum fuerint mixti homines, & Reſp. quædam GALLO-GERMANICA, jam haberi pro Gallis, jam ab illis diſtingui. Fuiſſe autem mixtos homines auctor eſt AGATHIAS Lib. I. qui ſuum viciſſim auctorem habet. ALAMANNI *autem*, inquit, *ſi* ASINIO QUADRATO, *viro Italico, fides præſtanda, qui res* GERMANICAS *diligenter perſcripſit*, CONVENÆ *ſunt & mixti homines, quod & eorum nomine præfertur*. Nec ASINIUM fefellit opinio. Nam prior compoſiti pars tam Gallis quam Germanis ſignificat *alium, alienum, peregrinum*, ut demonſtravi in *El*, altera vero *hominem* vel *virum*. Hinc Alamannus vi nominis eſt *homo peregrinus, alienigena, extraneus*, & *aliunde adventitius*, non Germanis tantum, ſed etiam Gallis & Britannis, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. ubi ſequentia leguntur: ELLMYN, *Alemanni, & uſurpatur pro peregrino. Ab ALL, alius*. Tales autem fuiſſe Alamannos, h. e. peregrinos in ſolo Marcomannico, ex ante dictis manifeſtum eſt. ASINIUS *convenas* vocat, quod idem. Nam *convenæ* ſunt peregrini, qui ex diverſis gentibus in unam ſive gentem ſive civitatem conveniunt. Sed & *mixtos homines* denotare poſſunt, quia *all* in compoſitis ſæpe *varium* ſignificat, quod etiam videtur noviſſe ASINIUS, utramque ſignificationem eodem nomine complexus. Dixi autem Gallos Germanis mixtos fuiſſe in illa Rep. Et hujus mixturæ manifeſta extant documenta in ipſa Lingua Alamannica. Nam in exiguo KERONIS Gloſſario, quod ne milleſimam quidem Linguæ Alamannicæ partem complectitur, plures occurrunt voces Gallicæ, quæ in cæteris Dialectis non facile reperiuntur, & haud dubie ex contagio Linguæ Gallicæ Alamannis adhæſerunt.

Gloſſ. Keron.	Boxhorn. Lex. ant. Brit.
numerus *ruaua*. numerum *ruaba*. numero *roaba*.	RHIF numerus.
mixtum (poculum) *merod*. Lege *uuerod*, & confer Reg. S. Benedicti cap. 38.	GWIROD potus.
inprobus *unkauua-rer*.	ENWIR improbus, impius.

ALAND, inula. A Gr. ἐλένιον.

ALAUDA, legio. Vox antiquo-Gallica, quam vide in *leute* milites.

ALANI, qui & *Alauni*, gens Scythica, & perpetua Gothorum aliorumque in Romanos

nos hoſtium belli ſocia. PROCOPIUS Hiſt. 4. *Quicquid terrarum a Caucaſo ad Portas Caſpias extenditur, Alani tenent.* Sic autem dicuntur velut montani, ab ALIN, quod Lingua Mungalica montem ſignificat. Auctor etymologiæ eſt clariſſ. BAYERUS Prof. Hiſt. Petropolitanus in Actis Erudit. Lipſ. Ann. 1731. pag. 316. Quæ confirmari poteſt his MARCELLINI verbis Lib. XXXI. Cap. 2. *In immenſum extentas Scythiæ ſolitudines Alani inhabitant, ex montium appellatione cognominati.*

ALBANAGIUM, peculium peregrini. Prior nominis pars eſt ab *Albani.* Albani ſunt ab *Alambanni*, Alambanni ab *Alamanni*, quos extraneos, alienigenas & aliunde adventitios ſignificare, ſupra monſtravi. Hos vulgus in Græcia appellavit *Alambannos*, per epentheſin literæ B. quantum ex Excerptis DIONIS cognoſcere licet, ubi Ἀλαμβάνοι ſæpe ponuntur pro *Alamanni.* M. & B. ſunt literæ ejusdem inſtrumenti, & confinia habent communia in labiis, adeo ut B. naturaliter incipiat, ubi M. deſinit. Inde eſt, quod litera M. in pronunciando facile poſt ſe trahat literam B. Sic *um* circa, mutari ſolet in *umb.* Et formica, quæ cæteris Germanis *ameiſe*, apud Helvetios nuncupatur *ambeis.* In iisdem Excerptis Alambanni vocantur ALBANI, omnino per ſyncopen, figuram uſitatiſſimam. Eosdem vero homines eſſe, ALAMANNOS, ALAMBANNOS, & ALBANOS, vidit ante omnes vir in Antiquitatibus illuſtrandis acutiſſimus H. VALESIUS in notis ad *Excerpta Dionis*, & poſt illum Ezech. SPANHEMIUS in laudatiſſimo opere *de uſu & præſtantia Numiſmatum.* Ergo ſive *Alamannum* dicas, ſive *Alambannum*, aut *Albanum*, ſemper dicis hominem peregrinum, prætereaque nihil. Neque in his nominibus ulla regnat differentia, niſi hæc leviſſima, quod *Albanus* ex *Alamanno* per *Alambannum* ortus ſit, varia quidem vocis mutatione, pro vulgi inconſtantia, ſalvo tamen & integro ſenſu. Mitto nunc Alambannos, & cum Albanis iter pergo. Hos non ſolum apud Græcos (Dioni vocantur Ἀλβάνοι) ſed etiam apud Latino-Barbaros offendo. Utrum a Græcis accepto vocabulo, an ſua ſponte formato, neſcio. Formari tamen ex nomine *Alamannico* potuiſſe unius literæ mutatione, intelligo. Quemadmodum enim Latinis ex στίμμι fit *ſtibium*, & Franco-Gallis ex marmore *marbre:* Ita ex *Alamannus*, vel ejus corrupto *Almanus*, facile prodire potuit *Albanus.* Verum undecunque nomen hoc hauſtum ſit, certe nihil aliud ſignificat quam peregrinum. Eumque ſignificatum diſcimus ex chartis antiquis apud SPELMANNUM & CANGIUM, ubi omnes promiſcue peregrini vocantur *Albani.* Supereſt, ut oſtendam, quid ſit *agium* in fine vocis. Nam meram terminationem eſſe non placet. Significat autem peculium, ſi formetur a Saxonico *agen* proprium. Hinc totum compoſitum aptiſſima partium conjunctione denotat ſubſtantiam, poſſeſſionem, & proprietatem peregrini. Recte igitur Jurisconſulti *Jus albanagii* definiunt, quod ſit jus Regis in bona peregrini defuncti. Galli priores illud jus appellarunt *droit d'aulbaine:* poſteri truncando literam L. originem vocis obſcurarunt.

ALBER, ſtupidus, ſtolidus, abſurdus. Cauſa appellationis non eſt in propatulo. STILERUS in Theſ. L. Germ. eam petit ab *alp* mons, unde Suecis *alfwar* gravis, aſperus, quales ſolent eſſe montigenæ, a quibus ſenſum ad omnes rudes, inſulſos, ſimplicesque translatum exiſtimat. HELVIGIUS ſcribit *elwar*, & tanquam vocem hybridam componit a Gr. ἠλεός ſtupidus, & Lat. *vir.* Ubi docta manus in Exemplari, quo utor, margini adſcripſit: *alber* ἀβέλτερος *ſtupidus.* Ego malim ab ἀλεόφρων ſtolidus, quamvis nec hoc neceſſarium ſit. Nam *bar* eſt deſtitutus, & *all* ſenſum intendit, quia ſtupidus eſt valde deſtitutus, & ad intelligendum inhabilis.

ALBERGA, & ALBERGARIA, diverſorium, ſtatio tuta ſive omnium promiſcue, ſive viatorum tantum. Italis *albergo*, Gallis prioribus *haulberge.* Omnium origo ab *herberg*, mutato R. in L. Dicitur etiam de caſtris, obſervante FERRARIO in Orig. Ling. Ital. Senſu forenſi eſt jus Domini divertendi in domo vaſalli, & præſtationes pecuniarias pro comeſtionibus exigendi, ut docet CANGIUS in voce *Herebergа.*

ALBGOW, pagus Helvetiæ. Alamanni, qui aſpera utuntur pronunciatione, vocant *Albekewe*, & *Alpicauge*, in Chartis vetuſtis apud GOLDASTUM Tom. II. Rer. Alam. num. 55. & 93. Forte idem quod pagus Alpenſis, quia proxime infra Alpes Rhæticas.

ALDERMANNUS. V. *eltermann.*

ALDIUS, ſervus, *aldia* ſerva, *aldiones* poſteri ſervorum. Voces in Legibus Longobardorum paſſim obviæ, ſed obſcuræ. In Conſtitutione Caroli M. quæ extat Lib. III. Legum Longobard. Tit. XX. *aldi* æquiparantur *litis*, his verbis: *Aldiones vel aldiæ, ea lege vivant in Italia in ſervitute Dominorum ſuorum, qua fiſcalini vel Liti vivunt in Francia.* Hinc quidam colligunt, *Aldios* & *Litos* ejusdem ordinis ſervos fuiſſe, & nomina habere idem ſignificantia, eo ſaltim diſcrimine, quod alterum Longobardicum, alterum Francicum ſit. Et illos quidem ſic dictos putant ab *halten* ſervare, quod olim eſſent ſervati, cum poterant occidi: hos vero a *letan* linquere, quod miſeratione victoris in agris relicti, cum potuerint inde depelli aut vendi. Ita videtur ſentire cel. ECCARDUS in Cat. Theor. pag. 140. & TESCHENMACHERUS ab illo laudatus. Vocem Britannicam eſſe, ſuſpicionem movet BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. AILT *verna, ſervus; ſic nativi tenentes dicebantur.* Hæc ille. *Alen* autem eſt nutrire, & hinc *alt* adultus, nutritus, quod recte dicitur de ſervo, qui in domo domini natus & nutritus eſt.

Simi-

Similia habet FERRARIUS in voce *caſtaldo*, niſi quod pro more Latinas origines commendat. Cum hac interpretatione convenit, quod *vernula* in Gloſſis Ælfrici exponitur *foſtorling*, h. e. alumnus, a *foſter* victus, quod eſt a *foden* nutrire.

ALEN, parere, gignere. Vetus Scandicum. VERELIUS in Ind. *ala* parere, *Svava ol barn* Suava peperit, *Aſta ol ſveibarn* Aſta peperit maſculum, *aldr* proles, liberi, *ſiangar aldr* liberi legitimi, *alſter* omnis generis animalium fœtura, *aldinber-ek* quercus glandifera. Hinc etiam *aldins alde* in Evang. Gothico ſunt generationes generationum Luc. I. 50. *jah armahairtai is in aldins alde thaim ogandam ina*, & miſericordia ejus in progeniei progeniem timentibus eum. Hodie ſuperat in derivato *eltern* parentes. & *voreltern* progenitores.

ALEN, creſcere, *alt* cretus, adultus. Conſentit Lat. *oleo*, *adoleſco*, *adultus*, & Græc. ἀλδαίνω creſco. Poſtea præpoſito W. ex *alen* factum eſt *walen* luxurioſe creſcere, de cujus verbi familia actum in *wels* amia.

ALEN, nutrire, educare, facere ut creſcat. Lat. *alere*, Scandis antiquis *ala*. VERELIUS loc. cit. *ala* enutrire, *aler hunda* canes enutrivit, *ſialf-alin* pecora quæ ſine cura aluntur. Quibus convenit Heb. ALAH, cujus hiphil inter alia eſt educare Ezech. XIX. 3. docente MARTINIO in verbo *alo*.

ALEN, ſaginare. VERELIUS loc. cit. *alen* ſaginatus. Inde *alidan ſtiur* vitulus ſaginatus in Evang. Goth. Luc. XV. 23. obſervante VERELIO & STIERNHIELMIO. Lat. quoque *altilia* ſunt pecora quæ ſaginantur.

ALFANZ, convicium Francicum. OTFRIDUS Lib. IV. cap. XVIII. 27.

Uuir zellent thir es ouh mer,
Biſt elibenzo fremider.

Ubi SCHILTERUS *elibenzo* interpretatur *forbannitum*, STADENIUS *monſtrum elephanto ſimile*, SCHERZIUS *excommunicatum*. Sed proprie ſignificat *aliena loquentem*, ab ἄλλο & φάζω, βάζω, quales ſunt hæretici & fanatici (Samaritani reſpectu Judæorum) in negotio religionis, & abſurdi in vita communi. Inde *alfanzen* ineptire, & *alfanzerei* ineptiæ, nugæ inconditæ. Confer *fanzen* & *fatzen*.

ALL, omnis, cunctus. Vox Celtica. Cambris & Armor. *oll*, Hibern. *oll*, *uile*, Gothis *all*, *alls*, *alla*. Inde *all hlaine* omnis collis, Lutc. III. 5. *all leike* omnis caro, Luc. III. 6. Idem Angloſax. *al*, *æl*, *eal*, pl. *ealle*: Franc. & Alam. *al*, pl. *alle*, *ellu*. Gloſſ. Keron. omnes *alle*, omnia *alliu*, omnium *allero*, *alleru*, omnibus *alleem*, cuncta *alliu*. OTFRIDUS Lib. I. cap. II. 25.

Uuio er fuar ouh thanne
Ubar himila alle,
Ubar Sunnun liht,
Joh allan theſan uuorolt thiot.
Quomodo hinc migraverit
Super omnes cœlos,
Super ſolis lumen,
Et omnes mundi populos.

ALL, totus, univerſus. Gr. ὅλος. Senſus ab omni ad totum translatus, quia totum in ſuo genere eſt quoddam omne. Nam totum dicitur, quod habet omnes partes ad integritatem rei pertinentes, & cui nihil omnino deeſt, quod ad plenitudinem naturalem requiri poteſt. Gloſſ. Keron. totam *allen*, univerſa *alliu*. Tatian. XXXVI. 3. *al thin libbamo iſt ſinſtar*, totum corpus tuum eſt tenebroſum. Gothis quoque *all* eſt totus. Inde *alla ſo baurgs* tota civitas, Matth. VIII. 34. *allbrunſt* ſacrificium quod totum crematur, Marc. I. 45. Belgæ ita diſtinguunt, ut *al* ſit omnis, *hel* totus.

ALL, ſanus, ſalvus, integer. Quia toti ſimilis. Gloſſ. Keron. ſana *alliu*, ſanas *alliu*. Hodie dicimus *heil*, & nonnunquam cum Belgis *hel*. Sic vulgo dicunt, *von heler haut* integra & illæſa cute. Quæ etiamſi videantur diſcreta, revera tamen ſunt eadem, nec differunt ab *all*, niſi præpoſito ſibilo.

ALL, varius. Ratio translationis eſt, quia varius, dum congregat diverſa, omni collective ſumpto ſimilis eſt. Et ideo *omnis* & *all* ſæpe occurrunt pro *vario* in compoſitis tam Latinorum quam Germanorum. OTFRIDUS Lib. III. cap. IV. 15. de porticibus Templi:

Thie lagun ſol almannes
Sieches enti hammes,
Hæ repletæ erant variis hominibus
Ægrotantibus atque mancis.

Gloſſ. Junian. in Will. pag. 45. *allerslagte liude* omnigenas nationes, *allerslahta krud* omnis generis herbæ, *alleroslahta bouma* omnigenæ arbores, *allerslachto uuigh uuaphane* omnis generis arma, *allerslachta dugetha* omnigenæ virtutes, *allerslachta ſicheduom* omnis generis morbi. Et huc etiam ſpectant ex ſermone hodierno *allerhand* & *allerley*.

ALL, particula intenſiva, quæ ſenſum auget in compoſitis. Sic valde egenus Ulfilæ dicitur *allatharba*, Luc. XV. 14. & perviridis Angloſax. *æl-grene*, & valde potens Francis *aluualt*, quod tribuitur Auguſto ab interprete *Tatiani* Cap. V. 11. Huc etiam ſpectat *alauuar* omnino verum, quod plus quam centies occurrit apud OTFRIDUM. Eodem ſenſu dominatur in nominibus propriis. Sic a *brecht* clarus fit ALBRECHT præclarus: a *rich* potens, ALARICUS præpotens. Hoc intenſivo mire delectantur Islandi, ut ex compoſitorum frequentia adparet apud VERELIUM *in Ind.* unde ſequentia decerpimus: *all-fair* admodum pauci, *all-feiginn* admodum hilaris, *all-fiarri* valde procul, *all-kunur* notiſſimus, *all-litill* admodum parvus, *all-runa* admodum ſapiens, *all-ven* gratiſſimus, *all-tharfr* valde utilis. Huc etiam pertinent ex idiomate hodierno, *allſo* ſic,

ita, *allgemach* ſenſim, *allzuſehr* nimis, &c.

ALLEIN, ſolus. Belgis *alleen*, Anglis *alone*. Præfixum *all* ſignificatum intendit, & ex uno ſolum facit. In priſcis Dialectis *unus* & *ſolus*, nullo diſcrimine dicitur *einer*. Gloſſ. Keron. unus *einer*, ſola *einera*, ſolum *einen*.

ALLENTHALBEN, ubique. Litera T. in medio vocis inutile augmentum eſt, a recentioribus Alamannis infartum. Jus prov. Alam. Cap. 150. §. 5. *iſt es umb ſin ere geneueſen, oder umb ſin reht, er hat ez allenthalben verlorn.* Antiquitas Francica dixit *allahalba*, ab *all* omnis, & *halb* latus, plaga. Vocem habet OTFRIDUS Lib. V. Cap. XX. 74.

ALLERHAND, varius. Vide *Prolegom.* Sect. VI. in ſubfixo *hand.*

ALLERLEY, varius. Ducta appellatio a vario colore, ut oſtendi in Subfixo *lei*, inter *Proleg.* Sect. VI.

ALLODIUM, vel *alodium*. Vox vexatiſſima, & propter Linguæ Germ. ubertatem & fontium poſſibilium varietatem ambigua. Teſtes ſunt, varia Eruditorum circa hanc vocem tentamina, imo divortia, quorum inſigniora hic recenſebimus, arbitrio Lectoribus relicto.

Alodium in omnium ſententia opponitur *Feudo*, eſtque prædium liberum nulli ſervituti obnoxium. Hinc *alodium* quibusdam componitur ab *a. privativo*, & *lodium* vinculum feudale, quod ſic dici exiſtimant quaſi *leudium*, a *Leudis*, quo nomine Barbara Latinitas ſæpe homines obnoxios deſignat. Hæc eſt ſententia viri Doctiſſ. *Joh. Henr. Ottii* in Franco-Gallia, & forte etiam aliorum.

Spelmannus inter *Alodium* & *Feudum* hanc ſtatuit differentiam, ut *Feudum* ſit, quod absque Domini licentia nec ad extraneos tranſire, nec a parentibus ad filios pervenire, niſi de illis nominatim dictum ſit, jure poſſit: *Alodium* vero, quod per omnem heredum ſeriem diſcurrit, & cuivis e populo, etiam reclamante Domino, dari & venundari poteſt. Propterea *Alodium* componit ex *a. poſitivo*, quod interpretatur *ad*, vel *usque*, & *leode* populus, voce Angloſaxonica; Sic ut *Feudum* ſit prædium dominicale, *Alodium* populare.

Verum alii hoc bonum hæreditarium malunt denominari ab *all* omnis, & *od* poſſeſſio, cum quod poſſidentis omnimoda ſit proprietas, tum quod omni jure ad hæredes ejus tranſeat. Et hos voci natales tribuunt præter alios multos clariſſimos viros, quos nominare ſuperſedeo, *Palthenius* in not. ad Tatian. R. *Diecmannus* in Spec. Gloſſarii, & ante omnes *Verelius* in Indice, cujus hæc ſunt verba pag. 163. *Perperam* ALLODIUM *a fortiendo deducitur, quod eſt ab all & aude vel audur, plena & totalis poſſeſſio.*

Res ipſa extra controverſiam eſt. Nam per *Alodium* omnes intelligunt aliquid hæreditarium & familiæ proprium. Verum quia hæc hæreditas ſub variis notionibus concipi poteſt, vel *ſortis paternæ*, vel *boni aviti*, hinc multi exiſtimarunt, nomen rei altius repetendum eſſe. Quæſita ergo ſunt vocabula, quæ rebus accommodari poſſent. Sed hic iterum itum eſt in diverſa.

Oliverius Vredius in Hiſt. Comitum Flandriæ Libro prodromo II. Cap. 20. *Allod* ſic dictum putat, quaſi *anlod*, hoc eſt, partem ſeu portionem, quæ cuique ſorte obtingit ex hæreditate paterna. Cauſas denominationis duas affert, Grammaticam & Hiſtoricam. Belgis inquit, *lot* hodieque ſors eſt, *loten* bona patria ſorte dividere, & *anloten* ſorte conferre hæreditatem. Vocem itaque depravatam ſtatuit. Quod, etiamſi exemplis non doceat, morari tamen neminem debet. Nam quando duo conſonantes concurrunt, ſæpe alter in alterum mutatur, vel præcedens in ſubſequentem, vel ſequens in præcedentem. Idque inprimis contingit, ubi N. & L. colliduntur. Sic Franci Scriptores faciem ſæpe vocant *annuzzi*, cum volunt dicere *anluzzi*. Et apud Latinos nihil frequentius eſt in compoſitis, quam N. mutare in L. & dicere *illiberalis*, *illecebræ*, *illicium*, pro *inliberalis*, *inlecebræ*, *inlicium*. Huic etymo tuendo Hiſtoria in ſubſidium vocatur, demonſtraturque, antiquiſſimis temporibus nonſolum regna & imperia, ſed etiam privatorum patrimonia ſorte diviſa eſſe. Romanis certe *ſors* ſæpe idem eſt quod patrimonium, quod cuique ſortiendo accidit. Feſti verba ſunt: SORS, *& patrimonium ſignificat, unde conſortes dicimus*, eos ſcil. qui hæreditatem ſimul ſortiuntur. Nam more Romano ſortiendum erat hæredibus, quoties inter eos non conveniebat, ut ex titulo Codicis *de familia herciſcunda* patet. Verum hæc parum ad rem facerent, niſi etiam Germanis idem mos placuiſſet. Hoc ut oſtendat doctiſſimus auctor, *Sortes Gothicas* & *Vandalicas* laudat, & ad Leges Viſigothorum, Ripuariorum, & Friſionum, ubi de *Sortibus* loquuntur, provocat. Tandemque non iis ſolum populis, ſed omnibus univerſe Germanis ſortitiones in hæreditatibus communes fuiſſe, ex Tacito de M. G. Cap. X. & Adamo Bremenſe Hiſt. Eccl. Cap. 6. demonſtrare conatur. Quæ cum apud illum jucundius legantur, Lectorem eo remitto. Vredio jungi poteſt *Cangius* in voce *Sors*, ubi denſo teſtium agmine demonſtrat, *Sortem* Legislatoribus Germanorum modulum agri cuivis proprium denotaſſe.

Aliam voci difficili & ambiguæ medelam adfert illuſtris Legum Sal. Commentator *Joh. Georgius ab Eccard*, in notis ad Tit. LXII. dum *Allodium* componit ex *od* poſſeſſio, & *all*, ſive *alt* vetus, ita ut Allodium proprie ſit bonum avitum & vetus poſſeſſio. Reliquas Etymologias neque regulis rectæ derivationis, neque ſenſui vocis genuino conformes eſſe putat. Verum & ipſe vocem vitiatam ſtatuat neceſſe eſt, cum *all* pro *alt* non dicatur niſi per vitium. Nihil tamen obſtat, quo minus hæc corruptela admittatur. Nam Saxones Trans-albiani continuo dicunt

dicunt *oll* pro *old*, & ſenem vocant *ollemann*, pro *oldemann*, ſive quia literam D. elidunt, ſive quia Græcum ἴσωλος verus, imitantur. Multa autem ſunt, quæ hanc Etymologiam commendant, ab ipſo Authore obſervata. Cujusmodi eſt, quod villæ aliaque prædia hæreditaria a Marculfo in Formulis Lib. I. Cap. 12. vocantur *Alode parentum*, & in Legibus Alamannorum Cap. LVII. *terra paternica*, & in Lege Ripuariorum Tit. LVI. 3 *hæreditas aviatica*.

Denique, ne quod ingenii humani inventum hic omittatur, agmen claudat, qui ducere debuiſſet, celeberrimus Anglus HICKESIUS. Is in Grammatica Franco-Theotiſca pag. 91. vocem Germanicam componit ex *all*, quod illi præſtantiam, plenitudinem, & perfectionem ſignificat, & Scando-Scythico *lod* vel *lood*, quo fundi proventus ab Islandis ſcriptoribus denotatur. Hinc porro *lodium* dividit in *allalod*, quod eſt prædium liberum, cujus fructus integer ad Dominum redit, & *halfalod*, quod cenſui & ſervitio ſubjectum, ut feudum.

Sed ne plane ἀσύμβολος ab hac tractatione diſcedam, meam quoque, non tam ſententiam, quam conjecturam, de hac voce exponam. Olim exiſtimavi, *Allodium* factum eſſe ex *Odalium* poſſeſſiuncula, transpoſitis literis. Poſtquam vero in originem *Allodiorum* diligentius inquiſivi, opinionem mutavi. Vetuſtiſſima *Allodiorum* mentio occurrit in Lege Salica Tit. LXII. ubi *Allodium* vocatur *Terra Salica*, art. 6. Hæ voces ſe mutuo explicant. Et quemadmodum *Terra Salica* ſic dicitur a *ſelen* dare, tradere, offerre, quod ſit terra ſortito data, & ſtipendii loco conceſſa: ita eadem Terra vocatur *Allodium*, quaſi *anlot*, litera N. cum ſequenti L. coaleſcente, ab *an* particula copulativa, & *lot* ſors, quod ei, cui militari ſorte obtigit, ſit connexa, tanquam poſſeſſio propria. Nimirum, ex jure antiquiſſimo Belli, pars Terræ occupatæ cedebat militi victori. Hunc morem tenuere Romani in omnibus Provinciis a ſe devictis; nec Romani tantum, ſed etiam Populi Germanici, *Heruli* & *Gothi* in Italia, *Vandali* in Africa, *Burgundiones*, *Viſigothi*, & *Franci* in Gallia, ſicut pluribus oſtendi in voce *Feudum*. Quamvis enim de *ſortibus Francorum* nihil memoriæ traditum ſit diſerte, ex hoc tamen ſcriptorum ſilentio non licet contrarium inferre. Cur enim relictis terris ſuis alienas invaderent, niſi occupandi & dividendi cauſa? Hoc Germanorum vetus inſtitutum graphice deſcripſit Cerealis in Oratione ad Treviros apud TACITUM Lib. IV. Hiſt. Cap. 73. *Eadem ſemper cauſa Germanis tranſeundi in Gallias, libido atque avaritia, & mutandæ ſedis amor: ut relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fecundiſſimum hoc ſolum, voſque ipſos poſſiderent.* Francos alterius ingenii homines fuiſſe, & præter morem Germanicum ſumme abſtinentis, etiamſi DUBOS, vir excellenter doctus in *Hiſtoria Critica Monarchiæ Francicæ* libro ultimo Cap. 13. operoſe demonſtrare conetur, hactenus non credo. Cur Legem conderent de terris militaribus, ſi nullas unquam occupaſſent? Atque hinc jam patet, quæ prima fuerint *Allodia*, & unde nomen acceperint. Poſtea vox, ut fieri ſolet, ad omnes poſſeſſiones proprias, hæreditarias, & a ſervitio liberas, translata eſt, quod ſortibus militaribus ſimiles eſſent, & totæ poſſidentis. Lex Ripuar. Tit. LVI. 3. *Cum virilis ſexus extiterit, fœmina in hæreditatem aviaticam non ſuccedat.* Hæc Lex inſcribitur *de Alodibus*, ut pateat, *Alodium* & *hæreditatem aviaticam*, Legislatori eſſe ſynonyma. Confer *anlot*. Galli Germanicam vocem imitantur in *aleu*, ſed vitioſe ut plerumque.

ALLMÆCHTIGKEIT, quid ſignificet in Aurea Bulla, vide in *Majeſtæt*.

ALLWALT, & *allwaltig* ſunt compoſita vetuſtiſſima, quamvis hodie obſoleta, quæ quando de Deo prædicantur, omnipotentem, quando de Principe, valde potentem ſignificant. Utrumque a *walten* poſſe. In Symb. Apoſt. Armoricano Pater omnipotens dicitur *tat ollgalloudec*, ab *oll* omnis, & *galloud* potentia. Quis hic non videt, quanta ſit inter linguam Celticam & Germanicam harmonia? Symbolum exhibet *Tolandus* in Druidibus. In Vocabulario Angloſax. Benſonii *ælfewalda* exponitur imperium in omnia tenens. Quod nemini præter Deum convenit. Francis *alnualt* eſt omnipotens, apud Otfridum Lib. I. Cap. V. 45. *thu ſcalt heran einan alauualtentan*, tu paries omnipotentem. Sed & titulus Principis. Hinc edictum Auguſti Cæſaris vocatur *gibot fon themo alnualten Keiſare*, in Harm. Evang. *Tatiani* Cap. V. 11. Sic autem dicitur Cæſar, non ab *all* omnis, quaſi cunctipotens, ſed interprete Tatiani indignum; ſed ab *all* intenſivo, quaſi valde potens, vel multipotens. Plurimum autem differunt hi ſignificatus, ut ex ſcala ſignificationum patet. Quod cum non animadvertiſſet VERELIUS, Regibus Suionum antiquis, ab infinita potentia, quæ ſoli Deo propria, nomen impoſuit. Sic enim ſcribit in Indice: ALL-VALDUR, *omnipotens: eſt epitheton Regis abſoluti*. Potius eſt epitheton Dei, quod etiam Regibus tribuitur, ſed non eodem ſenſu, nec eadem æſtimatione. Quis enim credat priſcos ſeptemtrionales, quamvis unius abſoluto imperio nullisque exceptionibus (quod ſcribit TACITUS Cap. 44. de M. G.) ſubjectos, fuiſſe tam ſtolidos, dicam an impudentes, ut Reges ſuos appellare omnipotentes ſuſtinuerint?

ALLWEG. V. *weg* tempus.

ALMANACH, calendarium, tabulæ lunares, & commentarius diurnus totius anni. An a *manen* monere, quod de omnibus diebus omnes moneat? Senſus ſane commodus, ſed multas ob rationes ſuſpectus. VERSTEGANO *Almanach* eſt ſcipio runicus, to-

tius anni computo ſignatus, & ſic dictus quaſi *al-mon-acht*, ab omnium menſium obſervatione. Sed hujus vocis veſtigia nulla apud veteres reperiri, monet WORMIUS Lib. I. Faſtorum Danicorum Cap. 2. H. STEPHANUS, qui Germanis eandem vocem tanquam ex communi Hiſtoricorum formula ALS MAN NACH *der geburt Chriſti zelte &c.* apud ſe natam vindicat, jocari magis, quam ſerio loqui videtur, etiamſi neminem diſſenſurum exiſtimet, cum apud omnes receptum ſit, nomen illud æra Germanorum Chriſtiana longe veteſtius eſſe, dudumque Arabibus & Ægyptiis uſurpatum. Alii itaque rectius & probabilius vocem ex articulo Arabico *al* & *manach* conflatam eſſe judicant, etiamſi unde ſit illud *manach* non idem omnibus videatur. WORMIO enim eſt ab Heb. *mana* numerare, SCALIGERO a Gr. μὴν vel μῆν menſis, luna, aliis aliunde. Solus VELSCHIUS videtur rem acu tetigiſſe, quando in Commentario ad Tabulas æquinoctiales *almanach* interpretatur *ſtrenam*, quem ſequitur RELANDUS in Diſſ. de veteri Lingua Perſica. Hunc autem ſenſum ad Ephemerides translatum ajunt viri doctiſſimi, quia Ephemerides novi anni ſolebant in Oriente Regibus offerri loco ſtrenæ, ut hodie magnatibus Perſarum. Memini, eundem morem etiamnum vigere in quibusdam Aulis Germaniæ, ut potentioribus & ipſi Principi ſtrenæ loco offerantur Calendaria, ſpe majoris redhoſtimenti inde recipiendi. Ab *Almanach* ſunt ἀλμαναχικὰ, quod inter voces Ægyptias refert JAMBLICHUS Sect. VIII. de Myſteriis Cap. 4. Ægyptios hac voce prædictiones rerum contingentium ex ordine & ſerie menſium diſpoſitas deſignaſſe, ex PORPHYRIO probat CANGIUS in Gloſſario.

ALMOSEN, eleemoſyna, ſtips ex miſericordia. Camb. *eluſen* & *eluſeni*, Armor. *aluſen*, Angloſax. *ælmes*, *ælmæſſe*. Vox exotica, ab ἔλεος vel ἐλεημοσύνη miſericordia, ſenſu ab affectu ad beneficium translato.

ALP, *alf*, genius loci, dæmon bonus vel malus. Angloſax. *ælf*, *elf*, plur. *ælfas*, *elfen*, Island. *alf*. plur. *alfr*, *alfar*. VEREL. in Ind. *alfr* dæmones, *lios-alfar* & *fuart-alfar* dæmones candidi vel nigri, *alfa-blot* ſacrificia Alfis facta. Scoti quoque, ni fallor, dæmones *elvas* vocant. Quidam vir doctus in ſchedula quam vidi, deduxit ab *helfen* juvare. Alius ab ἅλβιος beatus. Quicquid ſit, hoc certum, Majores noſtros ante Chriſtiana tempora locis omnibus genios quosdam præfeciſſe. Auctus numerus pene in immenſum, ita ut alii quidem montibus & cautibus, alii fluviis & fontibus, alii nemoribus & campis, alii aliis locis præſiderent. Gloſſæ ÆLFRICI pag. penult.

Oreades *munt-ælfen*,
Dryades *wudu-elfen*,
Moides *feld-elfen*,
Hamadryades *wylde-elfen*,
Naiades *ſæ-elfen*,
Caſtalides *dun-elfen*.

Quibus addi poſſunt ex SOMNERO & BENSONIO,

Oreades *berg-ælfenne*,
Muſæ ruricolæ *land-ælfenne*,
Nympha *wæter-elfe*.

Dicitur autem nonſolum de Nymphis, ſed etiam de Faunis, de Satyris, de Nanis, aliisque numinibus maſculis, a credula veteſtate temere confictis.

ALP, *alf*, ſæpe eſt nomen proprium viri, tam ſe ſolo, quam in compoſitis. Apud Boreales ALF fuit nomen celebre Magnatum, teſte WORMIO Lib. III. Mon. Dan. pag. 194. ubi quædam loca e SAXONE Grammatico adducit de ALFIS in Septemtrione claris. Hoc *primitivum* vocat, *cujus ratio reddi vix poteſt*. Qua in re videtur mihi falli vir alias doctiſſimus. Nihil enim certius, quam omnia nomina propria ab initio fuiſſe appellativa, nullumque eorum reperiri, quod ſignificationis omnino expers ſit. Significare autem poteſt (1.) felicem. Id enim Græcis eſt ἅλβιος. (2.) adjutorem, ut idem ſit, qui alias *olf*, *ulf*, ab *helfen* juvare. Exempla compoſitorum ſat multa dedi in *hülf*, quæ vide. (3.) heroëm. Hoc ſenſu Turcæ omnem natura fortem & robuſtum, qualis Hercules fuiſſe dicitur, vocant *alp*, teſte CLODIO in Lex. Turc. (4.) genium tutelarem familiæ, patriæ, vel alterius rei, ducta appellatione a geniis locorum. Nam Principes & Magnates appellari poſſe *Genios*, quod ſicut hi fluviorum & montium, ita hi populorum præſides & tutores ſint, extra dubium eſt. Ita *Genius* ſæpe occurrit in nummis Imperatorum adulandi cauſa. Præcipua compoſitorum ſunt

VESTRALPUS & ALFRAM.

Illud eſt nomen Regis Alamannorum apud MARCELLINUM Lib. XVI. Cap. 12. Hoc nomen viri in Indice GOLDASTI Alamannico. Utrumque *genium* vel *adjutorem fortem* deſignare poteſt, quia *veſt* & *ram* in ſignificatu ſtrenui & validi conveniunt.

ALP, *alf*, nanus. Senſus a Dæmonibus monticolis, quos parvæ ſtaturæ & pygmæi generis eſſe fingunt, ad homines cubitales translatus, auctoribus Anglis, quibus *an elf* eſt pumilio.

ALP, *alf*, dæmon incubus. SOMNER. in Dict. Angloſax. *ælf* larva, incubus, faunus, ephialtes, *ælf-cynne* ephialtum genus. Proprie eſt inſultor, ab ἐφάλλομαι inſilio, conſcendo. Idque nomen accepit ab opinione dormientium, qui dum ſomno gravi laborant, credunt ſe ab alio equitari. Revera autem eſt malum, ut oſtendi in *mar*. Vulgo tamen ita diſtinguunt, ut *mar* ſit ſpectrum fœmininum, *alp* maſculinum, illud maſculino, hoc fœminino generi infeſtum.

ALP, *alf*, ſomnus gravior & impeditus, haud dubie ſic dictus, quod vulgo perſuaſum ſit, halitum dormientium a ſpiritu quodam incubo

cubo intercludi. Revera autem eſt morbus. Hinc *elfe* apud SOMNERUM & BENSONIUM exponitur *morbus quidam*. KEYSLERUS in Antiq. Sept. pag. 500. *In ſuperiore Germaniæ tractu plebs eum morbum appellat* DEN ALP *vel* DAS ALP-DRUCKEN, *aut a vole quam ipſis impoſitam ſentiunt cum ſanguis reſtagnat ſupine recumbentibus, aut a ſagis & ſpectris montanis.*

ALP, *alf*, ſtrix, lamia, ſaga, quod dæmonis inſtar nocturni per loca habitata oberret, & in varias mutata formas infantes e cunis abripiat, & in locum eorum alios & deteriores ſubſtituat. Inde *elf* lamia apud SOMNERUM. Hunc ſenſum JUNIUS ducit ab ἀλφω, quod in Etymologico exponitur per ἀμειβω commuto, in Obſ. ad Will. pag. 177.

ALP, candidus. Græcis quidem φαλὸς & φαλιὸς a φάω luceo, quia alba ſunt maxime ſplendida, poſtea ἀλφὸς per metatheſin, & inde ἀλαβαστρον lapis candore notabilis. Latinis & Sabinis *albus*. Armoricis *alp*, *alb*, apud PEZRON. in Antiq. Celt. pag. 372. Linguarum Orientalium conſenſum exhibet MARTINIUS in voce *albus*. Veſtigium dictionis apud Saxones, Francos, & Islandos haud obſcurum deprehenditur in nomine oloris, avis candore inſignis. Gloſſ. Ælf. in nom. avium: cygnus *ylfete*. Gloſſ. R. Mauri MS. cygnus *alpiz*. VEREL. in Ind. *alft* cygnus, *elftur* cygnus. In Lege Salica Tit. VII. 8. cygnus vocatur *ortfocla*, vitio deſcribentium, pro *alpfocla*, quod ingenioſe obſervavit, ſed mox dimiſit ECCARDUS in notis. Hodie ſuperat apud Helvetios, qui bus *elbſch* cygnus, teſte PICTORIO Tigurino. Omnibus eodem ſenſu, & fortaſſe a candore deſumpto. Quamvis etiam (quod diſſimulare non poſſum) formari potuerit a Scandico *elf* fluvius, ut proprie ſit avis fluminea.

ALP, mons. NOTKERUS Pſal. CIII. 18. *mus pergis in dien lochen dero alpon ſina feſti habet*, erinaceus in foraminibus montium refugium ſuum habet. SCHILTERUS, qui hunc locum obſervavit, huc refert *Albegow* & *Alpengaw* pagus Helvetiorum. Unde ſit *Alp* vel *Alf* pro monte, difficilis quæſtio eſt. Dici tamen veriſimiliter poteſt, vocem literis paulo tranſpoſitis cognatam eſſe cum Islandica *fiall* mons, & cum aliis multis ejusdem ſoni, quæ vel locum editum, vel ſummitatem ſignificant. VEREL. in Ind. *fiall* mons, *ha fialls gnipa* ſummus montis vertex, *fiallskor* lapſus montium. Gloſſ. Reenhielm. *fiall* mons eminens, *fiallvegur* montanum iter. Apud HESYCHIUM φάλαι ſunt ὄρη & σκοπιαὶ h. e. montes & ſpeculæ. Locum vitiatum reſtituit MARTINIUS. Eſt & φάλος apex galeæ ſeu conus, & φαλὸς petra eminens in mari, & λόφος per metatheſin faſtigium & collis. Sunt & Latinis *falæ* turres, ab altitudine ſic dictæ. Et Hetruſcis *falantum* cœlum. Horum omnium cognatio manifeſta eſt, ſed origo obſcura, & fortaſſe Hetruſca. Græcis tamen φάω eſt luceo, & inde φαλὸς lucidus, quod a lucido ad *conſpicuum*, & a conſpicuo ad *eminens* transferri potuit, quia eminentia ſunt maxime conſpicua. Sed undecunque ſit hæc cognatio, ſi *Alp* vel *Alf* ad eam referatur, quod duce metatheſi fieri poteſt, exacte conveniet cum reliquis montium nominibus, *bein*, *berg*, *brenner*, *thor*, *dun*, *hill*, quæ certe ab altitudine petita ſunt, ut in ſingulis oſtendi.

ALP, paſcuum in loco montano. GOLDASTUS Tom. I. Rer. Alam. pag. 139. *Alpes paſcua montana, quo æſtate pecora aguntur & paſcuntur, Alpen.* CANGIUS in Gloſſario: *Alpes paſcua montana quæ in montium convallibus ſita ſunt*. Quem ſignificatum multis ibidem ſcriptorum teſtimoniis comprobat. Helvetiis in hunc uſque diem *alp* eſt paſcuum, *zu alp faren* pecus ad paſcendum ducere, *alphörner* tubæ paſtoriciæ ex arborum corticibus contextæ. Hic ſignificatus haud dubie ortus eſt inter montanos, quod alia paſcua non haberent, niſi in montibus & collibus ſita. SCHILTERUS huc etiam refert Cambricam vocem *alt-weſt* paſcuum, paſtura. Quam ego malim referre ad *wiſt* cibus, alimentum.

ALPEN, *Alpes*, montes prærelti, non Rhætici tantum, qui Germaniam hodiernam ab Italia dividunt, ſed omnes univerſe Montes aërei & excelſi. SERVIUS ad Georg. 3. Virg. *Gallorum Lingua alti montes* ALPES *vocantur*. Idem ad Lib. 10. Æneid. *Omnes altitudines montium licet a Gallis* ALPES *vocantur, proprie tamen montium Gallicorum ſunt*. Sed hæc reſtrictio ad *montes Gallicos* gratis aſſumitur. Uſum latiorem perſpicue docet CANGIUS, magna teſtium caterva ſtipatus. Hinc omnes populi montani & montium ſublimium incolæ Antiquis vocantur *Alpini* ab *alp* mons, ſicut *Tauriſci* & *Taurini* a *thor* mons, quod pridem obſervavit CLUVERIUS in Norico Cap. 2. FESTUS nomen deduxit ab *albus*, quod Alpes ſint montes perpetua nive candidi: Quem ſequitur PEZRONIUS, quia Celtica quoque Lingua *alb* eſt albus. Sed longe veriſimilius eſt, nomen *Alpibus* ab altitudine quæſitum eſſe, ſicut collibus & montibus univerſe.

ALRAUN, mandragora naturalis. Nomen famoſæ radicis, cujus verum ſenſum nemo hactenus inveſtigavit. Videtur autem ſic dici ab *alen* generare, & *rune* myſterium, quaſi ſecretum naturæ ad generandam ſobolem. Nam & hominiformis eſt, & creditur ad Venerem conducere, & ſingularem vim ad promovendam fœcunditatem habere. In qua ſententia videtur etiam fuiſſe Auctor VERSIONIS VULGATÆ, qui *Dudaim* Rachaelis *mandragoras* interpretatur Gen. XXX. Verum & naturalem ejus effigiem exhibet LAMBECIUS Lib. II. Part. 2. Bibl. Vind. pag. 566.

ALRAUN, mandragora artificialis, ſive figura humana ex radice Bryoniæ (vulgo *ſtickwurtz*) ab impoſtoribus effigiata.

Quamvis enim mandragora naturalis bifurcata ſit inſtar hominis, unde PYTHAGORÆ *ἀνθρωπόμορφος* dicta, falſum tamen eſt, quod ALBERTUS MAGNUS ſcribit, mandragoram ſic hominis formam præ ſe ferre, ut ſexus & aliorum accidentium differentias oſtendat. Ejusmodi figuras non natura fecit, ſed impoſtura certorum hominum, quorum intereſt, ut hæc ſculptilia credantur ſub patibulis naſci, & non niſi cum ſummo vitæ periculo inde avelli. Dicitur autem *alraun*, non ab arcana medendi vi, ut mandragora naturalis, ſed potius a magna ſcientia cujusdam dæmonii, quod ibi ſedem habere creditur. De qua re juvat audire STIERNHIELMIUM in Præf. ad Evang. Goth. *Mulier faga ſeu fatidica dicitur Alruna, i. e. omniſcia, Islandis fiol-kunni, i. e. multiſcia, bodie wys-quinna, i. e. mulier ſapiens. Ob eandem cauſam dictæ ſunt imaguncuæ, ex radicibus Mandragoræ efformatæ, Alruner, quibus, ut omniſciis abutuntur homines vani & ſuperſtitioſi, ſingulari adhibito cultu, vice Oraculorum, quorum reſponſis latentia & futura ſibi patefieri, temere & impie credunt.* De *Alruna magica Lipſienſi* vide prolixe & erudite diſſerentem KEYSLERUM in Antiq. Sept. pag. 505. ubi ſimul figuram exhibet, & modum conficiendi demonſtrat.

ALRAUNEN, mulieres fatidicæ veterum Germanorum. An quaſi *omniſciæ?* Ita quidem vellet STIERNHIELMIUS, ſed præter rationem. Nam *rune* eſt ſecretorum conſcius vel conſcia, ut demonſtravi infra in voce, *all* vero non eſt omnis, ſed particula ſenſum intendens. Hinc in Indice VERELII *allruna* exponitur *admodum ſapiens, non omniſcius*, quod defendi nequit. Dicitur autem de ſagis, quia ſecretorum ſive naturalium ſive magicorum cenſebantur valde gnaræ & peritæ. Fœminis ſanctum & providum quid ineſſe, ex opinione Majorum noſtrorum ſcribit TACITUS Cap. 8. de M. G. Hinc ab illis petebantur remedia morborum, interpretationes ſomniorum, auguria eventuum, prædictiones futurorum, & conſilia tam belli quam pacis, ſicut fuſe oſtendit CLUVERIUS Lib. I. Germ. Ant. pag. 165. ſeq. Literarum peritas fuiſſe, vox ipſa indicat. Idque etiam inde colligitur, quod omnis fere Magia veterum literis Runicis peragebatur. OLAO WORMIO in Literatura Runica *Alrunen* ſunt *Adelrunen*, h. e. viri & fœminæ nobiles in Aulis Principum, qui magicas artes exercebant, quas ODINUS ille famoſus, divinos honores non tam promeritus, quam præſtigiis conſecutus, primus in Aulam advocavit. Sed non opus eſt a proprietate vocis recedere, etiamſi forte antiquiſſimis temporibus Magia ſolis nobilioribus fuerit cognita. Hæſit autem hæc appellatio inprimis fœmineo generi. Nam mulieres magas a Gothis ſermone patrio *Alrunas* vocari, teſtis eſt JORNANDES Gothus de reb. Geticis Cap. 24. ubi tamen vitioſe legitur *Aliorumnas*. Talis videtur fuiſſe *Aurinia*, vel potius *Alrunia*, TACITO commemorata Cap. 8. de M. G. Vox Jornandina ab aliis aliter corrigitur. CLUVERIUS legendum cenſet *altrunas* vetulas ſagas, loco citato: KEYSLERUS *Halirunas* ſacrorum myſteriorum conſcias & vates, in Diſſ. de mulier. fatid. §. LVII. Nos noſtræ emendationi inhæremus.

ALS, niſi. Particula excipiendi, quæ Gr. effertur ἀλλὰ, Gothis *alja* Marc. IX. 8. *ni ainohun gasehwun alja Jaiſu ainana mith jis*, neminem viderunt niſi unum Jeſum cum illis. Angloſaxones dicunt *buton*, Franci & Alam. *uzan*. Gloſſ. Keron. niſi *uzzan*, excepto *uzzan*.

ALS, adverb temporis, *als weiland* cum olim, *alsdann* tunc, *ſo lang als* donec, *alsbald* ſtatim. Cuncta priſcis ignota.

ALS, adverb. comparandi, *als zum exempel* exempli gratia, *als wie* tanquam, *ſowol als* tam quam. Idem quod *alſo* ſic, ita, & ex illo factum per apocopen. Utitur Rhythmus de S. ANNONE obſervante SCHILTERO §. XI.

In den cidin iz geſcach
Als der wiſe Daniel geſprach.
Iis temporibus factum
Ut ſapiens Daniel narravit.

ALSDANN, tunc. A *dann* tunc. *Als* eſt ipſum intenſivum *all*, & ſenſum generat ſimilem Gallico *tout à l'heure*.

ALSO, ſic, ita, adverb. ſimilitudinis, ortum a ſimplici *ſo* ſic, ut, & præfixo *all*, quod rurſus ſenſum intendit. Compoſitum novum, ſed legitime factum.

ALT, cretus, adultus, *zwei iar alt* bimus, *drei iar alt* trimus. Convenit Lat. *altus* & *adultus*. Cuncta ab *alen* creſcere.

ALT, vetus, annoſus, antiquus. Gr. ἔωλος, ἑωλότερος, ἑωλότατος, Lat. *altus*, probante Nonio Marcellino, Angloſax. *eald*, Franc. & Alam. *alt*, Procop. *alt*, Angl. *old*, Belg. *oud* per ſyncopen, Sax. inf. *oll* per apocopen. Proprie eſt diu cretus, & dicitur de annoſo, quia menſuram nominis magis implet. Gloſſ. Pez. annoſa *alta*. Gloſſ. Keron. vetera *altiu*, vetuſtam *alta*, teſtamenti veteris *dera altun euua*. Inde Angloſaxonibus *ald* ſenex, *eald-cwen* vetula, *ealda-fæder* avus, *ealdor*, *aldor* ſenior, item dux & princeps, *ylde* ſenecta, *yldeſt* præcipuus, antiquiſſimus. Francis *altmagon* progenitores, & alia, nunc obſoleta. Nos ab antiquis accepimus, & conſtanter retinemus, *alter* ſenex, *alte* vetula, *elter* ſenior, *elte* vetuſtas, ſenecta, *alten* ſeneſcere.

ALT, nobilis, generoſus. Senſus a vetuſtate ad nobilitatem translatus, qui nobilis eſt homo vetus, utpote ex antiquo genere oriundus. Ad hunc ſignificatum perduxit me Lingua Longobardica, in qua *ild* (& ſpiritu præfixo *hild*) videtur adjective nobilem, ſubſtantive *genus nobile* denotaſſe. Nam hoc conceſſo (cur autem in re obſcura non hypotheſibus utamur, ubi probationes deficiunt?)

ficiunt?) miram lucem & venuſtatem accipiunt NOMINA PROPRIA quæ ſequuntur.

ILDIGES, nobilis geſus. Nomen Principis Longobardici apud PROCOP. Lib. 3. Hiſt. Goth. Quid ſit *geſus* apud antiquos, jam expoſui in voce.

HILDEGIS, *Hildebis*, eadem notione. Nomen alterius Principis inter Longobardos apud P. DIACON. Lib. I. de Geſtis Long. Cap. 21.

ILDIBALD, nobilitate fretus. A *bald* audax, confiſus. Nomen exhibet PROCOP. Lib. 3. H. Goth. *Unus* ILDIBALDUS, *magni vir nominis, cui mandata a Gothis fuerat Verona cuſtodia.*

HILDEMUND, vir nobilis. Recurrit in *mund* vir.

HILDERICH, nobilitate potens.

CHILDERICUS, eadem notione.

GROTIO in Indice Nominum Propriorum *ild* & *hild* idem notant quod *all*, quatenus ſenſum intendit: Hinc illi *Ildebald* eſt eximie audax, *Hildegis* eximie fortis &c. magno, ut omnes vident, ſenſus detrimento, & nulla literæ D. habita ratione. Cæterum & hoc obſervandum, quod *Hilderich* vel *Childerich* præterea ſignificare poſſit *prælio potentem.* Nam *hild* priſcis pugnam & prælium denotaſſe, oſtendi in *held* heros.

ALT, deficiens, defectu laborans, ut ſolent res annoſæ, quæ vel longo ſitu, vel carie corrumpuntur, ab *alten* deficere, oletare, corrumpi. Inde *alte ſemmel* panis pridianus & durus, *alte butter* butyrum olidum, *alter ſpeck* lardum rancidum, & ſimilia ab uſu vituperata. Cum quo ſenſu convenit Lat. *olidus* & *oletus*.

ALT, editus, excelſus, Latinis *altus*, Armoricis *alt*, teſte PEZRONIO in Antiq. Celt. pag. 372. MARTINIUS vocem Lat. ducit ab *alo*, quia, quæ aluntur, edita fiunt. Malim ab *alen* creſcere, ut primo ſit cretus in altum, mox omnis exceſſus. Dicitur etiam *tal* inverſo literarum ordine, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Hinc PEZRONIO loc. cit. ATLAS, rex e Titanum genere, ſignificat *exceſſum* ab *alt*, & TELAMON *hominem procerum a tal.* Hodie utimur derivato *altane* ſolarium, locus apricus in ſummitate ædium.

ALTANE. V. *alt* editus.

ALTAR, ara. Sic dicta ſive ab *alt* altus, quod edito & maxime conſpicuo loco, atque ex Ethnicorum religione Diis tantum ſuperis excitaretur, ſive a Lat. *altare*. Gloſſ. Keron. altaris *altarres*. Gothi altare vocant *hunslaſtads*, quaſi fulcrum oblationum, Angloſaxones *weofod*, *weobod*, quaſi menſam ſacram & pulvinar ſacrum. Vide, ſi juvat, Evangelium Gothicum & Angloſaxonicum Matth. V. 23. Luc. I 11. De voce Gothica plura occurrent in *opfer* munus ſacrum, *ſal* oblatio, & *ſtat* fulcrum.

ALTEN, ſenеſcere, vetuſteſcere. Angloſaxon. *ealdian*, Francis *alten*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XV. 82. *Sar thu biſt altenti*, quamprimum ſeneſces. Ab *alt* vetus, annoſus. Ab *alten* nos derivamus *alter*, ſenium, Islandi *olld* ſæculum, ævum, ſpatium temporis mundi ſeneſcentis, cujus præcipua compoſita ſunt, *brun-olld* ætas qua mortui cremabantur, *haug-olld* ætas qua tumulis inferebantur, *vois-olld* ætas ſepeliendi per ſtrata lapidea.

ALTEN, interdum vituperatur, & tunc ſignificat *deficere*, *oletare*, *corrumpi*. Hodie dicimus *veralten*: Sed a ſimplici accepimus *alt* deficiens, *alter* defectus.

ALTER, ætas, per omnes incrementorum gradus, pueritiæ, adoleſcentiæ, pubertatis &c. Franci & Alamanni eodem & latiſſimo ſenſu dicunt *alter*, Angloſaxones *ylde*. Gloſſ. Keron. minore ætate *minnirin altere*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXII. 1. de puero Jeſu:

So er tho uuard altero
Zuuiro ſehs jaro.
Cum eſſet ætatis
Bis ſex annorum.

Verſio Angloſax. Luc. II. 52. *and ſe hælend theah on wisdome and on ylde*, & Jeſus proficiebat ſapientia & ætate. Ubi interpres TATIANI habet *in altere* Cap. XII. 9. Luth. *an alter*. Cuncta ab *alen* creſcere.

ALTER, ſenex, *alte* vetula. Gloſſ. Keron. ſenum *altero*. Gloſſ. Boxh. *altiu* anus, *altiu* vetula. Ab *alt* vetus, annoſus.

ALTER, ſenium. Gloſſ. Pez. ſenecta *altar*. Refer ad *alten* ſeneſcere.

ALTER, defectus, & metaphorice defectio, ab *alten* deficere. Gloſſ. Boxh. *alter* defectus. Apud OTFRIDUM *zi altere firleittan* ſignificat *ſeducere ad defectionem*, & dicitur de ſatana Lib. II. Cap. IV. 24. & per calumniam de Chriſto Lib. III. Cap. XV. 90. Quod primus obſervavit cel. SCHERZIUS in notis ad utrumque locum.

ALTERTUM, ſenectus, antiquitas. TATIANUS Cap. III. 8. *Senu Elizabeth thin magin inthieng ſun in ira alttuome*, ecce Eliſabeth cognata tua concepit filium in ſenectute ſua. Ab *alt* vetus, annoſus.

AM, fluvius. BAXTER in Gloſſ. Antiq. Brit. pag. 222. Erat autem *Am* antiquioris Lingуæ Celticæ prolatu idem quod *Au* unda, vel amnis: Scotobrigantum vereri Dialecto *Aman* vel *Amon*, unde & Latinorum *Amnis*. Hæc ille. Quidſi *Am* ſit abſciſſum ab *amnis*? Sane *amnis* in Latina Lingua etymologiam habet percommodam, ab *am* & *no*, circumfluo. VARRO Lib. 4. de LL. *Amnis id flumen eſt, quod circuit aliquid.* Quicquid ſit, vox valde antiqua eſt. Nam hinc videntur oriri nomina fluviorum vetuſtiſſima,

EMME, in Helvetia, Lat. AMMA.
EMMER, in Weſtphalia, Lat. AMBRA.
EMS, Latinis AMISIA.
SAMBRE, in Gallia Belgica, olim SAMARA.

Sibilus fæpe, ubi minime neceſſarius, capiti & fini annectitur, & Labiales ſe mutuo attrahunt. Hinc porro AMBRONES cenſeri poſſunt omnes populi, qui flumen aliquod accolunt, ut neceſſe non ſit, migrationes fingere, aut *Ambrones* Helvetiorum ex interiore Germania verſus Auſtrum deducere. Excipio tamen AMBRONES, qui cum Cimbris & Teutonis arma circumtulerunt. Nam hos Saxonici generis fuiſſe, ab Inſula Danica *Amrun* ſic dictos, ex conſenſu FESTI & NENNII, ſat luculenter demonſtravit doctiſſimus Abbas GODEFRIDUS in *Chronico Gotwicenſi* Tom. I. Lib. I. pag. 544.

AMALI, nobilis proſapia, & regum ferax, inter Gothos orientales, a conditore gentis *Amala* ſic dicta, teſte JORNANDE de reb. Get. Cap. 14. *Augis genuit eum, qui dictus eſt Amala, a quo & origo Amalorum decurrit.* Theodoricum, qui totam Italiam tenuit, ex eadem ſtirpe ortum eſſe, idem memoriæ prodidit. AMALA autem lingua Gothica ſignificat *immaculatum*, cui nulla macula objici poteſt, non *cæleſtem*, ut GROTIUS in Indice, quod nullum habet ſenſum. VERELIUS in Ind. *amæli* ſine periculo & opprobrio. Componitur a *mal* macula, & præfixo *a.* quod hoc loco eſt privativum. Amalos circa hanc originem & appellationem valde glorioſos fuiſſe, præcipue Theodorici ævo, qui Amalorum genus priſtinæ claritati reſtituit, patet ex nominibus eorum propriis. Talia ſunt:

AMALASVENTA, puella immaculata. *Svein* Islandis eſt puer, & hinc recte fit *Sventa* puella. Claruit hoc nomine filia Theodorici R. Italiæ. Græcis ob defectum literæ W. ſcribitur Α'μαλαγόνθα, quod Latini imitantur in *Amalaſuntha*.

AMALAFRIDA, ſine macula pulchra. Rationem interpretationis vide in *freyen* amare.

AMALARICUS, ſine macula potens. Theodorici R. ex filia nepos apud PROCOPIUM.

AMALOBERGA, tutrix immaculata. A *bergen* defendere, tueri. Amalafridæ filia apud eundem.

Denique ab imperio *Amalorum* Italia ipſa in Hiſtoria Theodorici Veronenſis dicitur *Amlunga-land*, quaſi terra Amalingorum, apud VEREL. in Ind. De genere ipſo vide JORNANDEM loco citato, de claritate generis cel. MASCOVIUM Lib. VI. Hiſt. Germ. §. 43. in notis.

AMALIA, id eſt, immaculata. Patet ex antecedentibus, ſi conferantur cum *mal* macula.

AMAZONES, mulieres Scythicæ, & bellicoſæ, ſed non unius fluvii accolæ. Alias enim ad Pontum circa Thermodontem, alias in Sarmatia ad flumen Rha non procul a *Serbii* habitaſſe ferunt. De qua re videndus CELLARIUS in Notitia *Orbis Antiqui*. Vulgo creduntur ſic dictæ, quod ſimul viverent ſine viris quaſi ἅμα ζῶσαι, vel quod mammarum expertes eſſent, a μαζὸς mamma, & privativo *a*. Sed rumorem illum de mammis dextris Amazonum ſive aduſtis ſive exciſis, quamvis a multis Scriptoribus, & HIPPOCRATE quoque adoptatum, falſitatis arguit PETRUS PETITUS in eleganti & copioſa *de Amazonibus* Diſſertatione Cap. 22. Nam apud VIRGILIUM Penteſilea pugnat mamma exerta. Et apud QUINTUM SMYRNÆUM dextra mamma Amazonis haſta trajicitur. Quibus addi poſſunt ex Lucernis BELLORII antiquis duæ Amazones vulneratæ, quarum mammæ dextræ ſatis turgidæ apparent. Alii vocem Germanicam eſſe autumant. AVENTINO *Amazones* ſunt *mansmezen*, quaſi dixeris ſcorta virorum, quia promiſcuo cum vicinis gentibus congreſſu genus propagabant, ut ſcribit JORNANDES de reb. Get. Cap. 8. GUNDLINGIO Amazones ſunt *mulieres Mæoticæ*, a *miot* palus, quod Gothicum eſſe fingit, & *kona* mulier, ſic dictæ. Vide GUNDLINGIANA III. III. pag. 273. per tot. & VII. II. pag. 127-137. Equidem JORNANDES Amazones *fœminas Gothorum* vocat Cap. 7. Sed has fœminas ad Mæotidem habitaſſe, aut *miot* lingua Gothica paludem ſonare, nec HERODOTUS ſcribit, nec STIERNHIELMIUS, nec HICKESIUS, quamvis ab auctore etymi conducti. Illud vero ſummopere placet, & viri ingenium teſtatur, quod *mulieris* appellationem in voce deprehendit. Sed hæc ipſa appellatio Sarmatica magis quam Gothica cenſeri debet. Nam *Zona* Sorabis mulierem notat, teſte FRENZELIO in Orig. Sorab. pag. 234. Iisdem *mecz* gladium ſignificare, idem tradit pag. 693. Hinc ſuſpicor, *Amazones* dictas eſſe *mecz-zonas*, quaſi *mulieres gladiatas*, auctoribus *Serbis*, Soraborum progenitoribus, quos Amazonum vicinos fuiſſe vidimus. Certe *Amazonis* nomen Scythicum haud eſſe, adeoque nec Gothicum nec Germanicum, multa mihi perſuadent, & inprimis hoc, quod Scythæ ipſi fœminas illas non *Amazones*, ſed ἀυρπαλὰ vocabant, teſte HERODOTO Lib. IV. Cap. 110. *Scythæ Amazones vocant ἀυρπαλὰ, quod nomen poteſt transferri ἀνδροκτόνοι, id eſt, viricidæ: ÆOR enim virum dicunt, PATA autem occidere.* Priorem compoſiti partem vide in *wer* vir, poſteriorem in *batten* cædere.

AMBACHT, miniſter, & quivis liberi obſequii homo, ab infima ad ſupremam conditionem. Gloſſ. Keron. miniſter *ambath*. Lege *ambaht*. Gloſſ. Boxh. *ambachtun* exactoribus. VEREL. in Ind. *ambat*, *ambot* ſervus & ſerva, *ambatar* ſervæ filius. Evang. Gothic. Joh. XVIII. 18. *ſtothun ſkalkos jah andbahtos*, ſtabant ſervi & miniſtri. Harm. Evang. TATIANI Cap. CCXII. 5. *gibalotemo waltambahto*, acceſſito Centurione. CÆSARI *Ambacti* Gallorum ſunt nobilioris ſervitii homines, qui potentiorem aliquem obſequii & obſervantiæ cauſa ſequuntur, Lib. VI. de B. G. Cap. 14. *Ut quisque eſt genere copiis-*

copiisque amplissimus, ita plurimos circa se AMBACTOS *clientesque habet.* FESTUS scribit: *Ambactus apud Ennium lingua Gallica servus dicitur.* Quod de Lingua Galliæ Belgicæ intelligendum. Idem *ambactos* interpretatur *circumactos*, sed perperam. Nam vocem origine Belgicam esse, & proprie denotare sectatores, mox patebit in verbo *ambachten* ministrare. CÆSAR ejusmodi sectatores alibi vocat *Soldurios*, TACITUS *Comites.* Uterque suos graphice & prolixe describit. Ille Lib. III. de B. G. Cap. 22. Hic de M. G. Cap. 13. & 14.

AMBACHT, officium & ministerium quodcunque, nobile & ignobile. Anglosax. *embeht*, *embiht*, Francis & Alam. *ambahti*, Island. *embœti*, Lat. Barb. AMBASCIA. Gloss. Keron. officium *ambahti.* VEREL. in Ind. *embeti* officium. TATIANUS Cap. LXIII. 3. *Martha avalota umbi thas oftiga ambaht*, Martha satagebat circa frequens ministerium. Hodie utimur voce contracta *ambt.* Belgis *ambacht* est opificium & tribus opificum. Inde composita, *ambachts-heer* tribunus opificum, *ambachts-luyden* opifices, *ambachts-man* opifex. Cuncta ex eodem fonte, nempe ab *ambachten* ministrare.

AMBACHTEN, ministrare. Gothis *andbahtjan* Marc. X. 45. Anglosax. *embehtan*, Franc. & Alam. *ambahtan.* Gloss. Keron. ministraverit *ambahtit*, subministret *untarambahte.* JUNIUS etymon verbi petit a subst. *bach* tergum, quod ministrantes soleant circumstare eos, quorum assectæ sunt: STIERNHIELMIUS a *bieten* præcipere: uterque incommode. Proprie est circumsectari aliquem officii & obsequii causa, derivaturque, ab *umb*, *amb*, *emb* circa, circum, & *achten* sequi, sectari, persequi, quod ita comparatum est a natura, ut non solum de hoste, sed etiam de amico & patrono dici queat. Illum enim persequimur destruendi, hunc juvandi causa. Proinde etiam Latinis *persequi* non solum malo, sed etiam bono sensu dicitur. Ab hoc verbo minister Antiquis dicitur *ambacht*, quia minister est circa eum, quem sectatur. Latini *assectam* ab *assequendo* vocant. Iisdem *socius* a *secando*, hoc est, a sequendo nuncupatur, ut Græcis sectator ab ἀμφὶ, quia circa eum est, quem sectatur. Inde οἱ ἀμφὶ τὸν Ορφέα sectatores Orphei apud PLATONEM, & οἱ ἀμφὶ Κάδμον proximi Codro apud HERODOTUM.

AMBACHT-MANN, minister, latissimo significatu. SOMNER. in Dict. Anglosax. *embeht-mon* minister, *ambiht-men* servientes, ministri, satellites, stipatores &c. Gloss. Lips. *ambachtman* ministri. Gloss. R. Mauri: tribunus *ampakman*, qui vel mille præest viris. Proprie est homo officii, tam nobilis quam ignobilis, ab *ambacht* ministerium. Hodie utimur voce contracta *ambtmann.* Belgis *ambachts-man* est opifex, quia opifices cæteris ministrant.

AMBASSADOR, Legatus primi ordinis. Nomen Hispanicum, sed origine Germanicum. Nam ab *ambacht* ministerium, oritur primo AMBASCIA eodem sensu, auctoribus Latino-Barbaris. Lex Sal. Tit. L 3. *Si in dominica* AMBASCIA *fuerit occupatus, manniri non potest.* Alia editio legit *ambaxia*, quod idem. Ab *ambascia* porro fieri cœpit *ambasciator*, qua voce apud Latino-Barbaros quilibet internuncius, sive Regis, sive Monasterii, sive Civitatis, designatur, prout ex testimoniis a SPELMANNO & CANGIO convasatis liquet. Denique ab *ambasciator* factum est *ambassador*, levi mutatione, sed sensu custodito. Nam qui regia legatione fungitur, aut mandata regis ad alium regem defert, versatur utique in *ambascia dominica*, ut cum Lege Salica loquar, & est Regis sui internuncius, adeoque stylo Barbaro *ambasciator.* Eosdem vocabulo Hispanico natales adsignant viri doctissimi LINDENBROGIUS, VOSSIUS, FERRARIUS, & quis non?

AMBER, succinum. De origine hujus vocis ita disserit ECCARDUS in Præf. ad Collect. Etymol. pag. 7. *Ambre*, pro succino, mihi non Arabica, sed Germanica vox esse videtur, ab *amberen*, *ambernen*, sive *ambrennen*, incendere, derivata; ut ita *rem ustilem* vel *incensibilem* denotet. Favilla ex pari ratione & fonte Belg. *amer*, *amber*, Sax. *emmer*, & Anglis *ember* q. f. *ustum* dicitur. Succinum certe a Germanis ad Arabes delatum, unde & nomen ab iis venisse, verosimile est. Skinnerus in Etymol. Anglicano mecum sentit. Et debet ea vox antiquissima esse, quoniam jam Homeri tempore ab *ambra grisea* aromata suaveolentia, quæ vino infundebantur, *Ambrosia* dicta sunt, ut celeberrimus Wedelius Exercit. Medico-Philolog. Dec. V. solide ostendit. Huc usque ECCARDUS.

AMBOSS, incus. Vox Francica. Gloss. Böxh. *anapoz* incus. *An* est adverb. loci & motus in loco, & convertitur in *am*, ob labialem sequentem. *Boss* est a *batten* cudere, ferire, & dicitur de incude, quia incus est fulcrum, in quo ferrum cuditur. VERELIO in Indice *ambud* est instrumentum rusticum, ab *anbua* præparare. STADENIUS inde deduxit *amboss* & *ambactus.* Sed dum origines Gothicas, spretis Celticis, undique conquirit, sæpe in tricas delabitur. Vocem Saxonicam vide in *anbold.*

AMBT, officium, munus, ministerium. Gloss. Pez. negotium *ampht.* Litera B. non debet omitti in scriptura. Est enim custos & index, vocem ex antiquiore & integriore *ambacht* contractam esse.

AMBT-MANN, prætor causarum civilium, præfectus loci, vel judicii in loco. Correptum ex antiquiori & latius patente *ambachts-mann*, quod vide.

AMEIS, *ameisse*, formica. Anglosax. *æmet*, apud SOMNER. & BENSON. Angl. *emmet.* Latinis a *ferendis micis*, Germanis a fuga otii sic dicitur. Nam *meisse* idem est quod

muſſe otium, & præfixum *a.* otium negat. Hinc totum compoſitum ſignificat animal otii expers. Conveniunt in derivatione CLAUBERGIUS in Arte Etymol. Teutonum pag. 56. & STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 77. 78. Eſt autem formica animal occupatiſſimum. Unde etiam HORATIO *parvula magni formica laboris* dicitur Sat. I. Labores formicarum brevi encomio complexus eſt PLINIUS in Hiſt. Nat. XI. 30. quod cum lectu jucundum ſit, hic deſcribam: *Si quis comparet onera corporibus eorum, fateatur, nullis portione vires eſſe majores. Gerunt ea morſu. Majora averſæ poſtremis pedibus moliuntur, humeris obnixæ. Et iis Reip. ratio, memoria, cura Semina arroſa condunt, ne rurſus in fruges exeant e terra. Majora ad introitum dividunt. Madefacta imbre proferunt atque ſiccant. Operantur & noctu plena Luna.* In quibusdam Dialectis *ameiſſe* corripitur in *emſe*, quod idem. Confer dicta in *emſig*, quod cognatum. Helvetii hoc inſectum vocant *ambeis*, ſive quia morſu gerit, ut PLINIUS ait, a *beiſſen* mordere, ſive per epentheſin ex nimia labiorum compreſſione ortam, qua fit, ut litera *b.* quæ naturaliter incipit, ubi *m.* deſinit, ſimul protrudatur. Sic vulgus in Græcia olim *Alamannos* vocavit *Alambannos*, teſte DIONE in Excerptis. Celticam vocem vide in *miere* formica.

AMEN, ſimilitudine exprimere. Lat. *imitari.* Utrumque diverſis modis ab ὁμὸς ſimilis. Nam proprie eſt ſimile facere, ut ſolent ii, qui aliorum dicta & facta in exemplum aſſumunt. Hodie dicimus compoſite *nachamen*, ab adverb. intenſionis *nach*, quod ex imitatione æmulationem facit. Et tametſi hæc origo ſatis bona ſit, addam tamen adhuc aliam, in gratiam eorum, qui Græca faſtidiunt. Forte *amen* ab initio fuit *aben* (nam hoc quoque imitari ſignificat), & poſtea eam, quam hodie habet, formam accepit ab inconſtantia vulgi, qui labiales ſolet permutare.

AMEN, clauſula precum, ſed pure Hebræa, quæ idem quod *vere*, *certe*. Utitur hac clauſula ex Antiquis Codex Argent. in Orat. Dom. Matth. VI. 13. Reliqui veterum ſenſum exprimunt Germanice. Interpres Angloſaxonicus habet *ſothlice*, i. e. vere, veraciter, quod eſt a *ſoth* verus & veritas. Franci autem & Alamanni dicunt *ſo ſi*, ſit ita. Gloſſ. Keron. amen *ſo ſi*. Hodie dixeris *ſo ſey es*.

AMMAN, prætor urbanus in Civ. Imp. Quemadmodum *ambachtman* corripitur in *ambtman*; ita ex voce correpta *ambtman* nova & arctiori contractione (quid enim uſui vocabulorum tyranno non licet?) factum eſt *amman*, non nuper quidem, ſed jam ante aliquot ſæcula, ut ex CANGII Gloſſ. adparet.

AMME, nutrix. Hiſpanis *ama de leche*. Hebræis, *æm* eſt mater, & *amma* nutrire. Isque ſignificatus haud dubie prior eſt altero, quia antiquiſſimis temporibus *ſua quemque mater uberibus alebat*, quod de Germanis memoriæ prodidit TACITUS Cap. XX. Poſtquam vero infantes ancillis & nutricibus delegari cœperunt, nomen matris una ad nutricem tranſiit. Hinc apud HESYCHIUM ἄμμα exponitur *mater* & *nutrix*. Poſtremo omnibus communicari cœpit, qui officium matris quocunque modo faciunt. Inde Latino-Barbaris *amma* mater ſpiritualis apud CANGIUM, & Germanis obſtetrix *heb-amme*, quaſi mater levans, ab *heben* levare.

AMPEL, duos habet ſignificatus, unum ab *ampulla*, alterum a *lampas*, per literarum trajectionem. Priorem agnoſcunt quoque Saxones. BENSON. in Voc. Angloſax. *ampellan*, *ampollan*, *ampullan* ampulla.

AMPEL N. V. *hampelman*.

AMPFER, genus lapathi, ab acerbo ſapore ſic dictum, compoſite *ſaur-ampfer*, quod pleonaſmum ſapit. Nam lingua Batavorum *amper* jam eſt acidus, forte a Gallico *apre* per epentheſin, vel a Gr. ἀμπέφω perforo, quod mallet MARTINIUS in voce *oxalis*.

AMSEL, merula. Gloſſ. Pez. merula *amphsla*. BENSON. in Voc. Angloſax. *osle* merula. Quod imitantur Angli in *owzel*. VOX Saxonica, unde Francica & noſtra per epentheſin facta, denotare poteſt avem canoram in genere, ſi derivetur ab ὐδω cano, *D.* ut ſæpe alias in *S.* mutato. Galli videntur inde habere *oiſeau*, Ital. *uccello*. Aliam derivationem vide infra in *aſche* aqua.

AN, ad, *an mich* ad me, *biſs an den himmel* usque ad cœlum. Raro utuntur Veteres. Habent tamen Franci *unz an* usque ad. TATIANUS Cap. V. 6. *unz an Davidem*, usque ad Davidem. Cap. XLV. 5. *unz an enti* usque ad ſummum. Græcis ἀνὰ interdum idem denotat.

AN, in, *ſoviel an mir iſt* quantum in me eſt. Cod. Arg. Matth. VI. 9. *ſwe in himina jah ana airthai*, ſicut in cœlo ita etiam in terra. NOTKERUS Pſal. XXXIV. 13. *ih pin an demo fater, unde der fater an mir*, ego ſum in patre, & pater in me. Græci eodem ſenſu dicunt ἐν.

AN, adverb. ordinis, ſignificans *ante*, *præ*, *prius*. Hoc ſenſu pollet in multis compoſitis, ut in *Proleg.* Sect. V. oſtendi.

AN, quatenus eſt adverb. ordinis, ſæpe ſubſtantivatur, & tunc ſignificat (1.) principium ſeu naſcendi originem. Inde Cambris *anian* natura, Germanis *anherr* avus, dominus originis, *anfrau* avia, domina originis. Ab hoc ſubſtantivo rurſus oriuntur verba. Inde Angloſax. *eánian* parere, eniti, Francis *anaron* & *gianaron* propagare, Islandis *inna* incipere. (2.) auctorem generis. Inde Armoricis & Turcis *ana* mater, Germanis *æhe* avus, *ane* avia, vulgo *magna mater*. Et huc etiam ſpectare videtur DIANA, mater lucis, a *di* dies & *ana* mater, ex invento doctiſſimi Abbatis PEZRONII in Ant. Celt. pag. 402. Quod in Celti-

Celtica Lingua tam clarum & perſpicuum, ut mirum ſit, inquit, nec Græcos nec Latinos, nec Platonem nec Varronem, id vidiſſe. (3.) genus paternum. Inde Alamannis recentioribus *anſidel* bonum paternum, alias *ſtamgut*. (4.) formam primitivam. Inde Germanis *ænlich* archetypo ſimilis, Helvetiis *anbild* effigies.

AN, quatenus eſt adverb. ordinis, interdum adjectivatur. Inde Græcis ἔνος vetus, Gallis *ainé* natu major. Ab ἔνος rurſus fit ſubſtantivum *anus* vetula.

AN, plures habet ſignificatus in compoſitis, quos vide in *Proleg.* Sect. V.

ANBEGINN, initium. Angloſax. *anginn*, Franc. *anagen*, Alam. *anakinn*. Gloſſ. Lipſ. *anagen* principium, *anagenni* initio. Gloſſ. Keron. initium *anakin*, initio *anakinne*. TATIAN. in Prol. 2. *ſon anaginne* ab initio. Oritur a *ginnen, beginnen* inchoare. *An* ſenſum intendit.

ANBETEN, *anbæten, anbetten*, adorare, ſuppliciter invocare. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIV. 143.

Mit uuaru uuilit ther Gotes geiſt
Thaz man in anbeto meiſt.
Vertit SCHILTERUS:
Cum veritate vult Dei ſpiritus
Ut adoretur maxime.

Gloſſ. Boxh. *anapetari* ariolus; qui aras colit. A ſimplici *beten* orare, invocare. *An* notat motum ſupplicationis verſus objectum, quod adoratur.

ANBILD, effigies, archetypo ſimilis. Vide adverb. ordinis *an*.

ANBLICK, adſpectus, *anblicken* adſpicere. V. *blicken*.

ANBOLD, incus. Angloſax. *anfilt*, Belg. *ambeeld*, *anbeld*, Angl. *anvill*. SKINNERUS componit ab *an* ſuper, & *fallen* cadere, quia malleus crebro in incudem cadit. Atqui malleus non cadit in incudem, ſed potius illam crebris ictibus exercet. Refer ergo ad *fillen* cædere. *An* hic rurſus temdit ad objectum. Simile compoſ. eſt *amboſs*, quod vide.

ANBRECHEN, illuceſcere, ſpargere primitias lucis, *anbruch des tages* prima lux, *anbrechend* ſublucanus, *anbrechender tag* dies oriens. Refer ad *brechen* fulgere. *An* hoc loco eſt adverb. ordinis.

ANBRUCH, caries, *anbrüchig* carioſus. Nova, ſed idonea, a *brechen* tabeſcere. Dicitur proprie de iis, quæ incipiunt putreſcere. *An* hic rurſus eſt adverb. ordinis, & initium corruptionis notat.

AND, *ant*, contra, ex adverſo. Vide PROLEG. Sect. V.

AND, alienus, *es thut mir and* alienum mihi eſt. Ab. *anten* alienare, quod vide.

ANDACHT, animus intentus, devotus. Gloſſ. Pez. intentione *anadahtungo*. A *denken* velle, cogitare, per ſyncopen literæ N. *An* cogitatum & voluntatem non ſolum dirigit ad objectum, ſed etiam penitus affigit.

ANDEN, ire, vadere, proficiſci. Vetus Francicum. Gloſſ. Pez. ibat *undota*. Inde Latino-Barbaris, Italis, & Hiſp. *andare* eodem ſenſu, apud CANGIUM in Gloſſario. In reliquis Dialectis N. exulat e medio. Inde Latinis *itare*, Armoricis ☞ ivit, Gothis *iddja* ambulabat Marc. V. 42. Angloſaxonibus *eode* ivit, iter fecit, *forth-eode* proceſſit, *thurh-eode* pertranſivit, *ut-eode* exivit, quod imitantur Angli Boreales in *yed* & *yod* ibam, obſervante SOMNERO in Dict. Angloſax. JUNIUS hæc præterita refert ad thema verbi vereris *gangen* ire, in Gloſſ. Goth. pag. 207. Quo jure, non video, cum ſonus ipſe nos ducat ad Lat. *itare*. Et hinc quoque eſt *anden* per epentheſin, auctoribus Francis. Huic verbo proſtheſis præfixit W. tanquam augmentum initiale. Inde Anglis *i went* ibam, Germanis frequentativum *wandeln* ambulare, & fortaſſe etiam *wandern* peregrinari.

ANDEN, zelare, graviter animadvertere. Angloſax. *andian*, Franc. *anton*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XIV. 71.

So ſiu thaz tho gihorta
Thaz er iz antota.
Cum illa audiviſſet,
Quod ipſe hoc argueret.

Proprie eſt tendere in aliquem objurgandi cauſa, ab *and* contra. Sic Græcis ab ἀντὶ fit ἀντᾶν obſtare, occurrere, obviam ire, non nulla cum reliquis affinitate. Ab hoc verbo zelus Angloſaxonibus dicitur *anda*, Francis & Alam. *ando* & *anti*, in Gloſſis Lipſii & Keronis, Germanis reprehenſio *andung*, Cambris zelotes *eiddig* per ſyncopen, ab Angloſaxonico *andig* æmulus, invidioſus.

ANDEN, præſentire, *mir andet nichts guts* mens nihil boni præſagit. Hic ſenſus oritur a Scandico *anda* ſpiritus. Cambris *antun* ſunt inſomnia, in Gloſſario Celtico LEIBNITII, forte quaſi *andungen* præſagia.

ANDER, alius. Gothis *anthar* Matth. VIII. 21. Angloſax. *other* ibidem, Franc. & Alam. *ander, andre, andrer*, Gall. *autre*, Isl. *annar* per ſyncopen. Gloſſ. Keron. alius *andrer*, alii duo *andre zuene*, aliter *andaruuis*. TATIANUS Cap. CCXXXVIII. 3. *andre thih gurtit*, alius te cinget. ECCARDUS ducit ab *anten* alienare, forte quia alius eſt alienus, in notis ab Leg. Sal. pag. 24. Mihi videtur oriri ab *and* vel *ant*, contra, ex adverſo, & proprie denotare eum, qui primæ perſonæ oppoſitus eſt, five diverſus ſit ut *alius*, ſive ejusdem generis ut *ſecundus*, ſive unus ex duobus ut *alter*, ſive unus ex pluribus ut *cæterus*. Inde eſt, quod eadem vox in omnibus pene Dialectis nonſolum *alium*, ſed etiam *alterum*, *ſecundum*, & *cæterum* ſignificat, quoniam hi omnes primæ perſonæ opponuntur. CASAUBONUS Saxonicam vocem a Gr. ἕτερος deflectit. Quo

conceſſi), reliquæ e Saxonica per epentheſin erunt corruptæ.

ANDER, alter. TATIAN. Cap. CCV. 1. *ein in zeſo, ander in uuiniſtra*, unum a dextris, alterum a ſiniſtris.

ANDER, ſecundus. Gloſſ. Keron. ſecundis *andar*, ſecundum *andras*, ſecunda *andrera*, in ſecundo *in andremu*, ſecundæ feriæ *andrem tagum*.

ANDER, cæterus, reliquus. Gloſſ. Keron. cæteris *andrem*, reliqua *andro*, reliqui *andree*.

ÆNDERN, alterare, mutare, in alium ſtatum & formam convertere, & inde appellatio ab *ander* alius. Bonum verbum, ſed apud veteres hactenus non obvium. Græci dicunt *ἑτερῶν*. Ex eodem fonte eſt *entern* devirginare, quod ex Ruſticano Terminorum producit KEYSLERUS in Antiq. Sept. pag. 489.

ANE, avia. V. Adverb. ordinis *an*.

ANEN, avi, majores, *uranen* proavi, *anenloh* laus avita. Ab *ene* avus.

ANEN, animo præſentire. LUTHERUS Stadenio citatus in Voc. Bibl. pag. 72. *man ſaget vielmal, hat mich das nicht geant*, ſæpe dicimus, nonne mihi hoc animus prædixit? STILERUS derivat ab adverb. ſimilitudinis *an*, cum futura mentis præſagio ex ſignis parilibus fere colligantur. Equidem a ſimilibus ſimilium fit admonitio. Hinc quando mens ex ſimilibus colligit præterita, tunc dicitur *recordari*. Quando vero ex ſimilibus colligit futura, tunc dicitur *ominari*. At quando menti aliquid obverſatur, cujus cauſam nullam intelligit, tunc dicitur *præſentire*. Hinc *anen* revera idem eſt quod *anden*, atque ex illo factum per ſyncopen.

ANEN, carere. Vetus Poëta apud GOLDASTUM in Parænet. pag. 411.

Sumer, diner liehten ogen weide
Mus ich mich der anen.

Oritur a præpoſ. excluſiva *ano*, ſine, absque, quæ hodie effertur *one*. Inde WILLERAMO *anig* carens, vacuus, & dicitur de poculo exhauſto Cap. VII. 2.

ANEN, privare, facere ut careat. Ex eodem fonte. Verbum Alamannis recentioribus cuſtoditum, quorum teſtimonia vide apud GOLDASTUM loc. cit. Præcipua ejus proles eſt particula privativa *ent*, in multis & antiquiſſimis compoſitis conſpicua.

ANFAHEN, incipere, aggredi. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXXVII. 6. *thaz uuir iz anafahen*, ut hoc incipiamus. Proprie eſt capere ab initio, ab adverb. ordinis *an*, & *fahen* capere.

ANFALLEN, impreſſionem facere. Gr. *ἐμβάλλειν* & *ἀναβάλλεσθαι*, manifeſto conſenſu. Refer ad *fallen* irruere. Præfix. *an* dirigit motum ad locum.

ANFANGEN, inchoare, *anfang* initium. Rhythmus de S. Annone §. 28. *Romere einin nuwin fidde aneviengen*, Romani novum morem incipiebant. Proprie eſt capere ab initio, idemque quod *anfahen*. Nam *fahen* & *fangen* ſunt ſynonyma.

ANFANGEN, vindicare rem ſuam. Jus prov. Alam. Cap. 312. *der diuphait oder raup kauffet, und daz angeuangen uuirt*, ſi quis rem furtivam aut raptam emit, & alius eam ſibi vindicat. Referri poteſt, ſive ad *fangen* occupare, ſive ad *fangen* vi capere, manus immittendo. Præfix. *an* vel motum ad rem notat, vel ſenſum intendit.

ANFAREN, invehi in aliquem. Gloſſ. Pez. impetu *anaverti*. Hodie dicitur tantum de impetu verborum, a *faren* tendere.

ANFECHTEN, impugnare. NOTKERUS Pſalm. XXXIV. 1. *erſiht die mih anafehtent*, expugna impugnantes me. Rhythmus de S. Annone §. 29. *dikki im anevuhtin die lantheirrin*, ſæpe eum impugnabant principes. *An* hoc loco eſt adverb. motus ad locum. Cætera vide in *fechten* pugnare.

ANFRAGE, interrogatio. Gloſſ. Boxh. *infragunga* cuntatio. Gloſſ. Keron. interrogationem *antfrabidu*. Refer ad *fragen* interrogare.

ANFRAUW, avia. V. in Adverb. ordinis *an*.

ANFREMMEN, præparare, primo quidem ſenſu, mox etiam facere ut alter præparet. A *fremmen* efficere, formare, de quo infra, & dicitur de cibis, de veſtibus, & omnibus utenſilibus, quæ nobis præparari volumus. Simplex occurrit apud Anglos, compoſitum apud Suevos.

ANGARIARE, *angarizare*, cogere, neceſſitare, *angaria* ſervitia coacta, cujusmodi ſunt, quando pecuniæ, alimenta, vehiculationes, & operæ, tam rerum quam perſonarum, præter debitum a ſubditis vel aliis exiguntur. Eundem ſenſum, quamvis aliis vocibus, exprimunt Gloſſæ antiquæ. Gloſſa Juniana in Obſ. ad Will. pag. 82. angaria *notuuerch*. Gloſſ. Keron. angarizati *keuoottanteru*. Confer Evang. Goth. & Angloſax. Matth. V. 41. ubi verbum *ἀγγαρεύειν* exponitur *nauthyan* & *nydan*, h. e. cogere, compellere, neceſſitare. Vocem a Perſis per Græcos ductam eſſe ab *ἄγγαροι*, quod interprete HESYCHIO exponitur *γραμματοφόροι*, h. e. tabellarius, recte judicat SPELMANNUS. Cauſa, cur *tabellarii* apud veteres Perſas dicti ſint *angari*, omnium eruditorum conſenſu hæc eſt, quod obvios quosque in itinere, homines, equos, camelos, ſi iis indigerent, ad ſervitium Regis adigere poterant, & hodienum poſſunt, teſte TURNEFORTIO in Itinerario, aliisque. Vide, quæ pridem a multis Commentatoribus ad verba Domini apud Matthæum annotata ſunt. Lingua Perſica hodierna agnoſcit verbum *agariden* inſtigare, urgere, quod non tantum de interna animi commotione, ſed etiam de externa corporis coactione dicitur, teſte RELANDO, viro doctiſſimo, in Diſſert. de veteri L. Perſica in voce. Hactenus vocem origine Perſicam eſſe, recte ſtatuitur. Verum

rum cum Perſica lingua *vocem huic & ſono & ſenſu affinem non agnoſcat aliam*, ut diſerte ſcribit RELANDUS; affinitas aliunde petenda eſt, quia ſenſum cogendi non videtur a more Perſarum, ſed a radice accepiſſe. Multa autem ſunt in omnibus Linguis a Scythica & Celtica oriundis, unde conjicere poſſumus, Perſicam vocem non extra omnem affinitatem projectam eſſe. Cambris *angen* eſt neceſſitas, *engir* dirus, intolerabilis: Angloſaxonibus *ange* vexatus: Latinis *angere* anxium reddere, in anguſtias conjicere: Germanis *angen*, *engen*, premere, conſtringere, vexare, *enge* anguſtia, neceſſitas. Quæ certe non aliunde melius & rectius ducuntur, quam a primitivo *eng* arctus, conſtrictus. Hos duces, ſi ſequamur, *angarus* vi originis & cognationis erit exactor, vexator, concuſſor, & ſecundario ſenſu *tabellarius*, ob rationes ſupra allatas. Similiter a *nauwen* conſtringere, in omnibus Dialectis fit *not* neceſſitas, & hinc *nöten* cogere, & *nöter* coactor. Et nihil omnino obſtat, quo minus Perſæ, qui plurima Scythis vocabula debent, ab his Orientis domitoribus, *angarorum* quoque appellationem acceperint, Græci ab illis, nos poſtliminio a Græcis.

ANGARGNACO, equus operarius, bajulus, veredarius, & veliculationi tantum aptus. Lex Bajuvar. Tit. XIII. Cap. X. 3. *Et ſi deterior* (equus) *fuerit, quem angargnaco dicimus, qui in hoſte* (in exercitu) *utilis non eſt, cum tremiſſe componat.* Puta, ſi caudam amputaverit. Opponitur equo bellatori, qui ibidem *marach*, & mediocri, qui *wilz* dicitur. CANGIUS interpretatur equum *angariis* deſtinatum, *unde forte*, inquit, *vocis origo.* Recte. Sed quid ſit *gnaco*, non explicat. Vide ergo dicta in *nack* equus.

ANGEL, cardo, in quo oſtium vertitur. Vel idem eſt quod *angel* hamus, quia cardines ſunt hamati, vel ex eodem cum illo fonte oritur.

ANGEL, hamus. Angloſax. *angel*, Franc. *angal*, Belg. *angel*, *hangel*, *hengel*. Gloſſ. Pez. hamus *angal*. VEREL. in Ind. *anguls auga* aculeus vel uncus hami, quo ineſcamentum retinetur ne excidat. Forte ab *hangen* pendere quia pendet in aquam. Ita SKINNERUS in voce *angle*. Alii derivant a Gr. ἀγκύλον curvum, vel a Lat. *uncus*, quia hamus eſt inſtrumentum recurvum. Malim referre ad *anken* figere, unde etiam *anke* & *anker*, quæ vide.

ANGEHOREN, eſſe alicujus, ſpectare ad aliquem. V. *hören* pertinere.

ANGELOBEN, ſponſionem facere, fidem ſuam obſtringere. V. *loben* ſpondere.

ANGELT, pars pretii, arrhabonis loco ſoluta. Proprie eſt pecunia obligans, ab adverb. copulandi *an*, quia venditor illa accepta tenetur contractum ſervare, aut ſi res perierit absque emtoris culpa, pretium reſtituere. Aliud eſt *angild* compoſitio ſimplex, quod vide in *gilt* mulcta.

ANGEN, conſtringere, premere, moleſtia afficere, *was dich nicht anget, darnach ſolt du nicht fragen*, quod te non angit noli inquirere. Ita HENISCHIUS in Theſauro, teſtis luculentus, hoc verbum ante centum annos adhuc viguiſſe. STILERUS, alter Germanicæ Linguæ theſaurarius, *poëticam* vocat, præter rationem. Certe antiquum eſt, & juſta lege factum a primitivo *eng* arctus, conſtrictus, unde etiam Græcis ἄγχω, & Latinis *angere*, & Gallis prioribus *anger*. Conſenſum Francorum obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. IV. 123.

Mit heri uns ſus hiar engit,
Joh uzar ther burg dringit.

Vertit SCHILTERUS:

Cum copiis nobis hic anguſtiam facit,
Atque ex civitate urget.

Idque verbum non nupera Francis efficta, ſed diu ante Francorum tempora in vetuſtiſſimis Dialectis obtinuiſſe, multa evincunt. Nam inde Angloſaxonibus fit *ange* vexatus, Cambris *ynged* anguſtia, *angen* neceſſitas, *engir* dirus, intolerabilis, Perſis antiquis *angari* tabellarii obviosquosque urgentes, & ab illo *angariare* cogere, de quo ſupra, Germanis *angſt* anguſtia, & reliqua ab illo oriunda. Quæ certe ex una eademque matrice propullularunt, cum tanta ſit in ſono & ſenſu ſimilitudo, ut major eſſe non poſſit.

ANGENEM, quod placet. Idem quod *genem* acceptus, niſi quod *an* ſignificatum intendit. Gothis gratus, acceptus dicitur *andanem* Luc. IV. 19. *merjan jer fanins andanem*, prædicare annum Domini acceptum. Ab *andniman* recipere, quod eſt a ſimplici *nemen* acceptare, & præfixo *and*, quo ſenſus augetur. Reliquæ Dialecti ſolent grati acceptique notionem formare a verbo ſynonymo *fangen* capere. Hinc annus acceptus interpreti Angloſaxonico dicitur *andfenge gear*, & Tatiano Franco *antphengi jar*, in Harm. Evang. Cap. XVIII. 2. Et huc etiam ſpectat *antfanclih* acceptabilis, ex Gloſſis Alamannicis KERONIS.

ANGER, pratum. Gloſſ. Pez. arva *angar*. VEREL. in Ind. *ængia giald* mulcta ob ſectionem graminis in alterius prato, item debitum quod domino pro fructu prati a colono ſolvitur. Angloſaxonibus *wang* eſt campus, Islandis *angur* ſinus, Græcis ἄγκος & ἀγκών vallis, convallis. Idem nomen tribuitur quoque fluviis, qui alveos ſuos habent inter arva, campos, & valles, imo etiam populis & oppidis, ob ſedem & ſitum in locis paſcuis & finuoſis. Inde

ANGER, fluv. in Ducatu Bergenſi, ſubintellige *fluſs* amnis, rivus.

ENGERN, oppidum in Ducatu ejusd. nominis, de cujus antiqua claritudine teſtatur fama *Angrivariorum*, qui veteris Angariæ fuere coloni, & poſtea dicti ſunt *Angarii*. Vide nomen antiquum in *wer* vir.

ANGERMANLAND, terra ſinuoſa, interprete VERELIO.

ANGESICHT, facies, vultus, adſpectus. Gloſſ. Pez. vultus *anaſiht*. Præfix. *an* notat motum radiorum ad locum, quem reſpicimus. Cætera ide in *geſicht*.

ANGLI, gens antiquæ Germaniæ Trans-albianæ de genere Suevico, teſte TACITO Cap. XL. & XLI. de M. G. & PTOLEMÆO, ultimi Suevorum, ſed primi claritate, ob ſobolem Saxonicam, & expeditionem Britannicam, quorum nomen, & genus, & virtus bellica hodie perennat apud *Anglos* in Britannia. SOMNER. in Dict. Angloſax. *Engle* Angli, *Angle, thæt land de man Angle hæt*, terra Anglia dicta, Anglia ſcil. in Saxonia, unde noſtr. Anglia, ab Anglis ſcil. inde profectis & huc migrantibus, *Angle-cynne* gens Anglica, *Engla-land* Anglia, *Engliſcmon* Anglus, *Eaſt-Angel* Angli orientales, &c. Celtica lingua *ongl* eſt angulus. Hinc quorundam judicio creduntur ſic appellati, ab illo terræ angulo ad mare Suevicum, quem ante expeditionem in Britannos ſuſceptam incoluere. Ita videtur ſenſiſſe BEDA in hiſtoria Anglorum Lib. I. Cap. 15. ſic ſcribens: *Angli de illa patria, quæ* ANGULUS *dicitur, & ab eo tempore usque manere deſerta inter provincias Jutarum & Saxonum perhibetur.* Extat hodieque integrum nomen in Cimbrica Cherſoneſo inter oppida *Sleswyck* & *Flensburg*, in illa regiuncula, quæ vulgo vocatur ANGLEN. Verum cum Angli ætate Taciti & Ptolemæi nondum eo usque penetraverint, nomen inde habere non poſſunt. Aliam igitur etymologiam ſequitur BAXTERUS in Gloſſario Antiquitatum Britannicarum, cujus verba hic deſcribam: ANGLI *Suevorum quædam natio, quæ una cum Jutis, Saxonibus, Attacottis, Pictis atque Scotis, Provinciam occupavit Romanam, Regnumque condidit Anglorum, quod modo deſiit, veddito veteri Britanniæ & nomine & imperio ab* ANNA *immortali Regina. Ptolemæo hi vocantur* SUEVI ANGILL. *Feruntur iſti Piſcatores initio fuiſſe in Reginucula dicta* DEUTS-MARSCH *ſive Teutonica Palude; unde &* ANGELEN *ſua lingua appellati ſunt.* AN CAPTATOREM PISCIS AMARE POTEST? Hucusque Baxterus, cujus etymon ſicut non amplecti, ita nec repudiare poſſum, quia certo perſuaſus ſum, Veteres a piſcatorio nomine non abhorruiſſe. Quid enim ſunt NUITHONES, eodem cum Anglis loco memorati apud Tacitum, niſi piſcatores? Certe *niutan* Gothis eſt piſcari, & *niutans* piſcatores Marc. I. 17. Si tamen mihi ſortem in urnam conjicere liceret, dicerem, *Anglos* ſic appellatos quaſi juvenes, vel *anculos*, ab *enke* juvenis, vocabulo vetuſtiſſimo. Nam *Anglos* progeniem Suevorum fuiſſe, & vernovum a Suevis emiſſum, jam ante ex Tacito & Ptolemæo monui. Nec inſolens eſt, novum populum appellare *juvenes*, & veterem *ſenores*. Illud ex nomenclatura *Stionum*, hoc *Senonum* patet. Cambris omnis peregrinus vocatur EINGL, ut vice verſa Saxonibus *wale*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *eingl* pro peregrinis, exteris, & inimicis accipitur. Videtur Anglo-Saxones ſignificare, quia diu Britannis infeſti fuerunt, & ſic dici, quod primum in angulo inſulæ habitarint; ONGL enim Britanni angulum dicunt. Hæc ille totidem verbis. Sed non opus erat, hoc nomen ab angulo effingere, cum ſenſus ab *Anglis*, Saxonum ſociis, ad omnes peregrinos & infeſtos extendi poterat. Anglos autem ab angulo inſulæ Britanniæ ſic appellatos, nemo opinor dixerit. Denique ANGLO-SAXONES non ſunt Saxones in angulo latentes, ſed mixtus populus, qui Bello Britannico in unum fœdus & nomen coaluit. SCHILTERUS duo fingit Anglorum genera, *Suevicum* & *Cimbricum*, & Suevos in Angliam trajeciſſe negat, contra communem eruditorum conſenſum. Veroſimilius eſt, unam eſſe Anglorum Gentem, nempe Suevicam, & globum quendam Anglorum, poſt Taciti & Ptolemæi ævum, vicinis ſive conſentientibus ſive invitis, *Angulum Cimbricum* occupaſſe, & nomen loco dediſſe. Hoc certe malo, quam populos præter neceſſitatem multiplicare. Interim hoc veriſſimum, ſicut non omnes Saxones, ita non omnes Anglos in Britanniam profectos eſſe. Vide Leges Angliorum & Werinorum.

ANGRIFF, ſignificat quantum poteſt, contactum, inſultum, & invaſionem alieni juris. Vide thema verbi *greiffen*.

ANGST, anxietas, anguſtia. Cambris YNGED, Francis *angoiſſi*, Gallis *angoiſſe*. Gloſſ. Lipſ. *anguſt* anguſtia. Refer ad *angen*, *engen* conſtringere. Ab *angſt* porro fit *engſten* (frequentative *engſtigen*) moleſtia afficere, *engſter* tortor &c.

ANGSTER, poculum. v. *engen*.

ANGSTER, teruncius, a loco monetandi ſic dictus, qui eſt *Auguſta Vindel.* quem ideo rectius appellaveris *augſter*.

ANHEBEN, incipere. V. *heben* capere.

ANHEISCHIG, cupidus. Refer ad *heiſchen* poſcere, expetere. *An* notat motum deſiderii verſus objectum.

ANHEISSIG, corrupte *anheiſchig*, ſponſor, promiſſor, *ſich worzu anheiſchig machen* obligare ſe ad aliquid præſtandum. Francis *antheizo*. Formula Sacræ Confeſſionis a LAMBECIO publicata: *ſoſo ih in dar antheizo uuard*, ſicut illis ibi promiſſor extiti. Refer ad *heiſſen* promittere. *An* in voce hodierna poteſt eſſe vel copulandi vel intendendi particula.

ANHERR, avus. V. in Adverb. ordinis *an*.

ANKE, juvenis, ſervus &c. V. *enke*.

ANKE, butyrum, Dial. Helvetica. Abſciſſum a Lat. *unguentum*, auctoribus Alamannis. Gloſſ. Keron. butyrum *anka*.

ANKE, os mobile, alteri inſertum. Arab. *angk*, *onk*, Francis *ancha*, Latino-Barb. *anca*,

anca, ancha, banca apud CANGIUM, Italis *anca*, Gallis *anche, hanche*. Gloſſ. R. Mauri de partibus hum. corp. occipitium *hail ancha*. Vox MAURI proprie deſignat *os poſticum cerebri*. Nam *heili* Islandis eſt *cerebrum*, teſte VEREL. in Ind. Quid vero ſit *ancha*, propius inquirendum. FRISCHIUS in Obſ. ad Gloſſ. Cang. Tria, inquit, oſſa majora, quæ in acetabulo alius oſſis moventur, apud Germanos *anke* vocata ſunt. Primum, in quo *collum* vertitur, quod adhuc in Dialecto quadam ſuperioris Germaniæ *anke* dicitur, & transpoſita litera *n*. fit *nake* cervix, olim vero anterior pars in pectore ita vocabatur, pro quo deinde in armis, quæ pectus tegebant, vox *hængel* in uſu fuit. Secundum erat *coxendix*, unde adhuc Gallicum *hanche*. Tertium eſt *crurûr* pars infima, qua in pede ſtat, quod in Dialectis etiam adhuc dicitur *enkel*, Angl. *ancle*. Voces vero *hanche* (unde noſtrum *hinken* claudicare) & *hængel* junctura loricæ in pectore ad collum, ducunt ad verbum Germanicum *hangen* pendere. Sunt enim hæ anchæ juncturæ, in quibus corpus hæret. Hæc ille, docte & meditate. An vero litera H. nos ad veram originem ducat, dubito. Nam *anke* videtur omne os alteri infertum denotare, & derivari ab *anken* inſerere, infigere, immittere ut hæreat, quod exhibet KILIANUS. Plura hujus verbi derivata vide in *angel* & *anker*. Dicitur autem nonſolum de juncturis colli, coxendicis, & cruris, ſed etiam de brachio & crure ipſo. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *angell* armus, brachium, lacertus, crus. In reliquis Dialectis *enkel* eſt talus calcanei, quod vide. Græcis ἀγκὼν eſt locus ubi brachii oſſa componuntur, manifeſto cum reliquis conſenſu.

ANKER, inſtrumentum ferreum ad ſiſtendam navem. Gr. ἄγκυρα, Lat. *anchora*, Camb. *angor*, Angloſax. *ancre* y Belg. *anker*, Angl. *anchor*, Suec. *ankar*, &c. MARTINIUS ducit ab ἀγκύλος curvus, quia anchora eſt ferrum curvum: HELVIGIUS ab ἄγκυρῶν incidere, quia in Pontum decidit. Aptior nomenclatura apparebit, ſi ex eodem cum præcedenti fonte hauriatur. Nam anchora terræ infigitur, & navem fluctuantem viciſſim figit. Inde Latino-Barbaris *anchorare* eſt ſiſtere, quia omnes anchoram tanquam pedicam navis concipiunt. *Anken* pro figere, habet KILIANUS in Etymologico Belgico, & HENISCHIUS in Theſauro Linguæ Germanicæ. Quod, etiamſi eo ſenſu non amplius audiatur, olim tamen apud Scythas, Pelasgos, aut Tyrrhenos (quorum ſermonibus Germanicus valde ſimilis eſt) uſurpari potuit. Nam hos inventi authores commemorant. Diſerte PLINIUS *Tyrrhenos* h. e. Tuſcos vel Etruſcos anchoram, *Eupalamum* anchoram bidentem, *Anacharſin* Scytham harpagonas navibus addidiſſe, ſcribit Lib. VII. Cap. 56. Alii tamen verba Plinii aliter interpungunt: bene vel male, nunc anquirere non vacat. Hoc pro certo tenendum, unumquemque, qui aliquid invenerit in vita, nomen rei conſentaneum ex Lingua ſua impoſuiſſe, ſive Tuſcus fuerit, ſive Græcus, ſive Scytha.

ANLASS, occaſio, *veranlaſſen* anſam dare, cauſam & occaſionem præbere. Compoſitum novum & obſcurum. Forte eſt a *laſſen* permittere, quia occaſionem in loco & tempore præbentes videntur ſimul agendi veniam concedere. Græcis occaſio dicitur πρόφασις, quod MARTINIUS derivat a πρὸ φαίνεσθαι apparere. Et ad ſimilitudinem hujus dictionis effingit quoque *anlaſs*, a *laſſen* videri, apparere, quia occaſio venit ſub aſpectum.

ANLENEN, incumbere, inniti. Angloſax. *on-blinian*, Alam. *anablinen*. Gloſſ. Keron. incumbere *anablineen*, incumbit *anablineet*. Refer ad ſimplex.

ANLIGEN, urgere. Compoſitum antiquum. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXIV. 45. *ther liut imo analag*, populus eum urſit. Quod dicitur de Pilato, quem populus urgebat, ut condemnaret JEſum. WILLERAMUS Merulæ pag. 93. *kundet minen ſiecheduom, ther mir analigat von ſinero minnon*, nunciate (ſponſo meo) ægritudinem meam, quæ me urget præ amore ejus. Proprie eſt incumbere, a *ligen* jacere, & dicitur de urgentibus, quia videntur nobis incumbere. Latini a *ſtando* dicunt *inſtare*, ſatis frigide, cum hic corporis ſitus vim impellendi non æque fortiter exprimat. Subſtantive dicitur de quavis cura quæ nos premit.

ANLOT, ſors hæreditaria. Vox Belgica apud VREDIUM. Proprie ſors cujusque propria in diviſione bonorum, eique adhærens, ab adverbio copulæ *an* & *lot* ſors. Latino-Barbari ALLODIUM vocant, quia N. & L. facile coaleſcunt. Cambris *anlloed* ſunt quævis opes & facultates, ſenſu a ſpecie ad genus translato.

ANLOT, immunis. Lex Willelmi Nothi Cap. 54. *Omnis Francigena, qui tempore Edwardi propinqui noſtri, fuit in Anglia particeps conſuetudinum Anglorum, quod ipſe dicunt* ANHLOTE & ANSCOTE, *perſolvat ſecundum Legem Anglorum*. SCHILTERUS interpretatur municipes ſive participes juris civitatis. Sed hic ſenſus, quamvis poſſibilis, ob præfixum *an*, quod ſæpe copulativum, a textu & conſuetudine loquendi alienus eſt. Nam lingua Angloſaxonica *onhlyte* eſt immunis a tributis, & ſic dicitur, a negativo *on* ſine, & *lot* tributum. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *blot* ſors, portio, tributum, *on-blyte* expers, vacuus, immunis. Idem cenſendum, de ſynonymo *anſcote*. Nam *ſcot* eſt tributum. Plura ejusdem indolis compoſita vide in privativo *an* inter PRÆFIXA.

ANMASSEN, arrogare. Belgice *anmatigen*. Dicitur de rebus affectatis tantum, & forte

forte a *maſſe* arbitratus, quia arrogantibus voluntas pro ratione eſt.

ANMUT, amœnitas, affectio rei, quæ animum adſpicientis ad amorem ſui trahit. Novum, ſed legitime factum a *muten* afficere animum. Niſi ſit a Lat. *amœnitas*.

ANMUTEN, *zumuten*, ſolicitare ad aliquid agendum vel patiendum, ſive precibus importunis, ſive ſpei aut metus oſtenſione. Belgice *anmœdigen*. Cum vero animus ad turpia & honeſta inſtigari poſſit: Hinc idem verbum Belgis bono, Germanis malo ſenſu dicitur. Utrumque a *muten* animare. Simile compoſitum eſt, quando a *ſinn* animus formamus *anſinnen* ſolicitare animum.

ANSCHWEISSEN, ferruminare, metallum cum metallo combinare. Forte a Sorabico *ſwezu* conjungere, coagmentare, quod ſiſtit FRENZEL. in Orig. Sor. pag. 932.

ANSEHEN, adſpicere. *An* notat motum radiorum verſus objectum. Cætera vide in *ſehen*. Inde Angloſaxonibus *anſyne* vultus, Francis *anaſiht* inſpectio, Germanis *angeſicht* facies, *anſehen* auctoritas, & dicitur de iis, qui ob excellentem aliquam virtutem vel dignitatem, omnium oculos in ſe convertunt.

ANSLEHN, feudum emphyteuticum. V. *hanſe* reditus.

ANSPRECHEN, compellare. In foro tres habet ſignificatus, (1.) accuſandi. Jus prov. Alam. Cap. 80. *da ain man den andern umb uuunden anſprichet*, ſi quis alterum ob vulnera in judicium vocet. Cap. 81. *der ainen anſprichet umb ſin triuue*, qui alterum perfidiæ accuſat. (2.) vendicandi. Jus prov. Alam. Cap. 63. *der gut anſprichet*, qui prædium vendicat. Inde *anſprach* vendicatio Cap. 44. Hodie dicimus *anſpruch*. (3.) provocandi. Inde *kampflich anſprach* provocatio ad duellum, ibidem Cap. 292. De ſimplici *ſprechen* actum in loco. Proprie ſignificat *dicere*, *indicere*, & per ſynecdochen generis reliqua.

ANSPRUNG, aſpergo. V. *ſprenken* maculare.

ANSTIFTEN, cauſari. Refer ad *ſtiften* facere. *An* hoc loco ſenſum intendit.

ANSTIFTEN, inſtigare. V. *ſtift* acicula. *An* eſt adverb. motus ad locum.

ANSTRENGEN, adigere, compellere ad agendum. V. *ſtrengen* premere.

ANSTRENGEN, intendere, *alle kræften anſtrengen* omnes vires & nervos intendere. Dicitur alias *anſpannen*, ducta ſimilitudine ab equis, qui ad onus trahendum currui alligantur. Ut pareat eſſe a *ſtrang* funis, reſtis. Confer *ſtrengen* intendere.

ANT, *and*, contra, adverſus. V. PROLEG. Sect. V.

ANTAG. V. *tag* dies definitus.

ANTEN, privare, alienare, *ſich anten* abdicare. WINSBECKIUS ad filium §. 29.

Gut, das iſt gitikeit ein klobe,
Dem es iſt lieber danne Got und
weltlich ere, ich wene er tobe,
Den es alſo gevallet für,
Daſs er ſich ante ir beider é, danne er
das eine gar verkür.

A privativo *ent*, quod vide in PROLEG. *Anten* pro alienare, judice ECCARDO ſuperat in *ander* alius, alienus, & in formula *es thut mir and* alienum mihi eſt.

ANTES, qui & ANTÆ, populus Sarmatiæ, & ejusdem etymi homines, ut HENETI. An *Wendicum* nomen ab *Antico* deductum ſit, quod ill. LEIBNITIUS voluit, hactenus dubito.

ANTHUN, induere, ἐνδύειν. Videntur convenire in radice Saxonica *teon* trahere, & nihil aliud denotare, quam *anziehen* attrahere, quod de veſtimentis ſtrictioribus dicitur. Nam de laxioribus dicimus *umbthun*.

ANTHUN, afficere, bene vel male. Gloſſ. Pez. irrogat *anatuot*. Refer ad ſimplex *thun* agere, facere, quod natura ſua ita officioſum, ut omnibus præfixis ſerviat in ſenſu formando, cujuscunque ſint valoris & poteſtatis. Inde *anthun*. *abthun*, *aufthun*, *auſthun* &c. vario & inexhauſto ſignificatu, manifeſto tamen conſiderantibus.

ANTLIZ, vultus, facies, Gothis *andawleiz* Luc. XVII. 16. extra compoſitionem *wlits* Joh. XI. 44. & per apharefin *luz*, in accuſandi caſu *ludja* Matth. VI. 17. Angloſaxonibus *andwlite*, Francis *antluzze*, *autlutte*, *anluzza*, *anlite*. Gloſſ. Boxh. *antlutte* vultus. Gloſſ. Lipſ. *anliton* vultus. WILLERAMUS Schilteri Cap. II. 14. *din antluzze iſt ſcone*, facies tua decora eſt. Ubi editio Merulæ habet *anluzza*. Quod vulgus Francorum paulatim depravavit in *annuz*, quo utitur interpres TATIANI Cap. IV. 17. & ubique. Proprie eſt contra-adſpectus. Principium & caput vocis eſt *ant* contra, adverſus, quod dirigit adſpectum verſus objectum. Altera compoſiti pars ſignificat obtutum, intuitum. Nam ſpicere, videre, intueri, Gothis & Angloſaxonibus dicitur *wlitan* Marc. V. 32. Islandis *lita* per aphæreſin. VEREL. in Ind. *lita* adſpicere, *litz* videtur. Sed *wlitan* antiquius eſt, & Scythicæ Linguæ coævum, quamvis a bona poſteritate repudiatum. Quod inde colligo, quia *vultus* apud Latinos non aliunde melius & rectius quam ab hoc verbo derivatur. Sane *vultus* & *wlits* ſe mutuo referunt, & ipſo ſono communem teſtantur parentem. Dixi *antliz* eſſe contra-adſpectum. Hinc in Indice Vereliano *andlit* & *vidurliti* ſunt ſynonyma. BÖDIKERUS, vir alias haud indoctus, vocabulum *antliz*, quod Gothicum eſſe vidimus, componit ab *anden* & *laſſen*, hoc addito interpretamento, *dabey man andet wie es einem læſſet*. Quod neſcio an viris in Literatura Antiquo-Germanica verſatis ſit perſuaſurus. Ejusdem cenſus eſt etymologia ab alio haud inferioris doctrinæ viro allata, qui nullo veterum ſuffragio *antliz* mutavit in *antgliz*, & *gliz* calvitium interpretatur, quaſi *antliz* ſit locus, ubi coma deficit, *die vordere glaze des haubtes*.

ANT-

ANTVOGEL. V. *ente* anas.

ANTWORT, reſponſum. Gothis *andawaurd* Joh. IX. 19. Angloſax. *andwyrd*, Francis & Alam. *antuuurti*. Gloſſ. Keron. reſponſum *antuuurti*, reſponſo *antuuurtu*. TATIANUS Cap. XII. 5. *arquæmun tho alle ubar ſin antwurti*, ſtupebant omnes ſuper reſponſis ejus. Proprie eſt ſermo qui regeritur interroganti, a præfixo *ant* contra, & *wort* ſermo.

ANTWORTEN, reſpondere. Verbum a ſubſt. factum auctoribus Francis & Alamannis. Gloſſ. Keron. reſpondeas *antuuurti*. TATIANUS Cap. CXCVIII. 4. *ther heilant in antuuortita niouuiht*, JEſus eis nihil reſpondit. Iisdem familiare eſt *antlengan*. Gloſſ. Keron. reſpondere *antlengan*, reſpondentem *antlengantan*. TATIANUS loc. cit. *tho antlingitan thie bisgoſſa*, tunc reſponderunt Pontifices. Forte ſenſu petito a *langen*, *lengen* protrahere aut prolongare (utrumque enim ſignificat), quia reſponſionibus producitur ſermo. In reliquis Dialectis alia occurrunt vocabula. Sic reſpondere Gothis dicitur *andhaſſan* Marc. VII. 6. quod eſt quaſi contra-ordiri, vel contra levare vocem, vel contra-loqui, pro vario verbi *heben* ſignificatu. Item *usbairan* Marc. XI. 14. quod eſt quaſi efferre. Angloſax. placet *andſwarian* reſpondere, *andſware* reſponſum, quod hodie cuſtodiunt Angli in *anſwer* utroque ſignificatu, dum Sueci & Islandi ſimpliciter dicunt *ſvara*, an a *ſveverare*, vel aliunde, ipſi viderint? Mihi ſatis eſt oſtendiſſe, quam varii & miri fuerint veteres in hoc ſenſu exprimendo.

ANTWORTEN, tradere. Vide *überantworten*, quod uſitatius.

ANWALT, poteſtas. A *walten* poſſe. Evang. Angloſax. Matth. XXVIII. 18. *me ys geſeald ælc anweald on heofonan and on eorthan*, mihi data eſt omnis poteſtas in cœlo & in terra. Marc. X. 42. *hyra ealdras habbath anweald ofer hi*, principes eorum poteſtatem habent ſuper illos. *An* hoc loco ſenſum intendit. Aliud eſt *anwald* monarchia. Id enim eſt potentia unius, ab *an* unus, ſolus.

ANWALT, qui rempublicam alterius nomine gerit, orator, legatus &c. a *walten* adminiſtrare.

ANWALT, qui rem privatam alterius nomine gerit, procurator, actor &c. ex eodem fonte. *An* hoc loco ſignificat *ad*, notatque eum, qui alterius nomine agit, ad hoc præciſe negotium mandato inſtructum eſſe.

ANZAPFEN, dictis aliquem laceſſere. V. *Zopf* ſummitas, extremitas.

ANZUGLICH, vellicans. Dicitur de dictis aculeatis a *zucken* vellicare.

ANZUNDEN, admovere ignem, inflammandi vel comburendi cauſa. Lat. *incendere*, *accendere*, Gothis *intandjan* Luc. III. 17. Francis *inzunden*. NOTKERUS Pſalm. LXXVIII. 5. *uuieo lango uuirt inzundet din ando*, quamdiu accendetur zelus tuus? Originem vide in ſimplici. *An* eſt adverb. motus ad locum vel in loco.

APFEL, pomum. Vox pluribus & veteriſſimis linguis communis, quæ Cambris effertur *afal*, Angloſaxonibus *apl*, *æpl*, Francis *affal*, *aphol*, Hibern. *aval*, Procop. in Cherſon. Taur. *apel*, Sorab. *jablo*, Lithuan. & Vet. Pruſſ. *wabelko*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *apl*, *appel*, *apple*, *æpl*, *æppel*, *æpple* pomum, *æppel-bær* pomifer, *apple-leaf* pomi folium, *æpple-tun* pomarium &c. Gloſſ. Boxh. *effeli chuldine* mala aurea. Gloſſ. Pez. malum *aphol*, mala punica *rota ephili*, ſub malo *unter affoltrun*. FRENZEL. in Orig. Sorab. *jablo* pomum, *jablon* malus, *jablunke* locus malis conſitus. Omitto conſenſum recentiorum Linguarum, Anglicæ, Belgicæ, Scandicæ, qui cum ſatis notus ſit omnibus, non debet me morari. Quidam obſervatione dignum cenſent, quod in multis Linguis idem nomen, vel haud abſimile, tribuitur *malo* ſeu non-bono. Latinis ſane *malum* utrumque notat. Cambris *aball* eſt defectus, exitium, *aballu* deficere, perire. Germanis *übel* malum culpæ & pœnæ, *abfall* apoſtaſia. Hanc appellationem pomo adhæſiſſe exiſtimant, ut poſteri ipſo nomine admonerentur, ab eſu pomi proveniſſe omne malum. Aliis eſt vox Hebræa, ab *abal* vel *jebul* fructus. Qui primi Linguam noſtram condiderunt, videntur ad rotunditatem reſpexiſſe, & pomum ſic appellaſſe, ab intenſivo *a.* & *bal*, *bol* rotundus, quaſi fructum valde rotundum. Ratio, cur ita ſentiam, hæc eſt, quia uſus in omnibus Dialectis eodem nomine omnes fructus rotundos deſignat, etiamſi poma non ſint, ut mox docebo.

APFEL, fructus rotundus, *erdapfel* tuber terræ, *ſchlafapfel* fungus cynosbati, *ſtechapfel* pomum ſpinoſum, *eichapfel* glans, *judenapfel* malum medicum vel citrium, *quittenapfel* cydoneum &c. SOMNER. loc. cit. *eorth-æppel* cucumer, *palm-apple* dactylus. BOXHORN. in Botanologio Ant. Brit. *afal a ddaiar* malum terræ, *afal peaus* malum perſicum &c.

APFEL, dicitur etiam de rebus, quæ nec poma nec fructus rotundi ſunt, poma tamen rotunditate referunt. Inde *reichsapfel* pomum imperii, globus aureus cruce ſignatus. Globus eſt ſymbolum Orbis terrarum, & nullo non tempore fuit inſigne Majeſtatis, ut ex nummis Imperatorum Rom. qui ſæpe globum manu tenent, manifeſtum. Huic Globo pietas Imperatorum Byzantinorum impoſuit crucem. Quæ cum videbatur petiolum imitari, hinc cum facie globi etiam nomen mutatum, ut, quod ante *ſphæra* & *polus*, poſtea a ſcriptoribus Byzantinis diceretur *μῆλον*, i. e. pomum, & inde *μηλόφορος* is, qui Imperatorem cum pomo præcedebat. Occidentales ab Orientalibus hunc ritum accepiſſe, dubio caret. Et huc etiam ſpectat *augapfel*, pupilla oculi, ob rotunditatem ſic dicta.

APRIL, Aprilis. Antiquis *menſis paſchalis* magno conſenſu, *eaſter-monath* Angloſaxonibus, *oſtarmonath* Francis. Ante Chriſtiana tempora Lunæ erant anonymæ, & numerabantur tantum, ut oſtendi in *weinmonath*.

AR, *or*, *ur*, principium. Græcis ἀρχὴ. Unde id nominis hauſtum ſit, nemini principiis noſtris adſueto ignotum eſſe poteſt. Nam *er* in omnibus veterum Dialectis eſt ante, prius: quod ubi abit in ſubſtantivum, neceſſario principium ſignificat, nec aliud ſignificare poteſt, niſi proles diſſimilis ſit parenti. Hinc exiſtimo GUDMUNDUM ANDREÆ, qui *ar* & ἀρχὴ ab eadem origine, nempe Scythica, arceſſit, haud male conjectare. Dicitur autem antiquitus (1.) de Deo antemundano, cum ipſe adhuc eſſet ſolus & omnia. VEREL. in Ind. *ar* principium rerum ante creationem, *ar var alda, tha ecki var*, principium erat, cum nihil adhuc eſſet productum. Inde vox Perſica *arimanes* principum malum, ab Angloſax. *man* malus, pravus. (2.) De Terra, quatenus eſt rerum principium naturalium. Inde Græcis ἔρα terra, Armoricis *ar*, teſte PEZRONIO in Antiq. Celt. pag. 332. Senſum ad arva deinceps translatum eſſe, patet ex Dialecto Cambrica, in qua *ar* arvum denotat. Græcos inde formaſſe ἀρόω, Latinos *arare*, & majores noſtros *eren* terram colere, ſatis manifeſtum (3.) de principio diei. VEREL. in Ind. *ar* mane, vel diluculum, ſeu principium diei, *thegar i ar* ſub diluculo, ſub aurora. Similiter & Græcis ἦρ eſt mane, & ἠριγένεια aurora. (4) de principio & initio cujuscunque rei. Inde Angloſaxonibus *or* initium, apud BENSONIUM. Nec aliunde Latinis *origo* & *oriri*. Hodie utimur præfixo *ur*, quod in multis compoſitis principii ſignificatum retinet, ut demonſtravi in PROLEG. Sect. V.

AR, annona, & omnis terræ proventus, Dial. Islandica. VEREL. in Ind. *ar* paſſim auctores pro ipſo anni proventu & annona, *arbot* ſacrificium Deæ Friggæ dicatum pro impetranda felici annona, *arferd* annonæ fertilitas, *armadur* villicus, præfectus annonæ, *arſæll* cui felix obtingit annona. Refer ad *eren* capere, metere, & vide ibidem plura derivata.

AR, *arn*, aquila. Angloſax. *earn*, Franc. *ari*, Lex. Run. *aurn*, Island. *ern*, Suec. *örn*, Belg. *arend*, Camb. *eryr*. NOTKERUS Pſal. CII. 5. *geniuuot uuird din jugent ſamo ſo aren*, renovabitur juventus tua ſicut aquilæ. Rhythmus de S. Annone §. 45.

Du dedde dir heirro edile gemut,
Alſo dir ari ſinin jungin dut.
Tunc fecit Dominus generoſo animo
Sicut aquila facit pullis ſuis.

JUNIUS, & alii viri doctiſſimi, aquilam ſic appellari cenſent quaſi avem per excellentiam, quia principatum tenet inter volucres, a Gr. ὄρνις avis. Satis ingenioſe, ſi nulla neceſſitas confugiendi ad Græcos nobis incumberet. Olim deduxi ab *arnen* acquirere, conquirere, quia aquila mihi videbatur conqueſtor inter aves. Non enim, ut PLINIUS ſcribit, in proximo prædatur aquila, ſed prædas ſuas undique conquirit. Et huic ſententiæ favet SCHILTERUS in Gloſſario. Nunc autem deduco ab *eren* capere, quia aquila eſt accipiter. *Ar* eſt verbale, *arn* derivativum. Præcipua compoſita ſunt,

ærtaɛ, quod Tuſcis eſt aquila apud HESYCHIUM, forte illa, quæ anatibus inſidiatur, & vulgo *ent-ar*, PLINIO *anataria* dicitur.

cranob-ari, accipiter qui gruem mordet, in Lege Boior. Tit. XX. 1.

ſperber, quaſi *ſparw-ar* accipiter fringillarius. *Er* in voce hodierna eſt generis index aquilini, ut in *adler* & ſimilibus.

adler, quaſi *edler-ar* nobilis aquila.

fiſch-ar, aquila marina piſcibus infeſta, Lev. XI. 13. Deut. XIV. 11.

wann-ar tinnunculus, quod vanni inſtar alas explicet, interprete STILERO.

Huc etiam ſpectant diminutiva Slavonica, ut ſunt *oral*, *orzel*, *ergel*, *erel*, & ſimilia, doctiſſ. FRISCHIO in Miſcell. Berol. obſervata. Præterea viget in Nominibus propriis quarundam Germaniæ urbium, ut ſunt *Arnheim*, *Arnſtatt* &c. quarum Catalogum contexuit SPANGENBERG in ſpeculo Nobilitatis: imo etiam Comitatuum, ut ſunt *Neuenar*, *Oudenar*, quorum interpretatio nemini ignota.

ARBEIT, labor. Vox a Francis & Alam. relicta. Gloſſ. Keron. labor *arbaeit*, laborem *arabeit*, absque ullo labore *ano einikeru arbeiti*. Dicitur & *erfide* in Lexico Runico apud OL. WORMIUM. Quidam compoſuerunt ab *erbe* hæreditas & *heite* promiſſio, quia labor occupantibus ampliſſimum proventum promittit. Alii ab *erde* terra & *eiden* colere, quod fingunt derivari a Friſico *eyde* raſtrum. Mihi aliquando fuit laboris patientia, ab *ar*, quod in Lex. Run. exponitur cultura, & verbo Gothico *beitan* pati, quod extat eo ſenſu Luc. XVIII. 1. Vocem ab agricultura profectam, & poſtea ad reliquas humanæ vitæ occupationes adhibitam eſſe, certo perſuaſus ſum. Sed hæc ipſa cogitatio aliam mihi viam ad incunabula vocis oſtendit. Nam Celtica Lingua *erw* eſt acra, jugerum, idemque quod Latinis *arvum* ſive fundus arabilis. Utrumque a Celtico *ar* terra, arvum, de quo ſupra. Vide Lexicon Antiquo-Britannicum BOXHORNII, & patebit. Ab *erw* poſteritas fecit *erwen* terram vertere, quod etiamſi hodie extinctum ſit, ſuperat tamen apud Islandos in *urfa*. Teſtis mihi LUNDIUS in Animadverſ. ad Ind. Verel. pag. 2. *orva*, *urva* glebas vomere aratri proſcindere, dentatis raſtris vertere & minuere. Ex hoc fonte opinor antiquitas hauſit *erfide*, ſeu quod idem eſt, *erfde* labor, per medium derivandi *de*, quia terram vertere primus hominum

num labor fuit. Cæterum & hoc obſervandum, quod in voce *erfide* ſint elementa, quorum tranſpoſitione fieri poterant vocabula idem ſignificantia, cujusmodi ſunt, quod labor Cambris dicitur *trafod*, Hiſpanis *trabajo*, Gallis diminutive *travail*, Italis *travaglio*. Hoc certe conjicere malo, quam alias claviculas nihil profuturas admovere, cujusmodi eſt, *trepalium* apud MENAGIUM, *tribulatio* apud FERRARIUM, *thræla* apud VERELIUM in Ind.

ARBEIT, ærumna, labor ex afflictione. Gloſſ. Keron. tribulatio *arabeiti*. VEREL. in Ind. *erfide* moleſtia. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XVI. 57.

Salig thie in noti
Thultent arabeiti.
Beati qui in neceſſitate
Perſecutionem patiuntur.

TATIANUS Cap. CLXXIV. 5. *thanne thas uuib gibiret then kneht, ju ni buget thera arbeiti*, quando mulier peperit puerum, jam non meminit preſſuræ. Senſus a labore ad ærumnam translatus, quia ærumna eſt labor quaſi continuus, quo corporis & animi vires franguntur. Quapropter etiam VIRGILIUS Trojanorum ærumnas & calamitates *iliacos labores* vocat.

ARBEITEN, laborare. Gothis *arbaidjan* Matth. VI. 28. Francis & Alam. *arbeiten*; Belg. *arbeiden*, Suec. *arbeta*, Hiſp. *trabajar* literis tranſpoſitis. Gloſſ. Keron. laborare *arabeittan*. TATIAN. Cap. XXXVIII. 4. *ſcuuot thes accares lilia uuio ſie uuahſen, ſie ni arbeitent, nob ni ſpinnent*, conſiderate lilia agri quomodo creſcant, non laborant, neque nent. Verbum a ſubſt. oriundum.

ARBEITSAM, laborioſus. Gloſſ. Pez. activa vita *arpeitſamo lip*.

ARCHE, navis Noæ. A Lat. *arca*, & hoc ab ἄρχω claudere. Hinc in aliis quoque Dialectis clauſum quid, vel quod claudi poteſt, ſignificat. Inde Cambris *arch* arca, ciſta, *argæ* clauſum, clauſura. Angloſaxonibus *earc*, *ercc* arca. Gothis *arka* loculi Joh. XII. 6.

ARCHIV, tabularium, locus ubi chartæ publicæ aſſervantur. Lat. Barb. *archivum*. Affine cum præcedenti. Alii malunt deducere ab ἀρχαῖον antiquum.

ARENDE, curatio vel adminiſtratio. Proprie eſt negotium, & dicitur de eo, qui alterius rem facit, ab *eren* expedire. VEREL. in Ind. *erendi* negotium, *arna* negotium expedire. Poſtea, cum agri & prædia cœpiſſent elocari negotiatoribus, ipſa merces conductionis dici cœpit *arende*. Inde Latino-Barbaris *arenda* cenſus qui a conductore redit ad dominum, *arrentare* mercede conducere, aut elocare ſub conditione annui cenſus, *arrendatio* talis conductio aut elocatio, *arrentaria* lucrum ex conductione vel elocatione, *arrendatores* conductores prædiorum & agrorum, ſive regis, ſive privatorum. Cuncta apud CANGIUM, ſed tacta magis quam explicata. Horum aliqua perennant apud Berolinenſes, quibus *arende* conductio, *arendiren* conducere, *arendator* conductor.

ARF, telum miſſile, jaculum, ſagitta. Vox Celtica, quæ hodie ſuperat apud Cambros & Anglos. BOXHORN. in Lex Ant. Brit. *arf* telum, *arfod* ictus teli, *arfog* armatus. SOMNER. in Dict. Angloſax. *arwe*, *erwe* ſagitta. VEREL. in Ind. *arf* ſagitta, telum, *buga med trim tylftum arfva* arcus cum triginta ſex ſagittis. Anglice dicitur *arrow*. LEIBNITIUS in Gloſſ. Celt. deducit a *werfen* jaculari: LUNDIUS ab *yra* vibrare. Tranſiit in nomina propria apud Veteres. Inde

ARBOGASTES, telipotens, ſagittis pollens. Nomen nobilis Franci apud ZOSIMUM, quod recurrit in *gaſt* potens, cum multis ſimilibus. Utitur hoc epitheto NÆVIUS apud MACROBIUM Lib. VI. Saturn. Cap. 5. ubi Pythius Apollo dicitur *pollens ſagittis inclytus arquitenens*. Et Diana, *arquitenens ſagittis pollens Dea*.

ARBORICHI, telipotentes. Populus PROCOPIO deſcriptus, Lib. I. Hiſt. Goth. An ſint ipſi *Armorici*, quod VALESIUS multis perſuaſit, ego dubito. Quo pacto enim concipiemus, *Armoricos* Francorum, cum adhuc parva & obſcura gens eſſent, finitimos fuiſſe? An hoc ſcribere potuit Procopius? Hoc, ſi conſideraſſent Viri docti, ſtatim vidiſſent, *Arboricbos* ætate Procopii dictos eſſe omnes populos Belgicæ ſecundæ a Sequana uſque ad Moſam. Nam hi ſoli poterant contingere Francos, cum res eorum adhuc anguſtæ eſſent, nequaquam vero *Armorici*.

ARABO, fluvius in Danubium ſe effundens, nunc RABE per aphæreſin, a rapido curſu nomen ſagittæ adeptus.

ARF, inſtrumentum ruſticum. Cambris *arf* eſt ferrum, inſtrumentum, apud BOXHORN. loc. cit. Islandis *urf* univerſa ſupellex ruſtica, apud LUNDIUM in Notis ad Indicem Verel. Hic ſenſus videtur a præcedenti diſtinctus, & originem referre ad *orva*, *urva* arare, terram proſcindere, quod eſt a Celtico *erw* arvum. De verbo *urva* vide plura in *arbeit*.

ARG, piger, ignavus. Græcis ἀργὸς, Angloſaxonibus *earg*, Longobardis *arga*, Islandis *argur*. P. DIACONUS, Lib. VI. de Geſt. Long. Cap. 24. *Memento dux Ferdulfe, quod me inertem & inutilem dixeris, & vulgari verbo* ARGA *vocaveris*. Lex Long. Lib. I. Tit. V. 1. *Si quis alium* ARGAM *per furorem clamaverit* &c. VEREL. in Ind. *argur* ignavus, timidus. Hic ſenſus totus eſt Græcus, & ab illo Angloſaxones habent *eargian* torpeſcere. SPELMANNUS & alii hærent in voce *curruca*, & convitio Longobardico alium quam DIACONUS ſenſum tribuunt.

ARG, malus, pravus. Angloſax. *arg* apud BENSON. Francis *arg* apud OTFRIDUM, in locis quam plurimis, cujusmodi ſunt, *arges uuillen giluſt* malæ voluntatis cupiditas L. I. C. XII. 54. *argun giluſti* pravæ cupiditates L. III.

Cap. VII. 167. & alia apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 83. Ipſe ſenſum ab ignavo ad malum & improbum translatum putat, quia homines nihil agendo male agere diſcunt. Satis eleganter. Mihi tamen vox Francica videtur contracta ex *arug* perverſus. Gloſſ. Lipſ. *arug* perverſa. Prava autem ſunt perverſa, & ſic dicuntur ab *a.* quod hoc loco ſenſum intendit, & *ruck* tergum. Simile compoſitum eſt, quando *perverſa* in Gloſſis Keronianis dicuntur *abahe*, a *bach* tergum. Ab *arg* venit Islandis *ergi*, Suecis *argheet* malitia. Utrumque apud VEREL. in Ind. Præcipua compoſita ſunt, *argliſt* aſtutia, ars mala, *argwon* ſuſpicio, prava conjectura, & hinc porro *argwöniſch* ſuſpicax, *arwönig* ſuſpectus. Inde *arkuuenige erben* ſunt hæredes ſuſpecti, de quibus dubitari poteſt, an ſint legitimi, in Jure prov. Alam. Cap. 35. Confer dicta in *wan*.

ÆRGER, deterior, *ærgere hand* conditio deterior, *das kind gebæret zur ærgern hand* partus ſequitur ventrem, quod dicitur de liberis ex inæquali conjugio parentis liberi & matris ſervæ prognatis. De hoc jure vide CL. ESTOREM in Comment. de Miniſt. pag. 149.

ÆRGERN, deteriorem reddere. Dicitur ſenſu latiſſimo (1.) de exemplo. Inde *ærgern* ſcandalizare, exemplo deteriorem reddere. Exempla enim pervertunt mores, & peccandi timidos ad ſimilia patranda reddunt audaces. Utitur hoc ſenſu Luth. Matth. XVIII. 6. (2.) de irritatione. Inde *ærgern* provocare ad iram, ex tranquillo male tranquillum facere, *ſich ærgern* excandeſcere. (3.) de damno illato. Inde *ærgern* ſtatum rei corrumpere, vaſtando vel alio modo. Utitur WILLERAMUS Cap. II. 15. *vahent uns die luzzelon vohon, die de uuingarton harto geargerent*, capite nobis vulpes parvulas, quæ vineas valde demoliuntur. Hodie obſoleſcit.

ARIMANNI, *erimanni*, *herimanni*, genus hominum apud Longobardos, ſed ignotæ conditionis, quia de ſermone Longobardico nihil literis proditum eſt. Nam milites fuiſſe, ut vox præ ſe ferre videtur, non placet, etiamſi ita ſentiant GOLDASTUS & GROTIUS. Lingua Angloſaxonica *hyreman* eſt parochianus, item cliens fiduciarius, unde Latino-Barbaros *erimannum* effinxiſſe eadem plane ſignificatione, ab *hyran* obedire, & *man* vir, homo, exiſtimat SOMNERUS in voce. Lingua Islandica *armadur* eſt villicus, præfectus annonæ, alias *vogd*, & *armenning* officium villici. Utrumque, ab *ar* annona, proventus annuus. Hinc VERELIUS in Indice *arimannum* interpretatur villicum, & *arimannam* villicam. Liberos homines fuiſſe, in villis habitantes, quamvis Comitibus, Sculdaſiis, aliisque Regis officialibus ſubjectos, conſentiunt omnes: Sed dum vetera compoſita deſerunt, & nova effingunt, qualia ſunt *herr-mænner* & *erb-mænner*, hinc illa opinionum diſcrepantia, ut arimanni SPELMANNO videantur *homines domini*, ECCARDO *domini minores*, *bona hæreditaria poſſidentes*, in Cat. Theot. pag. 164. Ab *arimannus* porro eſt *arimannia* vel *arimandia*, quod nunc pro jure Regis in Arimannos, nunc pro familia Arimanni ponitur.

ARISTATO, monumentum ſepulchrale. Lex Salica Tit. XVII. 5. *Si quis Ariſtatonem ſuper hominem mortuum capulaverit*. Proprie eſt locus honoris, ab *are* honos, quod Angloſaxonicum, & *ſtat*, quod in omnibus veterum Dialectis locum ſtatutum ſignificat. Hodie dixeris *ereuſtadt*. Structuram ligneam fuiſſe, tumulo impoſitam, & pallis atque aulæis tectam, ſatis conſtat. Prius colligitur ex voce *capulaverit*, id eſt, truncaverit, inciderit, conciderit: Poſterius ex verbis GREGORII Turonenſis de Miraculis S. Martini cap. 54. *De palla quæ ſanctum tegit tumulum*. Plura teſtimonia de pallis ſuppeditabunt WENDELINUS & CANGIUS in voce. Eadem res in Lege Salica Tit. LVIII. 4. dicitur *cheriſtaduna*, ſed alio ſenſu, quem expoſui in vocula *rüſt*.

ARM, brachium. Gothis *arms* Joh. XII. 38. Angloſax. *earm*, *eorm*, Francis *arm*. TATIANUS Cap. VII. 5. *intphieng inan in ſine arma*, accepit eum in ulnis ſuis. Græcis ἀγκὼς, Latinis *armus*, & Armoricis *armm* eſt tota compago ab humeris usque ad pugnum, teſte PEZRONIO in Ant. Celt. pag. 370. Et brachium quid eſt, niſi talis compago? Hinc omnium origo videtur eſſe vel ab ἄιρω necto, vel ab *even*, ἀιρέω, capere. Capit enim non ſolum manus, ſed etiam brachium, præcipue amplexu. Præterea Celtica Lingua *armm* ſunt arma, teſte PEZRONIO: ſenſu, ni fallor, a brachiis petito, quæ, cum ſint arma hominis prima & naturalia, quibus a natura ad propellendas injurias præ cæteris animantibus inſtructus eſt, nomen ſuum omnibus inſtrumentis, quibus injuria propellitur, communicare potuerunt. Latini ab *arm* videntur habere *arma*. Horum enim Lingua, perinde ut Græca, plena eſt vocibus Celticis. Nec deſunt rationes, quibus ipſam *brachii* vocem origine Celticam eſſe oſtendatur. Nam membrum illud humani corporis, cum ſit volubile, & ad defenſionem corporis affabre a natura factum, Cambris & Armoricis, veteris Linguæ Celticæ cuſtodibus, dicitur *braich* vel *brech*, omnino a *brechen* frangere, quod in medio ruptum ſit, & hinc Latinis *brachium*, aut nullo aut eodem ſenſu, ſicut optime obſervatum PEZRONIO loc. cit. pag. 376.

ARMBRUST, baliſta. VEREL. in Ind. *armborſt* arcus ex quo ſagitta mittitur. Videtur idem quod brachium fractum, cujus ſpeciem refert. Nam *bruſt* fractum quid ſignificat, ſi derivetur a *breſten* rumpi.

ARM, pauper. Gloſſ. Keron. pauperes *arame*, pauperiores *armirun*. HUGO GROTIUS deducit ab *Arimannus* in Ind. nom. Goth. appell. *Arimannus* (inquit) *Herman. Miles gregalis qui publicum munus non*

non habet. Poſtea pro paupere ſumpta vox. Sed vox Alamannica videtur hoc milite antiquior. Suſpicor, illam origine Græcam eſſe, factamque, vel ab ἔρημος ſolitarius, deſertus, vacuus, orbatus, qualis omnino eſt pauper, vel ab ἄμοιρος expers, infelix, miſer. Utriusque conjecturæ auctor eſt HELVIGIUS. Nec mirum, veteres Germanos paupertatis vocabulum ignoraſſe, cum ne rem quidem noverint. Nam ſuas quisque opes cum potentiſſimis æquari videbat, agros inquam ſuos, ſolas & gratiſſimas Genti opes, quæ aurum & argentum nec habebat nec deſiderabat. Vide quæ de conſtitutione Reip. antiquo-Germanicæ memoriæ prodiderunt CÆSAR Lib. VI. de Bell. Gall. cap. 22. & TACITUS cap. 5. & 26. de M. G. CÆSAR tamen Germanis, quamvis ſua ſorte contentis *inopiam* & *egeſtatem* objicit cap. 24. magis ex opinione vulgi, quam ſua aut ſapientum æſtimatione.

ARMEN, miſereri. Verbum ab adject. factum, ut Latinis *miſereri* a *miſer*. Quid enim eſt miſereri, niſi affectum pauperis induere, & aliena miſeria torqueri? Utitur hoc verbo CODEX ARGENTEUS quam ſæpiſſime. Inde *armai mik* miſerere mei Marc. X. 48. *armai unſis* miſerere noſtri Luc. XVII. 13. Et huc etiam ſpectat formula invocandi Barbaris noſtris quondam uſitata, *ſihora armen*, quam ex S. AUGUSTINI Epiſtola 178. producit JUNIUS in Gloſſario Gothico pag. 65. Verba Epiſtolæ hæc ſunt: *Si licet dicere non ſolum Barbaris lingua ſua, ſed etiam Romanis* (loquitur hic Auguſtinus de ſeculo ſuo, quo Gothicam linguam Roma capta didicerat, judice Junio) SIHORA ARMEN, *quod interpretatur Domine miſerere &c.* Sed hæc verba emendatione opus habent, & ex Evangelio Gothico ſecure corrigi poſſunt. JUNIUS igitur reſtituit *armai* pro *armen*. Optime. Sed in voce *Sihora* hæret, quæ certe victoriam ſignificat. Victoriam autem Chriſtianos invocaſſe, non eſt opinabile. Legamus ergo *Fan Sihora armai*, Domine victoriarum miſerere. *Fan* in Evangelio Gothico eſt dominus. Et tametſi *ſihora* in eodem monumento, lacero nimis, & faucibus temporis ægre erepto, non legatur: ſuppleri tamen poteſt ex aliis Dialectis. Nam, ut copioſe oſtendit JUNIUS, Islandis *ſigur* eſt victoria, & CÆDMONI ſcriptori Angloſaxonico *ſigora cyning* rex victoriarum, & *ſigora dribten* dominus victoriarum. STEPHANUS STEPHANIUS in not. ad Saxonem Grammaticum conatur locum corruptum ſic emendare: *Herr thig forbarme.* Quæ verba a Lingua Codicis Argentei plane ſunt aliena. Hodie utimur compoſito *erbarmen*, quod vide.

ARMUT, paupertas. Quia *arm an mut*, ait non nemo. Trivialiter & inepte. Nam proprie eſt abſtractum a concreto *arm*, per medium derivandi *ut*, idemque, quod alia terminatione *ermde*. Gloſſ. Keron. paupertas *armida*. Idem Angloſaxonibus *ermth*, *yrmth*, *yrmtho*, quod poſteritas mutavit in *armut*, terminatione *de*, *da*, *tho* in *ut* converſa. Similis metaplasmus eſt, quando abſinthium dicitur *wermut* pro *wermde*.

ARN, aquila. v. *ar*.

ARN, meſſis. Vetus Francicum, ab *eren* metere, per medium derivandi N. TATIANUS Cap. LXXII. 6. *lazet jogiuuedar uuahſan unzan zi arni*, ſinite utraque creſcere usque ad meſſem. Inde Francorum compoſita,

arnzit, tempus meſſis, apud TATIANUM loc. cit.

aranmanoth, Auguſtus, menſis ſpicilegii, apud GOLDASTUM Tom. II. Rer. Alam. pag. 65. nec non apud EGINHARDUM in vita Caroli.

Hodie ſuperat apud Friſios & Sicambros, quibus *arne*, *erne* meſſis, *arnmaend* menſis auguſtus, teſte JUNIO in Obſ. ad Will. pag. 103. Ab *arn* rurſus fit *arnen* metere.

ARNEN, metere. Ab *arn* meſſis. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIV. 217. *ih ſanta iuuih arnon*, miſi vos metere. TATIANUS Cap. XXXVIII. 2. de volatilibus cœli: *ſie ni ſauuont noh inarnont*, non ſerunt neque metunt. NOTKERUS Pſal. CXXV. 5. *die mit tranen ſahent, die arnont mit mendi*, qui ſeminant in lacrymis, in gaudio metent. Hodie ſuperat apud Friſios & Sicambros, quibus *arnen* metere ſegetes, teſte JUNIO loc. cit.

ARNEN, acquirere. Græcis ἀρνεῦσθαι. Anglis *to earn*. Idem quod metere ſenſu metaphorico, quoniam ii, qui ſtudio & labore aliquid conſequuntur, ſimiles ſunt agricolis, qui fructus æſtivos non ſine magno labore lucrantur. Placuit hæc allegoria majoribus noſtris, quia *Dii bona ſudoribus vendunt*. SKINNERUS, qui originem verbi ad *ere* honos refert, extra oleas vagatur. Hodie utimur compoſito *erarnen*.

ARNEN, promereri. Idem quod acquirere, quia merita ſunt eximia facta, quibus præmium & gloria acquiritur. SOMNER. in Dict. Angloſax. *earnian*, *ge-earnian* merere, *earnunge* meritum. Gloſſ. Keron. mereamur *kearneem*, mereatur *kearneet*, meritum *arnunc*. JUNIUS exiſtimat, hanc primam verbi acceptionem eſſe: ſed ex ſcala ſignificationum patet, illam eſſe ultimam. Hodie eodem ſenſu dicimus *erarnen*.

ARRESTIEREN, ſiſtere, detinere, Lat. Barb. *areſtare*, Gall. *arreſter*, Ital. *arreſtare*. Omnino a *raſt* requies. Quid enim eſt ſiſtere, niſi facere ut quieſcat? Particula *ar* apud Francos & Alamannos eſt intenſiva, & huic particulæ perfecte reſpondet hodierna *er*, quatenus ſenſum reddit fortiorem. Græcis quoque ἀῥι ſæpe intenſive uſurpari in compoſitis, obſervavit JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 177. In foro tria præcipue ſignificat. (1.) decernere, quia decernere eſt lites ſiſtere, & partes litigantes ad requiem & ſilentium redigere. (2.) motum de loco interdicere, donec legibus ſatisfiat. (3.) manus injicere. Inde verbalia

arreſt, decretum, ſententia curiæ, qua lites

ſiſtuntur & terminantur, ἄρτιον Græcis, Latino-Barbaris *areſtum*, Gallis *arreſt*.

arreſt, detentio corporalis, ſive domi, ſive in cuſtodia publica. Latino-Barbaris & Gallis ut ſupra.

ARSCH, anus. Angloſax. *ears*, Francis *ars* in Gloſſis R. Mauri de partibus hum. corp. Sumptum videtur ab ἀρχὸς, inquit MARTINIUS. In quibusdam Dial. *ærſchlich* eſt averſus.

ART, genus, natura, indoles, *gute art* bona indoles, *böſe art* mala indoles. Inde Francis *elirarter* barbarus, in Gloſſ. R. Mauri apud Diecmann. ab *el* alius, alienus, quia barbarus eſt peregrini generis: manifeſto indicio, etiam ſubſtantivum in veteri Francorum lingua obtinuiſſe, etiamſi me teſtimonia deſtituant. Refer ad *arten* naturam exprimere.

ART, bonum genus, bona indoles, *es hat keine art* non decet, *artig* decens, *unartig* indecens, *aus der art ſchlagen* degenerare. Græcis quoque ἀρετὴ eſt indoles bona & virtus inſita.

ART, affectus ea re vel qualitate cui annectitur. Inde Gallis *babillard* impedite loquens, *louſchard* ſtrabo, *cornard* cornutus, vir mœchæ, & alia plura apud VALESIUM in Originibus Menagianis voce *Picardie*. Anglis *dullard* ſtupidus, ingenio tardus Rurſus ab *arten*.

ART, interdum vituperatur, & tunc *vitioſe affectum* ſignificat. Inde Belgis *dronkart* bibax, Germ. *bankart*, *baſtart* nothus, vitio tori affectus, Gall. *guiscard* callidus, aſtutus, verſutus, non *erro*, ut VALESIUS explicat. Nam proprie eſt a *wit*, *witz* ingenium, prudentia. Vide CANGIUM in voce GUISCARDUS, & patebit ex multis Poëtarum aliorumque teſtimoniis, Robertum Normannum Apuliæ Principem ob vafritiem ſic appellatum eſſe. Dicitur etiam *ert* in quibusdam compoſitis. Inde *ſchubert* avarus, a pravo corradendi ſtudio.

ARTEN, naturam exprimere, bonam vel malam. Ab *erde* terra, quia res naturales ingenium ejus ſoli, in quo natæ ſunt, referre ſolent, non fructus tantum, ſed etiam incolæ.

ARTEMIS, cognomen Dianæ. V. *Hartemis*.

ARZ, *arzt*, medicus. Gloſſ. Pez. pigmentarius *ſalbari* vel *arzat*. Gloſſ. Lipſ. *ercetere* medici. Vox exotica, a Francis proſeminata. Græcis ἰατρὸς eſt medicus: unde fieri poterat primo *arts* unius literæ & valde mobilis transpoſitione: mox ſtudio longitudinis *arzat*; & rurſus ſtudio brevitatis *arzt*. PEISKERUS deducit ab ἄριστος optimus. HELVIGIUS ab *artiſta*. STADENIUS ab *art* natura. Sed non perſuadent. Nomen medici vere Germanicum & primis Germaniæ temporibus uſitatum, vide infra in *lech*.

ARZEN, *arzten*, medicari, medicinam facere. WILLERAMUS Cant. VII. 13. *mit ſola ſuperficie divini verbi gearzenont ſie die infirmos auditores*. Editio MERULÆ habet *gearzatant*. Prius eſt ab *arz*, poſterius ab *arzat*. A priori habemus *arzenei* medicina.

AS, monas. VEREL. in Ind. *as* monas, *daus oc as* binarius vel bis & monas. Utimur hodie in ludo alearum & chartarum. Græcis ἓις eſt unus.

AS, Deus, verus & ſummus. Græcis ἄωτος, quaſi ἀεὶ ὤν semper exiſtens, interprete ARISTOTELE de Mundo Cap. VII. Quamvis etiam *unus* eſſe poſſit, qui Barbaris dicitur *as*, quia *Omnibus ex uno ducendis ſufficit Unus*. Cujus rei perſpicuum ſymbolum eſt in numeris. Ab initio fuit nomen unius & ſummi Dei, quod & Ariſtoteles agnoſcit, & ſignificatus declarat. *Unus Deus cum ſit*, inquit Philoſophus, *pluribus nominibus appellatus eſt*. Et paulo poſt: *Æſan denique dictum cenſuerim ἀπὸ ὤντος*. A quibus, non addit. Veroſimile autem eſt, Deum ſic appellatum eſſe ab iis, qui apud Græcos philoſophati ſunt, Orpheo, Pythagora, Platone, aliis. An etiam a Druidibus ſeu Philoſophis Gallorum, dubito, etiamſi ESUS quoad ſonum eo ducere videatur. Nam *Eſus* Gallorum non fuit ſummus Deus, cujus donis totus mundus eſt refertus, in quo vivimus, movemur, & ſumus: Sed *Deus quercuum*, & dæmonium peculiare lucorum, a Druidibus effictum, nullisque beneficiis cultoribus notum, niſi viſco querno: cætera malum & immite, & Lingua Gentis ESUS dictum, non quod ſit unus ille Deus & per ſe ſubſiſtens, quem ſola reverentia videmus, ſed quod feris altaribus horrens, & victimis humanis placandum. Convenientia, quæ inter utrumque nomen eſt, neminem debet movere. Multa ſono conveniunt in omnibus Linguis, quæ non conveniunt ſignificatu. Et hæc æquivocatio nullibi frequentius occurrit, quam in Lingua veteri Gallica. Phrygibus *Galli* ſunt inſani, Gallis vero populares. Græcis *Driades* nymphæ ſylvarum, Gallis *Druides* ſacerdotes quercuum. Gallis *Bardi* cantores, Græcis & Latinis ſtupidi. Atque ut paucis me expediam, ESUS eſt nomen proprium Deaſtri, a terrore ſic dicti, *Æſa* appellativum Dei, & uſu volente pluribus Diis commune, ut mox patebit. Vide plura in *Heſus*.

AS, homo divinus, opinione Deus. Quod ab initio fuit nomen veri Dei, poſtea etiam falſis numinibus tribui cœpit, & inprimis iis hominibus (nam origo deorum ex hominibus eſt), qui inter rudes miraculo quodam, ſive rerum geſtarum, ſive utilium inventorum, claruerunt, & humanam naturam excedere viſi ſunt. Hinc præter unum & verum Deum multi celebrantur *Aſæ*, qui, etiamſi natura Dii non ſint, Dii tamen vocantur ab idololatris, præcipue a Germanis borealibus. VEREL. in Ind. *as* Deus, Odinus, Thorus &c. *aſiamenn* Dii qui cum Odino in Scandiam revertebantur, *askyndur* divinæ originis, ex origine Aſarum ſive Deorum. Fallitur autem vir celeberrimus HICKESIUS, quod nomen *as* gentile putet Diis ſeptemtrionalibus, cum revera ſit appella-

pellativum, nonſolum apud Septemtrionales, ſed etiam apud Hetruſcos, qui Odinum cum comitatu ſuo nunquam viderunt. Teſtis SUETONIUS in vita Auguſti Cap. 97. *Sub idem tempus ictu fulminis ex inſcriptione ſtatuæ ejus primæ nominis litera effluxit. Reſponſum eſt, centum ſolos dies poſthac victurum, quem numerum C. litera notaret: futurumque ut inter Deos referretur, quod* ÆSAR, *id eſt, reliqua pars è* CÆSARIS *nomine Etruſca lingua* DEUS (imo Dii) *vocarentur.* Teſtis quoque HESYCHIUS: Αισοὶ, Θεοὶ ὑπὸ Τυῤῥηνῶν: *Æſi, Dii apud Tyrrhenos.* Primus nomen Septemtrioni intuliſſe videtur *Odinus*, Princeps Phrygius, quem metu Pompeji in Scandiam fugiſſe, tradit EDDA Islandorum, cui in re patria credendum. Hunc poſteritas vocavit *Aſam*, i. e. Deum, quod humana natura aliquid ſublimius habere crederetur, nec illum tantum, ſed etiam comitatum ejus. Quemadmodum enim, qui *Saturnum* olim comitabantur, *Dii* cognominati ſunt, teſte SANCHONIATHONE apud Euſebium Lib. I. Præp. Evang. Cap. 20. Ita commilitones Odini ſimiliter dicti ſunt *Aſæ*, i. e. *Dii*. Eadem vox diu ante Odinum innoteſcere potuit Tyrrhenis per Æneam Trojanum, qui haud dubie multa vocabula Phrygia Italiæ intulit, ſicut poſtea Odinus Septemtrioni. Ad familiam vocis, præter ſuperiora, a VERELIO memorata, ſpectant quoque, *Aſſa* pars mundi divina, Deorum patria, & *Aſgard* civitas Dei. Minime vero *Eſus*. Nam hoc fuit nomen proprium unius ex Diis Gallorum, non appellatio omnibus communis.

AS, cibus. Angloſax. *æs, æte*, Franc. & Alam. *az*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *æs* eſca, cibus, pabulum, *æte* cibus, *æte and wæte* cibus & potus. Gloſſ. Lipſ. *at* eſcas. Gloſſ. Pez. in cibos *zi azun*, inedia *azaloſ*. Convenit Latinum *eſus* & *eſca*, Armenicum *haz* panis, & Turcicum *as* quivis in genere cibus, apud CLODIUM in Lex. Turc. pag. 609. Refer ad *eſſen* edere. *As* pro cibo hodie obſoleſcit. Viget tamen in derivatis *æſſig* veſcus, *æzen* cibare.

AS, cadaver, morticinium. Proprie cibus, ſed fraudulentus, & ineſcandis feris per inſidias objectus. Inde *æzen* allicere.

ASCHE, cinis. Gothis *azgo* Luc. X. 13. Angloſaxon. *axa* ibid. Francis, Suecis, & Island. *aſca*, Belg. *aſche*, Angl. *aſhes*. Gloſſæ Lipſ. *aſca* cinis. NOTKERUS Pſalm. Cl. 9. *ih az aſcun alſo brot*, cinerem manducabam tanquam panem. Opinor ab *eiten* uri. Quid enim eſt cinis, niſi materiæ combuſtæ pulvis? Litera T. in medio vocis facile mutatur in S. & reliquas ex ſibilo compoſitas. JUNIUS deduxit ab ἄζα pulvis, HELVIGIUS ab Heb. *eſch* ignis, unde Græcis ἑστία focus. Verum ſicut non omnis pulvis eſt cinis, ita non apparet, quo pacto ſignificatus ignis ad cinerem transferri poſſit absque confuſione Babylonica. Interim huc ſpectat compoſitum *aſchenbrödel*, quod ad modulum vocis Plautinæ *cimiſto* factum videtur ab Anglico *to breath* flare, ſpirare, unde etiam habemus *brodem* halitus.

ASCHE, pulvis. Quia cineri ſimilis. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *aſca* pulvis, *aſce* cinis. VEREL. in Ind. *aſka* cinis, pulvis. Apud HESYCHIUM quoque ἄζα exponitur κόνις, i. e. pulvis, unde Latinis *cinis*.

ASCHE, *eſche*, fraxinus. Gloſſ. Ælf. in nom. arb. fraxinus *æſc*. Gloſſ. Pez. fraxinus *aſch* VEREL. in Ind. *askr* baculus de fraxino. Hinc *mons Aſciburgius*, PTOLEMÆO memoratus, videtur antiquitus dictus *æſcenbyrg*, a multitudine hujus arboris. Carmina antiqua celebrant quoddam genus hominum *fraxineum*. HESIODUS op. & dies verſ. 145. *Tertium genus æneum e* FRAXINIS, *vehemens & robuſtum, quibus Martis opera curæ*. Vox ipſa nos manu ducit ad genus ASCANIUM, hoc eſt, Phrygium, unde Germanis initium, quibus deſcriptio Poëtæ apprime convenit. Vide ergo, annon genus illud robuſtum, tam hominum quam arborum, nomen ſuum ducat ab ἰσχύω valeo?

ASCHE, aqua, præcipue fluens. Vox Celtica. BAXTER in Gloſſ. Antiq. Brit. p. 140. *iſca*, hoc eſt aqua. Et mox: Erant *iſcæ* in Brit. innumeræ: apud Belgas etiam flumen *eſch* vel *aſch* eſt, quod pro *iſca* venit. LUIDIUS in Adverſariis poſthumis: *uyſc*, Anglis *usk*, Hibernis *uisge* aqua. TOLANDUS obſervat, quod etiamnum Armoricis *iſge* dicatur aqua. HYDIUS in Monitione de corrupto nomine *Oxonii* Cambris tribuit *uſque* vel *yſque*, Anglis *ouſe*. Quod autem *ouſe*, inquit, appellative aquam ſignificet, conſtat ex communi uſu. Nam βυρσοδέψαι ſeu depſitoris coriarii aqua, qua coria macerat, cortice roboreo imprægnata, vulgari ſermone vocatur *tanners ouſe:* & de quavis aqua ex crena manante dicimus, *it ouſeth out:* & Merula aquatica, quæ non eſt tam intenſe nigra ac altera campeſtris, inde dicitur *ouſel*. Idem celeberrimus Auctor *Oxonium* originitus appellatum cenſet *Ouſi-fort*, h. e. vadum vel caſtellum aquæ, quod poſtea ex prava vulgi pronunciatione (Normannorum ut videtur tempore) degeneravit in OXFORD. Hactenus Hydius. In nummis Poſtumi celebratur EXERCITUS ISC. Quod exponitur *Iscanius*. *Iſcam* vero dicunt in magna Britannia ſitam in Monumethenſi Comitatu, & ad hunc uſque diem appellari *Kaer-Leon-ar-Uſc*, hoc eſt, urbem legionis ad Iſcam fluvium. De illa docte differit TRISTANUS, nec non BAXTERUS loco citato, qui tamen hunc nummum videtur ignoraſſe. Veroſimile eſt, iſtius exercitus opera aliquam Poſtumo partam eſſe victoriam. De qua re videndus PATINUS in Num. Imp. pag. 420. & BANDURIUS Tom. I. pag. 298. Hodie *aſche* non amplius eo ſenſu occurrit in Germania, antiquitus tamen obtinuiſſe, colligo ex duobus

bus verbis per proſtheſin inde factis, *waſchen* lavare, & *keuſchen* mundare.

ASCHE, genus naviculæ. Gloſſ. Ælf. in nom. navium: myoparo *hith-ſcip*, barca *flot-ſcip*, liburna *hulc*, dromo *æſc* vel *barth*. Lex Sal. Tit. XXIV. de navibus furatis §. 3. *Si quis* ASCUM *de intro clavem furaverit.* ADAMUS Bremenſis Cap. 73. *Claſſis piratarum, quos noſtri* ASCOMANNOS *vocant.* SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *æſcman* pirata. CANGIUS vocem Saxonicam ducit a Gr. ἄσκος uter. Huic etymologiæ favet, primo, quod Saxonum myoparones, quibus piraticam olim exercebant, erant naviculæ ex viminibus & corio crudo contextæ, teſte ISIDORO Lib. XIX. Orig. Cap. I. quod etiam nomen Saxonicum *hyd-ſcip* (ſic enim apud Ælfricum legendum) manifeſto intimat. Secundo, quod Arabum piratæ a ſimili navigio dicti ſint *Aſcitæ*, ut Saxonum *Aſcomanni*. PLINIUS Lib. VI. Cap. 29. *Quin & commercia ipſa infeſtant ex Inſulis Arabes Aſcitæ appellati, quoniam bubulos utres bino ſternentes ponte piraticam exercent.* SOLINUS de iisdem: *Bubulis utribus contabulatas crates ſuperponunt.* Sed non favet ÆLFRICUS, qui myoparones & dromones nominibus diſtinguit. Hinc neſcio annon magis aſſentiendum ſit ECCARDO, qui *aſcum*, non ab ἄσκος, ſed ab *haſchen* capere (quo ſenſu hodie *Caper* a *capiendo* dicitur) derivat in not. ad L. Sag. pag. 50. Aliam etymologiam, ſed obſcuram, proponit VERELIUS in Indice: *askur* navis, a forma ovali & oblonga ſic dicta. Interim ab *aſc* multa Hollandiæ & vicinarum provinciarum loca appellari judicat CANGIUS, exempli gratia,

Aſcaloa, portus aſcorum.
Ascdiif, foſſa aſcorum.
Ascoburg, burgum aſcorum.

Multa quoque, virorum nomina inde deſumit GROTIUS in Indice Gothico, ut

Ascal-erf, navium poſſeſſor.
Ascal-rham, navibus glorioſus. Mallem validus.
Askirib, *Eskerich*, qua notione, non explicat Grotius. Sed navibus potentem ſignificare poteſt.
Asulf, qui navibus auxilium fert, forte idem Grotio, etiamſi non indicet.

ASCHENBRODEL, ciniflo. v. *aſche* cinis.

ASCIBURGIUM, civitas antiquæ Germaniæ, TACITO bis memorata, ſemel in Germania, iterum in Hiſtoria Claudii Civilis. Ab *Ulixe* conditore ſic appellatam eſſe velut *Uxeburg* per aliquam ſyncopen, vetus fama eſt. TACITUS cap. III. de M. G. *Cæterum Ulixem quidam opinantur longo illo & fabuloſo errore in hunc Oceanum delatum adiiſſe Germaniæ terras, Aſciburgiumque, quod in ripa Rheni ſitum hodieque incolitur, ab illo conſtitutum nominatumque.* Huic traditioni multa opponit CLUVERIUS Lib. II. Germ. Ant. cap. 18. quæ ſi falſa eſt, ab auctoribus Celticæ Linguæ ignaris proficiſci potuit. Nam *Uxeburo* in ore Celtico idem eſt quod *Isca-burg*, h. e. civitas ad flumen. Hodie dixeris *Waſſerburg*. Vide retro dicta in *aſche* aqua, & patebit. Germanice ſignificare poteſt locum navigiorum, ſi appellatio deſumatur ab *aſche* navis, quod inprimis CANGIO & ECCARDO ſe probavit. Sed & a cultu cujusdam Numinis fortiri nomen potuit tanquam civitas Dei. Nam *as* Deus interdum cum augmento finali effertur *ask*. VEREL. in Ind. *as* Deus, Odinus, Thorus &c. additum etiam K. finale, *Ask*, quod jam dicimus *æſc* Jupiter tonans, *æskeld* fulgur, *æskeslag* fulmen.

ASIA, pars mundi orientalis, ſic dicta ab *as* Deus, quaſi divina, quod patria eſſet Deorum. Nam Deos ex minore Aſia, quæ univerſæ Aſiæ nomen dedit, prodiiſſe, & Phrygiam pro natali ſolo agnoſcere, conſtans fama eſt, & minime mendax, ſicut alibi oſtendo. Hinc GUDMUNDUS ANDREÆ recte mihi videtur ASIAM expoſuiſſe *terram ſacram, ſolum divinum*, in Explicatione Voluſpæ §. 20. Sic *Europa* dicitur terra illuſtrium, & *Africa* regio ſimiarum. Quæ conjectura, etiamſi nova & audax ſit, robur tamen accipit ab analogia.

ASPE, populus arbor. v. *eſpe*.

AST, ramus. Gr. ἔζος, ἵζος, Camb. *osgl*, Gothis *aſts* Marc. XIII. 28. Franc. *aſt*, Suec. *qwiſt*. OTFRIDUS lib. IV. 65.

Uuas themo thes gebruſti,
So brach er ſar thie eſti.
Si cui pannus deficiebat,
Frangebat ramos.

HELVIGIUS derivat ab Heb. *etz* arbor. Quod fieri poterat per ſynecdochen, quia totum interdum uſurpatur pro parte. Mihi tamen videtur proprie brachium arboris præciſum denotare. Nam Suecis & Islandis *qwiſta* eſt cædere, putare, & inde *qwiſt* ramus, ſarmentum, unde cætera per apharesin poterant effingi. VEREL. in Ind. *kuiſta* concidere, *Remundur kuiſtar menn hans ſem ſaudi*, Remundus concidit milites ejus ut pecora. Vocem Saxonicam vide in *Zweig*.

AT, malum. Ab ἀτάω noceo. Proſtheſis inde fecit *quad*, & alia proſtheſis *wad*, *weid*, mala herba.

AT, fœdum. VEREL. in Ind. *at* macula, inquinamentum, *ata* inquinare, maculare. Suevi, quum pueros deterrere volunt a contactu alicujus rei, etiamnum dicunt *das iſt at* hoc fœdum eſt. Et videtur convenire cum *eiſch*.

ATEGAR, telum Saxonicum. v. *etgere*.

ATEM, *odem*, vox omnium arbitrio origine Græca. Græcis enim, ἄω, ἄσω, ἀάζω, ἄημι eſt ſpiro, halitum efflo, ἄημα ſpiritus, flatus, ἀτμὶς, ἀτμὸς aura, vapor, halitus, ἀτμίζω vaporo. Hinc *atem* ſignificat quantum poteſt, (1.) vaporem. Inde Angloſaxonibus *æthm* vapor, *æthmian* exæſtuare, apud BENSONIUM. (2.) halitum. NOTKERUS Pſal. CXXXIV. 15. de idolis gentium: *noh atem ne iſt in iro munde*, nec eſt halitus in ore ipſorum. Belgæ eodem ſenſu dicunt *adem* & *aſſem*. (3.) ſpiritum

ſpiritum. Gloſſ. Keron. ſpiritum *atum*, ſpirituali *atumlihhemu*, ſpirituale *atumlihhun*. Gothis ſpiritus dicitur *ahma*, Joh. VI. 63. Latinis *anima*. Cuncta a Gr. ἄημα per epentheſin, prout optime judicat R. D. LOESCHERUS in Literatore Celta pag. 67.

ATEMEN, ſpirare, reſpirare, Gloſſ. Pez. ſpirant *atamont*. Refer ad ſubſtantivum.

ATTA, pater. v. *ette*.

ATTACHIARE, per lictorem prehendere, *attachiator* lictor, prehenſor. Leges Baron. Scot. apud CANGIUM: *Cum aliquis vulneraverit aliquem, per corpus debet attachiari*. Et mox: *Attachiatores dicuntur, qui capiunt rebelles & fugitivos*. Dicitur etiam extra forum. Hinc manus injicere Gallis eſt *attaquer*, Italis *attacare*. Cuncta e Saxonico fonte, ſicut optime notavit HICKESIUS. Nam *æt* Angloſaxonibus ſignificat *ad* in multis compoſitis, *tæcan* vero capere. Islandi eodem ſenſu dicunt *at taka*, Angli *to take*. Suecis vero *taga till ſig* idem eſt quod *fatta* arripere. Omnibus conſentit Gr. δέχομαι capio.

AU, interjectio dolentis. Latinis *au, heu, eheu*, Græcis ἀι, & inde αἰάζω lamentor. Cuncta a natura ſuppeditata.

AU, in nominibus fluviorum ſignificat *aquam:* in nominibus locorum *pratum* ſive locum fontibus & rivis irriguum: in nominibus regionum *terram*. De primo ſignificatu actum in *ach* & *acha:* de ſecundo in *auw*. Ultimus eſt a Gr. ἄια terra. Alii hos ſignificatus confundunt. Mihi videntur diſcriminandi. Exempla ultimi ſignificatus vide in *ſchanz*.

AUCH, conjunctio copulativa, ſignificans *etiam, atque, item*, Gothis *auk*, Angloſax. *eac, æc*, Francis & Alam. *auh, ouh*, Belgis & Septemtrionalibus *ok*. Quibus convenit Heb. *ach*, Lat. *ac*, & Gr. καὶ per anaſtrophen. Gloſſ. Keron. etiam *auh*.

AUCH, adverb. affirmandi, ſignificans *ita, certe, vere*. Videtur eo ſenſu occurrere in Evang. Goth. Joh. XIII. 13. *jus wopeid mik laiſareis jah ſan, waila quithith, in auk*, vos vocatis me magiſter & domine, bene dicitis, ſum certe. Ubi interpres Angloſaxonicus habet, *ſwa ic eom ſothlice*, ita ſum vere. Luth. *denn ich bins auch*. Similiter apud Latinos *etiam* in reſpondendo fit adverb. confirmandi. Convenit Heb. *co* ſic, per anaſtrophen, quod HELVIGIUS pro etymo adducit.

AUCHEN, multiplicare. Gr. ἀυξω, Lat. *augere*, Gothis *aukan* Matth. VI. 27. Angloſax. *eacan, ican* &c. Francis & Alam. *auchon*, Anglis *eke*, Suec. *öka*, Island. *auka*. Gloſſ. Keron. augere *auchon*, augeamus *auchomes*, addita *keauhhoti*, adjicientur *ſint keauhhot*. BENSON. in voc. Angloſax. *eacan* augere, *ican* addere, *iht* auctus. STIERNHIELMIUS male derivat ab *a*, quod interpretatur *eſt*. Nam omnium origo ſatis manifeſta eſt ab *auch* etiam. Quid enim eſt augere, niſi etiam atque etiam addere? Particula *auch* hodienum clare ſatis vel augmentum vel iterationem inſinuat. Germani, quibus verbum excidit, utuntur tamen derivatis. Hujusmodi eſt *höker* propola, qui pretium rei vendibilis auget, & terminatio *icht* quæ in compoſitis auget ſubſtantiam cui annectitur. Inde *bergicht* montoſus, & alia innumera.

AUCHUNG, auctio. Gloſſ. Keron. augmentatione *auchungu*. Vox inuſitata, ſed proba, antiqua, & civitati reſtitui digna. Quid obſtat, quo minus ad licitationem librorum & utenſilium transferatur? Quæ certe ab ore Germanico rectius dicitur *auchung* quam *auction*.

AUF, adverb. de cujus vario ſignificatu in compoſitis actum in PROLEGOM. Sect. V.

AUF, præpoſ. ſignificans *ſupra*, inde *auf ſchlangen* ſupra ſerpentes Luc. X. 19. Gothicus interpres habet *ufaro*, Angloſaxonicus *ofer*, manifeſto ſatis indicio, *auf* ab alterutro abſciſſum eſſe. Reliquos ſignificatus cognoſce ex Lexicographis.

AUFBIETEN, evocare ad arma, *aufbot* evocatio. Refer ad *bieten* citare.

AUFBIETEN, ſenſu eccleſiaſtico eſt proclamare e ſuggeſtu, h. e. publicare matrimonium, & dicitur alia Dialecto *verkünden, verkündigen, abkündigen*, h. e. notum facere. Refer ergo ad *bieten* ſignificare.

AUFERSTEHUNG, reſurrectio. Novum, ſed legitime factum a *ſtehen* ſurgere. Præfixa *auf* & *er* non ſunt otioſa, ſed motum ex loco ſignificant. Gothis *uſſtandan* eſt reſurgere Joh. VIII. 31. *uſſtoth* ſurrexit Luc. IV. 16. *uſſtaſs* reſurrectio Joh. XI. 25. In monumentis Francorum reſurrectio vocatur

urſtend, apud NOTKER. Pſal. XLI. 2. quod in accuſ. habet *urſtendida*, ut ex interpretatione Symboli Apoſt. ejusdem auctoris patet.

irſtantniſſi, apud OTFRID. Lib. V. Cap. XXIV. 22.

arſtantniſſi, in catecheſi Theotiſca ECCARDI, pag. 66.

urſtodab, in Symb. Alam. FREHERI.

Quorum ſenſus manifeſto deſumptus eſt ab *ar, ir, ur*, ex, adverbio motus de loco, & *ſtan* vel *ſtanden* ſurgere. Reliqua, quæ ad priſcam reſurrectionis nomenclaturam ſpectant, vide in *Oſtern*.

AUFGELT, *ufgelt*, uſura. Proprie eſt *pecunia* numumlario ſolvenda *ſupra* ſummam, ſive permutandam, ſive in creditum acceptam, ab *auf*, quod hoc loco eſt nota acceſſus.

AUFHOREN, ceſſare. v. *hören* facere.

AUFMUTZEN, exaggerare. v. *muzen* ornare. Utitur Luth. Sir. XIII. 27.

AUFPASSEN. v. ſimplex.

AUFRUCKEN, exprobrare, incuſare. Frequentativ. a *rügen* accuſare, & non a *rucken* movere.

AUFRUR, ſeditio, tumultus, diſcordia civilis. Proprie eſt tremor civitatis, & motus concitatus, ſive adverſus imperantes, ſive adverſus cives, a *rüren* movere, agitare, concitare, unde Gothis *reiro* tremor, Angloſaxonibus *hreornis* tempeſtas, Francis *girourneſſi* motus pelagi, apud TATIANUM Cap.

LII. 2. quæ illum concuſſæ civitatis ſtatum pulchre & tanquam in imagine exprimunt, etiamſi omnes iſti populi aliis utantur vocibus ad ſeditionem ſignificandam. Galli alio ſono, ſed eodem ſenſu dicunt *émeute*. Gothis ſeditio Barnabæ dicitur *auhyodei* turbatio reipublicæ Marc. XV. 7. Angloſaxonibus *ſwic-creeft* crimen proditionis, Francis *urheiz* & *piheiz* conjuratio, Alamannis *uuidaruuigo* perduellio.

AUFSETZIG, infeſtus, inimicus. v. *fetzen* inſidias ponere.

AUFSTAND, ſeditio. Refer ad *ſtan* ſurgere. Latinis quoque ii, qui motus in Rep. excitant, dicuntur *inſurgere* contra imperantes. Rem aliis vocibus deſignatam inveniesin *aufrur*.

AUFWIEGLEN, excitare. Dicitur tantum de turbarum auctoribus, qui alios ad ſeditionem commovent, a *wiegen* motitare, agitare, concutere.

AUG, oculus. Occurrit in omnibus veterum Dialectis. Oculus dexter Matth. V. 29. Gothis *augo taihsuu*, Angloſax. *eage ſuythre*, Tatiano XXVIII. 2. *auga zeſiwa*. Oculus ſimplex Matth. VI. 22. Gothis *augo ainfalth*, Angloſax. *eage anfald*, Tatiano XXXVI. 3. *ouga luttar*. Oculus nequam Matth. VI. 23. Gothis *augo unſel*, Angloſax. *eage manfull*, Tatiano XXXVI. 3. *ouga aruuertit*. Feſtuca in oculo Luc. VI. 41. Gothis *gramſta in augin*, Angloſax. *egle on eagan*, Tatiano XXXIX. 6. *feſun in ougen*. Similia habent Græci, Tartari, Slavi. HESYCHIO ὄπτες exponitur ὀφθαλμοὺς. Præcopenſibus in Cherſoneſo Taurica oculi vocantur *oeghene*. Nec mirum, cum ea loca nunc teneant Tartari, quæ quondam Gothi, Heruli, Vandali, aliæque Germanicæ Gentes incoluere. Martinius Sclavonis tribuit *oko* vel *ocho*: Frenzelius Sorabis *woko*. Et in verſione Lithuanica invenio *aki*. Omnibus conſentit Lat. *oculus*, quod ERICO ſic dicitur quaſi ἑυκυκλος, bene orbiculatus. Alii alias afferunt origines, ſed omnes pene Græcas. JUNIO videtur formatum ab αὐγὴ lux, ſplendor, quod Poetis pro oculo, ut *lumina* Latinis. Unde ſcriptoribus Græcis remanſit αὐγάζω, quod non ſolum illuſtrare, ſed & intueri ſignificat, ſicut idem obſervat. Cum hoc organo non nihil commune habere videtur Lat. *ecce*, qua voce attentio reſpicientis excitatur.

AUG, dicitur de rebus quæ oculatæ non ſunt, oculos tamen ſive rotunditate, ſive foraminibus referunt. Ita gemmas in vitibus, foramina in caſeis, numeros in aleis vocamus *augen*. Ob eandem cauſam quidam piſcis vocatur *neunaug*, quia per novem foramina aquam hauſtam reddit.

AUG-APFEL, pupilla oculi. Gloſſ. Pez. pupillam *aphol.* SOMNERUS in Dict. Angloſax. *eag-æpl* pupilla, Anglis *the appel of the eye*, quaſi dicas *pomum oculi*. Hæc ille. Latini *pupillam* vocant quaſi parvam pupam, ab icuncula in foramine oculi: nos *pomum* a rotunditate, ut alia multa quæ poma non ſunt.

AUG-BRAUNEN, *aug-brawen*, ſupercilia oculorum. Operæ pretium eſt, diſcrimen, quod inter has voces intercedit, oſtendere. Angloſaxonibus *bræwe* eſt ſupercilium, *bruwa* ſupercilia, apud BENSON lisdem *bræwe* etiam palpebram notat, apud SOMNERUM. Cum quo ſignificatu convenit *bræ* apud Latinos in *palpebræ*. Franci utuntur eodem ſimplici, & gemino ſignificatu, modo pro palpebris, modo pro ſupercilio. NOTKERO in Pſalmis *ſlago dero brauuo* eſt ictus oculi, & *ſlegebrauuo* palpebræ, obſervante SCHILTERO in Gloſſ. p. 130. R. MAURO in Gloſſis Latino-Barbaris de partibus humani corporis, *aug-brauua* ſunt palpebræ, ſinus oculorum, a palpitatione ſic dictæ, & *uuindbrauua* ſupercilia. In Gloſſis Florentinis occurrit, *ubarbrauue* ſupercilium. Anglis *eye-brow*, Belgis *winkbrauw* eſt ſupercilium, non palpebra. Apud HENISCHIUM *braw* exponitur ora, extremus ambitus, *augbraw* tegumentum viſus, *augbrawen* cilia, ductus pilorum ſupra palpebras. Et hactenus litera N. exulat in vetuſtiſſimis vocibus, exceptis tamen iis, quibus Septemtrio utitur. VERELIUS in Ind. *brun* & *bryn* ſupercilium, *brunſidur* ſupercilioſus, *brunskarpur* torvus. Similiter & Suecis *ögnabryn* eſt ſupercilium. In quibusdam Germaniæ Dialectis ſupercilia vocantur *ogbranen*, absque *a*. diphthongato, quamvis auctoritas ejus ſit antiquiſſima, ſive metu confuſionis cum *braun* fuſcus, ſive quia quorundam aures adeo delicatæ ſunt, ut omnes diphthongos tanquam ruſticas & horriſonas averſentur. Reſtat, ut de etymo utriusque vocis diſpiciamus. STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 96. Angloſaxonicum *bræwe* componit ex præfixo *be*, & *rawe* capillamenta. Quod ſatis convenire videtur tam ſuperciliis quam palpebris, quatenus ciliis a natura ſunt inſtructæ. Veroſimilius tamen eſt, *braw* abſciſſum eſſe a Perſico *abrou* ſupercilia, unde Macedonibus ἀβρόντες eodem ſenſu, vel a Græco ὀλέφαρος aut ὀλέφαρον, cilia, palpebræ, quod inprimis ſe probavit HENISCHIO. Germanis *braw* obſoleſcit, & in locum ejus ſucceſſit *braun* vel *bran*, quod aliam etymologiam exigere videtur. Videamus, quid celeberrimis Duumviris LEIBNITIO & ECCARDO de his vocibus viſum fuerit. Uterque vocem Germanicam vitiatam ſtatuit: ille ex *augenbreme* limbus oculorum, in Gloſſ. Chauc. pag. 39. hic ex *augenbrade* palpebra, quod derivat a *brade* ora, limes, & hoc a *frieden* munire, quia palbebræ oculos muniunt & cingunt, & ipſæ ſunt (ut Cicero ait Lib. 2. de nat. Deor.) *tanquam vallo pilorum munitæ*. Et ex hoc genuino cætera tam vetera quam nova dicuntur corrupta, in Præf. ad Collect. Etymol. pag. 12. Verum, ſicut *augenbreme* absque exemplo veteris & noſtri ævi aſſumitur, quamvis commode dici poſſe largiar: ita *augenbrade* non eſt palpebra, & multo

multo minus ſupercilium, ſed ictus oculi, a *barten* cædere. VEREL. in Ind. *auga-bragd* momentum vel motus oculi. LEIBNITIUS in Gloſſ. Chauc. *augenbraden*, Scandis *auga-bragd*, momentum, quod noſtris *augenblik*. Sane *bricht* eſt ictus aliquis in antiquo Germanico. Hæc ille, quamvis haud exacte. Nam *bricht* & *bragd* ſunt voces per epenthesin vitiatæ e genuina *brade*. Contra *augbraun* nullo laborat vitio. Nam *braun* idem eſt quod Scandicum *brun* margo, limbus, extremitas rei, quod ſiſtit VERELIUS in Indice ex Grammatica Runolfi, addens *kant* tanquam ſynonymum. Supercilia autem ſunt limbi oculorum, & ſic vocantur, non a *breme*, quod in vitio jacet, ſed a Græco προμνεω finire, terminare. Interim *augbraun* non eſt confundendum cum *augenbrün*, quod fecit LOCCENIUS in Antiq. Sueo-Goth. Lib. III. cap. 2. Illud ſupercilium, hoc palpebras notat, de quo paulo infra.

AUGEN, cernere, videre, *be-augen* oculis luſtrare, *ge-augen* & contracte *gucken* ſpectare, *ſtarraugen* defixis oculis intueri. Nova, ſed idonea, ab *aug* oculus. Similiter Græcis ab ὀυγαὶ lumina fit ὀυγάζεω intueri.

AUGEN, apparere, oculis objici. Ex eodem fonte. Gloſſ. Keron. appareat *keauge*. Angloſaxones utuntur compoſito *æt-eowian*, *ætywan*, quod eſt ab *æt* ad, & *eage* oculus, litera G. ut ſæpe alias, in W. transmutata. Evang. Angloſaxon. Marc. IX. 4. *tha ætywde him Helias mid Moyſe*, tunc apparuit illi Elias cum Moſe. Luc. IX. 8. *ſume ſædon that Helias ætywde*, quidam dicebant quia Elias apparuit. Hodie ſuperat in formula, *es ereuget hierous* hinc apparet.

AUGEN, oſtendere, manifeſtare, facere ut appareat. Verbum faceſſens ex præcedenti. Gothis *augjan* & *ataugjan* eſt oſtendere, *ſik ataugjan* apparere, viſui ſe offerre, *ataugith warthan* oſtendi, apparere. Joh. XIV. 8. *augei uns thana attan*, oſtende nobis patrem. Luc. IX. 8. *ataugida ſik Helias*, apparuit Elias. Proprie oſtendit ſe, viſendum ſe præbuit. Marc. IX. 4. *ataugiths warth im Helias*, apparuit illi Elias, id eſt, oſtenſus eſt. Similiter & Angloſaxonibus *eowian*, *æteowian* eſt oſtendere, *otheowod* oſtenſus, *eowunga* coram, palam, publice, h. e. manifeſto, ad oculum. Luc. XX. 24. *ywath me anne peninc*, oſtendite mihi denarium. Matth. VIII. 4. *gang æteowe the tham ſacerde*, vade oſtende te ſacerdoti. Quibus conſentiunt Gloſſæ Alamannicæ apud Keronem: demonſtrare *keaucken*, demonſtrat *keaugit*, oſtendat *keaucke*, oſtendunt *kaaugont*, monſtrabatur *keaugit uuirtun*, apparuit *keaugit uuard*. Proprie monſtrabatur. Huc etiam ſpectant Gloſſæ Francicæ apud Lipſium: *Oigi* oſtende, *ougoda* oſtendit, *ougon ſal* oſtendam. Utitur quoque ſimplici ſæpiſſime OTFRIDUS. Lib. II. Cap. III. 39.

Uuio mag thaz ſin ſirlougnit,
Thaz himil thero uuorolti ougit.

Quſ poteſt abſcondi,
Quod cœlum mundo oſtendit?

Quaſi dicat, cœlum quis dicere falſum audeat? Idem Lib. IV. Cap. XVIII. 53.

Ni tharft es, quadun, lougnen,
Thin ſpracha ſcal thih ougun.
Noli, inquiunt, hoc inficiari,
Loquela tua te manifeſtat.

Hodie utimur compoſito *ereugen* eodem ſenſu. Sic vulgo dicimus, *es ereuget ſich eine gelegenheit*, occaſio ſe offert, puta conſpiciendam. Plura vide in voce.

AUGEN-BLICK, tempus breviſſimum, quod *ictu oculi* definitur. Non certe a *blicken* ſpicere, quod eſt intuentis, ſed a *plagen*, πλήγεω, cædere, ferire, quod eſt palpebras collidentis. Nam hinc recte fit *blick* & πλήγη, ictus, percuſſio. Angloſaxones vocant *eages-prince* & *prince-eages*, quaſi punctum oculi, a *priccan* pungere, quod hodie ſuperat apud Anglos in *to prick*. Nec alia ſententia ſubeſt compoſito *augen-brade*. Latini *momentum* vocant quaſi movimentum, & *ictum* oculi ab *ico* ferio.

AUGEN-BRADE, ictus oculi. Vindicias vocis vide in *aug-braunen*.

AUGEN-BRUN, palpebra. Utitur Luth. Hiob. III. 9. *und müſſe nicht ſehen die augenbrün der morgenröte*, nec videbit palpebram auroræ. Proprie eſt tegumentum oculorum, a *brün* tegumentum. Differt a Suecico *ögnabryn* & Germanico *augbraun* tam origine quam ſignificatu. Nam hæc compoſita notant ſupercilia, quæ certe non ſunt tegmina, ſed limbi oculorum.

AUGEN-LIDER, palpebræ. Proprie tegmina oculorum, a *lid* opertorium, ſicut dudum obſervavit MARTINIUS, cui *augenlied* & *augendekel* ſunt ſynonyma idem ſignificantia, nempe oculorum tegmen & operculum. Compoſitum novum, ſed naturam rei exprimens. CICERO Lib. II. de nat. Deor. *Palpebræ, quæ ſunt* TEGUMENTA OCULORUM, *molliſſimæ tactu, ne lederent aciem, aptiſſime factæ, & ad claudendas pupillas, ne quid incideret, & aperiendas.*

AUGST, meſſis. Belg. *oogſt*, Gall. *août*. A menſe *Auguſto*. Ethinc porro *augſten*, Belgice *oogſten*, ſegetes ſuccidere.

AUGST-MONAT, menſis Auguſtus, tempus menſtruum, quo fruges demeruntur. Cambris *awſt*, Armoric. *eawſt*, Gall. *août*, Belg. *oogſtmaand*. Ab *augſt* meſſis. Franci hunc menſem auctore Carolo appellabant *aran-manot*, quaſi menſem ſpicilegii, ab *arn* meſſis: Angloſaxones *weod-monath* quaſi menſem zizaniorum, quod herbæ noxiæ, quæ illis *weod*, hac tempeſtate maxime abundent. Vide EGINHARDUM in vita Caroli, & BEDAM de Tempor. ratione Cap. 13.

AUR, *ur*, ferus, ſilveſtris, interprete ECCARDO in not. ad Leg. Sal. pag. 69. & STADENIO in Voc. Bibl. pag. 842. Latino-Barbari dicunt *urus* eodem ſenſu. Inde *ſus urus*

aper, apud CANGIUM in Gloſſario. Olim exiſtimavi, *ur* eſſe ſyncopatum ex *vor* ante, præ, & nominibus animalium præfixum proprie denotare animal magnum, ſtupendum, & quod in ſuo genere principatum tenet. Sed nunc telam meam retexere cogor, quoniam ſignificatus, quem nunc adopto, ex nominibus ferarum compoſitis ſatis clare cognoſcitur. Hujusmodi ſunt,

arwerno, aper. Lex Sal. Tit. XXXVI. 6. *arwernon* aprum. Ita vocem Malbergicam ex ipſa Lege explicat ECCARDUS, & recte. Nam *wern* antiqua Francorum lingua eſt verres, ut demonſtravi in voce *warnio*. Hinc *arwerno* vel *urwerno* (quod idem, ob continuam vocalium permutationem) erit verres ſilveſtris, h. e. aper.

aur-ochs, ur-ochs, bos ſilveſtris, cujus ſynonymum eſt *ein wilder ochs*, Anglice *a wild bull*, Angloſaxonice *wild oxa* in nom. ferarum apud ÆLFRICUM.

urſau, *urſchwein*, porcus ſilveſtris.

urbær, *urkempe*, verres ſilveſtris.

urkatte, felis ſilveſtris.

aur-han, urogallus, gallus ſilveſtris.

Videamus quo ſenſu? FRISCHIUS *auer* (ſic enim ſcribit, quamvis vitioſe) derivat ab *au* pratum, paſcuum, quod refellit STADENIUS. Ipſe videtur ſenſum modo ab *irre* iratus, modo ab *u-ren* non-caſtratus, transferre ad ferum. Mihi *ur* videtur abſciſſum a Gr. ὄρειος montanus, ſilveſtris.

AUR, *ur*, bos ferus. Latinis *urus*. Primus *uros* nominavit Cæſar, poſtea Virgilius, Plinius, & alii. c. CÆSAR de feris ſilvæ Hercyniæ L. VI. de B. G. *Tertium genus eſt eorum, qui* URI *appellantur; ii ſunt magnitudine paulo infra elephantos ſpecie, & colore. & figura Tauri.* VIRGILIUS Georg. II. 374. *Sylveſtres* URI *aſſidue, capreæque ſequaces.* PLINIUS Lib. VIII. Cap. 15. *Germania gignit inſignia boum ferorum genera, jubatos biſontes, excellentique vi & velocitate* UROS, *quibus imperitum vulgus Bubalorum nomen imponit.* MACROBIUS Lib. VI. Saturn. Cap. 4. *Nec non & Punicis Oſcisque verbis uſi ſunt Veteres, quorum imitatione peregrina verba non reſpuit, ut in illo,* SYLVESTRES URI ASSIDUE; URI *enim Gallica vox eſt, qua feri boves ſignificantur.* SERVIUS ad Georg. URI *boves agreſtes, qui in Pyrenæo naſcuntur, monte poſito inter Gallias & Hiſpanias. Sunt autem, exceptis elephantis, majores cæteris animalibus: dicti* URI ἀπὸ τῶν ὀρῶν, *id eſt, a montibus.* Vocem Romanos a Gallis vel Germanis, non hos ab illis accepiſſe, recte judicat Macrobius. Quamvis autem *ur* ſe ſolo non ſit taurus, nec taurus ſilveſtris, dici tamen ita potuit antiquitus, ſive per excellentiam, ob inſignem naturæ feritatem, & quod, ut CÆSAR ſcribit, *nec homini, nec feræ, quam conſpexerit, parcat*, ſive per apocopen ab *ur-oxa* bos ferus. Nam vulgus, uti vocabula primo componit, ita rurſus diſſolvit, & truncatis tanquam integris utitur.

AUS, præpoſitio, quæ Græcis effertur ἐκ, Latinis *ex*, Gothis *us* Marc. IX. 17. *ains us thizai managein*, unus ex turba. Luth. *einer aus dem volck.* Angloſaxones utuntur particula *of*, Franci & Alam. particulis *er* & *fon*. Gloſſ. Keron. ex *er*, ex alio *er indremu*, ex affectu *fona minna.*

AUS, adverbium ejusd. ſignif. quod Gothis effertur *us*, *ut*, Angloſaxonibus *ut*. Francis & Alam. *uz*. Ita Gothis *usdreiban* eſt ejicere, *utbairan* efferre, Angloſaxonibus *utſendan* emittere, Francis & Alam. *uzgangan* exire. De hujus particulæ latiſſimo uſu & ſignificatu in compoſitis actum in PROLEGOM. Sect. V.

AUSBUND, optimum & præſtantiſſimum in ſuo genere, *ausbündig* optimus, eximius, excellens. Angloſaxonibus *beond* eſt ens, a *beon* eſſe, unde nos habemus *bin* ſum, *biſt* es. Hinc *ausbund* proprie eſt ens exquiſitum & a communi ſorte exemtum, ab adverb. qualitatis *aus*, quatenus *extra* ſignificat, non ratione loci, ſed ratione præſtantiæ. Qui hoc compoſitum a *bunt* varius, vel *binden* ligare deducunt, videntur mihi circa fores errare.

AUSBUTZER. V. *butzen* mundare.

AUSERKOREN, præelectus. Refer ad *küren* eligere. *Er* eſt adverb. ſegregandi, *aus* adverb. ordinis.

AUSMERGELN, emacerare. Refer ad *mark* medulla.

AUSMERZEN. V. *merzen.*

AUSREDE, excuſatio. Ectypon Latinæ vocis, ab *aus* ex, & *rede* ratio, cauſa, quod vide.

AUSRICHTEN, exequi. Refer ad *richten* facere.

AUSROTTEN. V. *rotten.*

AUSSATZ, lepra. Novum. HENISCHIUS Medicus Auguſtanus in Theſ. L. Germ. *auſſatz von auſſetzen.* Qua etymologia videtur innuere, lepram dici, velut ſedimentum vel excrementum in cute, vel quod extra cutem corticis inſtar ſe poſuit, a *ſetzen* ponere. MARTINIUS in voce *lepra:* Germanis *ausſatz* eſt quaſi *extra-poſito*, quia malo illo affecti extra ſanorum hominum ſocietatem ponuntur, etſi etiam vox illa referri poſſit ad cutis reſolutionem in ſquamas. Gothice vocatur *thrutsfill* Matth. VIII. 13. ab aſperitate cutis judice JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 355. Angloſaxonice *breoſta* ibidem, Francice *ruf*, quo ſenſu, vide in *ruſe* cortex ulceris.

AUSSEN, extra, foris, foras. Heb. *huz*, Græc. ἐξω, Goth. *ut* Joh. XI. 43. *uta* Marc. XI. 4. *utana* Marc. VIII. 23. *uzathro* Marc. VII. 15. Angloſax. *ut*, *ute*, Franc. & Alam. *uzze*, *uzzan*, *uzzana*. Gloſſ. Keron. foras *uzze*, *uzzaan*, *uzzana*, extra *uzzana*. Ab adverb. locali *aus*, quatenus præſentiam in loco excludit. Dicitur & *hauſſen* cum adſpiratione, quod vel idem ut *auſſen*, vel contractum ex *hie-auſſen.*

AUSSER

AUSSER, *euſſer*, exterior & exterius, *euſſer vorhof* exterius atrium Ezech. XL. 17. Comparativus a poſ. *auſſen* extra. TATIANUS Cap. XLVII. 7. *kind theſſes ribbes ſint furuuorphan in thiu uzarun ſinſtarneſſ*, filii hujus regni ejicientur in tenebras exteriores. A comparativo eſt ſuperlativus antiquus *uzoroſt*, & hodiernus *euſſerſt*. Gloſſ. Keron. extremitate *uzoroſti*. Ad eandem familiam ſpectant, *auſſerhalb* extrinſecus, *euſſerlich* externus & externe, *ſich euſſern* exterius præ ſe ferre, imo etiam fugere & vitare.

AUSSER, excepto. Adverb. excludendi, quod Gothis effertur *uſja* Joh. VI. 22. Alamannis *uzzan*. Gloſſ. Keron. excepto *uzzan*. Inde *ſich euſſern* retrahere ſe ab uſu rerum vel perſonarum. Angloſaxonibus *butan*, *buton*, ſignificat præter, extra, absque, quod videtur contractum ex *bi-uten*. Belgæ hodie dicunt *buiten*.

AUSTER, conchylium marinum, Gr. ὄστρεον, Lat. *oſtrea*, Armor. *iſtr*, Angl. *oyſter*, Belg. *oſter*, Gall. *huiſtre*. Cuncta Græcæ originis, ſive ab ὀστέον os, ſive ab ὄστρακον teſta. Nam oſtrea eſt piſcis teſtaceus, & oſſeo tegumento a natura munitus. Hinc alio & domeſtico vocabulo *ſchal-fiſch* dicitur.

AUSTRAG, terminatio litis. Vide verbum forenſe *tragen*.

AUW, *auwe*, pratum, campus paſcuus. Proprie eſt locus irriguus, ab *au*, *ea*, *aa*, *eau* aqua, per medium derivandi W. quod in ſcriptura non debet omitti. De hoc ſignificatu vide plura in *ach* & *acha*. Inde Latino-Barbaris *Augia* (mutato W. in G.) campus paſcuus amni adjacens, judice CANGIO. Quod admitti poteſt, ſi quædam dentur AUGIÆ mere campeſtres. Nam alias *Augia* idem eſt quod Angloſaxonibus *ig*, Hibernis & Friſiis *oge*, h. e. inſula Qui ſignificatus cum altero non debet confundi. De eo vide plura in *eye* inſula. Unde noſtri acceperint *auw*, aut quibus dicendi auctoribus, non liquet. Nam in monumentis veterum deſideratur. Vocem Gothicam & Angloſaxonicam vide in *wang*, Francicam in *weide*.

AXE, *achſe*, lignum teres circa quod rota currus volvitur. Angloſax. *eax*, Franc. *ahſa*. Gloſſ. Pez. axis *ahſa*. A Lat. *axis* vel Gr. ἄξων, & hoc ab ἄγειν agere, impellere, quia rotam ſecum rapit. Cambri utuntur deminutivo *echel*, Angli compoſito *axel-trée*.

AXT, ſecuris. Gr. ἀξίνη, Lat. *aſcia*, Goth. *aquizi* Luc. III. 9. Angloſax. *æx*, *eax*, *æcſe*, *acſe*, *acas*, *acaſe*, Francis *acus*, *acches*, Belg. *ackſe*, *axe*, *eckſe*, Angl. *an ax*, Suec. & Island. *yxa*, Germ. inf. *æxe*. Gloſſ. Æliſ. in nom. arb. ſecuris vel ſeceſpita *æx*, dolabrum *brad-ex*, bipennis *twi-bille* vel *ſlan-æx*, aſcia *adeſa*. Lege *aceſa*. BENSON. in Voc. Angloſax. *acas*, *acaſe* ſecuris. VEREL. in Ind. *bolyxe* ſecuris major ad truncanda ligna. NOTKERUS Pſal. LXXIII. 6. *ſie hiuuen eimmuoto die ture mit accheſon*, exciderunt conſpiranter januas ſecuribus. TATIAN. Cap. XIII. 15. *giu'ſt acus giſezſit zi uuorzulum thero buomo*, jam ſecuris poſita eſt ad radicem arborum. Cuncta ejusdem cognationis, vel ab *hacken* cædere, ſecare, vel ab *ecke* acies, mucro. Nam hinc recte fit *eckſe*, *axe*, *yxe* inſtrumentum ſecans, per medium derivandi *ſe*. Ab his cætera videntur corrupta, quod in vocibus ſæpe nominandis frequenter contingit. Hoc malo, quam longo rudente petere ab Heb. *kazach* abſcidit, detruncavit, quod HELVIGIUS affert pro etymo.

AZEL, pica. Forte diminutiv. ab *hatze*, *hetze* avis garrula. Nam quidam Lexicographi conjungunt *atzel* & *hetze* tanquam ſynonyma.

AZEN, cibare. V. *æzen*.

AZ, AZUNG, alimonia. Refer ad *æzen* cibare, victum ſuppeditare.

B.

BACCALAUREUS, vel *bacalarius*, qui primum in ſtudiis academicis gradum & publicum doctrinæ teſtimonium conſecutus eſt. An a lauro, quæ Muſis & Apollini ſacra? Sed quorſum baccæ? Hæc multorum judicio aliena ſunt, eoque magis quod hiſtoriæ habenda ratio, quæ vix firmabit etymon a bacca lauri deſumptum. Nam quod CALEPINUS exiſtimat, appellationem *baccalaureis* ex eo eſſe, quod iis olim corolla ex lauri baccis nexa imponerentur, probatione eget. MARTINIUS, unde hæc decerpſi, nos ad *batalarios* remittit, laudatque LUDOVICUM VIVEM, qui teſtatur: *in palæſtra literaria* BATALARIUM *capiſſe nuncupari Lutetiæ*, *qui publice de arte quadam diſputaſſet*. Hoc eſt, batalliaſſet, pugnaſſet, nomine a tyronibus ad eruditam militiam translato, ſed poſtea corrupto. SPELMANNUS laudat etymon RHENANI, qui *bacalarios* a *baculo* dictos aſſerit, quod primi ſtudii auctoritas per exhibitionem baculi concederetur: ſed genuinum eſſe, non audet affirmare, quod in gradibus ſcholaſticis conferendis baculi miniſterium nondum reperiſſet. Vide annon vox ſit Saxonica, a *boc* liber, biblia, & *lareow* doctor compoſita? Nam *baccalaurei* erant Theologiæ candidati primi generis, qui ad curſum Theologicum explicandum admittebantur, primo *Bibliorum*, deinde *Sententiarum Lombardi*, unde nata diſtinctio apud majores, ut Baccalaureorum alii *Biblici* alii *Sententiarii* nuncuparentur, ut me docuit CANGIUS. Quid obſtat, quo minus appellatio a prioribus illis ducatur, & baccalaureus ſit *doctor biblicus*? Differunt autem tam nomine quam inſtituto a *bacalariis* ordinis militaris, quorum etymon nemo felicius aſſecutus eſt CLAUDIO FAL-

CETO, viro in Antiquitatibus Francicis verſatiſſimo, cui *bacheliers* (unde *bacalariis* apud Latino-Barbaros nomen) ſic appellantur quaſi *bas chevalliers*, quod equitibus dignitate inferiores eſſent. Vide Gloſſarium Cangianum Tom. I. pag. 468.

BACH, rivus, parvum fluentum. Vox Saxonica. Angloſaxonibus *becc* apud BENSONIUM. Suecis *baeck*, Belg. *beek*, Angl. *becke*. Viget etiamnum in littore Galliæ Saxonico in multis locorum nominibus, cujusmodi ſunt *Briquebec*, *Caudebec*, *Brudebec*, aliisque apud HUETIUM in Originibus Cadomenſibus. Proprie eſt aqua fluens, ſive ab Heb. *pakah* manavit, quod pro etymo adduxit HELVIGIUS, ſive a Gr. παγαὶ aquæ. FESTUS in voce *Pagus: Aquæ Lingua Dorica παγαὶ appellantur*. Alii tamen hæc tanquam peregrina faſtidiunt, etiamſi ſint apta & antiquiſſima. Vulgo componi ſolet ex præfixo *bei* & *ach* aqua, ſed frigide nimis, cum rivus non ſit proxime aquam, ſed ipſa aqua. Adde quod *bei-ach* nunquam fuerit in uſu, ut *bach* inde collectum aut confectum dici queat. Latinis rivus interdum eſt alveus per quem aqua decurrit. Hinc STADENIO in mentem venit, rivum appellari *bach*, quaſi *back* alveum, ob ſimilitudinem cum lintre, in Voc. Bibl. pag. 101. Quæ ſententia originem Germanicam, ſi quæ eſt, melius tuetur. FESTUS, quem modo excitavi, a voce Dorica deduxit Latinam *pagus*. *Pagi*, inquit, *dicti a fontibus, quod eadem aqua uterentur*. Ita Φρατρία eſt cœtus hominum communi puteo utentium, ſi derivatio inſtituatur a Φρέαρ puteus.

BACH, tergum, pars corporis poſterior. Vox antiquiſſima, cujus permulta ſuperſunt veſtigia in omnibus Dialectis, non domi tantum, ſed etiam foris. Gothis *ibukai* eſt retro, Joh. VI. 66. Angloſaxonibus *bæc* tergum, *on bæc* a tergo, retrorſum, *bæc-theurm* anus, inteſtinum longum, *bæc-thearmes utgang* procidentia ani. Similia habent Franci & Alamanni, Gloſſ. Boxh. *indi bah* poſt tergum. Hinc illis derivata, *abahon* pervertere & averſari, *abahe* pravi & perverſi, *apohheit* averſio & perverſio. Gloſſ. Keron. perverſas *abahe*, pravorum *abahere*. Quæ innumeris poſſem citationibus extendere, niſi hæc propoſito ſufficerent. Miratur PALTHENIUS, tot peſſimos ſignificatus in unam vocem confluere. Verum ſi ad radicem *bah* attendiſſet, nullus fuiſſet admirationi locus. Nam ab hac radice neceſſario editur partus matri ſimilis, ope præfixi *a*. quod ſenſum intendit. Francos excipiant Septemtrionales & Sorabi. VERELIUS in Ind. *bak* poſt, *bak* dorſum, *a bakenu* a dorſo. FRENZELIUS in Orig. Sorab. *wopaki*, *wopako* retro, retrorſum. Nec deſunt hodie Dialecti, in quibus eadem vox uſurpatur. Nam Danis *bag* eſt tergum, Anglis *back* a tergo, Islandis *back* tergum, teſte JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 207. Germanis ſuperat in diminutivo *buckel* dorſum, & reliquis quæ ſequuntur. Græci a *back* videntur habere Φεύγω fugio, quia fugere eſt tergum vertere.

BACH, porcus ſilveſtris, olim etiam domeſticus. Germ. inf. *bak* & *baker*. KILIANUS in Etym. Belg. *backe*, *baecke* porcus, *baeckvleeſch* caro ſuilla. Et ab hoc ſenſu Latinitas infima formavit ſuos *bacones*, hoc eſt, porcos ſaginatos. Quod poſtea ad *petaſones*, mox etiam ad *lardum* in genere extenſum eſt. Hinc lardum Cambris dicitur *baccwn*, Anglis & Franco-Gallis *bacon*, Germanis *ſpeck* ſibilo præfixo. Cuncta per ſyncedochen a *bach* tergum, ſenſu a tergo ad porcum, a porco ad petaſonem, a petaſone ad lardum translato. Sane nomen totius ſæpe adhæret parti præſtantiori, & viciſſim nomen partis præſtantioris ſæpe communicatur integro. Dubium autem non eſt, quin tergus ſit major & melior pars porci, ſicut lardum tergoris.

BACH-SCHWEIN, idem quod *bach* porcus ſilveſtris, proprie tergus ſuillum, ut bos tergus bubulum apud Poëtas. Niſi forte ſit a Celtico *bach* parvus, quo hodie utuntur Cambro-Britanni. Nam venatoribus *bach-ſchwein* eſt porcus bimus & minor, niſi me fallant libri de re foreſtaria ſcripti.

BACH-STELZE, motacilla. A *bach* rivus, & *ſtælcan* grallare, quod Angloſaxonicum, quia magnis paſſibus grallatoris inſtar oberrat circa rivos, & pedes longos habet, grallis quam cruribus ſimiliores. Belgæ eandem vocant *quikſtaert*, quaſi codetremulam, a motu caudæ continuo.

BACK, linter, ſcapha. Armoricis *bac* apud PEZRONIUM in Ant. Celt. pag. 423. Belgis *bak*. Forte idem quod *bak* alveus, vas cavum. Confer *bauch* venter.

BACKE, collis, tumulus. Græcis πάγος, & inde *Areopagus* collis Martius. Senſus vocis antiquiſſimus, qui hodie perennat apud Suecos, quibus *backa* collis & clivus, *backigh* clivoſus. Et hinc *backar* Sagarum Scriptoribus ſunt ripæ & crepidines, quia editæ & clivoſæ, apud VERELIUM in Indice. Forte a curvatura. Nam *biegen*, *beugen*, *biigen* eſt curvare, convexum facere. Et colles quid ſunt niſi convexitates e planitie prominentes? Germani utuntur diminutivis *bübel* tumulus, *buckel* gibbus, monticulus in dorſo. Utrumque ex eodem fonte.

BACKE, gena, mala. Vox Celtica, quæ Cambris & Armoricis effertur *boch*, apud BOXHORNIUM in Lex. Ant. Brit. Latinis *bucca*, Alamannis *bahhon* in compoſito *chinni-bahhon* maxilla, apud KERONEM in Gloſſis. Senſus a collibus ad genas translatus, quia genæ inter oculos & mentum tanquam monticuli molliter inſurgunt. Hinc etiam lingua Francorum colliculi vocantur. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. Corp. genæ, inferiores partes oculorum, *hiuſilon*. Quod eſt ab *bübel* collis, & hoc ab *heben* levare. Quia ſcil. genas maxime commendat *non indecens tumor in ſimilitudinem collium leniter exurgens*,

gens, ut verba LACTANTII ſonant, JUNIO obſervata in not. ad Will. pag. 34. ubi plura veterum teſtimonia de hac Francorum appellatione ſiſtit. Auctor etymologiæ eſt STADENIUS, quem nominaſſe eſt laudaſſe, in Voc. Bibl. pag. 101.

BACKEN, pinſere, conficere panem. Angloſax. *bæcan*, Franc. *pachan*, Belg. *bakken*. BENSONIUS in Vocab. Angloſax. *bæcan* panes coquere, *bacen* piſtus, *bæc-ern* piſtorium, *bæceſtre* piſtrix, *bæc hus* piſtrina. Gloſſ. Pez. crudi panes *unchipachaniu proth*, panificas *pecchun*. Cuncta a Phrygio *bek*, quod teſte HERODOTO Lib. II. cap. 2. panem ſignificat. Germani ſervant hoc primitivum adhuc in voce *weck*, ſimili ſignificatu. Obſervari meretur, quod inventum frumenti, agriculturæ, & panificii, magno veterum conſenſu PHRYGIBUS tribuitur: cujus rei demonſtrationem Diſſertationi *de Origine Gentis & Linguæ Germanicæ* reſervamus. Unde mirum non eſt, Phrygiam vocem cum Phrygio invento alicubi perennaſſe, eidemque conſtanter adhæſiſſe, præſertim apud populos Germanicos. Hos enim e Phrygia oriundos eſſe, & Phrygio ſermone uti, non ſolum ex hac voce, ſed etiam ex pluribus aliis colligit doctiſſimus & in Antiquitatibus humani generis perveſtigandis & illuſtrandis magno cum veritatis fructu, dum viveret, verſatus, R. Abbas PEZRONIUS, in Ant. Celt. pag. 298. Cum Phrygia voce *bek* conſentit Hebræa *bag* cibus, eſca, & Græca *φάγω* comedo. Quæ videntur ex primigenia hominum lingua, tanquam ex communi theſauro manaſſe. Interim *backen* magnum agit vocabulorum agmen in Lingua Germanica, cujusmodi ſunt, *becke* vel *becker* piſtor, panifex, *back-ofen* furnus panarius, *back-trog* de quo paulo poſt, *backwerk* collyrides, torta panis, & alia, quæ in omnium ore ſunt, & Phrygiam originem palam teſtantur. Ex eodem fonte doctiſſ. THIEBERUS in Prodromo Lex. Etym. deducit nomen Deæ VACUNÆ, eleganti conjectura, ſi demonſtrari poſſit, vacunam fuiſſe Deam panificii.

BACKEN, frigere, torrere. Senſus a panibus petitus, & omnibus eſculentis communicatus. Quæ res novæ translationi ad non eſculenta anſam dedit, quod toſtis ſimilia eſſent. Ita Latinis *coquere* non ſolum de cibis, ſed etiam de lateribus dicitur.

BACK-TROG, mactra, proprie alveus piſtorius, in quo maſſa farinacea pinſitur & ſubigitur. FRISCHIUS in Fundam. L. Germ. pag. 248. notat lepidum errorem MENAGII, qui *backtrog* interpretatur *vaſe à boire*, vas potorium. Unde hoc hauſerit, non liquet. Certe a lingua Germanica alienum eſt, & multo magis a moribus Germanorum, qui etiamſi ſint ſtrenui potatores, non ſolent tamen bibere ex mactris.

BAD, balneum, lavacrum. Angloſax. *bæth*, Franc. *bad*, Alam. *pad*, Angl. *bath*, Belg. *bad*. Gloſſ. Keron. balneorum *pado*. Gloſſ. Pez. termis *padaſtetin*. Refer ad verbum ſuum.

BADEN, lavare. Angloſax. *bæthan*, Franc. & Alam. *badon*, *padon*, Angl. *to bath*, Belg. *baaden*. Gloſſ. Pez. baptizavit *padota*. Teſtimonia OTFRIDI vide apud SCHILTERUM in Gloſſ. pag. 71. Cuncta a Phrygio *Βέδυ* aqua. Quid enim eſt lavare, niſi aqua abluere vel perfundere? Vocem Phrygiam producit CLEMENS ALEXANDRINUS ex Orpheo & Didymo Grammatico Lib. 5. ſtromatum: *Dicit* (Didymus) *Phrygas aquam vocare* BEDY, *ſicut etiam Orpheus:*

Nympharumque BEDY *promanat limpida lympha.*

Ill. LEIBNITIO in Gloſſ. Celtico *baden* eſt aqua profluente ablui, ubi vadum, a Celtico *bait* vadum. Mihi Phrygia origo magis probatur. A *baden* rurſus fit *bad* lavacrum.

BADEN, luere, *ausbaden* ſatis pati, pœnas pendere pro crimine. Verbum paucis Dial. uſitatum, factumque ab Angloſax. *bot*, *bote* compenſatio, ſatisfactio, emendatio per pœnam. Confer *büſſen*.

BÆHEN, fomentare, *bæhung* fomentum, *gebæhet brot* panis toſtus. VEREL. in Ind. *bakaſt* ſe calefacere. Græcis *βῶ* eſt caleo. Inde fortaſſe Latinis *bajæ* thermæ, & nobis *bæhen* fomentare, facere ut caleat.

BÆR, animal, beſtia domita & indomita, ampliſſimo ſignificatu. Vocem ex primitiva Lingua in reliquas fluxiſſe, & variis deinceps flexionibus & mutationibus affectam, diverſis animalium ſpeciebus adhæſiſſe, probant innumera in omnibus Linguis, ſi ſono credimus, veſtigia. Hebræis *par* eſt bos, *pere* onager, *pered* mulus. Chaldæis *beira* elephas, qui Indis *barre*, Sabinis & Latinis *barrus*, & inde *barrire*, apud MEGISSERUM in Theſ. Polyglotto. Arabibus *phar* juvencus, *phirar* pullus ovis, capræ, vaccæ, apud Clariſſ. HASÆUM in Bibl. Brem. Claſſ. VI. pag. 182. Græcis *φηρ* fera, *πόρις* vitulus, *βάρα* pecora, *βάρεων* ovis, apud HESYCHIUM ex ejusdem obſervatione. Huc etiam ſpectant eodem judice Latina, *fera*, *verres*, *aper*, *porcus*, *vervex*, qui & *berbix*, unde Gallis *brebis*, item *veredus* & alia: nec non Hungaricum *barom* jumentum, & Bohemicum *beran* agnus. Similis confuſio dominatur in Dialectis noſtris tam recentibus quam antiquis. Angloſaxonibus *bar* eſt verres & aper, *bera* urſus, *bearh* majalis, *færh* porcellus, *farr* aper. Germanis *bær* verres & urſus, *eber* aper & verres, *farren* boves, *barch*, *borch*, *bork* porcus, *perd* equus. De Francis, Belgis & Anglis videbimus, ubi ſingula erunt excutienda. Nec mirum videri debet, tot diverſa ſono confundi. Nam hoc in aliis quoque nominibus uſu venit apud omnes fere gentes. Græci & Latini aprum & hircum miſcent in nominibus *κάπρος* & *caper*. Cambris *ewig* eſt cerva, Latinis *ibex* rupicapra. Nec veriſimilitudine deſtituuntur, qui *elephantum* Græcis ſic vocatum putant ab Heb. *alluph* bos.

bos. Nam & Italia, quum primum vidiſſet elephantos Pyrrhi Regis bello in Lucanis, eosdem *boves Lucas* appellavit, & dentes eorum *cornua*, teſte PLINIO in Hiſt. Nat. Lib. VIII. 6. Græcis ὄρνις eſt avis, Germanis *arn* aquila. Latinis *picus* & *pica* ſola terminatione, *lupus* & *vulpes* ſola literarum tranſpoſitione diſtinguuntur. Quid dicam de *caprea* & *capra*, de *hinnulo* & *hinno*, de *cato* & *catulis*, de *bubone* & *bubone*, aliisque pene indiſcretæ ſimilitudinis vocabulis? Eandem confuſionem obſervare licet in regno Plantarum. Græcis ἄπιος eſt pirus arbor, Germanis *appel* fructus arboris, nec ejusdem, ſed mali: Latinis *pomus* ſpecies arboris, Germanis *baum* quævis arbor. Cambris *derw* quercus, Angloſaxonibus *triw* arbor, non quercus. Vides, quam difficilem provinciam ſuſcipiat is, qui in iſta rerum & verborum confuſione, de ſingulis rationem reddere præſumit. Senſum generalem in voce *ber* HASÆUS ducit ex fonte Hebræo ſimili Germanico *bæren* parere, ſic ut *bær* nihil aliud ſit quam animal vivum, pariens, fœcundum.

BÆR, urſus. Angloſax. *bera*, Angl. *bear*, Belg. *beer*, Danis & Suec. *biörn*, Scandis prioribus *biarn*. NOTKERUS Pſal. XLVI. 1. *perin* urſi. VEREL. in Ind. *biarn dyr* urſus, *biarneilur* urſinus calor, quo præditi quidam, frigus etiam intenſiſſimum non ſentiunt. JUNIUS in Obſerv. ad Will. pag. 178. ducit a Gr. βαιρὸς hirtus, villoſus, quo modo Latinis quoque *urſus* creditur ſic appellari quaſi *hurſus*, pilis horrens. Certe HESYCHIUS βαιρὸν exponit δασὺ, piloſum, villoſum. Ab hac fera florentiſſimam Helvetiorum urbem BERNAM, cum forte conditori ſylvam cædenti occurreret, nomen accepiſſe ferunt. Et hanc urbem ejusque originem & appellationem ante oculos habuiſſe SUIDAM in voce Βηρόνιον, exiſtimat doctiſſimus HASÆUS. Quid nobis videatur de *Berunio* Suidæ, vide in *bar* vir.

BÆR, porcus, ſylveſtris & domeſticus. Gloſſ. Ælf. in nominibus ferarum: aper *wilde bar*, verres *tam bar*. Quidam hunc ſignificatum derivant a Gr. βαρὺς gravis, ponderoſus, puta ob pinguedinem.

BÆR, porcus ſylveſtris, Lat. *aper*, Angloſax. *bar*, *bare*, & inde *bar-ſpere* venabulum, apud Lexicographos. Quod imitantur Angli in *bore*, *boar*, & *bore-ſpear*. Hodie utimur compoſito *eber*, quod vide.

BÆR, porcus domeſticus, integer & non caſtratus, Lat. *verres*, Saxon. *ber*, Longobard. *pair*, Lat. Barb. *verrus* in Lege Sal. a Carolo M. emendata Tit. II. 12. Lex Longobard. Lib. I. Tit. XXV. 47. *Si quis verrem alienum furatus fuerit - - - - qui dicitur* SONOPAIR. Cangius in voce Lectorem remittit ad *ſon* grex. Recte. Nam *ſonopair* eſt verres gregarius, ut oſtendi in *Sen* grex. In Statutis Hamburgenſibus, Lubecenſibus, Brunſuicenſibus, Bremenſibus, idem animal paſſim vocatur *beer*, & ſummopere cavetur, ne noxam dentibus ſuis faciat, aut ſi fecerit, ut damnum a Domino reſarciatur. Weſtphali etiamnum vocant *ber*, quod Germani ſuperiores extendunt in *beier*. Hic ſenſus duci poteſt a *bar* vir, quia verres eſt porcus ſaliens & mas ſuum. Similem nomenclaturam vide in *wider* aries. PLUTARCHUS verrem vocat βέβρην, non quod βέβρης ſit vox Græca, ſed quod vocem Latinam aliter exprimere non poterat. Locum Plutarchi emendat & reſtituit Franc. FABRICIUS Marcoduranus in Hiſtoria M. Tullii Ciceronis ad annum Ciceronis XXXVII. Denique & hoc obſervari meretur ab antiquitatis ſtudioſis, quod idem animal priſca Francorum lingua dicitur *warn* & *wern*, ſed ex alio fonte, ut infra oſtendi in *Warnio*.

BÆR, majalis, porcus caſtratus. Angloſax. *bearh*, *bearg*, *bearug*, Angl. *barrow-hog*. HASÆUS, quem ſupra laudavi, non dubitat, quin hujus vocis rudera extent in Latinorum *perna*, i. e. caro ſuilla, ut & in vocibus βορβαγοροσκία & βορταικοὶ, quarum priorem per χοιρεαι κρεαι, ſuillam carnem, & alteram μικρυς χοιρυς, i. e. porcellos, explicat HESYCHIUS. Sed hæc nunc mitto, quia parum faciunt ad originem Saxonicæ vocis declarandam. Propius eſt, ut *bær* ducatur a πηρὸς mutilus, verbi πηρεῖν mutilare. Nam ob eandem cauſam porcus caſtratus vocatur *bork* & *majalis*, & aries caſtratus *hammel*.

BÆR, geſtatorium quodcunque, *tragber* feretrum ex perticis oneri ferendo factum, *fiſch-bær* rete quo piſces portantur. Ita Suevi Trans-Danubiani, vel ſaltim municipes mei in Algovia, priſci ſermonis Alamannici tenaces. Franci eodem ſenſu dicunt *para*. Gloſſ. Pez. geſtatorium *para*. Differt a *bar* feretrum exequiale, ſicut genus a ſpecie.

BÆREN, ferre, portare. Verbum antiquiſſimum, & a Scythis, ut videtur, proſeminatum, quod Perſice effertur *borden*, Græce *Φέρειν* & *Φόρεω*, Latine ut ſupra, Gothice *bairan*, & in præt. imp. *bar* portabat, Joh. XII. 6. Angloſaxonice *bæran*, *beran*, & in imperf. *bær*, ibid. Francice *beran*, *peran*, *biren*, *buren*, Scandice *bera*, *bæra*, Anglice *to bear*, Sorabice *beru*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XX. 4.

Unz ih bin hiar in uuorolti
So bin ih lioht beranti.
Donec ero in hoc mundo,
Ero lucem ferens.

Inde compoſita Angloſaxonica, *dead-bære* mortifer, *bær-man* portitor, bajulus, *bær-diſc* ferculum, & alia bene multa, a notione ferendi manifeſto deſumpta. Hodie *bæren* Saxonicæ Genti, ſed inferiori, unice proprium eſt, dum apud reliquos Germanos fere exulat, etiamſi lingua ſuperioris Germaniæ absque hoc vocabulo intelligi non poſſit. Nam ab illo fiunt & derivantur,

bar,

bar, terminatio in compoſitis innumeris, ferendi ſignificatu pollens, ut demonſtravi in PROLEG.

bar, geſtatorium, Dial. Suev.

bar, feretrum.

bar-muter, matrix, quæ fœtum geſtat, quaſi mater ferens.

baret, mitra, geſtamen capitis.

bürde, onus.

pferd, equus, feretrum animatum.

Vide ſingula ſuis locis. Ad hanc cognationem ſpectant quoque exotica,

ber, terminatio Perſica in multis compoſitis, ferentem ſignificans, unde *beigam-ber* propheta, novi aliquid ferens. Cum quo conferendum *namwar* celebris, nomen inclytum ferens, in Præf. ad Germ. §. XVII. Item *bar* onus, in Lexico Turcico CLODII, pag. 487.

bar, *baris*, cymba qua mortuus effertur. Vox Ægyptia apud HERODOTUM Lib. II. cap. 26. & DIODORUM SICUL. L. I. pag. 61. & forte a Scythis proſeminata, quos aliquando Ægyptum tenuiſſe, JUSTINUS refert.

φῶρ, bajulus, ſervus ab onere ferendo.

φέρετρον, capulus quo mortuus effertur.

βάσις, pes columnam vel ſtatuam ferens, quaſi *βάρις*.

feretrum, idem quod *φέρετρον*.

ferculum, ſpolium quod in triumphis fertur.

vipera, anguis virus ferens.

veredus, equus ab onere ferendo, niſi malis referre ad *fareu* vehere.

fur, idem qui *φῶρ*.

verna, idem qui *fur*. Et alia innumera.

BÆREN, per ſynecdochen generis ſignificat quantum poteſt, *attollere*, *auferre*, *proferre* &c.

BÆREN, levare, attollere. Gloſſ. Pez. vade *puri dih*. Id eſt, leva te hinc. Gloſſ. Boxh. *ufburrenti* attollens. WILLERAMUS Cap. IV. 16. *bure dich nortwint* ſurge aquilo. Hodie ſuperat apud Belgas, quibus *beuren* tollere, attollere, *beur dat op* leva hoc in altum, *ſterk in t' beuren* validus in levando.

BÆREN, tollere, auferre, ſumere. Sorabis *beru*, apud FRENZEL. in Orig. Sor. pag. 1. qui tanquam conſonum adducit Heb. *baar* ſuſtulit.

BÆREN, proferre, producere. Actio terræ & plantarum. Inde Gothis *akran bairan*, & Angloſaxonibus *bleda beran* fructus ferre, in Evangelio utriuſque Gentis Joh. XV. 4. Similia habent Franci. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XXIII. 29.

Ubil boum birit thaz,
Thaz imo iſt to gislahtaz.
Arbor mala profert id,
Quod naturæ ſuæ conſentaneum.

Inde Angloſaxonibus *wæſtm-bære* fructifer, Alamannis *bernd baum* arbor frugifera, in Jure Prov. Cap. 357. Gothis *bagme unbairandane* arbor ſterilis, Luc. III. 9. Hodie quidem ceſſat, relictis tamen priſci uſus veſtigiis. Nam ab hoc verbo habemus, *ber* bucca, fructus arboris vel plantæ, *börde* tractus fertilis, & alia.

BÆREN, parere, parturire. Actio mulierum. Gothi delectantur compoſito *gabairan*. Sed & ſimplici uſos eſſe, teſtantur derivata, *baura* natus, Luc. VII. 28. *frambaura* primogenitus, Luc. II. 7. *berusjos* parentes, quod nonſolum de patre ſed etiam de matre dicitur Luc. II. 27. Joh. IX. 23. Angloſaxonibus quidem *cennan* eſt parere, ſed & *boren* natus, & *byrd* nativitas. Et hic verbi ſenſus apud Francos ubique obvius eſt. OTFRIDUS Lib. I. Cap. V. 45.

Thu ſcalt beran einan
Alauualtentan.
Tu paries omnipotentem.

TATIANUS Cap. V. 13. *uuirdun taga gifulte thaz ſiu bari*, impleti ſunt dies ut pareret. Cap. CCL 3. *ſalige ſint unberente, inti uuambun thie thar ni barun*, beatæ ſteriles, & ventres qui non pepererunt. Quibus conſentit Lat. *parere*. Olim deduxi a *bar* conſpicuus, quia parere eſt in lucem edere. Sed nunc aliter cenſeo. Nam *bæren* eſt fructum proferre & fœtum producere, & ideo a reliquis ſignificatibus non avellendum. Hodie utimur compoſitis *geberen*, *geburt*, & ſimilibus, quorum antiquitatem infra demonſtravi.

BÆREN, gignere, procreare. Actio virorum. Senſus Francis præcipue familiaris. OTFRIDUS Lib. I. Cap. III. 13. de Adamo:

Buenter in uuorolti
Uuas er liut berenti.
Habitator mundi
Procreabat homines.

TATIAN. Cap. V. 1. in Genealogia Domini: *Abraham gibar Iſaken*, *Iſak gibar Jacoben*, Abraham genuit Iſaac, Iſaac genuit Jacob. Inde Gothis *barn* gnatus, *berusjos* parentes, & Longobardis *fara* generatio, quæ originem ſuam ad utrumque parentem referunt. Inde Latinis *veretrum* membrum genitale, & Germanis *farren* boves genitores. Quibus convenit, Heb. *bara* creavit, procreavit, produxit. Ante ducentos annos idem verbum adhuc de viris dicebatur. MATHESIUS de Philippo Melanchtone: *Diſs iſt die ſelige ſchwartze erde, die Gott auch zum geiſtlichen bergwerck und ſchmeltzen verſehen, und von eim choreſch und büchſengieſſer geboren iſt.* Conc. XVI. de vita & Script. Luth. pag. 206. Hodie non amplius utimur hoc ſenſu, forte quia durum viſum recentioribus, ut idem verbum ad utrumque ſexum extendatur. Sed meminiſſe debemus, quod *parere* etiam apud Latinos de viris uſurpetur, ſicut *τίκτω* apud Græcos, & inde *parens* a *pario*.

BÆRN-HÆUTER, notum convicium, ſed ignoti ſignificatus. CLUVERIUS in Germ. Ant. Lib. I. Cap. ult. interpretationem vocis petit ex moribus Germanorum, de quibus

bus TACITUS: *Quotiens bella non ineunt, multum venatibus, plus per otium tranſigunt, dediti ſomno ciboque.* Hinc illi contumelia *bærnhæuter* nihil aliud ſignificat quam urſinarum pellium incubitorem, a *bær* urſus, & *haut* pellis. Et ne tantæ rei memoria intercideret, Germanos illos ſomno ſepultos æri incidi curavit, quæ inter icones duodecima. Verum cum pauci ſemper eſſent in Germania urſi, & alias veriſimilius ſit, priſcos illos ignavos textis vimineis incubuiſſe, propter proverbium *he is komen van der matten upt ſtro:* Hinc GERARDUS MEIERUS, Theologus quondam Bremenſis, maluit dicterium componere ex *bær* porcus, verres, & *hüter* cuſtos, ſic ut *bærnhæuter* ſit ſubulcus, ſive cuſtos porcorum. In qua etymologia, ingenioſa ſane & probabili, LEIBNITIUS nihil deſideravit, niſi ut oſtenderetur, nomen reapſe uſurpatum pro cuſtode porcorum. Vide Collectanea Etymol. ECCARDI pag. 309. & 312. Quænam ſententia alteri præferenda ſit, ex lingua Germanica nemo facile definiverit. Tanta enim eſt ejus circa hoc & alia convicia ubertas, ut, ſi quis animum ab urſis & porcis abducere velit, novam eamque commodam interpretationem facile reperturus ſit. Quid obſtat, quo minus *bærnhæuter* dicatur miſer & inops, qui non habet unde cutem tegat, vel fortunæ culpa, vel ſua, a *bar* nudus, & *haut* cutis? Quemadmodum enim a *barfuſs* nudipes, factum eſt *barfüſſer* diſcalceatus: ita a *barhaut* cuticula male tecta, haud dubie formari potuit *barhæuter*, eo quo dixi ſenſu. Dicitur alias *kalmæuſer*.

BÆRWOLF, homo-lupus. A *bar* vir. Saxonice *wer-wolf* quod vide.

BÆTZE, canicula, canis fœmina. Angloſaxon. *bicce*, Angl. *bitch*, Gall. *bichon*. Forte a curſitando. Nam Sorabis *bizu* vel *biſchu* eſt currere, curſitare, fugam capere, *bih* curſus, teſte FRENZELIO in Orig. Sorab. pag. 5. Et hinc quoque duci poteſt Gallicum *biche* cerva, curſor nemorum, unde Latino-Barbaris *biſſa* apud CANGIUM. Potuit hæc vox Gallis communicari ab Alanis, qui ſæculo V. Valentinæ urbis deſerta occuparunt, teſte PROSPERO in Chron. Ex eodem fonte videtur manaſſe, quando urſa Helvetiis dicitur *bætze*. Nam genera ſolent confundi.

BAG, omne tortile. A *biegen* flectere, torquere. Uſum vetuſtatis vide in *bug* circulus.

BAG, lis, contentio, *bagen*, contendere. Gloſſ. Boxh. *paga* lis. Gloſſ. Pez. contentiones *pagun*. Gloſſa Juniana in Obſ. ad Will. pag. 61. *liutpaga*, *heimſtrit* ſeditio. TATIAN. Cap. XXXI. 4. *in ſtrite bagen*, judicio contendere. Forte a Gr. *μάχη* pugna. Labiales permutari, quid magis obvium?

BAGAUDÆ, colluvies quondam ruſticorum ſeditioſorum in Gallia, ſic dicta, a *bagad* turba, turma, grex, voce apud Cambros & Armoricos adhuc reſidua, quod miſeri illi, & nimiis Romanorum exactionibus ad deſperationem compulſi, turmatim in ſolitudinibus, & locis ſitu munitis, ad perpetranda latrocinia coirent. Alii ducunt ab Heb. *boguedim* rebelles. Sed hanc BOCHARTI conjecturam repudiat illuſtris & diligens Gloſſator CANGIUS, (1.) quia rebellio in ipſa voce non continetur, ſed aliunde cognoſcitur, (2.) quia vox Gallica eſt, & ab incolis Galliæ inventa, teſte Aurel. Victore, (3.) quia Armorici, priſci ſermonis Gallici cuſtodes, etiamnum quamvis multitudinem ſive hominum ſive pecudum *bagat* vocant. Qua in re videntur imitari vocem Græc. *μέγαθος* magnitudo, a *μέγα* multum. Nam labiales M. & B. ſolent permutari. Nomen primo auditum eſt in Gallia Diocletiano & Maximiano imperantibus, poſtea aliquandiu intermiſſum, imperante Honorio Galliam denuo afflixit, tandemque ex Gallia in Hiſpaniam tranſiit. De cauſis Bagaudicæ defectionis egregie diſſerit SALVIANUS Presbyter Maſſilienſis Lib. V. de Gubernatione Dei.

BAIEN, lixivio imbuere. V. *beuchen*.

BAIZEN, incitare, inſtigare, impellere ad agendum, conſilio aut adhortatione. Francis *beitan*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. IV. 21. de Diabolo primi hominis ſeductore:

Thi er in themo eriſtin man
mit ſinen luginon geuuan,
Mit ſpenſtin ſi es gibeitta,
Joh zs altere ſirleitta.

Quos ille in primo homine
Mendaciis ſuis ſubjugaverat,
Suggeſtionibus incitaverat,
Et ad defectionem ſeduxerat.

Plura ejusdem ſcriptoris teſtimonia dabit cel. SCHERZIUS in notis ad hunc locum, cujus obſervationi etiam hoc debemus, quod *altere* in loco Otfridino non altare, ſed defectionem ſignificet. Vera & antiquior verbi forma eſt *wetzen* incitare. B. & W. ſunt literæ ejusdem inſtrumenti, & in ore vulgi facile permutantur.

BAIZEN, incitare canes vel falcones venandi cauſa. VEREL. in Ind. *beita* incitare falcones aut canes venaticos in prædam, *han ſat a haugu huorn dag*, *oc beitti thadan hauki ſinum*, in tumulo conſedit quotidie, indeque falconem ſuum in aves incitavit, *beita biorn* urſum canibus perſequi. HINCKELMANNUS in Alcorani ſui præfatione originem verbi petit ab Arabico *bas* falco, cujus pluralis *bizan*, ſic ut *baizen* proprie ſit falconem in ardeam immittere, hoc interim ſuppoſito, Germanos rem falconariam ab Arabibus accepiſſe, quod neſcio an verum ſit. Et alioqui ex ante dictis manifeſtum eſt, ſenſum ab inſtigatione ad venationem translatum eſſe. Et hanc translationem apprime convenire tam canibus quam falconibus, res ipſa docet. Hinc etymon Arabicum, quod falconibus tantum inhæret, ingenioſum magis quam verum videtur, etiamſi uſus hodiernus HINCKELMAN-

CKELMANNO faveat. Hodie enim *baizen* non niſi de aucupio dicimus. Inde *reiger-baize* aucupium ardearum, *hüner-baize* aucupium perdicum, *vogel-baize* aucupium per falcones.

BAL, rotundus. Vide *bol*, & confer *polſter*.

BAL, non bonus, pravus, pernicioſus. Gr. φαῦλος, Lat. *malus*. Haud obſcura inter ſe cognatione, quia B. F. M. ſunt literæ ejusdem inſtrumenti. Inde Francis

fal-tho, maleficium, vox Malebergica, in Lege Sal. Tit. XXII. 1. 3. obſervante ECCARDO in notis ad locum.

palotati, maleficia, in Gloſſa antiqua apud JUNIUM Gloſſ. Goth. pag. 81.

balmund, pravus tutor, vox Carolina in diplomate pro Monaſterio Augiæ, unde Belgis remanſit *balmonden* male tueri rem pupilli, apud KILIAN. in Etymologico.

Plura cognata vide in *fallen* deficere. Hodie videtur ſuperare in *ballaſt* ſaburra, malum onus, allegorice homo nauci, inutile terræ pondus. An huc ſpectet appellativum *ballomer*, poſtea inquiram in *mar* princeps.

BAL, malum actionis, ſcelus, flagitium. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXXVI. 45.

Uuanta tho iz martun
Thiu then balo datun.
Ipſi enim narraverant
Qui ſcelus perpetraverant.

Inde Francis *balauue* malitia, piaculum, *balauuigo* ſceleſtus, *unbalauuigo* innocens, & ſimilia apud SCHILTERUM in Gloſſario.

BAL, malum paſſionis, dolor, cruciatus, & ſimilia, ampliſſimo ſenſu. Inde Cambris *ball* & *mall* peſtis, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Francis *palo* pernicies, apud JUNIUM loc. cit. Angloſaxonibus *wol* peſtis, labes, lues, *wolberend* peſtifer, apud SOMNER. in Dict. AS. Scandis antiquis *bol* adverſitas, nocumentum, *bolmenni* qui omnibus damna & nocumenta affert, apud VEREL. in Ind. Islandis *bol* dolor, apud STIERNHIELMIUM in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 22. Quibus ſimile eſt Arabicum *wail* væ, malum, calamitas. Ab hoc ſubſtantivo oritur

Gothis *balwjan* torquere, Matth. VIII. 29. & *balwei* tormentum Luc. XVI. 23. quod imitantur Franci in *baluue* afflictio, apud TATIAN. Cap. XXXVIII. 8.

Scandis antiquis *bolva* imprecari, maledicere, & hinc rurſus *bol* & *bolvan* diræ & imprecationes; Unde formula imprecandi *bol oc bal brenni ban*, maledictio & pyra ipſum conſumant. Cuncta apud VERELIUM in Ind. Germanis *feller* peſtis, calamitas, apud STILERUM, *belfern* contendere maledictis.

BALBIER, tonſor, raſor barbæ. Rectius Perſæ *berber*, Galli *barbier*. Eſt enim a Lat. *barba*. R. & L. ſunt literæ permutabiles.

BALD, confiſus & confidenter. Gloſſ. Lipſ. *baldo* fiducialiter. Gloſſ. Boxh. *baldliicho* confidenter. Belgæ dicunt *bout*, & inde *bout ſpreken* cum fiducia & animoſitate loqui. Quod poſſit eſſe a πείθω fido, confido. Unde ergo litera L. in reliquis Dialectis? Reſponderi poteſt ab epentheſi: niſi forte *bald* ſit a Lat. *validus*, quod multis placere video. Quicquid ſit (nam hactenus hæreo), *boud* & *bald* oportet eſſe cognata, quia in vetuſtiſſimis Dialectis, ut ex *nominibus propriis* mox patebit, promiſcue uſurpantur. Interim hic primus vocis ſignificatus, qui poſtea ad *conſtantes*, *fortes*, *audaces*, & omnes viribus ſuis fretos, translatus eſt.

BALD, audax, fortis, viribus fretus. Angloſaxon. *bald*, *beald*, Franc. & Alam. *baldo*, *paldo*, Angl. *bold*. Ital. *baldo*. VERELIUS in Ind. *balldr* elatus, potens. Quibus conſonat Lat. *validus*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. VIII. 59.

Gihabet iuuih baldo,
Bin ih giuuiſſo ſelbo.
Eſtote intrepidi,
Ego ſum ipſe.

Et Cap. XXVI. 97.

Joh thuruh ſine ſmerza
Uuir habetin baldaz herzan.
Ut per dolores ejus
Haberemus cor intrepidum.

Inde Francis *baldi*, *beldi*, audacia, confidentia, præſumptio, apud eundem Lib. IV. Cap. XIII. 59. & Cap. XXI. 28. Delectantur hoc ſenſu Majores noſtri, audax Japeti genus, in NOMINIBUS PROPRIIS, quæ miram inde lucem & ornamentum accipiunt. Cujusmodi ſunt

BALTHÆ, ſtemma nobile apud Gothos, ab audacia & fortibus majorum factis ſit dictum. JORNANDES de reb. Get. Cap. 29. *Ordinant ſuper ſe Regem Alaricum, cui erat poſt Amalos ſecunda nobilitas, Baltharumque ex genere origo mirifica, qui dudum ob audaciam virtutis Baltha, id eſt, audax, nomen inter ſuos receperat.*

BAUTO, fortis, audax, intrepidus. Nomen Franci nobilis & belli Ducis in exercitu Gratiani, apud ZOSIMUM Lib. IV. Cap. 33. In compoſitis dicitur *baudes*, *baudut*, & *badus*, absque L. in medio vocis. *Bout* Belgicum eſſe vidimus.

HERIOBAUDES, bellipotens, bello intrepidus. Vide *wer* bellum, ubi idem nomen recurrit.

GENOBALDUS, vir audax, a *gun* vir. Unus ex Ducibus Francorum Valentiniani ævo, apud Greg. Turonenſem Lib. II. Cap. 9.

GENOBAUDES, eadem notione. Ita quidam legunt apud Gregorium pro *Genobaldus*.

GUNDIBALDUS, bello ferox, bellipotens, a *gund* bellum. Rex Burgundiæ apud eundem Lib. II. Cap. 28. Editio Quercetani habet *Gundobadus*, quod idem.

BALDOMERUS, audacia celebris. Pater Theodorici R. Italiæ, ſecundum Da-

mascium in vita Isidori Philosophi apud PHOTIUM.

BALLOMARIUS, pro *Baldomarius*, per syncopen literæ D. priscis valde usitatam, audacia celebris. Nomen Regis Marcomannici apud Petrum Patricium in Excerptis de legationibus.

BALDUINUS, fortiter dimicans, non audaciæ amicus, ut quidam magni nominis, quamvis inepte. A *winnen* certare.

WINIBALDUS, eadem notione. Extat apud Goldastum in Indice.

WILLIBALDUS, valde audax. A *viel* valde. Extat ibidem.

WILLIBOLDUS, eadem notione. Ibidem.

LEOPOLDUS, audax instar leonis.

BOLDUS, audax, fortis, strenuus.

Plura non addo, quoniam ex his judicium ferri potest de absentibus, saltim a peritis.

BALD, mox, brevi. OTFRIDUS Lib. III. Cap. VIII. 61.

So Petrus thaz tho gisah,
Fon themo sciff er zimo sprah,
Gruazta baldo, ih sagen thir thaz,
Then meistar, so er giuuon uuas.

Quod ubi vidit Petrus, alloquitur Dominum de navi, & mox salutat eum pro more. HELVIGIUS deduxit a Lat. *valde*, præter necessitatis. Nam ab initio fuit adverb. qualitatis significans *fortiter*, *alacriter*, postea qualitatis, quia breve tempus motui incitato simile est.

BALDEN, audere, audacia vel fiducia præsumere. Gloss. Keron. præsumere *er palden*. Quemadmodum a *kün* fit *erkünen* audere, ita a *bald erbalden*; quod etiamsi olim frequentissimi usus fuerit apud Francos & Alam. hodie tamen obsolescit.

BALDACHIN, umbella, umbraculum. Ital. *baldachino*. Plerique CANGIUM secuti pannum Babylonicum interpretantur, quod Babylon hodie *Baldach* nominetur, & Babylonii in aulæis texendis præcipui sint artifices. Atqui Babylon hodie non *Baldach*, sed *Bagdad* dicitur. *Baldach* autem est tectum sericum, manifesta compositione ex *dach* tectum, & *pali* sericum, quod hodie perennat apud Cambros, teste BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Postea sensus ab umbellis ad omnia tegumenta ferica, etiam ea, quibus corpus tegitur, translatus est. Testimonia habes apud CANGIUM in voce *baldakinus*.

BALEI, jurisdictio, præfectura, administratio, Latino-Barbaris *Balia*, *Ballivia*, *Bajulia*, apud CANGIUM in Glossario, Gallis *baillie*. Medio ævo *bajulare* dicuntur, non solum qui pupillum sustinent, sed & qui partem oneris publici in obeundo quocunque munere gerunt. Hinc a *bajulando* primo factum *bajulia*, mox per metathesin *balivia*, tandemque per syncopen *balia*, unde Gallis *baillie*, Germanis *balei*. A *balivia* porro est *bailif* præfectus.

BALG, proprie est tegumentum rei naturale, & ejusdem originis ut *fell* pellis. Litera G. in fine vocis non custoditur ab omnibus Dialectis, & salvo atque integro sensu adesse & abesse potest. Dicitur nonsolum de leguminibus, sed etiam de animalibus, sive totum animal regat ut *pellis*, sive intestina tantum ut *venter*. Metonymice usurpatur de *sacco*, quia ex corio animalis præparatur.

BALG, vaginæ leguminum. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *bul* folliculi seminis lini, *ballasg* nauci, folliculus fructuum. SOMNER. in Dict. AS. *bean-bælgas* siliquæ. Quibus conveniunt *follis* & *folliculus* apud Latinos. Inde nobis *bælglein* sunt omnium leguminum & fructuum pelliculæ, cuticulæ, membranulæ, & *abbelgen* detrahere cuticulam.

BALG, pellis, corium, exuviæ animalis. VEREL. in Indice ad Herraudsfaga: *belg* pellis. Idem in Indice Scytho-Scandico: *bælg-skinn* corium bovinum. Inde composita *fuchsbalg* pellis vulpina, *wolfs-balg* pellis lupina, &c.

BALG, venter, uterus. Cambris *bol*, *boly*, apud BOXHORN. loc. cit. Anglis *belly*, Belgis *balg*, Latinis *bulga*. LUCILIUS in Fragment. *Ita ut quisque nostrum e Bulga est matris in lucem editus*. Hodie videtur superare in convicio *huren-balg* venter mercenarius, quod dicitur de prostibulis.

BALG, saccus e corio, sive crudo & pilosо, sive subacto. Vox Celtica antiquissima, Gallis, Britannis, Gothis, Saxonibus, & Francis usitata. Festus: BULGAS *Galli saccos scorteos appellant*. Ælfricus in nominibus vasorum: bulga *hydig fæt*. Id est, vas coriaceum. Boxhornius in Lex. Ant. Brit. *bwlan*, *bwlgan*, *bolgan* bulga. Somnerus in Dict. Anglosax. *bælge* bulga, *metebelg* mantica. Verelius in Indice: *bælg* saccus, *i bælg binda* in sacco includere, *belgr* sacculus, *belgur blasin* uter vento inflatus. Gothis *balgeis* sunt utres Luc. V. 37. *matibalg* pera Luc. IX. 3. quasi saccus escarius, a *mats* cibus. Similiter & Francis *belgi* sunt utres. TATIANUS Cap. LVI. 8. *nioman sentit niuuan uuin in alti belgi*, nemo mittit vinum novum in utres veteres. Et mox: *niuuan uuin in niuua belgi zi sentenne ist*, vinum novum in utres novos mittendum est. Inde Græcis inferioribus βαλγίον, sed & superioribus μάλγος, quia B. & M. permutantur. Hodie superat in composito *blase-balg* follis, quasi saccus sufflans. Extat & diminutivum Gallicum *bougette*, sed vitiatum ex antiquiori *boulgette*, vel Italico *bolgetta* bulgula, sacculus, quod est a *bolgia*, quo Itali etiamnum utuntur.

BALG, marsupium, crumena, sacculus e corio. Gr. βαλγίδιον, Lat. *bulga*. NONIUS: *Bulga est omnis folliculus, quam & crumenam veteres appellarunt: & est sacculus ad brachium pendens*. LUCILIUS Sat. Lib. 6.

Bulgam

Bulgam & quicquid habet nummorum, ſecum habet ipſe,
Cum bulga cœnat, dormit, lavit: omnis in una
Spes hominis bulga - - - -

BALG, ſtomachus, Dialecto Belgica, quia parvus ſaccus, ut *ventriculus* parvus *venter*.

BALG, matrix, vulva. PEROTTUS apud Martinium in voce *bulga*: BULGAM *aliquando pro vulva, hoc eſt, matrice poſuere: & e contrario vulva pro ſacculo ponitur.*

BALG, ſcortum. Cambris *ffilog*. Quidam derivant a Gr. παλλακὴ concubina, vel a Lat. *pellex*. Alii convicium domi natum arbitrantur. Quos inter PEISKERUS ſcortum ſic nominari cenſet, quaſi pellem ſubactam, quia mulieres impudicæ crebra exercitatione ita ſubactæ induratæque ſunt adverſus Venerem, ut poſſint vel *tauri ruentis invenerem tolerare pondus*. Alii fortaſſe ſimilitudinem ducent a pellibus, quibus veteres ſomno ciboque dediti incumbebant. Alii in ventre proſtituto invenient, quod ſacco ſimile ſit. Sed his ſimilibusque nolo ingenium meum exercere.

BALG, infans, *wechſel-balg* infans ſuppoſititius. VEREL. in Ind. *bælgmord* infanticidium in utero materno, vel ſuffocatio fœtus in utero. MARTINIUS in voce *bulga* exiſtimat, puerum & puellam per contemtum ita vocari. Quod neſcio an cum Gloſſa Vereliana conſiſtere poſſit. Potius *balg* idem eſt quod Dorica lingua πάλλης, i. e. pupa vel pupulus.

BALGEN, iraſci. Senſus verbi antiquus. SOMNER. in Dict. Angloſax. *belgan, abelgan, abelgian, gebelgan* iraſci, ringi, indignari, *gebelge, gebelh* ira, iracundia, indignatio, *balgen-mod* iracundus. Gloſſ. Lipſ. *belgon* iraſci, *belgon ſal* iraſcetur, *bilgis tu thi* iraſcere, *farbelgeda* exacerbavit, *irbelgedon* exacerbarunt. TATIANUS de Herode Cap. X. 1. *balg ſih harto*, iratus eſt valde. Gloſſ. Boxh. *abulghiger* furioſus, *ghibulahtiger* ferus, iracundus. Gloſſ. Keron. iram *aabulkii*, iracundiæ *abulkii*, iratus *erpolganer*. Similiter & OTFRIDO ira Dei dicitur *Gotes abulgi* Lib. II. Cap. XIII. 76. in quo compoſito *a*. initiale ſignificatum auget. Hodie ſuperat apud Belgas, quibus *belgen* eſt offendi, *verbolgen* iratus, *verbolgentheit* iracundia. Sicut Latinis a *ſtomachus* ſit *ſtomachari*, ita antiquis a *balg* ſtomachus formatur *balgen* & *belgen* iraſci, quia ira ob effuſionem bilis maxime ſentitur in ſtomacho. Quamvis etiam Græcæ originis eſſe poſſit, a φλέγεσθαι uri, quia iraſci eſt incendi & ardere. VIRGIL. Æn. 9. *Igneſcunt iræ & duris dolor oſſibus ardet*. BELGAS veteres, cum forte eſſent homines præ cæteris Germanis iracundi, & leviſſimarum rerum tragici exaggeratores, ab ingenio feroci & iracundo nomen accepiſſe, Belgarum doctiſſimi HADRIANUS JUNIUS, ABRAHAMUS MYLIUS, aliique opinantur, quamvis adverſante CLUVERIO, qui etymon *Belgarum* e Gallico vel *Wallico* nomine petit, quod trajecto Rheno (erant enim teſte CÆSARE e Germanis oriundi) terram Gallorum occupaſſent, Lib. III. Germ. Ant. Cap. 3. Sed de Belgico nomine videbimus alibi. Interim iracundiam Germanorum paſſim notant Scriptores antiqui, & præcipue JOSEPHUS Lib. XIX. Antiq. Jud. Cap. 1. & Lib. II. de Bell. Jud. Cap. 16. ubi Germanos vocat *homines natura iracundos*, & indignationes illis tribuit *vehementiores feris*.

BALGEN, jurgari, & locum verberibus aut vulneribus ex jurgio quærere, *balger* vitilitigator, qui ob quamvis leviſſimam cauſam (præſertim inter pocula) per aliena pericula in ſuum ruit, quique ſæpe offenſus non eſt, dum offenſum ſe ſimulat, *gebælge* jurgium. Vitium deteſtabile, & priſcis Germanis inprimis proprium. DIODOR. SICUL. Lib. IV. Cap. 28. *Inter ipſas quoque epulas, cauſa ex jurgio quomodocunque arrepta, inſurgere, & ex provocatione nihili vitæ jacturam æſtimantes, inter ſe digladiari ſolent*. TACITUS Cap. 23. de M. G. *Crebræ, ut inter vinolentos rixæ, raro convitiis, ſæpius cædæ & vulneribus tranſiguntur*. Hinc jurgium Germanicum apud exteros in proverbium abiit, inprimis apud Gallos, quibus ejusmodi diſſidium vocatur *querelle d' Allemand*. Germani hodierni non ſunt adeo feroces: delectantur tamen priſco more in comœdiis, in quibus amicitiæ plerumque verberibus finiuntur.

BALKE, trabs. Vox a Francis relicta. TATIANUS Cap. XXXIX. 6. *ſenu balco iſt in thinemo ougen*, ecce trabs eſt in oculo tuo. Et mox: *arwurph zi eriſten balcon fon thinemo ougen*, ejice primum trabem de oculo tuo. Belgæ eodem ſenſu dicunt *balk*, Sueci & Islandi *bielka, bialka*. Sed in reliquis Dialectis non reperitur. Nam trabs illa, quæ opponitur feſtucæ Luc. VI. 41. 42. interpreti Gothico dicitur *anza*, Angloſaxonico *beam*. Quidam originem arceſſunt ab Heb. *balag* roboravit, quia trabes ſunt robur ædium, alii a Lat. *fulcio*, quia fulcimenta. Cur non potius a πελεκᾶν dolare, ſecuri ferire, cum trabs ſit lignum dolatum? A Francico *balco* Italia habet *balco* & *palco* contignatio, quia e trabibus, nec non *balcone* opus tabulatum extra feneſtram, trabibus e muro progredientibus ſuffultum, quæ vulgo male derivantur a *palis*.

BALKE, ſepimentum ex lignis transverſis. Priſcis tantum Septemtrionalibus uſitatum. VERELIUS in Ind. *balk* ſepimentum, *balkabrot* ſepimenti deſtructio.

BALL, tripudium. Truncatum a Gr. βαλλισμὸς, quod eſt a βαλλίζω tripudio, ſalto, pedibus plaudo.

BALL, globus, & quicquid globo ſimile, ut monticuli in manibus, pedibus, natibus. Gloſſ. R. Mauri: nates *arsbelli*. Inde etiam *feur-ball* globus igneus, *ſchne-ball* globus niveus, *erd-ball* globus terreſtris. Idem

Belgis *ball*, in compoſitis *reukbal*, *ſneuwbal*, *zeephal*, *drukkers-ballen* &c. Scandis antiquis *bollur*. VEREL. in Ind. *bollur* globus, *bollur jardarinnar* globus terreſtris, *bollur jardar hringur* rotundus terræ globus. Quidam derivant a Gr. πιλεῖν, πιλᾶν condenſare, conſtipare. Sed hic ſenſus magis convenit coactilibus, quam ex æquo rotundis. Propius eſt *bolen*, πολεῖν, vertere, quod vide.

BALL, globus luſorius, Gr. πάλλα apud HESYCHIUM, Lat. *pila*, Camb. *pêl*, Belg. *bal*, Angl. *ball*, Suec. *boll*, Gall. *bale*, *ballon*, Ital. *balla*, *ballotta*. Quidam deducunt a βάλω jacio, vel a πάλλω vibro. Sed utraque notio in jaculum magis, quam rotundum illud, quo ludimus, quadrare videtur. Et alioqui ſenſus a globo in genere ad hunc globum transferri potuit.

BALLAST. v. *bal* malus.

BALLE, ſarcina. Cambris *bal* eſt faſciculus. Utrumque a πιλέω condenſo, conſtipo, conſtringo. Inde *ballen-binder* palangarius, *einballen* merces compingere, *ausballen* compacta diſſolvere.

BALZ, luſus venereus, ſed avium tantum. Inde *aurhanen-balz* dicitur de urogallis quando in venerem ſtimulantur. Radix eſt *bulen* procari, judice STADENIO in Voc. Bibl. pag. 150.

BAMME, *bomme*, illitum, *buterbomme* butyro illitum. A Gall. *baume* unguentum, vel *embaumer* ungere. Sic ab *ungo* fit *ank* butyrum Dial. Alamannica.

BAMMELN, *bommeln*, tremule moveri. Græcis βαμβαλίζω eſt tremo, apud MARTINIUM in Cadmo. Utrumque referri poteſt ad ſimplicius *beben*, βαμβαίνειν, tremere.

BAN, via plana & trita, *ſchneban* nives planatæ, via per nives facta, *her-ban* via militaris, *banen* viam ſternere. Forte a Francico *ebanon* æquare, quod eſt ab *eban* æqualis. Gloſſ. Pez. ſternens *giapanonter*. Quid enim eſt ſternere viam, niſi complanare & æquare? JUNIUS tamen ducit a Gr. βαίνω gradior, incedo, in Obſ. ad Will. pag. 178. LUNDIUS in animadverſ. ad Ind. Verel. pag. 3. *ban* interpretatur locum ſpatioſiorem, a Suec. *bana* aperire, protendere, quem ſequitur STADENIUS. Allegorice dicitur de medio perveniendi ad finem, quia tramiti ſimile eſt.

BAN, occiſio. Vox Saxonica. SOMNER. in Dict. Angloſax. *bana* interfector, homicida, *ſelf-bana* qui ſe ipſum occidit, *feorh-bana* carnifex, percuſſor. VEREL. in Ind. *bana* necare, interficere, *bane* cædes, *bani* homicida, *fadur-bani* parricida, *banamadur* auctor cædis. Cuncta Græcæ originis a φόνος & φονεύω cædes & occido, quod primus vidit SKINNERUS, ſed mox, ceu nimis Criticum, dimiſit, quamvis melioribus deſtitutus. An huc ſpectet ex hodierno idiomate *wild-ban*, quatenus jus venandi, adeoque & occidendi feras denotat, infra diſquiritur in loco.

BAND, faſcia, vinculum, ligamen, cujuscunque generis. Perſis *bend*, Gothis *bandi* Marc. VII. 35. Angloſax. *bend* ibid. & alibi *bænde*, Franc. *bant*, *pant*. Gloſſ. R. Mauri apud Diecm. habenæ *pant*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXII. 28. de Barraba: *ſo lag er thar in banton*, tunc ibi jacebat in vinculis. Belgis, Anglis, & Suec. *band* eodem & latiſſimo ſenſu. Unde Gallis *bande*, *bandage*, *bandalette*, Italis *bende*, *bindello*, Germanis *bændel* pro faſciola. Refer ad *binden* ligare. A *band* porro eſt *bændigen* vinculis compeſcere, unde VERELIO in Ind. *bandingi* vinculis conſtrictus.

BAND, vexillum. P. DIACONUS Lib. I de Geſtis Longob. Cap. 20. *Tato vero Rodulfi vexillum, quod* BANDUM *appellant, abſtulit.* Gothis *bandwo* eſt ſignum Marc. XIV. 44. *gaf ſa lewjands im bandwon*, dederat proditor eis ſignum. Hoc ad ſignum militare transferri potuit, judice JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 81. Quid enim eſt vexillum, niſi ſignum multorum ſub uno ductore certantium? Et quis neſcit, quam multa reliqui Germani Gothis, præcipue in re militari, debeant vocabula? Similis appellatio eſt, quando vexillum dicitur *mark*, h. e. ſignum. Alii vexillum ſic dictum putant a *band* faſcia, quod prima vexilla nihil aliud fuerint quam faſciæ, haſtis vel pertici alligatæ. Quem morem nonſolum antiquæ imagines, ſed etiam veteres Poëtæ videntur indicare. STRICKER in Exped. Caroli M. Cap. V. Sect. 4.

Ein ſpies nam er in die hant,
Ein weiſſen Vanen er dran pant.

Contra FERRARIUS vexillum non a ligando, ſed a *pandendo* dictum exiſtimat. Sed qualiscunque ſit origo vocis, Latino-Barbari inde habent *bandum* & *banderium* vexillum, *bandophorus* vexillifer, ſignifer, Itali *bandiera* vexillum, *banda di cavalli* turma, Germanis alias *ein fændein reiter*, poſito ſigno pro re ſignata. Et huc etiam referri poteſt dictio Gallica *s'abandonner* emancipare ſe alicui, & quaſi ſub vexillum ejus ſe tradere, ſi componatur a *band* & *donner*.

BANDE, ſodalitium, id eſt, omnis multitudo, quæ communi quodam nexu & vinculo, ſive utilitatis ſive jucunditatis, in unam ſocietatem colligatur. Galli videntur inde habere *abandonner* priſtinum nexum deſerere.

BANDELIER, balteus. Proprie coriaceus, a Belgico *leer* corium, & *band* ligamen. Vox præpoſteræ compoſitionis, ut plures aliæ.

BANG, anxius. Proprie conſtrictus, à Gr. πάγνυμι adſtringo.

BANK, collis, tumulus, cumulus, & omnis locus eminens. Græcis πάγος, Angloſax. *banc*, per epentheſin. Inde *ſand-bank* ſyrtes, brevia, tumuli marini a fluctibus congeſti. Confer *back* collis.

BANK,

BANK, transfertur ad omnia ſedendi & cubandi loca eminentia, quia collibus & tumulis ſimilia ſunt. SOMNER. in Dict. Angloſax. *benc* ſcamnum, ſedile, ſponda, *bence* ſella, ſedile, lectus. Idem Francis *panch*, Belg. *bank*, Angl. *bench*, Dan. *bonk*, Suec. *bænk*, Gall. & Armor. *banc*, Ital. *banco*, Græcis inf. πάγκος, Lat. Barb. *bancus*. Gloſſa vetus apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 151. *panchlubhan* ſagma. Islandi rectius & antiquius dicunt *beck*, abſque litera N. in medio vocis. VEREL. in Ind. *brudbeck* locus in conviviis honoratior ubi ſponſa ſedet. Ante ECCARDUM totus Mundus deflexit ab *abacus*, etiamſi in menſa nec ſedeamus nec cubemus. Ipſe, ut ineptiam hujus etymi evitaret, *bank* deduxit a *bock* caper, quod quatuor pedibus gracilibus, quamvis ligneis, animal illud imitetur; Vel a *bach* tergum, quod ſit planities dorſi inſtar ad ſeſſum habilis. Vide Notas ejus ad Leg. Sal. pag. 79. Mihi perſuaſum eſt, alia etymologia præter eam, quæ ex primo vocis ſignificatu deſumitur, minime opus eſſe.

BANK, menſa nummaria, quæ a ſupputando *rechen-bank*, a commutando *wechſel-bank* vocatur, Italis ſimpliciter *banco*, opinor ab ἄβαξ vel *abacus* tabula ſupputationis. Inde illis *banco rotto* menſa everſa, & per metonym. damnum ex fuga obærati, & Gallis *banquier* fœnerator, proprie trapezita, menſarius.

BANKART, *bankert*, nothus. STILERUS in Theſ. L. Germ. *bankert*, *bankart* nothus, qui non in lecto geniali, ſed quovis ſcamno fortuito a matre conceptus eſt. Sed fallitur bonus hariolator. Nam *bank* hoc loco ſignificat torum, & *art* vitio affectum ejus rei cui annectitur. Plura ejusdem indolis compoſita vide in *art* ultimi ſignificatus.

BANKET, convivium. Gall. & Armor. *banquet*, Ital. *banchetto*. Proprie accubitus, conſeſſus, puta ad convivandum, a *bank* ſcamnum.

BANN, multas habet formas, & multos ſignificatus, in antiquiſſimis Dialectis. Scribitur enim nonſolum *bann*, ſed etiam *ben*, *byn*, *fan*, *fann*, *pan*, *pen*, *pin*, *pfin*. Inprimis vero tria ſignificat, (1.) altum & excelſum, (2.) ſummitatem, (3.) Dominum. Primus ſignificatus videtur oriri a Græc. φαίνω conſpicuum eſſe, quia excelſa ſunt maxime conſpicua, & hoc nomine inprimis digna. Secundus eſt a primo per ſubſtantivationem. Tertius ab alto ſitu ad conditionem ſuperiorem translatus intelligitur.

BANN, altus, ſublimis, excelſus. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *bann*, *fann* excelſus, altus, procerus. Inde Marſis antiquis *Tanfana* ignis altus, id eſt, Sol, quamvis etiam ignem Dominum ſignificare poſſit. Græcos inde habere βάνος collis, Germanos *bannier* vexillum, vix dubitari poteſt. Quemadmodum enim collis ex plano in altum attollitur, ita vexillum eſt ſignum elevatum.

BANN, ſummitas. BOXHORN. loc. cit. *pen* caput, cacumen, vertex, finis, extremum. CLUVERIUS Lib. I. Germ. Ant. pag. 188. *Exceſſarum rerum ſummitates dicimus pinnen, & ſingulari numero pin.* Latinis quoque *pinnæ* ſunt ſummitates murorum. Eosdem a vertice *pen* derivare *penninus* verticalis, alibi oſtendo. V. *pfin*.

BANN, dominus, a ſorte communi usque ad ſupremam. Dicitur enim latiſſime (1.) de hero, & quovis rei privatæ domino. Inde Gothis *ſan skalkos* dominus ſervi Matth. X. 25. *ſan weinagardis* dominus vineæ Marc. XII. 9. Idem Sarmatis *pany*. In aliis Dialectis vocatur *band*, cum augmento finali, quia ſcil. N. in ore multorum attrahit D. ut oſtendi in *Proleg.* Sect. III. SOMNER. in Dict. AS. *banda*, *bonda* paterfamilias. Hinc idem homo in multis Dialectis compoſito vocabulo dicitur *husband* & *husbond*. VEREL. in Ind. *husbondi* paterfamilias, herus. Dani etiamnum dicunt *husbond*, Angli *husband*, unde Latino-Barbaris *husbandus*. Non quaſi *vinculum domus*, ut Gloſſatores nugantur, ſed quod domui ſuæ præſit tanquam dominus. (2.) de Principe. BOXHORN. loc. cit. *pen* caput, dux, princeps, *unben*, *unbyn* monarcha. Hodie rector Croatiæ etiamnum vocatur *Bannus*, id eſt, princeps & dominus. Vetuſtas inde formavit *bannen* imperio cogere, quod Principum proprium: & a *bannen* rurſus deduxit *bann* coactio imperantis &c. (3.) de Deo, univerſorum domino. Inde Gothis *ſan goth* dominus Deus Marc. XII. 29. (4.) de Diis falſis. Germanos ſtante adhuc paganiſmo Jovem appellaſſe *Pen*, *Pin*, *Pfin*, & diem Jovis *Pfinſtag*, infra oſtendi in loco. Fortaſſe etiam huc ſpectat *Pan* Deus paſtorum, & *Faunus* Deus nemorum. (5.) de Diabolo. Hodie *ſan* apud Suecos tribuitur Diabolo, ſive tanquam veteri domino, ſive nomine Jovis in abominationem verſo, ſive quod imperium in impios exerceat. Cur Dominus in antiquiſſimis Dialectis dicatur *ban*, *fan*, & reliqua, jam dixi ab initio. Vulgo tamen ſumptum exiſtimant a Gr. πᾶν, quod Majores noſtri, quamvis adhuc Gentiles, clariſſimis tamen indiciis Mentem quandam divinam per univerſa diffuſam perciperent. Ita ſentit JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 155. & cum illo STIERNHIELMIUS in Gloſſ. Goth. pag. 41. Secundum hanc Etymologiam, nomen a Deo ad principes, & a principibus ad privatos pervenit. Quod, cum nulla ratione fieri potuerit aut debuerit, probare non poſſum. Nam πᾶν, quatenus ab arcanorum doctoribus ſummo Deo tribuitur, quod ſit Sir. XLIII. 29. eſt omnium virtutum divinarum complexus, & nomen immenſi argumenti, quod nulli creaturæ communicari poteſt absque manifeſto ſacrilegio. *Pater vero & Dominus non ſunt nomina Dei*, inquit JUSTINUS Martyr, *ſed a beneficiis & operibus ejus petitæ appellationes*. Apol. I. pro Chriſt. pag. 44. Ideoque

non

non a Deo ad homines, ſed contrario itinere ab hominibus ad Deum pervenerunt. Si viri illi doctiſſimi, qui tam abſurda de Majoribus noſtris præſumunt, totam vocis familiam noviſſent, ſtatim vidiſſent, eos nomen Domini non aliunde quam ab eminentia ſupra alios accepiſſe, & pro vario eminentiæ gradu, hero, principi, & Deo applicaſſe.

BANN, coactio imperantis. Francis *bann, ponn*, ut ex teſtimoniis poſtea citandis patebit, Latino-Barbaris *bannus*. GOLDASTO derivatur a *band* vinculum, in Animadverſ. ad Paræneticos Script. pag. 425. *Reſpit* BANNUM, inquit, *meram Germaniam, quibus* BAND *vinculum, ἀπὸ τῦ* BINDEN *vincire; a conſequenti notat prohibitionem, quia qui transgrediuntur, quæ leges prohibent, in vincula conjiciuntur.* Alii derivant a *band* vexillum, & rurſus alii a *ban* via, quod cæteris inſuliſius. Sed has ſimilesque a vero devias & ex ignorantia Linguæ Celticæ veterisque Germanicæ profectas interpretationes, vel potius nugas, nunc mitto. Nam a *bann* princeps, oritur primo *bannen* imperio cogere, quod ſummæ poteſtatis & ſupremi dominii eſt. A *bannen* rurſus fit *bann* coactio imperantis. Id quod omnibus manifeſtum eſſe reor. Quemadmodum autem *bannen* in latiſſimo ſignificationum ambitu poſitum eſt, ita *bann*, utpote proles tam late dominantis parentis, parentique ſimilis, refertur ad omnes jurisdictionis, tam ſacræ quam ſæcularis, actus publicos & cogentes. CANGIUS ad tria genera revocat, *edictum, mulctam. territorium.* Sed multo plura eſſe, ex inductione patebit.

BANN, edictum, juſſum, mandatum. A *bannen* edicere, mandare, ſtatuere. Gloſſ. Pez. ſcita *panna*. Inde Latino-Barbaris *bannus* eodem ſenſu. Lex Ripuar. Tit. LXV. *De eo qui bannum non adimplet*. Id eſt, mandatum Regis, ſenſu latiſſimo.

BANN, interdictum. A *bannen* interdicere. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XVIII. 27.

> *Selbon ban minan*
> *Then ih heizu ſcriban.*
> Hoc interdictum meum,
> Quod jubeo ſcribi.

Agitur *de non-iraſcendo*, præcipuo legis Evangelicæ interdicto Matth. V. 21. 22. VEREL. in Ind. *bann* interdictum, *eg ſet thvert bann fyri* ſeverum interdictum vobis denuncio, *han lagdi bann firi kaupſcip ault thau er fara villdu nordu*, mercatorum navibus, quæ Nidroſiam petere deſtinaverant, interdictum denunciavit. Idem Lat. Barbaris *bannus*. DUDO Lib. 2. de Actis Norman. apud CANGIUM: *In terra ſuæ ditionis* BANNUM, *id eſt, interdictum miſit, quod eſt prohibitio, ut nullus* &c. Compoſita vide in *bannen* interdicere.

BANN, citatio, evocatio, convocatio. Compoſita vide in *bannen* citare.

BANN, punitio, pœnæ irrogatio, ſenſu latiſſimo, qui omnes pœnarum ſpecies, corporalem, pecuniariam, proſcriptionem &c. ambitu ſuo complectitur. Dicitur primo de mulcta in genere. Hinc Lex Friſionum XVII. inſcribitur *de banno*, h. e. de mulcta, quam pendere legibus debent ii, qui vel lites in exercitu excitant, vel hominem occidunt, vel damnum aliquod faciunt. Et in Capitulis Regum Francorum *bannus dominicus* paſſim ponitur pro mulcta Regi ſolvenda, quod multis exemplis demonſtrat CANGIUS in voce. Secundo de pœna corporali & capitali. Inde *blut-bann* vindicta homicidii. Tertio de proſcriptione. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. VIII. 17. de Chriſto:

> *So uuar er ſo er uuari thanne,*
> *Thaz er uuari in banne.*
> Vertit SCHILTERUS.
> Ubicunque eſſet deinceps,
> Ut eſſet in banno.

Quarto de excommunicatione, ſive proſcriptione ſacra, quæ proprie eſt actus Pontificis. N. von GLIERS apud Goldaſt. in Paræn. pag. 425.

> *Ich wolde ins Riches ahte ſin,*
> *Vnd vallen in des Bahſtes ban.*

Hodie quoque *bann* eſt excommunicatio a cœtu fidelium, & interdictio ſacrorum a Principe Eccleſiæ facta, & *reichs-bann* proſcriptio imperii. Alii *bann* & *acht* ita diſtinguunt, ut *acht* ſit proſcriptio ſæcularis, *bann* eccleſiaſtica. Quinto de confiſcatione bonorum. HINCMARUS ad Carolum Regem: *Juſſione veſtra per Vice-Comitem illius pagi, in* BANNUM, *quod in lingua Latina proſcriptio confiſcando vocatur, eſt miſſum.* Cuncta a *bannen* punire.

BANN, jurisdictio, *königs-bann* jurisdictio ſuperior, quæ fit auctoritate regis, *burgbann* jurisdictio municipalis, *blutbann* jurisdictio criminalis. A *bannen* cogere imperio.

BANN, jurisdictio territorialis, & territorium ipſum. V. *bannen* finibus includere.

BANN, exactio tributorum, & tributum. Compoſita vide in *bannen* exigere.

BANN, devotio, & res ipſa votiva. V. *bannen* devovere.

BANN, publicatio. V. *bannen* proclamare.

BANN, coactio. V. *bannen* cogere.

BANNEN, cogere imperio, ſive id fiat jubendo, prohibendo, citando, puniendo, limitando, exigendo, publicando, jus dicundo, vel alio quocunque modo imperantibus proprio. Id quod Francis effertur *bannen*, Septemtrionalibus *banna*, Latino-Barbaris *bannire*, Gallis *bannir*, Italis *bandire* per epenthesin, quamvis non apud omnes eodem & æque late patente ſenſu. ECCARDUS hoc verbum ducit a Saxonico *been* jubere, in notis ad L. Sal. pag. 168. Hoc interim ſuppoſito, quod *been* ſit verbum verum & antiquum. Id quod omnino falſum, cum nuper natum ſit ex *gebieten*, nec

alia

alia obſtetrice, niſi pigritia pronunciantium. Nam antiquis Saxonibus *beon* eſt eſſe, non jubere. Et alioqui ſatis manifeſtum eſt, quod *bannen* originem ſuam referat ad eum, cui ſumma poteſtas in Rep. qualis eſt *bann* princeps, de quo ſignificatu actum ſupra abunde. Et tametſi id nominis antiquitus non principibus tantum, ſed etiam aliis dominis tribuatur, qui remp. non gerunt, certum tamen eſt, illud imperantibus magis proprium eſſe, & unumquemque quo eminentiore loco poſitus eſt, eo majori & potiori jure eſſe & vocari caput & dominum. Hinc principes & Reges, & qui rerum potiuntur, omnibus temporibus appellati ſunt *Domini*, & hodieque præ cæteris mortalibus hoc titulo inſigniuntur, etiamſi pene tot ſint in orbe Domini, quot homines. Unus TIBERIUS illum repudiavit, ne videretur ingeniis ad ſervitutem natis imperare, callide magis, quam ex animo. Quemadmodum igitur Latinis a *dominus* fit *dominari*, ita Germanis a *bann* dominus, princeps, fit *bannen* cogere imperio, quocunque modo id fiat. Olim latiſſimos habuit ſignificatus, quorum alios vetuſtas abolevit, alios uſus conſtanter retinuit, ſaltim in derivatis & compoſitis.

BANNEN, edicere, mandare, ſtatuere. Capit. Childeberti R. an. 595. §. 8. *Similiter Kal. Mar. Colonia convenit, & ita bannivimus, ut unusquisque judex* &c. Inde *bann* edictum, *gebannen tage* dies juri dicundo definiti & præſtituti, in Jure Feudali Alam. apud SCHILTERUM.

BANNEN, interdicere, prohibere. VEREL. in Ind. *banna* interdicere, prohibere, *that banna eg med ollu* hoc in totum prohibeo, *vir villdum thad banna henni* hoc ipſi interdicemus. Inde *bann* interdictum, & res interdicta, *bannwaſſer* aqua prohibita, *bannforſt* nemus prohibitum, vel aditu vel venatu, *bannwart* cuſtos nemoris interdicti, vel alterius rei prohibitæ. Jus prov. Alam. Cap. CCXXXII. 7. *ſuuer durch den panvorſt ritet, ſin bogen und ſiniu armbroſt ſuln ungeſpannen ſin*, qui per ſilvam interdictam iter facit, arcum ſuum & baliſtam non habeat tenſam. Et huc etiam ſpectare videtur *wild-ban*, de quo infra.

BANNEN, citare, evocare, convocare, ſive ad forum ſive ad militiam, ſive ad publicum conventum. Lex Longob. Lib. II. Tit. XLII. 2. *Nullus ad Placitum banniatur, niſi qui cauſam ſuam quærit.* FREDEGARIUS Cap. 87. *Juſſu Sigeberti omnes Leudes Auſtraſiorum in exercitum gradiendum banniti ſunt.* Formula MARCULFI XXXIX. *Jubemus, ut omnes pagenſes veſtros, tam Francos quam Romanos, vel reliquas nationes bannire, & locis congruis per civitates, vicos, & caſtella congregare faciatis.* Inde *bann* & *her-bann* indictio exercitus, ſive edictum caſtrenſe, quo omnes & ſinguli, & præcipue vaſalli, ad bellum evocantur, ſub pœna abſentiæ, quod imitantur Latino-Barbari in *heribannus*, Galli in *ban* & *arriere-ban*, quorum illud evocationem priorem, hoc poſteriorem ipſo vocabulo indice denotat. Et huc etiam ſpectat ex hodierno idiomate,

banngloche, campana bannalis, quæ populum ad conveniendum cogit, apud SCHILTERUM in Gloſſ.

teufelsbanner, qui diabolum evocat.

BANNEN, punire, pœnam irrogare, ſive corporalem aut pecuniariam, ſive proſcriptionis, exilii, excommunicationis &c. Inde Francis & Germanis *bann* punitio, ſenſu latiſſimo, quem paulo ante explicui, Alamannis *bennig* excommunicatus, in Jure prov. Cap. CCCLI. 5. Gallis *bannir* proſcribere, Italis *bandito* cui ob ſcelera ſacris & communione hominum interdictum. Hodie utimur compoſito *verbannen* profligare, mittere in exilium, exterminare. Quod rurſus imitantur Latino-Barbari, quibus *forbannire* proſcribere, *forbannitus* proſcriptus, ut ex locis a Gloſſographis pridem congeſtis (quos in re notiſſima deſcribere nolo) manifeſtum.

BANNEN, finibus includere. Quod haud dubie cum reliquis eſt actus ſupremæ poteſtatis. Inde *bann* terminus definitus cujuscunque loci, campi, villæ, oppidi, item limes & territorium. Charta Saxonica R. Canuti apud SPELMANNUM: *were ure ban reſted*, ubi territorium noſtrum ceſſat. Utrumque & verbum & ſubſtantivum hodie perennat apud Anglos, quibus *to bound* eſt finire, terminare, terminos præſcribere, intra cancellos cohercere, *a bound* meta, terminus, limes, *bound-ſtone* lapis terminalis. Poſtea ſenſus a territorio ad jus, quod ex ſpeciali privilegio territorio adhæret, translatus eſt. Inde Latino-Barbaris *banleuca* & *bannileuga* jus territorii intra leucadem, Germanis *bannmile* jus braxandi intra leucadem, Gallis *banlieue* jurisdictio loci vel diſtrictus, in circuitu urbis, villæ, aut monaſterii, *ban de moulin* jus molendini.

BANNEN, exigere tributa, præſtationes, opera, & ſimilia. Inde *bann* vectigal, *bierbann* vectigal pro cereviſia, *brotbann* vectigal pro pane, & alia apud SCHILTERUM in Gloſſ. Et huc etiam ſpectant compoſita, *herbann* tributum quod ad alendum exercitum exigitur, *bannleute* ſubditi cenſuales, *bannwerke* opera præſtanda, *bann-frei* immunis.

BANNEN, devovere, conſecrare, *bann* res votiva, *verbanntes* eadem notione. Utitur Luth. Lev. XXVII. 28. & paſſim.

BANNEN, proclamare, publicare. Inde *bann* proclamatio, publicatio edicti, interdicti, vel alterius rei. Nam & proclamatio, quæ ante matrimonii celebrationem fieri ſolet in Eccleſiis, a Latino-Barbaris *bannus nuptiarum* dicitur. Italis *banditore* etiamnum eſt præco, qui publicat vel proclamat.

BANNEN, cogere, vi agere in aliquem, ſive adigendo, abigendo, aut ſubigendo, *bannwerk* angaria. Senſus a coactione morali ad

physicam translatus. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXI. 13.

Nu man uuizzinot then man
Ther armen ſelidono irban.
Nunc cruciatur ille homo
Qui pauperem domo pepulit.

Inde Latino-Barbaris *banniri* dicuntur apud CANGIUM, qui angariantur & coguntur, ut ad remotius molendinum frumenta deferant.

BANNIER, vel *panier*, labarum, vexillum. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *banniar*, Anglis *banner*, Gallis *bunniere*. Originem vide in *bann* altus. Longobardi eadem inſignia vocant *band*, Franci *fane*, quæ videntur fororia, ſed non ſunt. Nam *banner* dicitur ab elevatione, *band* a ſignificatione, *fane* a linteo. Vide ſingula ſuis locis. A *banner* porro eſt *banner herr* vel *paner-herr* vox Aureæ Bullæ, ſed variæ interpretationis. Aliis enim eſt dynaſta bandophorus, qui ſignum Ducis gerit, aliis Baro vexillo militari in dignitate territoriali inveſtitus. De hoc honoris titulo præter alios multos conſuli poteſt BEGMANNUS in Notitia dignit. illuſt.

BANS, vel *banſt*, horreum, receptaculum frugum. Vox a Mœſo-Gothis relicta. Cod. Argent. Luc. III. 17. *jah briggith kaurn in ba iſtan ſeinamma*, & congregabit triticum in horreum ſuum. Quid ſit, Gloſſographi ignorant.

BANST, pantex. V. *panz.*

BAR, ſubfixum. V. PROLEG. Sect. VI.

BAR, a *bæren* ferre, ſignificat quantum poteſt.

BAR, ferculum, & quævis res portatilis, lectus, menſa, ſpolium, & ſimilia, quatenus portari poſſunt, a *bæren* ferre. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *bære* grabbatum, *bære-diſc* ferculum. Gloſſ. Pez. in lecticis *in parun*. Simile derivatum eſt, quando Latinis ſpolium, quod in triumphis fertur, dicitur *ferculum* a *ferendo*.

BAR, feretrum, ſeu geſtatorium quodcunque. Ex eodem fonte. Dicitur alias *bær*, quod vide. Reliqui ſignificatus ſunt a ſynecdoche generis.

BAR, feretrum quo capulus effertur. Vox Celtica, quæ Armoricis dicitur *biere* apud PEZRONIUM in Ant. Celt. pag. 423. Angloſaxonibus *bære*, Francis & Alam. *bara*, *para*, Island. *bar*, Sorabis *bara* apud FRENZELIUM in Orig. Sorab. pag. 1055. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *bære* feretrum. Gloſſ. Pez. feretrum *para*. VEREL. in Ind. *bar* feretrum. Inde compoſita, *todten-bar* feretrum exequiale, *bar-recht* judicium Dei per cruentationem cadaveris, cujus attactu auctor cædis proditur. De qua Germaniæ conſuetudine vide Theſaurum Practicum BESOLDI in voce. Galli imitantur Armoricos in *bierre*, Itali Francos & Alam. in *bara*.

BAR, capulus quo mortuus effertur, alias ſarcophagus. Francis ut ſupra, Anglis *beer*. TATIANUS Cap. XLIX. 3. *gieng zuo mti biruorta thia bara*, acceſſit & tetigit loculum. Videtur eodem ſenſu occurrere apud OTFRIDUM Lib. IV. Cap. XXVI. 37. de mortuis e ſepulcro excitatis agitur:

Ja ſagte man thaz zi uuaru,
Sie ſcrigtin fon theru baru.
Et narratur pro certo,
Mortuos e capulis proſiluiſſe.

BAR, genus. A *bæren* gignere, procreare. Significatus SCHILTERO in Gloſſ. obſervatus ex Parænesi R. Tyrolis ad fil. Stroph. 15. 20. Hodie videtur extinctus.

BAR, cantus. Hodie ſuperat apud Phonaſcos Germaniæ, veterum Bardorum ſucceſſores, teſte cel. WAGENSEILIO in libello eleganti *von den Meiſterſingeren* Cap. 4. Refer ad *baren* cantare.

BAR, vir. Lat. Barb. *barus* & *baro*. Vox in Legibus antiquis Francorum, Alamannorum, & Longobardorum paſſim obvia. Lex Sal. Tit. XXXIV. 1. *ſi quis baronem de via ortaverit*. Lex Ripuar. Tit. LVIII. 12. *tam baronem quam feminam*. Lex Alam. Tit. LXXVI. *ſi quis morttaudit barum aut fœminam*. Lex Longob. Lib. I. Tit. IX. 3. *ſi quis homicidium perpetraverit in barone libero vel ſervo*. *Bar* pro viro perennat in compoſito *berwolf* homo-lupus. Saxones dicunt *wer*, quod vide. Ab hoc, tanquam vetuſtiori, videtur prodiiſſe *bar* in reliquis Dialectis, per literarum B. & W. permutationem. Sed & *bar* antiquitate ſua ſplendet. Nam hinc interpretationem capit,

Paricida, homicida. FESTUS in v. Parici Quæſtores: *Paricida non utique is, qui parentem occidiſſet, dicebatur, ſed qualemcunque hominem. Id autem fuiſſe, indicat Lex Numæ Pompilii Regis his compoſita verbis: Si quis hominem liberum dolo ſciens morti duit, PARICIDA eſto.* Unde ſatis manifeſtum, *par* Latinis aliquando hominem & virum denotaſſe, & hanc appellationem a Barbaris profectam eſſe.

BERUNIUM, urbs Rhætica vel Norica apud SUIDAM, ſic dicta, quod unus vir vaſtæ molis aprum, Noricorum agros vaſtantem, proſtravit, & in humeros impoſuit, cæteris lingua ſua acclamantibus ἷς ἀνὴρ, h. e. unus vir. Hæc SUIDÆ etymologia manifeſto ſupponit, lingua Noricorum *ber* virum, & *un* unum denotaſſe. Clariſſ. HASÆUS in Bibl. Brem. Claſſ. VI. verba Suidæ ad *Bernam* Helvetiorum urbem, ab occurſu Urſæ ſic nominatam, trahit, doctiſſimo quidem apparatu, ſed invito ni fallor Suida, qui nomen urbis ſuæ non ab ulla beſtia (aprum autem nominat, non urſum), ſed a forti & Herculeo unius viri facto deducit. Præterea *Berunium* eſt urbs antiqua, non ſæculo demum XIV. a duce Zæringenſe condita, ſed jam PLI-

NIO

NIO memorata. Vide CELLARIUM in *Feltria*. Hodie dicitur *Belun*, quia R. & L. nonnunquam permutantur. Si etymon BERNÆ expetatur, malim illud in Curia, quam in ſylvis quærere. Nam *Bern* Celtica lingua, & conſequenter etiam veteri Helvetica, eſt Mallus, judicium, & locus judicii. Hoc dignum urbe principe nomen eſt. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *barn* judicium, *barnu* judicare, *barnur* judex.

BAR, maritus, vir fœminæ junctus. Apud Anglos *vir & uxor* in foro more vetuſto vocantur *baron & femme*, teſte HICKESIO. Et quemadmodum uxor Germanica jugalem ſuum vocat *mein mann*, Gallica *mon homme*: Ita Walonum mulieres, memorante VREDIO, maritos ſuos appellare ſolent *mon baron*. Eamque appellationem antiquitus per omnem Galliam obtinuiſſe, probat CANGIUS in v. *baro*.

BAR, vir illuſtris. ESCHELBACH in Libro, cui nomen *Heldenbuch*, viros principes ſubinde *baren* vocat, obſervante GOLDASTO in Script. Parænet. pag. 416. Eodem ſenſu occurrunt *barones* apud Latinos in aurea linguæ ætate. CICERO Lib. V. ad Attic. Epiſt. 11. *Apud Patronem & reliquos* BARONES, *te in maxima gratia poſui*. HIRTIUS de Bell. Alexand. Cap. 53. *Concurritur ad Caſſium defendendum, ſemper enim* BARONES, *compluresque evocatos cum telis, ſecum habere conſueverat*. Qui *barones* hic *ſtultos* interpretantur, iis GOLDASTUS injuriam reddit. Ipſi *baro* apud Hirtium eſt vox Gallicana liberum hominem ſignificans, cui onus militiæ remiſſum, a *bar* liber. Aliis *baro* eſt βαρὺς fortis. Vetus Poëta apud CANGIUM:

Eſt Bares fortis, Baroque monſtrat idem.

Sed βαρὺς apud Græcos potius gravem & corpulentum, quam fortem ſignificat. Vide ergo, annon commode derivari poſſit a *bar* conſpicuus. Nam hoc adjectivum, ubi tranſit in ſubſtantivum, hominem illuſtrem & virum principem efficit, quo ſenſu *baro* videtur uſurpari a CICERONE. Latinos omnibus temporibus vocabula exotica, & præcipue Scythica, Celtica, Gallica, Britannica, & Germanica quoque admiſiſſe, nemo eſt, qui ignorat. Vide annon etiam PARES *Franciæ atque Angliæ*, quamvis ſerius nominati, e lingua Germanica potius, quam a *paritate*, ut vulgo volunt, appellationem acceperint? Splendidius ſane *principes viri reip. conſtituendæ*, quam *æquales* dicuntur, quod frigidum.

BAR, adjective.

BAR, manifeſtus, apertus, *ſichtbar* conſpicuus, viſui patens. A *baren* manifeſtare, proferre in lucem. SOMNER. in Dict. Angloſax. *æbera*, *æbere* manifeſtus, probatus, *æbere-morth* homicidium probatum, *æbere-theof* fur compertus, *bærlice* palam. VEREL. in Ind. *bar oc atakin* in recenti crimine deprehenſus, *ber* apertus, *bera ord* verba clara & aperta, *mela berara* clarius eloqui. Inde *aberemurdrum* in Legibus Canuti eſt cædes manifeſta, *murdrum* apertum, interprete SPELMANNO. Et in Gloſſis Lipſii *rebarnuſſi* eſt revelatio.

BAR, ſpectabilis, conſpicuus, qualis eſt, qui in luce omnium verſatur. Ex eodem fonte. Gloſſ. Boxh. *frambæren* magnates, *frambariro* eminentior. Præfixum *fram* eſt adverb. ordinis ſignificans *præ*. Hodie videtur ſuperare in compoſitis, cujusmodi ſunt, *erbar* honore ſpectabilis, *achtbar* obſervatione, cultu, & obſequio multorum conſpicuus.

BAR, nudus, detectus. A *baren* denudare, detegere. SOMNERUS loco citato: *bare* nudus, *bær-fot* nudipes. Gloſſ. Pez. nudam *para*, exertum *paren*. VEREL. in Ind. *ber*, *bar* nudus. Hodie eandem vim obtinet in compoſitis, *barfuſs* nudipes, *barhaubt* aperto capite. Olim etiam dicebant *bare ſwerden* gladii ſtricti, quod nunc obſoleſcit. Sunt, qui ab hoc adj. BRAMANAS (ſive Barmanas) Indorum Philoſophos nomen accepiſſe ferunt, quaſi nudos Sapientes, ſeu quod idem, *Gymnoſophiſtas*, Græcis verbum verbo reddentibus.

BAR, deſtitutus, privatus, paucus. Senſus a nuditate petitus, quia privati & expertes ſunt nudorum ſimiles. SOMNER. loco citato: *fær* vacuus, caſſus, inanis. VEREL. in Ind. *far* paucus, *allfar* admodum paucus. Gr. πάυρος paucus. WINSBECKIUS in Parænefi ad filium §. 24.

Sun, du ſolt dimer zungen pflegen
Das ſi niht us den angen var,
Si lat dich anders unterwegen
Der eren und der ſinnen bar.

Ab hoc ſenſu habemus verbum *entbæren* carere, deſtitui.

BAR, liber, ſolutus, *baren* liberare. Gloſſ. Keron. liberorum *barono*. Lex Alam. Tit. XCV. *Si ancilla fuerit, ſolvat ſolidum unum. Si* BARUS *fuerit, ſimiliter. Si ſervus fuerit, medium ſolidum*. Ubi *barus* opponitur ſervo, tanquam liber non-libero. Inde *ſorgenbar*, liber a cura, apud veterem Poëtam in Paræneticis GOLDASTI pag. 414. *Bar* & *frei* ſe mutuo producunt per metathefin.

BAR, præſens, paratus, *bar gelt* pecunia parata, *barſchaft* aurum & argentum ſignatum. Dicitur de pecunia tantum, & judice HELVIGIO a παρὰ prope, juxta, eo quod *bar* ſit id, quod præ manu eſt, parate, atque in promptu. Quamvis etiam ſolutum quid, & ex poteſtate noſtra vel aliena dimiſſum (ut eſt omnis pecunia ſoluta) ſignificare poſſit, ſenſu a liberato ad paratum translato.

BARBAR, barbarus, βάρβαρος. Quo ſenſu, diſputatur inter Eruditos? MARTINIUS vocem a Chaldæis manaſſe putat, quibus *bara* eſt extra, foris. Quod unam compoſiti partem mire exprimit, ſi altera ſit a labio,

cui *bar* virum denotat. Niſi enim vox hybrida ſit, & ex diverſis partibus conflata, nulla idonea ratio duplicationis τῦ *bar* reddi poterit. Secundum hanc etymologiam *barbarus* eſt homo extraneus, qui alio quam noſtro ſermone utitur. Et hanc ſibi ideam omnes de *barbaro* formant. PAULUS Apoſtolus 1. Cor. XIV. 11. *Si nesciero virtutem vocis* (id eſt, ſignificatum) *ero loquenti barbarus, & loquens mihi barbarus.* Hinc quævis gens ſuos habet Barbaros. Sic Græci Ægyptiis erant Barbari, Ægyptii Græcis, Scythæ Athenienſibus, Athenienſes Scythis. Et inter Getas Tomitanos OVIDIUS ipſe Barbarus eſt.

Barbarus hic ego ſum, quia non intelligor ulli,
Et rident ſtolidi verba Latina Getæ.

Hodie vox vituperatur, & adhæret tantum gentibus incultis & feris. Inde *barbariſch* ferus, crudelis. Olim vero tanta erat *nominis barbarici* apud Francos & Alamannos affectatio, ut quavis occaſione ſe *barbaros* profiterentur, & linguam ſuam *barbaricam.* Exempla deſideranti magno numero occurrent apud GOLDASTUM in notis ad *Eginhartum* & *Ekkehardum*, quorſum Lectorem remitto. *Barbaros* autem ſe appellabant, non quod feri eſſent aut inhumani, vel laudem ex feritate captarent, ſed quod pulſis Romanis Provincias eorum extranei occupaſſent. Et hinc *barbaries Theotiſca* non eſt lingua inculta, indiſciplinabilis, aut Grammatici freni impatiens, ſed lingua aliena victis impoſita. Qua gloria nihil ſublimius.

BARBE, barbus, piſcis fluviatilis. A *barba* nomen habet, quia eſt velut barbatus. Unde Italis *barbo*, Gallis *barbon*, *barbel*, & nobis *barbe*, *barbel*. Ita MARTINIUS in voce.

BARBIER, tonſor. Vulgus dicit *balbier* quod vide.

BARCH, *borch*, porcus caſtratus. V. *bork*.

BARCHEN, *barchend*, tela villoſa ex goſſipio. Lat. Barb. *parchanus*. Incertum quo ſenſu. Vide MARTINIUM in voce.

BARDI, cantores veterum Gallorum. Nomen celebre apud ſcriptores Græcos & Latinos. DIODORUS Lib. 5. de Galatis: *Sunt etiam apud eos carminum Poëtæ, quos* BARDOS *vocant.* STRABO Lib. 4. de iisdem: *Apud univerſos tria fere ſunt hominum genera, quæ in ſingulari habentur honore,* BARDI, *Vates, ac Druidæ.* BARDI *hymnos canunt carminaque conficiunt.* HESYCHIUS: BARDI *cantores apud Galatas.* LUCANUS Lib. 3. *Plurima ſecuri fudiſtis carmina* BARDI. De Vatibus & Druidis vidimus alibi. *Bardi* non ita ſeveris, ut Druidæ, ſed humanioribus ſtudiis præfecti, diſcipulis tradebant Hiſtoriam, Poëticam, Muſicam, & forte etiam Mythologiam Deorum. Nam fabulas de Diis non omnes eſſe a Magis aut Ægyptiis, ſed plurimas quoque a *Celtis*, diſerte ſcribit PHURNUTUS Cap. 17. de nat. Deor. Iidem res geſtas carminibus celebrabant, & hæc carmina erant inſtar Annalium. Nomen adhuc ſuperat apud Cambros. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit.

Bardd, poeta, propheta, Bardus.
Bardas, hiſtoria, poetica.
Barddoni, poeta.
Barddoneg, poëtica, poëſis, poëma, carmen.
Barddoniaeth, poëticus.

Armoricis quoque atque Hibernis *bard* etiamnum poëtam denotare, teſtatur TOLANDUS in Vocabulario Armorico-Hibernico. Suſpicor *baren* antiquis idem denotaſſe, quod poſtea *ſpieren*, i. e. cantare. Nam hoc ſuppoſito, facile intelligimus, cur *bar* ſignificet cantum, & *bard* cantorem. Idque etiamnum malo, quam a neſcio quo Bardo, Celtarum Rege, cui BEROSUS inventionem carminum, & PICARDUS in Celtopædia Sectæ Poetarum inſtitutionem tribuit, vocem deducere. Germania nunquam admiſit *Druidas*. Foviſſe tamen *Bardos*, vel certe cantores Bardorum ſimiles, teſtis TACITUS de M. G. Cap. 2. *Celebrant carminibus antiquis* (*quod unum apud illos memoriæ & annalium genus eſt*) *Tuiſtonem Deum terra editum, & filium Mannum, originem Gentis conditoresque.* Cap. 3. *Fuiſſe apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt.* Hodie umbra ejus rei viſitur in Collegiis Cantorum, quos vulgo *meiſterſinger* vocant, & WAGENSEILIUS veterum Bardorum ſucceſſores eſſe putat.

BARDITUS. V. *barten* pugnare.

BAREN, clamare. Extat hoc ſenſu in Gloſſario Celtico PONTANI, nec non apud LIPSIUM in notis ad *barritum* veterum Germanorum. Si verus eſt ſignificatus, oriri potuit a *bæren* attollere. Attolli enim dicuntur non ſolum gravia, ſed etiam voces, quia clamantes videntur eas ex imo pectore tollere. Ita *heben* levare, non ſolum de pondere, ſed etiam de voce uſurpatur.

BAREN, cantare. Rurſus a *bæren* attollere, quia cantantes vocem attollunt. Hunc ſignificatum facilius colligimus, quam demonſtramus. Supponi tamen poteſt duas ob cauſas. Primo, quia *bar* eſt cantus, & *bard* cantor. Quæ videntur in uno verbo convenire. Convenient autem exacte, ſi illud ſit verbale, hoc derivativum a *baren* cantare. Secundo, quia poſteritas eodem ſenſu dixit *ſpieren*, præpoſito ſibilo, & inde *ſpier* paſſer, cantillator, & *geſpirk* cantus. Vide plura in nomine paſſeris.

BAREN, oſtendere, manifeſtare, revelare. Hebræi eodem ſenſu dicunt *beer*, Latini *aperire*, Saxones *aberian*, Franci *irparen*, Latino-Barbari *abarnare*, Germani priores *gebaren*, hodierni *offenbaren*, quod ſenſum reddit redundantem. NOTKERUS Pſal. LX. 6. *dir irbaront ſie iro uuunda, uuanda du iro heilare biſt*, tibi manifeſtant vulnera ſua, quoniam

quoniam tu eorum ſanator es. OTFRIDO *firbaren* eſt occultare, a privativo *fir*.

BAREN, denudare, detegere. Gloſſ. Pez. detecti *giparota*. Gloſſ. Lipſ. *ribaridos* denudaſti. In qua Gloſſa *ri* ponitur pro *ir*, quod uſitatius. Proprie eſt manifeſtare, ſeu facere ut appareat, & dicitur de nudis & detectis, quia apertis & manifeſtis ſimilia ſunt. Germanis verbum excidit. Reſtat tamen adjectiv. a verbo oriundum *bar* nudus.

BAREN, liberare, *entbaren* mancipare. Utrumque obſoletum ab obſoleto *bar* liber.

BARET, galerus. Lat. Barb. *birretum*, Ital. *beretta*. Vulgo habetur pro diminutivo a ſimplici *birrus*, non quatenus veſtem, ſed quatenus tegumentum capitis denotat, quem ſignificatum demonſtravit FERRARIUS in voce. Sed & a *bæren* portare derivari poſſet, quia *baret* eſt geſtamen capitis.

BARGEGELT. V. *bergen* ſervare, eripere a malo.

BARGUS, furca, patibulum. Lex Sal. Tit. LXIX. 3. *Si quis hominem de bargo vel de furca dimiſerit ſine voluntate judicis.* An a *bæren* ferre, ut *furca* & *ferculum* a *ferendo*, quia facinoroſum ſuſpenſum ſuſtinet & portat? Dubito. Videtur potius ab Angloſaxonibus mutuatum, quibus *wearg* eſt lignum ſupplicii, quantum ex compoſitis apud Lexicographos cognoſcere licet, qualia ſunt, *wearg-bærend* furcifer, *wearg-rod* furca, crux patibuli. W. & B. cum ſint literæ communis organi, facile permutantur. Sic autem dicitur vel a Gothico *wargjan* damnare, vel ab Angloſaxonico *wyrgan* execrari, devotare. Nam hæc omnia patibulo, quatenus eſt lignum excidii, vel lignum maledictum, optime conveniunt. SPELMANNUS *bargum* interpretatur ramum vel truncum arboris, quod apud TACITUM legiſſet, *proditores & tranſfugas arboribus ſuſpendunt*. Quem ſequitur CANGIUS, Gloſſis Pithœanis inductus, in quibus *de bargo* exponitur *de ramo*. Hanc interpretationem ſi quis ſequi malit, non vetabo. Nam *brig* (unde per metathesin fit *barg*) Cambrica Lingua etiamnum ſignificat *ramum*, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. ECCARDUS, qui Gloſſis Pithœanis fidem derogare audet, è Boxhornio refellitur.

BARGUS, tumulus. Pactus Leg. Sal. Tit. LXXV. *Debent facere bargum V. pedis in altum.* Refer ad *berg*, quod antiquitus non ſolum montem, ſed quamvis terræ eminentiam, parvam vel magnam, denotavit. Ruſtici Saxonum etiamnum dicunt *barg*.

BARK, navicula. Derivari poteſt a *bæren* portare, vel a *faren* vehere, remigare, quia barca eſt ſcapha oneraria, qua merces & farcinæ transvehuntur. Singularis MARTINII opinio eſt, qua *barcam* deducit à *bark*, *bork* cortex, vel *barken* decorticare, ut indicetur navicula, non è corticibus, ſed ex arbore decorticata facta. Hoc etymon SKINNERUS ingenioſum vocat, verum eſſe negat. Confer *færge* linter.

BARM, ſinus, gremium. Vox omnibus antiquis familiaris. Evang. Goth. Luc. XVI. 22. *warth briggan in barma Abrahamis*, portatus erat in ſinum Abrahæ. Evang. Angloſax. Joh. XIII. 23. *blinode on thæs hælendes bearme*, recumbebat in ſinu JEſu. TATIANUS Cap. XIII. 10. *einago ſun innan barme themo fater*, unicus filius in ſinu patris. Hodie ſuperat apud Suecos & Danos. Refer ad *barmen* fovere. An huc ſpectet canis *barnbraccus*, poſtea examinabitur in *brack*.

BARMEN, fovere. Angloſax. *feormian*. Hodie dicimus *wærmen*. Literæ B. F. W. cum ſint ejusdem inſtrumenti, legitime permutantur. Inde *barm* ſinus, vox a matribus inventa, quæ infantes ſolent gremio fovere.

BARMEN, miſereri. Verbum novum, ſed ex partibus antiquis compoſitum. Nam a ſimplici *armen* miſereri, quod Gothicum eſſe vidimus, recentior ætas fecit primo *bearmen*, & inox contracte *barmen*. Plura ejus generis correpta dabit Præfix. *B.* in PROLEG. Franci utuntur compoſito *irbarmen*, Sueci *förbarma*, Belgæ *ontfermen*, litera *B.* in *F.* mutata, noſtri *erbarmen*, quod vide.

BARMHERZIG, miſericors. LINDENBROGIUS in Gloſſ. *barm* interpretatur parvum, ex Lege Friſionum de *barmbracco* ſeu *parvo braccone*, Tit. IV. 3. Et hanc vocem remanſiſſe putat in compoſito *barmherzig*. Secundum hanc etymologiam miſericors erit is, qui Græcis μικρόψυχος, Latinis *puſillanimis*, manifeſta virtutis cum vitio confuſione. Ille potius miſericors dicendus, cujus animus miſeria aliena tangitur. Idemque dicere voluiſſe primos vocabuli repertores, ſatis manifeſtum, ſi componatur, ut par eſt, ab *herz* animus, & *barmen* miſereri. Veteres aliis utuntur vocabulis, ſed reapſe idem ſignificantibus. OTFRIDO miſericordes vocantur *armherze*, ab *armen* miſereri, Lib. II. Cap. XVI. 33. TATIANO *milherze*, a *mild* clemens, benignus, Cap. XXII. 12. Gothi carent adjectivo, & miſericordem vocant *bleiths* Luc. VI. 36.

BARMHERZIGKEIT, miſericordia. PALTHENIUS in notis ad Tatian. pag. 327. *barm* interpretatur ſinum, quia miſericordia eſt affectus tenerrimus, quem erga liberos, quos in ſinu fovet, toto pectore mater exerit. Secundum hanc etymologiam affectus ille tenerrimus erit ſic dictus, quaſi *ſinucordia*, mira compoſitionis ratione, & pene monſtroſa. Sed ſinum præter rem hic immiſceri, patet ex compoſitis antiquis. Nam miſericordia in Evang. Goth. dicitur *armahairtei* Luc. I. 50. & in Gloſſis KERONIS *armherzida*, quaſi miſeratio animi, omnino ab *herz* animus, & *armen* miſereri. Nos inde habere *barmherzigkeit* per præfix. *be*, cuivis opinor manifeſtum. In quibusdam Dialectis, ſed recentioribus, *herz* non ingreditur compoſitionem vocis, ſed miſericors dicitur *erbarmig*, & miſericordia *barmekeit*

& *erbarmekeit*, haud dubie ab eodem verbo & præfixo. Vide, ſi juvat, Parænefin WINSBEKII ad filium Strophа 62. 66. 67.

BARN, filius, puer, infans, parvulus utriusque ſexus. Chaldæis *bar*, Lat. *puer*, Gothis *barn*, quod dicitur de puero JEſu Luc. I. 80. & de puella Marc. V. 39. Angloſax. *bearn*, Franc. *barn*, Alam. *parn*, Island. Dan. Suec. Angl. & Scot. *barn*, Friſiis Vet. *bern*, Procop. *baar*, apud BUSBEQUIUM, Hiſpanis *baron*, quod illis haud dubie a Gothis relictum. Gloſſ. Keron. filios *parn*, ſuper filios hominum *ubar parn manno*. TATIAN. Cap. III. 7. *gotes barn* filius Dei. Gloſſ. R. Mauri: neophytus *nueſſparn*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *bearn* filius, puer, pignus, *wepned bearn* maſculus, *bearna-bearn* pronepos, *bearn-cennan* parere, parturire, *bearneacnian* uterum ferre, *bearn-leas* improlis. Gothi multis utuntur derivatis, & pene ſoli. Hujusmodi ſunt, *barnilo* filiole, *barnilona* filioli, *unbarnabs* liberos non habens, *barnaskja* infantia, quæ diligentiſſime annotavit JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 82. GOLDASTUS derivat a *baren* liberare, ſicut Latini *liberos* a libertate: JUNIUS & STIERNHIELMIUS a *bæren* parere, gignere, procreare, ut *barn* proprie ſit *gnatus*. Contra PALTHENIO *barn* eſt diminutivum a *bar* vir, ſicut maſculus a mas. Sed & *parvulum* denotare poteſt, quoniam apud HESYCHIUM *βάρ* exponitur *μικρὸν*, etiamſi neſciamus, ex qua lingua illud hauſerit.

BARO, vir. Idem quod *bar* vir. Gloſſæ Philoxeni: *baro*, *ἀνὴρ*.

BARON, vir nobilis, ſed alteri obnoxius, alias vaſallus & cliens. Sic autem dicitur a *bar* vir, quaſi *homo Regis*, quod Regi ob quædam beneficia, quæ *Feuda* vocant, militaret. Quicunque enim alteri quodammodo obnoxius eſt, is *homo ejus* eſſe cenſetur, five *baro*. Hinc ejusmodi nobiles in ſequioris ævi chartis vocantur *mannen* abſolute & per excellentiam, quaſi *homines regii*. Vide dicta in *man* cliens. In Anglia certe Proceres regni non aliam ob cauſam conſueverunt vocari *Barones regni*, quam quod *homines Regis* eſſent, & Regiæ Majeſtati *hominium* ſeu *homagium* præſtaſſent, ut docet HICKESIUS in Gram. Angloſax. pag. 146. Hiſpanis quoque *varon* virum & magnatem denotat. Ætas Carolina nullos tulit *Barones*, ſed Comites atque Duces tantum. Hinc omnis eorum notitia ex monumentis recentioribus petenda eſt.

BARS, perca, *πέρκη*, *περκὶς*, à *πέρκος* niger, nigris maculis variegatus, auctore MARTINIO. Quid ſit *kul-bars*, vide in *kule* foramen. Angloſaxonibus *bærs* eſt lupus.

BARSCH, guſtu acerbus. Forte ab initio fuit *warſch* ab *ἄωρος* acerbus, præpoſito W. quod poſtea mutatum in B. Hodie a guſtu ad animum acerbum & mores auſteros transfertur.

BART, pili circa mentum & genas, Lat. *barba*, Armor. *barf*, *barv*, apud PEZRON. in Ant. Celt. pag. 376. Angloſax. & Anglis *beard*, Francis *part*, Belg. *baard*, Præcopenſibus in Cherſoneſo Taurica *bars*, Slavon. *brada*, *broda*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *beard* barba, *beard-leas* imberbis, impuber, *gebyrd* barbatus, *ungebyrd* imberbis, *wang-beard* barba maxillaris. Gloſſ. Pez. ſine barba *ungiparta*. Quamvis ſingulæ voces aliquid commune inter ſe habere videantur, difficile tamen eſt, ad unam omnes originem reducere. Vox Celtica, unde Latinam derivat PEZRONIUS, videtur eſſe a *bar* vir, quia barba virorum eſt, non mulierum: Germanica a *baren* oſtendere, manifeſtare, vel a *birta* ejusdem ſignificatus, quod habent Sagarum Scriptores apud VERELIUM in Ind. quia barba prodit virum, & eſt ſignum & index virilitatis. Aut, ſi mavis, a *barten* ſecare, ut proprie ſit tonſura. Taurica haud dubie a Gothis aliisque populis Germanicis circa Pontum & Mæotidem (ubi antiquitus conſederant) relicta eſt. Slavonica vero non differt a Germanica, quia R. natura ſua mobile eſt.

BARTE, aſcia, ſecuris, inſtrumentum quo ligna cæduntur & finduntur. Utitur Luth. Pſal. LXXIV. 6. Gloſſ. Lipſ. *anbardon* aſcia. NOTKERUS Pſal. LXXIII. 6. *mit partum unde mit ſticchele brachen ſie die ture*, ſecuribus & aſciis effregerunt januas. MARTINIUS exiſtimat, ſecurim ſic appellari quaſi *malleum barbatum*, a ſimilitudine barbæ. Sane ſecuris antiqua, & præcipue Amazonia, a tergo habet malleum, & ſecuris militaris VEGETIO dicitur *martio-barbulus*, a barba quam refert, & malleo, qui Latinis vocatur *martus*. Secundum hanc etymologiam *barte* erit truncatum ex *hammer-bart* vel *bart-hammer* malleobarbulus. Satis ingenioſe. Sed *barten*, ut mox oſtendam, eſt cædere, ſecare, ut adeo barbata origine minime opus ſit. Lingua ruſtica Saxoniæ inf. etiamnum utitur diminutivo *bardeke* pro ſecuricula, quod imitantur Græci inf. in *βαρδύκιον*, & Latini in *barducium*. Quod ex obſervatione MARTINII ſcribo, qui has voces ad linguam noſtram reducere non dubitavit.

BARTEN, ſcindere, ſecare. Transpoſitum ab Angloſax. *brytan* ſecare, diſſecare, quod habet BENSON. in Voc. AS. Idem Græcis *πρίζειν*. Quod nobis pro etymo eſſe poteſt. Anglis *to bard* eſt tondere, puta per ſynecdochen generis. Quid enim eſt tondere, niſi forſice vel novacula præcidere & præſecare? Ergo ſenſus a generali ſecandi notione petitus eſt. Ab hoc interim verbo nomina ſua ducunt (1.) inſtrumenta ſecandi, domeſtica & militaria, *barte* ſecuris, *hellebarte* & *partiſane* bipennis. (2.) ſectilia vel ſecando facta, *bord* & *bret* aſſer, *pritſche* ſponda & ferula lignea.

BARTEN, cædere, pulſare, verberare. Olim non una fuit verbi pereuntis forma. Quod ex veſtigiis, qui naſum habent, facile odorari poſſunt. LOCCEN. in Lex. Jur. Sueo-

Sueo-Goth. *bard* percuſſus, *barda* vel *bardaga* vel *beria* cædere, percutere. VEREL. in Ind. *bardur* percuſſus, cæſus, verberatus, *barenn* percuſſus, *barit gull* aurum diductum & explanatum. Id eſt, percuſſum. In quibusdam Dialectis *augenbrade* eſt ictus oculi, a colliſione palpebrarum. Quemadmodum autem *beria* convenit cum Latino *ferire*, ita *barten* & *barda* cum ſequioris ævi *feritare*. Longobardi inde habent *ferita* ictus plaga. *Martus*, *martellus*, & *marteau*, pro malleo, ſunt a *barten* pulſare, & nequaquam a *marte*. Labiales permutari, quid magis obvium?

BARTEN, pugnare, ictibus certare. VERELIUS in Ind. *beriaſt* pugnare, pugnas ciere, in locis infinitis auctorum invenitur, *bardagi* pugna, *bardaga balker* titulus in Legibus Veſt. (Weſtro-Gothicis) de cædibus & verberibus, *baratta* pugna, *barattomadur* bellator. Italis *baratta* etiamnum eſt pugna, quod a VERELIO recte ad cognationem reliquorum refertur. Et hinc quoque lucem accipit claſſicum illud terribile veterum Germanorum, de quo TACITUS Cap. III. de M. G. *Herculem primum omnium virorum fortium ituri in prœlia canunt. Sunt illis hæc quoque carmina, quorum relatu, quem* BARDITUM *vocant, accendunt animos, futuræque pugnæ fortunam ipſo cantu augurantur. Terrent enim trepidantve, prout ſonuit acies. Nec tam voces illæ, quam virtutis concentus videntur. Affectatur præcipue aſperitas ſoni, & fractum murmur, objectis ad os ſcutis, quo plenior & gravior vox repercuſſu intumeſcat.* Alii legunt *barritus*, nullo ſenſus damno. Utraque vox idonea eſt, & ſignificare poteſt quod debet. Nam forma verbi generantis, ut ex derivatis patet, duplex fuit ab antiquo, *barten* & *baren* pugnare. Hinc claſſicum, quod pugnam præcedit, recte vocatur *barditus* a *barten*, & *barritus* a *baren*. Ita Græci claſſicum vocant πολεμικὸν, a πολεμὸν bellum parare.

Idem verbum, quod pro vario vultu *barditum* & *barritum* producit, in aliis quoque derivatis ſonum variat, non ſenſum. Ita bipennis vel ſecuris militaris Suecis promiſcue vocatur *hillebard* & *hillebær*: illud a *barten*, hoc a *baren* pugnare. Et ne quis hoc tanquam inſolentius dicto offendatur, ſciendum, verba biformia in re militari plura occurrere apud Antiquos. Ita pugnare promiſcue dicitur *hellen* & *hilda*. Quæ res poſtea mutationem peperit in derivatis, ſalvo tamen & integro ſignificatu. Ita bipennis Germanis vocatur *hellebart*, ab *hellen* pugnare: Islandis *hildrbard*, ab *hilda* pugnare.

BARUKE, coma aſcitia. V. *perruke*.

BAS, *baſſ*, bonus & bonum, *unbaſſ* languidus, non bonus. Refer ad *batten* juvare, prodeſſe. Ab hoc adjectivo oriuntur comparativi & ſuperlativi in omnibus Dialectis, quos vide in *beſſer*, & *beſt*.

BAS, *baſſ*, melius. Adverb. qualitatis, quod Angloſaxonibus effertur *bet*, Francis *baz*, Alamannis *paz*. Gloſſ. Keron. melius *paz*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. II. 98. *thaz mir es jamer ſi thes baz*, ut mihi æternum ſit meius. Lib. III. Cap. II. 60. *eiscota thia ſtunta uuanne imo baz uuurti*, inquiſivit horam qua melius valere cœpit. Hujus adverbii progenies ſunt *büſſen* & *baden* emendare.

BAS, *baſſ*, magis, plus, amplius. Adverb. comparandi, a qualitate ad quantitatem translatum, Angloſaxonibus & Francis ut ſupra. OTFRIDUS Lib. I. Cap. II. 46. *thaz herza uueiſt thu filu baz*, cor noſti multo magis. Lib. II. Cap. XIX. 27. *barto ſezit iu iz baz*, hoc decet vos multo magis. WILLERAMUS Cap. VI. 2. *in nieuuetes baz ne luſtet*, nihil magis eum oblectat. Luth. Act. XXIII. 15. *thut kund, als woltet ihr ihn baß verhören*. Inde *fürbaß* plus ultra, quo rurſus utitur Luth. Marc. I. 19. cujus ſynonymum eſt *fürder* longius Luc. XXIV. 28.

BAS, infra. Vox Celtica per Francos ducta, qui hoc ſenſu dicunt *baz*, obſervante SCHILTERO in Gloſſ. NOTKERUS Pſalm. LXXXI. 1. ad locum Pſalmi inferius occurrentem provocans inquit: *ſon dien er hina baz chit*, de quibus deinceps infra ait. Inde Francis *beizen* deſcendere, & deprimi in terram. NOTKER. Pſal. XVII. 10. *unde irbeizta hara nider*, & deſcendit de cœlo. Particulam *bas* hodie cuſtodiunt Galli. Convertitur autem in adjectivum. Hinc humilis, depreſſus, imus, Cambris & Gallis dicitur *bas*. Inde Cambris *basgawd* & *baged* ſporta humilis. Quam vocem Britannicam eſſe teſtatur MARTIALIS:

Barbara de pictis venio Bascauda Britannis,
Sed me jam mavult dicere Roma ſuam.

Locum adduxit BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. Tandem ex adjectivo fit ſubſtantivum *baß* modus infimus in arte Muſica, quem vulgo *Baſſum* vocant. Similia ſunt Græcorum βαθὺς profundus, demiſſus, βάσσον profundius, βάσις pars infima columnæ.

BASE, amita. Vox Suevis a Francis relicta, qua utitur quoque Luth. Lev. XVIII. 14. Gloſſ. Boxh. *paſa* amita. Gloſſ. Pez. amitæ *paſun*. Saxones antiqui ſororem patris vocant *fatha*. Gloſſ. Ælf. amita mea *min fathu*, amita mea magna *minra fatha modur*. Quod certe origini propinquius. Oritur enim a *wetten* jungere, & proprie eſt omnis ſanguine vel affinitate nobis conjuncta. Hinc uſus Suevorum hodiernus recte & nativitati conformiter vocem ad omnes cognatas extendit. Ex eodem fonte eſt *vetter* cognatus. Labiales (quales omnino ſunt W. B. P. F.) in ſe mutuo converti, in *Proleg.* Sect. III. demonſtravimus.

BASS, baſſus. V. *bas* infra.

BAST, vinculum, *linden-baſt* vincula tiliæ, *weiden-baſt* vincula viminea. VEREL. in Ind. *baſt oc band* alitterationes. Quid ſint *alitterationes*, me fugit. Apochas vel obligationes eſſe conjicio. Interim *baſt* & *band* recte con-

conjunguntur, quia ſunt ejusdem originis, & ſe mutuo explicant. Quemadmodum enim a *glæntzen* ſplendere fit *glanz* & *glaſt* ſplendor: ita a *binden* ligare *band* & *baſt* vinculum. Ab hoc ſubſtantivo oritur verbum *baſta*, quod in Indice Verelii rurſus conjungitur cum *binda*. Sic enim lego: *baſta oc binda* maleficos vinculis conſtringere.

BAST, philyra, tilia. Conveniunt Sueci in voce, quæ rurſus a vinculis deſumpta. PLINIUS Lib. XVI. Cap. 14. de tilia: *Inter corticem ac lignum tenues tunicas multiplici membrana, e quibus vincula tiliæ vocantur.* Locus videtur mendoſus.

BAST, ſellæ vel clitellæ jumentorum, quibus onera imponuntur. Italis *baſto*, Latino-Barbaris *baſta*, *baſtum*. A βαστάζω porto, judice FERRARIO.

BASTAND, fuſficiens. Ab Ital. *baſta*, *baſtare*, *baſtante*, ſatis, ſufficere, ſufficiens.

BASTARD, filius naturalis, ex concubina vel pellice natus. Cambris *baſtardd*, Lat. Barb. *baſtardus*, Græc. Barb. μπαστάρδος. Vox ob incertitudinem originis ſpurio ſimilis. CUJACIUS & Juris Civilis interpretes quidam, a Germanico *bös-art* peſſima ſoboles, deducunt: quam etymologiam cel. HICKESIUS hinc confirmare conatur, quod infans a matre, durante mariti exilio editus, Islandis *baſingr* & *buſta*, h. e. peſſimus vocetur. Contra KILIANO eſt a *beſt-art* optima ſoboles, quamvis per antiphraſin. PEISKERUS nomen ad famoſam quandam meretricem βασσάρην refert. SPELMANNUS, cum animadvertiſſet, Anglos terræ filium & novum atque obſcuræ originis hominem *upſtart* appellare, vocem, quaſi ad imaginem Anglicæ factam, interpretatur *ſpurce editum*, quod *bas* Germanis impurum, *ſteort* vero Angloſaxonibus ortum denotet, quamvis nec hoc nec illud eo ſenſu reperiatur. BOXHORNIUS in Lexico Antiquo-Britannico, e chartis DAVIESII decerpto, vocem Britanniæ vindicat, utpote ex *bas* depreſſus, & *tarddu* germinare, oriri, compoſitam: Quaſi dicas, qui non a profunda & antiqua nobilitate ortum ducit, ſed nuper progerminavit. Hæc etymologia multis Viris doctis in Gallia, & præcipue CANGIO & PEZRONIO ſe probavit. Et confirmari inde videtur, quod Galli hodierni ejusmodi filios appellare ſolent *fils de bas*, quaſi ex infimæ ſortis matre (cujusmodi ut plurimum ſunt potentiorum concubinæ) prognatos. LEIBNITIUS tamen in Gloſſario Celtico eam ſic corrigere conatur: BASTARD, *non inepte forſan vulgo a* BASSO *ſeu vili, humili, &* ART *genus.* Sed literam T. in medio vocis adverſam ſibi experitur. SCHILTERO ratio appellationis eadem videtur, ac in vocabulo *bank-art:* ut, quemadmodum *bank* legitimo thoro opponitur, ita *baſt* ſit ſella vel lectica thoro oppoſita. Cætera ad genus refert. Mihi perſuaſum eſt, *baſt* eſſe a Gr. πασὸς thalamus. Nam hoc conjunctum cum *art*, efficit eum qui vitio lecti genialis laborat. Qualis omnino eſt *baſtardus*. Simile compoſitum eſt *bankart*, quod vide. Hodie, ni fallor, ita diſtinguunt, ut *Bancardus* ſit fœtus vulgo quæſitus, *Baſtardus* cujus pater in aprico eſt. Ille matris tantum hæres eſt, hic etiam patris, & in lineam paternam olim poterat ſuccedere. Saltim priſcos Septemtrionalium populos, imo etiam Gothos & Francos, hoc naſcendi vitio laborantes ad ſucceſſionem admiſiſſe legimus. Inde eſt, quod nec famoſum Angliæ ſubactorem GUILIELMUM NORMANNUM tituli hujus puduerit, dum epiſtolas ſuas ſæpe ita orditur: *Ego Willielmus cognomento Baſtardus:* nec alios hodie pudeat.

BATT, fuſtis, baculus. Angloſax. *bat*, *batte*, Hibern. *batta*, Angl. *bat*, Gall. *baton*, *baſton*, Græc. inf. βατίς. Inde Gallis *baſtonade* fuſtigatio. Cuncta a *batten* cædere.

BATTALIA, duorum aut plurium conflictus, qui fuſtibus aut armis peragitur. Vox Burgundica, a *batten* cædere. Addit L. ad Leg. Burg. Tit. V. 2. *Si ad* BATTALIA *mulier foras curte ſua exierit, & aut vulnera acceperit, aut ei crinis inciſus fuerit, imputet ſibi, &c.* Burgundiones antiquitus lingua Germanica uſos eſſe, ſatis notum eſt, & vel hæc una vox declarat. Burgundis hodiernis & univerſæ Galliæ *bataille* eſt pugna exercitus cum exercitu, ſenſu a pugna privata ad publicam translato.

BATTEN, cædere, ferire, verberare, quocunque modo id fiat, ſive pugnis, ſive fuſtibus, ſive armis. Cambris *baeddu* eſt verberare, tundere. Gothis *kaupautjan* pugnis cædere Marc. XIV. 65. Angloſaxonibus *beotan*, *beatan* cædere, verberare. Marc. XIV. 65. *and ſume agunnun hyne mit fyſtum beoton*, & quidam cœperunt eum colaphis cædere. Luc. XII. 45. *and agynth beatan tha cnihtas and tha thinena*, & incipit verberare ſervos & ancillas. Angli eodem ſenſu dicunt *beat* & *baſt*, Latini *batuere*, quod illis videtur a Celtis communicatum, Galli *battre*, & inde *batterie* pluteus, ab ictibus tormentorum, Latino-Barbari *battere*. Lex Sal. Tit. XXXVIII. 4. *Si quis ſervum alienum battiderit.* Lex Alam. Tit. XCVIII. 2. *Si porcarius ligatus, de via oſtatus, vel battutus fuerit.* Hujus verbi incredibilis eſt vetuſtas, adeo ut ex primitiva hominum lingua in reliquas videatur profectum. Nam & Hebræis *phatah* eſt percuſſit, & Arabibus *watacha* fuſte percuſſit. Scythicum conſenſum in ſcala ſignificationum producam.

BATTEN, tundere. Cambris & Latino-Barbaris ut ſupra. Inde *battere linum*, & *battere in ſcuria* pro triturare, in Capitularibus Regum Francorum apud CANGIUM in Gloſſ.

BATTEN, cudere. Inde Cambris *bath* moneta, Germanis *batz* genus monetæ ex bractea argentea, *amboſs* incus.

BATTEN, pulſare, impellere, cædere propulſandi cauſa. Gallis *pouſſer*, *bouter*, Ital. *buttare*, Hiſpan.

Hiſpan. *botar*, Lat. Barb. *butare*. Verbum extinctum, ſed cæteris cognatum, & hinc fortaſſe antiquitus uſitatum, communicatumque exteris, quamvis veſtigiis omnibus domi deletis. Nec aliunde BATAVORUM nomen toto orbe celeberrimum explicari poteſt felicius. Batavos a Cattis, aboriginibus ſuis, ſeditione domeſtica pulſos eſſe, haud obſcure indicat TACITUS Cap. XXIX. de M. G. Quæ res reliquis Germanis potuit anſam dare, ut fugitivos illos appellarent *Batavos*, ab *abo* vir, colonus, & *batten* pulſare, quaſi colonos expulſos. De voce *abo* vide plura in *abenteur* auſum virile. Hodie umbra ejus verbi ſuperat in frequentativo *boſſeln* globum projicere, quo utimur in ſphæromachia.

BATTEN, occidere, ita percutere ut mors inde ſequatur. Scythis *pata*, Latino-Barbaris ut ſupra. Vocabulum Scythicum, ut alia multa ad Gentis eloquium ſpectantia, cuſtodivit HERODOTUS, cujus hæc ſunt verba Lib. IV. Cap. 110. *Scythæ Amazones vocant ἀῤῥατόπα, quod nomen poteſt transferri ἀνδροκτόνοι, id eſt, viricidæ: ÆOR enim virum dicunt*, PATA *autem occidere*. Inde Latino-Barbaris *forbattutus* eſt præveniendo occiſus, a *for* ante, prius. SCHILTERUS interpretatur *juſte occiſum*. Haud male. Nam qui præveniendo occiditur, juſte patitur, quod injuſte voluit facere, ſaltim ſecundum antiquos. ECCARDO *forbattutus* eſt aggreſſor, ſed contra naturam participii paſſivi. Hodie utimur frequentativo *patſchen*, ſed de muſcis tantum. Inde *fliegen patſchen* eſt muſcas occidere.

BATTEN, pedibus calcare. Latino-Barbaris *battire*, quod cognoſcitur ex compoſito *trabattire*, quod extat in Leg. Sal. Tit. XXVIII. 4. *Si quis feminam ingenuam trabattit*. Id eſt, pedibus conculcet. Præfix. *tra* ſenſum intendit, eſtque omnino idem quod hodie *zer*, & alia Dial. *ter*. Eodem modo præfix. *er* ſæpe mutatur in *re*, & *ir* in *ri*, ob mobilitatem literæ *r*. Vide plura in *pedden* ejusdem ſignificatus.

BATTEN, juvare, prodeſſe, proficere. Gr. βωθέω, βοηθέω, Goth. *botan* Joh. VI. 63. *leik ni boteith waiht*, caro non prodeſt quicquam. Verbum Græcum imitantur Latini in *beo* (nam beare eſt juvare), Gothicum Belgæ in *baten*, Angli in *boot*. Cambri inde habent *budd* utilitas, commodum, quæſtus, cui ſimile Heb. *baza* lucrum.

BATZ, moneta minor ſup. Germaniæ, a *batten* cudere. Hoc malo, quam a *betze* urſa, nummi appellationem, tanquam apud Bernenſes in Helvetia natam, deducere, quod facit SCHILTERUS in Gloſſ. Cambris *bath* omnem monetam ſignificat.

BAU. V. poſt *bauch*.

BAUCH, venter. Vox a Francis proſeminata, quibus venter dicitur *buh*, *buch*, quod imitantur Belgæ in *buick*, Sueci in *buuk*. NOTKERUS Pſal. XLIII. 25. *unſer buh nideret ligendo haftet zuo dero erdo*, venter noſter adhæſit in terra. Et mox: *ih inphiench ein buoch, daz uuas ſuozze in minemo munde, unde bittir in minemo buche*, accepi librum, qui dulcis erat in ore meo, & amarus in ventre meo. Oritur, non a Græc. πάχυ pingue, craſſum, obeſum, nec a Lat. *vacuus*, quas etymologias ignorantia Germanicæ linguæ peperit; ſed a verbo domeſtico & vetuſtiſſimo *bügen* arcuare, quia venter eſt fornix & opus naturæ arcuatum. Poſtea ſenſus translatus eſt ad omnis generis vaſa, nautica, potoria, lavatoria, quod concava eſſent inſtar ventris. Inde Belgis *bak* linter, alveus, vas cavum, Angloſaxon. *buc* lagena, Germ. *becher* crater, *becken* pelvis, *pokal* poculum. Deſingulis actum in ordine. Latinis quoque *alvus* & *alveus* ventrem & vas cavum ſignificat.

BAU, domicilium, habitaculum, ſedes, locus habitandi & quieſcendi. Vox Celtica & antiquiſſima, quæ Cambris eſſertur *peu* & *peues* apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Gothis *baua* Marc. V. 3. Angloſax. *bye*, Islandis *bo*, *bu*. VEREL. in Ind. *bo*, *bu*, domicilium, fundus, familia, *bu-ſie*, *bu-ſmali* animalia domeſtica. Refer ad *bauen* habitare.

BAU, civitas, pagus, villa, prædium, locus habitandi communis. VEREL. in Ind. *by* prædium, pagus, civitas, *byaman* civis urbanus, *bylag* lex civilis &c. Ex eodem fonte. *By* hodie cuſtodiunt Sueci.

BAU, ædificium, *gebeude* ædificia, *bau-meiſter* architectus. Refer ad *bauen* ædificare.

BAU, cultura, *feld-bau* agricultura. Refer ad *bauen* colere agrum. Inde *buman* colonus, *buuueliite* coloni, in Jure Prov. Alam. Cap. 212.

BAUEN, poſſidere, occupare. Verbum a Celtis profectum. Cambris *piau* & *biau* eſt verbum poſſidendi anomalum, & inde *mi biau* meum eſt, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Inde Angloſaxonibus *byan* poſſidere, apud SOMNER. & BENSON. Islandis *bo* fundus, poſſeſſio, *buandi* qui domum & familiam poſſidet. Quibus convenit Gr. πῶ & πάω poſſideo. Hic primus verbi latiſſime patentis ſenſus, a quo reliqui per varios gradus deſcendunt.

BAUEN, habitare, manere in loco occupato. Gothis *bauan*, *gabauan* Marc. IV. 32. Angloſaxon. *byan*, Franc. & Alam. *buen*, *puan*, Island. *bua*, Suec. *boo*. Gloſſ. Keron. habitare *puan*, ad habitandum *zapuanne*, degunt *puant*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. II. 64. *thaz uuort buit in uns*, verbum habitat in nobis. Senſus ab occupando ad habitandum translatus, cum quia primæ in orbe habitationes poſt univerſalem illam gentium diſperſionem cedebant occupantibus, tum quia orbe jam occupato unusquisque eo ſedere & habitare loco ſolet, ubi ſuas habet poſſeſſiones & fundos. Hodie utimur in formula *das elend bauen* exulare, proprie regionem peregrinam incolere.

BAUEN, ædificare, conſtruere ſedem ubi habites. SOMNER. in Dict. Angloſax. *bycgan*

ædificare. VEREL. in Ind. *boa*, *bua* ædificare, fabricare, parare, apparare, ornare, *byggia* habitare, ædificare. Suecis *byggia* etiamnum eſt ædificare, dum Belgæ cum Germanis dicunt *bouwen*. HELVIGIUS & JUNIUS hunc verbi ſenſum derivant a Gr. βόειν obſtruere, quia prima ædificantium cura eſt, foramina luto & viminibus obturare, & omnes venti vias intercipere. Malim, ſi Græca origine opus ſit, a πηγῶ ſtruo, fabricor. Nam huc nos ducit verbi Saxonici *bycgan* & *byggia* conſonantia. Dubitari tamen poteſt, an nova etymologia opus ſit. Nam *bauen* potuit ab habitando ad ædificandum transferri, quia primi mortales iis locis, ubi ſedem commorandi fixerant, ſtatim ſolliciti erant de tecto, etiamſi vel unius diei ſtructura eſſet. Verbum Francorum & Alam. vide in *zimmern*.

BAUEN, colere agrum, arva ſubigere. Ex eodem fonte, quia primi mortales agros, in quibus conſederant, etiam colebant, id quod etiam fieri ſolet hodie. Latinis quoque *colere* & inhabitare & agricolari ſignificat. Inde Angloſaxonibus *buend* agricola, colonus, manifeſto veteris verbi indicio. Transferri ſolet ad animum. Inde *erbauen* ædificare exemplo, doctrina, excolere & perficere animum, *erbaulich* utilis, fructuoſus, aptus ad animum excolendum.

BAUER, locus habitandi communis, patria, regio, civitas, pagus, villa, prædium. A *bauen* habitare per medium derivandi *er*. Apud Antiquos transponitur in *bro*, aut contrahitur in *hyr* & *bur*. BOXHORN. loc. cit *bro* patria, regio. VEREL. in Ind. *by*, *byr* civitas, pagus, prædium. In Jure prov. Saxon. Lib. II. art. 55. occurrit *bur* villa, *mennie der bure* communitas villæ, *burmeſter* ſcultetus, prætor villæ. Scoti leges villarum etiamnum vocant *birlaws* & *burlaws*, teſte SPELMANNO in voce *Bellagines*. Et huc fortaſſe etiam ſpectant nomina urbium *Canterbury*, *Salisbury*, aliaque, quorum extremitates vulgo explicantur per *burg*, quod neſcio an ſit acceptandum. Hodie dicimus *beuren*, in multis locorum nominibus, cujusmodi ſunt, *Blawbeuren*, *Kaufbeuren*, *Ottobeuren*, niſi forte in hisce compoſitis *beuren* fontem aut fluvium potius quam villam denotet. Vide quæ infra recurrent in *beuren*.

BAUER, habitaculum, vel pars habitaculi. Græcis βούριον eſt domicilium apud HESYCHIUM. Islandis *bur* caſa, tugurium, *fuefnbur* cubiculum, apud VEREL. in Ind. Angloſaxonibus *bur* conclave, apud SOMNER. Anglis *bower* pergula ex ramis arborum, umbraculum. Germanis *bauer* cavea, habitaculum avis. Cuncta ex eodem cum præcedenti fonte. Sed hic ſignificatus antiquior cenſeri debet, quia ante fuit caſa quam villa, domus quam civitas.

BAUER, indigena, incola civitatis, pagi, villæ, vel alterius loci communis. Gothis *baurja* Luc. XV. 15. Angloſaxonibus & Francis *bure* in compoſitis. Vide *gebauer*, & patebit. Hodie ſuperat in *nachbauer* accola, vicinus, incola qui proxime nos habitat. Ex nominibus propriis huc referri poſſunt,

BURII, de genere Suevico, qui videntur ſic dicti quaſi pagenſes, vel homines ejusdem pagi.

BURGUNDI, Germanice *Burgunder*, indigenæ bellicoſi. Id enim *gunder* vel *günther* ſignificat, quod eſt a *gund* bellum. Burgundos ab initio cuſtodes limitis Romani fuiſſe, a Druſo ſubacta interiore Germania hinc inde per habitacula, quæ *burges* vocant, diſpoſitos: poſtea in magnam gentem evaluiſſe, & nomen a *burgis* præſumpſiſſe, ſcribit MARCELLINUS, qui eosdem *ſobolem Romanam* vocat. Secundum hanc etymologiam *Burgundiones* erunt ſic dicti quaſi in burgis geniti, a *kund* genitus. Sed vereor, ut MARCELLINUS hic ſit fabuloſus. Quis credat, Romanos hoſtibus recens devictis limites dediſſe cuſtodiendos? Magis audiri meretur PLINIUS, cui *Burgundiones* ſunt *Soboles Vandalica*. Inde eſt, quod *Burgundiones* invenimus nonſolum ad Rhenum, ſed diu ante & longiſſime a Rheno in Sarmatia, manifeſto ſatis indicio, omnes *Burgündiones* ad unam ſpectare gentem, quamvis migrationibus diviſam, & hoc illos nomine nunquam caruiſſe. Confer CLUVERIUM in Germ. Ant. pag. 643.

An huc etiam ſpectent HYPERBOREI, aliis conſiderandum relinquo.

BAUER, ruſticus, colonus, agricola. Angloſaxonibus & Francis *bure* in compoſitis, Latino-Barbaris *burus*, *buringus*, Sorabis *bur*, quod FRENZELIUS male derivat a Syr. *bar* foris, extra, cum ſit a *bauen* colere agrum, per medium derivandi *er*, ut alia innumera. Compoſita Saxonum & Francorum vide in *gebauer*.

BAUM, arbor. Gothis *bagms* Luc. VI. 43. Angloſaxon. *beam*, *beom*, Francis & Alam. *boum*, *paum*, Belg. *boom*. TATIANUS Cap. XLI. 4. *ni mag guot buom ubilan uuahsmon tuon*, non poteſt arbor bona fructus malos facere. HELVIGIUS deducit a Lat. *pomus*, & hoc ab Heb, *bom* excelſus fuit, eminuit, unde Hebræis *bamah*, Græcis βωμὸς, ara, ab eminentia. Hæc origo non caret veriſimilitudine: quia priſcis ſolemne eſt, genera & ſpecies confundere, nonſolum in regno animalium, ſed etiam plantarum & arborum. Ita Græcis δρὺς quercum & lignum, Cambris *derw* quercum, Angloſaxonibus *treow* arborem & lignum ſignificat. Vide quæ de hac confuſione prolixe annotavi in *der*. MARTINIUS tamen exiſtimat, etymologiam a *pomo* petitam non eſſe neceſſariam, cum *baum* etiam referri poſſit ad *bauen* ſtruere, quia ligna ſunt materia ædificationis. Et hæc conjectura videtur palmam præripere reliquis. Nam hac via conciliari poteſt vox Gothica *bagm* cum Saxonica & Francica *beam*, *buom*, ſi Gothica ducatur

catur a verbo Islandico *byggia* ædificare, Saxonica a *bauen* conſtruere, vel utraque a πηγῶ ſtruo. Quod fieri poteſt per medium derivandi M. omnibus antiquis familiare, ut oſtendi in *Proleg.* Sect. VI. Simile derivatum eſt, quando arbor vocatur *holz* ab ὕλη ædificandi materia. A *baum* poſteritas fecit *beumen*, *ſich beumen* erigi, attolli, contra niti, quod dicitur allegorice de contumacibus, ducta ſimilitudine ab arboribus, quæ, quo altius ſupra reliquas plantas aſſurgunt, eo magis flectenti reſiſtunt.

BAUM, trabs. Angloſaxonibus, Francis & Alam. ut ſupra. Gloſſ. Keron. latera (ſcalæ) *bleiterapaum*. Evang. Angloſaxon. Luc. VI. 42. *and thu ſyſſ ne geſyhſt thene beam on thinum agenum eagan*, ipſe in oculo tuo trabem non vides. Inde compoſita, *ſchlagbaum*, *fach-baum*, & ſimilia apud Lexicographos.

BAUSEN, flare, inflare, *baus-back* bucco, homo vel beſtia inflatis genis, *bauſt* turgidum, fartum, cuicunque inſerviat uſui. A Gr. φυσᾶν ejusdem ſignificatus. Vox Lat. *veſica* cæteris eſt cognata. *Pauſten* & *buſten* ſunt hujus verbi frequentativa.

BE, præfix. v. PROLEGOM.

BEBEN, tremere. Angloſaxon. *bifian*, *beofian* Matth. XXVII. 51. Francis & Alam. *bibun*, Belg. *beven*. Græc. βαμβαίνειν Gloſſ. Keron. tremore *bibun*. Lege tremere. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXXIV. 1.

Erda bibinota,
Thiu Gotes kraft ſies notta.
Terra contremuit
Virtute Dei coacta.

Poſtea ſenſus a tremore ad timorem translatus eſt, quia valde timentes ſolent præ metu tremere. Inde Græcis φοβεῖν, φόβος extimeſcere, & Latinis *pavere* eodem ſenſu.

BECH, pix. V. *pech*.

BECH, tenebræ. Vox Francica, ſed origine obſcura. OTFRIDUS Lib. V. Cap. IX. 3.

Tho thaz lib, thaz bi unſih hiar irſtarb,
Fon beche hera uuidar uuarb.
Cum vita, quæ apud nos mortua,
E tenebris rediret.

Id eſt, cum Chriſtus a mortuis reſurgeret. Hodie videtur ſuperare in comp. *bechſchwarz* ater inſtar tenebrarum, niſi referre malis ad picem.

BECHER, patera. Græc. inf. βεκάριον, Lat. Barb. *baucarium*, *baccharium*, Ital. *bicchiere*. JOHANNES de JANUA vocem Latinam deducit a *Baccho*. Quam etymologiam ſi quis exornare vellet, facile materiem argumento inveniret. Nam imago Bacchi antiquitus inſculpi ſolebat poculis, ut ex carminibus ANACREONTIS manifeſtum, & hæc imago ſiniſtra thyrſum, dextra ſcyphum tenet apud HERONEM. Vide SPANHEMIUM de præſt. numiſ. Edit. Amſtel. pag. 165. FERRARIUS Italicam deflectit a Græca βίκος, quæ ATHENÆO poculum, mox a βῆκα cornua, quod antiquiſſimi cornibus potarent, denique a *pocillo*, quod ceteris ſimplicius exiſtimat. HELVIGIUS, Græcis ambitioſe addictus, Germanicam trahit ex πέπωκα verbi inuſit. πόω, πίνω bibo. Veroſimilius eſt, vocem noſtram domi natam, cæteraſque ejus imitamina eſſe. Naſci autem potuit, vel a *bauch* venter, quia crater eſt vas alveatum, vel, quod doctiſſ. FRISCHIO quoque ſe probavit, a *back* linter. Nam vaſa potoria ſolent antiquitus appellationem ducere a navigiis. Sic a *ſcapha* eſt *ſcyphus*, a *cymba cymbium*, & a re navali *carcheſium*.

BECKEN, malluvium, vas ventroſum. Græcis inferioribus βάκανον, Lat. Barb. *bachinon*, Gallis primo *bacin*, mox *baſſin*, Ital. *bacino*. Unde ſit, jam dixi in *bauch* venter. Olim etiam erat vas potorium. GREGORIUS Turonenſis Lib. IX. Hiſt. Cap. 28. *Cum duabus pateris ligneis, quas vulgo* BACHINON *vocant*. Solemne enim eſt antiquis, nomina vaſorum confundere, quæ res etymologis crucem figit. Sic etiam *becher*, quod poculum eſſe vidimus, ad uſum aquæ translatum eſt. Gloſſ. Iſid. *baccarium* vas aquarium.

BECKEN, *becker*, piſtor, panificus. Gloſſ. Pez. panificas *pecchun*. PEZRONIO *beck-er* eſt vox compoſita ex *bek* & *ur*, quorum illud Phrygibus *panem*, hoc Celtis *virum* ſignificat, ut adeo piſtor ſit *vir panis*. Nec hoc quidem male, etiamſi rectius derivetur a *backen* pinſere, quod vide.

BEDARFEN, indigere. Angloſax. *bethearfan* apud BENSON. Refer ad *darfen* opus habere.

BEDD, *bett*, locus manendi. A *beiten* manere. Inde *Bathuib* pagus Gepidarum, de quo aliquid dixi in *habe*. Hic primus & antiquiſſimus vocis ſenſus, qui poſtea ad locuſti jacendi translatus eſt, quia manſioni ſimilis eſt.

BEDD, *bett*, cubile, & omnis jacendi locus. Gloſſ. Pez. areolæ *peti*. Hodie utimur compoſito *garten-bedd* arcola horti, ubi ſemina jacent & radices. Hic ſecundus vocis ſenſus, qui poſtea lecto & ſepulchro aptari cœpit. Ad quem cum non attendiſſent viri eruditi, in appellatione lecti fruſtra deſudarunt.

BEDD, *bett*, lectus. Goth. *bad* Luc. V. 24. Angloſaxon. *bed* ibidem, Franc. & Alam. *bett*, *pet*, Belg. *bedde*, Angl. *bed*. Gloſſ. Ker. lectulis, *petum*. TATIANUS Cap. LIV. 7. *arſtant*, *nim thin betti*, ſurge, tolle lectum tuum. Et mox: *inti nam thas betti*, & tulit lectum. Senſus a cubili ad lectum translatus, quia in lecto ſive feſſi ſive ægrotantes cubamus. Plerique tamen Eruditorum hunc ſenſum tanquam principem amplectuntur. Et alii quidem eum ducunt a Chald. *but* pernoctavit, quia lectus eſt pernoctandi locus. Alii a *boden* ſolum, quia priſca frugalitas humi lectum ſternebat. Alii a *bæhen* fovere, fomentare &c. Omnes præ-

ter rationem, ut ex ſcala ſignificationum patet. A ſimplici videntur componi *grabbatus, ſtipadium* & *budaſtoria &c.*

BEDD, ſepulcrum. Ita Cambri, & recte, quia ſepulcrum eſt cubile mortuorum. OWENUS:

Angli BED *lectum vocant, Cambrique ſepulcrum,*

Lectus enim tunuuli, mortis imago ſopor.

Nec deſunt aliæ Linguæ, in quibus lecti & ſepulcri communis appellatio. Sic Cantabris *oca* eſt lectus, Hibernis *ua* ſepulcrum.

BEDDEN, *betten*, ſternere lectum. Anglo-ſaxon. *beddian*, Franc. *betten*. Rhythmus de S. Annone §. 36. *her gebettidi iri ſelbe ſcono*, ipſe ſternebat ei lectum nitide.

BEDD-RIESE, homo diuturno morbo lecto affixus. Gloſſ. Ælf. pag. 72. paraclitus (lege paralyticus) *bedrida*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XIV. 131.

Thar ſint oub gizalte
Bettriſon alte.
Ibi etiam ſunt commemorati
Veteres Clinici.

Componitur a *bedd* lectus, & *rieſe* caducus, quod referendum ad *reiſen* cadere.

BEDDSPONDE. V. *ſpiinden* coaſſare.

BEDDSTATT. V. *ſtat* fulcrum.

BEDE, pro varia Germaniæ ætate varios ſubiit ſignificatus, & ex diverſis fontibus oriundos. Quæ res, cum ſit plena difficultatum, ab origine repetenda. Antiquiſſimis temporibus tributa non erant imperata, ſed ſponte oblata. Teſtis TACITUS Cap. XV. de M. G. *Moseſt civitatibus ultro ac viritim conferre Principibus vel armentorum vel frugum, quod pro honore acceptum, etiam neceſſitatibus ſubvenit.* Hactenus *bede* donum erat mere gratuitum & honorarium, ſic dictum a *bieten* offerre, cujus antiquitatem infra oſtendo.

BEDE, petitio, poſtulatum. A *bitten* rogare. KERO in Expoſitione Orat. Dom. quæ extat apud ECCARDUM in Catecheſi Theotiſca pag. 84. *ſiben bete churci* ſeptem petitiones breves. Francos, neceſſitate compulſos, priſcum offerendi morem immutaſſe, & multa rogando atque deprecando a populo exegiſſe, Hiſtoria Regum Francorum, & frequentiſſima *rogarum* & *precariarum* mentio, ſatis declarant. Nam uſu pecuniæ introducto, tributa quoque pecuniaria, Fiſcus, vectigalia, & ſimilia, prioribus fæculis æque ac pecunia ipſa ignota, paulatim introduci cœperunt ſub nomine precum, ad declinandam plebis invidiam, cui nihil antiquius libertate.

BEDE, conceſſio. Senſus a precibus Principum ad conceſſiones ſtatuum translatus, per metonymiam antecedentis pro conſequente, quia preces illas plerumque ſequebatur conceſſio. Poſtea nonſolum de conceſſionibus publicis, ſed etiam privatis uſurpari cœpit. Jus Feud. Alam. Cap. 19. *Es mag kein Here kein gedinge liben an keinem gute das ein man von ihm het one ſinen willen und bette*, nullus dominus poteſt expectativam dare de aliquo feudo, quo quis inveſtitus eſt ab illo, ſine ejus voluntate & conceſſione. Locum adduxit SCHILTERUS in Gloſſario.

BEDE, tributum imperatum, *bedhaftig* tributis obnoxius, *bede-fry* immunis a tributis. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *bædde* exactum. A *bieten* poſcere, jure vel neceſſitate poſtulare, vel a *bieten* mandare, quod imperantium proprium. Qui mores principum noverit, non mirabitur, ſenſum vocis mutatum eſſe. Quamvis enim Principes non ſolent omnia imperioſe poſcere, ſed alia jure poſtulare, alia precibus tentare: Tamen etiam tunc, quando orant, præcipere videntur. Hinc ille apud PLAUTUM: *Huc me miſit ad vos oratum, tametſi pro imperio, vobis quod dictum ſoret, ſcribat facturos.* MACROBIUS Lib. II. Saturn. Cap. 2. *Poteſtas nonſolum invitat, ſed & ſi ſuppiceat, cogit.* TACITUS Hiſt. IV. Cap. 46. *Preces erant, ſed quibus contradici non poſſet.* Inde nimirum eſt, quod creſcente Principum potentia vox aliam induit naturam, ut ſpecie eſſet precatio, reipſa exactio. Sicque ſenſus a voluntario ad neceſſarium translatus eſt, manente (quoad ſonum) priſtino vocabulo. Ab illo tempore orta ſunt verba, prioribus ſæculis inaudita,

beden, indicere tributum. NOTKERUS Pſa. XLIX. 8. *er uuile uns zinſa kebeten*, ipſe vult nobis cenſum indicere. Locum obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario.

beden, pendere tributa, præſtanda præſtare. Hinc *beden* & *thun* in monumentis recentioris ævi continuo conjunguntur, quia *beden* eſt facere ut ſubditis convenit.

BEDEUTEN, ſignificare. A ſimplici ejusdem ſignificatus, quod vide.

BEDING, conditio, conventio, pactum, placitum inter duos. A ſimplici ejusdem ſignificatus.

BEDURFIG, indigus. V. *darf* indigentia.

BEDURFTIG, indigus. V. *durft* indigentia.

BEER, bacca. V. *ber*.

BEES, bacca. V. *bes*.

BEFAREN, timere. A ſimplici ejusdem ſignificatus.

BEFEDEN, duobus modis dicitur, quos vide in *fede* inimicitia.

BEFEHLEN. V. *befelhen*.

BEFELHEN, proprie eſt *tradere cuſtodiæ*, a Gr. Φυλαχὴ cuſtodia. Gothis *anafilhan* eſt præſidi tradere Matth. XXVII. 2. & *anafilh* traditio majorum Marc. VII. 3. Franci & Alamanni fidelius dicunt *filahan, felahan*, ut ex compoſitis eorum, mox adducendis, patebit. Hodie inepte ſcribimus *befehlen*.

BEFELHEN, tradere ſe vel rem ſuam fidei, curæ, aut tutelæ alicujus, ob inſignem, quam de fidelitate ejus habemus opinionem, alias *committere, concredere*. Gloſſ. Keron. committere *pifelahen* ; commiſſum *pifohalanaz*. Gloſſ. Boxh. *pifolahan* creditum.

tum. Poſteritas verbum contraxit in *pfehlen*, *empfehlen*.

BEFELHEN, tradere ſe aut aliquem chariorum auxilio alterius, de cujus potentia, benevolentia, & bene merendi ſtudio, certo ſumus perſuaſi, alias *commendare* ſive voce ſive literis. Gloſſ. Keron. commendent *pifelahan*, litteras commendatitias *pifolahanlihho puah*. Hodie commendatio dicitur *empfehlung*. De præfixo *emp* vide PROLEG.

BEFELHEN, tradere præcepta vivendi, alias *jubere*, *præcipere*, *mandare*. Hoc parentum, præceptorum, legislatorum, & imperantium proprium, cæteris obedientiæ gloria relicta. Belgis quoque *bevelen* eſt mandare, ſive fiduciæ cauſa id fiat, ſive pro auctoritate. Et cum Angloſaxones omnino neſciant vocem, hinc illam a Francis in Belgio relictam exiſtimo. Præcipuum derivatum eſt *befelh*, *befelch* mandatum.

BEFFEN, hiſcere, mutire. Angloſax. *byffan*, apud BENSON. Proprie eſt latrare, a ſono canis *baff*. RELANDUS in Diſſert. de Americanis pag. 149. *Omnes conati ſunt ſonum canum imitari, quisque ſuo more, uti* ARISTOPHANES *per αυ, αυ, alii per βαῦ, βαῦ* &c. Inde *widerbeffen* obloqui, oblatrare. Frequentative *befzen* & *widerbefzen*.

BEFUGT, dicitur de eo qui in jure eſt, ob aptitudinem & habilitatem, quam habet ad rem. Familiam vocis vide in *fug* & *fugen*.

BEGATTEN, conjugare. Vide Simplex.

BEGEGENEN. V. *gegen*.

BEGEREN, cupere, *begierde* cupiditas. Vide utrumque in ſimplici.

BEGINE, *begeine*, mulier monaſtici generis, ſed a votis ſoluta. Unde nomen deſumptum ſit, prolixe diſputat CANGIUS in voce *Beghardi*. Apud Belgas, inquit, conſtans opinio eſt, *Beginas* nomen & inſtitutum acceſſiſſe a BEGGA Pipini Landenſis filia, S. Gertrudis Nivellenſis ſorore. Mox tamen alios auctores excitat, qui *Beginas* a *Lamberto* BEGO inſtitutas & appellatas eſſe confirmant. Utrumque verum eſſe non poteſt. Mittamus ergo *Begum* & *Begam*, & *Beginas* ducamus a verbo Angloſax. *began*, *bigan*, *biggan*, colere, obſervare, ſervire. Nam hinc fit *bigenga* cultor, eadem Dial. Cur non etiam *Begina* mulier religioſa, regularum ordinis ſui cultrix & obſervatrix? Poſtea etiam vela quædam, quibus caput involvebant *Beginæ*, eodem nomine affecta ſunt.

BEGINNEN, inchoare, incipere. Gothis *duginnan* Luc. I. 1. Angloſax. *aginnan*, *ongynnan*, *beginnan*, Francis & Alam. ut hodie. Gloſſ. Keron. inchoas *pikinnes*, incipit *pikinnit*, incipiatur *ſi pigunnan*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XX. 191.

Biginnit ſie anaforton
Mit egislichen uuorton.
Cœpit illos adoriri
Terribilibus verbis.

JUNIUS hoc verbum ad amuſſim verbi Lat. *adgredi* factum eſſe cenſet, a *gan* ire. Verum cum *ginnen* eodem valeat ſignificatu apud antiquos, compoſitum ad ſimplex referri debet.

BEGLEITEN, ducere, conducere, comitari. Id eſt *be-ge-leiten*. Dicitur & *beleiten* & *geleiten*. Cuncta a ſimplici *leiten* ducere, de cujus origine actum in loco.

BEGRABEN, inhumare, ſepulcro abſcondere. Verbum a Francis & Alam. factum a *grab* foſſa, ſepulcrum. Gloſſ. Keron. ſepelire *picraban*. Gloſſ. Pez. deſoſſus *pigrapaner*. TATIANUS Cap. CCXII. 7. *uuiſa zi begrabanne*, mos ſepeliendi. Verbum Saxonicum vide in *bergen* ſepelire. In reliquis Dialectis nec hoc nec illud occurrit. Ita ſepelire Gothis dicitur *filhan*, *gafilhan* Matth. VIII. 21. 22. & veruſtioribus Friſiis *bifellan*, & hinc *befelling* ſepultura. Quod ex obſervatione JUNII ſcribo, qui vetera Friſica, quoties Gothicis conſonant, diligenter annotavit. De his verbis vide plura in *fell* pellis.

BEGREIFFEN, comprehendere, *begriff* comprehenſio, *begreifflich* quod concipi poteſt, *unbegreifflich* quod concipi nequit. Nova, ſed idonea, a *greiffen* capere. Capit autem primo manus, & deinde etiam intellectus ad ſimilitudinem manus. Hinc ZENO *comprehenſionem* mentis ſimilem dicebat *iis rebus quæ manu prenderentur*. Apud CIC. in Quæſt. Acad.

BEHAGEN, placere. V. ſimplex.

BEHAUBTEN, defendere. V. *haubt* ſec. ſignif.

BEHELLIGEN, V. *helgen*, fatigare.

BEHEND, celer, pernix, quod dicitur de pedibus Prov. VI. 18. & Spiritu Sap. VII. 22. Ab *enden* feſtinare. Differt a *behændig* dexter, ſolers, quod eſt ab *hand* dexteritas in agendo.

BEHERZT, fortis, animoſus. Ab *herz* cor, quatenus pro animo virili & imperterrito ſumitur. Latinis quoque *cordatus* aliquando eſt fortis apud BORRICHIUM in Analectis, & contrarium *excors*, *væcors*, a defectu animi virilis.

BEHUF, uſus, commodum, utilitas, & quicquid opus eſt, aut rerum præſentium ſtatus exigit, *behuflich* utilis, expediens, *behufen* oportere, indigere, intereſſe. Non certe a menſura agri, quam vulgo *hobam* vocant, ut non nemo nugatur; ſed a Lat. *opus* per adſpirationem, præpoſito *be*. Familiam vocis exhibet SOMNER. in Dict. AS. *behefe*, *behefneſſe* lucrum, commodum, bonum, *behofan* egere, indigere, decere, *behofath* oportet, intereſt, neceſſe eſt, *behoflic* neceſſarius.

BEHUTSAM, caute. Refer ad *hüten* cavere.

BEI, præpoſitio late dominans, quæ Gothis & Francis effertur *bi*, Angloſaxonibus *be*, *bi*, *big*, Alamannis *pii*, Belgis & Anglis *by*, Sorabis *po*, Græcis ἐπὶ. Sed non apud omnes eodem pollet ſenſu. Videamus, quid in

vocula obſoletum, quid antiquis & recentioribus commune, quid denique nobis proprium ſit.

BEI, ad, *bei der hand* ad manum, *bei vermeidung unſer ungnade* ad evitandam noſtram inclementiam. Gloſſ. Pez. ad manus · *pi hantun.*

BEI, apud, penes, *bei uns* apud nos, *bei Gott* apud Deum Luc. I. 30. Hunc ſenſum Gothi exprimunt per *fram*, Saxones, Franci & Alamanni per *mit*, quod vide.

BEI, ſecus, juxta, prope, *bei der thür* juxta januam. Gloſſ. Keron. ſecus introitum *pii inkange.* Idem Sorabis *po.*

BEI, per. Utimur in formulis jurandi, ducibus Gothis & Francis, dum Angloſaxones utuntur particula *thurh.* TATIANUS Cap. XXX. 3. 4. 5. 6. Nolite jurare, *noh bi himile* neque per cœlum, *noh bi erdu* neque per terram &c. Similia habet Cod. Argent. Matth. V. 34. ſeq. Exemplum vide in *Bei-Gott.*

BEI, in, *worbei* qua in re, *mir fællt bei* mihi venit in mentem, *bei tag* interdiu, in die, *bei nacht* noctu, in nocte. Gothis *ſtautan bi kinnu* eſt percutere in maxillam Matth. V. 39.

BEI, pro, *viel bei einem thun* multa moliri pro aliquo. Evang. Goth. Joh. XVII. 9. *ik bidja bi ins*, oro pro illis. Gloſſ. Keron. pro vitæ merito *pi libes urhungu.* Lege *arnungu.*

BEI, poſt, *bei menſchen denken* poſt hominum memoriam. Evang. Goth. Marc. XIV. 58. *bi thrins dagans* poſt triduum.

BEI, ob, propter, *bei ſo geſtalten ſachen* quamobrem, ob talem rerum faciem. Inde Francis particula cauſalis *bithiu* propterea.

BEI, ſecundum, *bei gefolg* ſecundum legitimam conſecutionem. Evang. Goth. Luc. II. 29. *bi waurda theinamma* ſecundum verbum tuum.

BEI, cum, *man bei man* vir cum viro, *bei ſinnen* compos mentis, *bleib bei uns* mane nobiſcum Luc. XXIV. 29. Hunc ſenſum veteres univerſe exprimunt per *mit.*

BEI, ſub, *bei ſtraffe* ſub pœna.

BEI, circiter, *bei dreiſſig feld-weges* circiter triginta ſtadia Joh. VI. 19.

BEI, circum, *bei ſich haben* circum ſe habere. Goth. eodem ſenſu dicit *bi ſik* Matth. VIII. 18.

BEI, circa. Evang. Goth. Matth. XXVII. 46. *bi hweila niundon* circa horam nonam. Hodie cum Saxonibus, Francis, & Alamannis dicimus *um* vel *umb.*

BEI, ex, *wobei kan ich das wiſſen* unde hoc cognoſcam, *nims bei dir ſelbſt ab* ex te ipſo cognoſce. OTFRIDUS Lib. I. Cap. II. 44. *bi nide* ex invidia.

BEI, inter, *beim trunk* inter pocula.

BEI de. Evang. Goth. Joh. V. 46. *Moſe gamelida bi mik*, Moſes ſcripſit de me. Quod Angloſaxonice vertitur, *Moyſe wrat be me.* Hodie obſoleſcit.

BEI, contra. Evang. Goth. Matth. V. 23. *brothar theins habaith hwa bi thuk*, frater tuus habet aliquid adverſum te. Hodie obſoleſcit. Plures ſignificatus addant, qui volunt. Mihi, quem alia & immenſa avocant, non licet iſtis minutiis diutius immorari. Interim filum, quod cœpi, abſolvam.

BEI, ex præpoſ. fit adverb. & tunc eum obtinet ſignificatum, qui ſimilis origini. Sic

a *bei* ad, apud, fit *beiſtehen* aſſiſtere, *beiſitzen* aſſidere, & alia innumera.

a *bei* juxta, *beiweib* concubina, *beiglaub*, *beiwan* ſuperſtitio.

a *bei* in, *beiſchluſs* inſertum, *beilaufig* in tranſitu.

a *bei* pro, *beiſorge* providentia.

a *bei* cum, *beiligen* concumbere, *beiſtimmen* concordare. Et ſic alia ab aliis.

BEI, adverb. intendendi, *bei zeiten* mature, *bei weitem* longiſſime, *beinahe* pene, *nahebei* proxime, *beian* contigue, *beiſamen* conjunctim, *herbei* huc, ad locum, *beinötig* valde neceſſarium &c.

BEJAHEN, affirmare, fateri, olim etiam confiteri. TATIANUS Cap. XIII. 12. *bigehente iro ſuntono*, confitentes peccata ſua. Quod eſt ex genio ſcripturæ veteris legendum tanquam ſcriptum eſſet *bigechente* vel *bijechente.* Eſt enim a ſimplici *jahen*, quod vide.

BEICHT, confeſſio. NOTKERUS Pſal. L. 8. *luter biuht luſet ſone tode*, pura confeſſio liberat a morte. Idem Belgis *bicht.* Cuncta a vulgo contracta ex antiquiori & magis genuino *bigicht* confeſſio, quod eſt a *bigichen* confiteri, per medium derivandi T. Utrumque occurrit in Monumentis Francorum. Symb. Athanaſ. apud ECCARDUM in Cat. Theot. pag. 70. *iſt giuuiſſo gilaubarebtiu, thaz uuir gilaubames endi bijehames*, eſt ergo fides recta, ut credamus & confiteamur &c. Ubi *bijehames* idem quod *bigehames* vel *bigihames.* Gloſſ. Lipſ. *bigihte* confeſſione. Gloſſ. Keron. humilis confeſſio *deomuatlihha pigith.* Lege *pigiht.* Quemadmodum igitur a ſimplici *gichen* confiteri, recte fit *gicht* confeſſio: ita a compoſito *bigichen* recte fit *bigicht*, & poſtea *beicht* expulſo G. Olim vero nonſolum confeſſionem peccatorum, ut hodie, ſed etiam fidei Chriſtianæ ad mortem usque denotavit.

BEICHTEN, confiteri. Verbum a ſubſt. factum. Dicitur autem uſu vulgi de quacunque peccatorum confeſſione, ſive coram Sacerdote fiat, ſive coram carnifice. Inde formula, *dem henker beichten* confiteri carnifici, quod ſit in tortura.

BEICHTER, martyr, confeſſor Chriſti, qui fidem confitetur ad mortem usque, nec ulla re ab illa profeſſione ſe deterreri patitur. VORSTIUS de Ling. Vernacula Cap. 10. ex Litania Veteri Regiæ Bibliothecæ Berolinenſis producit hæc verba: *alle heilige bihter bittent für uns*, omnes ſancti Martyres orant pro nobis. Factum per contractionem ex antiquiori & ſaniori *bigichter* con-

confeſſor, quod eſt a *bigicht* confeſſio. NOTKER. Pſal. LIX. 2. *daz ſie ſih pecheren ze chuninge pigihtaro*, ut convertantur ad Chriſtum regem confeſſorum. Locum notavit SCHILTERUS in Gloſſario. Recte autem Martyres ab illo excellenti confeſſionis gradu, qui conſtantia in tormentis & ultimo ſupplicio definitur, vocantur *Confeſſores*. Quæ appellatio Latinæ quoque Eccleſiæ uſu invaluit.

BEICHTIGER, confitens. Contractum ex vetuſtiori & meliori *higichtig*, quod extat in Confeſſione peccatorum Editioni Otfridi Flacianæ præfixa, ubi ſtatim ab initio: *ih uuirdu Gote almahtigen bigihtig*, confitens ſio Deo omnipotenti. Quod eſt a *bigicht* confeſſio. Hæc quoque vox tribuitur Martyribus in Litania antiqua apud VORSTIUM. Hodie iis tantum propria eſt, qui peccata confitentur Sacerdoti.

BEIDE, ambo, uterque. Gothis *ba*, *bai*, Angloſax. *butu* Luc. I. 6. *begen* Luc. VI. 39. & alibi *batwa*, Franc. *bediu*, *bedu*, *beidu*, Alam. *pedo*, Belg. *beide*, Angl. *both*, Suec. *bæde*, Island. *bade*, *bader*. Gloſſ. Keron. ambæ *pedo*, utroque *pedero*, utrarumque *pedero*. VEREL. in Ind. *bade twigga* utrique. TATIANUS Cap. II. 2. *uuarun beidu rehtiu fora Gote*, erant ambo juſti apud Deum. SKINNERUS Saxonicum *begen* format a Lat. *biga*, & *butu* componit ex *be* circa, circiter, & *tu* duo. JUNIUS Gothicum *ba* derivat ab ἀμφω ambo, Islandicum *bader* ab ἀμφότερος. Utrumque per aphæreſin.

BEIER, verres. V. *ber*.

BEIFALL, aſſenſus, conſenſus. Refer ad *fallen* ſentire. Quid enim eſt adſentiri, niſi idem ſentire, idem judicare?

BEIFUSS, artemiſia. Gothis *bifot* eſt compes, Marc. V. 4. Sed quid hoc, inquies, ad artemiſiam? Plurimum inquam, ſi fabulis ſtandum, quia multis rebus impedimentum injicere creditur. PLINIUS Lib. XXV. Cap. 7. *Vis ejus tanta eſt, ut jumentis diſcordantibus jugo impoſita, aſperitatem cohibeat.* Aliam vocis originem, ſed æque fabuloſam, ſuppeditat MARTINIUS: *Obſervatum eſt*, inquit, *pridie feſti S. Johannis in ipſo meridie carbones inveniri ad pedes artemiſiæ.* Hinc illi *bei fuß* ſignificat *ad pedes*. Sed mittamus hæc inania. Suecis artemiſia ſimpliciter dicitur *boo*, haud dubie a *bæhen* fomentare. Nos vulvam addimus in fine, dicendo *beifuß*, i. e. *beifurz*, quia affectibus mulierum uterinis plurimum prodeſt calore ſuo. PLINIUS Lib. XXV. Cap. 7. *Privatim medetur fœminarum malis.* Lib. XXVI. Cap. 15. *Artemiſia vulvæ medetur.* Ob eandem cauſam Angloſaxonibus vocatur *mucgwyrt*, quaſi *mucgl-wyrt*, herba calorifica, a verbo Celtico *mwyglo* tepefacere, quod hodie perennat apud Cambros.

BEIGE, ſtrues, *holz-beige* ſtrues lignorum, *holz beigen* ſtruere ligna. Hodie utuntur Suevi ex hæreditate Francorum. Gloſſ. Pez. acervus *pigo*. Gloſſ. Boxh. acervos *piga*. Islandi dicunt *bunke*, apud VEREL. in Ind. Utriusque ratio manifeſta eſt. Nam ſicut *pigo* eſt a πηγῶ ſtruo, ita *bunke* a πήγνυμι ſtruo.

BEIGEN, flectere. V. *beugen*.

BEI-GOTT, per Deum. Vetus jurandi formula. Cui ſimilis illa, qua uſus eſt Rollo primus Normannorum Dux. Qui cum pedem Regis Francorum oſculari nollet, hortantibus, ut id faceret, Lingua Anglica reſpondiſſe fertur: *neſe bi Got*, hoc eſt, *non ita per Deum.* Nam *ſe* Angloſaxonibus idem eſt quod Francis *ſo* ita. BENSON. in Voc. Angloſax. *ne ſe* haud ita. Quod notandum contra SCHILTERUM, qui huic formulæ alium ſenſum tribuit. Interim hæc vox Rolloni Regis & aulicorum contemptum conciliavit, ut deinceps per ludibrium vocaretur *bigot*. Verba vetuſti Chronici, qui deſiderat, adeat CANGIUM in voce *Bigothi*, & VALESIUM in Not. Gall. voce *Normannia*. Gallis *bigot* hodie eſt ſuperſtitioſe religioſus, non certe a juramento *bi-got* per Deum, ut MENAGIUS cenſet; Sed potius ab Angloſax. *bigan* colere. Et hinc etiam eſt *begine* mulier religioſa.

BEIL, cædendi vel truncandi inſtrumentum. Vox antiquiſſima, & per omnes Dialectos, Celticas & Scythicas, diffuſa. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *bwiall* ſecuris. SOMNER. in Dict. Angloſax. *bill* chalybs, *bille* falx, *wudubil* falcaſtrum, falx ſylvatica, *twy-bill* bipennis, bicuſpis, ſecuris. Belgis *byl* eſt ſecuricula, Anglis *bill falx*, Pruſſis & Lithuanis *bila*, Græcis πέλεκυς ſecuris, dolabra, bipennis, & hinc πελεκάω & πελεκίζω ſecuri ferio, dolo, & ſimilia. Quæ ſi inter ſe ſint cognata, ut credere par eſt, in notione cædendi convenient. Id enim lingua antiquo-Scandica eſt *bula*. VEREL. in Ind. *bula* truncos detruncare & diffindere, *bol* truncus, *bolyxe* ſecuris major ad truncanda ligna.

BEILAGE, quatenus derivatur a *legen*, ſignificat quantum poteſt, depoſitum, inſertum &c.

BEILAGE, jus municipale. V. *bellagines*.

BEILAGER. V. *lager* diſcubitus.

BEIN, os, crus. Angloſax. *ban*, Franc. *bein*, *bain*, *pein*, Belg. & Suec. *been*, Angl. *bone*, Island. *bein*. Gloſſ. R. Mauri de part. humſ. corp. crura *bein*. Gloſſ. Pez. os *bein*, ſpina *ruccipeini*. VEREL. in Ind. *bein* os, *beinbrotoſſifragium*, crurifragium. TATIANUS Cap. CCXI. 4. *bein ni brehet ir fon imo*, os non comminuetis ex eo. Græcis βαίνω eſt ire, gradi, incedere, βαν iverunt, apud Homer. in Odyſſ. Jam cum crura ſint naturalia gradiendi inſtrumenta, oportet inter vocem Germanicam & Græcam eſſe aliquam affinitatem. A *bein* eſt collectivum *gebein* crura, oſſa, quo rurſus utitur TATIANUS loco cit. verſ. 3. *ni brahun ſinu gibeinu*, non fregerunt ejus crura. Et huc etiam ſpectat vox Ripuaria *bainberga* tegumenta crurum, quam vide infra in *bergen* tegere, cum pluribus ſimilibus.

BEIN,

BEIN, mons, collis. Gr. βῖνος. Utrumque a *bann* altus, elevatus. Superat in nominibus urbium & montium, cujusmodi ſunt:

BEINHEIM, *Benheim*, oppidum Badenſe ad Rhenum.

RUCKENBEIN, mons continuus in Helvetiis.

GRANTZ-BEIN, mons Caledoniæ, ſic dictus quaſi *Granni colles*, de antiquo *Apollinis Granni* cultu, interprete BAXTERO in voce *Grampius*.

Plura jam non occurrunt. Quæ vero multis augeri acceſſionibus poſſe a Geographiæ peritis, nullus dubito.

BEISITZER, qui in urbibus degunt & vivunt absque jure civitatis, antiquitus vero omnes, qui in proximo habitant. Hinc vicini Evang. Goth. Luc I. 58. vocantur *biſtands*, quaſi proxime habitantes, a *bei* juxta, & *ſitzen* habitare.

BEISPIL, olim erat parabola, ut demonſtravi in ſimplici *ſpil* ſermo; nunc eſt exemplum vel ad imitationem vel ad terrorem propoſitum, pulchrum inceptu aut fœdum exitu, ſenſu a typo verborum ad typum factorum translato. Similis transnominatio eſt, quando *widerſpil* & *gegenſpil* a ſermone contrario ad facta contraria transferuntur.

BEISSEN, pungere, cædere, ſecare. Dicitur apud Francos de omnibus rebus acutis. Gloſſ. Pez. acuta *uuola pizantas*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XIII. 86. *fuuert harto bizanti*, gladius valde ſecans. Hujus verbi origo ita concipi poteſt. Quemadmodum a *picken* pungere fit *ſpize* cuſpis, adſcito S. ita a *ſpize* rurſus fit *pizen*, abjecto S. Poſteri Francorum a *pizen* fecerunt *beiſſen* & *pfetzen*, levi mutatione. Gens Saxonica videtur dixiſſe *bitan*. Nam hinc tota antiquitas magno conſenſu formavit *bitter* acidus, acerbus, amarus. Id eſt, guſtu pungens. Nos a *beiſſen* fecimus *beiſſe* ſcabies, quia pungit, aut pungenti ſimilis eſt: & a *pfetzen* derivamus *pfetz* ſtigma, nota in cute pungendo aut ſecando facta.

BEISSEN, per ſynecdochen generis ſignificat *mordere*, *radere*, *manducare* &c. Quid enim eſt *mordere* & reliqua, niſi dentibus pungere, ſecare, incidere? Hoc ſenſu Angloſaxones dicunt *bitan*, Franci *bizan*, *pizzan*, Belgæ *byten*, Angli *bite*, Sueci & Islandi *byta*, *bita*. Non certe a Lat. *petere*, ut MARTINIUS exiſtimat, etiamſi mordere ſit dentibus petere, ſed a notione pungendi & ſecandi.

BEISSEN, mordere, mordicare, dentibus pungere vel ſecare. NOTKERUS Pſal. XXXI. 9. *beittendiu ruſſo*, equi mordicantes. Allegorice dicitur de morſu verborum & injuriarum. Inde *beiſſen* altercari, *beiſſig* rixoſus, mordax, maledicus.

BEISSEN, rodere, dentibus lacerare. Gloſſ. Pez. rodunt *pizzent*. Inde *anbeiſſen* arrodere, quod dicitur de muribus.

BEISSEN, manducare, dentibus concidere. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *bwytta* comedere, manducare, *bwyd* eſca. NOTKERUS Pſal. LXVIII. 10. *mih peiz dines huſes ando*, Zelus domus tuæ comedit me. Inde *biſſ*, *biſſen*, *biſſlein* offula, buccella, ſegmentum cibi, quantum bucca capere poteſt, *anbeiſſen* jentare, deguſtare cibum obiter, *imbiſſ* jentaculum. Cuncta a Francis & Alamannis relicta.

BEISSWIND, ventus acer & penetrans, a *beiſſen* pungere, ſecare.

BEISSWIND, boreas, aquilo, ventus ſeptemtrionalis. Vox hybrida, ad imitationem Gallicæ *vent de biſe* facta. LIPSIUS in notula ad verba vetera Gloſſarii ſui confundit hunc ventum cum turbine *bize*, tanquam *biſe* ſit a *biiſen* fremere. Quem ſequitur PONTANUS in Originibus Francicis, & MARTINIUS in voce *Boreas*. MARTINIUS tamen fatetur, Belgis veteribus *biiſe* eſſe Septemtrionem. Sed addit: *proprie eſt furens impetus aeris*. Qua in re potuit falli. Nam Gallis *vent de biſe* non eſt quilibet ventus impetuoſus, ſed ventus aquilonaris, alias *vent du nord*. Hinc *biſe* proprie eſt Septemtrio, a Gallico *bis* ater, niger (unde Latino-Barbaris *biſus* eodem ſenſu), ut *Aquilo* ab *aquilus* ſubniger, & dicitur de plaga mundi Septemtrionali, quia nox atra ibi dominatur. Auctor Etymologiæ eſt HUETIUS, cujus verba ex Originibus Menagianis hic deſcribam: *Septentrionem Veteres caliginoſum & denſis tenebris obſitum cenſuerunt. Ideo ζόφον apud Homerum, Strabo* SEPTENTRIONEM *interpretatur. Tibullus Panegyrico ad Meſſalam de Septentrione:* ILLIC ET DENSA TELLUS ABSCONDITUR UMBRA. *Arabes quoque mare Septentrionale* TENEBROSUM *appellant. Ita Geographus Nubienſis. Hinc & Aquiloni vento nomen: aquilus enim color niger eſt. Gloſſarium:* AQUILUS, μέλαν, οἱς ὁ λευκίππος. *Suetonius opponit candido. Feſtus*, FUSCUM & SUBNIGRUM *interpretatur. Eodem ſenſu dixit Plautus* CORPUS AQUILUM. *Eidem dicitur &* AQUILO. *Nos Galli dicimus la biſe, pari ſignificatu: nam Gallice his nigrum ſonat. In quibusdam Galliæ noſtræ locis, ventus Thraciæ* (Thraſcias) NIGER *vocatur*. Hactenus HUETIUS, veriſſime & doctiſſime, etiamſi unde Gallis fit *bis* pro nigro non oſtenderit, quod tamen promtum eſt derivare a Gr. φαιὸς fuſcus, ſubniger. Hodie non amplius utimur hoc compoſito. Extat tamen apud HENISCHIUM in Theſauro: *beiſſwind*, *ſchindheng ſt*, *nordwind* ſeptentrio.

BEITEN, manere, morari, cunctari. Petrus Dresdenſis in Hymno de ſeptem verbis, Stroph. 8. *wenn ſich mein ſeel von mir wil ſcheiden, und mach nicht lenger beiden*. Ubi *beiden* ponitur pro *bleiben* manere, quia tunc mors inſtat & urget, ut anima in corpore diutius verſari non poſſit. Hic ſenſus verbi princeps & antiquiſſimus. SOMNER. in

Dict.

Dict. Angloſax. *bidan* manere, morari, cunctari, perſtare. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *gebidan* manere. *Si Græcus eſſem*, inquit SKINNERUS, *derivarem a πάνειν, παύεσθαι.* Ego malim derivare a Celtico *pedd* pes, ut proprie ſit pedem figere, perſtare. Nam pes ad utrumque paratus eſt, ad ſtandum & progrediendum. Et hinc contraria verba ex nomine ejus oriri poſſunt. Ita a *fus* pes derivamus *fuſſen* inſiſtere. A ſimplici *biden* oritur *bedd* locus manendi, de quo ſupra, & hinc porro BATHAIB manſio vel ſedes Gepidarum, vetus nempe Dacia, in quo compoſito *haib* occupatum quid ſignificat, ut dixi in *habe*. A compoſito *gebiden* nomen ducunt ipſi GEPIDÆ, reſidui Gothorum in Sarmatia, primo quidem a mora ſequendi, & quia cæteris tardius progreſſi in magna illa Gothorum ad Pontum migratione, mox etiam ab ingenio tardo ſic dicti, quaſi *cunctatores*. Utriusque appellationis cauſam commemorat JORNAND. Cap. XVII. de rebus Geticis. Sed ante ECCARDUM nemo radicem Gepidici nominis potuit inveſtigare, ne GROTIUS quidem in Indice. Interim a *beiten* Itali habent *badare*, eodem ſenſu, quod fruſtra negat FERRARIUS. Angli utuntur compoſito *abide*.

BEITEN, exſpectare, opperiri, præſtolari. Gothis *beidan* Luc. II. 25. Angloſax. *bidan*, *abidan* Matth. XI. 3. Francis & Alam. *bidan*, *beiton*, *peiton*, Belg. *beiden*, Suec. *byda*. Gloſſ. Keron. expectat *peitot*. TATIANUS Cap. II. 10. *thaz folc uuas beitonti*, plebs erat expectans. Senſus a manentibus ad exſpectantes translatus, quia cunctantibus ſimiles ſunt.

BEITEN, ab exſpectatione transfertur ad patientiam creditoris & injuſta patientis, quia ſicut ille reditum æris ſui, ita hic malorum exitum exſpectat. Hinc *beiten* Dial. Suevica eſt credere, mutuo dare, & Dial. Gothica patienter ferre Luc. XVIII. 7. LUTHERUS vertit *gedult haben*, quod etiam de creditore dicitur.

BEITEN, capere, captare, prehendere. VEREL. in Ind. *bita* apprehendere. Idem Græcis πιάζειν. Hujus verbi, quamvis in omnibus Dialectis pridem extincti, derivata reſidua ſunt, *beute* præda, manubiæ, res manu captæ, *büttel* lictor, apprehenſor, qui res & perſonas capit, & fortaſſe etiam *butte* vas capax, & *beutel* marſupium.

BEIWEIB, concubina. Extat in Bibl. Lubec. an. 1494. ubi concubinæ Salomonis vocantur *biwiuen*, a *bi* juxta, & *wiu* mulier, quia juxta uxorem alitur concubina.

BEIZEN, *beiſſen*, macerare, aqua perfundere emolliendi cauſa. A Phrygio *bedy* aqua, quod vide in *baden* lavare. Inde *beiſſe* maceratio. Græcis πάσσειν eſt rorare, Latinis *buere*, *imbuere* humectando implere, quæ an cæteris affinia ſint, aliis conſiderandum relinquo.

BEIZEN, *einbeiſſen*, macerare, indurandi cauſa. Proprie eſt acri humore perfundere, idemque quod *beiſſen* rodere, corrodere, ſenſu a dentibus ad ſalia & acetum translato. Utitur ſenſu allegorico NOTKERUS Pſal. CXVIII. 24. *ih uuerde gebeizet unde gebertet umbe dinen namen*, maceror & indurator propter nomen tuum. Cum hoc ſenſu convenit Gr. πιέζειν vexare, affligere.

BEIZEN, verbum venatorium. V. *baizen*.

BEIZEN, deſcendere. V. *bas* infra.

BEKENNEN, ſcire, noſſe, cognoſcere, *bekant* notus, cognitus. A ſimplici ejusdem ſignificatus. Rhythmus de S. Annone §. 8.

Ob ir uuillit bekennin
Der burge aneginne.
Si vultis cognoſcere
Urbis primordia.

Plura in hunc ſenſum congeſſit JUNIUS in Obſ. ad Will. p. 10. Dicitur autem non ſolum de intellectu, ſed etiam de uſu & experientia. SOMNER. in Dict. Angl. *becunnan* experiri. Gloſſ. Lipſ. *bekunno* tenta. Inde *bekanter* familiaris, *bekant werden* converſari, *bekantſchaft* converſatio, contubernium, uſus familiaris.

BEKENNEN, affirmare, fateri, confiteri, *bekenner* confeſſor, *bekentniſs* confeſſio. Verbum faceſſens ex præcedenti. Quid enim eſt confiteri, niſi notum facere, h. e. facere ut alter ſciat, noſcat, cognoſcat? Gothi hoc ſenſu dicunt *andhaitan* Matth. X. 32. Angloſaxones *cythan* ibidem, Franci *bijahen*, *bigihen*, in Harmonia Evangelica TATIANI Cap. XII. 19. XLIV. 22.

BEKENNEN, in foro theologico eſt converti, opinor per aliquam metonymiam, ſed apud Francos tantum, miros ſæpe transnominationum artifices. Gloſſ. Pez. reſipiſcit *pichennit*.

BEKEREN, convertere, *ſich bekeren* converti. Vide *keren* animum vertere.

BEKLIEBEN. V. *kleiben* creſcere.

BEKOMMEN, accipere, nancifci, *wol zu bekommen* parabilis. Non a *komtmen* venire, ſed a *kommen* capere, & hoc a *kam* manus, quia manus eſt naturale capiendi inſtrumentum.

BEKOMMEN, evenire, bene vel male, *wol bekommen* conducere, *übel bekommen* nocere. A *kommen* venire, per manifeſtum Latiniſmum.

BELACHEN, deridere. Verſio Gothica Matth. IX. 24. *jah bihlohun ina*, & deridebant eum. Refer ad ſimplex.

BELECKEN, prælambere. Verſio Gothica Luc. XVI. 21. *jah hundos atrinnandans bilaigwodedun banjos is*, & canes accurrentes lingebant ulcera ejus. Refer ad ſimplex.

BELEIDEN, offendere, injuria, dolore, aut triſtitia afficere. Ambroſ. LOBWASSER Pſalm. XXII. 10. *daß ſie nicht beleiden*. Refer ad ſimplex. Hodie utimur frequentativo *beleidigen*.

BELFERN, verba injuriosa evomere, maledictis contendere, *widerbelfern* maledicta referre. VEREL. in Ind. *bol* maledictio, diræ, *bolf* maledictum, *bolva* imprecari, male-

dicere. Cuncta a *bal* malum, quod vide, & non a *bellen* latrare.

BELIEBEN, placere. Refer ad ſimplex ejusd. ſignificatus.

BELLAGINES, leges civiles DICÆNEI Philoſophi, quibus Gentem Gothicam excoluiſſe, & ad ſaniorem cultioremque vitam traduxiſſe fertur. JORNANDES Cap. XI. de Reb. Get. *Dicæneus Gothis Phyſicam tradens, naturaliter propriis legibus vivere fecit, quas uſque nunc conſcriptas* BELLAGINES *nuncupant.* De veritate facti viderint alii. Nomen legis vitio laborare, & perperam ſcribi *Bellagines* pro *Bylagines*, recte judicat SPELMANNUS. Idem non magis Gothis proprium aut vernaculum cenſeri debet, quam partes unde componitur, quibus apud Angloſaxones nihil uſitatius. Illis enim *bye* habitationem, & *laga* legem denotat, quibus junctis efficitur *bylaga* jus civile, lex habitationis. Fatendum tamen eſt, Septemtrionales has voces conſtantius tenuiſſe, & fortaſſe etiamnum intelligere, dum apud nos obſoleſcunt. VEREL. in Ind. *by* prædium, pagus, civitas, *lag* lex, ſtatutum, *bylag* lex civilis. Non audiendus eſt vir quidam magnus, qui Jornandicam vocem ex Germanica *beilage*, qua hodie cauſidici inſerta documentorum deſignant, explicare conatur.

BELLEN, tinnire. Verbum Belgis cuſtoditum, quod proprie dicitur de ære campano. Inde Angloſaxonibus *bell* campana, *hand-bell* tintinnabulum, *bel hus* turris ſacra, campanile, *beacn thæs bel-hringes* ſignum ſonitu campanæ datum, Belgis *bell* tintinnabulum, nola manualis, Anglis *bell* campana, *bell-man* præco nocturnus, Germanis *bell-hammel* vervex ſectarius, qui gregem cum tintinnabulo præcedit. Cauſa tinnitus eſt verber piſtilli. Hinc duce analogia omnium verborum, quæ apud nos ſonum ſignificant, dicere veriſimiliter poſſumus, quod *bellen* tinnire ſit a βάλλειν ferire. Vide quæ in verbo *brauſen* notavimus.

BELLEN, latrare. In rhythmo de S. Annone §. 40. lupi vocantur *bellinde walthunde* canes ſilveſtres latrantes. MARTINIUS in voce latro: *Blaffen* & *bellen* fecimus a ſono. RELANDUS in Diſſert. de American. pag. 149. Latratum canis Malæi *gongong* appellant. *Gannitum* canibus Latini adſcribunt, utique a ſono vocabulum ducentes. Nos *baſſen* de ſono eorundem dicimus, Græci βαύζειν, Latini *baubari*. Lucretius Lib. 5. *Et quum deſerti baubantur in ædibus.* Omnes conati ſunt ſonum canum imitari, quisque ſuo more, uti Ariſtophanes per αὐ, αὐ, alii per βαῦ, βαῦ, Perſæ per *bau, bau*. Canes irati Latinis *hirrire* dicuntur: idem Arabibus eſt *herr*, & R. litera canina. Huc uſque Relandus.

BELLEN, mugire, boare. Angloſax. *bellan*, Angl. *bellow*, Suec. *böla*. Hoc quoque a ſono effingit SKINNERUS. Hodie dicimus *bolken*, frequentative.

BELT, cingulum, zona. Latinis *balteus*, Angloſaxonibus, Anglis, Suecis & Islandis magno conſenſu *belt*. VARRONI eſt vocabulum Tuſcum Lib. 18. rer. hum. Per metaphoram dicitur de mari, quo terra cingitur. VERELIUS in Hervarar-Saga Cap. I. *laugur er landa belte*, mare terrarum cingulum.

BELT, irruptio aquarum, lingua Friſica. Teſtis ſignificationis H. GROTIUS in *Prolegomenis* ad ſcriptores Gothicos pag. 4. ubi ab hoc ſignificatu nonſolum freta Danica, inter Selandiam & Fioniam, Fioniam & Jutiam, quæ hodie BELT vocantur, ſed etiam BALTIÆ antiquæ, & MARIS BALTICI appellationem deducit. *Græci veteres*, inquit, *terram eandem* (Scandinaviam puta) *dixere* BALTIAM. *Ita enim ſcripſere Xenophon Lampſacenus & Metrodorus, Plinio memorati. Pytheas enim corrupte Baſiliam extulerat. Dixere ita terram haud dubie a mari interiore, quod* BALTICUM *Adamus Bremenſis ante ſex ferme ſæcula dixit, eumque ſecuti Helmoldus, Saxo, alii. Manetque etiam in uſu populari id nomen in parte quæ Fioniam Zelandiamque interfluit. Eſt autem id nomen non proprium, ſed commune. Nam maris irruptionem eo ſignificari norunt Friſii.* Qui a Grotio diſſentiunt, in cingulo hærent, & BALTIAM non ab interiore mari, ſed ab exteriore, tanquam inſulam mari circumfluam, qualis erat opinione veterum, memorante PLINIO Lib. IV. Cap. 13. dictam arbitrantur. Quod ſi verum eſt, oportet eam metaphoram, qua mare cingulum dicitur, valde antiquam eſſe. Sed vix perſuadent. Nam ſi *belt* irruptionem aquarum ſignificat apud Friſios, quod fide Grotii aſſumo, *Belt* non erit nomen metaphoricum, ſed proprium ejus freti, per quod mare in interiora intravit, & ab illa irruptione nonſolum fretum, ſed etiam mare interius, utpote irruptione aquarum factum, recte nominabitur *Baltieum*, & terra mari contigua *Baltia*. Videmus, quam ſapienter hoc animadverterit Grotius, & quam pulcre maris baltici ortus in ipſa voce tanquam monumento hiſtorico & antiquiſſimo contineatur. Sed unde ſit *belt* pro irruptione aquarum, non explicat vir ſummus. Poſſit tamen eſſe a *fallen*, βάλλεσθαι, irruere, impreſſionem facere. Extra hanc conſiderationem quodvis fretum navigabile poſſet dici *belt*, a Græc. πλωτὸς navigabilis.

BELZ, pellis. V. *pelz*.

BENDEL, faſcia, faſciola. Angloſaxon. *byndel*, Ital. *bindello*. Diminutiv. a *band* vinculum, ligamen.

BENGEL, fuſtis. A notione cædendi, prout optime judicat JUNIUS Gloſſ. Goth. pag. 82. Nam pulſare, percutere Anglis dicitur *bang*, Danis *bancke*, Suecis *banka*, *bængia*. Opinor a *pochen*, per epenthesin. Vetuſtatem

ſtatem verbi tuentur derivata antiquiſſima in pluribus Linguis. Inde Cambris *ysbongc* ictus, pulſus, verber, Gothis *banjo* plagæ Luc. X. 30. Germanis *bunge* tympanum, & eodem partu *bengel* fuſtis, quia fuſtis eſt lignum teres, quo ad pulſandum utimur. Allegorice dicitur de homine agreſti, quia durus & impolitus eſt inſtar fuſtis. Ob ſimilem cauſam vocatur etiam *flegel* & *knoll*.

BENNE, crates viminea, cuicunque uſui inſerviat. Puto ab ὑφαίνειν texere, nectere, per aphæreſin. Eſt enim opus e viminibus contextum, & dicitur per ſynecdochen generis de variis inſtrumentis, domeſticis & itinerariis, in pluribus & vetuſtiſſimis linguis. Inde Latinis *vannus* inſtrumentum vimineum quo frumenta ventilantur: Belgis *benn* corbis: Anglis *binn* panarium: Germanis *benne* crates quæ plauſtris imponitur, *bennen-bedd* ſtragulum e viminibus: Angloſaxonibus *wæn* plauſtrum, per ſynecdochen partis pro toto, quod videtur differre a *wægen* ejusdem ſignificatus. Illud a crate plauſtro impoſita, hoc a motu ſic dicitur. Et huc etiam ſpectat *benna* Gallica, de qua FESTUS: *Benna lingua Gallica genus vehiculi appellatur, unde combennones in eadem benna ſedentes.* A *combenno* videmur habere *compe* & *compan*, pro ſocio vel ſodali ſive itineris ſive alterius negotii, quamvis hæc vox plures recipere ſenſus apta nata ſit, ut dixi in loco.

BEQUEMEN, quadrare, congruere. Proprie eſt *convenire*, & ad modulum verbi Latini factum a *quemen* venire, auctoribus Francis. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXIX. 61. de toga Domini a B. Virgine contexta:

Si ſcaffota ſia ſoſo iz zam,
Joh ſo ſiu beziſt biquam.
Vertit SCHILTERUS:
Illa confecit eam ſicut decebat,
Et ut quam optime congrueret.

Inde Francis *biquam* congruus, conveniens, *bilidi biquami* congrua parabola, apud OTFRID. Lib. IV. Cap. VII. 127. Nos inde habemus *bequem* aptus, congruus, commodus, proprie conveniens, *bequemlich* idem, *bequemlichkeit* commoditas, & alia ſatis manifeſta. *Kommlich* & *commodus* ex eodem fonte videntur manaſſe, nempe a *kommen* venire, quia commoda veniunt in rem, tempore & loco opportuno.

BEQUEMEN, accommodare, facere ut congruat vel conveniat, *ſich bequemen* morem gerere, accommodare ſe rebus & perſonis, *bequemung* condeſcenſio, obſequium, placendi ſtudium.

BER, bacca. Gloſſ. Pez. labruſcas *uuildu peri*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *beria* uva, *winberian* uvæ. Quod extat Matth. VII. 15. VEREL. in Ind. *ber* bacca. Proprie eſt fructus arboris vel plantæ, a *bæren* proferre, & dicitur antiquitus nonſolum de baccis, ſed etiam de frumento. Inde Gothis *barizein* hordeaceus Joh. VI. 9. Angloſaxonibus *bere* hordeum, *bere-flor*, *bere-tun* area ubi frumentum teritur, *bere-gafol* tributum hordeaceum, *bere-blaf* panis hordeaceus, *bere-wic* villa frumentaria, & alia apud Lexicographos obvia. Omnibus conſentit Heb. *bar*, & Græc. πυρὸς fruges, frumentum. In compoſitis multa ſunt baccarum genera, quæ ego ignoro.

BERAMEN, margine includere. V. *ram* margo.

BERAMEN, definire, condicere diem. Vide ſimplex.

BERATEN, proſpicere de nuptiis, in matrimonium collocare. Utitur Luth. Sir. VII. 27. Non a *raten* conſulere, ſed a *raten* conjugare, quod vide.

BERD, geſtus, actio corporis, decens vel indecens. Extat apud HENISCHIUM in Theſauro L. Germ. Utitur quoque frequenter LUTHERUS in Tomis Jenenſibus, obſervante STADENIO in Voc. Bibl. pag. 115. Olim deduxi a *bæren* ferre, imitatus Latinos, qui *geſtus* a *gerendo*, & Gallos, qui mores hominum *comportement* a *portando* vocant. Nunc autem facilius & elegantius derivari mihi videtur a *baren* oſtendere, ob rationes quas dedi in compoſito *gebærd*, quod uſitatius. A ſimplici habemus *ſich berden* geſticulari, geſtum facere.

BERDE, fructus arboris vel plantæ. Vox TATIANI in Harm. Evang. Cap. CLX. 3. *ni trinku ih ſon nu fon theſemo berde uuinrebun*, non bibam a modo de hoc genimine vitis. Quam PALTHENIUS recte deducit a *bæren* proferre, ut ſit id quod profert vitis. Nam hoc verbo paſſim utuntur veteres de vegetabilibus, & ipſe TATIANUS Cap. CLXVII. 3. *So thas uuinloub ni mac beran uuahsmon ſon imo ſelbo*, ſicut palmes non poteſt ferre fructum a ſe ipſo. Ad eandem cognationem ſpectat *börde* ſolum fertile.

BERDEN, ornare. Armoricis *para*, teſte PEZRONIO in Ant. Celt. pag. 409. Angloſaxonibus *prætan*, ut patet ex particip. *præte* ornatus, excultus, apud SOMNER. & BENSON. quod cuſtodiunt Angli in *pretty* bellus, concinnus, ſpeciosus. Sueeis & Island. *pryda*. VEREL. in Ind. *pryda* ornare, *prydi* ornamentum, *prudlega* ornate. Utitur Luth. Eſa. LXI. 10. *wie eine braut in ihrem geſchmeide berdet*. Series orationis poſtulat ut legamus *geberdet* ornavit. Ita LXX. κατεκόσμησέ με, ornavit me. Aut ſi hoc non placet, legamus cum HENISCHIO *ſich berdet*, ornat ſe. Nam hanc verſionem exigit Heb. *thadeh*. Utrum voluerit dicere LUTHERUS, etiamſi per oſcitantiam aut præpoſterum emendandi ſtudium typothetarum perſpicere non licet, non alio tamen *berden* quam ornandi ſignificatu adhibuit. Cum hoc verbo convenit Lat. *paro*, quod nonſolum de neceſſitate, ſed etiam de pompa dicitur. Vox Gallica *parade* videtur eſſe a *berden*, quamvis etiam a *paratura* eſſe poſſit.

BEREIT, paratus, parando factus, *bereiten* parare, præparare. Non a Lat. *parare*. Obſtant enim ſimplicia *reit* & *reiten* ejusdem ſignificatus, quæ vide.

BEREIT, facilis, expeditus, promptus ad agendum. A ſimplici *rad* celer, de quo infra. Differt a præcedenti, etiamſi cum illo confundatur.

BEREITS, jam. A ſimplici *reits*. Cod. Arg. Luc. I. 18. *ik raihtis im ſineigs*, ego jam ſum ſenex. Belgæ & Sax. inf. dicunt *reeds*, Angli *ready* & *already*. Omnes fortaſſe a *reiten* facere, ut idem ſit quod *actutum*.

BEREN, ferre. V. *bæren*.

BERG, mons. Gothis *bairg* in comp. *bairgahein* montanus Luc. I. 39. Franc. & Alam. *berg*, *perg*, Belg. & Suec. *berg*. Gloſſ. Keron. monte *perege*. NOTKERUS Pſal. CIII. 18. *hohe berga ſint ſtat dien hirzen*, montes excelſi ſunt habitatio cervorum. LEIBNITIO etiam Gallica vox eſt, quia Cato apud PLINIUM Lib. III. Cap. 17. notavit, BERGOMATES *etiammum prodente ſe altius quam fortunatius ſitos*. Addit Leibnitius *nomine*. Quo ipſo ſenſum Catonis feliciter reſtituit, qui diligentiam & eruditionem HARDUINI adhuc fugit. Eadem vox in remotiſſima ætate reperitur apud Phryges, quorum arx ſumma πέργαμος (Trojana inquam ſeu Iliaca) haud dubie a ſitu montano nomen habuit. Unde vocem *berg* Phrygiam eſſe, & a Phrygibus oriundam, negari vix poteſt. Hæc una vox, etiamſi nullæ aliæ ſupereſſent (ſuperſunt autem quam plurimæ) judice PEZRONIO ſufficeret ad probandum, Linguam Phrygiam Germanicæ ſimilem fuiſſe. Sed ne videamur inanibus conjecturis indulgere, teſtes advocandi ſunt. Itaque SUIDAS auctor eſt, *Pergama* Græcis dici generatim omnia loca editiora, πάντα τὰ ὑψηλά. Quem illi ſignificatum haud dubie a Phrygibus, ut plura alia, acceperunt. Eundem vocis ſignificatum agnoſcunt etiam veteres Gloſſatores. Hinc *Pergama* in Gloſſis Pez. exponitur *hoho gizimpri*, id eſt, in edito ædificata. Et ejusmodi loca hodienum Germ. vocari *Bergham* vel *Bergheim*, h. e. montanas manſiones, omnibus notum eſt. Huc etiam ſpectat *Bergium* Ptolemæi, *Bergos* Plinii, *Bergidium*, *Bergula*, *Bergusia* in Hiſpania, *Bergomum* in Gallia ciſalpina, & alia innumera, a ſitu montano facta. Quamvis autem tanta ſit vocis antiquitas, ut in ſe & originem ſuam inquiri, videatur vetare, commode tamen derivari poteſt a *bæren* levare, attollere. Nam hinc eodem & legitimo partu pronaſcitur *por* altus, editus, elevatus, & *berg* mons, collis, & omnis locus in terra editus. Ab illo rurſus oritur verbum *bergen*, latiſſimo ſignificatu, univerſe tamen a montibus & collibus petito. Reliqua montium nomina ſunt, *Alp*, *Bein*, *Brenner*, *Thor*, *Dun*, *Hill*, cuncta a notione altitudinis formata, ut in ſingulis oſtendi.

BERG, collis, monticulus, tumulus, ſive naturalis, ſive manu factus. Angloſax. *beorg*, *beorh*, Lat. Barb. *bargus*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *beorg* collis, acervus, tumulus, cumulus. Verſio Angloſaxonica Luc. III. 5. *ælc munt and beorh byth genyther ud*, omnis mons & collis humiliabitur.

BERG, quatenus eſt verbale a *bergen*, differt a primitivo *berg*. Dicitur enim de rebus, quæ montes & colles non ſunt, ſed tuta tantum receptacula, aut clathra, aut mera tegumenta. Significat autem

(1.) locum munitum, a *bergen* munire.

(2.) ſtationem tutam, tam hominum quam animalium, a *bergen* recipere.

(3.) tegumentum, præcipue militare, a *bergen* tegere.

(4.) tumulum ſepulcralem, a *bergen* ſepelire.

Vide plura de ſingulis in ſuis fontibus.

BERGEN, cujuscunque ſit ſignificatus, eſt a *berg*, non vice verſa. Alios autem ſignificatus accipit a *monte*, alios a *tumulo* vel colle. Hinc *bergen* eſt verbum biceps, & geminam ducit familiam, cognatione quidem junctam, ſed non temere confundendam. Reperitur autem in omnibus veterum Dialectis, & Gothis effertur *bairgan*, *gabairgan*, Angloſaxonibus *beorgan*, *beorgian*, *byrigan*, *geheorgan*, *bebyrgean*, Franc. & Alam. *bergan*, *perkan*, *poragen*, Islandis *berga*. A *bergen* rurſus fit *berg*, alio & ampliſſimo ſenſu, ut mox per ſingula oſtendam.

BERGEN, a *berg* mons.

BERGEN, ſervare. Cod. Arg. Joh. XII 25. *bairgith ſaiwala ſeina*, ſervat animam ſuam. Veteres hunc ſignificatum a montibus acceperiſſe, quod montes & omnia loca edita fuerint ab antiquo ſalutis humanæ præſidia in multis periculis, inprimis contra inundationes & latrocinia, convenit fere inter omnes. *Servare* autem duas notiones involvit, *eripere a malo*, & *defendere contra malum*. Utrumque antiquis dicitur *bergen*.

BERGEN, eripere a malo. VEREL. in Ind. *berga* ſervare, e periculis eripere. Inde Batavis *geborgen* a periculo ſervatus: & Saxonibus inf. *bargegeld* merces pro ſervatis naufragorum bonis, apud SCHOTTELIUM.

BERGEN, defendere contra malum. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *beorgan* defendere, tueri, *geborgen* tutus, defenſus, protectus. *Defendere* autem plures notiones involvit. Alia enim defendimus arcendo, alia cavendo, alia muniendo, alia recipiendo, alia tegendo, alia occultando, alia juvando. Hinc *bergen*, quatenus eſt verbum defenſioni & tutelæ dicatum, per ſynecdochen generis ſignificat quantum poteſt, *arcere*, *cavere*, *munire*, *recipere*, *tegere*, *occultare*, *juvare*. Quæ certe ſunt ſurculi defenſionis, vel potius modi, quibus ipſa defenſio varie exprimitur, & vim ſignificandi ſuam non habent a montibus, ſed ἀμέσως a tutela.

BERGEN, arcere, acceſſum impedire. Huc ſpectat LINEBERGA ex Cantico Cant. Wil-

lerami

lerami Cap. III. 9. *der cuning Salomo mahhota imo ſelhemo einan disk, des holzes vone Libano, die ſule da der disk uſſe lag, die uuaron ſilberin, abo diu* LINEBERGA, *diu uuas guldin, unte diu ſlega uuas roth:* Rex Salomo faciebat ſibi menſam de ligno Libani, columnæ, quibus menſa incumbebat, erant argenteæ, ſed cancelli erant aurei, & gradus purpurei. Sic autem dicitur, non quod ex linteo vel reſtibus facta ſit, ut Goldaſto & Caſtricomio viſum (aurea enim erat), ſed a duplici uſu, quem præſtabat, ab arcendo, unde *berga*, a reclinando, unde *line* dicitur. Latine appellaveris *cancellos reclinatorios*. Hodie ejusmodi ambitus vocant *gelender*, a *lenen* inniti.

BERGEN, cavere, ſecuritati proſpicere. Gloſſ. Keron. cavere *piporageen*, cavet *porake*, caveat *piporgee*, &c. Similiter & Angloſaxonibus *beorgan*, *beorgian* eſt cavere, *gebeorgan* prævidere, *gebeorgh* cautus. Hodie ſuperat in derivato *bürg* ſponſor, fidejuſſor.

BERGEN, munire. SOMNER. loc. cit. *beorgan* munire, *beorg* munimentum, agger, arx, *biorg* propugnaculum, *gebeorge* præſidium, arx, munimentum. Hinc omnia loca munita, urbes & caſtella, hodienum vocantur *burg*. Et huc etiam ſpectat ex antiquo ſermone *herberg* caſtra, ſedes munita exercitus.

BERGEN, recipere, receptum dare. VEREL. in Ind. *berga* recipere, in tuto collocare. Inde *berg*, ſtatio tuta tam hominum quam animalium: quod tamen non ſuperat niſi in compoſitis, quorum præcipuum eſt *herberg* diverſorium, quod viatores recipit. Olim etiam cubilia ferarum & nidi volucrum denominationes ſuas inde accipiebant. Gloſſ. Lipſ. *geberge* cubilibus. Gloſſ. Pez. nidus *giperch*. Imo etiam occaſus Solis in Indice Verelii dicitur *ſolbiorg*, quaſi cubile Solis, ubi Sol mergitur, & feſſos a curſu diurno equos Oceani undis abluit, ut Poëtæ fabulantur. Huc ſpectat ex Latinitate Barbara *Albergium*, de quo ſupra.

BERGEN, tegere. Ab hoc verbo nomina obtinuerunt apud Priſcos tegumenta humani corporis, præcipue militaria, quæ, quamvis hodie ſint obſoleta, ad Theſaurum tamen Antiquitatis ſpectant. Talia ſunt,

Bainbergæ, ocreæ, tibialia, quia tibias tegunt, quæ Germanis *bein*. Lex Ripuar. Tit. XXXVI. 11. BAINBERGAS *bonas pro ſex ſolidis tribuat*. Benſonius: *banbeorgas* ocreæ.

Halsperga, collare, quia jugulum tegit, quod Germanis *balz*, ſed & lorica, quia præter jugulum etiam pectus tegebat. Conſtitutio vetus de Expeditione Romana: *In arbitrio Dominorum pendeat, quos ducant, a quibus ſtipendia accipiant, quibus* HALSPERGAS *concedant*. Benſonius: *balz-bearh* lorica. Gloſſa Juniana ad Will. pag. 117. *balsberg* lorica. Rythmus de S. Annone Stroph. VIII. *balsbergin unti bruniun*, collaria & thoraces. Verel. in Ind. *balsbiorge* collare calybeum. Inde Gallis prioribus *baubere* & *baubers* apud Cangium.

Nefbiorg, galeæ pars illa, quæ naſum tegit, a *nef* naſus, apud VEREL. in Ind.

Osbergum, idem quod *balsberg*, & ex illo vitiatum per ſyncopen, ſpiritu ab initio vocis ſuppreſſo. Italis *usbergo* eodem ſenſu.

Scancbeorg, ocreæ, apud Benſon. quia crura tegunt, quæ Angloſaxonibus *ſcancas*, hodie *ſibenkel*.

BERGEN, abſcondere, occultare. Dicitur de omnibus occultationibus, quæ vel ſalutis vel infidiarum cauſa, vel alias ob rationes fiunt. Gloſſ. Pez. celaverunt *pipergent*. Notkerus Pſal. IX. 16. *burgen ſtricche*, laqueos occultabant. Hodie dicimus *verbergen*. Utitur tamen ſimplici Luth. in ſacra verſione.

BERGEN, juvare VEREL. in Ind. *biarga* auxilium ferre, *biargaſt at* invicem juvare, *biargleyſi* auxilii inopia.

BERGEN, a *berg* tumulus, collis.

BERGEN, ſepelire. Id eſt, tumulo inferre, quod ſepulturæ veterum plerumque fierent ſub collibus, ſive naturalibus, ſive manu congeſtis, quod pluribus demonſtravit V. C. Joh. Georg. KEYSLERUS in Antiq. Septentr. pag. 103. ſeq. Ejusque rei indicium faciunt nonſolum oſſa & urnæ, quæ hodienum eruuntur, ſed etiam Lingua vetus. Nam ſepelire Angloſaxonibus dicitur *byrigan*, *bebyrgean*, & *bebyrigean*, Matth. VIII. 21. & ſepultus *birged*, *bebyrged*. Unde, niſi a *beorg* collis? Huc etiam ſpectare videntur verba *Otfridi* Lib. V. Cap. XXIII. 52. de immortalitate per Chriſtum parta: *then tod habet giborgan*, mortem ſepelivit. Quod rectius & ingenioſius dicitur, quam *operuit*. Ab eodem verbo monumenta ſepulcralia nomen accipiunt in plerisque veterum Dialectis. Hinc tumulus Angloſax. dicitur *birgene*, *bergyl*, *byrigels*, ſarcophagus *lic-beorg*, *lic-burg*, epitaphium *byrigleoth*. Et in Gloſſis Liplii *burgisli* exponitur *ſepulcrum*. Addo Legem Salicam editionis Eccardinæ, ubi Tit. LVIII. 4. occurrit *chreoburgio*, quod videtur hominis mortui (nam *chreo* cadaver ſignificat) reconditorium denotare, obſervante doctiſſimo Editore. Priſtinum ſepeliendi morem mutavit Carolus M. in Capitulatione de partibus Saxoniæ Cap. XXII. *Jubemus, ut corpora Chriſtianorum Saxonum ad Cœmiteria Eccleſiæ deferantur, & non ad* TUMULOS *Paganorum*. Quo facto vocabulum una ſepultum eſt.

BERGEN, condere, in loco ſubterraneo reponere. VEREL. in Ind. *berga ſæd* ſegetes in horreum inferre. Lucem vocabulo præbet, & viciſſim ab illo accipit locus TACITI cap. XVI. de M. G. *Solent & ſubterraneos ſpecus aperire, eosque multo inſuper ſimo* (in formam collis) *onerant, ſuffugium hyemi, & receptaculum frugibus*. Hæc prima Germaniæ horrea. Poſtea uſus condendi mutatus eſt,

manente priſco vocabulo. Et huc ſpectat Gloſſa Vereliana.

BERICHT, inſtructio. Refer ad *richten* inſtruere.

BERISPEN, arguere, increpare. V. ſimplex.

BERM, fæx, fermentum, flos cereviſiæ, Dial. Marchica. Angloſax. *beorm*, Angl. *barme*, Dan. *bærmes*. A *bæren* levare, attollere, & non a Lat. *fermentum*. Ita Gallis *levain* a *levo*.

BERN, vir, & vir præcipuus. Angloſaxonibus *beorn*, Danis antiq. *biorn*. Nomen ſexus & dignitatis, quod Saxones videntur a Francis accepiſſe. Nam *bar* Francorum utroque pollet ſignificatu, & inde fieri poterat *barn*, *beorn*, *biorn*, per augmentum finale. Id quod deinceps Longobardi, & ipſi Franci in Nominibus propriis ſunt imitati. Inde

BERNHARDUS, vir fortis. Non cor virile, & multo minus cor urſi. Plura ejusd. generis compoſita vide in *hart* fortis.

BERNARDUS, eadem notione. Non ingenium virile, tanquam eſſet ab *art* indoles. Et multo minus ingenium urſi.

BARNEFRIDUS, aſſertor maſculus. Similia vide in *frieden* tueri.

WARNEFRIDUS, Scriptor celebris Longobardorum, eadem notione, quia B. ſolet verti in W. GROTIO eſt *cuſtos pacis*. Sed in nominibus propriis *frid*, ultimo loco poſitum, nunquam ſignificat pacem.

Galli priores a *bern* habuerunt *bernage* ſatellitium regium.

BERNEN, urere & ardere. Angloſax. *bernan*, *byrnan*, Angl. *to burn*, Gr. πυρῶ, Lat. *burere* in comp. Cuncta a Phrygio πῦρ ignis. Hodie, cum Gothis & Francis dicimus *brennen*, quod literæ caninæ transpoſitione originem occultat.

BERNSTEIN, ſuccinum, lapis cremabilis, ſic dictus, quod facile ignem concipiat, a *bernen* ardere. In Verſione Islandica Luc. XVII. 29. *brennſtein* eſt ſulphur, ob eandem rationem. In aliis Dialectis, & præcipue Helvetica apud PICTORIUM & DECIMATOREM ſuccinum dicitur *aidſtein*, ab obſoleto *eiten* ardere. Vox Latina eundem admittit ſenſum, ſi derivetur a verbo Celtico *cynne* incendere & incendi, quod hodie cuſtodiunt Cambri, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Res ipſa reſpondet vocabulo, & vocabulum rei. *Si naturam ſuccini admoto igne tentes*, inquit TACITUS, *in modum tedæ accenditur, alitque flammam pinguem & olentem: mox ut in picem reſinamve lenteſcit.* Cap. XLV. de M. G. Quo nomine primi ſuccini collectores hunc lapidem appellaverint, vide in *gleſs*.

BERSTEN, rumpi, *borſt* ruptura. A *breſten* rumpi, quod genuinum, quia etymologiam habet, & facile mutatur in *berſten*, ob mobilitatem literæ R. Interim hæc metatheſis valde antiqua eſt. Nam inde Angloſaxonibus *borſten* eſt ruptus, Belgis *borſt* pectus, quia in medio ruptum, Cambris *bors* hernia, a ruptura ut videtur, per quam inteſtina in ſcrotum deſcendunt.

BERSTEN, frangere, facere ut rumpatur. Verbum faceſſens ex præcedenti, quod Angloſaxonibus effertur *berſtan* & *burſtan* apud Lexicographos.

BERT, clarus. V. *brecht*.

BERUCHTIGEN. V. *rücht* fama.

BERUCKEN, circumvenire. Proprie eſt attrahere, a *rücken* trahere, & dicitur de fraudulentis ducta ab aucupibus metaphora, qui aves allectas retibus attractis decipiunt. Belgæ eodem ſenſu dicunt *betrecken*, a *trecken* trahere. Imo etiam Græcis ἕλκω eſt decipio, & forte a ἑλύω traho.

BES, bacca. Gothis *basja* in comp. *weinbasja* uvæ Luc. VI. 44. Factum a *ber* ejusdem ſignif. litera canina in ſibilum mutata. *Ber* autem eſt a *bæren* proferre, & proprie omnem fructum denotat. Hinc antiquius cenſeri debet eo, de quo nunc agimus, etiamſi ſerius ſcriptum ſit. Quemadmodum autem *ber* latiſſimo ſenſu dicitur, ita *bes* ad omnes plantarum fructus, & grana fructuum, quæ ſimilitudine baccas referunt, extenditur. Inde Cambris *pys* ervum, Angloſaxonibus *piſan* piſa, lentes, lenticulæ, *piſan-hoſa* ſiliquæ, *muſe-piſe* vicia, Belgis *besje* acinus. Nec aliunde Græcis & Latinis πισον & *piſum*, Gallis *pois*. In agro Berolinenſi *beſen* & *beſinge* pro baccis frequenter auditur, quod a Gothis, cum adhuc proxima Pomeraniæ loca incolerent, relictum arbitror. Aliam vocem Gothicam, ſolisque Berolinenſibus uſitatam, vide in *klagen* parvuli.

BESAULEN, contaminare. V. *ſulen*.

BESCHÆFTIGEN, occupari. A *ſchaffen* laborare, per adjectiv. *ſchæftig* negotioſus, quod eſt a ſubſt. obſoleto *ſchaft* occupatio.

BESCHÆLEN, equam gravidam reddere, *beſchæler* admiſſarius. A *ſchale* concha venerea.

BESCHAFFEN, conſtitutus, *beſchaffenheit* conſtitutio. Refer ad *ſchaffen* formare, quod de arte & natura dicitur.

BESCHATTEN, quatenus derivatur a *ſchatten* umbra, ſignificat quantum poteſt, obumbrare & obſcurare. Gloſſ. Lipſ. *ſceadeuon ſal* obumbrabit, *beſceduuit* obſcurabitur.

BESCHAUWEN, contemplari. Gloſſ. Keron. conſideret *piſcauuuohe*, conſideranda eſt *zi piſcauuuonne iſt*. Idem Angloſaxonibus *beſceawian*, Belgis *beſchouwen*. Refer ad ſimplex.

BESCHEID, ratio. Angloſaxonibus *ſcad* & *geſcead* eſt ratio, & hinc *geſcead agyldan* rationem reddere, apud SOMNERUM in Dict. Unde rationi hoc nomen quæſitum ſit, jam indicavi in verbo *ſcheiden* diſcernere.

BESCHEID, judicatum. A *ſcheiden* dirimere.

BESCHEID, reſponſum quod datur abeunti. A *ſcheiden* diſcedere, quaſi diſceſſus, per metonymiam conſequentis pro antecedente, quia reſponſo accepto alter diſcedit. Ob eandem cauſam decretum vocatur *abſcheid*, *abſchied*, ut *receſſus* a *recedendo*.

BESCHEIDEN, inſtruere. Jus Prov. Alam. Cap. III. 10. *alz daz Leben recht-buch juch uuol beſchaiden kan*, ſicut liber juris feudalis vos docere poteſt. A *beſcheid* ratio. Quid enim eſt docere, niſi dictorum rationem reddere?

BESCHEIDEN, deſignare. Jus prov. Alam. Cap. IV. 2. *an dem haupt iſt ez beſchaiden man und uuip, diu reht und redlich zu der e komen ſint*, in capite ſunt deſignati vir & uxor, legitimo matrimonio juncti. Refer ad *ſcheiden* diſtinguere. Nam diſtinctio omnis eſt a ſignis, & non niſi per ſigna manifeſtatur. Quod ubi fit, tunc res diſtincta ſimul deſignatur. Unde apparet, quam facilis ſit ſenſus a diſtinguendo ad deſignandum tranſitus.

BESCHEIDEN, indicere diem & locum, *beſchieden* rogatus, citatus, *vorbeſcheid* terminus judicialis, tempus amicabili compoſitioni præſtitum. Ab obſoleto *ſcheid*, quo priores Germani ſpatium temporis & loci denotarunt.

BESCHEIDEN, modeſtus. Quo ſenſu, vide in *ſcheiden* partiri.

BESCHEID THUN, reciprocare potum, vicem reddere bibendo. Videtur eſſe a *beſcheid* ratio, factumque ad imitationem formulæ Gallicæ *faire raiſon*. Viderint Galli, quid hic faciat ratio? Aliis eſt formula Germanica, a *beſcheid* reſponſum, quia poculis reſpondemus, & ſalutem acceptam reddimus. Veterem propinandi & reſpondendi formulam vide in *heil* ſalvus.

BESCHEREN, dare, donare. Francis *piſceran* & *giskeran*. Gloſſ. Pez. deditos *piſcerite*. Epinic. R. Lud. verſ. 73.

Giskerit iſt thiu hieruuiſt,
So lango ſo uuil Kriſt.
Vertit SCHILTERUS:
Data eſt hæc vita
Tam diu quam vult Chriſtus.

HELVIGIUS in Orig. Dict. Germ. *beſcheren* i. e. boni aliquid deſtinare & conferre alicui: alludit ad Heb. *aſchar* felix & fortunatus fuit. Hæc ille, ſed minus recte. Nam proprie eſt *impertiri*, a *ſcheren* partiri. Quamvis etiam Græcæ originis eſſe poſſit, a χείρ manus, quia verba dandi ſæpe formantur a manu, ut oſtendi in *geben* & *leihen*. Hodie fere utimur tantum de largitionibus e cœlo.

BESCHICKEN. V. ſimplex.

BESCHIRMEN, defendere, tueri, protegere. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXVI. 91. *biſcirmen in then notin*, invocabitis montes ut protegant vos in adverſis. Verbum WILLERAMO familiare in Cantico. Loca inde decerpta vide apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 25. Refer ad ſimplex.

BESCHLEUNIGEN, accelerare. V. *ſchleunig*.

BESCHMIEREN, primo eſt ungere & illinere, deinde inquinare, a ſimplici ejusdem ſignificatus. Hinc porro allegoria petita, ut notare aliquem riſu, opprobrio, vel alia honoris macula, Angloſaxonibus dicatur *bismerian*, Francis & Alam. *biſmeran*. Gloſſ. Keron. inridet. *piſmeret*. TATIANUS Cap. CC. 2. *bismarotun inan*, illudebant ei. Quod repetitur Cap. CCV. 2. 3. 4.

BESCHMITZEN, maculare, polluere. Angloſax. *besmitan*, Franc. & Alam. *pismizzan*, Belgis *besmetten*. Gloſſ. Keron. contagiet *pismizze*. A ſimplici ejusdem ſignificatus. Gothis *bismitan* eſt ungere, illinere, & inde *bismait* unxit, illevit Joh. IX. 6. 11. Qui verbi ſignificatus haud dubie eſt antiquior Saxonico, quo utimur hodie.

BESCHWICKEN, decipere. Gloſſ. Lipſ. *beſuick* ſupplanta, *beſuikit* decipit. Gloſſ. Keron. deceptus *piſuuichaner*. Idem Angloſaxonibus *beſwicen*, a *beſwican* decipere, ſeducere, prodere &c. Hodie dicimus *bezwicken*. Vide plura in ſimplici.

BESEM, ſcopæ. BENSON. in Voc. Angloſax. *beſem*, *beſm*, *beſma* ſcopæ. Gloſſ. Pez. in ſcopa *in peſamin*. Fragmentum Antiquæ Verſionis Theotiſcæ Matth. XII. 44. apud ECCARDUM in Quaternione Vet. Monum. pag. 43. *enti guhomann* (lege *gichuman*) *findit ital bu beſmon gacherit enti gaſconit*, & veniens invenit vacantem domum ſcopis mundatam & ornatam. Forte a *butzen* mundare, ut conjectat MARTINIUS.

BESERICH, ſcutica ex pene bovis. Belgis *peer* eſt nervus, *bullepeer* penis bubulus. Græcis πόος penis. Hinc *beſerich* eſt nervis pollens, vel penis robuſtus.

BESESSENER, dæmoniacus. Proprie obſeſſus, puta a dæmone, a *beſitzen* poſſidere. Notæ ſignificationis vox, ſed nuper adhibita. Gothi dæmoniacum vocant *wods* Marc. V. 18. Angloſaxones *wod* Joh. VIII. 48. 49. Quo ſenſu, jam dixi in *wut* fero ſimilis. Eadem Dialecto, Saxonica inquam, dæmonium vocatur *deofel ſeocneſſe* Matth. IV. 24. id eſt, morbus diabolicus.

BESEULEN, maculare. V. *Sulen*.

BESING, bacca. V. *bes*.

BESITZEN, poſſidere. V. *ſitzen*.

BESONDER. V. *ſonder*.

BESSER, melior. Comp. a poſ. *bas*, *baſ* bonus. Gothis effertur *batizo* Luc. V. 39. Angloſax. *betere* ibid. Francis & Alam. *bezir*, *pezzir*, Belg. *beter*, Angl. *better*. Gloſſ. Keron. meliorem *pezzirun*, melius *paz*, *pezzira*, in melius *in pezzára*, modice melioris *luzilemu pezzirun*. TATIANUS Cap. LVI. 9. *thas alta iſt bezira*, vetus eſt melius. Quibus conſentit Perſicum *bihter*, Gr. βέλτερος, Lat. *potior*.

BESSERN, quatenus derivatur a *beſſer*, ſignificat quantum poteſt, (1.) in meliorem ſtatum reduci. Inde Angloſaxonibus *beterian* meliorescere, hodie *ſich beſſern*. (2.) melio-

meliorem reddere, facere ut melior fiat. Gloſſ. Pez. ædificare *peziron*, reformat *gipezirot*. Gloſſ. Keron. meliorati *kepezzirote*. (3.) compenſare, damnum illatum reſarcire. Utitur Jus prov. Alam. Cap. 210. (4.) antecellere, præſtare, ſenſus Angloſaxonibus proprius.

BEST, optimus. Gothis *batiſta* Luc. I. 3. Angloſax. *beteſt*, *betſt*, Franc. & Alam. *bezziſto*, Belg. & Angl. *beſt*. Gr. βέλτιστος. Gloſſ. Keron. optimum *pezziſtun*. TATIANUS ab initio: *bezziſto Theophile*, optime Theophile. Superl. a poſ. *bas*.

BESTÆNDIG, conſtans. Refer ad *ſtanden* ſtare, vel ſi mavis ad *ſtan*.

BESTÆTIGEN. V. *ſtatig*.

BESTALLEN, *beſtallung*. V. *ſtallen* conſtituere.

BESTAND. V. thema verbi *ſtan*.

BESTATTEN, collocare, loco inferre, *zur erde beſtatten* terræ committere, ſepulcro inferre. Lex Friſ. VIII. 4. citante JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 161. *to der molda beſtedigia*, pulveri vel humo committere. Gloſſ. Boxh. *kiſtaton* collocare. Gloſſ. Keron. collocet *keſtatot*. A ſimplici *ſtatten*, quod vide.

BESTECHEN, donis corrumpere, ſtimulum addere beneficiis. V. *ſtechen*.

BESTELLEN, quatenus derivatur a *ſtelle* locus, ſignificat quantum poteſt, vocare ad locum, curare in loco, præficere loco &c.

BESTURZT, perculſus. LUTH. habet *verſtürzt* Act. II. 6. quod idem. Quemadmodum perculſus Latinis alio vocabulo dicitur *attonitus*, Gallis *eſtonné*, Germ. *erſtaunt*, notione a fragore petita: ita rurſus idem nobis vocatur *beſtürzt*, Gallis *eſtourdi*, Italis *ſtordito*, a Celtica voce *turdd* ſtrepitus, clangor, tonitru, quam ſiſtit BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Ita etiam Græcis a βροντὴ tonitru fit ἐμβροντητὸς attonitus. Extra hanc analogiam ſignificare poteſt perturbatum, a *ſtören* turbare, quod placuit STADENIO: vel perterritum, a *ſtarren* rigere, ſtupere metu. Spurias origines (quales ſunt *ſurdatus*, & *ſtolidatus*), qui ſcire deſiderant, adeant FERRARIUM in voce Italica, MENAGIUM in Gallica.

BESUCHEN, inviſere. V. *ſuchen* quærere conveniendi cauſa.

BESUDELN, maculare. V. *ſülen* & *ſudeln* ejusdem ſignif.

BETAGET, decrepitus. V. *tagen* ſenescere.

BETE, oblatio, petitio &c. V. *Bede*.

BETEN, orare, adorare, ſuppliciter invocare, *gebet* oratio ad Deum. TATIANUS Cap. XXXIV. 5. *Truhtin leri unſih beton*, Domine doce nos orare. Gloſſ. Keron. orare *petoon*, oratio *kabet*, in oratione *in kepete*, preces *kepetum*, ſupplicatio *deolichaz kipete*. Cuncta ejusdem originis ut *bitten*.

BETEUBEN, obtundere. V. *teuben* hebetare.

BETEUREN, ſancte affirmare. V. *teur* religioſus & religioſe.

BETRACHTEN, conſiderare. V. *trachten* meditari.

BETRAPPEN, capere. A ſimplici *treffen* ejusdem ſignif. quod vide.

BETRIEGEN. V. *triegen*.

BETRUBEN. V. *trüben*.

BETRUG. V. *trug*.

BETT, lectus. V. *bedd*.

BETTELN, mendicare. Frequentativ. a *bitten* petere. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XX. 74. *ther blint hiar betolonti faz*, qui cœcus hîc mendicans ſedit. Et mox: *ioh brotes betolonti*, & panem mendicans. Inde Francis *betalar* mendicus, & *betelode* mendicitas. NOTKERUS Pſal. CVIII. 10. *ſiniu chint uuerden betelara*, filii ejus mendicent. Pſ. CVI. 10. *gebundene in betelode*, vinctos in mendicitate. Hodie dicimus *betler* & *bettelei*. Prius imitantur Galli in *belitre*, judice NICOTIO apud MENAGIUM. Pluribus vocabulis inveniendis anſam dedit pauper, dum ubique jacet, & apud diverſos diverſis. Ita mendicus Gothis vocatur *bidagwa*, Angloſaxonibus *wædla*, Suecis *tiggiare* &c.

BEUCHEN, *büchen*, macerare lixivio. Angl. *to buck*, Sax. inf. *byken*, *byen*, Gall. *buer*. Omnia a Lat. *buo*. Quid enim eſt macerare, niſi humore imbuere? Hanc etymologiam debemus ingenio *Huetiano* apud MENAGIUM. Reliquæ, a *bucca* vel *foco* deſumptæ, etiamſi claros habeant auctores, nehilum quidem valent. Hinc porro lixivium quo lintea macerantur, in Miſnia vocatur *beuche*, in Marchia Brand. *byke*, *bye*, Pariſiis *buée*, in Italia *bucato*. Angli utuntur compoſitis *buck-lie* lixivium, *buck-washer* lotrix a lixivio, *bucking-ſtock* lixivarium, *bucking-tub* lixivatorium.

BEUGEN, flectere. V. *bügen*.

BEUL, ictus, verber. Primus & nativus vocis ſenſus, a *bluan* cædere, verberare, per transpoſitionem literæ L. (quæ huic mutationi inprimis obnoxia) legitime derivatus. Veritas derivationis vel hinc patet, quia Cambri ſalvo & integro literarum ordine ictum vocant *pla*, Angli *blow*, unde per transpoſitionem fit *beul*. Originem & antiquitatem ipſius verbi vide inferius in *bleuwen* cædere. Inde eſt, quod in Legibus veterum Germanorum *fractura oſſis ex verbere* vocatur *pulebruſt*, manifeſto indicio, *pule* nonſolum tumorem ex percuſſione, ſed etiam ictum ſeu percutiendi actum denotaſſe, quod contra Gloſſatores obſervandum. Lex Alam. Tit. LXV. 1. 7. *ſi brachium fregerit* (percuſſio), *ita ut pellem non rumpat*, *quod Alamanni pulebruſt vocant*. Lex Bajuvar. Tit. III. Cap. I. §. 4. *Si os fregerit, & pellem non fregit, quod pulebruſt dicunt*. A *bruſt* fractura.

BEUL, nota verbere facta. Ex eodem fonte. Nihil autem intereſt, an verber cutem rumpat, necne. Hinc latiſſimo ſenſu

simo sensu dicitur in Dialectis, de livoribus, tumoribus, tuberculis, vulneribus, cicatricibus. Gloss. Lipf. *balo* cicatrices, Lex Longobard. Edit. Herold. Tit. IV. 30. *Si quis servum alienum rusticanum percusserit, pro una ferita, id est, pulslahi, si vulnus apparuerit aut livor, componat solidum medium.* Lex Alam. Tit. LIX. *Si quis alium per iram percusserit, quod Alamanni puleslach dicunt.* A *schlagen* percutere.

BEUL, ulcus, bubo; *peſtbeulen* ulcera ex lue. BENSON. in Voc. AS. *byle* ulcus, *bylas* carbunculi. An sensus a tuberculis ad ulcera translatus sit, dubito. Forte rectius refertur ad familiam τῦ *bal*, quatenus malum passionis significat. Nam hoc per synecdochen generis ad ulcera extendi potuit.

BEUMEN, *ſich beumen*. V. *baum* arbor.

BEVOR, ante & antequam, *bevorkommen* prævenire. Refer ad simplex.

BEVORTEILEN, lucrum ex alterius damno capere, a *vorteil* commodum, emolumentum. Ita STILER. in Thes. L. Germ. Proprie est commodum alteri detrahere, ob præfixum *be*, quod sæpe privationem infert apud veteres, ut demonstravi in PROLEG. Sect. V.

BEUREN, *büren*, in nominibus locorum quid significet, id vide in *bauer* locus habitandi communis. Latino-Barbari *Puram* vocant. Hinc *Ober-und Nider-Beuren* illis est *Pura major & minor*. GOLDASTUS videtur nomen componere ex *By-rhon*, ad fluvium, Tom. I. Rer. Alam. pag. 107. Alius deflectit a *born* fons. Non habeo, quo negem, nec quo adfirmen pertinacius. Meæ tamen interpretationi, donec meliorem videam, inhæreo.

BEUTE, alvearium, alveus apum. Vox diplomatica, sed origine Britannica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *byda* alvearium. Occurrit in Privilegio Cidelariis Norimbergensibus a Carolo IV. an. 1350. concesso, ubi inter alia: *es sol auch ein jeder Zeidler hauen, was er zu den peuten bedarf*, fas sit unicuique Cidelario tantum cædere ligni, quantum illi ad alvearia opus est. Id quod in Privilegio Ruperti Imp. an. 1403. ubi alvearium diserte vocatur *pewte*, confirmatur. Inde est, quod iidem Cidelarii *Butigler* & *Butigularii* vocantur, a diminutivo *buticula* alveolus, & non a *buticula* lagena, ut *Butitularii* Regum Francorum, quorum officium & dignitatem describit HINCMARUS. Illi nomen adepti sunt ab alvearibus, hi a cellæ vinariæ cura. Unde mihi errare videntur, qui similitudine nominum capti, homines plebejos & in nemoribus habitantes cum illustribus a latere Regis confundunt. De his mellicidis vide plura in *Zeidler*. Anglis alvearium dicitur *bee-hive*, hoc est, domus apum, Anglosax. *hiwe* domus. Hinc analogia duce conjicio, vocem Britannicam *byda* forte compositam esse ex *beo* & *ty*, quorum illud Saxonica Lingua *apes*, hoc Celtica *domum* significat. Aliter tamen statuendum de voce, si simplex sit, & minime composita. Tunc enim denotabit apiarium, & derivabitur a *beo* apes, ut *apiarium* ab *apibus*; vel certe idem erit quod *bude* domus, mansio, puta mellifici generis, quod ibi habitat. Nam & Anglosaxonibus familiare est hac uti aphæresi, & domum atque alveum apum eodem vocabulo designare. SOMNER. in Dict. *hiwe* domus, *hyfe* alveus.

BEUTE, præda. Belg. *buit*, Angl. *booty*, Suec. & Island. *byte*, Gall. *butin*, Ital. *botino*. BUDÆUS derivat a βοῦτῦν bovem sacrificare, forte quia præda dividitur, ut bos immolatus: MARTINIUS a ποθὴ desiderium, quia præda est res desiderata, & alibi a βιάζω vim infero: SKINNERUS a *beutel* marsupium, vel *batten* prodesse. Sed quid opus est, falsas etymologias undique conquirere, cum vera sponte se offerat? Nam *beiten* & *weiden* olim erat capere, arripere, apprehendere, unde recte sunt verbalia *beute* & *weide* præda, res bello vel venatione capta. Illud apud veteres desideratur, hoc apud Francos obvium est. Sed literæ utrinque sunt convertibiles, & sensus utrinque idem. Proprie autem est res capta. Et hoc sensu etiamnum superat in composito *ausbeute* fructus ex quacunque re vel labore captus, & synecdochice reditus ex metallifodinis. Gothis *paid* est tunica Matth. V. 40. Cambris *pais* tunica & palla, Islandis & Finnis *paita* indusium. Quod miror. Quid enim? An dicemus, indusias & exuvias antiquitus eodem vocabulo designatas esse? Dubito. Si *raub* utrumque significat, id fit ex diversis causis. Hinc suspicor, vocem Gothicam & reliquas, ad familiam τῦ *wad* tegmen, vestitus, referendas esse, quia P. & W. in Dialectis permutantur. Præcipua composita sunt, *erbeuten*, acquirere, consequi, sive spoliando id fiat, sive legitimo modo, *freibeuter* pirata, & ni fallor etiam miles spoliandi causa emissus, vel licentiam spoliandi adeptus, a *frei* licitus & licite.

BEUTEL, sacculus, marsupium. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *pewtner* bursa, crumena. Idem Belgis *buidel* & Sax. inf. *bydel*. HELVIGIUS transpositum concisumque existimat ex Græc. βαλάντιον ejusdem signif. Mallem derivare a Lat. *vidulus*, si peregrina origine opus esset. Sed meminisse debemus, quod *beiten* fit capere, & quod capere dicantur non solum manus, sed etiam loculi. Vocem Francicam vide in *seckel*, Saxonicam in *schrein*, Gothicam in *archa*.

BEUTEL, excussorium, *das mel beuteln* farinam excutere, furfures secernere. Belgæ eadem notione dicunt *buidel* & *buidelen*, Galli rectius *bluteau* & *bluter*. FERRARIUS in voce *biotto* omnium originem ita explicat: *Apluda milii & panici integumentum est, ut apludare sit apludam, id est, corticem excutere, granaque veluti exuere & spoliare, unde veteres apud Gellium apludam furfures vocarunt. Inde Gallicum bluter, farinam secernere,*

cernere, ſive ſurfures excutere, & bluteau cribrum poliinarium. Ita & Germani beutelen, non a volutando, ſed ab apludare, blutare, apludam ſive ſurfures excernere. Malem omnia a *plodendo* deduxiſſet, etiam *apludam.* Quamvis nec hoc ſatis firmum ſit. Nam Celtica lingua & hodie Cambrica *blawd* eſt farina, & *blodio* farinam exerere. Hinc *beutel* videtur corruptum ex *blodel*, & proprie denotare inſtrumentum, quo farina ſecernitur.

BEWÆREN, demonſtrare. A *war* verum, quaſi verificare.

BEWÆREN, explorare, examinare, an probum ſit, necne, *bewæret* probatus, experimento cognitus. Utitur Luth. 1 Pet. I. 7. Jac. I. 12. Utitur quoque Eccleſia in quodam Hymno: *das gold im feuir ſiebenmal bewært wird lauter funden.* Refer ad *war* probus.

BEWANT. V. *wenden* ſtare.

BEWAREN. V. *waren.*

BEWEGEN. V. *wegen.*

BEWIRTEN, duo ſignificare poteſt, (1.) hoſpitio excipere, ſi derivetur a *wirt* hoſpes vel caupo. (2.) epulo excipere, ſi derivetur ab ὥρτη convivium. Confer *irt* & *wirt.*

BEY. V. *bei.*

BEZEIGEN, gerere ſe, bene vel male. Refer ad *zeigen* oſtendere.

BEZEUGEN, teſtari. V. *zeuge* teſtis.

BEZICHTIGEN, criminari, in ſuſpicionem criminis adducere. Hujus verbi generatio ita procedit. A *zeihen* arguere, criminis inſimulare ſit primo *zicht* criminatio, quod vide. A *zicht* rurſus ſit *zichten* criminari, hodie quidem obſoletum, olim vero uſitatum. Gloſſ. Pez. criminabantur *inzihtotun.* Denique a *zichten* noviſſime factum eſt *bezichtigen*, tanquam frequentativum a ſimplici. Lexicographi ſcribunt *bezüchtigen*, tanquam eſſet a *züchtigen* caſtigare. Et ſic ridendos ſe præbent ubique.

BEZWICKEN. V. *beſchwicken.*

BIBEL, Biblia. A βιβλια libelli. Dicitur de Codice ſacro, quia ex multis libellis componitur.

BIBER, caſtor. Gloſſ.Ælf. in nom. ferarum: fiber, caſtor ponticus *befer.* Gloſſ. Pez. caſtor *pipar.* Vox pluribus linguis communis, & omnium conſenſu a Lat. *fiber*, quia *fibrum*, hoc eſt, extremum fluminis incolit.

BICKEL-HAUBE. V. *pickel-haube.*

BICKEL-STEIN, talus luſorius. V. *pickeln* ludere.

BICKEL-STEIN, ſcrupus, mica petræ. V. *picken* pungere.

BICKEN, pungere. V. *picken.*

BICKEN, roſtro ferire. V. *picken.*

BIDER, bonus, probus, utilis. Ante ſæculum XIV. omnis retro Antiquitas, Francica, Alamannica, Saxonica, dixit *biderber* & *bederver.* Diploma Ludovici Bavari an. 1345. apud Dn. de LUDEWIG Tom. VII. Diplom. p. 145. *Ok wil wy, dat alle Jar in dem Rade to Steindal ſcolen weſen twe bederve man ut der Gylde der wantsnyder, twe bederve man ut der Gylde der wantmeker, twe bederve man ut der Gylde der kremer, eyn bederve man ut der Gylde der korſemeker, ein bederve man ut der Gylde der gerwer, und der ſchumeker, eyn bederve man ut der Gylde der knokenhoger, ein bederve man ut der Gylde der beker, und twe bederve man ut den meynen borgern.* Jus Provinc. Alam. Cap. 339. *uuil er dann laugen, daz er ſchuldig ſi, daz mag er tun mit ſinen zuuain uingern, ob er ain biderber man iſt.* Gloſſ. Keron. utiiis *piderbor*, inutilis *unbiderber.* Cuncta a ſimplici, *derb*, quod primo *utilem*, poſtea etiam *bonum* & *probum* ſignificat, quia bono & probo nihil utilius. Hoc imitari ſolent ſcriptores medii Ævi, dum eum, quem bonum & probum dicere volunt, ſubinde *utilem* vocant. CANGIUS in Gloſſario: *utilis*, probus, bonus, *utilitas* probitas. Baſina ad Regem Childericum apud Gregorium Turonenſ. Lib. 2. Hiſt. Cap. 12. *Novi*, inquit, *utilitatem tuam, quod ſis valde ſtrenuus, ideoque veni, ut habitem tecum. Nam noveris, ſi in transmarinis partibus aliquem cognoviſſem utiliorem te, expetiiſſem utique cohabitationem ejus.* Interim poſteritas ex *biderber* incredibili mutatione fecit *bider*, vocem bonam & genuinam tam arcte contrahendo, ut vix originis veſtigia pateant. Vidit tamen ea STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 790. Neſcio an alia clavicula opus ſit inter peritos. Addam tamen in gratiam eorum, qui mutilationibus offenduntur, hoc unum, ſervari integritatem vocis poſſe, ſi ducatur a *batten* proderſe, juvare. Ita Græcis a βοηθεῖν juvare fit βοηθὸς qui prodeſt, qui juvat.

BIDERMAN, vir bonus, probus, utilis, honeſtus, qui facit quod nonſolum ſibi, ſed etiam aliis expedit.

BIDERWEIB, *biderwib*, fœmina proba & honeſta. Vocem ex Jure Statutario Arg. produxit & explicavit cel. SCHERZIUS in notis ad Rhythmum *de Caroli M. Expeditione Hiſpanica* pag. 1.

BIEGELN, lævigare lintea. V. *biigen* arcuare.

BIEGEN, flectere, curvare &c. V. *biigen.*

BIEN, infectum mellificum. Angloſax. *beo*, Angl. *bee*, Belg. *bye*, Suec. *by.* CASAUBONUS & alii deflectunt a Lat. *apis.* Hos ſequitur ECCARDUS in not. ad Leg. Sal. pag. 27. Notandum, inquit, in Codice Gvelferbytano pro *apis* ſcribi *abis*, ſecundum vulgi noſtri pronuntiationem, qua ex *apis*, *abis*, & paulatim *abi*, *bie*, *biene*, factum eſt. Unde conjicias, apum cultum a Romanis ad Germanos veniſſe. Hæc ille. *Apis* autem creditur ſic dici a verbo obſoleto *apo* vel ἄπτω connecto, quia cohæret & conglomeratur cum ſui ſimilibus, qui ſenſus etiam Germanicæ vocis eſſe poſſit, judice MARTINIO, ſi componatur ex *bi-ein* unacum, una cum alia. Olim deduxi ab Angloſaxon. *byan* habitare, ob notam Apum

ſub

ſub uno Rege rempublicam. Et cum *byan* etiam ædificare ſignificet, hoc quoque Apibus convenire videbatur, miris utique architectis. Nam domos cellasque conſtruunt ſexangulas omnes, & totum intus alveum tectorio obducunt. Et hujus etymologiæ me nondum pœnitet. Poſtea novam excogitavit clar. CLODIUS ex Arabico *naip* apis, unde par anaſtrophen fit *pian*.

BIER, cereviſia. Gloſſ. R. Mauri apud DIECMAN. cadus *peorfuz*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *bir* cereviſia lupulata, *berwy* bullire, coquere, concoquere. Gloſſ. Ælf. in nom. potionum : mulſum *beor*. Evang. Angloſax. Luc. I. 15. *and he ne drincth win ne beor*, vinum & ſiceram non bibet. Ex his opinor eſſe manifeſtum, quod *bier* antiquis fuerit decoctum ex quavis re, hordeo, frumento, lupulo, melle, pyris &c. Tribuitur enim nonſolum cereviſiæ, ſed etiam mulſo & ſiceræ. Hinc ſuſpicor, vocem apud Celtas natam eſſe a *berwy* coquere. Hodie transpoſita canina dicimus *brauwen*. Alii ad exteras origines propendent, *Hebræas*, *Græcas*, *Latinas*, quam gloriam illis minime invideo, etiamſi perſuaſus ſim, illos male judicare de voce, cujus veram & antiquam latitudinem ignorant. CLUVERIUS derivat ab Heb. *bar* fruges, frumentum, quem ſequitur SOMNERUS, quod miror, quia noverat Angloſaxonibus *bere* idem denotaſſe. Alii a Græcorum vocibus πυρὸς triticum, frumentum, πίω bibe, πιερὸν potabile, βρύτον potus hordeaceus apud Thracas. GOLDASTUS a *pyris*, VOSSIUS a *bibere*. Hodie ſignificat decoctum ex frumento, cujus uſus valde antiquus in Germania. TACITUS Cap. 23. de M. G. *Potui humor ex hordeo aut frumento, in quandam ſimilitudinem vini corruptus*. Qua voce tunc fuerit appellatus, non conſtat. Pluribus autem appellari poterat. Nam Gothi antiqui potum hordeaceum vocabant *kam*, Sueo-Gothi *ol*, *öl*, forte ab *ala* nutrire. De voce Gothica *kam*, teſtem habemus PRISCUM *in Excerptis Hiſt. Gothicæ*, ubi verba: *Miniſtri qui nos ſequebantur, advehebant nobis Cenchrum, potionem ex hordeo præbentes, quam Barbari vocant* CAMUM. Tranſiit e Gothica lingua in Belgicam, Gallicam, & Latinam medii ævi. Inde *camum* genus potionis apud ULPIANUM, *camba*, *camma* officina cereviſiaria, locus ubi cereviſia coquitur, *cambarius* braſiator, coctor cereviſiæ, Gallis prioribus *cambier*, apud CANGIUM. KILIANUS in Etymologico Belgico : *kam*, *kamme* vetus, idem quod *brauwerk* : *kammer* idem quod *brauwer* : *kammer-ſtrat* idem quod *brauwer-ſtrat* : *kam-ſtoc* tridens cereviſiarius. Unde Latinis ſit vox *cereviſia*, vide in *gæren* fermenteſcere.

BIESEN, fremere. V. *büſen*.

BIETEN, cogere quocunque modo, vi, précibus, imperio. Græcis βιάζω eſt vim inferre, a βία vis, Angloſax. *biddan* impellere, Francis *beitten* compellere, precibus cogere. TATIANUS Cap. CCXXVIII. 2. *inti beittun inan ſus quedente, uuone mit uns*, & coëgerunt eum dicentes, mane nobiscum. Hodie obſoleſcit.

BIETEN, quatenus ſignificat *porrigere*, eſt verbum valde obſcurum, cujus incunabula difficile eſt invenire. Porrigit autem primo *manus*, & deinde ad ſimilitudinem manus etiam *voluntas*. Hinc *bieten* nonſolum ſignificat porrigere, ſed etiam *offerre*, quia offerentes porrigentibus ſimiles ſunt.

BIETEN, porrigere. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XII. 73.

Thaz ſitot, quad er, ana not,
Themo ih biutu thiz brot.
Hoc agit, inquit, ſine cauſa,
Cui porrexero hanc buccellam.

BIETEN, offerre. Angloſax. *biddan*, Franc. *biuten*, *pioten* &c. Belgis *bieden*. Gloſſ. Pez. offeres *irpiotes*. Dicitur autem ſenſu latiſſimo, nonſolum de ſtudiis, officiis, facultatibus, operis, quæ ultro offeruntur, quo ſenſu libentius dicimus *anbieten*, *erbieten*, & inde *erbietig* ſponte offerens, promtus ad dandum vel exhibendum; ſed etiam de pretio rerum. Hinc *bieten* ſæpe eſt licitari, & inde *bot*, *gebot* licitatio, quia licitantes pretium offerunt pro re venali.

BIETEN, nunciare, ſignificare, reſcribere. Id eſt, per miſſos vel literas abſentibus offerre, poſito genere pro ſpecie. SOMNER. in Dict. AS. *bodian* nunciare, denunciare. Gloſſ. Pez. reſcribere *inpiotan*, denuncians *inpotenter*, ſignificaveris *inpiutis*, ſignificabatur *impotan uuard*. Hodie dicimus *enthieten* : ſed a ſimplici habemus *bote* nuncius, tabellarius, orator, legatus.

BIETEN, poſcere, poſtulare ut aliquid fiat. Gloſſ. Keron. expoſcit *peitit*, popoſcerit *peitit*. Hic ſenſus videtur oriri a Græc. ποθέω deſiderare, requirere, & non a Lat. *petere*. Non poſcere non eſt ſimpliciter rogantis, ſed vehementer requirentis, & jure quodam ad poſtulandum freti. Inde Angloſaxon. *abeden* exactus, requiſitus, poſtulatus.

BIETEN, quatenus ſignificat *poſcere*, duos habet ramos, *mandare* poſcere ut faciat vel omittat, *citare* poſcere ut veniat.

BIETEN, mandare, jubere, præcipere, poſcere ut faciat vel omittat. Gothis *biudan* & *anabiudan* Marc. I. 27. Angloſaxon. *beodan*, Suec. *biuda*, Angl. *to bid*. Cum mandatum ſit actus ſummæ poteſtatis & medium cogendi inferiores, hinc JUNIO in mentem venit, ut Gothicum verbum derivaret a Gr. βιάζω cogere. Verum, cum aliud ſit mandare, aliud cogere ut mandata fiant, natura in re duplici uno contenta vocabulo eſſe non poterat. Franci & Alamanni, & nos cum illis libentius utimur compoſito *gebieten*, quod vide. A ſimplici Gothi derivant *bathja* juſſor, qui inferioribus imperat, quod occurrit in compoſito *faurabathja* princeps, ſummus juſſor, & dicitur de principe dæmoniorum Matth. IX. 34. Nos inde deri-

vamus *bot* poteſtas vel jus præcipiendi, & ab illo componimus *botmæſſigkeit* juriſdictio.

BIETEN, citare, poſcere ut veniat, *aufbot* evocatio ad arma, *ausbot* provocatio ad duellum. VEREL. in Ind. *herbod* indictio belli, (citatio ad exercitum). Senſu forenſi ſignificat *indicere diem judicio*. Inde Francorum compoſita, *keuualtpieton* indicere, *keualtpot* indictio, apud SCHILTERUM in Gloſſ. rio pag. 117. In quibus *keuualt* ideo præfigitur, quia indictio eſt actus cogendi, vel actus ſummæ poteſtatis. Ad hanc familiam ſpectant in foro hodierno, *fürgebot* citatio ad judicium, quod extat in Jure prov. Alam. Cap. 85. & 265. *fronbote* apparitor, citator publicus.

BIETEN, vocare, invitare ad cœnam. Anglis *to bid*, Suecis *biuda*, Islandis in Verſione Sacra *bioda* Luc. XIV. 12. Vel idem eſt quod *bitten* rogare ut veniat, prout cenſet SKINNERUS; vel nomen ducit a menſa, quæ Gothis dicitur *biud* Marc. VII. 28. Angloſaxonibus *beod* Luc. XVI. 21. Francis *beudum* in Lege Salica Tit. XLIX. A *bieten* rurſus fit *bot* invitatio, & per metonymiam antecedentis convivium. VEREL. in Ind. *bod* invitatio convivalis, *hafa i bodi* convivio excipere, *vera i bodi* convivio excipi, *buds-menn* convivæ, *jolabod* invitatio ad convivia Julia. Hodie utimur compoſito *gaſtgebot* pro convivio.

BILD, imago, forma expreſſa. Belg. *beeld*, Hung. *pilda*. Vox germane Germanica, ſed peregrinis originibus tanquam nebulis obducta. Sunt, qui eam ad nos translatam exiſtimant a Syris, quibus *phelatha* ſimilitudinem ſignificat: alii ab Hebræis, quibus *bel* eſt dominus, quod inprimis placuit MYLIO, quia idola ſunt cultorum ſuorum domini; quamvis etiam a *Belo*, cui Ninus primam in orbe ſtatuam, omnibus adorandam, erexit, derivari poſſe putet. HELVIGIUS Græcas origines inculcat, ut ſit quaſi ποικιλτὸν variegatum quid, a ποικίλειν variegare: MARTINIUS Latinas a *bulla* vel *bulleta*, quaſi appellatio a typo ſigillario deſumpta ſit; quæ derivatio cæteris deterior, quia vocabulum bullis omnibus antiquius, ad noviſſima reducit. Olim deduxi a verbo Gothico *blotan* colere, quia mihi videbatur vox ab initio non quamvis imaginem, ſed idolum ſive ſignum deaſtri majoribus noſtris denotaſſe. Nunc autem aliter cenſeo, cum quia Germania antiqua non coluit imagines, ſed Deos appellavit, quod ſola mente perſpicitur, teſte TACITO Cap. IX. de M. G. Tum quia vox hodierna ex alia & antiquiore, quæ duabus conſtat ſyllabis, manifeſto contracta eſt. Nam imago cujuscunque rei Angloſaxonibus vocatur *bilith*, Francis & Alam. *bilid*, *bilith*, *bileth*, *pilad*, Suecis *belæte* in Verſione Sacra Marc. XII. 16. *huars belæte och öfuerskrift ær thetta*, cujus eſt imago hæc & inſcriptio? Gloſſ. Keron. formam *pilidi*, uniformem *eines pilades*. Gloſſ. Lipſ. *gebilithe* imagine. Hinc jam conjicio, vocem antiquam & Suecicam hodiernam derivari a verbo multis adhuc Dialectis uſitato *læta*, *laaten*, *laſſen* ſimilare, ſimilitudine exprimere, & proprie denotare *ſimulacrum*, ſive expreſſam cujusvis rei ſimilitudinem. Præfixum *bi*, *be* vel auget ſignificatum ut in aliis multis, vel idem eſt quod *bei* ad. Et huic conjecturæ tanto magis fidere poſſum, quia omnia veterum vocabula, quibus imago alicujus rei ſignificatur, a ſimilitudine deſumpta ſunt. Vide *manlich*, *gleichnüs*, *ænlich*, & patebit.

BILD, imago picta vel ſculpta, ſignum, ſtatua, idolum. NOTKERUS Pſal. LXXII. 20. *du uertilegoſt iro bilde in dinero burg*, in civitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges. Pſal. XCVI. 7. *ze honedon uuerden alle die graftpilide betoien*, confundantur omnes qui adorant ſculptilia.

BILD, perſona. Dictio metonymica, qua ſignum ponitur pro ſignato, imago hominis pro ipſo homine. Nota compoſita *mansbild*, *weibsbild*, mas, fœmina.

BILD, exemplum, unum ex dictis aut factis ſimilibus. Gloſſ. Keron. verbi gratia *pilad qhuedan*. ISIDORUS Cap. III. 1. *mit gareuuem bilidum dhes heiligin chriſtes*, paratis exemplis ſacræ Scripturæ.

BILD, exemplar, exemplum imitationi propoſitum. WILLERAMUS Cap. II. 9. *er ſelbo unſih kerta mit ſinemo bilide*, ipſe nos docuit exemplo ſuo. Eodem ſenſu occurrit *piladi* & *pilade* in Gloſſis KERONIS interlinearibus Regulæ S. Benedicti Cap. 60. & 61. Hodie libentius dicimus *vorbild*.

BILD, auctoritas. Gloſſ. R. Mauri apud DIECMANN. auctoritas *piladi*. Senſus ab exemplis deſumptus. Nam quæ conſtant exemplis, habent auctoritatem: quæ vero carent exemplis, deſtituuntur etiam auctoramento.

BILD, parabola, typus, figura. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. I. 61. *bilidi thie er zalta*, parabolas quas narravit. Theologi Francorum variis utuntur compoſitis. TATIANUS parabolam vocat *uuortbilid* Cap. CLXXV. 3. NOTKERUS typum *uuahpild* Pſal. LXXVII. 2. Illud verbalem, hoc ſacram figuram ſignificat. Nos philoſophiam imaginum ſive artem ſymbolicam patrio ſermone appellare poſſumus *bilder-kunſt*, quia eſt ars inveniendi comparationes & ſimilitudines.

BILD, idea, perceptio, forma abſtracta &c. Optime & decenter adhibetur ab iis, qui patrio ſermone philoſophantur. Nam mens humana a rebus externis, quibus circumfunditur, varias recipit ſpecies, tanquam ſpeculum: & ex ſpeciebus perceptis novas ſubinde efformat ſpecies inſtar pictoris; nec hoc tantum, ſed & ſpecies ſuas variis modis movet, componit, & ex ſingularibus univerſales elicit &c. Quæ dum mens agit (& agere ſe omnes experiuntur) Protei inſta,

ſtar in fabula, aut Vertumni, in omnia vertitur.

BILD, idea principalis, *urbilder* exemplaria rerum æterna & primitiva, ſecundum quæ omnia condita ſunt, *urbilder-welt* mundus archetypus. Hic mundus eſt tantum in mente divina, quæ proinde a CLEMENTE Alexandrino haud inepte vocatur *regio idearum*. Deus autem non pingit quicquam, quia ante Deum nihil fuit, quod imitari repræſentando poſſet. Unde conſequitur, quod ideæ Dei nullius rei nec ſociæ nec antecedentis ſimilitudinem exprimant, & conſequenter quod non magis ad turbam imaginum ſpectent quam ſydera cœleſtia ad canes vel dracones. An igitur his vocibus in negotio Philoſophiæ abſtinendum? Minime. Nam quoties ita loquimur, tunc utimur metonymia, effectum ponentes pro cauſa, imaginem pro cauſa imaginum, formarum, & ſimilitudinum, quæ ſunt in Univerſo.

BILDEN, quatenus eſt verbum a ſubſtantivo ortum, ſignificat quantum poteſt, *formare, ſimilitudinem exprimere, imitari, imaginari* &c. Gloſſ. Keron. conformet *kepilide*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XI. 36. *bilidot Got in theſen datin*, exprimite Deum in his operibus. WILLERAMUS Cap. VIII. 9. *ze bilidenne*, ad imitandum, quod dicitur de virtutibus & exemplis patrum priorum.

BILDER, plasmator, ſenſu latiſſimo, ſed antiquato. Gloſſ. Pez. plaſtes *pilidari*. Gloſſ. Lipſ. *bilithires* figuli. LUTHERO *bildner* eſt ſculptor, & *bildner-kunſt* ars ſculptoria II. Chron. III. 10. Hæc quoque obſolefcunt, quamvis ſint proba & retinenda.

BILGER. V. *pilger*.

BILL, jus, fas, æquum. Creditur oriri ab Hebræo *pillel* judicavit, ad juſtitiæ normam exegit. Ita ſentit HELVIGIUS in Originibus dictionum Germanicarum, & HENISCHIUS in Theſauro Linguæ & Sapientiæ Germanicæ. Hodie quidem deſinit, ſed priſtini uſus obſides reliquit compoſita adhuc vigentia, *unbill* injuria, *weichbill* corrupte *weichbild* jus civitatis.

BILLIG, *billich*, æquus. Franc. *billih*, Belg. *billyk*, Suec. *billig*. WILLERAMUS Schilteriane Editionis Cap. VII. 9. *ih quido abo daz, daz billih ſi*, ego vero ajo, quod hoc æquum ſit. Editio MERULÆ habet *bilethlich*, forte a *bileth* (*bild*) forma, exemplar, ut proprie ſit id, quod ad exemplum pertinet, ut JUNIUS cenſet, vel quod conforme eſt, ut mallet STADENIUS. CASTRICOMIUS exiſtimat, Belgicam vocem e Willeramica contractam eſſe, quem ſequitur STADENIUS. Alius eandem componit ex *bi-lyk* ad æquum, quo ſenſu Belgæ alias dicunt *gelyk*. Sed his argutiis haud opus habemus. Nam *billig* eſt a *bill* jus, fas, æquum, per terminationem *ig*, cujus poteſtate ſignificat *æquitate præditum*.

BILSEN-KRAUT, herba quædam noxia. Forte a *βέλος* (*bolz*) ſagitta, ut Hiſpanis *venenno* a *βελόνιον*, quod jacula ejus ſucco illinerent. Ex conjectura MARTINII in voce *hyoſciamus*.

BILZEN, genus fungi, *bölzen* apud HENISCHIUM. Horum alii nomen ducunt a Lat. *boletus*, alii qui e ſtercore animalium naſcuntur, a Gr. *βόλισος* ſtercus.

BIMS, *bimſenſtein*, pumex. V. *tuchſtein*.

BIN, ſum. Franc. *bin*, Alam. *pim*. Gloſſ. Keron. ſum *pim*. TATIANUS Cap. II. 8. *ih bin alt*, ego ſum ſenex. Ab infinitivo Angloſaxonico *beon* eſſe. Verſio Angloſax. Luc. XIV. 26. 27. *ne mæg he beon min leorningcnibt*, non poteſt eſſe diſcipulus meus. Marc. X. 44. *ſe the wyle on eow fyrmeſt beon, ſe byth eadra theow*, quicunque voluerit in vobis primus eſſe, erit omnium ſervus. Gothis ſum dicitur *im* Matth. VIII. 8. Angloſax. *eom* ibid. Isl. *em*, Angl. *am*, a Græc. *εἰμὶ*. A prima perſona *bin* Franci & Alamanni formant ſecundam *biſt* es, dum Gothi dicunt *is* Marc. III. 11. Angloſaxones *eart*, Islandi *ert*, Sueci *æſt*.

BINDE, faſcia, vinculum, ligamen. Gloſſ. Pez. ligamen *pinta*. Dicitur etiam *band*. Utrumque eodem partu editum a *binden* ligare.

BINDEL, *bündel*, *bündlein*, ſarcina. Angloſax. *bindela*, Angl. *bundle*. Proprie faſciculus, ſive congeries colligata, ex eodem fonte.

BINDEN, ligare, quocunque modo. Conſentit in verbo tota retro antiquitas, Gothica, Saxonica, Francica, Alamannica, & linguæ etiam recentiores, Belgica, Anglica, Suecica, Islandica, Danica. Et cum progenies hujus verbi in Perſica quoque lingua reperiatur, ut demonſtravi in *band*, hinc veroſimile fit, illud a Scythis in Oriente & Septemtrione profeminatum eſſe. Qui primitivum eſſe negant, derivant a Gr. *πεδᾶν* compedes injicere, compedibus conſtringere, propitio quidem ſono, ſed invito ſignificatu. Nam *binden* latius nobis patet, & de quovis vinculo, ligatura, nodo, uſurpatur, non de impedimentis pedum tantum. Propius eſt *ἐπιδεῖν* ligare, ſi Græca ſectari juvat: Et *vincire*, ſi Latina. Compoſita & derivata, vel nulla egent interpretatione, vel alibi recurrent. Metaphorice ſignificat *obligare*. Et inde fœdera, quæ *bund* & *bündniſſe* vocamus, nomen ſuum ducunt, quia paciſcentes mutuo obligant. Theologis vero *binden* eſt *cogere diſciplina, excommunicare, non abſolvere*, & *vinculis Satanæ tradere*. Inde *bind-und löſ-ſchlüſſel* claves regni cœlorum.

BINNEN, intus, intra. Angloſax. *binnan*, *binnon*, Belg. *binnen*. Contractum ex *binnen*. Dicitur primo de loco, & deinde etiam de tempore.

BINTZ, *bins*, juncus. Belg. *bies*, *biez*. Quemadmodum Latinis *juncus* a jungendo dicitur, quod aliquid eo jungi poſſit: ita Germanis *bintz* a *binden* vincire, quia ſportas, ſellas, ſiſcellas, & ſimilia ex juncis conteximus.

Vox Belgica vel ſyncope laborat, vel a *πίσσω*, irrigare deducitur, quia in locis irriguis naſcuntur junci. Aliud rei nomen vide in *ſims*.

BIRKE, betula. Angloſax. *byrc, birce, beorce*, Anglis *birch-tree*, Belg. *berkenboom*, Scandis *biork*, *biörk*. Gloſſ. Ælf. in nom. arb. betulus *byrc*, betulentum (lege betuletum) *byrc-holt*. Non a *bork* cortex, quia omnes arbores corticoſæ, ſed potius a candore eximio tam corticis quam ligni, adeoque a *brechen* ſplendere, unde recte fit *brich* & transpoſita canina *birch* arbor ſplendore notabilis, id eſt, candore Candida enim ſplendere dicuntur in omnibus linguis. Ita Græcis a *φαίω* luceo fit *φαλιὸς* albus. Similem ſenſum admittit vox *betulæ*, quæ videtur in Gallia Belgica nata e ſemine Germanico *wit* albus, & nihil aliud denotare, quam *albulam*. Hanc *betulæ* originationem debemus ingenio MARTINII. Et quamvis hodie verum ſonum Gallicæ vocis ignoremus, conſtat tamen aliunde, rem & nomen rei ex Gallia in Italiam fuiſſe translata. PLINIUS Lib. XVI. Cap. 18. de betula: *Gallica hæc arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis magiſtratuum virgis.*

BIRKEN-MAYER, poculum e betula exciſum & cæſatum. Proprie eſt truncus betulæ, a *mayen* ſecare, & dicitur de poculo per ſynecdochen. De verbo *mayen* vide plura in *mæhen*.

BIRN, fructus pyri. Lat. *pyrum*, Camb. *peren*, Angloſax. *per*, Belg. *peer*, Angl. *pear* &c. Non quod ſit *ber*, id eſt, fructus arboris, quod nimis generale; & multo minus quod inſtar *πυρὸς* ſive pyramidis ex lato in acutum exeat, ut hactenus multi. Quamvis enim figura etymologiæ quodammodo reſpondeat, præſtat tamen a notione dulcedinis deducere. Conſtat autem, quod *per* Celtica lingua, & hodie Cambrica, quæ veteris Celticæ cuſtos, ſignificet *dulcis*.

BIRSEN, *bürſchen*, venari, *bürſch-ror* ſclopetum venatorium, *freie bürſch* libera venatio. VEREL. in Ind. *berſa* feras jaculo ferire, *huar ſum berſar i kongs parkom* quicunque in locis Regum venationi deputatis feras percuſſerit. Conſtitutio FRIDERICI Ænobarbi an. 1158. apud Radevicum Lib. III. Cap. 26. *ſi quis birſando feram ſcorpione, baliſta, arcu occiderit, ejus erit.* Receſſus Imperii an. 1530. *Ob einer allein in ſeinem gebiete zur luſt etwan mit einer büchſen birſen wolte.* Francorum Reges habuiſſe circa ſe *berſarios*, id eſt, venatores, teſtis HINCMARUS de Ordine palatii Cap. 17. Hinc auguror, *birſen* a Francis efficium eſſe e verbo provinciali Gallisque hodie uſitato *percer* transfigere, trajicere telo. SPELMANNUS mavult ab Angloſax. *bers* lupus, ſenſu a lupo piſce ad lupum ſilveſtrem tradu&cto, ut *birſave* proprie ſit lupos perſequi. Quod merito diſplicet CANGIO.

BIS, usque ad, usque eo. Adverb. loci & temporis, ſed novum, & neſcio unde acceptum, niſi forte correptum ſit ex Græcis vocibus *ἐπὶ ἴως* ad usque. Gothi hoc ſenſu dicunt *und*, in locis innumeris Codicis Argentei, e. g. *und himin* usque ad cœlum Luc. X. 15. *und mel* usque ad tempus Luc. IV. 13. Franci & Alamanni *unz*, *unzin*. Gloſſ. Keron. usque *unzin*. Angloſaxones *oth*, Belgæ *tot*, Sueci & Islandi *til*, Angli *unto* & *untill*.

BISCHOF, epiſcopus, *ἐπίσκοπος*, ab *ἐπισκοπὴ* inſpicio, velut inſpector ſacrorum, & inde per apharæſin Angloſaxonibus *biſceop*, Francis *biſcof*. TATIANUS Cap. II. 1. *ſumer biſcof ſon themo uuehſale Abiaſſes*, quidam ſacerdos de vice Abia.

BISEM, odoramentum pretioſum, ab Heb. *baſam* ejusdem ſignificatus, arbitris HELVIGIO & HENISCHIO

BISS, dens. Occurrit in collectivo *gebiß* dentes. Refer ad *beiſſen* pungere, ſecare. Cum ſimplici convenit Sarmaticum *zab*, *zub* dens. Nam *zub* & *biß* (Francus diceret *biz*) ſe mutuo producunt per anaſtrophen.

BISS, quatenus derivatur a *beiſſen* mordere, ſignificat (1.) morſum vel ictum dentis. VEREL. in Ind. *bit* morſus. (2.) rem quæ mordetur. Inde *gebiß* frenum, ſynecdochice ſic dictum a parte qua mordetur. Si vero frenum fuerit lupatum, & equum aſperitate ſua pungat, tunc *gebiß* erit a *beiſſen* pungere.

BISS, *bißlein*, quatenus derivatur a *beiſſen* manducare, ſignificat fructum vel fructulum, quantum ſcil. bucca ſemel capere, & dentibus conficere poteſt. Hoc fructum Angloſaxonibus dicitur *bita* Joh. XIII. 27. Francis *biz*, Belg. *beet*. TATIANUS Cap. CLIX. 4. *after themo bizzin gieng Satanas in inan*, poſt buccellam introiit in illum Satanas. Hebræis quoque *bath* eſt buccella, & *batath* in fructa comminuere, niſi me fallat HELVIGIUS. Conſenſum Linguæ Celticæ vide in fonte.

BIST, es. Ita Franci & Alamanni. TATIANUS Cap. CLXXXVIII. 2. *ziuuare thu biſt ſon then*, vere tu ex illis es. A *beon* eſſe, quod vide in *bin* ſum.

BITTE, preces, petitio. Evang. Goth. Luc. I. 13. *bida theina andhaußida iſt*, deprecatio tua exaudita eſt. Idem Angloſax. *bidde*. Refer ad verbum ſequens.

BITTEN, petere, precibus flagitare, ſive oratio tendat ad Deum, ſive ad hominem. Goth. *bidjan*, Angloſax. *biddan*, Franc. & Alam. *pittan*. Gloſſ. Keron. petere *pittan*, poſtulat *pitit*, rogemus *pitames*. Dicitur etiam *beten*, eo tamen diſcrimine, quamvis mere arbitrario, ut *bitten* ſit verbum omnibus rogantibus commune, *beten* adorantibus proprium. Utrumque creditur oriri a Lat. *petere*.

BITTER, amarus, acerbus. Gothis *baitara* in derivato *baitruba* amare Matth. XXVI. 75. Angloſax. *biter*, Francis *bitter*, *pittar*, Belg. Angl. & Suec. *bitter*. Gloſſ. Boxh. *pittar* acerbus, *pittaro* acriter, *pittaroſt* acerrime.

rime. Proprie eſt guſtu pungens, ab Angloſaxon. *biran* pungere, mordere, prout STIERNHIELMIO & SKINNERO pridem obſervatum. Vide *beiſſen* pungere. Vox Græca πικρὸς, quam alii tanquam fontem Germanicæ obtrudunt, idem denotare poteſt, ſi referatur ad thema verbi antiquiſſimi *picken* pungere. Tandem ſenſus ab ingrato ſapore ad omnia, quæ cor animumque pungunt, translatus eſt. Inde *bitterkeit*, *verbitterung*, *bitterlich*, & alia, noto ſignificatu.

BLACHFELD, locus campeſtris. Utitur Luth. 2. Sam. IV. 7. Idem quod *flachfeld* æquora campi, campus planus & latus. Hinc in Bibl. Lubec. an. 1533. loco citato legitur: *up dem flacken velde*. F. & B. ſunt literæ convertibiles. V. plura in *flach*.

BLACK, ictus ferulæ vel baculi. VEREL. in Ind. *blak* verber leve. V. *plagen* percutere.

BLACK, adjective niger, ſubſtantive atramentum ſcriptorium. Utrumque a piſce quodam marino, nigrum vomente madorem, qui Græcis vocatur βλαξ, HELVIGIO judice. SOMNER. in Dict. AS. *blac* niger, ater, pullus, *blæc* atramentum, *blacian* nigreſcere. Evang. Angloſax. Matth. V. 36. *thu ne mihst ænne locc gedon hwitne oththe blacne*, non potes unum capillum album facere aut nigrum. Inde *Blackſcheiſſer* ſepia, piſcis inutilis & atrum effundens liquorem, quod ab his, qui literas averſantur, & nihil literis dignum gerunt, torqueri ſolet in eruditos, *blackfiſch* idem piſcis.

BLACK, macula. Proprie nigra vel atramento facta, poſtea omnis macula, & inde *blacken* polluere, inquinare, denigrare, verbum STILERO memoratum pag. 499. *Black* ſenſu metaphorico eſt error, peccatum, factum pudendum, Græcis πλακία.

BLACKEN, vexare, exagitare. V. *plackern*.

BLÆD, fructus. Verſio Angloſax. Joh. XV. 2. *he deth ælc twig aweg on me the blæda ne byrth*, tollit omnem palmitem, in me qui fructum non fert. Vox a Saxonibus per Europam diffuſa, ut pridem docuit SPELMANNUS. Hinc ſcil. fructus agri Latino-Barbaris dicitur *bladum*, Slavonis *blod*, Gallis *blé*, Italis *biado*. Proprie autem eſt productum quid, a Gr. πλατ[ω, πλάσσω formo, creo.

BLÆHEN, inflare, facere ut turgeat, *blæhende ſpeiſen* cibi flatulenti, *ſich aufblæhen* inflari, turgere. A *blaſen* flare, mutato S. in H. quod fieri ſolet ſæpiſſime.

BLÆSSE, ſignum album in fronte equi. Doctiſſ. REIZIUS nuper deduxit a βαλὸς maculoſus, in Belga Græciſſante.

BLAFFEN, latrare. Vide inter voces a ſono canis fictas in *bellen*.

BLANK, nitidus, micans, luminoſus, *blanke ſchwerdter* gladii fulgentes, *blank machen* polire, facere ut niteat. A *blinken* coruſcare.

BLANK, albus. Gloſſ. Pez. equus pallidus *planchaz*. Cum voce hodierna conſentiunt Angli & Belgæ, Dani & Sueci, Galli & Hiſpani, imo etiam Itali, quamvis more ſuo L. mutent in I. dicendo *bianco*. SCALIGER deduxit a Gr. βλαξ, quatenus languidum ſignificat. CASAUBONUS a λευκὸς albus. HELVIGIUS ab Heb. *laban* albus. Alii aliunde. Nova certe etymologia opus non eſt, præter eam, qua ſenſus a *coruſco* ad *album* transfertur. Quod legitime fieri potuiſſe, vel hinc patet, quia *album* (ſicut optime ſcribit SKINNERUS) *præ reliquis coloribus copioſiſſimam lucem reflectit*. Ejusdem naturæ color eſt flavum albicans, quod Gallis dicitur *blond*, de qua voce mire nugantur auctores apud MENAGIUM, quæ vero non aliunde ducta eſt quam a Germ. *blank*, mutato K. in D, qua mutatione nihil frequentius.

BLASE, quatenus eſt verbale a *blaſen* flare, ſignificat quantum poteſt, bullam, veſicam, & omnem membranulam, quæ a ſpiritu inflatur, vel inflari poteſt. Vocem antiquam vide in *blater*. Secundario dicitur de puſtulis & papulis, quia veſiculis tumentibus ſimiles ſunt.

BLASEN, flare, ſpirare. Hujus verbi non una facies eſt apud Antiquos. SOMNER. in Dict. Angloſax. *blawan* flare, *ablawurg* inflatio. Gloſſ. Boxh. *plaſantemus Gote* flante Deo. Gloſſ. Keron. flaverunt *platon*, inflatus *kaplater*, inflati *keplate*, inſpirationis *anaplaſannes*. VEREL. in Ind. *blær* aura, ſpiritus. Vultus ergo quadruplex eſt, *blawan*, *blaſen*, *blaten*, *blæren*, quos in uno quodam verbo convenire neceſſe eſt. In quo vero, niſi Latino? Nam *blawan*, ſive ut Angli hodie dicunt *blow*, aperte ſatis eſt a *flo*; reliqua vel a *flat* ut *blaſen*, vel a *flat* ut *blaten*, vel a *flare* ut *blæren*. Forma Verbi hodierna, quam etiam ſequuntur Belgæ & Sueci, eſt a Francis. Sed a forma Alamannica habemus progeniem *blater* veſica, & *bluderhoſen* braccæ follicantes.

BLASEN, canere tibia, vel alio inſtrumento, quod inflatur. Gloſſ. Pez. inſonuit *plies*. VEREL. in Ind. *blaſa* buccinare, *blaſa ſaman lidi* buccina militem ad pugnam convocare. Inde *flöte* tibia, quia inflatur.

BLASS, pallidus. HELVIGIUS, qui voces noſtras ad Græcos fontes referre ſolet, *blaß* deducit a βλησὶς attonitus, ſicut *bleich* a βλαχρὸς debilis. Alius deducit a πέλιος lividus, ſubniger. Neſcio an Græca origine opus ſit. Nam *blaß* facile corripitur ex *pallidus*. Et alias palleſcere dicuntur non ſolum homines ex inſigni quadam mutatione, odio, amore, pavore, invidia, infirmitate, morte; ſed omnes univerſe colores, qui in albicantem ſui generis vertuntur. A *blaß* derivamus *erblaſſen* duplici ſenſu, *expalleſcendi* & *moriendi*: illud ab *er*, quatenus ſenſum intendit: hoc quatenus eſt adverb. ordinis ultimum terminum rei ſignificans.

BLAT, folium arboris aut plantæ, & quicquid folio ſimile, ſchedula, pagina, charta, lamina &c. Gloſſ. Keron. foliis *pletirun*. NOTKERUS Pſal. I. 3. *uuocher ioh pleter*, fructus

ctus & folia. Gloſſ. Pez. ſcedulis *puob pletir.* Transpoſitum & conciſum ex Gr. πέταλον folium, judice HELVIGIO. Alius fortaſſe duceret a notione tenuis & lati. Utrumque enim dicitur *plat.* Vocem Gothicam & Angloſaxonicam vide in *laub.*

BLATER, bulla, veſica, & omnis membranula, quæ a ſpiritu inflatur, vel inflari poteſt. Senſus vocis antiquus, a *blaten* flare formatus. Veteres Alamannos hac verbi forma uſos eſſe, jam ſupra docui in *blaſen.* SOMNER. in Dict. Angloſax. *blædr* veſica, *blædran-adl* dolor veſicæ. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. veſica *blatra.* VEREL. in Ind. *bladra* bulla, membranula, incluſo ſpiritu tumida. Hodie dicimus *blaſe*, & Sueci nobiſcum *bleſa*, dum Angli dicunt *bladder.*

BLATER, puſtula, papula, ſic dicta, quod veſicæ tumenti ſimilis ſit. Senſus vocis hodiernus, ab Angloſaxonibus relictus, quibus *blædr* idem ſignificat. In quibusdam Dial. litera T. in medio vocis geminatur, quamvis præter rationem.

BLAW, cæſius, glaucus, cœruleus. Angloſax. *bleo*, Franc. *plauu*, Belg. *bluwe*, Angl. *blew*, Suec. *blæe*, Gall. *bleu*, Camb. *blawr*, Island. *blaſain.* Gloſſ. Boxh. *plauuaz* cerulum, *plaviuw* hyacinthinus. Gloſſ. Pez. lividum *plauuaz.* Hebræis *baal* eſt lividus fuit, manifeſto cum ultima Gloſſa conſenſu. Forte tamen magis e re eſt, ut credamus, non livorem, ſed *violam* huic colori nomen impoſuiſſe, non album, non luteam, ſed purpuream. Nam a *viola* facile fit *violaw* violaceus, contracte *blaw*, & ab illo reliqua. Aliæ origines, quæ a Viris doctis vel a Gr. πελὸς niger, vel a Lat. *flavus* capiuntur, remotiores ſunt, & colores nimium confundunt.

BLAW, falſus, mendax, doloſus, *blawer dunſt* glaucoma, nebula fallax, *blawſtrumpf* ſycophanta, delator, qui falſa pro veris doloſe denunciat. Formari potuit a Gr. πταλέω fallo, decipio, in retia traho: ſicut *ſtrumpf* a τροφὶς callidus, aſtutus, doloſus.

BLECH, fulgur. Vox Francica. NOTKERO *blig* fulgur, *bliccha* fulgura, *blich fiur* ignis fulgurans, obſervante SCHILTERO in Gloſſ. pag. 120. Refer ad *blicken* fulgere, coruſcare, vibrare. Sic apud Latinos *fulgur* & *fulgor* a *fulgendo* derivantur. Niſi forte *fulgur* ſit *flugur*, a φλέγειν flammas emittere. Quo pacto *blech* in eodem fonte conveniet. Hodie dicimus *blitz*, a *blitzen* fulgurare.

BLECH, color. Proprie fulgor, a *blicken* fulgere. Nam color eſt ſplendor, quo lux diverſis modis reflectitur. Angloſaxonibus *bleo* & *bleob* eſt color, *anes bleos* unicolor, *miſlic bleo* diſcolor, *bleo-fah* verſicolor. Cuncta apud SOMNERUM & ÆLFRICUM in Gloſſ. pag. 72. quamvis hodie obſoleta. Franci inde formarunt verbum *blah-malon* coloribus diſcriminare, quod occurrit apud WILLERAMUM Cant. I. 11. *in uuurme uuis geblahmalot mit ſilbere*, h. e. murænulas variegatas, ſeu coloribus diſtinctas. Quem ſenſum interpretes nondum ſunt aſſecuti. A *bleo* color, quod in caſu gignendi habet *bleos*; videtur eſſe *Blaſon*, ars heraldica, notitia colorum, quibus ſcuta diſtinguuntur. Quæ, etiamſi ſit omnium ſcientiarum fæx & ſedimentum, fundamenta tamen habet antiquiſſima. TACITUS de Mor. Germ. Cap. VI. *ſcuta lectiſſimis coloribus diſtinguunt.* Idem Annal. II. 14. *tenues & fucatæ colore tabulæ.*

BLECH, lamina, bracteola, ſectilis metalli tabula. Senſus vocis hodiernus, ſed nusquam niſi apud Francos obvius. Gloſſ. Pez. laminis *pleh*, phylacteria *plechir.* Gloſſ. Boxh. bracteas, laminas aureas *pleh guldhiniu*, bracteas *port bleh.* MARTINIO ſic dicitur, quaſi materia ob tenuitatem ſponte ſua plicabilis, a Gr. πλέκω, vel Lat. *plico.* Sed non opus eſt peregrina origine, cum lamina ſic appellari poſſit, quaſi fulgida (ſolet enim vel malleo poliri, vel ſplendido metallo obduci) a *bliken* fulgere, ut antecedentia.

BLECH-PFENNING, nummus bracteatus. Rudes plerique pro Sæculi incuria. Qui de Bracteorum cognitione ſcripſerunt, in diverſas plane ſententias abeunt. Quidam eos Carolingis antiquiores faciunt multo. OLEARIUS Balderici Turingorum Regis bracteatum e Sæculo IX. runis ſignatos. Alii ab eo demum tempore deducunt, quo ſub Henrico I. Goslarienſes metallifodinæ fuerunt detectæ. Alii denique initio demum Sæculi XII. invaluiſſe dicunt. V. MASCOVII Diſſ. *de jure circa rem Monetariam in Saxonia.* Antiquarii, qui bracteatorum antiquitatem ultra fines infimi ævi extollunt, nullo ipſius rei indicio, ſed pretii tantum augendi deſiderio, id facere videntur. Familiare enim eſt huic hominum generi principum cimelia, & multo magis ſua, ita interpretari, ut videantur rariſſima, quod quidem conſequi non poſſunt, niſi in ultima tempora rejiciantur.

BLEIBEN, manere in loco, ſtatu, propoſito. Verbum ex antiquiori contractum. Angloſaxonibus *belafan* eſt manere. Idem Francis & Alam. *biliban.* Gloſſ. Keron. maneat *pilibe*, remaneant *piliben.* OTFRIDUS Lib. III. cap. *XVII. 81.*

Nihein thar inne bileib,
Unz er thar nidare tho ſcreib.
Nullus intus remanſit,
Quum hæc ſubtus ſcriberet.

Proprie ſignificat ſupereſſe, relinqui, componiturque ex præfixo *be*, & *leiben* relinqui, de quo infra. Similem loquendi modum adhibent Franco-Galli, dum manere vocant *reſter*, h. e. reſiduum eſſe. Nam qui manet, reſtat. Placet hæc contractio non ſolum Germanis, ſed etiam aliis. Hinc manere Belgis dicitur *blyven*, Danis *bliffve*, Suecis *blifwa.*

BLEIBEN, ſervari, ſuperare, ſuperſtitem eſſe ex periculo. Utitur hoc ſenſu frequenter Luth. in verſione ſacra. Idem Suecis *blifwa*.

BLEIBEN, ceſſare, intermitti. Senſus ad ceſſantes translatus, quia manentibus ſimiles ſunt. Similitudo, quæ eſt inter illos, ab aliis quoque linguis agnoſcitur. Hinc manere Hiſpanis dicitur *quedar*, quaſi *quietare*. Utitur hoc ſenſu OTFRIDUS Lib. IV. Cap. I. 53. quod SCHERZIUS V. C. in notis ad hunc locum pluribus demonſtravit. Inde Francis *leibo* ceſſatio, defectus, intermiſſio, & *ze leibo uuerdan* intermitti, apud SCHILTERUM in Gloſſ. pag. 532. Hodie libentius utimur compoſitis *nachbleiben*, *ausbleiben*. Sic vulgo dicimus, *das muß nachbleiben* hoc debet intermitti, *das fieber bleibt aus* febris ceſſat. Quod etiam de ſpiritu & anhelitu dicitur, quando deficit. Cum hoc ſignificatu convenit Græc. λείπομαι deficio.

BLEIBEN, mori, ceſſare vivendo. Senſus a ceſſatione qualicunque ad totalem naturæ diſſolutionem extenſus, quia mori eſt deſinere, & intermittere vitam. Antiquitus dicitur de omnibus mortuis, nonſolum iis qui ab hoſte cadunt, ſed etiam reliquis, qui hoſte nunquam viſo domi in lecto moriuntur. R. LUDOVICUS in allocutione cohortium, quæ extat in Epinicio Schilteriano verſ. 79.

Quimit he giſund us,
Ih gilon imos,
Bilibit her thorinne,
Sinemo kunne.

H. e. ſi ſalvus egreditur prælium, præmio eum afficiam, ſi cadit in illo, familiam ejus. OTFRIDUS, vel potius Chriſtus apud Otfridum Lib. III. Cap. XXIII. 95. de morte Lazari:

Er ſelbo meinta auur thaz,
Thaz er tho bilibaa uuas.
Ipſe vero ſignificabat,
Quod tum mortuus eſſet.

Hodie non dicitur niſi de iis qui in prælio occumbunt.

BLEIBEN-LASSEN, intermittere. Proprie ſinere ut res vel perſona in eodem loco & ſtatu maneat.

BLEICH, pallidus. Angloſax. *blac*, Belg. & Suec. *bleek*, Angl. *bleak*, *bleach*, Island. *bleikr* apud VEREL. in Ind. Hebræis *baal* eſt lividus fuit, Græcis πέλιος lividus, ſubniger. Illud HELVIGIUS adduxit pro etymo, hoc MARTINIUS. Sed neuter ad gutturalem in fine vocis attendit. Hinc auguror, quod *bleich* ſit a λευκὸς albus & albicans, per proſtheſin literæ B. Nam pallidus non eſt lividus nec nigricans, ſed dicitur de omnibus coloribus, qui in albicantem ſui generis mutantur. Hinc porro a *bleich* derivamus *bleichen* albeſcere, palleſcere, & facere ut albeſcat vel palleſcat.

BLEICHEN, albeſcere, palleſcere. Angloſaxon. *blacian*, Franc. *bleichan*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIV. 21.

Niſt akar hiar in riche
Nub. er zithin ni bleiche.
Eſtne ager hic in regione
Qui non jam albeſcat?

In qua SCHILTERI verſione nihil mutandum eſſe, recte monet doctiſſ. FRICKIUS in Gloſſ. Schilt. pag. 120.

BLEICHEN, inſolare, ſoli exponere ut albeſcat. Angloſaxonibus *ablican* eſt dealbare.

BLEKEN, balare, quod ovium proprium. Græcis βλαχᾶν balatus, βλαχᾶν balare. In reliquis Dialectis paulo aliter effertur. Nam balare Angloſaxonibus dicitur *bletan*, & balatus *blet*. Unde Anglis remanſit *to bleat* & *a bleating*. Gutturales ſæpe mutari in T. & vice verſa, in PROLEG. oſtendimus. Cuncta a ſono animantis naturali per epentheſin facta. CRATINUS Comicus Athenienſis in decantato verſiculo: ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῆ βῆ λέγων βαδίζει, hic ſtultus inſtar ovis *he be* clamans incedit. Plura ejus generis vide in *Guguk*. Vocem Latinam SCALIGER ducit a μῆλον ovis, litera *M.* ut ſæpe alias, in B. mutata, de Cauſ. L. Lat. Cap. 28.

BLEKEN, balatrare, ore hiare, *zan-bleker* balatro, bronchus, qui inter ridendum dentes oſtendit, ut oves, quando balant, a quibus ſenſus videtur petitus. Utitur hoc verbo Luth. Thren. II. 16.

BLENDEN, obcœcare, facere ut cœcutiat. A *blind* cœcus, palpo. Proprie dicuntur ii, qui aliorum oculos lædunt aut plane eruunt, vel aciem oculorum præſtringunt, ut ſol præſtringit oculos intuentium, vel objecto ludibrio aut celeritate factitandi fallunt. Allegorice autem obcœcare dicuntur ii, qui menti caliginem offundunt, quo minus intelligenda intelligat. Gothi habent *gablindan*, Angloſaxones *blindan* & *ablendan*. Hinc verba Eſaiæ apud Johannem Cap. XII. 40. *excœcavit oculos eorum*: Gothus reddit: *gablindida ize augona*: Angloſaxo: *he ablende hyra eagan*. Verbum Francis quoque notum fuiſſe, obſervat SCHILTERUS ex NOTKERI Pſal. VI. 6. ubi verba ſic fluunt: *an uuelemo tode? ane ſo dio ſela fone ſundon irblendet uuirt*. In qua morte, niſi in ea, qua animus a peccatis obcœcatur? Francis jungere licet Septemtrionales, quibus *blinda* occœcare, oculos eruere, interprete Verel. in Ind.

BLEWEN, *blæwen*, cædere, percutere, verberare, *den ſtockfiſch blæwen* tundere aſellum, *einen durchblewen* pertundere, verberibus obruere, *einblæwen* inculcare. Utitur Luth. Sir. XXXII. 37. Vix aliud verbum eſt, quod vultum ſuum toties variet. Cambris *plau* eſt plagas inferre. Gothis *bliggwan* cædere, *bliggwands ſik ſteinam* concidens ſe lapidibus Marc. V. 5. *bliggwand ina*

flagellabant eum, Marc. X. 34. Francis & Alamannis *bliuuan*, *pluan* cædere. Gloſſ. Keron. vapulent *ſin kapluan*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXII. 64. *ſie bluun imo thie orun*, percutiebant ei aures. Idem Cap. XXVI. 17. *ſiu bluun iro bruſti*, percutiebant pectora ſua. TATIANUS Cap. XIII. 18. *niomannen ni bliuuet*, neminem percutite. Verbum Celticum videtur eſſe a φλάω tundo, aut hoc ab illo : Gothicum a Lat. *plaga:* Francicum & Alamannicum a Celtico *plau:* hodiernum a Francico *bluan*. Aliam verbi formam, nec ætate inferiorem, nec cæteris diſſimilem, vide in *plagen* cædere. Ab ea, qua hodie utimur, habemus *blewel* tudicula.

BLEY, plumbum. Gloſſ. Keron. plumbi *pliuues*. Gloſſ. Pez. plumbatis tundi *plünen cholpon pivillan*. HELVIGIUS ducit ab Heb. *bol* plumbum, quod a pallore ſic dictum exiſtimat, h. e. a *baal* lividus fuit. Contra STADENIUS originem quærit in *blewen* tundere, quia plumbum eſt metallum malleabile. Cambri & Armorici plumbum vocant *plwm*, vel a Lat. *plumbum*, vel a Græc. μόλιβος, per anaſtrophen, vel a *plau* percutere.

BLEZ, fruſtum, ſegmentum, Dial. Francica & Helvetica. TATIANUS Cap. LVI. 7. *nioman blezza niuues duoches nauuit altemo giuuate*. Quæ verba ſic reddenda ſunt: nemo ſegmentum panni novi aſſuit veteri veſtimento. Gothi dicunt *plat fanins* Marc. II. 21. & compoſite *duplat* Matth. IX. 16. Quæ, etiamſi videantur diſcreta ab hodierna voce *fleck* fruſtum, revera tamen ſunt cognata, & ex eadem matrice oriunda, nempe a *flicken* ſcindere, ſecare. F. & B. ſunt literæ ejusdem inſtrumenti: & K. ſæpe mutari in T. & Z. in *Prolegomenis* oſtendimus.

BLEZ, aſſumentum. A *flicken* ſarcire. A *blez* rurſus fit *blezen* aſſuere, aſſumentis reſarcire.

BLICK, radius ex oculis micans. Refer ad *blicken* coruſcare.

BLICKEN, fulgere, coruſcare. Utitur Luth. Ezech. XXI. 10. de gladio fulgente. SOMNER. in Dict. Angloſax. *blican* coruſcare, rutilare, reſplendere, micare, nitere, fulgere, vibrare, *blac-ern* lucernarium, laterna, *blecte* coruſcatus. Tam prope abeſt a *fulgeo*, ut, ſi L. in locum anteriorem rejiciatur, quod fieri ſolet ſæpiſſime, ab illo ortum videri poſſit. Recentiores eleganter tranſtulerunt ad viſum, quia videre eſt oculis affulgere, ob inſitam oculis lucem, qua nonſolum ſpecies luminoſas recipiunt, ſed etiam radios ſuos in objecta viciſſim ſpargunt. Inde *blicken* oculis vibrare, quo utitur Luth. Sap. XI. 19. *erblicken* conſpicere, oculis notare, *anblicken* adſpicere, intueri, *anblick* adſpectus, obtutus. *An* tendit ad objectum.

BLIND, deficiens, ceſſans, cui aliquid deeſt quod habere videtur, *blinde fenſter* locus in muro ſimulate feneſtratus ubi feneſtræ non ſunt, *blinder lerm* falſus & fictus tumultus, *blinde reben* palmites ſine gemmis. Radicem cudiunt, ex antiquis Saxones, Franci, Alamanni, ex hodiernis Angli. SOMNER. in Dict. AS. *blinnan*, *alinnan* ceſſare, *blinnend* ceſſans, *blinneſſe* ceſſatio, *blind nettle* lamium. Id eſt, urtica ceſſans vel nonurens, Germanis alias *taube neſſel*, Anglis *dead nettle*. Gloſſ. Keron. ceſſare *pilinnan*, inceſſabiliter *imbilinnanlibbaz*. ISIDORUS Cap. V. 6. *endi dhuo bilumnun dhiu bloſtar*, tunc ceſſaverunt ſacrificia. TATIANUS Cap. XIX. 6. *ſo her tho bilun zi ſprebhanne*, ut ceſſavit loqui. Anglis *to lin* etiamnum eſt ceſſare, deſinere, ab Angloſaxon. *alinnan*, cui ſimile Græc. ἐλαύνειν deſiſtere, deſinere. Et ſic ubique Græcos habemus obvios, quocunque nos vertamus.

BLIND, cæcus. Conſentiunt in voce omnes veterum Dialecti, Gothica, Angloſaxonica, Francica, Alamannica, & omnes recentiores, Anglica, Belgica, Islandica, Danica, Suecica. TATIANUS Cap. LXI. 1. *folgetun imo zuene blinte*, ſecuti ſunt eum duo cæci. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XX. 207.

Uuas in harto ungimah
Thaz ther blinto giſah.
Moleſte ferebant
Quod cæcus videret.

MARTINIUS & CASAUBONUS deflexerunt a βλάνος cæcutiens. Verum, cum βλάνος proprie ſit lippus, vel alius obſcure videns, non cæcus, & forte ab ἀμβλύνω hebeto : malim, ſi Græca origine opus ſit, derivare a τυφλὸς cæcus, tranſpoſitis literis, inſerto N. JUNIUS, qui alias Græcos ſequi ſolet libentius, hic originem vocabuli petit ab Angloſaxonico *blinnan* ceſſare, deſiſtere, ita ut *blind* proprie ſit is, qui defectum patitur, & peculiariter cæcus, ob magnitudinem defectus. Sed hoc nimis generale eſt, & nonſolum lippis, ſed etiam ſurdis, mutis, & claudis commune. Quos tamen nulla unquam ætas eodem vocabulo inſignivit. Inprimis vero Germani hodierni, quorum idioma in negotio etymologico immerito deſpexit JUNIUS, ſollicite diſtinguunt inter *blöd* hebes, *blind* deficiens, & *blind* cæcus. Et ſic etiam Antiqui.

BLINDEN, cæcare. Vide *blenden*, quod uſitatius.

BLINDE KUE, collabismus. Hunc ita deſcribit HYDIUS in Nerdiludio pag. 266. quod ſit ludi genus, *quo unus in circulo clauſis mantili oculis obiens, a cæteris percutitur, donec ille aliquem prehendat, qui in locum ejus ſubſtituatur*. Græci collabiſmum vocant a καλλαβίζω impingo: Germani *blindekue*, non certe a vacca (nam hic ludus non magis eſt vacca quam canis aut cervus) ſed fortaſſe a χείω capio, ut proprie ſit *cæca captura*.

BLINDE SCHLEICH, cæcilia. Gloſſ. Pez. cæcuba (lege cæcula) *plintislich*. Id eſt, ſerpens cæcus, a *ſchleichen* reptare. Dicitur

Dicitur *cæcula*, quod parva ſit, & non habeat oculos. Alii tardum reptile vocant. Et hæc eſt vis vocabuli Angloſaxon. *ſlaw-wyrme*, a *ſlaw* tardus, piger.

BLINKEN, coruſcare. Suecis *blenkia*. Idem quod *blicken*, niſi quod conſuetudo N. inſeruit.

BLINKEN, nictare oculis. Suecis *blinka*, Angl. *blink*, & inde *blinker* & *blinkard* crebro nictitans, lippus vel pætus. Alia etymologia præter eam, quam jam dedi, non opus eſſe videtur, quia nictare eſt frequenter micare oculis.

BLINNEN, ceſſare. V. *blind* deficiens.

BLINTZEN, *blintzelen*, cæcutire, cæcos imitari, ſive vere ſive ſimulate, *blintzelend* cæcultans, *blintzaug* luſcioſus, *ein ding blintzlingen thun*, opertis oculis aliquid facere. Ita HENISCHIUS in Theſ. L. Germ. Gothi, qui ſibilum amant in exitu vocum, cæcum vocant *blinds*. Luc. VI. 39. *ibai mag blinds blindana tiuhan*, nunquid poteſt cæcus cæcum ducere? Joh. IX. 2. *hwas frawaurhta, ſa, uththau fadrein is, ei blinds gabaurans warth*, quis peccavit, hic, an parentes ejus, ut cæcus naſceretur? Poſteritas inde fecit *blintzen* & reliqua.

BLITZ, fulmen, *vom blitz getroffen* fulmine ictus. Hic ſenſus totus eſt Græcus, vel a Φλοξ flamma, verbi Φλέγειν incendere, vel a πλῆξις percuſſio, verbi πλήσσειν percutere. Cum poſteriori convenit Heb. *pillez* percuſſit cum fragore.

BLITZ, fulgur. Verbale a *blitzen*. Sueci dicunt *blix*, Belgæ *blixem*, quæ certe non ſunt Græcæ originis ut antecedens, quia fulgur non ferit, nec incendit; ſed formam ſuam habent a literarum Z & X. permutatione. Vocem Francicam vide in *blech*.

BLITZEN, fulgurare. Contractum ex antiquioribus, ſive Saxonico *bliccettan*, ſive Francico *plecchazzan*, quæ certe ſunt a ſimpliciori *blicken* coruſcare, & extenſionem ſuam debent ſtudio longitudinis. Gloſſ. Boxh. micare *pleckazzan*. Gloſſ. Pez. rutilat *plecchazit*. Hinc fulgur antiquis illis non dicitur *blitz*, ut hodie, ſed *blehezunga*. TATIANUS Cap. LXIV. 4. *ih geſah ſatanaſen ſoſo blehezunga fon himilo fallantan*, videbam ſatanam tanquam fulgur de cœlo cadentem. Idem Cap. CCXVIII. 3. *ſama ſo blehezunga uuas ſin giſuni*, ſicut fulgur erat aſpectus ejus. Alias voces, ab Antiquitate Celtica, Gothica, Saxonica, Francica, fulguri & fulmini dicatas, vide in *loh* flamma.

BLOCK, truncus, præcipue arboris. VERELIUS in Ind. *blok* truncus. Conſentiunt in voce Belgæ, Angli, Galli. Quæ certe vix aliunde, quam a notione amputandi, ut truncus a truncando, a priſcis lignatoribus deſumpta eſt. Radicem cuſtodiunt Dani in *flecke* ſcindere, ſecare. A *block* eſt *blöcken* trunco alligare, *blockhaus* munimentum ligneum, ex tignis & trabibus extructum. De verbo Danico vide plura in *flicken*.

BLOCKIEREN, cingere urbem obſidione. Gallis *bloquer*. Sive a *block* truncus, quia rudioribus ſæculis urbes obſidebant cæſis & congeſtis arboribus, vel ſaltim machinis ligneis: Sive ab Angloſaxonico *belucan* claudere. Utrumque etymon ſiſtit SKINNERUS. De verbo Saxonico vide plura in *lucken*.

BLOCKSBERG, Melibocus. Rectius *Brocksberg*. Nam ſummum montis jugum accolis vocatur *der brocken*, & ſubjectus majori minor mons *der kleine brocken*, teſte KEVSLERO V. C. in Antiq. Sept. pag. 473. HENISCHIUS in Theſauro Linguæ & Sapientiæ Germanicæ habet *Brockersberg*, quod idem. Verba ejus ſunt: *Brockersberg, bey Goslar, ſic dictus a Bructeris, Melibocus, ſub quo Semana Sylva verſus Brunſwigum.* Cur nomen a *Bructeris* acceptiſſe putetur mons, inter Cheruſcos & Chattos medius, nulla ſane ratio eſt, niſi quis forte ex verbis CLAUDIANI: *venit accola Sylvæ Bructerus Hercyniæ:* exſculpere velit, Bructeros hunc Montem accoluiſſe, quod nec verum, nec a CLAUDIANO cantatum. Nam *Sylva Hercynia* eſt vox generalis, & omnibus Germaniæ Saltibus communis. In verbis vero CLAUDIANI ad eum ſpectat Saltum, qui hodie *der Weſterwald* dicitur, non ad Melibocum. Vide CLUVERIUM Lib. III. Germ. Ant. pag. 711. KEYSLERUS, quem modo laudavi, miſſis Bructeris, ab humido & paludoſo montis ſolo nomen ejus arceſſit, quia *bruch*, *brock*, *broich* eſt palus. Sed hæc vocis acceptio non videtur convenire cum accolarum lingua, qui dum juga Meliboci *brocken* vocant, ſatis oſtendunt, ſe non de paludibus cogitare. Quis enim faſtigium montis appellet paludem, etiamſi mons inter paludes ſitus ſit? Hinc ſuſpicor, accolas Meliboci Celtice loqui. Nam Celtica Lingua *brig* & *brigyn* ſignificant *ſummitatem*, *faſtigium*, *cacumen*, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Et ab his ſummitatibus nomen ipſius montis deduco. Nam a *brock* recte fit *Brocksberg*, *Brockenberg*, *Brockersberg*, mons faſtigiatus, mons jugis inſignis. Nec obſtat, quod vulgo pronunciamus *Blocksberg*. Nam R. ſæpe mutatur in L. & vera nomina ſæpe vitiantur ab iis, a quibus deberent cuſtodiri. Cui rei fidem faciunt ii, qui ex *Catimelibocum* ridicula pronunciatione fecerunt CATZENELNBOGEN. CLUVERIUS tamen exiſtimat, eos, qui pronunciant *Blocksberg*, verum & antiquum tenere nomen, & PTOLEMÆUM inde feciſſe *Melibocus* pro *Meblocus*. Sed partes compoſiti non explicat. Si fas eſſet, ea audacia in Scriptis veterum verſari, reſcriberem *Meliborcus*, ut proprie ſit *milberg* mons ferarum. Nam *mil* Celtica lingua beſtiam ſonat, apud BOXHORN. loc. cit.

BLOD, hebes, infirmus, imbecillus, *blöd geſicht* hebetes oculi, *blödigkeit des haubts* leve delirium. Videtur ex Oriente profectum. Nam Arabibus *blid* eſt obtuſus, te-

ſtc. MARTINIO in voce *bebes*. Quamvis etiam Græcæ originis eſſe poſſit. Græcis enim ἀμβλύνω eſt hebeto, & ἀμβλυτὸς obtuſus & cœcutiens.

BLOD, pavidus, timidus, meticuloſus. Islandis *blaudur* in Indice VERELII. Proprie eſt perculſus a Græc. πλήττω percello, & dicitur de pavido, quia attonito ſimilis eſt.

BLODEN, pavere. Gloſſ. Pez. paveas *plodes*, paveſcat *ploden*, expavit *irplodeta*. Proprie eſt metu percelli, a *blöd* pavidus, perculſus. Hodie ſuperat in compoſito *erblöden* exuere metum, unde reciprocum *ſich erbloden* audere, quod hanc ſignificandi vim habet a particula præpoſitiva *er*, quæ hoc loco eſt privativa.

BLODIGKEIT, timiditas. Islandis *bleide* & *bleidskapur*, in Ind. VEREL.

BLOSS, nudus, *blöſſen* denudare. Belgis *bloot* & *blooten*, Suecis *blott* & *blotta*. Franci videntur dixiſſe *biloſen* privare, ſpoliare, Latino-Barbari *blutare*. Gloſſ. Pez. ſpoliari *biloſit uuerdan*. Lex Longobardica Lib. I. Tit. XVIII. 1. *ſi caſam cujuscunque blutaverint, aut res eorum tulerint*. Nos inde fecimus *blos*, *blot*, Itali *biotto*, quia nudus ſpoliato ſimilis eſt. FERRARIUS, ut originem Germanicam cluderet, confugit ad metaphoram, & *biotto* deducit ab *apludare* corticem excutere, quod nudus ſimilis ſit milio, cui furfur vel tegumentum detractum. Vocem Gothicam & Angloſax. vide in *nackend*.

BLOSS, ſubſtantive ſpolium ſignificat. Lex Long. Lib. I. Tit. IX. 3. *Si ſpolia de ipſo mortuo tulerit, id eſt, pluslaib, componat Sol. LXXX.* Spolium corporis, non corpus nudum hic indicari, Lex ipſa docet. Hic ſenſus naturaliter oritur a verbo Francico *piloſen* ſpoliare. Nam hinc recte fit *bloſs*, ſubſtantive ſpolium, adjective ſpoliatus. Hoc loco ſpolium ſignificat, ſic ut *laib* corpus. Græcis βλίττω eſt favos aufero, neſcio an aliqua affinitate. Confer *plündern*.

BLUDERHOSEN, braccæ turgentes & laxiores. Proprie inflatæ & follicantes. Gloſſ. Keron. inflatus *kaplater*, inflati *keplate*. Formam verbi veteris Alamannici vide in *blaſen* flare.

BLUEN, florere, flores producere. NOTKERUS Pſal. XCI. 13. *der rehto bluot alſo palma*, juſtus florebit ut palma. WILLERAMUS Cap. VII. 11. *obe die roten epfele bluowen*, ſi floruerunt mala punica. Idem Belgis *bloeijen*. Sed Belgis tantum. Nam Angloſaxones habent *blotsmian*, Angli *bloſſom*. Quæ certe ſunt genuina, & a *bloſm*, *bloſtm* flos facta, ut mox oſtendam in *blume*. Ergo verbum Francicum vel ſyncopatum eſt a Saxonico, vel non habet ſenſum intelligibilem. Nam βλύνω, quod ab Helleniſtis pro etymo addicitur, proprie eſt ſcaturire, & dicitur de fluido tantum, non de vegetabili. Si Græca origine opus ſit, mallem confundere cum φλύειν fœcundum, plenum, & abundantem eſſe.

BLUME, flos. Gloſſ. Pez. floribus *plomun*, roſæ, violæ *ploma*. Idem Gothis *bloma* Matth. VI. 28. Belgis *blom*, *blœm*, Succ. *blomſter*. Cuncta per eliſionem vitiata e Saxonico *bloſm*, quod certe eſt a *blaſen* flare, ſpirare, per medium derivandi *M*. & dicitur de flore, quia ſpirat odorem. SOMNER. in Dict. AS. *bloſm*, *bloſma*, flos, germen, *bloſm-bær* florifer, germinans. Poſtea variari vox cœpit. Hinc eadem Dialecto *blotſm* eſt flos, & inde *blotsmian* florere, gemmare. Ad reliquias veteris Sermonis ſpectat, quod Anglis *bloſſome* etiamnum eſt floſculus, & Belgis *bloæſſem* flores arboris.

BLUST, flores arboris, Dial. Suev. A *blüen* per medium derivandi *ST*.

BLUTE, flores arboris. WILLERAMUS loco citato: *obe nah der bluote daz uuocher ſih ſcaffe*, ſi poſt flores fructus proveniant. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *blodeu* flores. A *blüen* per medium derivandi *T*. vel *D*.

BLUT, ſanguis. Gothis *bloth* Matth. XXVII. 4. Angloſaxon. *blod* ibidem, Francis & Alam. *bluot*, *pluat*, Procop. *plut*, Belg. *bloed*, Angl. *bloud*, Succ. & Island. *blod*. TATIANUS Cap. CCXI. 4. de latere Chriſti lancea aperto: *uzgieng bluot inti uuazzar*, exivit ſanguis & aqua. Cum quilibet humor fluens poſſit dici *flut*, a *flieſſen* fluere, multo magis ille, quem ſanguinem vocamus, ob continuum ejus per omnes corporis partes fluxum. Hoc aliquando placuit JUNIO. Poſtea ad Græcas origines converſus *blut* deduxit a βλύειν ſcaturire, quod etiam STIERNHIELMIO ſe probavit. Alii Græcitatis ſtudioſi derivant a πλάδος vel πλάδιον humor ſuperfluus. Quod cæteris minus verſimile, cum ſanguis ſit humor vitalis, non excrementum. Plures etymologias vide apud SKINNERUM.

BLUTEN, ſanguinem emittere. Senſus verbi hodiernus. Ante Chriſtiana tempora *blotan* Gothis, Angloſaxonibus, & omnibus univerſe Germanis, erat ſacrificare, immolare, ſanguinem fundere religionis cauſa. Et hujus veteſtiſſimi ſignificatus plura extant documenta in Indice VERELIANO, cujusmodi ſunt, *blota* victimis & hoſtiis Deos placare, *blot* ſacrificium cruentum, *blot-hus* fanum, delubrum, & alia. Poſtea vox a cruento & idololatrico purgata ſenſu ad verum Dei cultum transferri cœpit, quamvis non ubique gentium, ſed apud Gothos tantum. Hinc in Evangelio Gothico *blotan* eſt Deum colere Marc. VII. 7. *blotandei* colens Luc. II. 73. *gothbloſtreis* Dei cultor Joh. IX. 31. De his ſimilibusque nominibus paganis, ab oriente Chriſtianiſmo partim relictis partim abrogatis, pluribus egi in voce *Opfer*.

BLUTRUNST, fluor ſanguinis, *blutrünſtig* ſanguine ſtillans. Extant eo ſenſu *blutruns* & *blutrunſig* in Jure Prov. Alam. Cap.

CLXXIX. 1. 2. 3. Refer ad *rinnen* fluere, manare. Hodie dicitur de vulnere non ſanguinolento, ſanguine tamen ſuffuſo, & intra cutem coagulato, a *rinnen* coagulari.

BLUTRUNST, jurisdictio criminalis, vel potius Concilium judicium de vita & ſanguine hominis decernentium. Gothis *rinnan* nonſolum eſt fluere, ſed etiam venire, occurrere, congregari, & hinc *garunſa* forum Luc. VII. 32. & *garuni* concilium Matth. XXVII. 7. Hiſce ſimile eſt *blutrunſt* congreſſus judicum, de ſanguine vel ſuſo vel fundendo judicantium, alias *blutgericht*. Vulgo etiam congreſſus hominum *confluxus* dicitur. Aut, ſi hoc non placet, Judicium illud vocabitur *fluor ſanguinis* per metonymiam objecti, quia de ſanguine judicat.

BOCHEN, pulſare. V. *pochen*.

BOCK, proprie eſt animal cornu feriens, a *pochen* pulſare, & tribuitur omnibus maſculis in genere *cervino, caprino, ovino*. Hic antiquiſſimus ſignificatus, qui poſtea ab animalibus ad machinas arte factas, *baliſtas, equuleos*, ob quamcunque ſimilitudinem translatus eſt. A *bock* rurſus fit *bocken* cornu ferire, quod Sorabis effertur *bodzu*, apud FRENZEL. in Orig. Sor. pag. 8.

BOCK, cervus. Anglis *buck* eſt cervus, & *roe-buck* capreolus, mas capreæ. Nobis quoque *reh-bock* eſt capreolus, & *buch-holz* ſylva cervina.

BOCK, hircus, caper, capræ maritus. SOMNER. in Dict. AS. *bucca* hircus, caper, vir gregis, *buccan-beard* barba capræ, *buccanhorn* capricornus. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *bwch* caper, Arm. *bouch*. Lex Salica a Carolo M. emendata Tit. V. 3. *Si quis buccum furaverit*. Id eſt, hircum, vel caprum. Cæterum cum hoc animal ſit ſalaciſſimum, & ad coitum feratur procaciſſime, hinc promptos in Venerem etiamnum eodem nomine deſignamus. Et conſentit Gr. βακτίζεσθαι laſcivire, quod a nomine & proprietate hujus animalis deſumptum videtur. Imo etiam BACCHUS a familia haud alienus cenſeri poteſt. Nam hoc proſtibulum Deorum ſæpe vehitur hirco, & Comites habet Faunos Satyrosque, omnes caprina facie & pedibus hircinis conſpicuos. Nomina autem Deorum ſæpe formari ſolent ab animalibus, quibus pro vehiculo utuntur, ut *Hermes* ab ariete, *Artemis* a cerva, de quibus alibi. Poſtea a maſculo nomen creari cœpit fœmellæ. Inde Græcis βῆκη capra, Armoricis *bicq*, & in quibusdam Franciæ locis *bique*, teſte PEZRONIO in Antiq. Celt. pag. 334.

BOCK, aries, vervex, maſculus inter oves. VEREL. in Ind. *bagge* vervex, hircus, *valbagge* dux gregis. NOTKERUS Pſal. LXV. 15. *pringo dir rinder ſament dien bocchen*, offeram tibi boves cum hircis. Hircus & aries a Latine ſcribentibus ſæpe confunduntur. Uterque autem ſic dicitur a pulſando, ut paulo ante oſtenſum. Ejusdem indolis vocabula ſunt, quando aries Cambro-Britannis vocatur *hwrdd*, Græcis κριὸς, Belgis & Anglis *ram*. Primum manifeſto deſumptum eſt ab *burten* pulſare: Secundum a κρίω pulſo, ferio, cornibus peto: tertium a *ramen* ictum intendere.

BOCK, equuleus, machina quæ inſtar arietis quatuor pedibus ſuſtentatur, *in den bock ſpannen* in equuleo extendere, interprete ECCARDO, in not. ad L. Sal. pag. 79. Hæc machina in Lege Salica dicitur *ſcamnum* Tit. XLIII. 1. *Servus ſuper ſcamno truſus CXX. ictus accipiat*. Hinc idem celeberrimus Auctor colligit, a *bock* formatum eſſe *bank* per epentheſin. Quod minus probo.

BOCK, machina bellica, capite ferreo & arietino, unde etiam *aries* vocari ſolet, alias *maurbrecher*, quia hoc inſtrumento veteres mœnia pulſabant. Hinc appellatio deſumi potuit vel ab animali, cujus caput imitatur, vel ἀμέτρως a *bochen* pulſare.

BOCKEN, puſtulæ. Forte expulſiones. Vide plura in *pocken*.

BOD, in nominibus propriis Veterum videtur ducem, vel alium aliquem auctoritate jubendi pollentem denotaſſe, a *bieten* mandare, præcipere. Certe in Codice Arg. *bathja* eſt princeps, in compoſito *faurabathja* ſummus princeps Matth. IX. 34. Inde fortaſſe

BAUTO, regnator. Celebris Francus & panegyrico S. Auguſtini nobilitatus, de quo ſingularia multa notavit MASCOVIUS in in Hiſt. Germ. Lib. VII. pag. 311. Aliam nominis interpretationem vide in *bald* audax.

MAROBODUUS, celebris regnator. Recurrit in *mare*.

MEROBAUDES, eadem notione, ibidem.

GENEBAUDES, dux belli vel pugnæ. VEREL. in Ind. *gunn* prœlium. Plura ejusdem indolis nomina vide in *gund* bellum.

BODASCHE, ſal ex ligno calcinatum. Vulgus transpoſuit ex *dobaſche*, quod haud dubie genuinum. Nam *daube* eſt tabula doliaris, & prima hujus ſalis materia. HUBNERUS in Lex. Rer. nat. *Pottaſche, cineres clavellati, alumen catinum, beſtehet aus einem weiſſen und etwas blaulicht calcinirten Saltz, welches bald anfangs aus den Tauben oder Clavellis derjenigen Feſſer und Potten, worinnen die Weid-Aſche kommet, gemacht, und derowegen Cineres clavellati und Pottaſche genennet worden.*

BODEN, *bodem*, pavimentum, ſolum, fundus, & quicquid natura pedibus noſtris calcandum ſubjecit. Gloſſ. Pez. fundum *podame*. BENSON. in Voc. AS. *botm* fundum. Græcis πέδον, πεδίον eſt ſolum, & πυθμὴν fundus & imum, manifeſto conſenſu. Refer ad *pedden* calcare. Nam *bod* eſt locus calcandi, ſicut *bedd* locus jacendi. Inde Anglis *bottomleſs* fundi expers, fundo carens, Gallis antiquis *bodincus*, teſte *Metrodoro* apud PLINIUM Lib. III. Cap. 16. *Ligurum Lingua Padum*

Bodincum vocari, quod ſignificet fundo carentem, cui argumento adeſt oppidum juxta Induſtria, vetuſto nomine Bodincomagum, ubi præcipua altitudo incipit. Quæritur, quid ſit *incus* in voce Gallica. Reſpondet LEIBNITIUS in Gloſſ. Celt. pag. 96. *Enk* idem eſt quod *obn, abn*, fine.

BODEN, territorium. Latino-Barbaris *bothena* apud CANGIUM. Dictio Synecdochica, qua genus ponitur pro ſpecie. Inde *reichs-boden* territorium Imperii Germanici.

BODEN, profundus, *bodenbös* profunde malus. Utuntur hodie Auguſtani. Græcis βαθὺς eſt profundus, βάθος profunditas. Islandis *botn* profunditas. Cambris *boddi* mergere & mergi. Cuncta a *bas* infra. Vetuſtas inde creavit fluviorum & Lacuum nomina. Talia ſunt,

PADUS, fluv. Italiæ, id eſt, profundus. *Metrodorus* nomen fluvii ducit a voce neſcio qua Gallica *padet* arbor picea, quod merito displicet MENAGIO in voce *Po*.

SINUS BOTHNICUS, Sinus profundus. Et inde *Bothnia* regio circa eum ſinum.

BODENSEE, lacus profundus, alias Acronius & Brigantinus.

BOGEN, arcus. Angloſax. Franc. Procop. & Suec. *boga*, Island. *bog*, Angl. *bow*, Camb. *bwa*, Græc. βιὸς, Lat. Barb. *bauga*. Gloſſ. Ælf. in nom. armor. arcus *boga*, anquina *bogen-ſtreng*, coriti *bogefodder*. VEREL. in Ind. *boge* arcus, *bogmadur* ſagittarius egregius, *bogaskott* teli ex arcu ejaculatio. NOTKERUS Pſal. LXXV. 4. *dar habet er gebrochot ſtarche bogen, unde ſcilt, unde ſuert, unde ſelben den uuig*, ibi confregit fortitudines arcuum, & ſcutum, & gladium, & bellum. Capitulare Caroli M. an 803. num. 7. *ut bauga & bruniæ non dentur negotiatoribus.* Omnium origo a *bügen* flectere, curvare. Nam arcus & ſagittæ ſunt inventum Scythicum, non Græcum, ut oſtendi in *ſchieſſen* jaculari. Mirum eſt, TACITUM inter arma Germanorum, nec arcum recenſere, nec ſagittam. Sed huic difficultati jam obviam ivi in voce *pfeil*. Quibus nunc addo, quod quidam populi antiqui a peritia ſagittandi videntur nomen adepti. TOXANDRI ſane ſunt ſagittarii, a τόξα arcus. Et ARBORICHI ſunt telipotentes, ut demonſtravi in *arf* ſagitta.

BOGEN, quatenus de folio chartaceo dicitur, eſt a Lat. *pagina*.

BOHEIM, Bohemia. VELLEJUS PATERCULUS *Bojohemum* vocat. Qua voce *regionem paſcuam* (*ein Viehland*) delignari, multi exiſtimant, quia Hebræorum Lingua *behema* eſt pecus, Cambrorum & Islandorum *bu* bos, vacca, ovis, capra &c. CLUVERIUS vero vocem Paterculi (quæ cæteris a STRABONE, TACITO, PTOLEMÆO traditis, profecto ſanior eſt) duce Hiſtoria interpretatur *ſedem & domicilium Bojorum*, Lib. III. Germ. Ant. Cap. 30. Conſtat enim Bojos, regnante Romæ Priſco Tarquinio, hoc regnum ductu Sigoveſi condidiſſe, & de nomine ſuo appellaſſe. Boicum nomen non explicat Cluverius. Mihi videntur BOII denotare *colonos*, ubicunque locorum reperiantur, ſive in Italia ad Padum, ſive trans Rhenum in Sylva Hercynia. Nam *byan* Angloſaxonibus eſt colere, habitare, ædificare, poſſidere. De hoc verbo vetuſtiſſimo vide plura in *bauen* per omnes ſignificatus. Cætera quære in *beim* regio.

BOI, *bay*, pannus craſſus & villoſus. Vox nimia brevitate laborans. Angli rectius dicunt *baize*, a Gr. πόκος vellus. Ante centum annos noſtris *forz* adhuc gauſapam villoſam denotavit, teſte HENISCHIO in Theſ. L. Germ.

BOIE, cunæ. Proprie eſt vinculum vel faſcia, & dicitur etiam de catenis. Hoc ſenſu *boia* occurrit apud PLAUTUM in Aſinaria: *Carceres, numellas, pedicas, bojas, tortoresque acerrimos.* Dicitur & *boga* apud CANGIUM. Unde cognoſcimus, quod prima boja fuerit circulus ferreus aut ligneus, a *bügen* curvare ſic dictus. Italis *boia* eſt carnifex. Hoc VERELIUS in Indice derivat a *boja* vinculum captivorum, quia carnifex reis & damnatis vincula injicit: FERRARIUS a conficta voce *bojarius*, a bobus mactandis ſic dictus, ut proprie ſit lanius, quia carnifices olim jus vendendi carnes habebant. Neuter ſatis exacte. Nam *boia* Italis venit a *bügen* torquere, ſicut Latinis *tortor* a *torquendo*.

BOL, adjective *rotundus*, ſubſtantive *globus*, ſynecdochice *caput*, & quicquid figuram ſphæricam imitatur. A *bolen* vertere, quod vide.

BOLE, aſſer, tabula craſſior, *cedern bolen* tabulæ cedrinæ. Utitur Luth. Cant. VIII. 9. Familiam vocis exhibet Index VERELIANUS: *bol* truncus, *bolyke* ſecuris major ad truncanda ligna, *bula* truncos detruncare & diffindere. Confer *beil* ſecuris.

BOLEN, volvere, vertere, rotare. Gr. πολέω. Verbum exhibet HENISCHIUS in Theſ. L. German. Inde *bol* rotundus apud eundem, quia rotunda, quo minus ſunt angulis impedita, eo ſunt volubiliora, & ſicut facile volvuntur, ita ſæpe rotando fiunt. Sueci ex eodem fonte habent *boll* ſphæra, globus, Galli *boule*. Quod ubi ſemel placuit, poſtea per ſynecdochen rebus omnibus communicari cœpit, quæ figuram ſphæricam habent a natura vel arte. Inde

bol, venter, Dial. Cambrica, qui rotundus, *ebill* verticulus, ead. Dial.

bol, caput, Dial. Belgica, ſicut & Græcis πόλος vertex. De hoc antiquiſſimo ſignificatu vide plura in *polſter*. Inde Gallis *bouleverſer* evertere, h. e. ita vertere, ut caput vertatur in imum.

boll, pila, Dial. Suecica, nobis *ball*, quod vide. Belgis *bollehan* eſt ſphæriſterium, locus ubi pila luditur.

boll,

boll, cepe, oculus & gemma plantæ, calyculus ex quo flos erumpit, apud HENISCHIUM.

bolli, poculum vel patera rotunda, apud VEREL. in Ind. V. *bulle*.

pillen, paſtilli medicorum. Cuncta a rotunditate.

BOLEN, jacere. NOTKERUS Pſalm. CXL. 7. *unſeriu bein uuurden zebolot*, diſſipata ſunt oſſa noſtra. Græcis βαλεῖν eſt jacere, emittere, βάλε jace.

BOLEN, *bollen*, jaculari, vibrare, excutere. Dicitur de telis & lapidibus. HENISCHIUS in Theſ. L. Germ. *bolen*, *bollen*, *ſchieſſen*, *werffen*, jaculari, jacula, lapides mittere, jacere telum. Idem Anglis *to bolt*. Quæ certe ſunt Græcæ originis. Græcis enim βάλλειν eſt jaculari, ferire, πάλλειν vibrare, βολὴ jactus, ictus, βολὶς haſta miſſilis, βέλος ſagitta, πυρόεβολος telum ignitum &c. Latini inde habent *balliſta* machina jaculatoria, Angloſaxones *bolt* catapulta & pilum catapultarium, Germani *bolz* & *pfeil* ſagitta, telum miſſile, *böller* mortarium, tormentum globo jaculando ex ære fuſum, quaſi jaculator, *bolwerk*, *bollwerk* propugnaculum, opus munitum, vallum, e quo tanquam ſuggeſtu tela in hoſtes vibrantur. Vide plura in ſingulis.

BOLKEN, mugire. Frequentativ. a *bellen* boare. Dicitur de vaccis, ut *bleken* de ovibus.

BOLL, quot modis dicatur, id vide in *bolen* volvere.

BOLL, bos initor. v. *bull*.

BOLLER, mortarium. Non a ſono, ſed a *bolen* jaculari, velut jaculator.

BOLLER, balliſta, apud HENISCHIUM. Hic ſignificatus præcedenti antiquior eſt, ſed ex eodem fonte petitus. Dicitur alias *maurbrecher*.

BOLWERK, *bollwerk*, vallum, propugnaculum, opus e terra congeſtum jaculandi cauſa. Oritur, non a βώλος ceſpes, nec a *pfal* palus, ſicut vulgo exiſtimant, tanquam ſit murus ceſpiticius, aut opus palis munitum; ſed a *bolen* jaculari. Nam hic ſolent locari tormenta bellica, & ab hoc loco tanquam e ſuggeſtu tela vibrantur in hoſtes. Dicitur autem nonſolum de vallo, quod mœnia defendit, ſed etiam de vallo, quo urbs ab obſidentibus cingitur, ut patet ex Ezech. XXVI. 8. Anglis vallum vocatur *bulwark*, quod imitantur Galli in *boulevart*, Itali in *boloardo*, quamvis vitioſe. Cambris *pill* eſt caſtrum, propugnaculum, forte a Lat. *vallum*, niſi ſit abſciſſum a Germ. *bollwerk*. Solent enim illi vocibus noſtris aliquid demere in fine, dum nos contraria figura utimur in vocibus Celticis.

BOLWERK, *bollwerk*, baliſtæ, tormenta bellica, & omnis apparatus jaculatorius, a *bolen* jaculari, ut antecedens. Hodie vocant *werfzeug*.

BOLWERK, agger flumini objectus. Suecis *bolwerk*. Hic ſenſus oritur a Latino *pila*, quod eſt moles in aqua exſtructa.

BOLWERK, gravis & improbus labor. VEREL. in Ind. *bolwerkr* qui duros exercet labores. Haud dubie a *bal* malus, quod vide.

BOLZ, ſagitta. Græcis βέλος eſt ſagitta, βολὶς haſta miſſilis, πάλλειν jaculum, Angloſaxonibus *bolt* catapulta & pilum catapultarium, Cambris *bollt* ſagitta capitata & catapultarium, Anglis *thunderbolt* fulmen, Italis *bolzone* jaculum, ſagitta. Cuncta a *bolen*, βάλλειν, πάλλειν, jaculari, vibrare.

BOLZ, fungi genus. Dicitur & *bilz*, quod vide.

BOMBE, globus ignivomus. Proprie eſt quælibet glans cum fremitu explosa, a βομβεῖν reſonare, quod nonſolum de ſono apum & veſparum, ſed etiam de tonitru (cujus fragorem globi noſtri imitantur) uſurpari, ex EUSTATHIO obſervat VOSSIUS. Ex eodem fonte eſt *bomber* baliſta, machina muralis, *bomberſtein* lapis ex tali machina jaculatus vel jaculandus. Has veteris Chronici voces MENAGIUS ex ore VOSSII Junioris ſe accepiſſe ſcribit, & hinc concludit, *bombardam* eſſe vocem Germanicam. Inventum ſane Germanicum eſt, ſed Græca voce donatum. Nam a βομβεῖν (quod haud dubie a ſono fictum) recte fit tam ipſius teli, quam machinæ conantis appellatio, & primo quidem *bombe* & *bomber*, poſtea *bombert*, unde *bombarda*. Similis onomatopœia eſt, quando ſonitum Campanarum vocamus *bombam*.

BOMMELN, reſonare, ſtrepitum edere. Frequentativ. a βομβεῖν. Inde *bommel* ſtrepitus, *bommel-feſt* feſtum temulentorum.

BOMMELN, tremere. V. *bammeln*.

BONE, faba. Angloſaxones duas habent voces, *bien* & *bean*, quarum prior eſt ipſa vox Græca πύανος faba, legumen. SOMNER. in Dict. Angloſax. *bean* faba, *bien* idem, *biencoddas* ſiliquæ, folliculi fabarum. Angli imitantur Saxones in *bean*, Belgæ Germanos in *boon*, Sueci in *böna*, Cambri in *ponar*. Græcæ originis auctor eſt MARTINIUS in voce *faba*, ubi plura lectu digna. Gothi videntur dictionem Græcam ad baccas usque extendiſſe. Alia enim ratio excogitari vix poteſt, cur *morus* in Codice Argenteo dicatur *bainabagms* Luc. XVII. 6.

BONEN, lævigare. Vox Lipſienſibus propria. In vetuſtiſſima Islandorum lingua *fænna*, *funna* eſt lucere, ſplendere, plane ut in Græca φαίνω. Præterea Græcis φανεὸς eſt lucidus, ſplendidus. Lævigare autem eſt lucidum reddere, facere ut ſplendeat.

BONHASEN, apud Hamburgenſes vocantur, qui opificia exercent extra tribum. PEISKERO ſic dicuntur quaſi *bödenhaſen*, quoniam ab opificibus fugati leporum in morem terga vertunt, & vel in ima vel ſuprema ædium parte ſe abſcondunt. Omitto

alias

alias & æque futiles etymologias, cum vera ſponte ſe offerat. Proprie ſunt opifices, qui *jure precario* gaudent ex indulto Senatus, a *bœn*, *bæn*, *bön*, quod antiquitus preces & ſupplicationem denotavit, & eo ſenſu etiamnum uſurpatur in toto Septemtrione. Evang. Angloſax. Luc. I. 13. *fortham thin ben is gehyred*, quoniam exaudita eſt deprecatio tua. Vbi Verſio Islandica habet: *thyn bæn er heyrd*. Suecica: *tyn bön er hörd*. LOCCEN. in Lex. Jur. Sueo-Goth. *bön* & *bönabref* preces & ſupplices literæ ad regem. VEREL. in Ind. *bæn* preces, petitio, *veita einum bæn* petitioni alicujus annuere. Inde Suecorum compoſita, *bönbrus* oratorium, *morgonbœn* preces matutinæ, *bœnhœra* exaudire &c. *Hæ* hoc loco idem eſt quod *hans* ſocius, niſi ab invidis malitioſe detortum ſit in leporem, vituperandi cauſa. Sed prius malo. Nam *hans* in ore vulgi facile corrumpitur in *has*. Exempla vide apud SPELMANNUM in voce *Auſe*, ubi TILIUS adducitur, qui exiſtimavit, *Franzauſen* (per ſyncopen *Franſen*) ſic appellari, quaſi liberos ſocios. Totum ergo compoſitum ſignificat ſocios petitionis, ſocios ſupplices, vel qui opificia ſua precario exercent. Et in hoc nomine nulla eſt contumelia. Confer vindicias lanionum in *læſter*.

BORD, aſſer, & ſynecdochice menſa, tabula, alveus. Refer ad *barten* ſecare, & confer vocem ſororiam *bret*.

BORD, ora, margo, extremitas. SOMNER. in Dict. Angloſax. *bord* margo, finis, terminus, ora, *innan bord and ut* intra limitem & extra. VEREL. in Ind. *bard*, *bord* extremitas, margo, ora. Græcis πέρας, τος, eſt extimum rei, finis, extremitas, περαίω & περαίόω termino, finio. Quæ nobis poſſunt eſſe inſtar etymi. Synecdochice dicitur de *limbis* & *lateribus*. Gloſſ. Boxh. *portpleh* bractea. VEREL. in Ind. *bord* latera navium ſupra aquam extantia.

BORD, domus. Vox Saxonibus unice uſitata, quæ videtur proprie denotare ſeptum, a φράτλω ſepio, munio, includo. Quamvis etiam domus ſua cujusque limes ac terminus dici poſſit. SOMNER. loc. cit. *bord* domus, *innan bord and ut* intra domum & extra, *bord-weal* paries. Inde porro *bortmagad* ancilla domus, quæ nec mulgere nec molere ſolet, in Lege Friſionum Tit. XIII. & *bordarii* qui circa ædes Domini ſervilia peragunt opera, interprete SPELMANNO. Domos appellare ſepta, priſcis admodum familiare eſt in omnibus Dialectis. Vide *gard*, *hag*, *zaun*, *dun*.

BORDE, ſolum fertile, quod cæterarum partium aridiorum veluti horreum eſt. Ita tradunt Authores apud MAIBOM. in Hiſtoria Bardevici pag. 121. Hic ſenſus oritur a *bœren* proferre, producere.

BORDELL, lupanar. Proprie domuncula. Eſt enim diminutiv. ab Angloſax. *bord* domus. Dicitur autem domuncula, quia loca luxuriæ apud veteres plerumque erant caſæ & tabernæ per ripas diſpoſitæ, quod ex CICERONE & SUETONIO probat MENAGIUS. Hinc & ganeones & ſcorta & plebs quæque viliſſima, cum in iisdem domunculis ad ripas habitarent, videntur dicti *canalicolæ*. Quo conceſſo, vox Gallica *canaille* rectius ab iſta hominum fœce, quam à *canibus* derivatur.

BORDIEREN, limbo cingere. Refer ad *bord* margo, limbus. Confer *brodieren*.

BOREN, foramen facere terebrando, *bor*, *borer* terebra. SOMNER. in Dict. AS. *bor* ſcalprum, *næſe-bor* terebra. VEREL. in Ind. *bor* terebellum, *bora* foramen, *bornhola* foramen terebro factum. Cuncta fortaſſe à Lat. *forare*, & hoc a Gr. πεφᾶν transfigere. Ita ſentiunt MARTINIUS & SKINNERUS.

BORG, porcus caſtratus. V. *bork*.

BORG, mutuum, *auf borg geben* mutuo dare, *auf borg nemen* mutuo accipere. Proprie quidem eſt mutuo datum, à *borgen* mutuo dare; mox etiam mutuo acceptum, quia dare & accipere ſunt correlata, & in notione crediti & debiti conveniunt. A *borg* mutuum rurſus fit *borgen* mutuari, mutuo accipere.

BORGEN, mutuo dare, dare in creditum. Belgis *borgen*, Anglis *borrow*. MARTINIUS in voce *mutuo* putat eſſe a πορῶω dare, exhibere, facere ut aliquid a me ad alium transeat. Si Græca origine opus ſit, malim deflectere a παρέχειν præbere, vel παρέικειν concedere. Sic enim literæ G. in voce Belgica & Germ. melius conſulitur. Ab hoc ſignificatu Angloſaxones habent *borgiend* fœnerator.

BORGEN, mutuo accipere, accipere in creditum. Angloſax. *borgan*, *borgian*, Belgis & Anglis ut ſupra. SOMNER. in Dict. Angloſax. *burgan*, *borgian* mutuari, mutuo accipere, *borge* mutuum.

BORK, cortex arboris. Anglis, Danis & Suecis *bark*. Omnino à *bergen* tegere, quia *ut cutis humani corporis, ita eſt arboris totius tegumentum*. Utor verbis SKINNERI. Ejusdem indolis eſt vox Suecica *næfwer* cortex, a νέφω, quia lignum arboris tegit.

BORK, *barg*, *barch*, porcus majalis vel caſtratus. Gloſſ. Æſſ. in nom. ferar. magalis *bearh*. SOMNER. in Dict. AS. *bearg*, *bearh*, *bearug* majalis. Extat & *barco* eodem ſenſu inter voces Malebergicas in Lege Salica Tit. II. 18. quam primus obſervavit ECCARDUS, & ſequenti commentario illuſtravit: "*Barco*, „&in Codice Gvelferbytano *barch*, eſt ipſum „noſtrum *borch*, *borch-ſchwein*, quo nomine „*porcum caſtratum* vulgo inſignimus. *Barch* „ vero vel *borch* eſt a verbo jam uſitato *bar*„*gen* ſcindere, ſecare; unde tamen, Skinne„ro teſte, Angli adhuc habent derivatum *to* „*bard* vel *beard-weoll* extremitates vellerum „recidere, tondere. Nobis *barte* itidem hinc „ eſt *inſtrumentum ſectorium* aſcia, ſecuris „minor. Ab eodem verbo eſt *börd* abſciſ„ſum ſive littus, item transpoſita litera r. „*bret* tabula ſectilis. Videtur etiam La„tina

„tina vox *porci* proprie olim de caſtrata ſue „uſurpata, & quoniam plerumque exſecan„tur & verres & ſues, ut pinguiores fiant, a „ſpecie tandem ad genus translata fuiſſe. „*Porca* terra, quæ vomere elata eſt inter „duos ſulcos, pariter derivanda eſt ab anti„quo *bargen* exſecare, & ſic erit terra vo„mere exſecta„ Huc uſque ECCARDUS. Si verbum illud *bargen*, quod antiquum vocat, fictum non eſt, & alicubi uſitatum, optime ſenſum Salicæ vocis *barco* recludit, & fortaſſe etiam *porcæ*, minime vero reliquarum. Nam *barte, bret, bord*, non oriuntur a *bargen*, ſed potius a *barten* ſecare. Et hinc etiam eſſe poteſt *bork* ſus majalis, mutato T. in K. quod fieri ſolet ſæpiſſime. Quamvis etiam cognatum eſſe poſſit cum *bær*. Nam *bork* alia Dialecto dicitur *bær*, ſat manifeſto a πηρὸν mutilare, truncare. Et ſicut *bær* eſt verbale, ita *bork* derivativum. Nam G. & K. ut in *Prolegomenis* vidimus, ſunt media formandi ſubſtantiva a verbis. Ob ſimilem cauſam idem ſus, ſicut optime docet ECCARDUS, vocatur *majalis*, a *mayen* ſecare, quaſi porcus exſectus.

BORKIRCH. V. *por*.

BORN, & *brun*, ſe mutuo producunt per metatheſin. Unam eſſe vocem, quamvis biformem, veroſimile eſt, ſive ſit ab Hebræo *bor* fons, puteus, ſive a Græco βρύειν ſcaturire. STEPHANUS Byzantinus ſcribit in voce βηρυτὸς, apud Berytenſes in Phœnicia βῆρ puteum denotaſſe. JUNIUS Anglo-ſaxonibus tribuit *born, bourn, bruna, burna*. Sed apud Lexicographos nihil horum occurrit, niſi quod *pyrna* ponitur pro *fonte* apud BENSONIUM. In reliquis veterum Dialectis dominatur *brum*. Codex Arg. Marc. V. 29. *Jah ſunſaiw gathaursnoda ſa brunna blothis izos*, & confeſtim ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus. Gloſſ. Boxh. *prunno* latex. Colloquium Chriſti cum Samaritana in Fragmento Lambeciano verſ. 27.

Uuar maht thu, guotman,
Neman quecprunnan.
Ubi poſſis tu, optime vir,
Sumere vivum fontem?

NOTKERUS Pſal. LXXVII. 44. *aba unde brunadara machota er ze bluote*, flumina & venas fontium convertit in ſanguinem. Anglis fons dicitur *bourn*, Suecis *brunn*, Belgis *born*, & *bron*, Procopenſibus *bruma*.

BORNEN, urere, ardere. V. *bernen*.

BORNSTEIN, ſuccinum. V. *bernſtein*.

BORSE, crumena. Belg. *beurs*, Angl. *purſe*, Camb. *pwrs*, Gall. *bourſe*, Lat. Barb. *burſa*. Duci ſolet a Gr. βύρσα corium, per ſynecdochen materiæ pro forma. Aliis eſt vox Punica. Secundario ſignificat locum in quo mercatores conveniunt, ſive ob communem negotiatorum burſam, ſive quia prima congregatio facta eſt in domo, cujus inſigne fuit burſa. Vocem Brugis Flandrorum primo natam eſſe, convenit inter omnes. Etymologiam hiſtoricam pluribus proſequitur MENAGIUS in voce *bourſe*.

BORST, ſeta. Gloſſ. Boxh. *purſt* ſeta. Angloſaxones ſetam vocant *byrſt* apud BENSONIUM, Angli *briſtle*, Sueci *börſt*. Vox Anglica diminutivum ſapit. Francica deſumi potuit a περάω trajicere, transfigere, ſive quia veteres ſetis ad ſuendum utebantur, & ſutores noſtri etiamnum utuntur in faciendis calceis, ſive quia ex cute ſuilla prominent tanquam ſpicula. A *borſt* fit *börſte* verriculum ſetaceum, per metonymiam materiæ.

BORST, ruptura. V. *berſten* rumpi.

BORTE, fimbria. Idem quod *bord* margo, limbus.

BORTZELN. V. *burtzeln*.

BOS, malus & malum. Dicitur de malo culpæ & damni. OTFRIDUS habet *boſa* pro malitia Lib. V. Cap. XXV. 280. & Epinicium R. Lud. dictum *ſehr bos* pro valde noxio, verſ. 6. Utrumque locum, & plura alia obſervavit SCHILTERUS in Gloſſ. Teut. Inde Latino-Barbaris *bauſia* malitia, & ſynecdochice felonia, proditio, crimen capitale, & hinc *bauſiare, boſiare*, malefacere, ſynecdochice prodere, feloniam committere, in dominum inſurgere &c. ECCARDUS in Catecheſi Theotisca pag. III. exiſtimat, *bös* & *miſs* ejusdem originis eſſe, nempe a *miſſen* carere, deficere. Huic etymologiæ favet, quod labiales frequenter permutantur. Ita Germanica præpoſitio *mit*, a Poëtis Sæculi XIII. ſemper ſcribitur *bit*, ſicut ibidem oſtenditur. Plura exempla vide in *Proleg.* Sect. III. Et hactenus etymologiæ ſua conſtat ratio. Veroſimilius tamen eſt, Francos admiratione Latinæ linguæ voculam ſuam accepiſſe ab obſoleta *peus*, unde fit *pejor* & *peſſimus* apud Latinos. Hoc docet HELVIGIUS, & *peus* derivat ab Heb. *boſch*. Similes voces ex Syr. Aram. & Arab. idiomate ſiſtit MARTINIUS in v. *pejor*. CLODIUS in Lex. Turc. Arabibus tribuit *bis*. Ad conſenſum cum præcedentibus ſpectat, quod malus Perſis dicitur *bad*, nec Perſis tantum, ſed etiam Anglis. SKINNERUS hæret in Anglica voce, quod miror. Nam *bös* & *bad* in nulla re differunt niſi literis convertibilibus. Hinc malitia Latino-Barbaris nonſolum *bauſia*, ſed etiam *baudia* dicitur. Exempla vide apud CANGIUM.

BOSWICHT, mala creatura. Rationem interpretationis vide in *wicht*.

BOSEN, pennæ, apud Berolinenſes. Pennas antiquos appellaſſe *peſnas* ex Græco πτερὰ volucria, ſcribit FESTUS.

BOSSELN, globis & conis ludere. Proprie eſt *trudere, impellere, propulſare*. Id enim Gallica lingua dicitur *pouſſer, bouter*, Italica *buttare*, Hiſpanica *botar*, Celtica *botten*, quod vide. Galli inde habent *boutée* impulſus, *d'une boutée* uno impulſu, *de la premiere boutée* primo impulſu, *boutade* impulſio, *rebouter* repellere, Itali *una botta* una vice, uno ictu, Suevi *allebutt* ſingulis momen-

mentis, vicibus, ictibus, reliqui Germani *boſskugel*, *botskugel* globus ligneus qui ludendi cauſa projicitur, ut conos viciſſim impellat. Imo etiam *boſs* ſe ſolo globum notat apud HENISCHIUM, & apud eundem remex dicitur *boſsknecht*, haud dubie quia cymbam impellit.

BOT, cymba. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *bad* linter, ſcapha, cimba. SOMNER. in Dict. AS. *bæt* linter, navicula, *bat-ſwan* remex, ille ſcil. qui in navi remis propellendo laborat. VERÉL. in Ind. *bat* cymba, ſcapha, *batſvein* remex, a *bat* cymba & *ſvein* ſervus. Belgæ dicunt *boot*, Sueci *bæet*, Angli *boat*. An quia cymba eſt arca, quæ Hebræis dicitur *tibba*, Græcis κιβωτὸς? An quia eſt internuncia claſſis, a *bote* nuncius? Ita nonnulli ſerio nugantur. Sed obſervandum, quod cymba ante fuerit quam claſſis, & quod in re nautica non opus habemus Hebræorum vocabulis. Nam *bat* eſt verbale a *batten* trudere, impellere, de quo paulo ante, & dicitur de cymba, quia cymba eſt alveus truſatilis, qui remis impellitur. Confer dicta in *ſchiff* navis. Latino-Barbari inde habent *batus*, Galli *bateau*, Itali *batello*. Compoſita dimitto, quia nullam habent difficultatem.

BOT, quatenus eſt a *bieten* offerre, ſignificat (1.) oblationem, munus, ſacrificium. VERÉL. in Ind. *ſalubot* oblatio pro cæſorum animabus. (2.) licitationem & pretium oblatum. VERÉL. in Ind. *bud* oblatum. (3.) hominem libere ſervientem. Inde *dienſtboten* famuli, ancillæ, quia ſervitia ſua ſponte nobis offerunt. Niſi forte *bot* hoc loco idem ſit quod Hebræis *obed* famulus, miniſter, ab *abad* ſervivit.

BOT, quatenus eſt a *bieten* notum facere, ſignificat nuncium in genere, ſive juſſa Dei ferat ut angelus, ſive Principis ut legatus, ſive privati ut quilibet ad nunciandum miſſus. Angloſaxonibus *boda* eſt nuncius. Francis *boto* præter nuncium ſignificat (1.) angelum. Gloſſ. Pez. angelos *poto*. (2.) apoſtolum. Gloſſ. Keron. apoſtolus *poto*, apoſtolicum *potolihha*. (3.) legatum vel miſſum regium. Hinc præſides populi R. in provinciis vocantur *waltpodin* in Rhythmo de S. Annone §. 30. h. e. Legati cum auctoritate præſidendi & gubernandi, a *walten* præeſſe. (4.) curſorem & tabellarium. Gloſſ. Boxh. *potun* veredarii, *forapoto* præcurſor.

BOT, in comp. *gaſtgebot* ſignificat invitationem convivalem, a *bieten* vocare, invitare. Dicitur autem de convivio per metonymiam antecedentis.

BOT, quatenus eſt a *bieten* jubere, tria ſignificat, *principem*, *mandatum*, *potentiam*. Primus ſignificatus eſt extinctus. Vide eum in *bod*. Secundus ſuperat in compoſito *gebot* mandatum: Tertius in *botmæſſigkeit* jurisdictio.

BOT, quatenus eſt a *bieten* citare, ſignificat *citationem* & *citatorem*. Exempla vide in fonte.

BOTMÆSSIGKEIT, jurisdictio, non deſpotica, ſed æquabilis & moderata. Vox enim ita concepta eſt, ut proprie *moderamen potentiæ* ſignificet, a *bot* poteſtas, & *mæſſigkeit* moderatio. Additum autem eſt potentiæ temperamentum, ex veteri libertatis ſtudio, de quo multa & præclara extant Scriptorum teſtimonia. TACITUS Cap. VII. de moribus Germanorum: *Nec regibus infinita aut libera poteſtas*. Et Ambiorix Eburonum Rex Legatis CÆSARIS (quod ipſe memoriæ prodidit Lib. V. de B.G. Cap. 27.) reſpondet: *Sua eſſe ejusmodi imperia, ut non minus haberet in ſe juris multitudo, quam ipſe in multitudinem*. Hinc Maroboduus & Arminius, quod immodicam poteſtatem affectaſſent, TACITO notantur, tanquam popularibus inviſi, Annal. II. Cap. 44. & 88. Unde liquet (ut verbis cel. DITHMARI in Tac. Cap. 7. utar), imperium ſummum apud Germanos Regibus, Proceribus & populo jam olim commune, ſimile que fere ratione mixtum, ac temperatum fuiſſe, quæ poſtea omni tempore & in hunc uſque diem obtinuit.

BOTSCHAFT, ſecundum antecedentia plures admittit ſignificatus. Angloſaxonibus *bodſcip* eſt juſſio, juſſum, nuncium, legatio, Francis *botoſcaf* nuncium & legatio. Gloſſ. Pez. nuntium *potaſcapht*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIII. 13. *ih bin ſelbes boto ſin, fora imo iſt botoſcaf ouh min*, ego (Johannes) ſum ejus nuncius, & ante eum eſt legatio mea. Inde *botſchafter* qui legatione fungitur.

BOTT, ictus. Italis *botto*. A *batten* cædere. Allegorice dicitur de vicibus temporis, quia ſimiles ſunt actibus repetitis. Inde Anglis *bouts* vices, *a bout* una vice, Suevis *allebott* omnibus momentis.

BOTT, bacca. V. *burt*.

BOTT, dolium. V. *butte*.

BOTTICHER, doliarius. Vide in *büttner*.

BRACH, incultus, *brach liegen* incultum jacere. Vulgo derivatur a *brachen* proſcindere aratro, ſed inepte, quia incultum non ſentit aratrum. Alia igitur radice opus eſt, ad hunc ſenſum progenerandum. Vide an non proveniat a *brechen* deficere, ſive quia incultum a colonis intermittitur, ſive quia deficit hoc anno, nec ullos profert fructus. Ab hoc interim adj. eſt *brache*, *brach-land*, *brach-feld*, *brach-acker* ager incultus, intermiſſus, ſterilis.

BRACHEN, arare, vertere terram aratro, *brache* aratio, cultura, *brach-land* vervactum, quaſi vere arvum factum, alias novale a novando. Gloſſ. Pez. proſcindet *prahhet*, ſciſſum *giprahhotaz*. Gloſſ. Ælf. pag. 67. novalis ager *brocen land* vel *geworht land*. Id eſt terra rupta, vel terra laborata. BROCKS im Irdiſchen Vergnügen in Gott Part. 2. pag. 479. *man brachet itzt das feld, man ſæet ſpæten lein*. Idem Suecis *bruka ny æker*. Proprie eſt rumpere terram, idemque quod *brechen* rumpere, ſenſu

ad

ad agriculturam translato, quia terra arando rumpitur, & hinc coloni *rupturarii* in Latinitate medii ævi.

BRACH-KÆFER, noctiluca, vermis noctu ſplendens, a *brechen* fulgere. Aliud eſt *βρῶχος*, *bruchus*, a *βρύκειν* edere, mordere ſic dictus, quia ſegeres arrodit & abrodit.

BRACH-MONAT, Junius, Franc. *bracmanot*, a Carolo M. ſic dictus, quod hoc menſe agri ceſſantes novantur, a *brache* aratio, cultura. Niſi malis referre ad *brechen* ſplendere, de quo infra. Angloſaxonice dicitur *feare-monath*, quaſi menſis aridus, a *fearan* (Anglis *to fear*, Græc. *θέρειν*) ſiccare, arefacere, interprete SOMNERO. Item *mid ſumor-monath*, a media ætate.

BRACHER, pauper, *bracher-herberge* hoſpitium pauperum. A *brechen* deficere, defectum pati, ob rerum omnium penuriam.

BRACK, canis quidam venaticus, forte inveſtigator. Anglis *brache*, Gallis *braque*, Italis *bracco*, Lat. Barb. *braccus* & *bracco*. Spec. Sax. Lib. III. 47. *winde, beſs-hunde und bracken mach men wol gelden mit ore gelike*, vertagos, canes venaticos, & braccos compenſare licet horum ſimilibus. STJLERO eſt canis bifidis naribus, a *brechen* rumpi: SKINNERO canis altum latrans, a *βράχω* reſono. VEREL. in Indice *rakke* exponit *canem*, derivatque a *rakka*, *prakka* curſitare. Alius fortaſſe *rack* derivaret a *riechen* veſtigia odorari, & *bracka beriechen* odoratu inveſtigare. Sane uſu Anglorum *brach* dicitur de cane fœmina, quæ leporem ex odore perſequitur, teſte SPELMANNO in voce *bracco*. Et apud FERRARIUM *bracco* exponitur canis ſagax. A *brack* eſt *bræckin* canicula, quod dicitur metaphorice de fœmina levi & impudica. Præcipuum compoſitum eſt *barm-braccus* parvus braccus, in Lege Friſionum Tit. IV. 3. *Canem acceptoricium, vel bracconem parvum, quem Barmbraccum vocant, IIII. Sol. componat.* LINDENBROGIUS hinc conjectat, *barm* Friſiis parvum denotaſſe. Nec inepte. Nam *βαῤῥ* apud HESYCHIUM exponitur *μικρὸν*, etiamſi neſciamus, ex qua lingua illud hauſerit. At eam radicem remanſiſſe in *barmherzig*, non perſuadet Lindenbrogius, quoniam ſic appellamus, non puſillanimem, ſed miſericordem, qui certe non eſt abjecti animi homo. SPELMANNUS, qui alias ſequi ſolet Lindenbrogium, hic eum deſerit, & vocem Friſicam deducit a *barm* gremium, quaſi *barmbraccus* ſit canis melitæus, qualem nobiles fœminæ in ſinu portare ſolent. Sed ex Lege nimis manifeſtum eſt, de cane venatico hic agi, non de cane gremiali.

BRADEM, *brodem*, halitus, exhalatio. Angloſaxonibis *brœthe* eſt odor, odoramen, ſpiritus, Anglis *breath* halitus, anima, ſpiritus, Cambris *bryd* animus. Radicem videntur Angli cuſtodire in *to breathe* ſpirare, reſpirare, anhelare. Et ne quis miretur, ſenſum ab halitu ad animam transferri, conferat dicta in *atem*. Sic & Latinis *ſpiritus* a *ſpirando* dicitur.

BRAM, ponto. VEREL. in Ind. *pram* ponto, *pram eda eikia* ponto aut ratis. Gr. *πρῷρα* eſt trajicere, tranſire.

BRAN. V. *augbraunen*.

BRAND, quatenus derivatur a *brennen* urere, ſignificat quantum poteſt, incendium, ſtragem ignis vorantis, uſtionem, inflammationem, uredinem, gangrænam &c. Lex Friſion. Tit. VII. 1. *De Brand. Si quis domum alterius incenderit.*

BRAND, quatenus derivatur a *brennen* ardere, ſignificat quantum poteſt, torrem, lignum ardens, conflagrationem &c. Gloſſ. Pez. torris *prant*, titionem *printilino*. Idem Angloſaxonibus *brand*, & omnibus pene Dialectis. Inde Latino-Barbaris *branda* titio, fax ardens, & *brandones* funalia, tædæ, apud CANGIUM in Gloſſario.

BRAND, ſæpe eſt lignum foco aptum. Cum hoc ſignificatu convenit vox Celtica *pren* arbor, lignum, quæ extat apud BOXHORNIUM in Lexico Antiquo-Britannico, & in LEGIBUS WALLICIS paſſim.

BRAND, lamina enſis. Islandis *brandur* apud VEREL. in Ind. Inde Italorum *brando* enſis, quod FERRARIUS a *vibrando*, h. e. a micando derivat. Satis ingenioſe. Poſſit tamen eſſe originis Germanicæ, ſive a *barten* cædere, ſive a *brœdan* exſerere, evaginare, quod extat apud SOMNER. in Dict. AS. ſic ut *brad*, & per epentheſin *brand*, proprie ſit ferrum ſecans, vel gladius ſtrictus.

BRAND, in nominibus propriis ſignificat *clarum*, ſive contractum ſit a participio *brechend* fulgens, ſive derivetur a *bruna* coruſcare, quod ſiſtit VERELIUS in Ind. Certe *brecht, bert*, & *brand*, in nominibus propriis ſunt æquipollentia apud Veteres. Quod vel hinc patet, quia Rex Francorum *Childebertus* alibi vocatur *Childebrandus*, quam obſervationem debemus ECCARDO in notis ad Pactum Legis Salicæ e Codice Guelferbytano editum pag. 139. Atque hinc jam patet, quid ſtatuendum ſit de nominibus propriis Antiquorum in *brand* deſinentibus, cujusmodi ſunt,

CHILDEBRANDUS, puer clarus, vel bellator clarus. Utrumque enim ſignificare poteſt. Vide *child* & *beld*.

HILDEBRANDUS, eadem notione. Non *eximie fervens*, & multo minus *heros, dux*, aut *caput Brennorum*.

ANSPRANDUS, ſocius clarus, ſi referatur ad *hans* ſocius, gratia clarus, ſi referatur ad *anſt* gratia. Non *gratia fervens*, ut rurſus GROTIUS. Unus ex Proceribus Longobardorum apud P. DIACONUM Lib. VI. Cap. 17. LUTHERUS legit *Aisbrand*, & hoc convertit in *busbrenn* domus tutor.

SIGIBRANDUS, victoria clarus. Non victoria incenſus. Anſprandi filius apud eundem Lib. VI. Cap. 22.

LIUTPRANDUS, miles clarus. Vide *leute* milites. Sed & valde clarum deſignare poteſt, ſi prior compoſiti pars ſit

adverb. intendendi *laut*, quod antiquis effertur *liut*, ut demonſtravi in loco. Anſprandi minor filius apud eundem loco proxime citato. LUTHERUS & GROTIUS *liut* interpretantur homines & ſubditos. Sed in fine vocis abeunt in diverſa. Ille nomen Longobardicum transformat in *lutbrenn*, quod *galeam hominum* interpretatur. Huic *Liutprand* citra ullam mutationem eſt *ſubditos accendens*.

BRASEN, ardere, uri, incendi. Islandis *braſa* eſt focus ardentior, Angloſaxonibus *braſtl* arſio, Gallis *embraſement* incendium, *braiſe* pruna, carbo ardens. Græcis πρῆσις uſtio, πρῆθεν, πρῆσαι, incendere, incendi.

BRASSELN, *praſſeln*, crepitare, fragorem edere. Vetus verbi forma eſt *braſten* & *braſtlen*, quam hodie cuſtodiunt Angli in *bruſtle*. Gloſſ. Pez. concreparent *praſtotun*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *braſtlian* crepitare, frangere, ardere, *braſtl* ſtrepitus, fractio, arſio. Vulgo *raſſeln* & *braſſeln* confundunt, & hoc ab illo deducunt per præfixum. *Be*, quaſi *braſſeln* ſit *beraſſeln*. Qua in re non ſatis accuratos verborum æſtimatores mihi agere videntur. Nam *raſſeln* eſt ſtrepitum edere ex colliſione, *braſſeln* ſtrepitum edere ex fractura, & dicitur præcipue de lignis ardentibus, quæ dum ab igne rumpuntur & conſumuntur, ſtrepitum edunt. Hinc *braſten* revera idem eſt quod *breſten* rumpi, & dicitur de ſonitu cujuscunque rei fractæ, per metonymiam cauſæ. Sic Latinis *fragor* a frangendo dicitur.

BRASSEN, *praſſen*, coquere, elixare, facere ut ebulliat. Verbum faceſſens a Græc. βράσσω efferveo, ebullio. In quibusdam Dialectis ſenſus reſtringitur ad coctionem cereviſiæ. Inde Gallis *braſſer de la biere* coquere cereviſiam, & Latino-Barbaris *braxare* eodem ſenſu.

BRASSEN, vexare, irritare, facere ut ira efferveſcat. Senſus e culina ad animum translatus, quia animus ira fervens ollæ bullienti ſimilis eſt. NOTKERUS Pſal. CV. 43. *ſie braſton in in iro rate*, exacerbaverunt eum in conſilio ſuo. Hodie utimur derivato *braſt* moleſtia. Sic vulgo dicunt Suevi, *er hat mir viel braſts angethan* multum moleſtiæ mihi creavit.

BRATEN, aſſare, igne torrere. Angloſax. *bredan*, Franc. *praten*, *braten*, Belg. *braden*, Suec. *bræda*, Procop. *breen* per ſyncopen. SOMNER. in Dict. AS. *bredan* aſſare, *bræde*, *brædde* torridus, torrefactus, aſſus, aſſatus, *brædend* aſſans, *bræd-panne* ſartago, frixatorium. Quemadmodum Latinis *aſſum* dicitur quaſi *arſum*; ita *braten* eſt a πρήθειν, quod more Dorico eſſet pro πρήσειν urere. Hæc MARTINIUS in voce *aſſum*. Subſtantive eſt caro aſſa. Gloſſ. Boxh. aſſatura *prato*. Gloſſ. Pez. aſſaturam *pratun*.

BRAV, *braf*, antiquæ Linguæ Friſicæ tenacioribus effertur *berve*, & dicitur apud illos de quieto, placido, modeſto, bono, probo teſte JUNIO in Obſ. ad Will. pag. 58. Ipſe vocem Friſicam derivat a Francica *bitherue* probus, utilis, fortis, honeſtus, per aliquam ſyncopen, & a *berve* rurſus *brav* per metatheſin. Hoc Anglos & Gallos a Friſiis mutuatos eſſe putat. Quæ conjectura, etiamſi ingenioſa & opinabilis ſit, poſtponenda tamen videtur illi, quæ *brav* deducit a Lat. *probus*. Quemadmodum autem de probitate non una eſt hominum opinio, ita *brav* apud diverſos diverſa ſignificat. Gallis *brave* eſt fortis, animoſus, ob rationes infra allegatas in *tapfer*. Anglis *brave* probe ornatus. Slavonis *praw* probus, juſtus, rectus. Germanis *brav* fere hæc omnia ſignificat. STILERO *brav* eſt vox Germanica antiquiſſima, SCHILTERO Celtica. Quibus quæſo indiciis? Cum nec Germanica ſit, nec Celtica, nec antiqua. In quibusdam Dialectis *braf* effertur *brach*, quia ſcil. F. & CH. permutantur. VEREL. in Ind. *braho*, *brahe*, *ſtarck*, *braf man*. Hinc TYCHO BRAHE eſt Tycho fortis.

BRAVIEREN, minis provocare. Italis *bravare*, a *bravo* fortis, audax, ferox, quia feroces facile minantur, interprete FERRARIO.

BRAUCH, *gebrauch*, uſus & opus, h. e. actio utentis, & qualitas rei utilis. Angloſaxonibus *brice* apud SOMNERUM, *broce* apud BENSONIUM, Belgis *bruik*, *gebruik*, Suecis *bruk*. Opinor a *werk* opus, tranſpoſitis literis & mutatis labialibus. Qua in re videmur imitari Græcos & Latinos, quibus ἔργον & *opus* non ſolum de facto in genere, ſed etiam de facto utili & neceſſario uſurpatur. Hinc *brauch* proprie eſt id, quod ipſo facto conducit, & per ſynecdochen generis *uſus* & *utilitas*.

BRAUCH, *gebrauch*, conſuetudo, ſolita vivendi ratio. Dictio ſynecdochica, qua uſus ponitur pro uſu frequente, non intermiſſo, & diuturno, quia hoc uſu mos & conſuetudo definitur.

BRAUCHEN, uti, frui, uſurpare. Angloſaxon. *brucan*, Alaman. *pruhhan*, Belg. *bruiken*, *gebruiken*, Suec. *bruka*. Gloſſ. Keron. uti *pruhchan*, utens *pruhhanti*, utatur *pruhhe*, *ſi pruhhanti*. A *brauch* uſus, quatenus eſt actio utentis.

BRAUCHEN, opus eſſe, prodeſſe, *es brauchets nicht* non opus eſt. Angloſax. *bricean*, *brycian*, *briciſan*. A *brauch* uſus, quatenus eſt qualitas rei utilis.

BRAUCHEN, opus habere, indigere, *ich brauchs nicht* non opus habeo. Ex eodem fonte. Sic a *darf* opus, neceſſitas, fit *darfen* opus eſſe & opus habere.

BRAUEN, *brawen*, *brewen*, coquere. Camb. *berwy*, Suecis *bryggia*, & inde Ruſſis *braga* decoctum. Hic ſenſus verbi antiquiſſimus, quamvis origine obſcurus, niſi forte ſit a πρώειν urere, ut *braſſen* a βράσσειν, cujus etymologiæ auctor eſt MARTINIUS in voce *braxo*. Poſtea reſtringi cœpit ad coctionem cereviſiæ. Inde Angloſaxonibus *briwan* coquere cereviſiam. Ubi tamen

men obſervandum, quod eadem Dialecto *briw* pultem & juſculum, & *gebrowen* coctum denotet; manifeſto ſatis indicio, principem & vetuſtiſſimum verbi ſenſum fuiſſe eum, quem dixi. Ab illo habemus *brey* pulmentum, *brüe* juſculum, & fortaſſe etiam *bier* cereviſia, & Angli *brewed* coctus.

BRAUN, limbus. V. *aughraun.*

BRAUN, fuſcus. Angloſaxonibus & Francis *brun*, Angl. *brown*, Belg. *bruin*, Suec. *bran*, *brun*, Gall. *brun*, Ital. *bruno*, Lat. Barb. *brunus*. Gloſſ. Boxh. *brun* furvus. Gloſſ. Pez. furvas *pruniu.* HELVIGIUS deſumit a Græc. πυρεὸν ruſſum, rubeum, quod eſt a πῦρ ignis, unde etiam Latinis *burrhus.* FERRARIUS a *prunis*, quorum color in nigredinem vergit. Neſcio an recte. Nam *braun* proprie eſt uſtus, a *brennen* uri, incendi, torreri, & dicitur de fuſcò, quia fuſca aduſtis ſimilia ſunt, ſive igne torreantur, ut carnes, ſive ſole ut Æthiopes. Hinc *braun* in compoſitis colorem nigricantem ſignificat, non flammeum, nec purpureum. Talia ſunt, *braun-rot* rubrum nigricans, *braun-gèl* flavum nigricans, *ſchwarz-braun* ſubnigrum &c. SKINNERO hæc vox adeo difficilis viſa, ut illam absque nota dimiſerit. Confer *ſchwarz* niger.

BRAUSEN, ſonare. Utitur Luth. de vento Act. II. 2. de mari Pſal. XCIII. 4. de fluctibus Luc. XXI. 25. Dicitur etiam ſubſtantive de venti & maris fremitu. Belgæ dicunt *bruiſſen*, Galli *bruire* & *bruit*. Græcis βρίζω eſt impetum facio, Anglis *to bruiſe* colliſidere. Ex alterutro cætera videntur orta per metonymiam. Nam verba ſonitus plerumque ita comparata ſunt, ut cauſa ponatur pro effectu. Vide *raſſeln*, *braſſeln*, *dôſen*, *dreuſchen*, *knallen*, *knattern*, *knacken*, *hallen*, *ſchlagen*, *gellen*, *bellen.*

BRAUT, ſponſa. Gothis *bruth* in comp. *bruthfads* ſponſus, Luc. V. 34. Angloſax. *bryd* Matth. XXV. 1. Franc. *brut*, Belg. *bruid*, Angl. *bride*, Suec. & Island. *brud.* TATIANUS Cap. XXI. 6. *ther brut habet ther iſt brutigomo*, qui habet ſponſam ſponſus eſt. HELVIGIO, qui Græcas origines in deliciis habet, eſt quaſi πρεῖη à πρεῖπω dimitto, quia e patria poteſtate dimiſſa, vel quaſi πυρωθὴ flammeo ornata, vel igne luſtrata, qui in limine domus nuptialis poni ſolebat. Aliis eſt vox domi nata, quia Lingua Germanica multos offert fontes conſiderantibus, e quibus illa hauriri potuit a primis inventoribus. Omitto nunc eos, qui aliquid obſcœni in voce ſuſpicantur, quia veroſimile non eſt, majores noſtros, quibus TACITUS Cap. XVIII. XIX. XX. caſtiſſimos morestribuit, voluiſſe turpi vocabulo verecundiam lædere, cujus præter morem Barbarorum erant ſtudioſiſſimi. Caſtius opinor & melius vox ducitur vel a *betrauwen* deſponſare, vel a *beraten* connubio jungere, vel a *berden* ornare. Quodcunque ſequaris, ſponſa erit, quod eſt revera, vel deſponſata, vel nupta, vel ornata. Atque ut ita ſentiam, movet me uſus vocis antiquus. Dicitur enim nonſolum de iis, quæ viro nondum traditæ ſunt, ſed etiam de uxoribus, quia ſcil. omnes uxores & ſunt & appellari amant ſponſæ, nuptæ, ornatæ. WORMIUS in Epiced. Regneri Lodbrog Stroph. XIII. *Brudur poëtice quamlibet fœminam ſignificat.* Imo non poëtice tantum, ſed communiter, & uſu loquendi vulgari. Inde Cambris & Armor. *priod* conjux, *priodas* nuptiæ, matrimonium. Gothis *bruth* nurus Matth. X. 35. quod imitantur Galli in *bru.* Sic & apud Latinos *nurus*, & apud Gallos *épouſe* omnibus uxoribus tribuitur, etiamſi illud uxori filii, hoc ſponſæ proprium ſit. Præcipuum compoſitum eſt *breutigam* ſponſus, quod vide. Reliqua, quæ ſequuntur, maximam partem ſunt obſoleta.

brutfads, ſponſus, ornator ſponſæ. Vox Codici Argent. propria, & a verbo *fadian*, *fada*, quod in Monumentis Angloſaxonicis & Lexico Runico ſignificat ornare, deſumpta, quia moribus antiquis dotem & ornamenta nuptialia non ſponſa viro, ut hodie, ſed vir ſponſæ offerebat, teſte TACITO Cap. XVIII. de M. G.

bryd-bed, *bryd-bure*, *bryd-reſt*, lectus genialis, thalamus, torus, *bryd-gifu* dos, *brydlace* nuptiæ, nuptiale officium, *brydleoth* epithalamium, hymenæus, *bryd-lopa* nuptiæ, convivium nuptiale. Cuncta Angloſaxonibus uſitata.

bruthetti, torus, in Gloſſ. Boxhorn. *brutlouſti* nuptiæ, ſponſalia, & alia e penu Francorum apud SCHILTERUM in Gloſſario.

brudkaup, nuptiæ. Extat eo ſenſu in Ind. v. ERELII, nec non in Evang. Islandico Luc. V. 34. ubi conviviæ nuptiales, qui LUTHERO *hochzeitleute*, vocantur *brudkaups folkid*, omnino a *kaup* emptio, quia veruſtas (nam vetera vocabula ſunt antiqui juris domicilia) ſponſas ſuas emebat, & pretium virginitatis parenti ſolvebat; Quem morem diutiſſime ſervaſſe Francos, Burgundiones, aliosque Germanicæ originis populos, oſtendi in voce forenſi *reif.* Confer TACITUM loco allegato, & notas cel. DITHMARI in illum, nec non CANGIUM in voce *pretium nuptiale*, quod omnino differt a *morgengiba.*

BRECHEN, eſt verbum continuo inimicum, & uſurpatur duobus modis, *active* & *paſſive*. Quod probe velim notari ab iis, qui hæc meditata legunt.

BRECHEN, activo ſignificatu, proprie eſt *continuum ſolvere*, ſeu *dividere*, quocunque modo id fiat. Fit autem variis modis, *frangendo*, *conterendo*, *comminuendo*, *contundendo*, *ſecando* &c. Reliqui ſignificatus ſunt a metaphora, ut poſtea oſtendam.

BRECHEN, frangere, rumpere, conterere, comminuere, contundere &c. Gothis *brikan*, *gabrikan*, dicitur nonſolum de pane qui manibus frangitur Marc. VIII. 6. ſed etiam de ferreis compedibus, quæ friando

comminuuntur, Marc. V. 4. imo etiam de laniatu corporis Luc. IX. 39. Angloſaxonibus *bracan*, *bræcan*, *breacan*, *brecan* (tot enim modis ſcribitur) nonſolum eſt frangere, ſed etiam contundere, comminuere, conterere. Francis & Alamannis *brechan*, *prechan*, eſt frangere, ſed & deſtruere, concidere. Gloſſ. Keron. fregerit *farpribchit*, frangatur *ſi keprobban*. Prius dicitur de rebus coquinæ, cellarii, poſterius de vaſe in genere, in Reg. S. Bened. Cap. 46. & 64. Hoc verbum videtur ex ſermone hominum primitivo manaſſe, quantum ex vetuſtiſſimis linguis conjectare licet. Convenit enim Hebræum *parak* fregit, disrupit, dilaniavit, Æolicum βρηγνύω rumpo, quod ſiſtit JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 99. Latinum *frago*, quod prius & antiquius quam *frango*, ut patet ex *fregi*, *fragilis*, *fragmen*, *fractura*, & *fragor*, ſonus ex fractura. Imo etiam Celtis vocem haud inuſitatam fuiſſe, patet ex derivatis, quibus hodienum utuntur Cambri, cujusmodi ſunt, *breg* ruptio, fractura, & *braich* brachium, Armorice *brech*. Prius manifeſto eſt a *brechen* rumpere vel rumpi, ſed & poſterius, cum brachium in medio ruptum ſit. Et hinc Latinis quoque *brachium* dici, aut nullo aut eodem ſenſu, optime obſervat PEZRONIUS in Antiq. Celt. pag. 376. A ſimplici habemus innumera compoſita, quæ nolo hic ex Lexicographis deſcribere. Unum hic ſufficiat, quod *abbrechen* nobis eſt abrumpere, unde Gallis *abreger*. Cum utroque convenit Gr. βραχύνω corripio, breviter amputo, recido, βραχὺς brevis, quaſi abruptus, & Æolicum βρηγὴ fractura.

BRECHEN, ſcindere, ſecare, concidere. NOTKERUS Pſal. XXIX. 12. *du zebrachemina harrun*, concidiſti ſaccum meum. Locum & ſignificatum obſervavit SCHILTER. in Gloſſ. Teut. pag. 131. Græcis πρίω eſt ſeco, & πριστὸς ſectilis, ſectivus, manifeſta affinitate.

BRECHEN, in tropico dicendi genere, ſignificat quantum poteſt, (1.) *violare*, *prævaricari*, quoniam ii qui legem, fidem, & fœdera violant, videntur vincula humanæ ſocietatis rumpere. (2.) *obſtacula tollere*, quia obſtacula tollentes rumpentibus ſimiles ſunt. (3.) *debilitare*, quia debilitare eſt vires minuere. (4.) *diſcontinuare*, remittere continuationem, ſive id fiat *ceſſando* & *deſiſtendo*, ſive *migrando è loco*.

BRECHEN, violare, prævaricari. Cognoſcitur ex compoſitis & derivatis veterum. Gloſſ. Pez. prætergreſſi ſunt *firprahhun*. Gloſſ. Lipſ. *farbrokanuſſi* prævaricationes. SOMNER. in Dict. Angloſax. *borh-bryce* fidejuſſionis violatio, *grith-bryce* pacis violatio, *æw-bryce* adulterium. Latini eodem ſenſu dicunt *infringere mandata*, imo etiam *frangere* ſimpliciter. CICERO, *frangere fidem*, pro Roſcio Cap. 6. *factus frangere*, in Piſon. Cap. 12. Hodie præter ſimplex utimur innumeris compoſitis, cujusmodi ſunt, *verbrechen* delinquere, prævaricari, & ſubſtantive delictum, prævaricatio, *eidbrüchig* perjurus, *bundbrüchig* fœdifragus, *ébruch* adulterium, violatio fidei conjugalis.

BRECHEN, obſtacula rumpere. Inde *einbrechen* irrumpere, *durchbrechen* perrumpere. Gloſſ. Pez. irruerunt *inprahhun*. Cum vero animus quoque hominis ſua habeat repagula, quibus contra motus externos munitur: hinc *brechen* ad animum relatum, ſignificabit *fortiter commovere*. Inde *herzbrechend* miſericordiam vel ſimilem affectum movens.

BRECHEN, debilitare, vires frangere. OTFRIDUS Lib. I. Cap. V. 116. de Chriſto & Satana:

Thaz er nan in beche
Mit ketinu zibreche.
Ut illum in tenebris
Catenis compeſceret.

Hodie dicitur inprimis de animo. Inde formulæ, *den willen brechen* compeſcere petulantiam alicujus, *den kopf brechen* hebetare ingenium, *den mut brechen* cohibere impetum. Latinis *frangere* eodem ſenſu dicitur. Inde *animus fractus*, *opes fractæ*, & *vires fractæ* apud PROPERTIUM:

Frangit & attollit vires in milite cauſa.

BRECHEN, diſcontinuare, continuationem remittere. Inde *abbrechen* abrumpere ſermonem, *unterbrechen* interrumpere, *entbrechen* deſiſtere, ceſſare.

BRECHEN, decedere, migrare de loco, moram manendi in loco diſceſſu rumpere. Dicitur præcipue in compoſitis. Inde *aufbrechen* iter aggredi, *auf bruch* diſceſſus, exceſſus e loco. Quæ cum uſu longinquo ad Principes tantum, exercitus, aliosque magnos comitatus, non ad unum ſolum ſpectent, hodie ridicule ad privatos quoque extenduntur.

BRECHEN, paſſivo ſignificatu, proprie eſt *diſſolvi* vel *diſſolutionem continui pati*, & per ſynecdochen generis (1.) *rumpi*, *frangi*. (2.) *tabeſcere*, *corrumpi*, quia continuum putrefactione ſolvitur & rumpitur. (3.) *deficere*, *defectum pati*, quia deficere eſt debilitari, intermitti, & diminutionem virium pati.

BRECHEN, rumpi, frangi, *es bricht* rumpitur, frangitur.

BRECHEN, tabeſcere, corrumpi. Inde *anbruch* putrefactio, *anbrüchig* quod corruptionem patitur, *gichtbrüchig* qui morbo articulari contabeſcit.

BRECHEN, deficere, defectum pati, remitti in continuatione ſive bona ſive mala. Inde formulæ, *die kelte bricht* gelu intenſum remittitur, *die krankheit bricht* morbus remittit. Hinc porro Angloſaxonibus *brec* neceſſitas, indigentia, quod hodie effertur compoſite *gebrechen*.

BRECHEN, dicitur etiam vox humana, ſive active, quia ſilentium rumpit, ſive paſſive

ſive, quia a lingua, dentibus, & labiis, dum palatum tranſit, variis modis rumpitur. Inde *ausbrechen* in verba erumpere, ſive conſiderate ut prudentes, ſive inconſiderate ut ſtulti. Confer *ſprechen* loqui.

BRECHEN, plures habet ſignificatus, & facile inveſtigabiles, ſi priores in conſilium adhibeantur.

BRECHEN, fulgere, lucere, coruſcare. Hoc verbum cum præcedentibus nihil habet commune niſi antiquitatem. Hebræis *barak* eſt effulſit, coruſcavit, & ſubſtantive fulgur & fulgor. Celtis quoque notum fuiſſe, poſtea patebit ex derivato *brecht* fulgidus, omnibus veterum Dialectis, & Cambricæ quoque uſitato. Viguit adhuc ante quingentos annos. WINSBEKIA ad Filiam §. XI.

Weiſtu niht wie diu ſüſſe maget LUNET
nah lobe mit tugenden ranc,
Vil lihte öch dir das heil geſchiht,
Ob man dich nu durch frien Mut
ze wibes tugenden brechen ſiht.

An neſcis, ut dulciſſima virgo LUNETTA ad gloriam virtutibus contenderit? Forte etiam tibi hæc felicitas continget, Si te ingenuo animo virtutibus fœmineis coruſcare viderint.

GOLDASTUS in Animadverſ. pag. 448. varios adducit Poetas veteres, quibus ſtellæ micantes vocantur *brebende ſterne*, & ſplendor æſtatis *ſumers brehen*, & nitidæ herbæ *brehendes gras*, *brehender kle*, *brehender ſat*, prorſus ut *nitidæ fruges* LUCRETIO Lib. II. de Nat. rer. & *nitentia culta* VIRGILIO Lib. I. Georg. Hodie quidem deſiit, reliſtis tamen non nullis, quæ ad genus & poſteritatem ejus ſpectant. Talia ſunt, *anbrechen* illuceſcere, primitias lucis ſpargere, quod de die oriente dicitur, *brach-monat* Junius, menſis ſplendidus, a longiſſimis diebus & ſerenitate noctium ſic dictus, *brach-kæfer* cantharus, quod noctu fulgeat, *bracht* ſive *pracht* ſplendor & claritas principum in ædificiis, veſtimentis, & reliquo cultu.

BRECHT, clarus, lucidus, fulgidus. Cambris *berth* pulcher, nitidus. Gothis *bairhtaba* clare, perſpicue, Marc. VIII. 25. item ſplendide, Luc. XVI. 19. *in bairhtein* in aperto, Matth. VI. 6. quæ adjectivum *bairht* manifeſto præſupponunt. Angloſaxonibus *beorht*, *byrht* clarus, lucidus, fulgens, ſplendidus, *beorhte* lumen, lux, *byrhto*, *beorhtneſſe* ſplendor, claritas, interprete SOMNERO. Francis *beraht*, *bereht*, & contracte *breht* vel *berth*, clarus, ſerenus. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XVII. verſu 63. de Stella polari:

Then thu in berahtera naht
So kumo thar giſehan maht.
Quam in ſerena nocte
Vix conſpicere poſſis.

Islandis *biartur* clarus, perſpicuus, ſplendens, *biart ſverd* enſis politus & fulgens. Inde compoſita, *biart-eygdur* qui oculos habet claros, nitidos, & fulgidos, *biart-leitur* qui cute & facie eſt candida nitidaque, & cætera apud VEREL. in Indice. Quibus convenit Gr. βρεθωσαν, quod obſervante JUNIO apud Heſychium exponitur λάμπρυναν, hoc eſt, ſplendentem, nitentem. Cuncta ab obſoleto *brechen* fulgere, lucere. Ab adjectivo rurſus fit verbum apud Gothos. Hinc illis *bairhtan* (quod Islandis effertur *birta*) manifeſtare, quaſi in lucem collocare, Joh. VII. 14. & *gebairhtjan* illuminare, Luc. I. 79. Hodie & adjectivum, & verbum ab illo ortum, penitus ceſſant.

BRECHT, clarus, celebris, illuſtris. Senſus a luce ad gloriam & celebritatem translatus. Quod etiam Latinis placet, quibus *viri clari* ſunt viri illuſtres, qui in omnium luce verſantur. Hinc clarus, illuſtris Angloſax. dicitur *beorht*, apud SOMNER. Francis & Alam. *beraht*, *bert*, *breht*, *breicht*. Nam hæc omnia paſſim leguntur tam ſeorſim, quam in compoſitis, ob mobilitatem literæ R. in medio vocis. Gloſſ. Lipſ. *filoberth* præclara, *filuberthon* præclaris. Hodie ſuperat apud Anglos, quibus *bright* clarus, illuſtris, dum Germanis obſoleſcit. Ab hoc adjectivo rurſus formatum eſt verbum, clareſcendi & glorificandi ſignificatu. Hinc Francis *giberehton* clarificare, facere ut inclareſcat. TATIANUS CLXXVII. 1. *fater giberehto thinan ſun*, pater clarifica filium tuum, *thaz thin ſun thih giberehto*, ut filius tuus te clarificet. Inde Angloſaxonibus *geheorhtod* glorificatus. Ex eodem fonte eſt *birta* inclareſcere, quod habet VEREL. in Ind. Cuncta ab adject. *bert* vel *bereht* clarus, illuſtris, ut conſideranti patet. Et hoc ſenſu regnat etiam in Nominibus propriis Veterum, cujusmodi ſunt,

Apud Francos.

SIGEBERTUS, victoria clarus. Ultimus Ripuariorum Rex. Alamannis varie effertur, *Sigebert*, *ſigipret*, *ſigibert*, *Sikibrebt*, *Sikipret*, apud GOLDAST. in Ind.

DAGOBERTUS, miles clarus. Rex Auſtraſiæ. Alamannice *Tagabrebt*, *Tagaprebt*, *Tagepret*, *Tagebert*. Cætera vide in *Degen*.

CHILDEBERTUS, bellator clarus. Chlodovei filius. Alamannice *Hiltibert*, *Hiltebrebt*, *Hiltibrebt*, *Hiltipert*. Rationem interpretationis vide in *beld* & *child*.

BERTA, clara.

Apud Longobardos.

ADELBERTUS, nobilitate clarus. Alamannice *Adalbert*, *Adalpret*, *Adalpreht*, *Adilpert* &c.

GUNDIBERTUS, bello clarus. A *gund* bellum. Alamannice *Gundpreht*, *Gudpert*.

CUNIBERTUS, clari generis. A *kunne* genus, quod omnes veterum Dialecti agnoſcunt. Alamannice *Chunibert*, *Chuniprebt*, *Cuni-*

Cunipert, *Hunbert*, *Hunbreht*, *Huniprecth*. Aliam ejusdem nominis interpretationem vide in *kün*.

ARIBERTUS, prælio clarus. Ab *aer* prælium, quod Antiquo-Britannicum. Alamannice *Heribert*, *Heribret*, *Heripreht*.

Apud Alamannos.

LIUTPERT, *Liutbraht*, *Liutpret*, miles clarus. A *liut* miles, quod vide in *Leute*.

GISBERT, Geſus clarus. Quid ſit *geſus*, vide in loco.

MEGINPREHT, potentia clarus.

RUADPERT, *Ruopreht*, *Robert*, conſilio clarus.

ROBERTUS, id eſt *Ruadbertus*.

SADEPREHT, bello, prælio, vel conflictu clarus. Id enim Celtica Lingua ſignificat *ſawd*, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Quamvis etiam ſagitta clarum denotare poſſit, quia eadem lingua *ſaeth* eſt ſagitta.

SAUBERTUS, contractum ex *Saudbertus*, quod eſt a præcedenti *ſawd* prælium.

HUGOBERTUS, memoria vel prudentia clarus. Vide dicta in *bug* animus.

ALBERTUS, præclarus. *All* ſenſum intendit, & ex claro præclarum facit.

Et huc etiam ſpectat BRIGITTA clara, & alia innumera, quæ vulgo male explicantur.

BREGEN, cerebrum. Angloſax. *bregen*. A Græc. vel Lat. *βρέγμα* ſinciput, per metonymiam continentis pro contento. Similis origo ſynonymi *birn*, quod vide. In reliquis Dial. vox Angloſaxonica contrahitur in *brein* & *braine*, quod Belgis & Anglis uſitatum. G. in medio vocis ſæpe elliditur, aut mutatur in I.

BREIDEL, frenum, Dial. Belgica. Æoles dicunt *βριθὴρ*, Angloſaxones *bridel*, Franci *brittil* apud NOTKERUM Pſal. XXXI. 10. Galli *bride*. MENAGIUS vocem Æolicam, unde cæteris initium, deducit a ſimpliciori & magis genuina *βρίθη* habena, & hanc a *βρέω* traho. Germani eodem ſenſu dicunt *ziegel* a *ziehen* trahere.

BREIT, latus, ſpatioſus. Goth. *braid* Matth. VII. 13. Angloſax. *brad*, Franc. & Alam. *breit*, *preit*, Belg. & Suec. *breed*, Angl. *broad*, Island. *breidur*. TATIANUS Cap. XL. 9. *breit iſt phorta*, *inti uuit ueg*, lata eſt porta & ſpatioſa via. MARTINIUS deſumptum putat a *βάθος* via, mendoſo HESYCHII loco deceptus, ubi de Bardis Gallorum cantoribus, & non de viis Gallorum agitur. V. JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 99. Ipſe tamen viæ inhæret, quæ Islandis *braut*. Sed notio viæ a latitudine petita videtur, non hæc ab illa. Suſpicor *breit* idem eſſe quod *plat* vel *πλατὺς* latus, amplus, patens, unius literæ & ſatis frequenti in caninam mutatione.

BREIT, ſuperbus, *er macht ſich breit* faſtuoſum agit, *ſich breiten* ſuperbire. SOMNER. in Dict. Angloſax. *prut* ſuperbus, *prutian* ſuperbire, *prutlic* tumidus, inflatus, *pryt*, *pryde* ſuperbia, tumor. Gloſſ. Keron. elatus *preiteer*, elationis *preitii*, elationem *preitida*. Anglis *proud* eſt ſuperbus, *to be proud* ſuperbio, *pride* ſuperbia, arrogantia, faſtus. Similiter & Belgis *prat* eſt arrogans, ſuperbus, *pratte* tumor, arrogantia, *pratten* inſtari, arroganter reſiſtere. Græcis *ὀιδᾶν* & compoſite *παροιδᾶν* eſt intumeſcere, JUNII relatu, qui ab hoc compoſito reliqua deducit, ſenſu a tumore vulnerum ad animum nimia ſui æſtimatione turgentem translato, in Obſerv. ad Will. pag. 250. Noſtri Lexicographi tropum in voce agnoſcunt, ſed a *breit* latus petitum, quia ſuperbi limites ſuos excedunt, & juſto latius ſe extendunt. A *pryt* elatio, in quibusdam Dial. ſit *brutzig* ferox & ferociter.

BREITEN, dilatare, extendere, *ausgebreit* dilatatus. Gloſſ. Keron. dilatato *kipreittemu*. OTFRIDUS Lib. I V. Cap. IV. 99. *breiti thinaz richi*, extende regnum tuum.

BREM, ora, margo, cujuscunque rei, maris, vaſorum, veſtimentorum &c. Inde Angloſaxonibus *brymme* ora, margo, ripa, labrum, interprete SOMNERO: Germanis *brem*, *gebrem* fimbria, & hinc *bremen*, *verbremen* prætexere, limbo circumdare. Forte a *περαίνειν* finire, terminare, mutato N. in M. quod mutationis genus eſt valde frequens in omnibus Dialectis. Islandi fidelius cuſtodiunt N. dicendo *brun*, nos *braun* in compoſito *augbraunen*, quod vide.

BREMEN, pungere. Dicitur & *pfriemen* quod vide. Sed a *bremen* oriuntur,

brem, *bram* ſpina, vepres, ſentis. OTFRIDUS Lib. II. Cap. IX. 120. *in bramon mit then hornon*, in vepribus cum cornibus. Inde *brem-becke* dumus, ſpinetum, ſenticetum.

brem, ſepimentum vivum ex vepribus, apud HENISCHIUM.

brem, *brom* rubus, frutex humilis & ſpinoſus, *brem-beren*, *brom-beren* mora rubi. SOMNER. in Dict. Angloſax. *brembel*, *bremble*, *bremel* vepres, rubus, *brembel-æppel* pomum ſpinoſum.

brem geniſta, Angloſaxonice *brom*, quia, ſicut optime animadverſum MARTINIO, ramos habet inſtar ſtili ſeu radii inſpicatos; hinc etiam *erdpfriem* dicitur.

breme, *bremſe* crabro, inſectum aculeatum, Angloſaxonice *brimſa* apud BENSONIUM: non a Gr. *βέμβηξ* per literæ caninæ inſertionem, nec a *brummen* bombum edere, ſed a *bremen* pungere, ut reliqua. Inde *roſs-brem* muſca equis infeſta, œſtrus, aſilus, tabanus.

BREN, lorica, thorax. V. *brün*.

BRENNEN, urere, inflammare, facere ut ardeat. Actio ignis. Gloſſ. Keron. urat *prenne*. Gloſſ. Pez. vorans ignis *prennant az fiur*. NOTKERUS Pſal. CV. 18. *fiur gieng iro manigi an*, *loug pranda die ſundigen*, ignis exarſit in ſynagoga eorum, flamma combuſſit peccatores. Idem Angloſaxonibus *bærnan* Luc. XII. 49. Græcis *πυρὸν*, Latinis *burere*. Cuncta a Phrygio *πῦρ* ignis. Hinc illa

illa verbi forma, quæ literam caninam in loco nativo cuſtodit, antiquior cenſeri debet altera, quæ illam transponit, etiamſi non careat vetuſtate. Gothi inde habent *brinno* febris, quia urit, Marc. I. 31. Angloſaxones *brenning* crematio, uſtio, *bryne* incendium, ambuſtio, Franci *prenſan* cauterium in Gloſſis Pezianis, Islandi *brune* æſtus, *brennevargur* incendiarius, apud VEREL. in Ind. Gernani *brand* incendium, uredo, *breune* uſtio, inflammatio faucium & oris ventriculi, *breyn-neſſel* urtica urens, *mord-brenner* incendiarius, *verbrennen* comburere, *anbrennen* uſtulare, accendere, & alia innumera, quæ nullam habent difficultatem.

BRENNEN, ardere, flagrare, uri, comburi. Actio vel paſſio rei combuſtibilis. Gothis *brinnan* Joh. XV. 6. Angloſaxonibus *byrnan*, Franc. & Alam. *brinnen*, *prinnen*, Angl. *to bourne*, Suec. *brinna*, Island. *brenna*. Gloſſ. Pez. uror *prinno*. TATIAN. Cap. CCXXIX. 2. *unſer herta uuas brimenti in uns*, cor noſtrum ardens erat in nobis. Omnibus conſentit Hebræum *baar* arſit. Et omnium idem ortus a πῦρ ignis. Sic ab *eit* ignis derivatur *eiten* urere, & *eiten* ardere. Gothi inde habent *allbrunſti* holocauſta, ſacrificia quæ tota cremantur, Marc. XII. 33. Angloſaxones *byrnende leoht-fatu* ardentes lucernæ Luc. XII. 35. Franci *uuihvouh brunſti* incenſum, ſacer ſuffitus, apud Tatianum in Harm. Evang. Cap. II. 4. Islandi *brandur* titio, Germani *brunſt* ardor, conflagratio, *brand* titio, lignum ardens, conflagratio, *brenn-ſtein*, *bern-ſtein* ſuccinum, lapis uſtilis, *brenn-holz* lignum foco aptum, *verbrennen* conflagrare, & alia ſatis manifeſta.

BRENNER, ſummitates Alpium Rhæticarum vel Tyrolenſium. Græcis πρών & πρηών eſt eminentia montis, cacumen, vertex, a πρόειμι exſto, promineo: Cambris *bre* mons, collis, *breon* montes, *bryn* collis, Suecis *brink* clivus, declivitas montis. Ab his initiis, ſive Græcis, ſive Celticis, videntur deſcendere, nonſolum *Brennorum montium* (ſunt autem duo cæteris eminentiores) ſed etiam PYRENÆORUM, & gentium Alpinarum appellationes, cujusmodi memorantur in veteri Rhætia, BREUNI, BRENNI, BRENCI, BREONES, BRIONES, apud CELLARIUM in Geographia Antiqua Tom. I. pag. 529. edit. nov. p. 423.

BRENNUS, nomen celeberrimum, ſed obſcurum, de quo, proprium ſit, an appellativum, inter Germanos & Anglos diſputatur. Quot modis Germanis dicatur *brennen*, paulo ante expeditum. Hinc *brenner* quibusdam ſignificat ardentis animi hominem, æſtuantem, frementem, vel ab incendio belli incendiarium. Aliis *brenner* eſt galeatus, a *bren* galea, quamvis manifeſto in ſignificatu vocis errore, quem poſtea oſtendam in *brün* thorax. Priori ſententiæ favet SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 134. poſteriori HENISCHIUS in Theſ. Ling. Germ. & ipſe LUTHERUS in Nom. prop. Germ. Verum ſi *brenn* eſt vox Celtica, ut Linguæ Celticæ periti in Anglia contendunt, fruſtra in ſaltibus Germaniæ etymon ejus venabimur. Atqui Cambro-Britannis *brenin* eſt rex, *brenhinllys* aula regia, *brennindy* domus regia, *brenhiniaeth* regnum. BAXTERUS in voce BRENNUS: *Hodiernis Britannis rex dicitur brenin.* Quod miror BOXHORNIUM, qui cætera recenſuit, non annotaſſe. Leges Wallicæ, Sæculo IX. ſcriptæ, in Præfat. 3. *Hywel Dda o rad Duw mab Cadell Brenin Cymru oll*, Hœlus Bonus gratia Dei filius Cadelli Rex totius Cambriæ. Occurrit & *Brennin* cum duplici *n.* in iisdem Legibus Lib. I. Cap. XXIII. 3. Cap. XXVIII. 13. Quam ſcripturam, ceu antiquam & longe accuratiorem, vulgari præfert WOTTONUS, qui Leges illas ex Codicibus manuſcriptis eruit, interpretatione Latina donavit, & notis atque Gloſſario (utinam perfecto) illuſtravit. Addens: *Hinc, ut id obiter hoc loco adnotem, deducitur nomen* BRENNI *inclyti illius Gallorum Senonum Ducis, qui Romanos olim pene ad internecionem deleverat.* BRENNUS *enim eſt* BRENNIN, *Rex; appellativus pro proprio.* Hæc ille in notula pag. 44. Cui adſentitur BAXTERUS in Gloſſario Antiquitatum Britannicarum pag. 47. BRENNUS *Celtarum ſermone* REX *dicitur.* Hinc apud ſcriptores Græcos & Latinos BRENNUS eſt fere nomen omnibus Celtarum Regibus & Ducibus commune, quorum res geſtæ male ad unum Brennum referuntur. Alius enim Romam cepit, alius Delphos invaſit. Cauſa, cur Rex ita dicatur, non omnino in promptu eſt, niſi quod ex nominibus locorum editorum, antea productis, probabiliter colligitur, olim *bren* ſubſtantive eminentiam vel elevationem, adjective editum vel ſupremum denotaſſe. Sed cujuscunque notionis ſit nomen Regis Celticum, negari ſane vix poteſt, quin aliquod ejusdem ſoni vocabulum aliquando proprium fuerit virorum. Nam *Brenni* reperiuntur nonſolum apud Gallos, ſed etiam apud Caninefates, quos eadem cum Batavis lingua, h. e. Cattica & Germanica uſos eſſe, credibile eſt. TACITUS Hiſt. IV. 15. *Erat in Caninefatibus ſtolidæ audaciæ* BRINNO, *claritate natalium inſigni* &c. Ubi RHENANUS: *In libro regio legitur* BRINIO, *qui paulo poſt appellatur* BRIMIO. *Forte* BRINNO, *quem hodie* BRUNONEM *dicimus.* Hæc RHENANUS ad Tacitum, & meo quidem judicio recte. Nam BRENNUS, BRINNO, BRINIO, & BRUNO, idem denotare poſſunt, nempe clarum, ſi derivatio inſtituatur a verbo Islandico *bruna* coruſcare, quod ſiſtit VERELIUS in Indice. Idemque ſignificare poteſt BRIMIO. Nam *bryme* Angloſaxonibus eſt clarus, apud SOMNERUM & BENSONIUM. M. & N. ſunt literæ permutabiles.

BREST, *gebreſt*, defectus. Francicum. OTFRIDUS Lib. II. Cap. VIII. 28. *thes uuines iſt in breſta*, vini eſt eis defectus. Oritur a *brechen*

chen deficere, per medium derivandi ST ut alia multa in *Prolegom.* Sect. VI. Inde *breſthaft* mancus, mutilus, morbidus, cui ad integritatem corporis vel valetudinis aliquid deeſt.

BRESTEN, deficere, deeſſe. OTFRIDUS loc. cit. verſ. 22. *ioh braſt in thar thes uuines,* defecit eis tunc vinum. A *breſt* defectus. Hodie libentius dicimus *gebreſten*, quod vide.

BRESTEN, rumpi, rupturam pati, a *bruſt* ruptura. VEREL. in Ind. *breſta* frangi. TATIANUS Cap. XIX. 7. *bruſt thas iro nezzi*, rumpebatur rete eorum. Idem Græcis πρήσσεσθαι. Hodie dicimus *berſten*, levi mutatione: ſed à *breſten* habemus *braſſeln* fragorem edere ex ruptura. Differt a *breſten* deficere, etiamſi STADENIUS confundat.

BRET, aſſer, tabula ſectilis, lignum ſerratum, cuicunque uſui inſerviat, & ſynecdochice menſa, tabula, alveus &c. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *bord*, *bwrdd*, Gothis *baurd*, Angloſax. *bræd*, Franc. & Alam. *bret*, *pret*, Belg. *berd*, Angl. *board*, Suec. *bræde*. Gloſſ. Pez. tabula *prete*. Gloſſ. Keron. trabem *kepret*. JUNIUS denominationem a *breite*, h. e. à latitudine deſumptam putat, quod tabulæ fiant e trabibus in latitudinem præſectis. LAZIUS transpoſitis literis derivat a Gr. πέτευρον trabs, tignum, ſcandula. HELVIGIUS à πρίζειν findere, diſſecare, & hoc ab Heb. *patar* partitus eſt, vel *peter* pars, diviſio. Sed obſervare debemus, quod Angloſaxonibus *brytan* idem ſignificet quod Græcis πρίζειν. Teſtis BENSONIUS in Vocabulario. Vide *barten* ſecare. Ab hoc ſubſt. oriuntur compoſita in pluribus Dialectis. Inde

Cambris *tawlbwrd* abacus, alveus luſorius, a *tafel* alea, quod vide.

Gothis *fotubaurd* ſcabellum Matth. V. 35. hodie *fuſs-bret*.

Germanis *zal-bret* abacus, *ſpil-bret* tabula luſoria, & alia, quæ ſequuntur.

BRET-SPIL, ludus alveoli, *bret-ſtein* calculus luſorius. Græci Scriptores inventum tribuunt Palamedi Nauplii filio, qui bello Trojano interfuit, quamvis Homero non memoratus. At doctiſſ. HYDE, qui eam rem penitus examinavit in *Hiſtoria Nerditudii*, inventum ad poſteriora tempora refert, quamvis multis ſæculis Æræ Chriſtianæ anteriora, & Perſas laudat inventores.

BREUNE, morbus faucium. V. *brennen* urere.

BREUTIGAM, ſponſus. Angloſax. *brydguma* Matth. IX. 15. Francis *brutigomo*. TATIANUS Cap. XXI. 6. *ther brut habet ther iſt brutigomo*, qui habet ſponſam ſponſus eſt. Quod OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIII. 17. rhythmice ita exprimit:

Ther brut habet in uuar min,
Ther ſcal ther brutigomo ſin.

HELVIGIUS derivat ex γαμέτευτος connubio jungere, quaſi *breutigam* ſit γαμέτευτος per metathesin, qui connubio jungit. Ingenioſe magis quam vere. Nam proprie eſt *homo ſponſæ*, alias *brautman*. De ſponſa nullum eſt dubium. De viro conveniunt omnes Antiquitatis periti. Nam vir, homo, maritus Gothis dicitur *gumei* Marc. X. 6. Angloſax. *guma*, Francis *gomo*, *gomman*, Alamannis *comman*. Gloſſ. Keron. vir *comman*, viro *commanne*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXVII. 53. *ther gomo then ir zaltut*, vir ille quem vos dixiſtis. Inde GOMATRUDIS marito fidelis, quo nomine claruit Regina Francorum & conjux Dagoberti. Vocem Gothicam vide in *braut* ſponſa.

BREY, *brei*, puls, *brüe*, *brühe* jusculum, liquamen. Utrumque Angloſaxonibus dicitur *briw*, velut decoctum, a *brauen* coquere, quod vide. MARTINIUS in voce *puls*: Germ. *brüe* jus, & *brei* puls, affines voces ſunt: ſive à βρύειν diffluere, quod ſint liquida (etſi puls quoque fiat conſiſtens) ſive propius a *brawen* elixare. Hæc ille. Interim uſus hæc cognata ita diſtinguit, ut *brei* dicatur de eſculento, *brüe* de potulento.

BREZEL, ſpira panis. A Lat. *brachiale*, cujus figuram refert, auctore ECCARDO in not. ad Leg. Sal. pag. 56.

BRICK, murænula, alias *neunaug*, a novem ſiſtulis, quibus oculos mentitur. Revera enim eſt piſcis cœcus, & ideo a multis Scriptoribus *lumbricus fluviatilis* appellatur, quia oculis caret ut lumbrici, & per omnia illis ſimilis eſt. Hinc *brick* abſciſſum videri poteſt a Lat. *lumbricus*. Alii rationem nominis a ſimilitudine cum ſtimulo petunt. MARTIN. in v. *muræna*: *Sax. prick eſt ſtimulus.* Neſcio an ſatis apta metaphora.

BRICK, later. Angl. *brick*, Gall. *brique*, Lat. Barb. *brica*. Cuncta abſciſſa a Lat. *imbrex*, *icis*.

BRIEF, epiſtola, & quodvis breve ſcriptum. A Lat. *breve*, id eſt, breve ſcriptum, cujus uſus jam Sæculo IV. invaluit. VOPISCUS in Aurelio habet *breve*. JULIANUS in Epiſt. ad commune Judæorum βρεβία. EUSEBIUS in Hiſt. Eccl. Lib. X. Cap. 6. βρεβίων. HIERONYMUS Epiſt. 5. *brevia*. CAROLUS M. fœminine poſuit *breves* in Capit. an. 793. *De rebus, quæ Hildegardæ Reginæ traditæ fuerunt, volumus, ut fiant deſcriptæ* BREVES, *& ipſæ Breves ad nos ſint adductæ*. Hinc porro Latino-Barbaris *inbreviare* eſt inſcribere & in brevia referre, & *inbreviatus* inſcriptus. Prodiit autem in Civitatem Germanicam auctoribus Francis & Alamannis. KERO in Gloſſis: breve *priafo*. Ubi *breve* ponitur pro libello, in quo totius Monaſterii ſubſtantia eſt conſignata, ut patet ex Regula S. Bened. Cap. 32. Hinc porro natum verbum *priafan* & *gebriafan* inſcribere, in tabulas referre, quo utitur OTFRIDUS Lib. I. Cap. XI. 111.

Thaz uuir ſin al giliche
Gibriafte in himilriche.

Ut ſimus pariter omnes
Regno cœlorum adſcripti.

BRIEL, locus ſylveſtris. SOMNER. in Dict. Angloſax. *broel* vivarium, hortus cervorum. CANGIUS in Gloſſario: "*brolium, broilum, „briulum, brogilum*, nemus, ſilva, ſaltus, in „quo ferarum venatio exercetur: maxime „vero ſilva muris aut ſepibus cincta, unde „nominis etymon, quod a Græco περιβό„λιον effictum innuit Luithprandus. Gloſſ. „Gr. Lat. *conſeptum* περιβόλαιος. S. Hieronymus in C. 3. Ezech. περιβόλαιον, *quod nos vi„varium vel concluſum dicere poſſumus.*" Hodie *briel* ſuperat apud Suevos, dum reliquis Germanis obſoleſcit. Gallis prioribus *breuil* idem denotaſſe, teſtis MENAGIUS in voce. Hanc Celticam eſſe ſcribit, a *bro* ager oriundam. Sed hac etymologia agelſum cum luco confundit. Similem errorem committeret, qui *brogilum* derivaret a *bruch*, *broich* locus paluſtris.

BRIGA, vox Celtica, quæ in nominibus locorum *civitatem* & *pontem* ſignificat. Utérque ſignificatus eſt origine Germanicus, ille a *burg*, *birg* civitas, unius literæ & valde inſtabilis transpoſitione, hic a *brücke* pons. In veteri Hiſpania multæ fuerunt *Brigæ*, quas inter LACOBRIGA Ptolemæi, quæ hodie vocatur *Burgos*, præ cæteris memorabilis eſt, quia ſi nomen novum cum veteri contendas, ſtatim apparet, *Brig* & *Burg* interdum eſſe ſynonyma. De ſignificatu pontis poſtea videbimus in *brücke*.

BRILL, oculi vitrei. HENISCHIUS contrahit e Lat. *perſpicillum*. DIECMANNUS e Lat. Barb. *berillus*, quod CANGIUS interpretatur *conſpicilium*. Alias *beryllus* eſt vox & gemma Indica. ISIDORUS Lib. XVI. Orig. Cap. 7. *Berillus in India gignitur, gentis ſuæ lingua nomen habens.* Sed ex hac gemma non fieri conſpicilia, recte monet LEIBNITIUS in notis ad MYLIUM. Quæritur ergo, unde Latino-Barbaris ſit hic ſignificatus? Reſponderi poteſt, quod, cum *beryllus* Indicus ſit lapis lucidus, nomen ejus paulatim communicari cœperit aliis corporibus lucidis, & primo quidem *cryſtallo*, poſtea *vitro*, tandemque etiam *conſpiciliis*, quod ex utraque materia fierent. Et hanc originem confirmare videtur vox Germanica *barill*, *parill*, qualis erat majorum ætate, docente DIECMANNO. BESOLDUS *brill* arceſſit a *briller* ſplendere, micare, quo ſenſu etiam Itali dicunt *brillare*. Quod ſane non eſt ineptum, etiamſi DIECMANNO ita videatur, qui, ut hypotheſi ſuæ ſerviat, verbum Italicum & Gallicum deducit a *berillus*, favente quidem Academia Florentina, ſed negante MENAGIO, qui illud deflectit a *vibrillare*.

BRIN, thorax. V. *brün*.

BRINGEN, ferre, afferre, offerre, &c. Gothis *briggan*, Angloſax. Franc. & Alam. *bringan*, Belg. *brengen*, Angl. *bring*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *brimgan* ferre, afferre, *bringas* dona, ſacrificia, holocauſta, *brohte* allatus, oblatus. Gloſſ. Pez. tulerunt *prahtun*. Gloſſ. Keron. offerre *pringan*, offert *prinkit*, offerat *prinke*, offeratur *ſi prungan*, proferat *frampringe*, prætulerit *furipringit*. HELVIGIUS derivat a Gr. παρέχειν præbere, per epentheſin literæ N. ſuffragante JUNIO. Sane ſi quis hoc verbum cum noſtro loquendi uſu contendere voluerit, inveniet, Græcos illud eodem pene & latiſſimo ſenſu uſurpare. Illud vero N. quod uſus Græco vocabulo immiſcuit, rurſus extrudimus in præt. *gebracht*, exceptis Suevis, qui, cum linguæ veteris Alamanniæ ſint tenaciores, dicunt *gebrungen*.

BRINGEN, ducere, adducere, producere. Evang. Goth. Marc. IX. 17. *laiſari, brahta ſunu meinana du thus*, magiſter, duxi filium meum ad te.

BRINK, collis, Dialecto inf. Sax. apud LEIBNIT. in Gloſſ. Celt. pag. 99. Suecis *brink* eſt clivus, *brinkar* præruptæ, *brinkig* clivoſus. *Brink* eſt diminutiv. a *brynn*, quod Lingua Celtarum collem ſignificat. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *brynn* collis, *brincyn* cippus, colliculus. Duci hinc poteſt nomen BRENCORUM, populi in collibus & clivis Alpium Rhæticarum habitantis. STRABO Lib. IV. pag. 142. *Vindelici & Norici exteriores montes tenent cum* BRENCIS *& Genaunis, μεθ' τῶν Βρέγκων.* CASAUBONUS & CELLARIUS reſcribunt Βρεύνων, *Breunis*, auctoritate HORATII Lib. IV. Od. 14.

Druſus Genaunos, implacidum genus,
Breunosque veloces, & arces
Alpibus impoſitas tremendis
Dejecit acer, plus vice ſimplici.

Sed nihil in lectione mutandum, cum ſint duo nomina ejusdem populi, a diverſis vocibus formata. *Breuni* Horatii ſunt alpini a Celtica voce *breon* montes: *Brenci* Strabonis clivicolæ, a *brink* collis, clivus. Confer dicta in *Brenner*.

BRISACH, Mons Briſiacus in dextra Rheni ripa. Vox Germanica *aquam ruptam* ſonat, quod Rhenus ibidem inſulis quibusdam rumpitur, & forte montem ipſum, cui oppidum impoſitum, aliquando cinxit. Prior compoſiti pars eſt a verbo Francico *bruzan* rumpere & rumpi, quod vide in *bros* fragilis. Altera aquam & flumen ſignificat. A monte Briſaco totus pagus ſeu regio circumjacens vocatur BRISGAW. Vide CLUVERIUM Lib. III. Germ. Ant. Cap. 4.

BRISTEN, deficere. V. *breſten*.

BRITSCHE, xylagogium. V. *pritſche*.

BRIVA, pons. V. *bruck*.

BROCK, fruſtum cujuscunque rei, præcipue vero panis. Gothis *gabruko laibos* ſunt fragmentorum reliquiæ, Marc. VIII. 8. Angloſaxonibus *broc* grumus, *bryc* fragmen. Anglis *brocken meats* ſegmenta ciborum. Belgis *brok* fruſtum. Cuncta a *brechen* frangere, rumpere. A ſubſtantivo rurſus fit verbum *brocken* ſimili ſignificatu. Inde *brot*

brocken Belgis & Germanis panem in fruſta frangere, & *einbrocken* intritum facere. Latinos inde habere *embractum*, fatetur MARTINIUS in voce.

BRODEM. V. *bradem.*

BRODIEREN, acu pingere, aurum vel argentum intexere. Cambris *brodio*, Gall. *broder*, Island. *borda*, apud VEREL. in Ind. A *bord* ora, margo, quia limbi veſtium ſolent opere phrygio ornari.

BROS, fragilis. Cambro-Britannis *brau*, Belgis *broos*, Angl. *brittle*. Frangere Anglo-ſaxonibus dicitur *brytan*, Suecis *bryta*, Latinis *briſare* apud MARTINIUM. Francis *bruttan* & *bruzan* idem denotaſſe, patet ex derivato *brot* fruſtum, buccella, de quo poſtea, imo etiam ex ſenſu allegorico. Solent enim hoc verbi a proprietate ad caducam corporis conditionem traducere. Hinc illis fragilitas & debilitas vocatur *bruzi* & *prodi*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. V. 87. *thes lichames bruzi*, corporis infirmitas. Gloſſ. Keron. fragilitate *prodii*. NOTKERUS Pſal. LXXVII. 39. *daz teta er irbugendo iro brodi, daz ſie fleiſg ſint*, recordatus eſt quia caro ſunt. Proprie recordatus eſt infirmitatis eorum. Hinc porro homo ex carne genitus appellatur *bruzig man*, quia debilis, imbellis, & multis infirmitatibus obnoxius, apud OTFRIDUM Lib. II. cap. XII. 66. Quibus affine eſt Gr. *βροτὸς* homo mortalis, JUNIO obſervatum in not. ad Will. pag. 105.

BROSAM, mica. Antiquitatem vocis collige ex hac OTFRIDI de catulis rhythmo Lib. III. Cap. X. 75.

Thero brosmono ſih fullent,
Thie fon then disgin fallent.
Explentur micis,
Quæ de menſis cadunt.

Quemadmodum fructus Francis dicitur *uuahsmo*, apud interpretem TATIANI Cap. IV. 3. a *wachſen* creſcere: ita mica *broſmo*, a *bruzen* frangere vel conterere. *Mo* terminatio Francica eſt, quam poſteritas mutavit in *am*, per anaſtrophen.

BROSE, mica, *brœslein* parva mica. Italis *briccia* & *bricciola*. Angloſaxonibus *bryſan* & *brittan* eſt conterere, friare, interprete BENSONIO. Gallis *briſer* comminuere, idemque Anglis *to bruiſe*. Et hactenus *broſe* eſt mica friando vel attritu facta. A *broſe* rurſus fit *brœslen* in micas friare. Gothi micas vocant *drauhsnos* Joh. VI. 12. quaſi decidua panis, a *driuſan* cadere, quia dum panis fecatur aut frangitur, ſponte decidunt.

BROT, fruſtum, fragmentum cujuscunque rei. OTFRIDO buccella (obſervante Schiltero) diſerte vocatur *brot*, Lib. IV. Cap. XII. 74. *themo ih hiutu thiz brot*, cui porrexero hanc buccellam. In Evangelio Angloſaxonico fragmenta vocantur *gebrotu*, Luc. IX. 17. item *brytſena*, Joh. VI. 12. quæ vox diligentiam Lexicographorum effugit. In Lexico Runico pag. 216. *iſabrot* ſunt fragmina glaciei. Et in Lexico HESYCHII *βρύτταν* reliquiæ, quia fragmina ſolent reliniqui. Dicitur & allegorice de infractione legis. Hinc *lagabrot* in Indice VERELII eſt prævaricatio Legis. Cuncta a *brytan* frangere, quod vide ſupra in *bros*. Hodie obſoleſcunt.

BROT, panis. Camb. *bara*, Angloſax. *breod*, Francis *brot*, Alam. *prot*, Præcop. *broe*, Island. *braud*, Angl. *bread*, Belg *brood*, Succ. *bröd*. Gloſſ. Keron. panis *protes*. TATIANUS Cap. XV. 3. *in themo einen brote ni libet ther man*, in ſolo pane non vivit homo. Si conſenſum veteriſſimarum Linguarum ſequamur, nihil aliud denotabit quam cibum. Hebræis enim *baruth* eſt cibus, Græcis *βρωτὸν* quodvis eſculentum, *βρῶσις* cibus, *βρωσίμη* panis furfuraceus. Et Heſychio *βεβρώσιμα* ſunt eſculenta. Cuncta a notione comedendi. Nam edere, manducare Hebræis dicitur *barah*, Græc. *βρύκειν*, Goth. & Angloſax. *fretan*, Franc. *frezzen*, Belg. *vreten*, Germ. *freſſen*. Quæ etiamſi hodie aures noſtras offendant, & non niſi de animalibus aut gulonibus dicantur, antiquiſſimis tamen temporibus nihil aliud quam comedendi actum denotarunt. Hinc *brot* & *fraß* revera ſunt eadem, & in nulla re differunt, niſi literarum affinium commutatione. Utrumque recte dicitur de pane, quia panis glandibus ſucceſſit, primo hominum ante frumenti inventum cibo. Imo etiam *bek*, quod primum & veteriſſimum iſtius doni nomen eſt, ab ipſis panificii auctoribus, Phrygibus inquam, pani tributum, nihil aliud denotare quam cibum & eſcam, vel hinc colligere licet, quia *bag* Hebræis cibus, & *φάγω* Græcis comedo. Ut adeo *brot* ad modulum Phrygiæ vocis tanquam primitivæ formatum videri queat. Cambrica & Tatarica vox vel laborant apocope, vel a Gr. *βορᾶ* cibus ſunt deſumptæ. Alii tamen malunt a fragilitate denominare, quia primi & veteriſſimi panes, præcipue apud Orientales, erant placentæ tenues, ad fracturam magis quam ſciſſuram factæ. In qua ſententia verſatur STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 147. Secundum hanc etymologiam *brot* idem erit quod *bros* res fragilis, de quo ſupra. At SCHILTERO *brot* eſt ipſum fragmentum, & diſtinguitur a *laib*, ſicut fruſtum ab integro, in Gloſſ. pag. 136. Secundum hanc etymologiam appellatio partis ad totum erit traducta. Nos noſtro etymo inſiſtimus.

BRUCH, fractura, ruptura. Vocabulum Celticum & antiquiſſimum. Cambris *breg*, Francis *bruch*, Græcis Dial. Æol. *βρηγή*, Gall. *breche*. WILLERAMUS IV. 3. *dine buffelon ſint ſamo der bruch des roten apfeles*, genæ tuæ ſunt inſtar fracturæ mali punici. Convenit Heb. *perek* diruptio, laceratura. Refer ad *brechen* frangere, rumpere, verbum omnibus antiquis uſitatum, & Hebræis quoque atque Græcis agnitum. Translatum eſt antiquitus ad veſtes, ad loca, ad mores, imo

imo etiam ad morbos, ut mox videbimus, ſignificatu primævo ubique cuſtodito.

BRUCH, femoralia. Gloſſ. Keron. femoralia *pruah.* ISIDORUS IX. 4. *rehtunga iſt brucha ſmero lumblo*, juſtitia eſt cingulum lumborum ejus. Idem Armoricis *brag* apud PEZRON. in Ant. Celt. pag. 423. Angloſax. *bræc*, VERELIO in Indice *bracca*, Belg. *broek*, Angl. *breeches*, Gall. *brayes*, Ital., *brache*. Inde Græcis βράκα, Latinis *bracca*. DIODORUS SICULUS de populis Galliæ & Germaniæ: *Caligas, ab illis* BRACCAS *nominatas, geſtant.* Quas, cum Romani primum in Gallia Narbonenſe vidiſſent, inde *Braccatam* denominarunt. Sunt, qui inventum hujus veſtimenti Sarmatis tribuant. LUCANUS Lib. I. Pharſal.

Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis
Vanglones Batavique truces.

POMPONIUS MELA de ſitu orbis: *Sarmatæ totum braccati corpus.* Si quis tamen rem ex nomine æſtimet, haud gravatim adſentietur SPERLINGIO, STADENIO, aliisque viris doctis, qui hoc genus veſtimenti ſic dictum putant a *brechen*, quaſi inter femora diviſum. Revera autem eſt, non a *brechen* frangere, ut illi exiſtimant, ſed a *brechen* ſcindere, ſecare, quod ſupra produxi. De phallothecis in femoralibus Sueuorum & Helvetiorum vide FERRARIUM in *brache:* De *tubrugis* Longobardorum CANGIUM in voce.

BRUCH, locus paluſtris, ager paludibus interruptus. Belgis *broek*, HESYCHIO βραγὺς, Latino-Barbaris *brocia* & *bruſcia*. A *brechen* rumpere. Quorſum etiam ſpectare videtur, quod fracturæ locorum & præcipue montium Latinis vocantur *anfractus*. Terram paludoſam Weſtfaliæ multis ibidem locis nomen *Bruch* conciliaſſe, conſtans traditio eſt. Imo etiam BRUCTERÆ nationis, olim quidem exciſæ, poſtea vero ſub BORUCTUARIORUM nomine (quamvis alio loco) renatæ, appellatio a paludibus deduci ſolet. Confer nomina propria a *wer* vir oriunda.

BRUCH, infractio legis. Angloſaxonibus *bryce* eſt violatio, & inde *æw-bryce* adulterium, *gryth-bryce* pacis violatio, *borgbryce* fidejuſſionis violatio, *full-bryce* plena pacis violatio, *ſam-bryce* ſemiplena violatio. Refer ad *brechen* violare, prævaricari. Hodie non utimur niſi compoſitis, cujusmodi ſunt *ehebruch* adulterium, fœderis conjugalis violatio, *friedens-bruch* pacis publicæ violatio, & alia ſine numero.

BRUCHE, mulctæ ex infractionibus legum. Senſus a culpa ad pœnam translatus, & Weſtfalis præcipue uſitatus. Quod non debet inſolens videri, cum idem in aliis quoque Dialectis uſu veniat. Sic pœna, mulcta Cambris dicitur *ffyrfed*, Anglis *forfet*, etiamſi proprie ſit nomen delicti, ut dixi infra in *Forlegani*. Sic *murdrum*, quod proprie eſt homicidium, interdum etiam mulctam pro homicidio ſignificat. Apud Hebræos quoque culpæ & pœnæ perpetua permutatio.

BRUCHIG, fragilis. Sed in compoſitis putris, languens, morbidus, a *brechen*, tabeſcere.

BRUCK, *brück*, pons. Angloſax. *bricg*, *brigge*, Belg. *brug*, Angl. *bridge*. HELVIGIUS & CASAUBONUS transponunt a Gr. γέφυρα pons. SKINNERUS, qui hunc pontem, quo tam diſſitæ voces conjunguntur, invenire non poteſt, origines Germanicas commendat, quales ſunt *ober-rück* ſupra dorſum fluvii, vel *ober-ig* ſupra aquam. Quamvis *ig*, prout ipſe fatetur, non aquam, ſed inſulam ſignificet. Omnes ſupponunt, *bruck*, *bricg*, & reliqua, eſſe nomen *pontis*, cum proprie ſint *ponticuli*, & deminutiva a ſimpliciori *bro*, *bru*, quo totus Septemtrio utitur. VEREL. in Ind. *bro* pons, *broa* pontes ſternere, *bryggia* ponticulus per quem e navibus in terram deſcendimus. Carmen Runicum in Lit. Run. OL. WORMII: *iiskollum bru breida*, glacies pontium latiſſimus. Quemadmodum igitur a *ſon* ignis fit *funk* igniculus, ita a *bru* pons fit *bruk* ponticulus, quia K. eſt medium faciendi diminutiva. Reſtat ut oſtendam, unde ſit illud *bru* vel *bro*. Veriſimiliter eſt Græcæ originis a πέρα trans, ultra, ſupra, vel a περάω transeo, trajicio, ut *bram* ponto, de quo ſupra. Interim *bruk* pro ponte valde antiquum eſt, quod vel hinc colligere licet, quia *Briga* multa oppidorum nomina terminat apud veteres Hiſpanos, Gallos, & Britannos, præcipue eorum, quæ ad ripas fluminum ſita ſunt, cujusmodi ſunt in Itinerariis antiquis,

BRIGA ISARÆ, pons Iſaræ, hodie *Pont-Oiſe*.
CATOBRIGA, pons militaris, oppidum Hiſpaniæ. V. *Cat.*
SAMAROBRIGA, pons Samaræ. Qui fluvius hodie dicitur *Somme*.

Plura conſignavit CLUVERIUS Lib. I. Germ. Ant. Cap. 7. Nec quenquam morari debet, quod in Exemplaribus ſæpe legimus *Briva* pro *Briga*. Nam G. V. W. ſunt literæ permutabiles in omnibus Dialectis. Adde, quod Danorum lingua pons nonſolum *broo* ſed etiam *brove* dicitur. Fides ſit penes CLUVERIUM. Neſcio annon GAMBRIVII huc ſpectent. Nam *gam* priſcis virum ſignificat, ut oſtendi in *breutigam*. Hinc *Brivigami*, & præpoſtera compoſitione *Gambrivii*, ſunt pontium ſtratores, & fortaſſe ſic dicti, quod regio eorum eſſet paluſtris, & pontibus abundaret.

BRUDELN, æſtuare, fervere. Gr. βράσσειν, βράζειν. L. eſt nota frequentativi.

BRUDER, in genere dicitur, cui eadem origo, ſive genus ſpectes, ſive ſolum natale. Sed alia eſt etymologia generis, alia patriæ & loci communis. Celtica Lingua *bru* eſt venter, uterus, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Ab hoc primitivo is qui iis-

dem mecum parentibus natus eſt, Cambris & Armoricis vocatur *brawd*, Græcis φρήτηρ apud HESYCHIUM, Latinis *frater*, non quaſi *fere alter*, ut multi nugantur, etiam NIGIDIUS apud GELLIUM, Perſis *berader*, Gothis *brothr* Marc. III. 17. Angloſaxon. *brothor* ibidem, Francis & Alam. *bruoder*, *pruader*, Hibernis (quorum lingua veteſtiſſima) *brathair*, Procop. *bruder*, Belgis *broeder*, & per ſyncopen *broer*, Angl. *brother*, Suec. *broder*, Island. *brodur*. Gloſſ. Keron fratres *priadra*, fratribus *pruadron*, fraterno *pruaderlihhera*. Cuncta a *bru*, per medium derivandi *D.* vel DER, quia fratribus unus uterus, unus ſanguis, una natura. Hinc etiam Latinis *uterini* vocantur. In Civitate Dei *fratres* dicuntur, qui ex uno ſemine ſpirituali renati ſunt, qui unum habent Patrem Deum, unum primogenitum Jeſum Chriſtum, unam matrem Eccleſiam, unum cibum ſacrum Euchariſtiam, unam hæreditatem regnum cœlorum &c. LUCIANUS de morte Peregrini: *Legislator primus ipſis perſuaſit, alios aliorum omnes eſſe Fratres.* Loquitur de Chriſto & Chriſtianis. Hoc ſenſu *bruder* ſæpiſſime occurrit in Literis Apoſtolicis & Actis Apoſtolorum. Etymon JUNII, ſed parum probabile, vide in ſecundo ſignificatu.

BRUDER, popularis. Oritur a Celtica voce *bro* patria. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *bro*, *broydd*, patria, regio, *brodorion* indigenæ. Hunc ſenſum proſequitur JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 100. eumque a populariibus ad fratres translatum eſſe exiſtimat. Quod nec credibile, nec dictu neceſſarium eſt, & fratrem uterinum eum ejusdem regionis homine perperam confundit. Certum eſt, veteres Germanos omnes gentis ſuæ homines univerſe *fratres* appellaſſe. Teſtis PLUTARCHUS in Mario pag. 419. *Teutones per Legatos a Mario ſibi Fratribusque agrum & oppida poposcerunt, quæ ad ſedes ſuas ponendas eſſent ſatis. Percunctante Legatos Mario de Fratribus, Teutones nominarunt.*

BRUDER, civis, incola ejusdem loci. Belgis *poorter*, transpoſita canina. Hic ſenſus videtur oriri a Thracica voce βρία civitas. Thracum lingua βρίαν urbem denotaſſe, teſtes locupletiſſimi ſunt STRABO in Geographia, & STEPHANUS de urbibus. GRÆVIUS Belgicam vocem deducit a Sax. *bord* domus. Quod neſcio an peritis ſit perſuaſurus. Vide eum in notis ad Gloſſ. Iſid. in voce *bomhycinare*.

BRUDER, dicitur etiam de iis, qui, etiamſi fratres non ſint, fratres tamen referunt, ſive affectu & mutua charitate, ſive convictu & conſortio. Hinc chariſſimus quisque ſæpe vocatur *bruder*, & Græcis contribulis φράτωρ.

BRUDER, in multis compoſitis ſignificat ſocium, ſeu participem ejus rei cui annectitur. Inde *wall-bruder* ſocius peregrinationis, *ambts-bruder* collega, *ſauf-bruder* combibo, & alia innumera, ſatis clara.

BRUGEL, fuſtis. Diminutiv. a Celtico *brig* ramus, quod extat inter voces Antiquo-Britannicas apud BOXHORN. in Lex. Nam ab initio videtur denotaſſe ramum decerptum vel deciſum, a *brechen* frangere, ſecare, & poſtea fuſtem, ab uſu cædendi. Ibidem lego *brysgyll* baculus, ſceptrum, ſcipio.

BRUHE, liquor, liquamen, *brühen* aqua ferventi perfundere. Scribe *brüe*, & vide *brey*.

BRUHL. V. *briel*.

BRULLEN, rugire, boare. Vox a ſono terribili leonis, aut bovis, aut cœli tonantis facta. Dicitur de tonitru Hiob XXXVII. 4. & de leonibus Eſa. V. 29.

BRUMMEN, murmur edere. Gr. βρέμειν, βρομεῖν, Lat. *fremere*, Angloſax. *breman*, *bremman* apud BENSON. Dicitur de urſis Eſa. LIX. 11. & indignantibus Jer. XLVIII. 36. Belgæ eodem ſenſu *brommen*, Sueci *brumma*. Omnes fortaſſe a ſono murmurantium aut frementium.

BRUN, pectus. Vox Celtica, quæ Cambris Celticæ linguæ cuſtodibus effertur *bron*, Suecis & Islandis *bringa* diminutive. VEREL. in Ind. *bringa* pectus, thorax. Cum pectus inſtar monticuli ſupra coſtas aſſurgat, dubium non eſt, quin appellatio ejus tropica ſit, & a colle petita, qui Celtica Lingua vocatur *brynn*. Auctor etymi elegantiſſimi eſt BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *brynn* col„lis, *bron* pectus, mamma, uber, mammil„la. Sic Arm. ſignificat etiam collem, ut „fœm. a *bryn*, unde & mammam videtur ſi„gnificare ob ſimilitudinem monticuli. Hæc ille. Sed unde ſit *bryn* pro colle, non indicat. Manifeſto autem eſt a Græc. πρών, πρηών, eminentia. Hic eſt primus vocis ſignificatus, qui poſtea a colle ad pectus, & a pectore ad tegumenta pectoris translatus eſt.

BRUN, munimentum pectoris, thorax, lorica. Angloſaxon. *byrn*, Francis *brun* & diminutive *brunia*, Suecis *bringa*, Island. *bryn* & *brynia*, Sorab. *brun*, Lat. Barb. *brunia*, *brynia*. SOMNER. in Dict. AS. *byrn* thorax, *gebrynged byrn* lorica. Gloſſ. Pez. thorace *prunni*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. I. 29. de ſignaculo crucis:

Iſt uns thaz giruſti
Brunia ala feſti.

Quæ verba ita ſunt reddenda: *Nobis eſt hoc inſtrumentum Thorax valde firmus.* Additur ibidem: *Ioh helm ubar thaz*, & galea præterea. Quia crux nonſolum in pectore, ſed etiam in fronte ſignari ſolet. VEREL. in Ind. *brynia* lorica, *bringa brynia* lorica annulis ferreis concatenata, *bryniolaus* non loricatus, ſine lorica, *brynjumeiſtarar* fabri loricarum, *brynia* lorica armare. Proprie eſt *peclorale*. Quemadmodum enim Latinis *thorax* primo eam corporis partem, quam pectus vocamus, poſtea vero armaturam, qua pectus cingitur, ſignificat: ita

noſtris

noſtris a *brün* pectus ſit *brün* pectorale, e ferro vel corio præparatum. Errorem noſtratium, qui *bruniam* galeam criſtatam interpretantur, merito notavit LOCCENIUS in Antiq. Sueo-Goth. Lib. III. Cap. 2.

BRUN, omnis armatura thoraci vel loricæ ſimilis. VEREL. in Ind. *brynglo* chirothecæ loricatæ, *brynhoſor* fœmoralia & tibialia loricata, *brynkolla* caſſis, *brynſtukur* manicæ loricarum. In Fragmento de Bello Saracenico Caroli M. verſ. 2600. occurrit compoſitum *helmbrun*, quod SCHILTERUS *ſpeciem mixtam* vocat, revera autem eſt *galea loricata*.

BRUN, tegmen, *augenbrün* palpebræ, tegumenta oculorum, Hiob III. 9. Extat & Lat. Barb. *bruna* pro tegumento altaris apud STADENIUM in Voc. Bibl. pag. 96. Senſum a tegumentis militaribus ad generalem tegendi notionem perveniſſe, ex ſcala ſignificationum ſatis manifeſtum. Quamvis etiam a πρέας ſuper, ſupra, factum eſſe poſſit.

BRUN, fons. A βρύειν ſcaturire, emanare. Conſenſum antiquitatis vide in *born*, quod idem.

BRUN, urina. Ejusdem originis, quia urina eſt humor, qui per varios meatus excernitur inſtar fontis. Utitur MATHESIUS, & alii boni auctores.

BRUNZ, urina. A Gr. βρύων ſcaturigo per metatheſ. & dicitur de humore emanante, quia fonticulo ſimilis. Inde *brunzen* urinam reddere, facere ut emanet. Vulgus cum his vocibus neſcio quam ſpurcitiem conjungit, ut ruſticum & incivile ſit, iis uti, quamvis in ſe ſint modeſtæ & verecundæ.

BRUNST, quatenus derivatur a *brennen* uri, ardere, ſignificat quantum poteſt, & dicitur (1.) de ardore vel æſtu. Gloſſ. Keron. ardor ætatis (lege æſtatis) *prunſt des ſumares*. (2.) de incendio. (3.) de rebus quæ totæ cremantur, ut holocauſta & ſuffitus. Exempla veterum vide in fonte. (4.) de impetu in venerem. Inde *hirſchbrunſt* catulitio cervorum.

BRUST, cujuscunque ſit ſignificatus, oritur a *brechen* rumpi, per medium derivandi ST. ut alia multa ſimiliter facta in Prolegom. Sect. VI. Et hinc adjective *fractum*, ſubſtantive *fracturam* & *pectus* ſignificat.

BRUST, fractus, *armbruſt* baliſta, arcus brachio fracto ſimilis.

BRUST, fractura, ruptura. Gloſſ. Pez. voraginem *erdpruſt*. Hodie cataracta in multis locis vocatur *wolkenbruſt*, quaſi ruptura nubium. Et huc etiam ſpectat compoſitum antiquum ex Lege Alamannorum & Bajuvariorum *pulebruſt* fractura oſſis ex verbere, cujus verum ſenſum contra falſas doctorum interpretationes, reſtitui in *beule* ictus. A *bruſt* rurſus fit *breſten* rumpi, rupturam pati.

BRUST, pectus. Gothis *bruſts* Luc. XVIII. 13. Angloſax. *breoſt* ibidem, Francis *pruſt* & *burſt*, Belg. *borſt*, Angl. *breſt*, Suec. *bröſt*, *bryſt*, Island. *brioſt*. TATIANUS Cap. CLIX. 2. *mitthiu er lineta obar burſt thes heilantes*, cum recubuiſſet ſupra pectus Jeſu. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. mamillæ *pruſti*. Gloſſ. Pez. pectoralis faſcia *pruſtuoh*. Gloſſ. Boxh. *pruſtroch* protorax, *pruſtueri* propugnacula. JUNIUS detruncat a Gr. πρόσθιος anterior, quia pectus eſt pars corporis anterior, unde vulnera adverſo pectore excepta vocantur πρόσθια τραύματα. Sed melior & verior origo haud dubie eſt ea, quam ſolerti cogitatu invenit ECCARDUS in not. ad Leg. Sal. pag. 49. ubi *bruſt* derivat a *berſten*, *breſten* frangi, quia in pectore coſtæ, acſi fractæ eſſent, coëunt. Hæc, inquam, meliora ſunt, nec tamen omnino idonea. Nam *berſten* revera eſt a *bruſt* ruptura, & *bruſt* nunquam eſt verbale a *berſten*, ſed potius derivativum a *brechen*, ſicut ab initio dictum. De veritate hujus etymi nemo dubitare poterit facile, qui noverit, hunc eſſe linguæ noſtræ antiquiſſimæ genium, ut eriam aliæ corporis partes, quas natura vel inciſione vel ruptura aut alio diviſionis genere notavit, ab illa nomen accipiant. Ita membrum vocatur *lid* a ſectione, poples *ham* ab inciſione, manus *kam* a digitis fiſſis. Vide ſingula ſuis locis. Metonymice dicitur de animo, quia in pectore intimos animi motus ſentimus.

BRUSTEN, *ſich brüſten*, ſuperbire, inflari. Gloſſ. Pez. dilatatus *priſtenter*. Proprie dicitur de mammis turgentibus, vel oſtentationis cauſa inflatis, tropice vero de ſuperbis, quia ſimiles ſunt fœminis & puellis, quæ mammas ſuas ambitioſius inflant. Utitur Luth. Pſal. LXXIII. 7.

BRUT, fœtus, fœtura, *brüten* fovere incubando, *ausbrüten* fœtificare, excludere pullos. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *bredan* fovere, *bridde* pullus, *brodige henne* gallina incubans. Gloſſ. Pez. fovit *prutta*, fovens *pruotanti*. Græcis πυριᾶν eſt fovere, calefacere. Hinc omnium radix videtur eſſe πῦρ ignis, visignea, calor naturalis.

BRUTTEN, frangere. V. *bros* fragilis, & *brot* fruſtum.

BRUTZIG, ferox & ferociter. V. *breit* ſuperbus.

BU, bos, vacca, apud Celtas. A voce naturali *mu*, quam vide.

BU, vox naturalis puerorum potum petentium. V. MARTINIUM in *bua*, & RELANDUM in Diſſert. de Americanis pag. 150.

BUB, puer, parvus & magnus. Latinis *pupus* eſt parvus puer, *pupa* parva puella. Græcis βῦπαις grandis puer. HELVIGIUS & HENISCHIUS tribuunt Hebræis *abib* puer, & *bob* puſio fuit. Cambris *baban* eſt pupus & pupa. Hinc colligit SCHILTERUS, *bub* eſſe vocem Celticam, in Gloſſ. Teut. pag. 70.

BUB, ſervus. Cauſa transferendi fuit, quod ſervi plerumque e grandioribus pueris legerentur. Inde *ſtallbub* ſervus a ſtabulo, *hundsbub* ſervus a canibus venaticis. Habent & Latino-Barbari ſuos *Bubios* & *Bubones*,

nes, id eſt, lixas, calones, & militum ſervos, quos hodie *troſsbuben* appellamus.

BUB, homo perdite malus, nequam, fur, ſcortum maſculum &c. Cauſa vituperandi fuit ingenium pravum, petulans, & vafrum ſervorum. Idem accidit vocabulo *dieb*, quod ante ſervum quam furem denotavit. Inde *bubenſtuck* flagitium, *lotterbub* homo vilis, *bübiſch* ſceleſtus, *huren und buben* ſcortari & prædicare, *bübin* meretrix, *büberei* præderaſtia.

BUCH, liber, volumen, codex. Gothis *bok* Luc. IV. 17. Angloſaxon. *boc* ibidem, Franc. & Alam. *buoch*, *puach*, Belg. *boek*, Angl. Suec. Island. *book*, *bok*, Danis *boog*. Gloſſ. Keron. volumen *puah*, codex *puach*, codice *puacho*. Gloſſ. Pez. archivo *puach chamaro*, membranis *puohfellun*. TATIANUS Cap. V. 1. *buoh cunnes*, liber generationis. Cum *liber* & *fagus* iisdem pene nominibus apud nos deſignentur, hinc HELVIGIUS in Orig. Dict. Germ. & poſt eum WORMIUS in Literatura Runica Cap. 1. exiſtimavit, appellationem librorum a materia quæſitam eſſe. Quibus adſtipulatur SKINNERUS in Etymologico Anglicano: *Omnia fortaſſe a fago, quia ſcil. olim fagimis corticibus ſcribebatur apud veteres Germanos, ut apud Græcos tiliaceis.* His conjecturis multa favent impenſe, (1.) ætas lignea literarum, de qua aliquid dixi in *graben* ſcribere. (2.) vetuſtiſſima eruditorum nomina, a quercubus deſumpta, qualia ſunt *Druidarum* & *Saronidarum* apud Celtas, de quibus alibi. (3.) quod literas *baculos*, & paginas *folia* vocamus. (4.) quod fagus ante fruges inventas fuerit arbor ſacra, & præ cæteris arboribus digna, cui literarum ſecreta, inventum plane divinum, concrederentur. (5.) quod *liber* proprie ſit *cortex*, & poſtea *codex*, ab antiqua ſcribendi materia ſic appellatus. Et his rationibus fateor me aliquando fuiſſe inductum, ut ſententiæ laudatæ accederem. Nunc autem hæſitare incipio: non quod liber ſit res nova in Germania, ſed quod nunquam fuerit e ligno vel cortice, & quod illi libri, qui nobis innotuerunt, aliunde appellari potuerint ab antiquis. Nam a *büegen* ſinuare, flectere in ſinum, naturaliter ſit *bog* volumen, quia volumen eſt res ſinuoſa. Placuit hæc etymologia inprimis MARTINIO, nec non STIERNHIELMIO in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 30. ubi verba: "Quin *bog* „derivetur a *biegen* flectere, convolvere, „nullum mihi eſt dubium. Eadem enim de „cauſa Libri dicti ſunt antiquis *Volumina*, „quod eos convolverent ad ſimilitudinem „cylindri, ut hodieque faciunt Muſcovitæ „& Turcæ„. Tandem & hoc obſervandum, quod omnis rem litterariam exercens inde nomen acceperit apud Antiquos. Hinc *ſcriba* Gothis dicitur *bokareis* Matth. VIII. 19. Angloſaxon. *bocere* ibidem, Francis *buochari*. TATIANUS Cap. LI. 1. *gieng tho zuo ein buochari*, acceſſit tunc unus Scriba.

BUCHE, arbor e genere glandiferarum, cujus nomen manſit apud plures Gentes eodem pene ſono. Græcis dicitur *Φηγὸς*, Latinis *fagus*, Angloſax. *boc*, Franc. *puocha*, Angl. *beech*, Sax. inf. *bök*, *bük*, Lex. Run. *bog*, Belg. *beukenboom*, Suec. *hagebuketræ*. Gloſſ. Ælf. in nom. arb. æſculus *boc*, fagus *boc*, faginus *becen*. Gloſſ. Pez. fagus *puocha*. SERVIUS in 1. Ecl. *Quod ſub fago dicitur jacere, allegoria eſt honeſtiſſima, quaſi ſub arbore glandifera, quæ fuit victus cauſa. Antea enim homines glandibus veſcebantur; unde etiam fagus dicta eſt ἀπὸ τῦ Φαγεῖν, quod eſt comedere.* HELVIGIUS in Orig. Dict. Germ. „*Buch*, *buchbaum*, Sax. *boke*, παρὰ τὸ Φηγεῖν, „Φαγεῖν, id eſt, comedere: eo quod olim „ante frugum inventionem, rudes artis mo„litoriæ piſtoriæve homines, Quercuum „(de quarum genere & Fagus, & ab eſca „prædenda item nomen ſortita *Eſculus*) „fructu ac glandibus victitarent. MARTINIUS in Lex. Philol. Nullum opinor ſe„culum fuit tam rude, quo frumenti uſus „non eſſet cognitus: etſi in cibum ea quo„que verterent, quæ ſine magno labo„re & paratura eſſent obvia: unde a Φαγεῖν „merito Φηγὸς dici potuit.„

BUCHE, arbor e genere acerum, alias *hagenbuche*. Gloſſ. Pez. carpinus *hoganpuocha*. Alia hic etymologia opus eſſe video. Nam carpinus non eſt arbor glandifera, nec durus aut fragilis, ſicut fagus, ſed flexilis & tractabilis, & jugis jumentorum comparandis idoneus, teſte VITRUVIO Lib. II. Cap. 9. Ducam ergo a *büegen* flectere.

BUCHEN, lavare, macerare lixivio. V. *beuchen*.

BUCHHOLZ, nomen multorum locorum in Germania, præcipue villarum. Appellative ſignificare poteſt ſylvam quercubus & carpinis abundantem, vel ſylvam & hortum cervorum. Poſterior ſenſus naſcitur a *bock* cervus.

BUCHS. V. *büx*.

BUCHSTAB, litera. Gloſſ. Keron. litteras *piahſtaba*. Gloſſ. Lipſ. *buokeſtaf* littera. Gloſſ. Pez. characteres *puohſtapa*. Idem Angloſaxonibus *boc-ſtaf*. Proprie eſt baculus librarius, & dicitur de litera, quia primæ Germanorum literæ baculis ſimiles erant. Vide quæ de origine literarum ex baculo recto expoſui in *ſtab* litera. Majores noſtri ante Odinum videntur literas & literarum ſtudia plane ignoraſſe: nec id mirum, cum Martem unice colerent Deorum omnium ſtolidiſſimum. Hoc elogio Martem ornavit ERASMUS Epiſt. 413. ad *Huttenum*, militem perdoctum.

BUCHT, curvatura littoris, littus maris ſinuoſum, *wendiſche buchs* ſinus Venedicus. VEREL. in Ind. *bogt* curvamen, curvatura. Refer ad *büegen* curvare, flectere in ſinum, & confer *bug* ſinus.

BUCKEL, gibbus, & quicquid gibbo ſimile. Proprie eſt colliculus, utpote diminutivum a *backe* collis, quod eſt a *büegen* curvare, convexum facere. Dicitur autem per meta-

metaphoram de gibbo, quia gibbus eſt monticulus in dorſo, nec de gibbo tantum, ſed etiam de aliis rebus, quæ in ſimilitudinem colliculi vel gibbi inſurgunt. Inde Cambris *buccl* puſtula, tuberculum in cute: Anglis *buckle* fibula, quia gibboſa: Germanis *buckel, pockel* bulla, *buckel im ſchild* umbo, pars clypei eminentior: Latino-Barbaris *buccula*, eodem ſenſu, apud CANGIUM in Gloſſario. Poſtea a parte formari cœpit appellatio totius. Hinc clypeus Francis dicitur *buccelere*, Belgis *beukelaar*, Anglis *buckler*, Gallis *bouclier*, Islandis *buklari*, Cambris *buccled*. Gloſſa antiquo-Theotiſca apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 123. *bukelere* pelta, parma. VEREL. in Ind. *buklari* ſcutum ligneum ferro munitum. JUNIUS has voces componit ex *bocken-leer* corium hirci, quod hujus potiſſimum animantis corio parmas olim inducerent. Quomodo etiam Latinis *ſcutum* a σκύτος, h. e. a corio dicitur. Sed longe veroſimilius eſt, nomen clypeo a parte gibboſa quæſitum eſſe, quomodo etiam Latinis *umbo* ante extumidum & prominens quid, quam clypeum denotavit, ſicut pluribus oſtendit SCALIGER in Varron. Hinc porro *buccularius* proprie eſt faber ſcutorum, non faber galearum, ut doctores vulgo interpretantur. VEREL. in Ind. *buklara* fabri clypeorum.

BUCKEL, dorſum. Aliud diminutivum, a *bach* tergum, quod vide.

BUCKEN, *ſich bücken* curvari, *gebückt* curvatus, inclinatus, *bückling* inclinatio corporis. HELVIGIUS transponit e Græc. κύπτω, κυπεῖν, pronum eſſe. Quamvis etiam domi naſci potuit a *bach, back* tergum. Nam *bücken* proprie eſt caput humerosque ita demittere, ut tergum appareat. Vel, ſi mavis, a *bügen* ſubtus flectere.

BUCKLING, halec paſſa, vel fumo torrefacta. Plerisque placet origo vocis a fœtore hircino. CASAUBONUS tamen a πηγός, h. e. ab atro colore derivat. MARTINIUS mallet a *backen* in fumo coquere.

BUDE, domus, manſio, habitatio, & quicquid habitationi ſimile, ut diverſorium, taberna &c. Vox antiquiſſima, quæ Hebræis effertur *bet*, Cambris *bod*, Sorab. *buda*, Polon. *bauda*, Latino-Barb. *boda* apud CANGIUM. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *bod* manſio, habitatio, *bwth* tugurium. FRENZEL. in Orig. Sorab. pag. 427. *buda, bauda* in genere manſio, ſedes, locus, hoſpitium, in ſpecie taberna, tugurium mercatorum & taberna meritoria, popina, diverſorium, ſtabulum. Vox Celtica & Slavonica videtur e Germanico ſemine orta, vel a *beiten* manere, vel a *byan, buan* ædificare. BUDAM Hungariæ, & alia locorum, quibus a tabernis initium fuit, nomina, inde deducit FRENZELIUS. A *bude* porro exiſtit diminutiv. *budel* manſiuncula, domuncula, quod hodie effertur *büttel* in nominibus locorum WOLFENBÜTTEL & EISENBÜTTEL, quæ certe nihil aliud ſignificant quam *Guelfonis* & *Iſonis manſionem*, ut recte docet ECCARDUS in Hiſt. Stud. Etymol. pag. 318.

BUDELHUND, canis villoſus. Sicut Latinis *villus* a μαλλός, ita noſtris *budel* a μαλλωτός villoſus. Literæ labiales ſolent permutari in omnibus linguis. Aliis eſt canis aquaticus. Hic ſenſus rectius ducitur a Phrygio βέδυ aqua, cujus uſus Græcis Poëtis familiaris eſt, & aliquando etiam majoribus noſtris fuit, quia inde habemus *baden* aqua abluere.

BUEL, *bübel*, collis, tumulus, monticulus. NOTKERUS Pſal. CXLVIII. 9. *perga unde buola*, montes & colles. OTFRIDUS Lib. IV. cap. XXVI. 89.

Ioh bittet ouh thie hubila
Thaz ſie iuih theken obana.
Vertit SCHILTERUS:
Et rogabitis etiam colles,
Ut vos tegant deſuper.

Diminutiv. a *backe* collis. Nam K. & H. ſunt literæ convertibiles. Oppidum DINCKELSBÜHL nomine ſuo *zeapolim*, vel *zeacollem* indicat. Cum voce Notkeriana conſentit Gr. λόφος per anaſtrophen.

BUFFEL, bos ſylveſtris. Celtica lingua *bu* eſt bos, & *al, el*, alius, alienus, peregrinus. Totum compoſitum Armoricis dicitur *bual*, apud PEZRON. in Antiq. Celt. pag. 335. hoc eſt, bos extraneus. Græci videntur inde formaſſe βύβαλος, Latini *bubalus*, nos ab illis *büffel*. PLINIUS ſcribit Lib. VIII. Cap. 15. *Uris & Biſontibus Germaniæ imperitum vulgus Bubalorum nomen impoſuiſſe.* Neſcio, cur vulgo indignetur. Nam Uri omnium judicio ſunt boves feri, & ſi quos Africa gignit *Bubalos* cervi ſimilitudine, illi potius imperite vocantur *Bubali*.

BUFFEN. V. *puffen*.

BUG, armus. Gloſſ. Boxh. *puac* armus. VEREL. in Ind. *bog* armus, *bog-limar* brachia & tibiæ. Refer ad *bügen* flectere, quia armus eſt commiſſura, cujus junctura facillime flectuntur. Inde *vorder-bug* & *hinder-bug* armus anterior & poſterior animalis.

BUG, curvatura, circulus. A *bügen* curvare, flectere in circulum. Dicitur antiquitus nonſolum de circulo, ſed etiam de aliis rebus quæ flexum circuli imitantur, cujusmodi ſunt (1.) coronæ, annuli, armillæ &c. SOMNER. in Dict. Angloſax. *beh, beah, beage* corona, ſertum, armilla, monile, *wuldorbeag* corona, laurea, *ſcanc-beagas* periſcelides. Gloſſ. Pez. armilla *armpouch*. VEREL. in Ind. *baugr* annulus, armilla. Inde Gallis remanſit *bague* pro annulo, quod MENAGIUS male ducit a Lat. *bacca*, gemmam & circulum confundens. (2.) ſcuta, umbones, arcus. Inde Angloſaxonibus *beah* clypeus, *rand-beah* umbo: Cambris *bwa* arcus, *boglyn* umbo. Vide plura in *bogen*, & confer *buckel* gibbus.

BUG, ſinus. Gloſſ. Pez. ſinu *piugin*. Idem Angloſaxonibus *byge*, Anglis *bay*. Cuncta

ex eodem cum præcedenti fonte, quia ſinus eſt curvatura littoris. Hodie dicimus *bucht*. Quod differt a *bug*, ut derivativum a verbali.

BUGEL, diminutiv. a *bug*, quatenus curvaturam & circulum ſignificat. Inde *ſteig-bügel* circuli ferrei quibus equus adſcenditur.

BUGEN, *beugen*, *biegen*, flectere. Angloſax. *bigan*, *bygan*, *bugan*, Franc. & Alam. *biegen*, *piugen*, Belg. *buigen*, Island. *beygia*, Suec. *böya*, Angl. *bow*. Evang. Angloſax. Matth. XXVII. 29. *and bygdon hyra cneow beforan hym*, & flectebant genua ſua coram eo. Inde *gebogen* flexus, in omnibus veterum Dialectis. Si HELVIGIO credimus, erit origine Hebræum, a *capha* recurvavit, transpoſ. ſyllabis. Dicitur autem ſenſu latiſſimo, non ſolum de iis rebus, quæ juncturas habent, ut cervix & genua, ſed etiam de aliis, quæ partes habent obſequentes, & flectenti non reſiſtunt, ut palmites, ſurculi, laminæ &c. Allegorice utimur tam bono quam malo ſenſu. Sic animum ad meliora, jus ad deteriora flecti dicimus. Et huc etiam ſpectat ex Indice VERELII: *baugeidur* juramentum a vero declinans.

BUGEN, *beugen*, *biegen*, curvare, flectere in circulum vel curvitatem. Angloſaxonibus & reliquis ut ſupra. Gloſſ. Keron. incurvatus *kepoganer*. Lege *kepoganer*. Gloſſ. Boxh. *unkipoganlihhan* inflexibilem. VEREL. in Ind. *beygia* curvare, inflectere, *biugur* incurvus, *bogt* curvamen, curvatura, *bugr* curvatura.

BUGEN, *beugen*, *biegen*, ſinuare, arcuare, flectere in concavum vel convexum. Cambri inde habent *bogail* umbilicus: Germani *bauch* venter, *biegeln* arcuare lintea, & hinc porro *biegeleiſen* ferrum lævigatorium.

BUGEN, *beugen*, *biegen*, hamare, flectere in angulum. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *bachu* hamare, *bach* hamus, uncus, harpax, harpago, *bachiat* curvitas. Inde Angloſaxonibus *byge* angulus, *bygar* anchones, *anes wealles byge* muri anchones.

BUGEN, *beugen*, *biegen*, torquere, rotare, in ſe ipſum flectere. Gloſſ. Pez. torques *halspauch*. Latinis quoque torques a torquendo dicitur.

BUGEN, *beugen*, *biegen*, ſubtus flectere. Allegorice ſubigere, domare, ſubjugare, quia domiti ſimiles ſunt jumentis, quorum colla ſub jugum curvantur. Inde *unbeug ſam* contumax, refractarius, qui flecti & domari nequit.

BUHEL, *bül*, collis. V. *büel*.

BULBE, bulbus, βολβὸς, allium ſylveſtre. Omnia a rotunditate. Cognationem vide in *bolen* vertere.

BULE, amicus & amica. Utitur Luth. Eſa. LXII. 4. & originem nominis hanc tradit Tom. IV. Lat. Jen. *Vocabulum Baal non maritum, ſed amaſium ſignificat. Nec dubium eſt, quin factum ſit inde Germanicum bul & bulen.* Fuit aliquando tempus, cum Principes hoc nomine ſe mutuo ſalutarent, quod ex Chronico SPANGENBERGII & HAMELMANNI oſtendit STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 149. cujus fide etiam verba LUTHERI citavi.

BULEN, procari, amorem ambire, *buler* procus. Neſcio an alia origine opus ſit quam Græca a φιλεῖν amare, cui conſentit *lieben* trajectis literis. HELVIGIUS tamen Hebræis tribuit *baal* amore flagravit potiundi, & hinc ipſum φιλέω deducit. Apud Septentrionales vituperatur. VEREL. in Ind. *gilia*, *frija*, *beela* amoribus irretire. Similiter & Suecis *bola* eſt ſcortari, *bolare* ſcortator, *bolery* ſtuprum, fornicatio. Inde Luthero *bulerin* pravo ſignificatu Sir. IX. 3.

BULGE, bulga. V. *balg* ſaccus.

BULL, *boll*, bos, taurus, præcipue communis & inſitor gregis. Angl. *bull*, Camb. *bwla*. An a *bulen* procari, ſcortari? Ita videtur ſentire STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 150. Sed neutrum convenit tauro. Malim cum STILERO referre ad *bellen* mugire, boare. Apud Batavos transfertur ad vagæ libidinis homines, qui vel ſcorta alunt, vel ab illis aluntur. Inde *poll* ſcortator, concubinus, cui ſimile Græc. παλλακὶς amaſius.

BULLE, diploma ſigillo munitum, præcipue Cæſaris & Pontificis. Nomen habet a ſigillo, quod Scriptoribus medii ævi vocatur *bulla*. Jus prov. Alam. Cap. CLIII. 1. *des Babeſtz inſigel heizzet bulla*, Papæ ſigillum appellatur bulla. Haud dubie ab orbiculari figura, aut eam imitantur, vocari ſolent *boll* in quam plurimis Dialectis, ut demonſtravi in *bolen* volvere, vertere. De bullis ſive ſigillis aureis, argenteis, plumbeis, cereis, pluribus agunt SPELMANNUS & CANGIUS.

BULLE, vas potorium, poculum, cyathus &c. Angloſax. & Lat. Barb. *bolla*, Island. *bolli*, Angl. *bowle*. VEREL. in Ind. *bolli* poculum, patera rotunda, *bolla-horn* cornu potatorium. Idem in Herraudi Saga: *bolla* vas rotundum & capax in modum bullæ aquæ innatantis factum. Videtur ergo deducere a Lat. *bulla*, quatenus eſt puſtula aquæ. Sed minus exacte. Nam vera dictionis cauſa eſt, quod *boll* primo dicitur de ſphæra, poſtea de omni eo quod ſphæricum, inprimis de capite & ventre, & ob ſimilitudinem ventris de omni vaſe rotundo & ventroſo, tam potatorio quam menſurario. Nec aliunde Græcis πυελὶς ſcyphus, & Latinis *ampulla*. Vide quæ paulo ante de ſigillis monui.

BUMEDE, munuſculum pro licentia nubendi oblatum vel offerendum. Vocem ex Lege quadam Lotharii Imp. anno 1035. promulgata ſiſtit clar. ESTOR in Comment. de Miniſt. pag. 130. Quamvis difficile ſit, de vocibus ſemel tantum occurrentibus, & a recentiori ævo fictis (quæ ingenia magis torquere ſolent quam remotiſſimæ antiquitatis cimelia) ſententiam dicere, conabor tamen ex partium conſideratione totius compoſiti ſenſum oſtendere. Componitur autem, ni fallor, ex *bu* domus, familia, & *med* munuſcu-

ſculum. Illud locutu Islandicum, hoc Angloſaxonicum eſt. VEREL. in Ind. *bu*, *bo* domicilium, familia, *bu-kot* tugurium, pauperculorum domicilium, *bu-laus* qui domum & familiam non habet, *bu-madr* œconomus, *bua*, *bo* habitare. SOMNER. in Dict. AS. *med*, *mede* merces, præmium, ſtipendium, *med-ſceob* munus, donum, *med-ſceatt* idem. Huc facit, quod inſcio & invito Domino uxores ducere, ſervis permiſſum non erat. Id quod CANGIUS in voce *maritagium* pluribus demonſtrat. Hinc auguror, *bumede* illud munuſculum denotaſſe, quod ſervi vel ancillæ Dominis ſuis pro impetranda matrimonii facultate offerebant.

BUND, tegmen capitis, *türckiſcher bund* tegmen capitis turcicum. Proprie eſt faſcia, a *binden* ligare. Anglos & Gallos inde habere *bonnet*, exiſtimant SKINNERUS in Etymologico, & SCHILTERUS in Gloſſario.

BUND, fœdus. Novum & allegoricum, legitime tamen factum a *binden* ligare, obligare, quia fœdera ſunt promiſſa, quibus paciſcentes tanquam vinculis ſe mutuo obſtringunt. Alii effingunt a Gr. σπονδὴ confœderatio, vel a Lat. *ſpondeo*, abjecto ſibilo.

BUNDEL, *büntel*, farcinula. Ejusdem affinitatis. V. *bindel*.

BUNDSCHUH, calo, vel potius ſolea lignea, ab amentis, quibus pedi alligatur, ſic dicta. Nam *bond* Dial. Angloſaxonica, & hodie *bound* Anglica, eſt ligatus. Ruſticos anno 1502. tumultuantes ab hoc viliſſimo calceamenti genere, tanquam miſeriæ ſuæ teſte, globum ſuum nominaſſe *den bundſchuh*, exiſtimat Cl. KEYSLERUS in Antiq. Sept. pag. 171.

BUNE, laquear, lacunar, locus editus & tabulatus, *ſchau-büne* theatrum. Vox origine Sorabica, a *bjnu*, *sbjnu* extollere, levare in altum, quod ſiſtit FRENZELIUS in Orig. Sorab. pag. 996.

BUNGE, tympanum. Extat in Carmine, quod *de Tympano nuptiali* compoſuit ROSTIUS Poëta Saxoniæ inferioris haud illepidus, ubi inter alia ſic ludit:

De Bunge thom erſten geit : bum bibe bum,
Men trummelt un tummelt ſick rund, bund herum &c.

Tunditur autem fuſtibus. Et hinc illi nomen a pulſando quæſitum. Verba hunc ſenſum generantia vide in *bengel* fuſtis, & confer dicta in *herpaucke*. SUIDAS habet βάκλα, τύμπανα, quod proxime abeſt a *bunge*.

BUNT, *bund*, varius, variegatus, verſicolor. Dicitur præcipue de coloribus pratorum, poſtea etiam veſtium, aliarumque rerum. Vide ergo annon idem ſit, ac *floreus* vel *floridus*, ab ἄνθος flos, vel ἀνθεῖν florere, coloribus variegari, per digamma Æolicum?

BUNTEL. V. *bindel*

BURD, onus, pondus, ſarcina. Vox antiquiſſima, quæ Perſis effertur *bar* apud CLODIUM in Lexico Turcico, Græcis φόρτος & βρίθος, Angloſax. *byrthen*, Francis & Alam. *purdi*, Angl. *burthen*, Island. *byrd*, Gallis *fardeau*, Cambris *bwrn* apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Gloſſ. Keron. onus *purdi*. Gloſſ. Pez. pondus *purdi*. VEREL. in Ind. *byrda* onus quantum quis portare valet, *axlbyrd* onus quantum humeris portari poteſt. Dicitur etiam de gravidis, quæ pignus mariti in utero portant. Inde *byrd* onus ventris vel fœtus, apud VEREL. ibidem. Cuncta à *bæren* ferre, portare, quamvis non eodem naſcendi modo.

BURDEN, quatenus derivatur à ſubſt. *bürd*, ſignificat quantum poteſt, (1.) portare onus. BENSON. in Voc. Angloſax. *byrdian* ſuſtinere. Hinc *burdones* Ulpiani ſunt muli oneri ferendo nati. (2.) onerare, imponere onus. Inde *aufbürden* gravare.

BURG, vas, ſponſor, fidejuſſor. Gloſſ. Pez. fidejuſſor *purigo*. BENSON. in Voc. AS. *borh* fidejuſſor, *borh-bryce* fidejuſſionis violatio, *wær-borh* fidejuſſor ad capitis æſtimationem perſolvendam. Refer ad *bergen* cavere. A *bürg* rurſus fit *bürgen* fidejubere, & inde compoſita *verbürgen*, *aushürgen*, noti ſignificatus. Cambris *bargen* eſt ſponſio, haud dubie a *bürgen*.

BURG, quatenus derivatur a *bergen* defendere, munire, ſignificat quantum poteſt, *munitionem*, *locum munitum*, & ſyneccdochice *locum habitandi communem & utcunque munitum*, oppidum, vicum, arcem, caſtellum &c.

BURG, munitio, *wagenburg* carrago, munitio ex curribus conſertis. CÆSAR de acie Arioviſti: *Omnem aciem ſuam rhedis & carris circumdederunt*. Et de Helvetiis: *pro vallo carros objecerant*. Plura dabit CLUVERIUS Lib. I. Germ. Ant. Cap. 50.

BURG, locus habitandi munitus. Loca autem munita cenſentur, primo ea, quibus ſilvæ, flumina & paludes munimentorum vices præſtant. Talia erant habitacula Anglorum, Varinorum, aliorumque, de quibus TACITUS: *ſtuminibus aut ſilvis muniuntur*, Cap. 40. de M. G. Secundo ea, quæ foſſis, aggeribus, aut ſepimentis cinguntur. Qualia permulta fuiſſe in veteri Germania, credibile eſt. Quamvis enim *nullas Germanorum populis urbes habitari*, a TACITO proditum ſit Cap. 16. multa tamen ſuadent, hunc Taciti locum de urbibus muro cinctis intelligendum eſſe. Nam cætera locorum munimenta Germanis haud ignota aut inuſitata fuiſſe, aliunde conſtat. CÆSAR *oppida Suevorum* paſſim commemorat. Et Ubiis auctor atque monitor eſt, *ut ſe ſuaque omnia in oppida recipiant*. Quod concipi non poteſt, niſi fuerint in ipſo loco aliqua contra latrones aut incurſus hoſtiles præſidia. Poſt Cæſarem PTOLEMÆUS in Germaniæ Magnæ Tabula XC. amplius oppida retulit, ſitu cujusque mathematica diligentia definito, in quibus aliqua ſunt, quorum nomina in *Burg* deſinunt, ut TEUTOBURGIUM, ASCIBURGIUM, LAGIBURGIUM, VISBURGIUM.

GIUM. Plerique interpretes per *Burgia* hic ſimplices vicos & domorum collectiones intelligunt, quaſi terram fodere, & aggerem ſecuritatis gratia excitare, a conſuetudine Germanorum iſtius temporis abhorreat, quod ſane falſiſſimum. Nam de Angrivariis memoriæ proditum eſt apud TACITUM Annal. II. Cap. 19. *Latus unum* (ſilvæ aut paludis) *lato aggere extulerant, quo a Cheruſcis dirimerentur.* Quanto facilius & expeditius fuit, latera unius pauperculi oppidi, quam integræ ſilvæ aut paludis, aggere cingere? Denique etiam loca muris cincta, ut ſunt arces & caſtra, eodem nomine, quamvis ſerius, appellari cœperunt. Hoc unum & noviſſimum muniendi genus eſt, quod Germana ferre libertas non poterat. Tenêteri in Oratione ad Agrippinenſes muros civitatis *munimenta ſervitii* vocant, atque ut detrahantur poſtulant, apud TACITUM Hiſt. IV. Cap. 64. Hinc nulli unquam muri oppidani apud veteres Germanos inventi, etiamſi arma a Romanis ad Albim usque & ultra ſint prolata.

BURG, urbs, civitas. Evang. Goth. Matth. XXVII. 53. *inngaggandans in tho weihon baurg*, introëuntes in ſanctam civitatem. TATIANUS Cap. XXV. 1. *ni mah burg uuerdan giborgun ubar berg giſezzita*, non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita. SOMNER. in Dict. AS. *burg* urbs, civitas, *burgbrice* urbis violatio, *burh-ealdor* urbis vel oppidi præfectus, *burh-riht* jus civile, *burhſcipe* territorium, *burh-waru* cives, municipes, oppidani &c. VERELIUS in Ind. *borg* civitas, oppidum, *hofudborg* metropolis, *borgarmenn* cives urbani &c. Inde Latino-Barbaris *burgus*, Gallis *bourg*, Italis *burgo*. Vocem Celticam vide in *briga*.

BURG, arx, caſtrum, caſtellum. Gloſſa antiqua apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 84. *burch* caſtrum, caſtellum turritum & munitum. VEGETIUS de re milit. Lib. IV. Cap. 10. *Caſtellum parvulum, quem Burgum vocant.* Inde DISPARGUM Deuſonis caſtrum. Vox Græca πύργος turris, non eſt mater, ſed ſoror originis, ut patet ex radice *bergen*, qua melior nulla excogitari poteſt. Qui ſecus ſtatuunt, coguntur adferre, hunc eſſe primum vocis ſignificatum, ab arcibus limitaneis & parte earum potiſſima ad urbes ſignificandas translatum, & omnes Germaniæ Antiquæ *Burgos* ex caſtellis Romanorum ortos eſſe. Id quod falſiſſimum, & vel ex nominibus locorum a PTOLEMÆO recenſitis refellitur.

BURG, curia, palatium. Extat apud SOMNER. loc. cit.

BURG, ſepulcrum. V. *bergen* ſepelire.

BURGDIENST, ſervitium in Burgo præſtandum.

BURGER, civis, oppidanus. Camb. *bwrgaiv*, Gall. *bourgeois*, Lat. Barb. *burgenſis*. Reliqui utuntur compoſitis, de quibus antea. Gothicam vocem vide in *bauer* civis.

BURGFRIED, immunitas loci, urbis, arcis, palatii, item pax jurato data de mutua ſecuritate.

BURGGRAF, comes caſtello & circumjacentibus agris præpoſitus, Lat. Barb. *Burggravius*.

BURGHUDE, cuſtodia caſtelli. Refer ad *hüten* cuſtodire.

BURGMANN, homo caſtello infeodatus & militiæ adſcriptus.

BURGSTALL, rudera deſtructorum caſtrorum apud Alamannos, interprete GOLDASTO Tom. I. Rer. Alam. pag. 110. V. *teilen* vaſtare.

BURGWART, cuſtos caſtelli, Comes caſtrenſis, item præfectura Burgenſis, munitio loci &c. Tot enim habet ſignificatus, quot a radice *warten* admitti poſſunt.

BURSCH, ſocius, ſtudiorum & cujuscunque diſciplinæ. Sapit originem Bohemicam, & Academiæ Lipſienſi, Coloniæ (ut Annales docent) Pragenſi, coævam. Nam *towarſch* Sorabis dicitur ſocius, ſodalis, contubernalis, *towarſchka* ſocia, *towarſchu* ſocietatem vel conſuetudinem cum aliquo habere, teſte FRENZELIO in Orig. Sorab. pag. 807. Voces alienas capite truncari, & W. in B. mutari, quid magis obvium? Si tamen oſtendi poſſit, vocem ante jacta Univerſitatis hujus fundamenta, Germanis uſitatam fuiſſe, de origine ejus aliter ſtatuendum eſt. Nam *bourſier* & *burſarius* Gallis & Latino-Barbaris dicitur is, cui ex *burſa* vel arca publica ſtipendium præbetur. Hoc vulgus noſtrum potuit mutare in *burſch*, & primo accipere pro ſtipendiario, poſtea pro omni Academico.

BÜRSEN, *bürſchen*, venari. V. *birſen*.

BURSTE, verriculum ſetaceum. V. *borſt* ſeta.

BURT, quatenus eſt a *bæren* parere, ſignificat partum. Inde *afterbürde* ſecundæ. In quo compoſito *bürde* non ſignificat onus ventris, alias in compoſitione eſſet ſuperfœtatio; ſed partum, quia ſecundæ ſunt id quod poſt partum editur, & hinc alias vocantur *aftergeburt*.

BURT, quatenus eſt a *bæren* gignere, procreare, ſignificat nativitatem, generationem, & genus paternum maternumque. Angloſaxonibus *byrd* eſt nativitas apud SOMNERUM, Islandis *byrd* nativitas & genus apud VERELIUM. Hodie dicimus *geburt*; Sed a ſimplici derivamus *bürtig* nativus, & hinc porro conſtruimus *ebenbürtig* par genere & dignitate nativa, *vollbürtig* legitime natus ex utroque parente, *wanbürtig* ſpurius, illegitime natus, vitio naſcendi laborans.

BURT, locus naſcendi, ſolum natale, patria. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *bro*, *broydd* patria, regio, *bwrdais* municeps, civis, burgenſis. A *bæren* ut antecedens. Gothi & Franci utuntur compoſito *geburt*, quod vide.

BURTIG, oriundus. A *burt* patria. Saxones inferiores ſolent dicere *bortig*. Hoc LINDEN-

BROGIUS in Gloſſario deduxit a *bord* domus; idque mirifice placuit GRÆVIO in notis ad Gloſſas ISIDORI in voce *bombycinare*. At quando de ſolo natali quæſtio eſt, tunc certe non quærimus, qua domo, ſed qua civitate vel regione aliquis oriundus ſit.

BURTZEL, cauda, *bürtzeln* caudam præcidere. Proprie eſt pars extrema animalis, ovis, anſeris, anatis, a *bord* extremitas, per medium derivandi *ſel*. Aliud eſt *bürtzel* in genere herbarum. Id enim manifeſto deprävatum eſt e Lat. *portulaca*.

BURTZELN, *bortzeln*, cadere ex æquilibrio, decidere in latus. Ruſus a *bord* margo, extremitas, per diminutiv. *bordſel*, quod vetuſtate evanuit. Belgæ eodem pene ſenſu dicunt *buitelen*, *ombuitelen*, quod eſt quaſi e circulo cadere, a *buiten* extra.

BUSCH, faſcis, *büſchel* faſciculus, *federbuſch* criſta. MARTINIO judice a Lat. *faſcis*.

BUSCH, frutex, *dornbuſch* dumus, *roſenbuſch* roſarium. HELVIGIUS duxit a Lat. *arbuſtum*, mox ab Heb. *boſch* crevit.

BUSCH, ſylva, nemus, lucus. Belg. *boſch*, Gall. *bois* & *boſcage*, Ital. *boſco*, Lat. Barb. *boſcus* apud CANGIUM. A βόσκειν paſcere, quod ibi pecudes paſcantur, ut *nemus* a νέμω paſco. Ita ſentiunt viri doctiſſimi, JUNIUS in Obſervatis ad Will. pag. 180. FERRARIUS in explicatione vocis Italicæ, & noviſſime REIZIUS in vocibus Græco-Belgicis.

BUSEM, *buſen*, ſinus, gremium. NOTKER. Pſal. LXXIII. 11. *ſtoz dina hant in dinen buoſem*, mitte manum tuam in ſinum tuum. Angloſaxones eodem ſenſu dicunt *boſm* & *fæthm*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *boſm*, *boſme*, ſinus, *ſegel boſmas* velorum ſinus, *ſwegl-boſmas* cœli vel ætheris ſinus, *fæthm* ſinus, gremium, *fæthmian* utraque manu extenſa complecti, *fæthmend* ſinuoſus. Huc uſque Somnerus. Qui aures habent mutationibus literarum aſſuetas, facile intelligent, *boſm* oriri potuiſſe ex *fæthm*, & hoc a *faſſen*, *fatten*, capere, amplecti, complecti. Nam per ſinum & gremium omnes intelligunt ſpatium femorum aut ulnarum complexu factum ad recipiendum aliquid. Hinc non ſolum de corpore humano, ſed etiam de aliis rebus dicitur, quæ ad modum ſinus vel gremii curvantur, ut teneant vel recipiant aliquid, de veſtimentis, de velis, imo etiam de littore. Et inde *ſeebuſen* ſinus maris, receptaculum aquarum, in quo mare a littore tanquam a brachiis concluditur, Islandice *botnar* apud VEREL. in Ind. Græcis βόθρος eſt convallis, forte aliqua cum reliquis affinitate. Vocem Gothicam vide in *barm*.

BUSEN, fremere. Gloſſ. Lipſ. *bizzedon* fremuerunt, *biza* turbo. Turbo autem eſt ventus vehemens. Hinc *bizan* videtur formatum a Græc. φυσᾶν flare, translatumque uſu barbaro ad flatum impetuoſum, & a flatu impetuoſo ad fremitum, quod is ſe maxime prodat follicatu narium. Dicitur (1.) de feris. Inde *Biſon* bubalus, bos ferus Germaniæ apud PLINIUM Lib. VIII. Cap. 15. Noſtri addunt in fine D. vel T. tanquam notam participii. Gloſſ. Boxh. *uuiſunt* bubulum. Gloſſ. Pez. bubalorum *uuiſanto*. VEREL. in Ind. *viſundur* biſon, urus. B. & W. ſunt literæ convertibiles, & neminem debent morari. Sive *biſunt* dixeris, ſive *wiſunt*, perinde eſt. Semper enim bovem dicis frementem, prætereaque nihil. (2.) de animalibus domeſticis, quæ æſtu quodam agitantur. Hinc in quibusdam locis dicere ſolent *die kuh büſet*, quando vacca ceu aſilo puncta impetuoſe curſitat, teſte MARTINIO in voce *boreàs*.

BUSEN, ſtridere. Angloſax. *bitan* apud SOMNER. Græc. βύζειν. Hinc quidam ſcarabæus Flandris vocatur *bies-bont*, a ſtrepitu alarum. Vocem attulit PONTANUS Libro quarto Originum Francicarum.

BUSS, oſculum, *buſſen* oſculari. Haud dubie a *boſium* & *buſiare*.

BUSSE, emendatio, refectio, & inſtauratio cujuscunque rei. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *bot*, *bote* reparatio, reſtauratio, inſtauratio, *bricg-bote* pontis inſtauratio, *burhbote* urbium, caſtrorum, & oppidorum inſtauratio, *cyric-bote* Eccleſiæ inſtauratio. Refer ad *büſſen* emendare. Allegorice dicitur de pœnitentia, quia pœnitentia eſt vitæ prioris emendatio. Hoc ſenſu Angloſaxones dicunt *dædbote*, quod eſt quæli facti reparatio, Franci & Alam. ſimpliciter *buaza*, *puazza*. Verſio Angloſaxonica Marc. 1. 15. *doth dædbote and gelyſath tham godſpelle*, agite pœnitentiam & credite evangelio. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXIII. 15.

Joh mannilih thes gahe
Zi buazu gifahe.

Vertit SCHILTERUS:

Et quilibet feſtinanter
Ad pœnitentiam ſe recipiat.

Prior ſenſus obſoleſcit, poſterior adhuc viget. Vocem Gothicam vide in *reuwe*.

BUSSE, ſenſu forenſi eſt ſatisfactio pro delicto, h. e. emendatio & reparatio per pœnam, & dicitur de pœna corporali & mulcta. Gloſſ. Keron. emendationem *puazza*. Gloſſ. Pez. ſatisfactio *puaza*. SOMNER. loc. cit. *bot*, *bote* compenſatio, ſatisfactio, *manbot* compenſatio homicidii, *mæg-bot* compenſatio pro cognato occiſo, *god-bote* mulcta ex delictis in Deum admiſſis obveniens, *cyne-bot* compenſatio regia, ob regem ſcil. occiſum, *boi-leas* inexpiabilis. VEREL. in Ind. *bota* mulcta, reparatio, *botalaus* irreparabilis. Jus provinciale Alamannicum eodem ſenſu habet *buz*, Cap. 62. Cap. 64. Cap. 349. & paſſim. Cuncta a *büſſen* fuere, & non a Græc. πάθος vel *paſſio*, quæ ſono quidem conveniunt, minime vero ſignificatu. Vocem Saxonicam imitantur Latino-Barbari in *bota* emenda.

BUSSE, damnum. Dictio metonymica, qua cauſa ponitur pro effectu, muſcta pro damno rei familiaris. Teſtes ſunt compoſita, *einbuſſe* jactura, *einbüſſen* jacturam facere.

BUSSEN, emendare, reparare, reficere. SOMNER. loc. cit. *betan* reſtaurare, emendare, reficere, reſarcire, *gebetung* inſtauratio. Luth. Nehem. IV. 7. *daß ſie die lucken angefangen zu büſſen*, quod cœpiſſent muros hiantes reficere. Hic princeps verbi ſignificatus. Proprie autem eſt *meliorare*. Nam *melius* Angloſaxonice dicitur *bet*, Francice *baz*, hodie *bas*, quod vide. Inde *buſſe* reparatio & inſtauratio ædificiorum, de quo ſupra. Metaphorice dicitur de pœnitentibus, quia illi, quos vitæ prioris pœnitet, mores & animum emendare ſolent. Hinc pœnitere & ſe emendare Angloſaxon. dicitur *dædbetan*, Francis & Alam. ſimpliciter *buazan*, *puazzan*, quod melius, quia vera pœnitentia nonſolum facta corrigit, ſed etiam animum mutat. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXIII. 109. *buazet iuih sliumo*, emendate vos cito, id eſt, pœnitentiam agite. Idem Cap. XXIV. 33.

So uuer manno ſo ſih buazit,
Jo ſunta ſino riuzit.
Quicunque ſe ita emendat,
Et peccata ſua deplorat.

BUSSEN, ſenſu forenſi eſt luere, ſatisfacere, h. e. emendare delictum, ſive in corpore, ſive in ære. Angloſaxon. Francis & Alam. ut ſupra. Gloſſ. Keron. emendare *puazzan*. Gloſſ. Pez. expiare *gipuozan*, expietur *gipuozit uuerde*. VEREL. in Ind. *boeta* emendare, ſarcire, ſatisfacere, *urbota*, irreparabilis, *urbotamal* delictum quod non multa ſed capite expiandum eſt. TATIANUS Cap. CXCVII. 3. *gibuoztan forlazzu*, emendatum dimittam. Id eſt, caſtigatum, flagellatum, & pœna ſervili affectum. Hodie non amplius utimur ſenſu paſſivo, ſed activo tantum. Falluntur, qui hoc verbum a Græc. πάθειν vel Lat. *pati* deducunt. Aliud eſt pati, aliud ſatiſpati. Illud nec piaculum ſupponit, nec pœna compenſat Et in originibus nonſolum aures conſulendæ ſunt, ſed etiam notiones.

BUSSEN, facere luenda, *die luſt büſſen* ſatisfacere libidini eamque explere. Utitur Luth. Pſal. LXXVIII. 29. 30. Forte eſt metonymicum, quo conſequens ponitur pro antecedente, luere commiſſa pro committere luenda. Vel ſenſus e foro petitus eſt, quomodo Latinis quoque *ſatisfacere* primo de ſatisfactione judiciali, mox etiam de expletione deſiderii dicitur.

BUSTEN, flare, inflare, ſufflare, Dial. Sax. inf. Frequentativum a *bauſen*, φυσᾶν, ejusd. ſignif. Inde Græcis φυσητὴρ ſufflatorium, Suecis *puſt* follis & flabellum, Saxonibus inf. *byſter* follis & ſufflator. Vide plura in *pauſten*.

BUSTER, non magis fuit Deus Saxonum quam *Joduta*, etiamſi multi libelli pro his futilibus Diis ſint conſcripti. Statua, quæ hic Lipſiæ in Bibliotheca Univerſitatis oſtenditur, eſt pueri buccas inflantis, & aquam efflare conantis, quo habitu ſolent effingi Tritones in hortis Principum. Et *büſter* eſt flator, ſive aërem reddat ut follis, ſive aquam ut Triton.

BUTIGLER, mellicida. V. *beute* alvearium.

BUTT, *bot*, ſtupidus, hebes, fatuus, homo ſupra modum tardus & ſine mente. A βοτὸν pecus. Ita JUNIUS in Obſervatis ad Will. pag. 180. Mitiore ſignificatu poteſt eſſe *inſipidus*, allegoria a ſapore deſumpta. Nam hoc ſenſu *baud* occurrit in Codice Argent. Luc. XIV. 34. *god ſalt, ith jabei ſalt baud wairthith, hwe gaſupoda*, bonum ſal, at ſi inſipidum fiat, quo condietur? Convenit per anaſtrophen *taub*, quod vide.

BUTT, *bott*, bacca roſæ ſylveſtris. Vulgo derivant a βάτος rubus. At quo pacto nomen rubi pervenerit ad roſarium, aut fructicis ad fructum, non docent. Forte ſic dicitur, quod aperientes mille aculeis pungat, a Francico *beiten* icere, pungere. In compoſitis nomen accipit a loco, ubi pronaſcitur. Inde *hambutten* ab agro, *hainbutten* a ſylva, *hagenbutten* & *hagenbutzen* a ſepibus. De verbo Francico vide plura in *beiſſen*.

BUTT, *bott*, ſentis, & frutex ſpinoſus. Gr. etiam βάτος, utique a pungendo, ut antecedens. Hoc ſenſu videtur occurrere in Harm. Evang. Tatian. Cap. LXXII. 2. ubi zizania vocantur *beresboton*, h. e. ut mihi quidem videtur, ſpinæ bacciferæ, a *ber* bacca. Hæc vox male habuit PALTHENIUM.

BUTT, paſſer marinus, *rigiſche butten* paſſeres Livonici. Forte idem qui Græcis βατὶς, PLINIO *batis* Lib. XXXII. Cap. ult.

BUTTE, genus vaſis. Græcis πίθος eſt dolium, cadus, urceus. Angloſaxonibus *butte*, *bytte* dolium, orca, lagena, apud SOMNER. in Dict. Islandis *bytta* ſitula, cupa, apud VEREL. in Ind. Italis *botte* dolium apud FERRARIUM, Latino-Barbaris & Græcis inferioribus *butta*, βοῦτα, vas vinarium, apud CANGIUM. Arbitror a *beiten* capere. Capit enim nonſolum manus, ſed etiam lacus & vacuum. Hinc illa ſignificationum latitudo, quia ſcil. omnia vaſa, quæ hoc nomine deſignantur, quamvis ſint diverſi generis & uſus, in notione capiendi conveniunt. Hodie eſt cadus ſive vas ligneum & ventricoſum. Utitur Luth. Jer. VI 9. A *butte* oriuntur quædam deminutiva, cujusmodi ſunt apud Latino-Barbaros *butila*, *butica*, *buticula*, apud Germanos *bottich*, apud Gallos *bouteille*. Ab his diminutivis formata ſunt pocillatorum nomina apud Francos. Gloſſ. Boxh. *buttilaniur* pincerna. Et huc etiam ſpectat *Buticularius* cellæ vinariæ præfectus, a *buticula* ſic dictus, de cujus officio agunt prolixe SPELMANNUS, CANGIUS, & noviſ-

& noviſſime cel. SCHWARZIUS in Diſſert. Academica de *Butigulariis*.

BUTTEL, lictor, latrunculator, ergaſtularius. Verſio Angloſax. Luc. XII. 58. *thelæs he thæ ſylle tham deman, and ſe dema tham hydele, and ſe hydel the ſende on cweartern*, ne forte te tradat judici, & judex lictori, & lictor te mittat in carcerem. Ejusdem reor originis ut antecedens, nempe a *beiten* capere, quia officium ejus eſt, reum captare, vincire, ligare. Hinc idem homo Latino-Barbaris *attachiator*, i.e. prehenſor dicitur, ut oſtendi in loco. A *büttel* eſt *büttelei* carcer publicus ſub cuſtodia lictoris.

BUTTEL, apparitor, ſervus & emiſſarius judicis. Gloſſ. Pez. emiſſarios *putilun*. SOMNER. in Dict. AS. *hædel*, *hydel* præco, nuncius, tabellarius. Jus Prov. Alam. cap. III. 1. *ſuua ain geriht iſt, da ſol ain gebutel ſin oder mer dann ainer, der ſol das vogtdink gebieten*. Vertit cel. SCHERZIUS: ubi judicium aliquod exercetur, ibi debet eſſe apparitor unus aut plures, qui ad curiam, quæ *vogtdink* appellatur, citare debent. CANGIUS in Gloſſario: *Bedelli*, apparitores minores, qui ad judicia citabant &c. SPELMANNUS ductum putat a *bitten*, *bidden* petere, rogare, precari. Sed quid roget, non explicat. Malim igitur a *bieten* nunciare, notum facere, indicare. Quamvis enim tres perſonas unus ſuſtineat, emiſſarii, citatoris, compulſoris, ad unam tamen reduci poſſunt, nempe *nuncii*. Hinc etiam de Epiſcopis dicitur in Manuſcripto Antiquo-Saxonico apud SPELMANNUM, ubi hæc verba: *Biſcopas ſynd Godes bydelas*, Epiſcopi ſunt Dei præcones. Hodie non amplius dicimus *büttel*, ſed *pedell*, nec de quovis apparitore, ſed academico tantum. Qua in re imitamur Latino-Barbaros, ſicut illi imitantur Saxones.

BUTTEL, parva ſedes. Diminutiv. a *bude* domus, quod vide.

BUTTEN. V. *verbutten*.

BUTTER, butyrum, βούτυρον. Angloſaxon. *buter*, *botter*, Belg. *boter*, Angl. *butter*. Gloſſ. Ælf. in nom. inſectorum: papilio *buttorfleoge*. PLINIUS credidit, butyro nomen eſſe a βοῦ vacca, & τυρὸς coagulum, Lib. XXVIII. Cap. 9. *E lacte fit butyrum, Barbarorum gentium lautiſſimus cibus, & qui divites a plebe diſcernat. Plurimum e bubulo, & inde nomen.* Verum cum cibus ille lautiſſimus Græcis & Romanis (quantum ex ſilentio Scriptorum vetuſtiſſimorum patet) diu fuerit ignotus, veriſimilius eſt, nomen & inventum ejus a Barbaris ad Græcos & Latinos perveniſſe, & fortaſſe a Scythis equimulgis, de quibus ita ſcribit HIPPOCRATES citante CONRINGIO in Diſſertatione de Germanicorum corporum habitu: *Simile vero hoc eſt, ac quod Scythæ faciunt ex lacte equino. Effuſum enim in cava ligna lac agitant: illud vero conturbatum ſpumeſcit ac diſcernitur: & pingue quidem quod* BUTYRUM *vocant, cum leve ſit, in ſummo ſeponitur, grave vero & craſſum ſubſidet, id quod etiam ſecernentes ſiccant, quando autem concretum & ſiccatum eſt, Hippacen appellant.* Unde conſequens eſſe videtur, quod primum butyrum fuerit pinguedo e lacte, non bubulo, ſed equino denſata. Pinguedo autem nobis dicitur *fett*, quod initium vocabuli Scythici haud male refert. In reliquis Dialectis varia accipit nomina. Armorici vocant *amman*, Hiberni *eim*, Alamanni *anka*, Franci *kuoſmer*, Sueci *ſmör*, Saxones inf. *kern* &c.

BUTTICH, *butticher*. V. *büttner*.

BUTTNER, vietor, doliarius. A *butte* dolium, cadus &c. ut *küffer* a *kuffe*. Dicitur etiam *botticher*, *bütticher* & *bödeker*, a *bottich*, *buttich* butica, quod eſt diminutiv. a *butte*.

BUTZ, ornatus, *butzfrauw* ornatrix, *frauwenbutz* mundus muliebris. Verbale a *butzen* ornare. Huc ſpectat ex Lege Longobardorum *walapauz* Lib. I. Tit. XV. 5. *walapauz eſt, dum quis alienum furtivum veſtimentum induit, aut ſibi caput latrocinandi animo, aut faciem transfiguraverit.* Ergo a *wale alienus*, & *pauz veſtimentum*. Nam hæc ſunt ipſius verba Legis. GROTIUS in Indice, & VOSSIUS de vitiis Latini ſermonis, ſequuntur hanc interpretationem. LINDENBROGIUS *wala* interpretatur *caput*, quod itidem ex verbis Legis deſumptum. Sed ubi *wala* caput deſignet, non indicat. Nec tamen temere hoc conjicit. Nam *bol* in multis Dialectis eſt caput. Idque facile mutatur in *wal*. SCHILTERUS *pauz* convertit in *pelz*, paulo audacius

BUTZ, ornamentum. Epitaphium Reginæ Thyræ apud Olaum WORMIUM in Mon. Dan. Lib. 5. pag. 339. *Gurmr kunugr gerdi kubl duſi eft Turvi kuna ſina Tanmarkerbut:* Gormo Rex tumulum hunc conjugi ſuæ Thyræ poſuit, quæ Daniam exornavit. De verbo: *Daniæ ornamento*. Et Regina quidem recte dicitur regni ſui *but* h. e. ornamentum, male vero *caput Danicæ majeſtatis*, quod interpretamentum vir quidem doctus celeberrimo editori ſuggeſſit.

BUTZEN, ſordes quæ expurgantur, *naſenbutzen* mucus. Omnino a *butzen* mundare. Ita Latinis a *purgando* ſordes *purgamenta* vocantur.

BUTZEN, mundare, purgare a ſordibus, quocunque modo id fiat, *gebutzt* mundatus, purus, terſus &c. Factum auctoribus Francis a Lat. *putus* mundus, purus. Gloſſ. Pez. abluerent *gipuozzin*. Allegorice eſt corripere, reprehendere, quia correptores ſimiles ſunt eorum, qui aliis acri lixivio caput lavant; inde formula, *einen ausbutzer geben* acriter aliquem redarguere, de verbo, emendatorem dare.

BUTZEN, ornare, decorare, *gebutzt* comptus, ornatus. Senſus a puritate ad cultum translatus. Quod ne cui inſolens videatur, obſervandum, Latinos ſimili translatione uti, quando ornatum muliebrem mun-

mandum vocant. VARRO de L. L. Lib. 4. *Mundus muliebris dictus a munditia.*

BUTZEN, ſubornare, alienum & fictitium ornatum aſſumere. Cognoſcitur ex derivatis, cujusmodi ſunt apud bonos auctores, *butz* larva, perſona, *faſsnachtbutz* larva bacchanalis, *butzengeſicht* facies larvata, *butzmann* homo larvatus.

BUTZEN, præcidere, *die beume butzen* inutilia arborum ramenta præcidere, *den bart butzen* barbam radere, *das liecht butzen* mungere candelam, *liechtbutzer*, *butzſchere* emunctorium, *liechtbutz* mucus candelæ, ſive impurum illud quod forcipe reſecatur. Cuncta a Lat. *putare*, i. e. ſecare.

BUTZEN, rejectamentum. HENISCHIUS in Theſ. L. Germ. *butzen ſo man von einer birn oder apffel hinweg wirfft*, rejectamentum, pediculus cum ſeminum cellulis & umbilico cohærens. Non a *butzen* mundare, ſed a *butzen* præcidere.

BUTZMANN, homo larvatus. V. *butzen* ſubornare.

BUTZMANN, morio. Alias *fatzmann*, a *fatzen* nugari.

BUX, *buxbaum*, buxus, πύξος. Gloſſ. Pez. buxus *puhſa*. Angloſax. *box* & *box-treow*. Creditur oriri a πυκάζω denſo, conſtipo, ob denſitatem & duritiem ligni.

BUX, *büchſe*, theca. Angloſaxon. *box*, Belg. *boſs*, *buſs*, Ital. *boſſo*, *boſſolo*, Gall. *boite*, mutato S. in T. Haud dubie a πυξὶς, *pyxis*: quod ab initio fuit theca e buxo, poſtea omne vaſculum in quo aliquid conditur. Civitatem accepit ante multa ſæcula. Inde *ſealf-box* pyxis unguentaria in Verſione Angloſax. Marc. XIV. 3.

BUX, *büchſe*, femorale, tibiale, Dialecto inf. Saxoniæ. ROSTIUS Carmine ludicro III. *wen he ſüth dat een man in braven bückſen geit.* Sumptum a theca per ſynecdochen generis. Enimvero ſi Græcis licuit dicere χειροθήκη pro tegumento manus, cur non liceat Saxonibus dicere *büxe* pro tegumento femorum vel tibiarum?

BUX, *büchſe*, bombarda. Suecis *byſſa*, *böſſa*, Gallis & Belgis ut ſupra. Neſcio an Hebræa origine opus ſit a *paxa* vulneravit. Nam bombarda eſt theca teli, h. e. arundo ferrea, in qua pulvis pyrius & plumbum lethale adſervantur. Et hactenus nomen generale etiam bombardæ convenit.

C.

CAD, genus vaſis, quod Hebræis vocatur *kadh*, Græcis κάδος, Latinis *cadus*, Sorab. *ſud*, apud FRENZEL. p. 786. Utitur Luth. 1. Reg. XVII. 12. 1. Reg. XVIII. 34. Celtica Lingua *cadw* eſt ſervare, quod vaſis optime convenit. An Hebræis melior ſuppetat radix, inquirant alii.

CALDAUNEN. V. *kaldaunen.*

CALENDE. V. *kaland.*

CALENDER, calendarium, a *calendis*, primis menſium diebus.

CALMUS. V. *kalmus.*

CAMEL, camelus, κάμηλος.

CAMERAD, ſocius. CANGIUS in voce *Camaradum* exiſtimat, Gallos & Hiſpanos *camarades* & *camarada* vocare milites, qui ſub eodem tecto, tentorio, vel in eadem camera degunt. Sed in Lexico BOXHORN. Antiquo-Britannico *cymmar* exponitur *comper*, *conjux*, *ſocius*, *ſodalis*. Unde fieri poterat *camerade* eodem ſenſu. Vox Britannica videtur eſſe a verbo Armorico *chom* ſimul morari. De hoc verbo vide plura in *heimen* cohabitare.

CAMISOL. V. *heimen* tegere.

CAMMER. V. *kamer.*

CANTON. V *kanton.*

CANZEL. V. *kantzel.*

CAPAUN. V. *kapp-han.*

CAPELLE, ſacellum, in quo reliquiæ alicujus Martyris adſervantur, alias *Martyrium.* Gloſſ. Pez. martyrii *chapello.* Inde Latino-Barbaris *capella* pro ædicula. Eam MARTINIUS ſic dictam exiſtimat, quod initio eſſet de pellibus *capellarum.* Aliorum vero judicio prima *capella* non erat ædicula, ſed ipſe cucullus S. MARTINI, veſtis brevis & hiſpida, caput humeroſque tegens, & diminutive ſic dicta, a Francica voce *chappa* cucullus. Gloſſ. Pez. operimento *chappa.* PAPIAS: *Cucullus, genus veſtis monachalis, quam Capam dicimus.* Hæc *capa* ſeu *capella*, ob neſcio quod miraculum, in Palatio Regum Francorum religioſe cuſtodiebatur. Hanc in prælia ituri ſecum ferebant, quod adeſſe S. Martinum bellantibus crederent, & ſecuros præſtare cultores etiam inter hoſtes. Hac lites domi terminabant per ſacramentum ſuper capellam. Teſtes ſunt MARCULFUS Lib. I. Formula 38. & WALAFRIDUS Strabo infra citandus in *Caplan.* Poſtea vox ipſi loco intra Palatium, ubi capella adſervabatur, adhæſit, tandemque de *Capellis Palatinis* ad omnes ædiculas ſacras tranſiit, quæ proprios ſacerdotes non habent, nec baptiſmum, nec cœmeterium, quod pluribus demonſtrat CANGIUS in Gloſſario.

CAPELLE, catinus chymicus. Forte a Lat. *capellus*, quod inverſo galero ſimilis ſit. V. *kappe* tegumentum capitis.

CAPITAL, ſumma facultatum, parva vel magna. Græc. κεφάλαιον Act. XXII. 28. SOMNER. ducit ab Angloſax. *ceap* bona, opes, facultates, SPELMANNUS a *capitibus animalium*, quæ primis regionum incolis erant loco pecuniæ. Alius fortaſſe duceret a *capite*, quatenus eſt *nota monetalis*, vel quatenus *ſummam* in genere ſignificat. Dicitur autem Latino-Barbaris nonſolum de pecunia, ſed etiam de armentis, & quavis poſſeſſione, mobili & immobili. Et hæc *capitalia* vocantur etiam *catalla* per ſyncopen.

CAPI-

CAPITEL, inſcriptio, continens numerum vel argumentum ſcripti in plures partes diviſi. Gloſſ. Pez. titulis *capitalin.* A *capite*, quatenus vel ſummam, vel anteriorem rei partem ſignificat. Synecdochice eſt totus ſectionis complexus.

CAPITEL, locus in quo Monachi & Canonici conveniunt. A *Capitulo Regulæ*, quod Fratribus olim prælegi & exponi conſuevit, antequam ad laborem exirent. Vide CANGIUM in voce.

CAPLAN, capellanus. MARTINIO eſt is, qui ædiculæ pellibus caprinis tectæ præeſt. Sed Scriptoribus Eccleſiaſticis eſt cuſtos *Cappæ S. Martini.* Diſerte WALAFRIDUS Strabo Cap. ult. de Reb. Eccleſ. *Dicti autem ſunt primitus* CAPELLANI *a Cappa S. Martini, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in prœliis ſolebant ſecum habere: quam ferentes & cuſtodientes cum cæteris Sanctorum reliquiis, Clerici* CAPELLANI *cœperunt vocari.* Confer articulum *Capelle.*

CAR. V. *char.*

CARBINER. V. K.

CARNIFFEL, proprie eſt ruptura pellis, a *kür* pellis, corium, & verbo obſoleto *bniupan* rumpere, quod extat in Evang. Goth. Luc. VIII. 29. *disbniupands bandjos*, diſrumpens vincula. Inde *carniffeln* cutem verberibus rumpere.

CARNIFFEL, ſynecdochice ponitur pro *hernia*, quia hernia eſt ruptura ejus pellis quæ teſticulos continet. Dicitur alias *hodenbruch.*

CASTEIEN, *caſteigen*, affligere. A Lat. *caſtigare*, auctoribus Francis. Gloſſ. Lipſ. *keſtegoda* anxit. Rhythmus de S. Annone §. 44. *du wart her gekeiſtiget*, tunc caſtigatus eſt ſicut Hiob.

CAT, bellum, militia, prælium. Vetus Celticum. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cad* prælium, pugna, *bugad* boum pugna, *cadfarch* equus bellicus, a *farch* equus, *cadlys* palatium caſtrenſe, a *llys* aula, curia, forum, *catorfa*, *catyrfa* multitudo militaris, a *tyrfa* turba. Unde Latinis *caterva* aut nullo aut eodem ſenſu. Vocem origine Celticam eſſe, haud obſcure fatetur VEGETIUS Lib. II. 1. *Galli atque Celtiberi, pluresque barbaricæ nationes,* CATERVIS *utebantur in prœlio, in quibus erant ſena millia armatorum. Romani* LEGIONES *habent.* Saxones antiqui bellum vocant *guth*, mutato C. in G. ut poſtea oſtendam in *gund.* Apud BENSONIUM *hate* exponitur *militia.* Qui noverit *h.* & *c.* in Dialectis continuo permutari, inter *hat* & *cat* exiguum diſcrimen reperiet. Interim hic ſignificatus, quamvis obſoletus, probe eſt obſervandus, quia multis Heroum Populorumque, & locorum etiam nominibus, egregiam lucem præbet. Speciminis loco ſint ſequentia.

CATTI, bellicoſi. Erant autem judicio Romanorum omnium Germanorum bellicoſiſſimi. TACITUS Cap. 30. de M. G. *Alios ad prœlium ire videas, Cattos ad bellum.* Hoc nomen a Romanis vel ſponte inventum, vel ex alio truncatum, poſtea vero a Gente admiſſum arbitror. Nam antiquiſſimis temporibus ipſi ſe non *Cattos*, ſed compoſito nomine *Catswefas*, *Catto-Suevos*, hoc eſt, Suevos bellatores, ob devotum bello caput, videntur appellaſſe, de quo ritu videndus TACITUS Cap. 31. de M. G. SUEVORUM certe nomine ubique veniunt apud CÆSAREM, ſicut CATTORUM apud TACITUM, quod tanto argumentorum pondere demonſtratum dedit CLUVERIUS Lib. III. Germ. Ant. Cap. 5. ut impoſſibile ſit, aſſenſum cohibere. At falſo nomine ab alterutro ſic dictos eſſe, nec veroſimile eſt, nec CLUVERIUS perſuadet. Poſtera ætas *Cattos* mutavit in HASSOS, literis C. & T. ut ſæpe alias in H. & S. converſis. Sic ex *Batava Caſtra* paulatim fieri cœpit *Paſſau.*

CHATTUARII, viri bellicoſi. A *wer*, *war* vir. STRABONI inter Gentes a Germanico triumphatas bis memorati Lib. 7.

CATUMERUS, bello clarus. Princeps Chattorum, Itali Cheruſcorum Regis avus maternus. TACITUS Annal. XI. 16. 17. v. *mere* celebris.

CATVALDA, bellipotens. Nomen juvenis nobilis inter Gothos, qui Maroboduum regno exuit. TACITUS Annal. II. 62. V. *walt* potens.

VELLOCATUS, ejusdem notionis, quamvis inverſo compoſitionis ordine & per ſyncopen literæ D. Recurrit in *walt* potens.

CÆDMON, miles, bellator, vir belli. A *mon*, quod Angloſaxonibus vir. Meminit BEDA in Hiſt. Eccl. Lib. IV. 24. eidemque *Paraphraſin Saxonicam* tribuit JUNIUS in Obſ. ad Will. pag. 248.

Huc etiam ſpectant nomina locorum, ut ſunt,

CADOM, *Cadomum*, idem quod Angloſaxonibus *wig-bus* arx, caſtrum, caſtellum. Nam *wig* & *cad* ſunt ſynonyma, & *ham*, *heim*, *bom* eſt vocabulum Gallis & Germanis commune, quod nonſolum domum, ſed etiam arcem & civitatem ſignificat. Hinc *Cadomum* veriſimiliter eſt propugnaculum, aula caſtrenſis, vel civitas belligerantium. Quod optime vidit BOCHARTUS, ſed male correxit HUETIUS, pro bello *conſilium* ſubſtituens, quaſi *Cadom* ſit Mallus vel locus conſultationis. Nam *cad* nulla Germanorum Dialecto, nec nova nec antiqua, conſilium denotat. Error ſummi Viri natus videtur ex affinitate literarum R. & K. quæ dum a Belgis male diſtinguuntur, ut vix internoſci poſſint, homini extero & Belgicæ linguæ ignaro potuerunt occaſionem præbere, ut in Dictionario Belgico legeret *kad* pro *rad.* Vide præclarum Opus *Originum Cadomenſium* Cap. XIX. pag. 421. Hodie dicitur *Caën*, inſigni depravatione.

CATOBRIGA, pons militaris. Extat inter urbes Hiſpaniæ in Itin. Anton. Vide *bruck.*

CATWIK, locus munitus, aſylum belli, a *wik* vicus. Non *vicus Cattorum*, ut ALTINGIO viro clariſſimo viſum. Nulla enim ratio erat, cur Batavi a Cattis pulſi memoriam profligantium in novis ſedibus vel recolerent, vel perpetuitati conſecrarent.

In quibusdam Dialectis *cat* liqueſcit in *cas.* Inde *kaſemate* tectum militare, *kaſerne* caſa militaris. Vide utrumque in ordine.

CATEIA, telum miſſile veterum Germanorum. VIRGILIUS Æn. 7. *Teutonico ritu ſoliti torquere cateias.* Dixit *Teutonico ritu*, ſive quia hoc genus armorum primum innotuit Romanis, cum *Teutoni* arma circumferrent cum Cimbris, & bellum Italiæ moverent, ſive quia *Teutones*, h. e. Germani, inventores ejus fuerunt. Nam eam ob cauſam *cateja* etiam *Teutona* vocari videtur. ÆLFRICUS, Gloſſographus Angloſaxonicus, in nom. armor. *clava vel* CATEIA, *vel* TEUTONA, *anes cynnes geſceot.* Hoc eſt, ejusdem generis jacula. Olim erat nomen omnibus Germanis uſitatum. Quæ res anſam dedit SERVIO ut ſcriberet: *Cateiæ autem Lingua Theotiſca haſtæ dicuntur.* Proprie autem eſt jaculum, à *katten*, hoc eſt, à notione jaciendi ſic dictum. Sane *katten* pro jacere Belgis hodienum uſurpatur in re nautica & militari. Et hinc apud illos formantur, *kat* anchora miſſilis, alias *werp-anker*, à *werpen* jacere: & *kat* pluteus tormentorum, unde tela vibrantur in hoſtes, Germanis *bollwerk*, alio ſono, eodem ſenſu, à *bolen* jaculari. Similiter & Suecis *kaſta* eſt jacere, projicere, idemque Anglis *to caſt*, non per epentheſin ſibili (nam revera idem eſt quod *katten*), ſed quia alterum T. in ore Suecico & Anglico liqueſcit. Idque ſæpe contingit in omnibus Dialectis, ut, quando duo T T. in una voce concurrunt, alterum mutetur in S. Exempla vide in *Proleg.* Sect. III.

His poſitis, manifeſtum eſt, fruſtra diſputari ab auctoribus, quæ ſpecies, quæ forma fuerit *Cateiæ?* Nam *Cateia* eſt nomen generale, & omnibus telis miſſilibus commune, ſive haſtæ fuerint, ut frameæ, ſive ſpicula ut Dardi, ſive ligna volantia ut clavæ. Apud Germanos fuit *haſta*, teſte SERVIO, non omnis, ſed ea, qua eminus pugnabant, quæque alias *framea* dicitur, à *frumen* mittere. Apud alios *Dardus* ſeu ſpiculum. SPELMANNUS in Gloſſ. Archæol. pag. 164. *Gloſſæ quædam Cateias Dardos exponunt.* Rurſus apud alios eodem nomine veniebat *Clava.* ISIDORUS in voce *clava* Lib. XVIII. Cap. 7. *Hæc & Cateia: quam Horatius Caiam dicit. Eſt autem genus Gallici teli, ex materia quam maxime lenta, quæ jactu quidem non longe, propter gravitatem evolat, ſed quo pervenit, vi nimia perfringit.* Gothos ejusmodi clavas ingentes & ambuſtas in Romanos vibraſſe, Ammianus MARCELLINUS ſcribit Lib. XXXI.

CAUCI, Iberniæ quædam natio apud PTOLEMÆUM. Fuerant & gemini CHAUCI apud Germanos, Majores & Minores, de corporum puto ſtatura ita appellati. Idem autem Britannis *Cauc* & *Coc* (puta valere potuit), quod & Germanis *hauch* vel *hoch.* Ita ſcribit BAXTERUS in Gloſſario Antiq. Brit. pag. 73. Contra ALTINGIUS *Chaucos* a genio ipſius Gentis denominatos autumat: Germanos enim *kauzen* vocare viros antiqua virtute & fide &c. Unde hoc hauſerit Vir clariſſimus, non liquet. Germanis certe *kautz* noctuam notat, & metaphorice tenebrionem, *gauch* vero ſtultum. Hoc ultimum arripit SCHILTER. in Gloſſario, exiſtimans Chaucis idem contigiſſe quod Cheruſcis, de quibus TACITUS Cap. 36. *Qui olim boni æquique Cheruſci, nunc inertes & ſtulti vocantur.* Certe TACITI ævo *Chauci* non erant ſtulti, ſed populus prudentiſſimus, qui magnitudinem ſuam juſtitia tuebatur, prout ipſe memoriæ prodidit Cap. 35. Oportet ergo illos a ſtultitia majorum, ſi quæ fuit, pridem ad ſanam mentem rediiſſe. Sed liberemus bonos viros ab objecta ſtultitiæ, & dicamus cum BAXTERO, illos a magnitudine ſtaturæ nomen acceptiſſe. Nam *hauch* Gothis antiquis eſt altus, quod facile mutatur in *cauch*, quia C. & H. ſunt literæ convertibiles. Nec deſunt exempla, quibus comprobetur, veteres optaſſe longuriones vocari. Id enim & *Gothorum*, & *Jutarum*, & *Herulorum*, aliorumque nomina haud obſcure teſtantur.

CEDER, cedrus, κέδρος.

CELTÆ, gens totius Occidentis vetuſtiſſima, de cujus nomine multa prodita ſunt ab eruditis, ſed parum certa, & majore ingenii, quam veritatis oſtenſione. Primus ſententiam tuliſſe creditur STRABO Lib. IV. pag. 189. ubi videtur dicere, *Celtas* à Græcis ſic dictos eſſe διὰ τὴν ἐπιφάνειαν ob claritatem gentis. Hoc nonnulli ita detorquent, tanquam nomen deſumptum ſit à *gelten* valere. Sed hanc interpretationem non ex genuina auctoris mente quæſitam eſſe, oſtendit CLUVERIUS Lib. I. Germ. Ant. pag. 61. Ipſe a Conditore Gentis *Aſchenaze*, quem *Celtam* vocatum exiſtimat, PICARDUS vero in Celtopædia a neſcio quo *Iove Celta* Celtarum vocabulum deducit. Alii alias appellationis cauſas excogitarunt, ut ſecretum Celtici nominis reſerarent. Et his Celtæ ſunt, vel *Heroes*, quia tales Germanis etiamnum vocantur *helden*; vel *Caſtrametatores*, quia Germanis *zelt* tentorium; vel *Equites*, quia Græcis κελητίζειν eſt equitare, & Germanis *zelter* equus hiſpanicus; vel *migrantes*, quia *kalidan* in Gloſſ. Keronianis exponitur *diſcedere*; vel *Sacerdotes*, quia in Gloſſis Boxhornianis *kotekelte* exponitur *ceremonia.* Singularum opinionum auctores commemoravit DIECMANNUS in Spec. Gloſſ.

Gloſſ. pag. 65. WACKIUS vero, vir ſacri ordinis apud Ratisbonenſes, exiſtimat *Celtas* eſſe veri nominis *Chaldæos*, quod paradoxon ex ſimilitudine Linguæ Chaldaicæ & Bavaricæ hodiernæ prolixe demonſtrare conatur. Nos, uti de laude horum inventorum nihil detractum volumus, ita cenſemus, Celtarum nomen e ſua ipſorum lingua, non aliunde explicandum eſſe, moti CÆSARIS & PAUSANIÆ auctoritate, qui hoc nomen ex propria indigenarum lingua profectum innuunt. CÆSAR ab initio Commentarii: *Qui ipſorum Lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur.* PAUSANIAS in Atticis: *Celtæ cum a ſe ipſis antiquitus, tum ab aliis vocati ſunt.* Inquirendum igitur, quo ſenſu? PEZRONIUS *Celticum, Gallicum,* & *Galaticum* nomen ex eodem fonte repetit, nempe a verbo Celtico *gallu* poſſe, valere, quod tribuit Armoricis in Antiq. Celt pag. 8. & 390. Secundum hanc etymologiam Celtæ ſibi nomen crearunt *a valore* & *potentia*, quæ Cambris etiamnum *gallu* & *gallued* dicitur, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Sed de gloria potentiæ multum detrahit BAXTERUS, qui *homines in ſylvis agentes* hoc nomine deſignari autumat, eo quod Scotobrigantibus *coil* etiam hodie pro ſylva ſit, ut ſcribit in voce *Caledonia*. Nobis *Celta* eſt *profugus* & *fugator*. Id enim Celtica lingua *Cilydd* & *Ciliad* ſignificat, teſte BOXHORNIO in Lexico ſæpe laudato. Cauſas impoſiti nominis vide in *Præfat. ad German.* §. 26.

CHARFREITAG, feria ſexta ante Paſcha, quam Rubricæ veterum *diem paraſcevæ*, hoc eſt, *præparationis* vocant. Hic dies interpreti Angloſaxonico dicitur *gegearcung-dæg* Joh. XIX. 14. à *gegearcian* præparare; TATIANO *garotag* Cap. CXCVIII. 3. à *garon* præparare, quo utitur OTFRIDUS Lib. V. Cap. XX. pag. 137.

Infahet thaz er uuorahta
Richi thaz er garota.
Accipite, quod fecit
Regnum, quod præparavit.

Unde ſupervacaneum videtur, aliam voci etymologiam quærere, cum hæc ſatis commoda & antiqua ſit. Fateor tamen, vocem ita conceptam eſſe, ut plura ſignificare poſſit. Cauſa ambiguitatis eſt, quod *char* curam, luctum, & ſatisfactionem ſignificet, ut demonſtravi in *kar*. Hinc non deſunt viri docti, qui hos ſignificatus cum die Chriſti emortuali conjungunt, ſive quia hic dies ob ſupplicium Chriſti valde luctuoſus eſt, ſive quia hoc die ſanguine ſuo ſatisfecit, ſive quia hic dies præ cæteris cum feria animæ cura tranſigendus. Omitto nunc flagellationes eodem die fieri ſolitas, quia vetus nomen a novo inſtituto manare non potuit, etiamſi Cambris *cur* ſit verberatio, & *curo* verberare.

CHARWOCHE, ſeptimana, quæ Paſcha proxime antecedit. Videtur ſic dicta, quaſi luctuoſa & feralis, quod Servator in illa ſeptimana multa triſtia & ultimum denique ſupplicium paſſus ſit, à *char* vel *kar* luctus. Quo ſenſu etiam *marter-woche* vulgo appellatur. Sed & *ſacram ſeptimanam* denotare poteſt, ſi *char* idem ſit quod Latinis *cerus*, noſtris *her*, Græc. ἱερός. Reliquos vocis ſenſus (pluribus enim recipiendis idonea eſt) collige ex præcedentibus. Miror MICRÆLIUM, qui in Syntagmate Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ *car* derivat à *carena*, quaſi ſenſuum indigi ſimus domi, cum illis adeo abundemus in hac voce, ut etiam laborare videamur. Adde, quod ægre concipi poſſit, quid ſit *ſeptimana pœnitentiæ quadrageſimalis*.

CHILD, *cild*, infans, Dial. Anglica & Angloſaxonica. Nomen *pueris* & *puellis* commune, idemque quod Francis & Alamannis *chind*, quamvis litera N. (more Saxonico) in L. mutata. SOMNER. in Dict. Angloſax. *cild* infans, puer, *cild-had* infantia, *cilda-hyrd* pædagogus &c. Quamvis autem *cild* a lingua Francorum plane alienum ſit, aliunde tamen cognoſcimus, quod Saxonica amplecti & imitari, pulcrum apud eos fuerit, uſuque probatum. Hinc multa ab illis nomina virorum mulierumque concinnata invenimus, in quibus Saxonicum *cild* paſſim effertur *hilt*, *hild*, *child*, & eodem intellectu. Talia ſunt,

HILDEBRAND, puer clarus, de quo ſupra in *Brand*. Quamvis etiam bellatorem clarum deſignare poſſit.

BRUNECHILD, puella clara, de quo ſignificatu actum in *Brennus*.

Et alia plura, in quibus GOLDASTUS videtur ſibi *Celtas* deprehendere. Verba ejus in animadverſ. ad Script. Parænet. pag. 366. hæc ſunt: Sic puto "*Helvetios* dictos quaſi „*Celtarum cognatos*. Sic *Hiltebrandum* qua„ſi *Chelte-Bren*, h. e. Celtam Brennum. Iti„dem *Hiltebolt*, *Hiltiman*, *Hiltiuuin*, alios. „Eſt vero *Chilt* nomen epicœnum, maribus „(&) feminis promiſcuum. Exempla in „*Hiltigart*, *Hiltrut*, *Hiltegunt*, *Adilhilt*, *Re„ginhilt*, & ſexcentis aliis." Sed quam infelix harum amœnitatum arbiter ſit Goldaſtus, prodit interpretatio ejus, quam de *Helvetiis* & *Hildebrando* dedit, quæ certe nihil habet, quod peritis placere poſſit. Nam a cæteris abſtinuit, quaſi per ſe nota eſſent, cum ſint obſcura, & nemini perſpecta. Clariora autem fient, ſi more noſtro interpretemur.

HILDEGARD, hortus infantum. Id eſt, matrix ex qua pueri & puellæ procreantur, de quo ſignificatu actum in *garten*. Quamvis etiam *bortum bellatorum* ſignificare poſſit.

HILTRUT, puella dilecta.

ADILHILT, puella nobilis.

REGINHILT, infans Deorum. Hoc ex Gentiliſmo. VEREL. in Ind. *ragn*, *ragn* numen, *reigin* numina, dii.

CHILD, *bild*, bellator, prælıator. Idem quod *held*, de quo ſignificatu actum prolixe in loco. Inde nomina propria Veterum, & inprimis Francorum,

CHILDERICUS, bellator potens. Pater Chlodovei Magni.

CHILDEBERTUS, bellator clarus. Filius Chlodovei.

HILDEBRANDUS, bellator clarus. V. *brand*.

HILTEBOLT, bellator ſtrenuus. A *bald* audax.

In reliquis, ubi *child* & *bild* bellatorem denotare non poſſunt, bellum & prælium ſignificant. Inde HILTIMAN vir belli, apud Goldaſtum in Indice.

CHILD, *bild*, interdum idem eſt quod *alt* nobilis, per proſthefin gutturalis, qua Franci & Alamanni mire delectantur. Huc referri poſſunt ex Indice Goldaſtino

HILTIWIN, nobilis bellator. V. *winne* certator.

HILTEGUNT, nobilis virago. Quamvis etiam virgo bellatrix, & vira belli eſſe poſſit, quia vox Francica ambigua eſt, & non eodem modo dicitur ubique. V. *gund* virgo.

CHOR, chorus, χορὸς.

CHOR-BISCHOF, chorepiſcopus, à χώρα ager, quod vices Epiſcopi obeat in rure vel provincia.

CHRENE-CHRUDA, vox Salica, ſed incompertæ ſignificationis, de qua divinare magis, quam demonſtrare aliquid licet. GOLDASTUS & SPELMANNUS *viridem herbam* interpretantur, propitia quidem Francorum lingua, quæ ejusmodi herbam (ut ex Gloſſariis patet) *groun chrut* appellavit; Sed invita Lege, quæ ſane non de *herba*, ſed de *pulvere* poſt humeros jactando vocem intelligendam ſuadet. Agitur enim de paupere Salico, qui non habet ſat facultatum, unde homicidium componat, quem Lex cogit bonis cedere, & nudum domo exire, ſparſo in proximos cognatos domus ſuæ pulvere, ut ipſi, ſi poſſint, Legi ſatisfaciant. Nam *luere homicidia certo armentorum ac pecorum numero, & ſuſcipere inimicitias propinqui*, donec univerſa domus occiſi ſatisfactionem recipiat, olim apud Germanos neceſſe erat, teſte TACITO Cap. 21. de M. G. Cerimoniam de pulvere ex quatuor angulis colligendo & trans ſcapulas jactando deſcribit Lex Salica Tit. LXI. art. 1. eundemque pulverem mox *Chrenechruda* vocat art. 2. *Quicunque de illis* (cognatis) *plus alio habet, exſolvat, & iterum ſuper illum* CHRENECHRUDA *ille, qui eſt pauperior, jactet, ut ille totam Legem ſolvat.* Noviſſimus Legum iſtarum interpres, & cæteris ſæpe ocuſatior, verbis illis exclamationem ipſius bonis cedentis contineri exiſtimat, ſimilem illi, qua hodie Saxones inferiores ad deſignandum vacuum utuntur, *rene herute*. Verum cum nec Francus ita loqui, nec formula talis trans ſcapulas ſpargi potuerit, difficile eſt, diſſenſum cohibere. Hinc ſuſpicor, vocem Salicam proprie denotare *pulverem ſtabuli*, ſive ejus caſæ, in qua pecora ſtabulantur, quæ erant gratiſſimæ & unicæ veterum opes. Nam *craw* & *cren* Celtica Lingua & hodie Cambrica dicitur hara, ovile, caprile, & ſtabulum boum, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Nobis vero *grut* eſt omne contritum, adeoque etiam pulvis, ut patet ex compoſito *zünd krut* pulvis tormentarius. Quanquam etiam ad *gries* arena, ſabulum, vox Salica referri poſſit. Spectat hæc vox ad *Juriſprudentiam Symbolicam Medii Ævi*, doctrinam ampliſſimam & ſcitu neceſſariam, ſed nullius adhuc ingenio excultam. Jus *Chrenechrudæ* primus abrogavit Rex Childebertus in Decretione an. 595. Cap. 16. ubi verba: *De Chrenechruda Lex, quam paganorum tempore obſervabant, deinceps nunquam valeat, quia per ipſam cecidit multorum poteſtas. Datum pridie Calend. Mart. anno XX. regni Domini noſtri Colonia feliciter.*

CHRIST, Chriſtus, χριστὸς. Varie ſcribitur apud Veteres *Xriſtus, Chriſt, Criſt, Kriſt*, & compendioſe XS. ☧ Xpc.

CHRIST, chriſtianus. Hodie Chriſtum & ſectatores ejus nomine confundimus, olim vero Chriſtianos appellabant *Criſtenen* & *Chriſtianun*, more primævo & Antiocheno. Illud habent Angloſaxones, hoc Alamanni. Gloſſ. Keron. chriſtiano *chriſtianemu*.

CHRIST-MONAT, December, Menſis Chriſti, ob rationem omnibus notam. Inter nomina Menſium Carolina legitur apud GOLDASTUM *heilugmanoth* December, apud alios *helmonat*. Quorum illud a ſanctitate Feſtorum, hoc a ſalute per Chriſtum natum parta, petitum videtur. Saxonicum nomen vide in *Jenner*.

CHUR, optio, electio, arbitrium. Angloſax. *cyre*, Belg. *keur*, Islandis in Indice VERELII *kior*, Alamannis recentioribus *kur*, in Jure provinciali Cap. 114. Refer ad *küren* eligere. PEISKERUS præter neceſſitatem & irrito ſignificatu deflectit a κῦρος fors. Hodie ſuperat in compoſito *willkür* liberum arbitrium. Plura derivativi generis vide in fonte.

CHUR, dignitas electoralis, & territorium illi annexum. Ex eodem fonte, & non a Græc. κῦρος auctoritas, nec a κυρῶν cum auctoritate ſtatuere, quod dominantis eſt, non eligentis.

CHURFURST, elector, princeps qui Cæſarem legit. Alii ſcribunt *Kurfürſt*, ut Belgæ *keurvorſt*. Sed de ſcriptura cum nemine contendere volo, quia utraque ſcribendi ratio habet, quo ſe tueri poſſit, ut ex conſideratione verbi *küren* elucet. In re, quæ definiri non poteſt, conſultius eſt, uſum Curiæ ſequi, quam temere aliquid mutare.

CIMBRI. V. *kommen* perdere.

CISTERN,

CISTERN, lacus aquæ pluvialis. A Lat. *ciſterna.*

CLERISEY, ordo eccleſiaſticus. A *clerus.*

COMET, cometa, ſtella crinita. Utrumque a Gr. κομη cæſaries.

COMPAN, ſocius. VEREL. in Ind. *kompan* ſocius, ſodalis, æqualis. Idem Gallis *compagnion.* Ital. *compagno.* Significare poteſt vel *combennonem*, qui eodem curru vehitur, a *benna* vehiculum Gallicum; vel commilitonem, ſi derivetur ab Angloſax. *camp, comp* bellum, caſtra, militia; vel convictorem, ſi appellatio a *communi pane* deſumatur.

COMPANY, centuria militum. Gallis *compagnie.* Terminus caſtrenſis antiquus. Lex Salica Tit. LXVI. 2. *Si quis hominem ingenuum, qui Lege Salica vivit, in boſte* (in exercitu) *in campanio* (expeditione bellica) *de* COMPANIEI *ſuorum occiderit* &c. WENDELINUS in Gloſſario Salico hoc militum ſodalitium ſic dictum putat a *communi pane*, vel diſtributione buccellati, quem ſequuntur plerique. Alius fortaſſe duceret a *compan*, quatenus belli ſocium ſignificat, tanquam abſtractum a concreto.

COMPE, ſocius, Dial. Miſnica. Abſciſſum a *compan*, quod magis genuinum & origini propius.

CONSTABEL, præfectus ſtabulo. Lat. Barb. *conſtabulus*, *conſtabularius*, & (poſtquam comes cœpit appellari *conte*) *conteſtabulus*, Gall. *conneſtable*, Ital. *conteſtabile.* Omnium fere conſenſu contrahuntur e *comes ſtabuli*, excepto SELDENO, qui in libro *de Duello* componit ex *konig* rex & *ſtaple* fulcrum, quod tanquam longe quæſitum auctori ſuo relinquimus. Diſerte REGINO an. 807. *Burchardus comitem ſtabuli ſui, quem corrupte Conſtabulum appellamus.* Primo fuit dignitas *palatina*, deinde *caſtrenſis*, poſtea etiam *forenſis*, quod liquido ſatis demonſtrat SCHILTERUS in notis ad Epinicion Lud. Regi dictum verſ. 64. Hodie ad viliora miniſteria degeneravit, fato multis vocabulis communi. Inde Germanis *conſtabel* tormentarius, Italis *conteſtabile de Sbirri* præpoſitus lictorum.

CORPER, corpus tam vivum quam mortuum. Cambris *corf* eſt corpus vel truncus corporis, & hinc *corfllan* cœmiterium, locus cadaverum, a *llann* area templi. Priorem vocem ſiſtit BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. poſteriorem JUNIUS in Obſervatis ad Will. pag. 285. Habent & Sueci *kropp* & Islandi *krof* eodem ſignificatu. VEREL. in Ind. *krof* corpus, *ſaudarkrof* corpus ovis mactatæ. Anglis *corps* non niſi de cadavere, Gallis etiam de corpore animato dicitur. An Latini a Barbaris, aut hi ab illis acceperint vocem, ignoratur? Pro Celtica origine pugnat PEZRONIUS in Antiq. Celt. pag. 383. Sed quæ notio vocabulo ſubſit, non docet. Neque id docere poſſunt Latini. Pro Germanica origine pugnat STILERUS, *kerp* contrahens ex *geripp*, *keripp*, ſceleton, cadaver.

COSSÆTEN, homines glebæ adſcripti, qui intra caſam ſerviunt, & in prædiis ruſticis operas præſtant. Lat. Barb. *cotſeti.* Vox Angloſaxonica, unde Latino-Barbara formata, proprie vilioris domunculæ incolam ſignificat. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *cote* domuncula, caſa, tugurium, *cot-ſæta* caſæ habitator, is qui in cota i. e. caſa habitat, *ſæta* in compoſitis habitatores, colonos, cultores, ſive incolas ſignificat. Haud dubie a *ſitten* ſedere, reſidere. Sedent enim qui loco aliquo habitant. Hinc etiam Latinis ſedes & manſio promiſcue uſurpantur. De priori compoſiti parte vide plura in *kot* caſa, tugurium.

COVENT, tenuis cereviſia, a *Conventibus* ſeu Monaſteriis ſic dicta, & ideo ſic cocta, ut ſobrii ſemper Monachi Deo & ſtudiis vacare poſſent. Noſtro tamen ævo a laudabili conſuetudine eos receſſiſſe oportet, quando fortior cereviſia vix invenitur illa, quam Cœnobitæ bibunt. ECCARD. *de uſu & præſt. ſtud. Etymol.*

CREUZ, lignum ſupplicii. A Lat. *crux*, auctoribus Francis, in quorum monumentis paſſim legimus *cruz*, *kruz*, & *cruce.* Vocem Gothicam vide in *ram*, Saxonicam in *rode.* Metaphorice utimur de quavis gravi afflictione, dicentibus etiam Latinis, *quæ temala crux agitat?*

CREUZER, nummus cruce ſignatus. Singularis opinio eſt ERICI, nummos illos non Chriſti crucem, ſed lancem, juſtitiæ & juſti valoris ſignum, præ ſe ferre.

CREUZ-ZUGE, expeditiones religionis cauſa in Palæſtinam ſuſceptæ, & a teſſera militiæ, quæ erat ſignum crucis, veſtibus inſutum, quorundam etiam brachiis inuſtum, ſic dictæ.

CRON. V. *kron.*

CURMEDE. V. *küren* eligere.

CURTISAN, aulicus, a *curtis* aula, quod vide in *gard* primæ ſignificationis.

D.

D medium derivandi. V. *Proleg.* Sect. VI.

DA, hoc. Græc. *τὸ*, Belg. *de*, Angl. *the.* Utimur in compoſitis tantum, qualia ſunt, *dadurch* per hoc, *dafür* pro eo, *damit* cum eo, *dabei* juxta illud, *davon* de illo &c. Ubique *da* ponitur pro *das*, & præpoſitionem ſuam præcedit contra conſuetudinem.

DA, hic, ibi, *er iſt da* adeſt hic vel ibi. Adverbium loci, quod videtur transpoſitum ex antiquiori *ad.* Nam *adeſt* Gothis dicitur *at iſt* Marc. IV. 29. Angloſaxonibus *æt ys* ibidem. Alamannis *az iſt.* Gloſſ. Keron. adſum *azpim.* Vel idem eſt quod Gr. ἔνθα per aphæreſin.

DA, tunc. Adverb. temporis, quod Angloſaxoni-

ſaxonibus effertur *tha*, Francis *tho*. TATIANUS Cap. XII 6. *tho quad ſin muoter zi imo*, tunc dixit mater ejusad illum. Inde *damals* tunc temporis, a *mal* tempus.

DA, cum, tunc cum, quando. Videtur apocopatum ex antiquiori *dann* ejusdem ſignificatus, quod infra producam.

DACH, & *decke*, ſunt ſororia. Utrumque eſt opus tegendi cauſa factum. Utrumque a *decken* tegere.

DACH, domus, quia tegit, & viciſſim tegitur. Armoricis *tec*, Hibernis *deach* apud TOLANDUM in Vocabulario utriusque Gentis Harmonico. Angloſaxonibus *thece* Marc. VIII. 8. Francis *theki* in Harm. Evang. Tatian. Cap. XLVII. 4. *ih ni bin uuirdig thaz thu geſt untar nina theki*, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum. Ubi *tectum* & *theki* videntur poni pro domo. Convenit Gr. στέγη.

DACH, tectum, pars domus ſuperior, quæ inferiora tegit, & a tegulis vel ſtramine viciſſim tegitur. Evang. Angloſaxon. Luc. XVII. 31. *On tham dæge ſe the byth on thecene, and hys fatu on huſe, ne ſtihth he nyther thæt he hig nime*, in illa die, qui fuerit in tecto, & vaſa ejus in domo, ne deſcendat tollere illa. Belgæ eodem ſenſu dicunt *dak*, Sueci *taak*, Islandi hodierni *thak*, priores *thækia*. VEREL. in Ind. *thækia* tectum, *akrum er gardr at vægg, oc himin at teckio*, ſegetibus eſt paries ſepimentum, & tectum cœlum.

DACH, tectorium, cruſta, teſta, vel ſimile quid. Gloſſ. Pez. teſtæ *dahun*, teſtaceus *dahner*, teſta de Samiis *daha vonna leimun*. Hodie non occurrit. Similia tamen ſunt Hebræa, *tach* luto tegere, incruſtare, *tiach* tectorium, ex interpretatione CLODII.

DACHEN, tecto munire, *dachung* projectura. Verbum a ſubſt. ortum.

DACHS, meles, beſtia lucifuga, & in cavernis degens. Latino-Barb. *taxo*, Italis *taſſo*. ECCARDUS in L. Sal. pag. 27. "A *decken* occultare deſcendit *dachs*, animal „perpetuo fere abditum, & meatibus ſuis „ſubterraneis occultum.„ Hæc ille. Sed hic ſenſus rectius deſumitur a *decken* latitare, cujus antiquitatem & familiam infra produxi.

DÆMISCH, vertiginoſus. V. *daumel* vertigo.

DÆMPFEN. Vide in *dampf*.

DÆNEN, Dani, *Dænemark* Dania, regnum Daniæ, marchia Danica. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *Dæna* Dani, Daci, *Dæna-lage* lex Danica, *Denamearc* Dacia, *Deniſc* Danus, Dacus, Danicus, *tha Deniſcan* Dani. OL. WORMIUS Danos ſuos ab Iſraelitis oriundos contendit. Sed populariis ejus TORFÆUS rectius initia Gentis ad Odinum refert, in Serie Regum Daniæ Lib. II. Cap. 2. Dani igitur, cum ſint Colonia Odini, nomen ſuum non aliunde quam ab ipſo ducto-re, quem vulgus GODAN appellavit, habere videntur. P. DIACONUS Lib. I. de Geſt. Longob. Cap. 9. WODAN, *quem adjecta litera* GODAN *dixerunt*. Certe Selandia, ubi hodieque eſt caput regni, antiquitus dicta eſt *Codanonia*, & incolæ iſtius inſulæ *Codanones*, & totum fretum inſulis circumfluum *Sinus Codanus*. Unde niſi a *Godano*, imperii Danici primo fundatore, Duce & Deo gentis? Hinc *Dania*, ut credere par eſt, reapſe eſt *Codanonia*, & *Dani* ſunt *Codanones*, puta per apharesin. Solent enim voces ſæpiſſime capite truncari, & in compendium redigi ab ignavis lucri cauſa, ut ille ait apud PLAUTUM in Trucul. qui *rabonem* pro *arrabonem* dixerat:

\- - - *ar facio lucri,*
Ut Præneſtinis conia eſt ciconia.

Quo magis miror LEIBNITIUM, qui ab extremo & vix ſemel nominato fluvio *Dina* celeberrimæ gentis nomen deducit.

DALEN, *talen*, nugari, ineptire. Vide in *tal* ſermo.

DAMAST, ſericum damaſcenum. Ab urbe *Damaſco*, unde primitus creditur allatum. Et hinc rectius *damask*, ut Itali *damaſco*.

DAMEN-SPIL, ludus damius. An a *dame* domina? Ita FERRARIUS in voce DONNO: *Ludus Damarum in averſa alveoli parte, id eſt, dominarum, & ipſi calculi ſive lignei orbiculi dame appellantur.* Sed quare *dominarum?* An quia primi calculi figura fœminea ſignati? Sed obſtat, quod Germanis *dame* eſt calculus calculo impoſitus, non quivis orbiculus in alveolo. Inquirant alii, quid ſtatuendum ſit. Interim Græcis δάμα eſt ſtructura, & Turcis *dam* tectum, & Latinis *Damium ſacrificium* ſignificat ſacrificium opertum, apud FESTUM. Hinc *damen-ſpil* videtur eſſe ludus, in quo calculus calculo tegitur. Nam is ſolus in ludo dominatur, & ab illo recte fit ipſius ludi denominatio. Quod ſi non placet, ducatur a *dam* dama, quia ſicut dama e rupe in rupem, ita calculus ille, quacunque poteſt, tranſilit.

DAM-HIRSCH, caper alpinus, rupicapra. Latinis *dama*, Angloſaxon. *da*, Angl. *doe*, Suec. *dambiort*. Vox Saxonica & Anglica nimia laborant brevitate. *Dam* vero, unde Latinis *dama*, eſt vox apocopata a Scythica *thamb* arcus, quam ſiſtit VEREL. in Ind. Et dicitur de rupicapra, quia cornua habet retrorſum curvata inſtar arcus, non palmata aut digitata ut cervus. Dicitur autem cervus, quia vulgus ſolet ſpecies rerum confundere. Sic idem animal vocatur *gems*, a Græc. κεμὰς cerva, manifeſta caprini generis cum cervino confuſione.

DAMM, agger, munimentum inſtar muri fluctibus objectum, *dæmmen* aggere munire. Conſentiunt Belgæ & Angli in voce. Angloſaxones carent quidem ſubſtantivo, utuntur tamen verbo *demman*, obturare flumen, apud BENSON. Cui ſimile Hebræorum *atham* obturavit. Alias Græcis δαμᾶν eſt domare, ſubigere, quod tamen de aggere

re flumini objecto non dicitur, nec dici poteſt niſi metaphorice. Nomina locorum, AMSTERDAM, ROTERDAM, & ſimilium in *dam* deſinentium, haud dubie ab aggere formata ſunt.

DAMMEN, in antiquiſſimis Dialectis tria ſignificat, *judicare*, *abſolvere*, *condemnare*, quæ totam Juris œconomiam declarant. Errant profecto, qui a Lat. *damnare*, quod ultimæ tantum ſignificationi convenit, deducunt, eosque merito ſibi refutandos propoſuit VORSTIUS in Specimine Ling. Vernac. Cap. 12. Rectius JUNIUS deflexit a Gr. Θέμις jus, fas. Hæc origo ideo vera cenſeri debet, quia omnibus verbi ſenſibus reſpondet. Quid enim eſt *judicare*, *abſolvere*, *condemnare*, niſi ſecundum jus & fas pronunciare?

DAMMEN, judicare. Gothis *domjan* Luc. X. 29. XVI. 15. Angloſaxon. *deman*, Francis *duomon*, *tuomon*, Suec. *döma*, Island. *dæma*, Angl. *to deem*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *deman* judicare, *dema* judex, *dom*, *dome* judicium, *dom-ſetl* tribunal &c. Gloſſ. Lipſ. *duom* judicium, *duoma* judicia, *duomot* judicatis. TATIANUS Cap. VIII. 3. *ſon thir quimit tuomo*, ex te exiet dux. Id eſt, judex, qui judicabit populum Iſrael. Succis *domere* & Anglis *domes-man* etiamnum judicem ſignificat. Eſt & Hebræorum lingua *dan* judex, eodem pene ſono ac *dema*, quod Saxonicum eſſe vidimus. Reliqui hujus verbi ſignificatus ſunt a ſynecdoche, qua totum ponitur pro parte, judicare pro abſolvere vel condemnare. Ejusdem indolis verbum eſt *ſimen*, quod primo ſignificat judicare, poſtea ad omnes judicis partes extenditur.

DAMMEN, abſolvere, juſtificare, inſontem declarare. Codex Arg. Matth. XI. 19. *uſwaurhta gadomida worth handugei fram barnam ſeinam*, juſta judicata eſt ſapientia a filiis ſuis.

DAMMEN, condemnare. Codex Arg. Marc. XIV. 64. *gadomidedun ina ſkulan wiſan dauthau*, judicarunt eum reum eſſe mortis. Inde Angloſaxon. *dem* damnatio. Hodie utimur compoſito *verdammen*.

DAMPF, exhalatio cujuscunque rei. Gloſſ. Pez. vapor *damph*. Belgis *damp*, *domp*. A Græc. Θῦμα vapor ex ſuffimento. Labiales M. P. F. in ore Germanico ſe mutuo attrahunt.

DAMPF, halitus vitalis. Perſis *dem*, apud CLODIUM in Lex. Turc.

DÆMPFEN, oritur a *dampf*, non vice verſa, & hinc ſignificat quantum poteſt, *exhalare* & *exhalationem intercipere*, ſive id fiat *reſſinguendi*, ſive *ſuffocandi*, ſive *coquendi* cauſa.

DÆMPFEN, exhalare, vaporare, fumare. Belg. *dampen*, Græc. Θυμιᾶν.

DÆMPFEN, reſtinguere. Francis *temphan*, Suecis *dæmpa*. Dicitur præcipue de flamma & incendio, & deinceps etiam de aliis rebus per metaphoram. WILLERAM. Cap. IV. 14. *Caritas leskit unte betemphet multitudinem peccatorum*.

DÆMPFEN, ſuffocare, quocunque modo. Franci utuntur compoſitis *irdemphan*, *bitemphan*, *ſirtemſan*, in quibus *ir*, *bi*, *ſir*, ſunt particulæ intenſivæ. Gloſſ. Pez. enecare *irdemphan*. TATIANUS Cap. LIII. 1. de porcis Gadarenorum: *uuarun hitemphit in thenſeo*, ſuffocati ſunt in mari. Cap. LXXI. *thorna firthamftun ſamon ſinan*, ſpinæ ſuffocarunt ſemina ejus. LXXV. 3. *gitrog thero uuolone hitemphit thas uuort*, fallacia divitiarum ſuffocat verbum.

DÆMPFEN, coquere in vaſe clauſo, ne exhalationi pateat exitus, *gedæmpft fleiſch* caro in proprio ſucco cocta. Veneti vocant *ſoffegato*, i. e. ſuffocatam, quia exhalare non poteſt.

DÂN-ERBE, jus Regis ſuccedendi in bona peregrini defuncti, ſive hæreditas, quam Fiſcus regius capit ex jure Albanagii. VEREL. in Ind. *dana arf* in Legibus paſſim hæreditas vacans & caduca, præcipue exterorum, cum hæredes legitimi aut mortui ſunt, aut pro mortuis habentur, ſi intra tempus lege definitum, jus ſuum non profiteantur & perſequantur. A *Danis* hoc dici non nemo vult. Sed in LL. Weſtrogoth. dicitur *dana arf*, quod Germano & Anglo mortuis in Suecia ad regem devolvitur. Locum Legis produxit LOCCENIUS, qui ante VERELIUM ſcripſit, in Lexico Juris Sueo-Gothici, ubi videtur ſtare pro ſententia eorum, qui *dan* interpretantur per *dainn*, quod Islandis *mortuum* ſignificat. Illud certum, quod *Dan* ſenſu forenſi caducum quid denotet. Hoc tantum vellem inquiri a curioſis, annon *dan* aliqua five Celtarum ſive Scytharum Dialecto peregrinum ſignificet? Quod ſi eo ſenſu nuſquam reperiatur, *dan* revera erit mortuus, a Θανεῖν mori.

DANK, voluntas, beneplacitum, ſponte-neus animi motus, *wider meinen dank* me invito. Senſus vocis primus & antiquiſſimus, unde reliqui per traducem oriuntur. Angloſax. *agenes thancer* ſua ſponte, *thines thancer* tua ſponte *unthanca* invitus, volens nolens. Similia habent Franci. Otfridus Lib. III. Cap. III. 45.

Er uuolta ſines thankes
Uuiſon thar thes ſcalkes.
Volebat ſua ſponte
Viſitare ſervum.

Idem: *uuio er ſines thankes bi unſih ſtarb*, ut ſua ſponte pro nobis moreretur, Lib. IV. Cap. I. 11. *mines unthankes* invitus, non mea ſponte, ibid. verſ. 70. Gloſſa vetus apud Junium in Obſ. ad Will. pag. 43. *iro dankes*, *kerno*, ultro. Refer ad *denken* velle, quem ſignificatum infra adſtruxi. Synecdochice ponitur pro *bona voluntate* ſeu benevolentia, prorſus ut apud Latinos *voluntas*.

DANK, gratia gratificans, alias favor, clementia. Dicto ſynecdochica, qua voluntas ponitur pro benevolentia, quo genere dicen-

cendi (ut paulo ante monitum) delectantur etiam Latini. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. I. 93.

Ni mohtun uuir in uuara
Irthenken thio ginada,
Thia thu in thera noti
Druhtin bi unſih dati,
Thaz uuas io ana uuank
Allaz Druhtin thiner thank.
Non poteramus equidem
Excogitare hanc gratiam,
Quam tu in hac neceſſitate
Domine pro nobis feciſti,
Hoc erat ſine dubio
Totum Domine clementia tua.

Hodie dicimus *gnad*, quod etiamſi per reditum literarum conveniat cum *dank*, non tamen ex illo factum eſt. Quemadmodum autem voluntas nunquam eſt ſine cogitatu, ita propenſa voluntas multum trahit roboris a contemplatione. Nam quo magis unuſquiſque recogitat, quid ſibi, quid Deo, quid humanitati debeat, eo magis illum ad benevolentiam & clementiam flecti neceſſe eſt. Synecdochice ponitur pro *mutua benevolentia*. Et ab hac ſynecdoche pendet intellectus vocis ſequentis.

DANK, gratia grates agens, alias gratiarum actio. Dictio ſynecdochica, qua genus ponitur pro ſpecie, benevolentia pro grato animo ſeu mutua benevolentia. Quid enim eſt gratiarum actio, niſi favor mutuus, qui ſponte & ultro redit ad eum, a quo beneficium accepit? Omnes ſane naturaliter diligimus beneficia & benefactores, & monſtrum hominis eſt, aliquem ea ſola de cauſa odiſſe, quod beneficium dederit. Verum cum pauci noverint beneficia largiri, ut decet, hinc fit, ut gratiam, quam non habent, viciſſim non inveniant, & totus mundus refertus ſit ingratis, quos manu fecimus ipſi. Quædam enim beneficia nec ſponte dantur, nec confeſtim, & hæc ſunt diuturnæ exſpectationis præmia extorta, non beneficia. Alia ſuperbe & arroganter, & cum contemtu accipientis. Alia inſidioſe, ut libertatem noſtram redigant in ſervitutem. Alia exprobranter, & cum pudore indigentis. Alia tot indignis actionibus mixta, ut gravius ſit accipere, quam carere. Gothi gratiarum actionem vocant *thankjus*, Luc. XVII. 9. quod deſideratur in Gloſſariis, Angloſaxon. *thanc*, ibid. Franci & Alam. *danch* & *danchotat*. Gloſſæ Junianæ in Will. pag. 43. *dancha ſingante* grates canentes, *danchotat* gratiarum actio, *undhancpare* ingratus. Hic quoque affectus alitur & fovetur cogitatione. Nam quo magis accepti memoria beneficii refricatur, eo magis animus ad gratiam referendam movebitur.

DANK, gratia gratum faciens. VEREL. in Ind. *thauk* gratia, *thokaſell* gratioſus, cui omnes favent, *thægilegt* gratum, *gudi thægilegt* Deo gratum. Franci inſerunt N. dicendo *thanc* vel *danch*. Gloſſ. Pez. gratioſa *danchparigiu*. Id eſt, talia quæ gratiam ſuam ſecum ferunt, a *bæren* ferre. Refer ad *danken* placere. Nam proprie eſt illa gratia qua aliis placemus.

DANK, placitum, quod gratia placendi pollet, *zu dank thun* ad placitum facere, h. e. ita rem gerere ut alteri placeat. Rurſus a *danken* placere.

DANK, præmium, merces, retributio. Dictio metonymica, qua ſignatum ponitur pro ſigno, gratia grates agens pro mercede, qua gratus animus demonſtratur. Tatianus XXXII. 6. *Oba ir uuehſal gebet then, ſon then ir gitruwet lon inthabon, uuelih thanc iſt in thes thanne?* Si mutuum dederitis his, a quibus ſperatis mercedem recipere, qualis erit retributio veſtra? Quaſi dicat nulla, quia nihil facitis, quod remuneratione dignum ſit, & quod non peccatores faciant peccatoribus.

DANKEN, gratificari. A *dank* benevolentia. Angloſaxon. *thancian*, *thancgian* eſt gratificari, & hinc rurſus *thanc*, & *thances* gratis. Hoc ultimum agnoſcunt quoque Franci. Notkerus Pſal. CVIII. 26. *hilf mir Truhten Gott min umbe dine genada, die du danches ſkeineſt*, adjuva me Domine Deus meus propter miſericordiam tuam, quam gratis exhibes. Hodie obſoleſcit.

DANKEN, gratias agere. A *dank* grates. Gothis gratias agere dicitur *thankjus fairhaitan*, quaſi grates promittere, Luc. XVII. 9. Angloſaxonibus *thancian*, Matth. XXVI. 27. *and he genam thone calic thanciende*, & accepit calicem gratias agens. Apud BENSONIUM *thanc-fecgan*, quod hodie imitamur in *dankſagen*. Franci dicunt *danchon* & *thankon*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXIII. 18. *biginnet Gott thankon*, incipite Deo gratias agere. Lib. III. Cap. XX. 213. *thank es Got filu fram*, gratias age Deo quam maxime. Lib. V. Cap. XXV. 50. *thaz ſie es Gote thankon*, ut Deo gratias agant. Vetus precandi formula apud ECCARDUM in Catech. Theotiſc. p. 72. *"thancomes thir*, gratias agi„mus tibi. Inquirenti mihi, inquit JUNIUS, „in originem verbi *thancon*, ſtatim occurrit, „non male forte deduci poſſe a *thenkan* co„gitare, meminiſſe. Nam, ut eximie Sene„ca de Beneficiis Lib. III. Cap. 5. *Gratus eſt, „cui beneficium in mentem venit.* Et plenius „aliquanto Lib. II. de Benef. Cap. 24. *Nihil „magis præſtandum eſt, quam ut memoria no„bis meritorum hæreat, quæ ſubinde refri„canda eſt, quia nec referre poteſt gratiam, „niſi qui meminit, &, qui meminit, jam re„fert.* Egregie quoque P. Syrus in Mimi „jambis:

Sat magna uſura pro beneficio, memoria.

„Gallorum interim *recognoiſtre* & *recognoiſ„ſant* ad vivum exprimunt veram hujus ety„mologiæ rationem: Sicuti nec longe rece„dit eorundem *ſçavoir gré de quelque choſe:* „quod plane reſpondet Græco χαριν ειδεναι, „vel χαριν επιϛαϛαι επι τινι.„ Hæc Junius in Obſ. ad Will. pag. 44. Sed hic cogor a Viro ſummo diſſentire. Quamvis enim

denken

denken ſæpe ſit meminiſſe, plus tamen omnino ad gratiarum actionem requiri videtur, quam ſimplex recordatio. Nam grati animi indoles eſt, merita nonſolum agnoſcere & meminiſſe (quod etiam faciunt ingrati), ſed & mutuam benevolentiam tam verbis quam factis quavis occaſione reddere. Hinc gratias agere Latinis aliis verbis dicitur *gratiam referre*. Et hæc eſt illa gratia, quam Græci χάριν, Galli *gré* vocant, & quam ſcire ſe profitentur, non quod ſe beneficio affectos eſſe ſentiant, quod ſentiunt etiam ingrati, ſed quod gratiæ mutuæ ſibi conſcii ſint. Quæ cum ſit motus ſpontaneus, qui ad benefactorem revertitur, Gallis recte dicitur *gré*, a theotiſco *ger*, quod promtam voluntatem notat. Græcis & Gallis jungere potuiſſet JUNIUS Germanos, quibus *dank wiſſen*, idem quod Græcis χάριν ἰδέναι, & Gallis *ſçavoir gré*, niſi idioma noſtrum ſusque deque habuiſſet.

DANKEN, laudare, benedicere. Ex eodem fonte. Nam qui gratias agunt, ſolent in laudes & vota erga benefactores effundi. Et hinc gratias agere & laudare eodem verbo exprimi cœpit. Gloſſ. Pez. benedicentes *danchontiu*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XII. 49.

Githankota er'mo harto
Thero ſelbon uuorto.

Quem rhythmum optime vertit SCHILTERUS hoc modo: *laudavit eum valde propter hæc verba*. Nam Chriſtus non gratias egit Petro pro confeſſione, tanquam pro beneficio accepto, ſed potius illum laudavit. Hodie utimur in Sacris tantum, ubi *danken* ſæpe idem eſt quod laudare & glorificare Deum.

DANKEN, retribuere. A *dank* merces. OTFRIDUS: *thaz thir es Got githanko*, ut tibi id Deus retribuat, Lib. II. Cap. XX. 12. Lib. III. Cap. XIX. 72. Hinc ſalutantibus vulgo regerimus, *Got dank euch*, Deus vobis ſalutem retribuat.

DANKEN, placere, charum eſſe. VEREL. in Ind. *thoknaſt* placere, *their villdu honom thoknaſt* placere ipſi cupiebat. Idem Suecis *tökias*. Francos eodem ſenſu dixiſſe *thankon* vel *danchon*, inferto N. patet ex derivato *dank* gratia gratum faciens. Sed hæc verbi forma eſt vitioſa. Nam placere ſic dicitur ab objecto, h. e. a bono & pulchro, quia bona & pulchra tantum placent. Et Belgis quidem *deeg* eſt bonum, Cambris vero *teg* pulcher, bellus, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Ita a *lieb* gratus, deſiderabilis, fit *lieben* placere, ſicut a *bellus* amabilis, *fallen*, *gefallen* placere. Confer ſynonymum *hagen*.

DANN, *denn*, nam, namque. Gothi tres habent conjunctiones cauſales, *than* Luc. I. 66. *unte* Matth. IX. 24. & *ubthan* Marc. XVI. 8. Angloſaxones & Franci nullas. Quando vero ſeries orationis cauſalem poſtulat, tunc illi dicunt *witodlice* vel *ſothlice*, hi vero *keuiſſo*, quæ tamen nihil aliud ſignificant quam *certe* vel *vere*. Gloſſ. Keron. nam, namque *keuuiſſo*, enim *ſo keuuiſſo*. Poſtea ex Gothico *unte* a Francis formari cœpit *uuanta*, *uuanda*, quo paſſim utitur NOTKERUS & OTFRIDUS, unde Belgis remanſit *want* enim. Noſtra particula eſt a Gothica *than*. Mirum interim eſt, in ſermone humano particulam cauſalem poſſe deſiderari.

DANN, *denn*, cum, tunc, quando. Gothis *than*, Matth. IX. 15. Angloſax. *thænne*, *thonne*, Franc. *thanne*, Alam. *denne*. Gloſſ. Keron. tunc *denne*, cum *denne*, quando *denne*. Similia ſunt apud Latinos *tum* & *tunc*. Hodie *dann* ſequitur *wann*, olim utrumque locum occupavit. Evang. Angloſax. Joh. VII. 27. *thonne Criſt cymth*, *thonne nat nan mann hwanon he byth*, quando Chriſtus veniet, tunc nemo ſciet unde ſit. TATIANUS Cap. XXXIV. 1. *thanne ir betot*, *ni ſit thanne ſo ſo thie lihhizaru*, cum oratis, tunc non eritis ſicut hypocritæ.

DANN, quam. Adverb. comparandi, quod comparativum ſequitur in oratione. Sic vulgo dicimus, *beſſer dann er*, *ſchöner dann ſie*. An vetus ſit, neſcio. Venit tamen ab illo *ſothan* & *ſothanig* talis, qualis, hoc eſt, qui alteri comparatus, ſimilis illi deprehenditur.

DANNEN, locus a quo, *von dannen* unde. Olim non utebantur particula auxiliari *von* ad hunc ſenſum exprimendum. Gloſſ. Keron. hinc *danan*, unde *danaan*. Gloſſ. Boxh. *dana uuelzes* avelles. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIII. 37.

Ther fon ther erda hinana iſt
Ther ſcal ſprechan thanana iſt.
Qui de terra eſt,
Loquetur unde eſt.

Similiter Angloſax. *thanon*, *thonan*, *thonon* eſt hinc, unde, inde, exinde apud BENSON. Conſentiunt transpoſitis literis Græc. ἔνθεν hinc inde, & Lat. *unde*.

DANNOCH, *dennoch*, tamen. Particula adverſativa, ſed ex adverb. loci & temporis, *da* hic, & *noch* adhuc, ut videtur, compoſita. Gothi dicunt *annuh* Joh. XVIII. 37. *annuh thiudans is thu*. Ubi Luth. *ſo biſtu dennoch ein könig*. Et tamen Rex es? Hodie *annoch* eſt adverb. temporis.

DAR, ibi, illic. Adverb. loci remoti, ſicut *da* propinqui. Gloſſ. Keron. illuc *dara*. Extat & in reliquis Dialectis. Hinc verba Domini apud Marcum Cap. VI. 10. *ibi manete*: Gothus vertit *thar ſaljith*, Angloſaxo *thar wunigath*, Tatianus *thar uuonet*, Cap. XLIV. 7. Perſis *dar* ſubſtantive dicitur pro loco, apud RELANDUM in Diſſert. de veteri L. Perſica. Cæterum *thar* priſcis nonſolum eſt adverb. loci, ſed etiam temporis, præcipue OTFRIDO. Et hoc ſenſu ſuperat in *immerdar*, quod vi compoſitionis *perpetuum quando* ſignificat.

DARBEN, carere, indigere, privari. Gothis *thaurban*, Angloſaxonibus *thearfan*, Francis *tharban*, Scandis antiquis *thurfa*, hodiernis *tarfwa*, apud VERELIUM in Ind.

Proprie idem eſt quod *darfen* opus habere, & dicitur de pauperibus, quia omnium rerum tam utilium quam neceſſariarum inopia laborant.

DARD, jaculum, telum miſſile. Armoricis & Anglis *dart*, Latino-Barbaris *dardus*. ABBO de Obſid. Lutet. Lib. II.

- - - Scuta tonant, Dardique volant.

Rem & nomen rei Celticum eſſe, plerique exiſtimant, etiamſi nec CLUVERIUS nec BOCHARTUS inter arma Celtica *Dardorum* mentionem injecerint. Familia vocis hodie ſuperat apud Gallos, quibus *dard* jaculum, *dardeur* jaculator, *darder* jacere, jaculari. Cum poſtremo convenit δαρδάσσω, quod apud Heſychium exponitur *jacere*, obſervante JUNIO in not. ad Willeram. pag. 272. Probabile eſt, fuiſſe ſpiculum, ſeu parvam haſtam. Pro hac ſententia ſtat MARTINIUS in voce *ſagitta*, ubi *dart* deflectit a Græc. δοράτιον, quod eſt diminutivum a δόρυ haſta. Hæc etymologia omnibus, quas vidi, palmam præripit. Mihi tamen perſuaſum eſt, utramque vocem, tam Græcam quam Germanicam, e Celtico fonte petitam eſſe, nempe a *taro* ferire, quod omnibus telis, ſive cæſim lædant, ſive punctim, convenit. Confer *Cateia*.

DARF, opus, neceſſitas. Angloſax. *thearf*, Scandis antiq. *thorf*, *thorf*. VERELIUS in Ind. *thorf* neceſſarium, *um fram thorf* præter opus, præter neceſſitatem, *tharfleyſa* quod non juvat, in quo nullum commodum. Similiter in Lex. Run. *darf*, *dorf* exponitur opus. Proprie ſignificat id, quod expedit, ſive utile ſit, ſive neceſſarium, oriturque a *derben* expedire. A *darf* rurſus fit *darfen* gemino ſignificatu, opus eſſe, & opus habere.

DARF, indigentia. Verbale a *darfen* opus habere. Inde *bedürfig* indigus, opus habens.

DARFEN, opus eſſe, *es darf keiner weitleuffigkeit* non opus eſt prolixo rerum aut verborum ambitu.

DARFEN, opus habere. Goth. *tharfan*, Angloſax. *thearfan*, Franc. *tharfan*, *durfan*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XIV. pag. 31.

Bithiu ni durafun thera ſun
Thia thiarna noh ther ira ſun.
Quamvis non opus habebant hac expiatione
Virgo & filius ejus.

Differt a *darben* uſu tantum, non ſignificatu. Nam *darben* eſt inopia laborare, & pauperum proprium, *darfen* vero, & compoſite *bedarfen*, *bedörfen*, *bedürfen* eſt opus habere quocunque modo, ſorte omnibus communi.

DARFEN, audere, præſumere, confidere, *wer darf es ſagen ob es gleich war iſt*, quis auſit hoc dicere, etiamſi verum ſit. Rectius *darren* vel *dürren*, ut omnes antiqui. Eſt enim verbum Celticum, cujus veſtigia multa hodienum extant in Britannia, quæ facile deprehenduntur a peritis, qui voces depravatas a genuinis diſcernere norunt. Cambris *anturio* audere, aggredi, moliri, *antur*, auſum, molimen, *dewr* audax, fortis, ſtrenuus. Similia extant in reliquis Dialectis. Hinc audere Angloſaxonibus dicitur *dearran*, *dyrran*, Francis *durran* apud WILLERAM. Cap. VIII. 2. VERELIO in Ind. *thora*, Anglis *to dare*. LUTHERUS ipſe in ſacra Verſione primarum Editionum paſſim utitur *thüren* eadem notione, quod poſtea a typographis temere mutatum eſt in *darfen* & *dörffen*. Omnibus conſentit Græc. θαῤῥέω confidere, præſumere, audere, & θάῤῥη audacia, confidentia. Unde manifeſtum, quod Litera F. in medio verbi a recentioribus infarta ſit. Interim cum Germanis conſentiunt Dani & Belgæ, duces an ſocii, incertum. Nam Danis quoque *jeg torff* eſt audeo, & Belgis *durven* audere. Et hinc *dyrfd* in Indice VERELII eſt audacia. Verum longe aliam & deteriorem mutationem obit hodie hoc verbum in ore & aure vulgi, dum priſtinum ſignificatum ſenſim remittit, & de eo, quod licite fit, uſurpari incipit. Hinc vulgo dicimus, *ich darf nicht*, non licet mihi, cum proprie ſignificet, non audeo.

DARM, ductus extalis. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. inteſtina *tharma*. Gloſſ. Pez. extales *crozdarma*. Angloſax. *thearm* inteſtinum, *thearmes utgang* procidentia ani. Græcis τρᾶμα eſt foramen ſedis, & τράμις podex. Cuncta a τρέω, τρέω perforo.

DARRE, morbus avium. V. *dürren* areſcere.

DARRE, locus ubi horreum torretur. Refer ad *dürren* arefacere.

DARUM, idcirco, viciſſim. Novum, & eodem vitio affectum ut *warum*. Nam *dar* eſt adverb. loci, quod a ſenſu loquentium alienum, qui volunt dicere *das-um* propter ea.

DAS, hoc, quod. Gothis *that*, Angloſax. *thæt*, Franc. *thaz*, *that*, Alam. *daz*. Gloſſ. Keron. hoc eſt *daz iſt*, quod *daz*, quod abſit *daz fer ſi*. Quibus cum convenit Gr. τοῦτο. Priſcis nonſolum eſt pronomen, ſed etiam conjunctio, ſignificans *ut*, *quod*, quæ hodie ſcribitur *daß*.

DAUBE, tabula doliaris. Gall. *douve*. Cambrica lingua *tu* eſt latus. Et tabulæ illæ quid ſunt, niſi latera dolii? Literæ finales poſſunt eſſe a paragoge. Galli inde derivant *adouver* & *addouber* aſſerculos dolii compingere, & *radouber* aſſeres navis reficere. Germanis *dauben* aliquando idem denotavit ac latera dolii compingere, ſaltim prioribus illis, qui nobis cadorum nomina *tuppe* & *zuber* reliquerunt.

DAUCHT, videtur, *mich daucht* videtur mihi. Utitur Luth. Act. XV. 22. ſuffragantibus Gothis & Alamannis. Gloſſ. Keron. videatur *ſi keduht*, viſus *keduht*, viſum fuerit *keduht iſt*. Gothis *thuhtan ſik* eſt exiſtimare, *thuhta im* exiſtimabant, Luc. XIX. 11. Et hinc ſuperbi, qui alios præ ſe contemnunt,

mnunt, & propria exiſtimatione ſibi videntur magni, Gothis appellantur *mikilthuhtans*, a *mikil* magnus, Luc. I. 51. Hiſce ſono & ſignificatu convenit, Latinum *duco*, & Græcum δοκέω. Verbi noſtri infinitivum vide in *dunken*.

DAUEN, *dauwen*, digerere. Gloſſ. Pez. digere *douui*, digeri *cadauuan*, conſumit *douuit*. Gloſſ. Keron. digeſti *kideuuite*. Belgis *douwen* eſt premere, quod videtur naturam digeſtionis explicare. Plura veterum teſtimonia vide in compoſito *Verdauen*.

DAUME, pollex. Gloſſ. Ælfrici: *thuma* pollex. Benſon. *thymel* pollex. Verel. in Indice: *thumlungr* pollex chirothecæ. Quemadmodum *pollex* ISIDORO a *pollendo* deducitur, quod inter cæteros digitos virtute polleat & poteſtate: ita idem digitus MARTINIO *daum* dici videtur a *domo*, quod domandis & tractandis rebus præ cæteris idoneus ſit. Mihi *daum* videtur abſciſſum ab antiquiori *dymel*. Ipſum vero *dymel* ortum exiſtimo a Gr. διμερής bipartitus, mutato R. in L. Nam pollex eſt διχοῦδυλος, & duos habet nodos, cum cæteri digiti habeant tres, etiamſi ARISTOTELES alium computum faciat, qui articulos infimos in pectine manus non videtur conſideraſſe.

DAUMEL, *taumel*, vertigo, *taumel-kelch* poculum vertiginis Eſa. LI. 17. *teumelig*, *dæmelig* vertiginoſus. Suſpicor, prioribus Germanis *düimen* idem denotaſſe quod Græcis δινεῖν, h. e. *vertere*, *volvere*, *circumagere*. Nam N. & M. ſunt literæ permutabiles, & ab hoc verbo, quamvis hodie inuſitato, manifeſto derivantur *düimel* & *taumel* vertigo, *tümiſch* & *dæmiſch* vertiginoſus, quæ paſſim vigent in Dialectis.

DAUMELN, duobus modis conſiderari poteſt, vel ut frequentativum ab obſoleto *düimen*, vel ut derivativum a *daumel*.

DAUMELN, quatenus eſt frequentativum ab obſoleto *düimen*, eundem ſervat ſignificatum ut ſimplex. Varie autem effertur in Dialectis. Belgis *tuimelen* eſt rotare, ſurſum deorſumque vertere, *tumeling der regeeringe* everſio reipublicæ. Angliis *to tumble* volvere & volvi, *tumbling* verſatio, volutatio. Germanis *tummeln* vertere, circumagere, & per ſynecdochen generis ſaltare, quia ſaltantes ſubinde corpus vertunt.

DAUMELN, *taumeln*, quatenus eſt derivativum a *daumel* vertigo, ſignificat *vertigine agi*. Utitur Luth. Pſal. CVII. 27. Eſa. XXVIII. 7. & paſſim. Et dicitur proprie de ebriis, qui crapulam ſentiunt, poſtea etiam de aliis, qui quamcunque ob cauſam vertiginem capitis patiuntur, & toto corpore nutant. Unde ſit hoc verbi, STADENIUS, quem illud valde inquietum habuit, fatetur ſe ignorare, in Voc. Bibl. pag. 627. Sed in Additionibus pag. 908. illud tanquam frequentativum a *tümen* ſaltare deducit, quaſi titubare ſit tripudiare. Plures origines ſuggerit Cadmus Græco-Phœnix MARTINII in voce Θυμέλη, Arabicas & Græcas, ſed a vero verbi ſenſu plane devias, qui certe non aliunde petitus eſt quam a ſubſt. *daumel* vertigo.

DAUREN, durare. Utrumque a Gr. δηρὸν diu. Quid enim eſt durare, niſi diu perſeverare? Inde Francis *dura ſuna* firma pax, apud CANGIUM in Gloſſ. Germanis *daur* duratio, Belgis *geduurig* continuo. Quibus convenit Heb. *dor* duravit.

DAUREN, dolere, affligi, *zubedauren* dolendum. Dicitur præcipue de pœnitentia & miſeratione; ſed in tota retro antiquitate non habet ſimile. Difficile autem eſt, rationem reddere de vocibus, quarum Archæologia deſideratur. Forte eſt ipſum Lat. *dolore*, quia L. & R. ſæpe permutantur.

DAUS, binio. A Gr. δυὰς, vel Gall. *deux* duo.

DAUZEN, *duzen*, perſonam ſecundam in ſecunda ſingularis alloqui, Gall. *tutoier*, Lat. Barb. *tuiſſare*. A *du* tu. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XI. 81.

Uuola thiu nan duzta,
Inti in ira harm ſazta.
Beata quæ illum tuiſſavit,
Et in gremio ſuo poſuit.

Quamvis naturale ſit, & moribus antiquis receptum, ut allocutio ſecundæ perſonæ eo fiat pronomine, quod illi proprium: Hodie tamen ſinguli ſingulos aliter compellamus, ſive honoris gratia, ſive aſſentationis ſtudio, exceptis Deo & chariſſimis, junioribus & ſubjectis, vilibus & contemtis. Olim autem omnes, etiam honoratiores, in ſecunda ſingularis appellatos eſſe, teſtatur Confeſſio peccatorum antiqua, Libris Evangeliorum Otfridi a FLACIO præfixa, quæ ipſius Caroli M. eſſe putatur, ubi circa finem: *So bin ih es Gote allmahtigen bigihtig, inti allen Gotes heilagon, inti* THIR *Gotes manne*. Alia non minus cana habet: *unde* DIR *ſinemo boden*, apud ECCARDUM in Cat. Theot. pag. 96. Sed poſt exceſſum Caroli, perſona eccleſiaſtica, quamvis una, multitudinis numero compellari cœpit. OTFRIDUS in Præfatione ad Salomonem Epiſcopum verſ. 9.

Lexza ich therera buachi
Iu ſentu in Suaborichi,
Thaz ir irkiaſet uberal,
Oba ſiu fruma uuertan ſcal.
Lectionem horum librorum
Mitto vobis in regnum Sueviæ,
Ut deliberetis univerſe
An utilis ſit futura.

Belgis id peculiare, quod neminem lingua ſua tuiſſare poſſint. Loquor de conſtitutione Belgicæ Linguæ hodierna. Nam veteris aliam fuiſſe rationem, indubium. Hinc orta in Synodo Dordracena quæſtio, quonam modo DEUS compellandus ſit? definitumque, præſtare, ut *ghy* retineatur, cum *dy* ſit obſoletum, & genio vernaculæ contrariurn. Hodie Poëtarum & Quakerorum

proprium eſt, omnes, etiam Principes & Reges, vetuſto more alloqui. Sed id, quod in carmine decorum, extra carmen ruſticum cenſetur. Quakerorum inſtitutum prolixe examinat Diſputatio Theologica *de modo compellationis in ſecunda ſingulari*, Præſide D. ENGELCRENIO Roſtochi 1720 habita, in qua multa, non ubivis obvia, occurrunt. Fuere tamen omnibus temporibus viri probi in Germania, qui non obſtinatione, aut ſectæ ſtudio, ſed antiqua fide & ſynceritate ducti, omnes etiam ſummos viros tuiſſando alloquerentur. En tibi jucundum exemplum ex Annal. Suev. CRUSII Part. III. Lib. XI. pag. 631. ad an. 1536. *Es war zu Augſpurg ein Arzt, mit namen Ulrich Jung, der pfleget jederman zu tauzen. Er kam zu Kayſer Carol dem Vten und ſprach: Kayſer, dein Vorfahren (Maximilianus) iſt mir 6000. gülden ſchuldig blieben. Daß du mir ſie wieder gebeſt, ſtehts deiner Kayſerlichen ehr wol an. Doch ich laß ſie dir nach: wann du mir und meiner frauen jærlichs 600. gülden leibding unſer lebtag gibſt. Reſpondit Cæſar: ia Doctor Ulrich, ihr ſolt ewers begehrens gewæhret ſein. Et ſic factum eſt.* Hodie priſci moris retinentes ſunt Tyrolenſes, qui non ſolum ſe & ſuos, ſed etiam peregrinos, & ſummos quoque viros in perſona ſecunda alloquuntur. Quod cæteri Germani ridere ſolent, quia ſcil. a priſca ſimplicitate ad ſtulta complimenta (ſit venia verbo) deſciverunt.

DE, medium derivandi. V. *Proleg.* Sect. VI.

DEBEN, incendere, urere, igne cremare. Græcis τύφω. Vox e lingua Græca in coloniam veteris Franciæ traducta. Inde voces Malbergicæ in Lege Salica,

Saldeban
incendere domum,
a *ſal* domus.

Tit. XIX. de incendiis, art. 7. *Si quis ſpicarium aut machalum cum annona incenderit, Malb. ſaldeban.*

leosdeba
incendium ſuis,
a *loos* ſus.

Ibid. art. 8. *Si quis ſudenn cum porcis, ſcuriam cum animalibus vel fænile incenderit, Malb. leosdeba.*

chreodiba
combuſtio cadaveris,
a *reef* cadaver.

Tit. LXXIV. *de chreodiba.* Art. I. *Si quis hominem ingenuum ſeu in ſylva ſeu in quolibet loco occiderit, & ad celandum igne combuſſerit* &c.

Cuncta ex obſervatione Nob. ECCARDI in excellenti Commentario ad Leg. Sal. p. 42.

DECHANT, a Lat. *decanus*. Vocem Germanicam vide in *dingman*.

DECKE, operimentum cujuscunque rei. Angloſax. *theccene*, Franc. *theki*. TATIANUS cap. XV. 4. *obanentiga thekki des tempales*, pinnaculum templi. Proprie ſupremum templi tectum. VEREL in Ind. *thækia* tectum. Convenit Gr. τέγη & στέγη, Lat. *tegmen, teges*, & *tectum*, Lat. Barb. *dagus*, unde Gallis *dais* pro umbraculo. Cuncta affinia, a *decken* operire. A ſimplici eſt diminutiv. *deckel* operculum.

DECKE, laquear, contignatio. VEREL. in Ind. *thekia* laquear. Verſio Francica eodem ſenſu habet *theki*. TATIANUS Cap. LIV. 3. *ſtigun ubar thie theki*, aſcenderunt ſupra tectum. Plures ſignificatus vide in *dach*.

DECKEN, latere. Verbum Celticum. Cambris *techu* eſt latere, latitare, ab antiquis Britannis relictum, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Hinc fraus & machinatio occulta Græcis vocatur τέχνη, Latinis *technæ*. Ab eodem primitivo deſcendunt multa *verba faceſſentia* in omnibus Occidentis Linguis, tam deſita quam uſitata, quorum ſchema hic ſubijciam.

Parentela verbi Celtici TECHU *in Linguis Occidentis.*

tegere, facere ut lateat. } Græc. στέγω. Lat. *tego*. Angloſax. *theccan*. Fr. & Alam. *decchan*. } Vide *decken* operire.

celare, tegere occultandi cauſa. } Franc. *tougan*. Alam. *tögen*. } V. *tögen* celare.

ſilere, ſilentio tegere. } Lat. *tacere*. Goth. *thahan*. Franc. *thagan*. Isl. *thaka*. Suec. *tiga*. } V. *tagen* ſilere.

Hodie dicimus *ſtecken* præfixo ſibilo. Sic vulgo ajunt, *wo haſtu ſo lang geſteckt* ubi latitaſti tam diu? Sed a ſimplici *decken* habemus permulta derivata, ut ſunt *tück* dolus, fraus latens ut anguis in herba, *tock-mæuſer* homo obſcurus & latebras quærens, *dachs* meles, animal in cavernis latitans, *deck-mantel* prætextus, cum quid latendi cauſa ſimulate atque in ſpeciem dicitur aut agitur, *bedeckung* latibulum, ſpecies munitionis in architectura militari.

DECKEN, operire. Verbum faceſſens a *decken* latere. Quid enim eſt operire, niſi facere ut lateat? Angloſaxones eodem ſenſu dicunt *tbeccan*, *thaccian*, Franci & Alam. *tachen*, *decchan*. Gloſſ. Keron. operui *pidachta*, detegere *intdecchan*. NOTKERUS Pſal. XXXIV. 13. *mit harrun dahta ih mich*, cilicio me tegebam. Quibus convenit Gr. στέγω, Lat. *tego*.

DECKEN, ſternere, *den tiſch decken* ſternere menſam, quod fit operiendo. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. IV. 35. de turba Hieroſolymitana:

Zi kuning ſie nan quattun,
Joh imo then ueg thagtun.

Regem

Regem eum proclamabant,
Et viam illi ſternebant.

Veſtimentis viam operientes, ut glorioſius urbem intraret Dominus.

DECKEN, celare, abſcondere, tegere occultandi cauſa, *verdeckter-weiſe* tecte, *verdeckt eſſen* verba ambigua, quæ mentem dicentis occultant. Verbum affine cum *tögen* celare, de quo infra.

DECKEN, tacere, ſilentio tegere. VERELIN Ind. *thaka*, *thagka* tacere, *thogn* ſilentium. Hodie non dicitur niſi de ſilentio quo alterius dedecus tegimus. Interim affinitate jungitur cum *tagen* ſilere, de quo infra.

DEEF, *teef*, meretrix, Dial. Belg. Olim ancilla. Cauſam vituperatæ vocis vide in *dieb* ſervus & ſerva.

DEEF, *teef*, canicula. Proprie catuliens, a θέω curro, quod in imperativo habet θεῦ. Rectius ſcribitur *teew*. Nam F. etiamſi ſit ejusdem inſtrumenti ut W. & in illud convertibile, non tamen eſt medium ordinarium faciendi derivata.

DEGEN, ſervus, homo obnoxius, ſed liber & ingenuus. Angloſaxonibus *then*, *thegn*, *thegen* eſt miniſter. Idem Francis *thegan*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XX. 85.

Geſceident ſih in ala uuar
Herero inti thegan thar.
Tunc ibi ſeparabuntur
Dominus & ſervus.

Apud eundem Chriſtus vocatur Dominus, & Johannes Baptiſta *thegan ſiner* miniſter ejus, qui præparat illi viam, ut famuli Dominis debent, Lib. I. Cap. III. circa fin. Hic primus vocis ſenſus, ſed paucis perſpectus. SCHILTERUS in notis ad Epinic. Lud. R. verſ. 10. nomen Francicum deducit a *thigan* ambire, ſervire. Sed invita Francorum lingua. Nam *thigan* Francis & Alamannis eſt petere, non inſervire. Gloſſ. Keron. petat *dicke*, petierit *dickit*. Idem in Gloſſ. Teut. pag. 229. aliam ſectatur originem, & *thegan* ponit inter derivata verbi *tihan* creſcere, proficere, ut proprie ſit omnis ætate provectus. Quod a ſenſu vocis alienum. Mihi videtur origo perſpicua. Nam miniſtrare, quod hodie dicitur *dienen*, Angloſaxonibus effertur *thenian*, & mutato I. in G. *thegnan*. Ab hac verbi duplicitate manifeſto oriuntur duo miniſtrorum nomina, *then* verbale a *thenian*, & *thegn* verbale a *thegnan*. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *thenian* miniſtrare, obſequi, *then* miniſter, *thegnan* miniſtrare, *thegn*, *thegen* thanus, miniſter. A *thegnan* porro eſt *thegning* officium, obſequium, miniſtratio, & *githigini* famulitium. Illud Angloſaxonibus, hoc Francis proprium.

DEGEN, civis, & quilibet ſubditus. Senſus Septemtrionalibus proprius. VERELin Indice: *thegn* civis, ſubditus, populus, hominum liberorum multitudo. Addit: *De ingenuis dicitur, ſive nobiles, ſive e plebe ſint.* Inde compoſita,

thegengildi, mulcta Regi debita propter cædem liberi hominis,

thegenſkylda, populi & civium obſequium & fidelitas erga Regem,

thegenſkapr, boni civis virtus, probitas, liberalitas,

thegenſkapar-madur, bonus civis, probus.

DEGEN, dominus, ſed ſuperiori domino (Principi vel Regi) obnoxius. Proprie eſt ſervus ſupremi ordinis, & miniſter Regis nobilior. Gloſſ. Ælf. pag. 70. Satrapa *thegn*, Primas *heofodman* vel *thegn*. SOMNER. *thegn* vir in gradu aliquo dignitatis conſtitutus, *cyniges-thegen* ſatrapa, optimas, dynaſta, baro (qui Regi fidem & obſequium addixerunt), *thegn-boren* generoſus, honeſta vel generoſa familia oriundus, *thegn-ſcype* dignitas, ordo, gradus &c. SPELMANNUS in vita Ælfredi M. p. 118. "*Thegnes* noſtri erant „nobilitatis officiorumque omnium tum „civilium tum militarium, tum eccleſiaſtici„corum ſeminarium: ex horum enim nu„mero Rex in bello duces, in pace miniſtros & magiſtratus, & eorum ope e colo„nis milites aliosque inferioris ordinis ſa„mulantes elegit.„ OTFRIDUS Lib. I. Cap. III. 51. de Proavis B. Virginis ex ſtirpe Davidis:

Thiu thritta zuahta thanana
Thaz uuarun edil thegana.
Tertia deinde generatio
Erant domini nobiles.

VERELIUS in Ind. *thegn* dominus, *thegn oc thræl* dominus & ſervus. Inde Latino-Barbaris *Theganus*, *Thainus*, *Thanus* eodem & nobiliſſimo ſenſu, ut docent SPELMANN. SELDENUS, CANGIUS. Ab hoc ſignificatu famulitium regium, quatenus ex proceribus & vaſallis componitur, in Epinicio Lud. R. verſ. 10. appellatur *froniſc githigini*, h. e. illuſtre miniſterium, ut docet SCHILTERUS in notis.

DEGEN, miles, ab infima ad ſupremam conditionem. Quemadmodum *miles* apud Scriptores medii ævi eſt omnium bellatorum, tam imperantium quam parentium vocabulum, ſic ut milites vulgo dividerentur in *majores* & *minores*, ut ex vita Cunradi apud Wipponem liquet: ita apud Theotiſcos *thegen* erat ejusdem menſuræ, & denotabat nonſolum milites gregarios, ſed etiam belli duces, & omnes militiæ præfectos, cujuscunque gradus ac dignitatis. Ad primum ſignificatum ſpectant multa apud OTFRIDUM obvia, qualia ſunt, quod milites Pilati vocantur *thes herizohon thegana*, h. e. milites præſidis, Lib. IV. Cap. XXII. 38. & Angeli *himilisge thegana* ſatellites cœleſtes, Lib. IV. Cap. XVII. 33. & Franci in genere *thegana zi uuafane ſnelle* milites ad arma alacres, & *guate thegana* boni milites, Lib. I. Cap. I. 128. 221. Quibus conſentiunt Gloſſæ antiquæ apud Boxhornium: *dhegan*

nom. milites, *fior fioringom dheganom* quater quaternionibus militum. Ad ſecundum ſignificatum ſpectat, quod *thegnes* Angloſaxonibus ſunt belli duces, & militum inferiorum præfecti, ut docet SPELMANNUS ſupra excitatus: & quod ipſe Rex LUDOVICUS ab OTFRIDO vocatur *edil thegan* nobilis miles, Lib. I. Cap. I. 198. Quem locum recte vindicat STADENIUS, oſtendens, illum ad Regem, non ad plebem pertinere. Huc fortaſſe etiam facit inſcriptio Runica Saxi Scolingenſis apud WORMIUM in Monum. Dan. pag. 264.

Oſter di risdi ſtin denſi
Oſtir Guda fadur ſin
Her den guden DIAGN.
Oſterdi lapidem hunc poſuit
in memoriam Gutæ patris ſui,
exercitus boni Ductoris.

Dixi *thegen* eſſe militem in genere, parvum vel magnum, ducem vel miniſterialem. Et hoc ſenſu occurrit quoque in Nominibus propriis Francorum & Alamannorum. Inde

DAGOBERTUS, miles clarus. Nomen multorum in Francia Regum, de quo jam aliquid dixi in *brecht*. Reliqua occurrunt apud Goldaſtum in Indice.

DAGOALDUS, militum præfectus. A *walt* præfectus.

THEGINPOLD, miles audax, animoſus. V. *bald*. Scribitur & *Tagebold*.

THEGENHART, miles acer, robuſtus. V. *hart*.

THEGANMAR, & *tagamar*, miles celebris, famoſus, V. *mar*.

DEGEN, vir fortis. Senſus a milite ad omnes ſtrenuos traductus. SOMNER. *thegen* vir fortis vel ſtrenuus, *thegenlice* viriliter. Gloſſ. Lipſ. *thegenliche* viriliter. Inde *theganheit* virtus, fortitudo. OTFRIDUS Lib. I. Cap. III. 35. de R. Davide: *er quam mit theganheiti*, pervenit (ad regnum) virtute. Atque hinc jam patet, quid ſit THEGAN vel THEGANUS, quatenus nomen hominis proprium conſtituit, nempe vir fortis. Claruit hoc nomine Scriptor ingenuus *de Geſtis Ludovici Pii*, ſub quo etiam vixit. Idem nomen occurrit quoque in Indicibus GOLDASTI inter Nomina propria Alamannorum.

DEGEN, enſis, gladius. Senſus vocis hodiernus, quem etiam agnoſcunt Belgæ & Dani. Virum & arma eodem nomine deſignari, ſæpe contingit, ut patet ex vocibus *wer* & *gæs*. Sed his nunc miſſis, videamus, cur *degen* & militem & gladium ſignificet? Convenit inter Viros Doctos, gladium a poſtera ætate ſic dictum eſſe quaſi ſervum vel militem, ſive quod domino continuo ſit a latere inſtar ſervi, ſive quod corpus geſtantis tueatur inſtar militis. GOLDASTUS Animadverſ. in Parænet. pag. 365. *Gladius nuncupatus eſt* DEGIN, *quod ejus miniſterio in defenſione utimur*. OL. WORMIUS Lib. IV. Monum. Dan. pag. 264. *Tractum ad gladium deſignandum, quem Danica voce* DEGEN *appellamus, quod ejus miniſterio in defenſione utamur*. Tranſiit hoc ſignificatu, aut certe ſimili, in alias quoque Linguas. Hinc pugio Armoricis *dager* vel *dagr*, apud Boxhorn. in Lex. Ant. Brit. Gallis *dague*, Italis & Hiſpan. *daga*, Lat. Barb. *daggerius*.

DEHNEN, tendere, extendere. Litera H. in medio vocis non agnoſcitur ab antiquis, nec locum habet in derivatis, qualia ſunt, *dünn* tenuis, *tunen* tenduclæ, *tant* chorda, &c. Vide ergo *denen*. H. in ſcrutinio vocum ſæpe etymologiam turbat.

DEICHSEL, temo. Quidam deducunt a *ziehen* trahere, alii a τάσις, h. e. extenſione, quia temo eſt lignum longum. Illud STILERO, hoc MARTINIO ſe probavit. Mihi, ſi Græca origine opus ſit, non aliunde melius duci poſſe videtur quam a δοικέω rego, guberno. Quid aliud eſt temo niſi gubernaculum currus? Et hinc etiam Cambris *taig* pro clavo eſt. In Dialectis Saxonicis gutturalis in medio vocis eliditur. Hinc temo Angloſaxon. dicitur *thisl*, Belgis *diſſel-boom*, Suecis *wagntiſſel*. Gloſſ. Elf. temo vel arctoes *thisl*. Puto ab antiquiori & ſaniori *thicsl*, per ſyncopen.

DEICHSEL, aſcia, dolabra, vel ſimile vietorum inſtrumentum. Gloſſ. Pez. aſcia *dehſala*. Idem Belgis *diſſel*. Apud Germanos ceſſat. Factum autem videtur a Francisex Lat. *aſciculus* vel *aſciola* per proſtheſin literæ D. quæ, ut in *Prolegomenis* vidimus, non caret exemplis. Gloſſæ Iſidori: *aſciculus*, *aſciola*, dolabra.

DEIHEN, creſcere, proficere. Gothis *thaijan*, Angloſaxon. *thean*, *theon*, & compoſite *gethean*, *getheon*, Francis *dihan*, *thigan*, *dieben*. Gloſſ Pez. proficere *dihan*, crevit *deh*. NOTKERUS Pſal. LIII. 2. *mit dien uuerdent peccatores pezeichenet, die hier in uuerlte uuolo diehent unde gryone ſint*: hiſce notantur peccatores, qui hic in mundo bene vigent & virent. Obſervari meretur, quod omnes Antiqui Interpretes in reddendis Evangeliſtæ verbis Luc. II. 52. *& Jeſus proficiebat ſapientia*: hoc verbo utantur. Gothus habet: *Jah Jaiſus thaih frodein*. Saxo: *and ſe hælend theah on wisdome*. TATIANUS Francice loquens: *inti ther heilant theg in ſpahidu*, Cap. XII. 9. STIERNHIELMIUS hoc verbum tanquam ex Oriente profectum, derivat ab Heb. *dagah* crevit, multiplicatus eſt. Hodie dicimus *gedeihen*, quod vide.

DEIHEN, perficere. Angloſaxonibus *getheon* nonſolum eſt creſcere, vigere, ſed etiam perficere, teſtibus SOMNERO & BENSONIO. Francis *githigan* idem denotaſſe, patet ex derivato *githiganaz* perfectum, quo utitur OTFRIDUS Lib. II. Cap. IV. 44.

Sprah er, odo deta uuaz,
Thaz uuas al githiganaz.

Si quid

Si quid dicebat aut faciebat,
Id omne erat perfectum.

Perficere autem eſt ad finem & conſummationem perducere. Atqui Celtica Lingua *tach* eſt finis. Idque colligo ex derivatis, quæ extant apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *tachwedd* quod ad finem tendit, *tachweddu* conſummare, finire. Hodie utimur participio *gediegen*, quod vide.

DEIHEN, *gedeihen*, prodeſſe, *harte ſpeiſen gedeihen nicht einem ſchwachen magen*, cibi craſſiores non proſunt ſtomacho debili, *gedeihlich* utilis, proficuus. BOXHORN. loc. cit. *tyccio* prodeſſe. Islandi eodem ſenſu dicunt *tia* & *tioa*, apud VEREL. in Ind. puta per ſyncopen. Vox Belgica *deeg* bonum, vel mater eſt verbi Celtici, vel proles. Nam per bonum omnes concipiunt id, quod utile eſt, & conducit. Confer verbum ſororium *taugen* prodeſſe.

DEIN, pronom. poſſeſſ. ſec. perſ. Perſ. *tu*, Dor. τεὸς, Lat. *tuus* & *tuum*, Goth. *theins*, Angloſaxon. *thine*, Franc. *thin*, Alam. *din*, Gall. *ton* & *tien*. Cuncta affinia, a *du* tu. Gloſſ. Keron. tuum *din*, tua *dina*, tui *diner*, tuo *dineru*, *dinemu*, tuam *dinera*. Confer *mein* & *fein*.

DEM, illi, illo, cui, quo. Gothis *thammei*, Angloſaxon. *tham*, Franc. & Alam. *themo*, *demu*. Gloſſ. Keron. ipſo *demuſelbin*. TATIANUS Cap. IV. II. *in themo ahtoden tage*, in die octavo. Cap. CLV. *zi themo fater*, ad patrem.

DEMANT, lapis inter pretioſos duriſſimus & fulgentiſſimus. A Gr. ἀδάμας, quod eſt *indomitus*, interprete PLINIO: Qui eum non niſi Regibus & iis admodum paucis cognitum eſſe ſcribit Lib. XXXVII. Cap. 4. Carolum M. & poſtea Conradum I. geſtaſſe coronam auream gemmis inſignem, teſtantur EGINHARDUS Cap. XXIII. & LUITPRANDUS Hiſt. Lib. II. Cap. 7. Sed de adamante altum ſilentium. In hodierna Corona Imperiali nullus eſt adamas.

DEMMEN, heluari. Jungi ſolet uſu vulgi cum *ſchlemmen*. Quo ſenſu, ambiguum? HELVIGIO eſt inſumere, profundere, a Gr. δαπανᾶν, unde Latinis *damnum* quaſi *dapnum* pro jactura rei familiaris: STILERO noctes potando ducere, ab obſoleto *demm*, tenebræ. Si alterutrum eligendum ſit, malim poſterius, quia domeſticum. Inde *demmer* heluo, quaſi potator noctturnus.

DEMMER, obſcurus, *demmern* veſperaſcere, *demmericht* ſublucanus, *demmerung* crepuſculum veſpertinum & matutinum. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *dym*, *dim* tenebroſus, obſcurus, caliginoſus, *dim-hof* antrum, ſpelunca, locus obſcurus. VEREL. in Ind. *dimma* caligo, *dimmur* obſcurus, *dimmar* tenebræ, *dymt* tenebricoſum. Anglis *to dimm* eſt caligare, Bohemis *temny* caliginoſus, *tma* caligo. Habent etiam Franci, quod huc ſpectet, ut ſunt, *thimſter* caliginoſus, *thimſtre* & *thimſterniſſe* caligo, apud WILLERAMUM Merulæ pag. 39. & 68. JUNIUS in Obſerv. ad Will. pag. 86. cunctorum originem ducit a Græc. δεῖμα terror, metus, horror, quia *naturalis tenebrarum metus eſt*, ut loquitur SENECA Epiſt. 82. Si Græca ſectari juvat, forte proximiora ſunt, δύω ſubeo, quod dicitur de ſole occiduo apud HOMERUM, & δυσμὴ ſolis occaſus, veſpera.

DEMUT, humilitas. Vox Francis & Alam. unice uſitata. Gloſſ. Keron. humilitas *theomuati*, humiles *diomuate*, humilis confeſſio *deomuatlihha pigiht*, humiliter *theomuatlihho*. Similia habent OTFRIDUS & NOTKERUS in Gloſſario SCHILTERIANO pag. 207. Oritur non a *demittendo*, ut HELVIGIO ex ignoratione veteris linguæ viſum, etiamſi humilitas ſit animi demiſſio, ſed a ſervili & ſubmiſſo animo. Manifeſto enim componitur a *mut* animus, & *deo*, *dio*, ſervus. Alam. quidem non utuntur hac voce niſi in compoſitis, Septemtr. vero etiam extra compoſita. VEREL. in Ind. *thy* ſervus, mancipium, ſervus qui non eſt in jure hominum, *thia* humiliare, duriter tractare, ſervitute opprimere. Utraque vox, tam Alamannica quam Islandica, originem ſuam accipit a veteſtiori *theow*, *thiw*, per apocopen. Vide quæ de illa differui prolixe in *dieb* ſervus. Ad confirmationem etymi facit, quod Alamannis humilitas alio vocabulo dicitur *deoheit*, manifeſto a *deo* ſervus. Gloſſ. Keron. humilitas *deoheit*, humilitatis *deoheiti*, humiliter *deolihho*. Idem etymon STADENIO quoque ſe probavit in Voc. Bibl. pag. 159. Angloſaxones videntur humilitatem cum lenitate & manſuetudine confundere. Nam humilitatem vocant *eadmod*, ab *ead* facilis, lenis, comis, & *mod* animus, interprete SOMNERO. Quod etiamſi Franci aliquando imitentur in *otmuati*, & Belgæ in *oodmoed*, non eſt omnino idem cum præcedentibus, quia lenitas & humilitas natura & ſignificatu differunt. Illa eſt domini erga æquales & inferiores, hæc ſervi virtus & affectio. Diſcrepant quoque in ſacris literis Matth. XI. 29. Hinc non poſſum aſſentiri PALTHENIO, viro alias Germanice doctiſſimo, quando vocabulum noſtrum *demut* inverſis prioribus literis ab *od* facilis derivat, etiamſi humiliatos facili ingenio eſſe concedam. Sed nec CASTRICOMIO aſſentiri poſſum, qui Francicam & Belgicam vocem ducit ab Anglica *ot* vilis, quia Angli hunc ſignificatum non agnoſcunt.

DEN, eum, quem. Gothis *thana*, *thanei*, Angloſax. *thene*, Franc. & Alam. *then*, Belg. *den*, Sorab. *ton*, Græc. τὸν. TATIANUS Cap. CLX. 2. *inſieng tho then kelih*, tunc accepit calicem. Et mox: *unzan then tag*, uſque in illum diem. Chaldæis *den* ille.

DENEN, illis, quibus. Goth. *thammei*, Angloſaxon. *tham*, Franc. *then*, Alam. *diem*. Gloſſ. Keron. quibus *diem*. TATIANUS Cap. I. 3. *fon thene thu gilerit biſt*, de quibus eruditus es. Cap. CXCVI. 3. *in then tagon*, in illis diebus. Male imitamur Francos, quia a

dem

dem, illi, rectius fit *demen* illis, quam *denen*.

DENEN, tendere, extendere, intendere, amplissimo sensu. Gloss. Lipſ. *thenit* intendit, *theneda* tetendit, *thennon* extendentes, *thenin* extendant, *thenedos* extendisti, *thenedon* extenderunt. Gloss. Keron. extendi *kadeni*, protendatur *fora ſi kidenit*. Gloss. Pez. porrectum *gadenit*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *athenian* extendere, *athened* extensus, *athenunge* extensio. VEREL. in Ind. *thenia* extendere. Quibus consentit Græc. τείνω, & Lat. *tendo*. Antiquiores Latinos dixisse *tennitur* pro *tenditur*, absque litera intercalari D. auctor est DONATUS. Præcipua derivata sunt, *dünn* tenuis, *tenne* area, expansum, *tant* chorda, *tunen* virgulæ, furculi porrecti, & alia, de quibus sigillatim.

DENKEN, cogitare. Verbum omnibus mentis operationibus, præcipue intellectui, deliberationi, memoriæ, imo etiam voluntati sacrum. Nam voluntas quoque pertinet ad modos cogitandi, quibus mens sibi conscia est, se existere, & cum corpore unitam esse. Videamus primo de intellectu. Cogitare Gothis dicitur *thagkjan*, quod more Græco pronunciatur ut *thangkjan*, Angloſaxonibus *thencean*, *thincan*, Francis & Alam. *thenken*, *dencben*, Belg. *denken*, Suec. *tænkia*, Angl. *to think*. Gloss. Keron. cogitet *denche*. Evang. Goth. Luc. V. 21. *jah dugunnan thagkjan*, & cœperunt cogitare. Evang. Angloſaxon. ibid. *tha agunnon thencan*. TATIANUS Cap. CLIV. 5. *bigondun tho thenken*. In præt. imp. omnes habent *dachte*: Gothi *thahta* cogitabat, Luc. I. 29. Angloſax. *thohte* ibid. Tatianus *thahta* Cap. III. 3. JUNIUS hoc verbum ducit a Gr. δοκέω duco, videor mihi, opinor, STIERNHIELMIUS ab Heb. *dac* vidit. Rectius opinor derivatur a *ding* sermo, sensu a sermone externo ad internum translato. Quid enim est cogitare, nisi intus & in mente sermocinari? Eleganter TERTULLIANUS Cap. V. con. Prax. *Vide quum tacitus ipſe tecum congrederis, ratione hoc ipſum agi intra te, occurrente ea tibi cum ſermone ad omnem cogitatus tui motum, & ad omnem ſenſus tui pulſum. Quodcunque cogitaveris ſermo eſt, quodcunque ſenſeris ratio eſt. Loquaris illud in animo neceſſe eſt: Et dum loqueris, conlocutorem pateris ſermonem, in quo ineſt hæc ipſa ratio, qua cum ea cogitans loquaris, per quam loquens cogitas. Ita ſecundus quodammodo in te eſt ſermo, per quem loqueris cogitando, & per quem cogitas loquendo.* De voce *ding*, quatenus sermonem denotat, actum infra in loco, ut opus non sit, semel dicta reiterare. A simplici fiunt composita,

Or-thanc, animus. Vox Angloſaxonica apud BENSONIUM, quæ videtur proprie mentem, cujus primitiva dos est cogitatio, denotare. *Ur* principium rei, cui præfigitur, significat. Appositе hic iterum TERTULLIANUS Lib. con. Marc. Cap. 10. *Animæ enim a primordio conſcientia Dei dos eſt, eadem nec alia & in Ægyptiis, & in Syris, & in Ponticis.*

Or-thonc, argumentum, commentum, & similia, interprete SOMNERO. Præfixum *or* hoc loco ideni est quod adverb. ordinis *er*, & seriem idearum ab initio significat.

fore-thonc, providentia, apud eund. quasi præcogitatio.

gedank, mens, intellectus, facultas cogitandi, Angloſaxon. *gethanc*, ISIDORO *chidanc*, Cap. IX. 3. Hodie cum præcedentibus obsolescit.

gedenken, cogitare. Angloſaxon. *gethencean*, apud Lexicographos.

gedanken, cogitatus, cogitationes. Gloss. Keron. cogitationes *kedancha*, cogitatus *kidanc*.

bedenken, considerare, deliberare, recogitare. Gothis *bithagkjan* Luc. V. 22. Angloſaxon. *bethencan*, Franc. & Alam. *pidenchen*. Gloss. Pez. penso *pidencho*, recogitet *pidenche*.

bedacht, deliberatio.

bedæchtlich, *bedachtſam*, prudenter, cujus oppositum temere & inconsulto.

bedenk-zeit, tempus deliberandi.

erdenken, comminisci, *erdacht* confictus. Inde Angloſaxon. *orthonc* commentum, de quo paulo ante, & Francis *urdahtin* traditiones Judæorum, in Glossario SCHILTERIANO pag. 207.

nachdenken, prosequi cogitatione, *nachdenkliche worte* verba ponderosa, quæ multum habent in recessu.

verdenken, suspicari, male de aliquo cogitare. Præfixum *ver* pravitatem in cogitatione indicat. Inde *verdacht* suspicio, *verdæchtig* suspectus.

DENKEN, dubitare. Hoc est, ita cogitare, ut animus quasi in duo divisus, utrum amplectendum sit, nesciat, & hactenus fluctuet. Hoc sensu utimur in compositis, *bedenken* dubitatio, *bedenklich* anceps.

DENKEN, reminisci, *ich dachte nicht daran* non recordabar. Inde compoſita,

gedenken, recordari, reminisci. Angloſax. *gethencan*, Franc. *githenken*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXXI. 43.

Joh thanne ouh thu githenkes
Thes thines armen ſcalkes.
Vertit Schilterus:
Et tunc etiam memineris
Tui miſeri ſervi.

Hodie utimur bono & malo sensu.

gedæchtnus, memoria, vis illa ingenii, qua species rerum cognitarum recipimus, conservamus, & similium recordamur. Vox nova, sed idonea.

andenken, recordatio. Præfixum *an* motum facultatis ad rem cognitam indicat.

eingedenk, memor. Præfix. *ein* hoc loco idem quod *an* in præcedenti.

DENKEN, memoriæ mandare, in memoriam revocare, sive viva voce, sive literis, imagi-

imaginibus, vel aliis ſignis. Utimur hoc ſenſu in multis compoſitis, ut ſunt,

denk-mal, monumentum, ſive a *mal* ſignum, ut ſunt ſtatuæ, imagines, columnæ, ſive a *mal* ſermo, loquela, inſcriptio, quaſi monumentum loquens.

denk-bild, mnemoſynum, imago memorialis, & monendi gratia facta.

denk-ſeul, columna memorialis.

denk-ſpruch, ſymbolum, ſententia monitoria, quæ nos virtutis aut alterius rei admonet.

denk-würdig, commemoratione dignum.

andenken, memoriale, pignus, vel ſimile quid amico relictum, quo illum noſtri commonefacimus.

gedenken, commemorare, memoriam refricare.

gedæchtnus, commemoratio, *gedæchtnus-predigt* oratio anniverſaria, *ehren-gedæchtnus* monumentum quo memoria alicujus honoris gratia recolitur.

DENKEN, velle, voluntate intendere, animo proponere, *er denkt dahin zu kommen* eo pervenire ſtatuit, ſperat, intendit. Utitur Luth. Gen. ult. 19. Antiquitas apparet ex derivato *dank* voluntas, beneplacitum, ſpontaneus animi motus, de quo ſupra, *gedanken* voluntates, concupiſcentiæ, modi volendi, quo utitur Luth. Marc. VII. 21. ubi interpres Angloſaxonicus habet *yfele gethancas*. Item *andacht* zelus, voluntas impenſe defixa in objectum.

DENN. V. *dann*.

DENNOCH. V. *dannoch*.

DENTELN, ludere, ludicre agere. Gall. *dandiner*. Unde Gallis veniat hoc verbum, MENAGIUS non explicavit. Videtur autem deſcendere per epentheſin ab Italico *dadi* teſſeræ, ſic ut primo fuerit ludere aleis, mox ſenſu translato ludicre agere, & inepte geſticulari, ut luſores ſolent. Vocem Italicam quidam derivant a *ludo datorum*. Quos reprehendit SALMASIUS apud FERRARIUM in Originibus, quia, teſte CICERONE, *calculi* dabantur, non *teſſeræ*. Hinc FERRARIO ſimplicius viſum, ita appellari, quod in ludo etiam ſolitario teſſerarum, ſine calculis, mutuo teſſeræ dentur & recipiantur a ludentibus. Sed fallitur vir doctus. Nam *dad*, *ded*, *det* eſt vox Arabica, ſignificans luſum, rem ludicram, & aleam, teſte HYDIO in Nerdiludio pag. 18. Inde Italis *dadi*, Hiſpan. *dados*, Gall. *dés*, Cambris *dis* talus, teſſera, alea, cubus. A *dez* porro fit *ludus deciorum*, Gallicè *jeu de dés*, quod CANGIUS male interpretatur *judicium Dei*, quaſi eſſet a *de* Deus. Differt a *tenteln* nugari, quod vide.

DENTELN, cunctari, *dentler* cunctator. Dicitur proprie de illis cunctatoribus, qui aleatorum inſtar tempus nihil agendo perdunt.

DER, hic, qui. Pronom. demonſt. & articulus maſc. generis, ſed Francicus & Alamannicus tantum. Gloſſ. Keron. qui *der*. TATIANUS Cap. IV. 19. *ther knehti uuohs* puer creſcebat. Gothi dicunt *ſa* Matth. IX. 33. *ſa dumba* mutus. Matth. XI. 10. *ſa iſt*, hic eſt. Angloſaxones *ſe* Matth. II. 1. *ſe hælend* Jeſus, ſalvator. Matth. XI. 39. *ſe the*, is qui.

DER, lignum, arbor, quercus. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *dar*, plur. *deri*, Armoricis *derw*, plur. *derwen*, Francis *dera*, *tera*. Prioribus quercum, poſterioribus arborem denotat. Inde *aſſaltera* malus arbor, apud WILLERAMUM Cap. II. 3. ubi Editio MERULÆ habet *apheldera*, quod idem. Veteres quoque Belgas arborem appellaſſe *dære*, *dere*, *tere*, *tier*, & in quibusdam Belgii Provinciis etiamnum audiri compoſita *appeltære*, *miſpeltære*, *noteltære*, *eglentære*, & *eglentier*, ſcribit JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 334. Hodie ſuperat in *hol-der* ſambucus, cava arbor. In reliquis Dialectis, a Celtica oriundis, R. transponitur. Inde Gothis *triu* arbor, & *weinatriu* vitis Joh. XV. 1. Angloſaxonibus *yfel-tryw* mala arbor, & *gode treow* bona arbor, Matth. VII. 17. 18. Anglis in uſu eſt *tree*, Danis & Suec. *træ*, Islandis *trie* arbor. Græcis δρὺς eſt quercus. Sed olim omne lignum ita vocatum eſſe, ex Etymologico magno docet JUNIUS. Et hoc ſenſu occurrit quoque in Verſione Gothica & Angloſaxonica Marc. XIV. 48. ubi verba Evangeliſtæ: *exiiſtis cum lignis*: Gothice redduntur *mith triwam*, Saxonice *mid treowum*. Primi nominis inventores videntur lignum ſic appellaſſe tanquam materiam combuſtibilem a Gr. δαὶς fax, tæda, verbi δαίω comburo, incendo. Nam ob eandem cauſam lignum & arbor Celtica lingua vocatur *pren*, haud dubie a *brennen* ardere. Græcis ſane δαὶς tædam & arborem ſignificat. Et S. mutari in R. millies contingit.

DERB, ſubſtantive *utilitatem*, adjective *probum* & *utilem* ſignificat. Originem vide in *thor* utilitas.

DERB, utilitas. Gloſſ. Keron. utilitatis *bidarbi*, utilitatibus *piderboom*. Gloſſ. Pez. fructus *pidirpi*. Augmentum initiale *bi*, *pi*, ſalvo & integro ſenſu adeſſe & abeſſe poteſt.

DERB, bonus, utilis, probus. In Paraphraſi vetuſta Symboli Apoſtolici Boxhorniana, boni & qui faciunt voluntatem Dei, vocantur *tharbe*. Inde compoſita in Gloſſ. Keron. utilis *piderber*, inutilis *unbiderber*. Et in Ind. VEREL. *allbarfr* valde utilis, *otharfur* noxius, damnoſus.

DERB, ſolidus, robuſtus. Senſus vocis hodiernus, a bonitate & utilitate ad robur & firmitatem rerum translatus. Dicitur autem antiquitus nonſolum de rebus, ſed etiam de perſonis robuſtis. WILLERAMUS Cap. III. 7. *feszoch biderba gnehta der allero biderbeſton in Iſrael*, ſexaginta robuſti milites ex robuſtiſſimis in Iſrael.

DERBEN, expedire, prodeſſe. Gloſſ. Keron. expedire *piderban*, expedit *piderbit*, expediat *piderbit*. Verbum a ſubſt. vel adject. ortum, ſed hodie extinctum.

DERER, *deren*, horum, quorum. Hodie eſt pronom. demonſt. olim etiam articul.

præpositivus. Evang. Anglosax. Luc. I. 1. *thara thinga race*, earum rerum narratio. Et mox: *thara worda soth-fæstnesse*, eorum verborum veritas. OTFRIDUS Lib. III. cap. VI. 110. *thero fizo ioh thero leibo*, piscium atque panum. TATIAN. Cap. LIV. 4. *thero giloubon soso her gisah*, quorum fidem ut vidit.

DERJENIGE, ille. Ex eodem fonte quo *jener*. Caret tamen usu & auctoritate veterum.

DERO, earum. Gloss. Keron. ipsarum *dero-selbono*.

DERSELBE, ille ipse. OTFRIDUS Lib. II. Cap. III. 101. *ther selbo heilego geist*, ipse spiritus sanctus. Et mox: *ther selbo uuidaruuerto*, iste adversarius. V. *selb*.

DERWEIL, interea. Anglosax. *tha hwyle*. A *weil* mora. Confer *dieweil*.

DES, hujus, cujus. Pronom. & Articul. Evang. Goth. *this waurdis* sermonis Luc. I. 2. *this airwis* hujus sæculi Luc. XX. 34. Evang. Anglosax. Joh. XIV. 24. *thæs fæder the me sende*, patris qui misit me. Marc. XIV. 56. 59. *thæslice* convenientia, similia inter se. TATIAN. Cap. II. 1. 3. *thes cuninges* regis, *thes folkes* populi. Gloss. Ker. ipsius *dessellbun*. Cuncta a nominativo *der*, mutato R. in S. Quod genus mutationis etiam Latinis familiare, qui a *flos* declinant *floris*, a *ros roris* &c.

DESTO, eo, tanto. Proprie sunt duæ voces, non una. Nam *des* est *das* hoc, & *to* est particula Saxonica, quæ hodie effertur *zu*, & hoc loco est adverb. quantitatis, significans *tanto*, quod in oratione semper conjungitur cum adverbiis comparandi *magis*, *plus*, *minus*. Inde Anglosaxonibus *thæs the ma* multo magis, Marc. XV. 14. Francis, *ni thes thiu min* nihilominus, apud OTFRIDUM Lib. I. Cap. XXII. 114. *des de uerror* eo plus, amplius, apud WILLERAM. Cant. Cap. III. 10.

DEUCHT. V. *daucht*.

DEUEN. V. *dauen*.

DEUSCHEN. V. *teuschen*.

DEUT, *teut*, terra. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *tud*, Armoricis *tit*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *tud* terra, *altud* alienigena, ab *all* alius, *marsdit* terra limitanea, a *mars* limites regionis. PEZRON. in Antiq. Celt. pag. 60. *Celtis æque ac Hebræis* TIT *significat terram*. Apud HOMERUM quoque τηθὺς ponitur pro terra. Nec desunt vestigia vocis in Germanicis Dialectis, tam recentibus quam antiquis. Sic Gothis regna orbis terræ vocantur *thiudinafiuns this niudjungardis* Luc. IV. 5. Quæ vox rectius componitur a *thiuda* terra, quam a *thiuda* populus, quia regna vocari solent *territoria*, & hæc sola ostendi poterant à Diabolo de monte excelso. Ejusdem naturæ compositum est Anglosaxonicum *theodafolc* indigenæ, Matth. IV. 16. quod certe non est a *theod* populus, alias pleonasmum saperet, sed a *theod* terra, provincia, quo sensu occurrit in Vocabulario BENSONII, & hodie dicitur *landvolk*. Denique *marsdit*, quod Celticum esse vidimus, etiamnum superat in DIETMARSEN, quod est nomen terræ limitaneæ in Holsatia, inversis syllabis factum. Hic sensus probe tenendus est, quia ab illo pendet *Titanici* & *Theotisci* nominis, & originum Germanicarum cognitio. Terra autem sic dicitur, sive a *dust* mamma, quia *multimammia* fingitur ab antiquissimis Geolatris, sive a *τιθὴ* nutrix, quia nascentes excipit, natos alit. Latinos a Celtico *tit* terra formasse *ditionis* vocabulum, quatenus territorium significat, haud improbabile.

DEUT, *teut*, gens, populus, vulgus. Vox Celtica, quæ Cambris & Armoricis effertur *tud* & *teut*, testibus Boxhornio, Pezronio, & Tolando, Hibernis *tuath*, Gothis *thiuda*, Anglosax. *theod*, *thiod*, Francis *thiat*, *thiot*, *thut*, Alam. *deot*, Island. *thiot*. Gloss. Keron. plebis *deota*. Gloss. Lipf. *thiat* gens, *thiade* gente, *theado* gentium, *thiadon* nationes, *thiede* gentes, *thiadekunni* generationes. VEREL. in Ind. *thiod* populus, vulgus, *god thiod* bonus populus. TATIANUS Cap. CXCV. 3. *thin thiota inti bisgoffa saltun thih mir*, gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Dicitur & *diet*, quod vide. Vox in monumentis veterum ubique obvia, sed nunc pene deleta. JUNIO derivatur a veteri verbo *deuten* conjungere, sociari, & proprie notat multitudinem sub uno Principe conjunctam, prorsus ut *volk* est multitudo quæ Principem suum sequitur. In Gloss. Goth. pag. 349. ECCARDUS format a *ziehen* ducere, alere, quia populus a Principe tanquam patre ducitur & nutritur. *Unde apparet*, inquit, *populos olim suos Reges non tyrannorum, sed patrum instar consideraſſe*. In not. ad Leg. Sal. pag. 21. Mihi videtur sensus a terra ad incolas terræ translatus, ob veterem, quæ in Gente nostra viguit, persuasionem, *initia Gentis ex terra esse*. Quid mirum, populum opinione sua terrigenam, voluisse ab initio suo sic appellari? Cum hodienum *land*, imo etiam antiquitus, dicatur de populo, ut demonstravi in voce. Ab hoc substantivo oriuntur

Appellativa.

Dieta, conventus publicus, comitia, judice JUNIO, qui ad confirmationem etymi, festivum CAROLI V. Imp. dictum affert ex Goldasto: *Dieta Dictam parit, & partus suffocat matrem.*

Getudde, plebs, lingua vulgi apud Brunsvicenses, teste LEIBNITIO in Gloss. Celt. pag. 111. Collectivum a *tud*, unde bene oriri potuit JODUTE, quatenus est Convocatio plebis in casu atroci.

Idiota, unus ex plebe. Quamvis etiam Græcæ originis esse possit, ab ἴδιος privatus.

Propria locorum.

TEUTOBURGIUM, oppidum Germaniæ antiquum in Marsis, quod proprie populosam Civitatem significat. Gloss. Pez. popu-

populoſa civitas *theotpurk*. Inde *Saltus Teutoburgienſis* apud TACITUM Lib. I. Annal. Cap. 60. Variana clade celebris.

DIETMELLE, corrupte DETMOLD, civitas Weſtfaliæ, Comitum Lippienſium ſedes, vetus (ut ferunt) *Teutoburgium*, quamvis mutato pridem nomine. Nam ſcriptoribus medii temporis dicitur *Theotmellum*, h. e. mallus ſeu conventus populi.

Propria Perſonarum.

TEUTOBOCHUS, umbo populi, ab Angloſax. *bug* clypeus. Hoc, etiamſi præter morem metaphoricum ſit, malo, quam *caprum Teutonum* SCHILTERI. Nomen Regis memoriæ prodidit Florus.

THEUDIMUNDUS, tutor populi. Nobilis Herulus apud Procopium. Similia compoſita vide in *mund* & *munder*.

Huc etiam ſpectant judice GROTIO in Indice, *Theodemir* populorum princeps, *Theuderichus* populis pollens. Quid mihi videatur de his nominibus, poſtea oſtendam in *Teut* rex, princeps. Ex Alamannicis, quæ interpretationem ſuam accipiunt a populo, præcipua ſunt,

DEOTFRID, aſſertor populi, non pax populi.

DIOTWIN, amicus populi.

THEOTOLF, auxiliator populi.

THEOTLEOF, populo charus.

DEUTEN, regnare. Forma verbi Gothici eſt *thiudanon*, Luc. XIX. 27. *ni wildedun mik thiudanon ufar is*, noluerunt me regnare ſuper ſe. An a priſco *Titanum* imperio, de quibus ſacræ Literæ teſtantur Jeſ. XIV. 9. quod omnibus pene gentibus terræ dominati ſint? Non vetabo. Poſſit tamen etiam eſſe a *thiuda* populus, ſic ut regnare proprie ſit populo præeſſe, rem populi agere, quomodo Islandis a *drot* populus, ſit *drotna* dominari, & Græcis a πολιτεία civitas πολιτεύεσθαι rem publicam gerere. Hic ſignificatus probe notandus, quia hinc appellationem accipit Rex, qui nomine multitudinis imperat, in variis linguis, ut poſtea oſtendam in *Teut*.

DEUTEN, ſignificare, declarare, interpretari. Francis *diuten*, Belg. *duiden*, Friſiis in Legibus *bithioten*, apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 349. NOTKERUS in Symb. Athanaſ. v. 4. *Perſonam iſt unſenſte ze diutenne*, quid ſit perſona difficile eſt explicatu. Rhythmus de S. Annone verſ. 305.

Da liſet man Noricus Enſis,
Daz diudit ein fuert Beieriſch.

Utrumque locum obſervavit SCHILTERUS in Gloſſ. HELVIGIUS deducit ab inventore literarum Mercurio, qui Ægyptiis *Theut*. Sed perperam. Nam *deuten* non eſt literis prodere, ſed lingua vulgari exponere, referreque originem ſuam ad *deut* populus, plebs, vulgus. Hinc lingua & idioma populi Angloſaxonibus dicitur *getheode* Matth. I. 23. Marc. XV. 22. Francis *githiuti*, apud OTFRIDUM Lib. V. Cap. VIII. 13.

Thaz uuir ENGIL *nennen,*
Thaz heizent ſo uuir zellen,
BOTON *in githiuti*
Frenkisge liuti.

Quod nos ENGIL vocamus,
Hoc notat, ſicut dicimus,
NUNCIOS in vernacula
Hominum Francorum.

DEUTEN, conjungere, ſociare. BENSON. in Vocab. Angloſax. *theodan* adjungere, *thydan* copulare, *theodnys* conjunctio. Extat etiam ſenſu paſſivo pro *ſociari*, quod obſervavit JUNIUS in Gloſſario Goth. pag. 349. ex interpretatione AS. Regulæ S. Benedicti Cap. 48. *ne nan brothor with otherne ne thede*, neque frater ad fratrem jungatur. Addo ex Verſione AS. Matth. XIX. 5. *and hyne to hys wife getheot*, & ipſe adhærebit (aſſociabitur) uxori ſuæ. Oritur haud obſcure (quod miror JUNIUM non annotaſſe) a Gr. Θιασος vel Θιασώτης ſodalitium & ſodalis. TEUTONOS, qui arma cum Cimbris circumferebant, ab illis ſic dictos eſſe, quaſi *belli ſocios*, ex hoc verbo, quamvis pridem extincto, veroſimile fit.

DEUTLICH, clare, diſtincte, ſignanter, ut quivis e populo intelligere poſſit. Belg. *duidelyk*. Refer ad *deuten* exponere.

DEUTSCH. V. *teutſch*. Litera D. eſt ab Alamannis, miris ſcripturæ veteris depravatoribus, qui ſæpe ſcribunt *dudiſch*, eandem literam in capite & medio adhibentes. Reliqui omnes cuſtodiunt T. Idemque elementum conſpicitur in nominibus antiquiſſimis *Titæa*, *Titanes*, *Tuiſco*, *Teutones*, *Theotiſci* &c. quæ ſunt ejusdem radicis propagines, ut oſtendi in ſingulis.

DEYEN, eſt a Lat. *dicere*. Inde *benedeyen* benedicere, *maledeyen* maledicere.

DEYHEN, creſcere. V. *deihen*.

DIAMANT. V. *demant*.

DICH, te. Goth. *thuk*, Franc. *thih*, Alam. *dih*. Gloſſ. Keron. te *dih*. TATIANUS Cap. XXXI. 3. *oba thih hwer ſlahe*, ſi quis te percuſſerit. Cod. Arg. *leiki*, *hailei thuk ſilban*, medice, cura te ipſum. Angloſaxones dicunt *the*, cui reſpondet Lat. *te*.

DICHT, contiguus, cujus extrema ſimul ſunt, *dichte bei* in contiguo, *dichte an einander* arcte, ita ut lineæ planorum ſe mutuo tangant. Hic primus vocis ſignificatus, qui certe non aliunde oritur, quam a verbo Gothico *tekan* tangere. Nam K. ſubinde mutatur in CH. & T. eſt medium ordinarium formandi derivata. Evang. Goth. Luc. VIII. 45. *hwas ſa tekands mis*, quis me tetigit? Luc. VI. 19. *alla managei ſokidedun attekan imma*, omnis turba quærebat tangere eum. Tranſiit ex idiomate Gothico in alias quoque linguas, præcipue Occidentis, quod eleganter oſtendit JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 332. cujus verba hic apponam. Obſerva, inquit, *tekan* paſſim in Argenteo Codice uſurpari pro *tangere*; adeo ut Angli

„non modo ſuum *tacke*, verum etiam *touch* „videri poſſint ex hoc verbo *tekan* retinuiſſe. „Galli quoque *toucher*. Itali *toccare*. Hi„ſpani *tocar*. Veteribus quoque Belgis *tu„cken* erat tangere; cujus veſtigium adhuc „remanſit in verbo *tuck-noten*, nuce nucem „impetere: quod puerilis ludi genus deſcri„bit OVIDIUS de nuce, verſu 77.

Per tghulæ clivum labi jubet alter, & optat
Tangat ut e multis quælibet una ſuam.

Hæc ille loco citato. Quibus addi poſſunt tanquam conſona, ex lingua Græca θίγω, θιγγάνω contrecto, Latina *tango*, quod factum ex antiquiori *tago*, unde *tetigi*, *tactum*, Suecica *taga* tangere.

DICHT, ſolidus, compactus, cujus partes firmiter inter ſe cohærent, *dichte machen* conſolidare. Senſus a contiguis ad ſolida translatus, quia partes minimæ ſolidorum mutuo attactu tam arcte cohærent, ut non-ſolum tangi viciſſim & contrectari, ſed etiam non niſi vi divelli queant. Hinc ſolidum vulgo definitur *corpus habens trinam dimenſionem cum firmitate*. FESTUS: *Quæ nulla parte laxata cavaque, ſolida nuncupantur*. Differt a *dick* craſſus, ut plus & minus, quia craſſus tranſitum admittit, quem ſolidus negat.

DICHT, creber, frequens, *dichte ſchläge* verbera crebra, & ſæpe iterata. Senſus allegoricus a ſimilitudine ſolidorum & crebrorum deſumptus, quia in crebro eſt quædam ſpiſſitas ex vicibus repetitis tanquam partibus ſibi mutuo adhærentibus compoſita. Hodie non dicitur niſi de verberibus.

DICHTEN, facere, parare. Senſus obſoletus, ſed primigenius, & Angloſaxonibus familiaris. SOMNERUS: *dihtan* parare, *dihte* diſpoſitio, *dihtig* paratus. Quibus convenit Gr. τεύχω paro, τυκτὸς paratus.

DICHTEN, meditari, parare animo. Utitur Luth. Gen. VIII. 21. Hinc opera ingenii Græcorum & Latinorum OTFRIDO vocantur *dihta*, quaſi meditamenta, Lib. I. Cap. I. 35. *nim gouma thera dihta*, attende ad veterum monumenta. STADENIUS derivat a *dicht* ſolidus, quia cogitationes meditando inſpiſſantur, in Voc. Bibl. pag. 637. ECCARDUS a Latino *dictare*, ſenſu a verbo externo ad internum translato, in Cat. Theot. pag. 172. Sed nova origine opus non eſt præter eam, quam ſcala ſignificationum ſuppeditat. Nam meditari quid eſt niſi animo parare?

DICHTEN, fingere, *dichter* poëta, *dichtkunſt* poëtica, *gedicht* carmen. Utitur Luth. Pſal. XLV. 2. Senſus a meditatione ad fictionem extenſus, quia figmenta ſunt opera ab ingenio humano parata. Apud Græcos quoque faciendi verba ad opera ingenii & figmenta transferuntur. Hinc a ποιέω facio fit ποίημα opus & poëma, ποίησις factio & poëſis, ποιητὴς factor & fictor. Inde Latino-Barbaris *dictare* eſt carmen componere, *dictator* poëta, *dictamen* metrum. Teſtimonia vide apud ECCARDUM loco citato.

DICHTEN, ſententiam dicere, conſtituere, dictare. Senſus obſoletus, ſed paſſim apud veteres obvius. A Lat. *dictare*, quod eſt frequenter dicere & cum auctoritate. Gloſſæ KERONIS interlineares in Prologo ad Reg. S. Bened. *dicteremu des rehtes rediun*, dictante æquitatis ratione. BENSONIUS: *dyhtan* conſtituere. SOMNERUS: *dihte* juſſum, *be godes dihte* juſſu Dei. Huc etiam ſpectant ex Latinitate infima *dictores* & *dictatures* arbitri, apud CANGIUM.

DICHTEN, mandare literis, vel in calamum dictare. Ex eodem fonte. Gloſſ. Pez. dictata *gitictotiu*. SOMNER. *dihtan an ærendgewrit* dictare epiſtolam. Hodie dicimus *dictieren*.

DICK, denſus, craſſus, corpulentus. Angloſaxon. *thicce*, Franc. & Alam. *dicho*, *thihho*, Belg. *dick*, Angl. *thick*, Isl. *digur*. Gloſſ. Boxh. *dhicho* denſus. Gloſſ. Pez. vino pingui *dichemo*, nemoroſus *dicher*, groſſiora *dichirer*, pannoſo *thihhero lachano*, *gauuatto*, craſſitudo *dichi*, incraſſatum *irdichet*. Quibus convenit Græc. ἴυδικτος tactu facilis. Oritur ex eodem fonte quo *dicht* contiguus, & *dicht* ſolidus, nempe a verbo Gothico *tekan* tangere, quia denſum eſt ex tangentibus trinæ dimenſionis compoſitum, & tangi viciſſim poteſt. Et nihilominus ab utroque differt tanquam medium, quia partes ejus magis cohærent quam in contiguo, & minus quam in ſolido. Dicitur (1.) de eo, quod plus materiæ habet in eodem ſpatio, ut vinum pingue præ diluto, lac concretum præ fluido. (2.) de eo, quod majus ſpatium occupat, ut venter hominis obeſi & animalis gravidi. (3.) de eo quod groſſum eſt minimeque ſubtile, ut panni villoſi. (4.) figurate de eo, quod confertum eſt in ſuo genere, ut ſilva opaca.

DICK, frequens & frequenter, *dickweils* ſæpe, crebro. Francis *thicco*. Vox WILLERAMO familiaris, apud JUNIUM in notis pag. 5. Unde Belgis remanſit *dick* eodem ſenſu, quod ſæpe imitantur Germani. Sic autem dicitur, quia vices ſæpe iteratæ ſpeciem quandam præbent denſitatis. Hinc etiam Latinis (eodem obſervante) *denſe*, *ſpiſſe* interdum ponitur pro *ſæpe* & Græcis a πυκνὸς denſus fit πυκνῶς frequenter.

DIE, hæc, quæ, hanc, quam. Pronom. demonſtrav. & articulus præpoſitivus fœm. generis, & ſingularis numeri. Gothis *tho* Marc. V. 32. Angloſaxon. *the* ibid. Franc. *thiu*, Alam. *deo*. Gloſſ. Keron. quæ *deo*. TATIANUS Cap. IV. 4. *thiu ſtemma* vox.

DIE, hæc, quæ. Neutrum plur. numeri. Gothis *tho*, *thoei*, *thoeei*, Angloſaxonibus, Francis, & Alamannis ut ſupra. Gloſſ. Keron. quæ ſua ſunt *dei iro ſint*. TATIANUS Cap. VII. 7. *ubar thiu*, *thiu unarun giquetanu ſon inan*, ſuper his, quæ dicebantur de illo.

DIEB,

DIEB, ſervus & ſerva. Senſus vocis antiquiſſimus, quamvis hodie exſtinctus. Gothis *thiwe* eſt famulus, Luc. XVI. 13. *thiwi daurawardo* ancilla oſtiaria, Joh. XVIII. 17. Angloſaxonibus *theow* & *theow-man* ſervus, homo vilis, mancipium, *theow-boren* natu ſervus, *theowdome* ſervitus, famulatus, ſervitium, *thiwa* ancilla, *theowian* ſervire, apud SOMNER. & BENSON. In Lege Salica *Thev* ſæpe ponitur pro ſervo, quamvis extra feriem verborum in dictionibus *Malebergicis*. Apud reliquos Scriptores Franc. magis adhæret ancillis quam ſervis. Gloſſ. Lipſ. *thuwe* ancillæ. OTFRIDUS Lib. I. Cap. V. 129. *ib bin, quad ſiu, Gotes thiu*, ſum, inquit, ancilla Dei. Hiſce addi poſſunt Venedi. ECCARDUS in Vocabulario Venedico Cap. 3. *une fille junga déefka, une jolie fille dóbora déefka*. Et Cap. 8. *une ſervante déefa*. Hodie veſtigia vocis ſuperant partim apud Germanos, partim apud Belgas. Germani utuntur compoſito *diehſtal*. Quæ vox vulgo ſumitur pro furto in genere, ſed recte conſiderata, ablationem rei, quæ in fide & cuſtodia ſervi eſt, ab ipſo ſervo commiſſam ſignificat. Qui ſecus ſtatuunt, coguntur pleonaſmum, duriſſimam figuram, in voce admittere. Belgis *teef* eſt meretrix. Unde, niſi ſenſu ab ancillis accepto? Quæ cum antiquitus meretricias artes in domibus & familiis exercerent, quod ex Lege Sal. Tit. XXIX. colligitur, vituperando vocabulo occaſionem præbuerunt. Reſtat, ut originem vocis, ſi poſſum, eruam. JUNIUS, qui omnia noſtra ad Græcos fontes referre ſolet, deducit a Θέω curro, quod famulantes mira ſedulitate ultro citroque curſitare & commiſſa ſibi munia ſtrenue obire ſoleant. Mihi vox Celtica videtur, non Græca, & ex antiquo-Britannico *tywas* in compendium redacta. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *tywas* famulus, domeſticus. Proprie eſt ſervus domeſticus, componiturque a *ty* domus, ædes, (unde *hafdy* domus æſtivalis, ab *haf* æſtas, & alia compoſita apud Cambros) & *was* vel *gwas* ſervus, famulus. Quæ vide apud eundem loco citato. Sicque litera W. in voce Gothica *thiwe* & Angloſaxonica *theow* mihi eſt radicalis, & vicem integræ vocis ſuſtinet. Et ex his utpote antiquioribus cætera, quæ nimia brevitate laborant, vitiata judico.

DIEB, fur. Gothis *thiubs*, Joh. X. 10. Angloſaxon. *theof*, ibid. Franc. & Alam. *thiob, diuf*, Angl. *thief* & *theef*, Belg. *dief*, Suec. *tiuf*. TATIANUS Cap. XXXVI. 1. *triſuuet ju treſo in himile, thar noh roſt noh miluua iz ni furmelit, noh thioba ni grabent noh ni furſtelent*, theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi neque ærugo neque tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt neque furantur. JUNIO eſt a Græco διφᾶν quærere, inveſtigare, perſcrutari, ut ſolent fures nocturni, qui aliena bona ſcrutantur. Sed nova etymologia opus non eſt, cum eadem vox mutata ſaltim flexione a ſervis ad fures pervenire potuerit, plane ut *teef* ab ancillis ad meretrices. Ratio transferendi haud dubie hæc erat, quod plerique ſervi antiquitus eſſent fures domeſtici. Idem fatum (nam ſua quoque vocabulis fata ſunt) expertum eſt *fur* apud Latinos, quod ante ſervum denotavit, quam in deteriorem ſenſum ob pravos ſervorum mores prolaberetur. Notum illud VIRGILII: *Quid domini faciant, audent cum talia fures?* Falluntur ergo Philologi, qui vocabula φῶρ & *fur* ab auferendo & alienando deducunt, cum fuerint ab initio bona & innocua, utpote a φέρειν, *ferre*, portare oriunda, quod primi ſervi eſſent bajuli, & res domini portarent.

DIEB-STAL, furtum. Cum *ſtal* per ſe jam ſit furtum, & *dieb* nonſolum furem, ſed etiam ſervum, & prius quidem ſervum quam furem denotet, hinc totum compoſitum proprie peculatum domeſticum ab ipſo ſervo commiſſum denotat. Nam *furtum furis* dicere quis ſuſtineat? Poſtea eadem vox a furto ſervili ad omne furtum transferri cœpit, poſita ſpecie pro genere. Hactenus apud antiquos non occurrit. Nam furtum Gothis dicitur *thiuhja*, Marc. VII. 22. Angloſaxonibus *theofthe*. KERONI in Gloſſis *diufa*. Friſionibus in Lege Tit. III. *thiubda*. Alamannis in jure provinc. Cap. 294. *diuphait*. Cuncta per abſtractionem a concreto *dieb* fur.

DIENEN, obſequi, miniſtrare, ſervire. Dicitur promiſcue de ſervis & liberis hominibus. Angloſaxon. effertur *thenian*, Francis *thinon* & *thionon*, Alamannis *deonon*. Gloſſ. Keron. ſervire *deonon*, ſervientes *deononte*, inſervire *anadeonon*. Gloſſ. Lipſ. *thinoda* ſervivit, *thianin wi* ſerviamus nos. OTFRIDUS Lib. I. Cap. I. 156. *in thionon io zi noti*, inſerviant iis quando opus fuerit, interprete SCHILTERO. Unde ſit hoc verbi, diu anceps hæſi. Tandem optimum & probabiliſſimum viſum, originem ejus referre ad Celticum *dyn* homo, quo hodie utuntur Cambri. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *dyn* homo, *dyno* homuncio. Græci dicunt ἀνθρώπια, quando certum hominem ſignificare volunt. Quemadmodum autem *homo* in Latinitate medii ævi, & *mann* in lingua veteri Germanica, & *menſch* in hodierna, ſæpe hominem obnoxium ſignificant, etiamſi ſint communis naturæ vocabula: Ita Celticum *dyn* paulatim ab humanitate ad famulatum transferri cœpit. Cauſa transferendi fuit, quia ſervus eſt *homo alterius*. Secundum hanc etymologiam *dienen* nihil aliud ſignificat, quam officium hominis obnoxii præſtare.

DIENEN, humiliare ut ſervum, redigere in ſervitutem & vilitatem. Gloſſ. Keron. humilians *theononte*, humiliabitur *uuirdit bedeonot*, humilietur *ſi kitheonot*, humiliatus *kedeonoter*. Hic ſenſus oritur ab Angloſaxon. *then* ſervus, quod eſt verbale a *thenian* ſervire. Huc ſpectant omnia compoſita, in quibus *dienſt* humiliationem ſignificare poteſt.

DIENST, obſequium, cultus, miniſterium, & omne ſervitium, nobile & ignobile, liberum & neceſſarium. Gloſſ. Keron. ſervitium *dionoſt*, ſervitutis *deonoſtes*. Apud OTFRIDUM *thionoſt* dicitur miniſterium Petri domino pedes lavantis, Lib. IV. Cap. XL. 60. Et in Indice VEREL. *thionuſt* eſt ſervitium & officium in quibusdam compoſitis, cujusmodi ſunt, *thionuſtuthernar* famulæ, ancillæ, *thionuſtulauſer* quibus presbyter moriturisofficium ſuum non præſtitit, ſine ſacramento impetrato mortui. Cuncta a *dienen* ſervire, miniſtrare, per medium derivandi ST. Præcipua hodie compoſita ſunt, *burgdienſte* ſervitia caſtrenſia, *fron-dienſte* operæ dominis præſtandæ, *hof-dienſte* ſervitia aulica, *gottes-dienſt* cultus divinus, & alia innumera, quæ nullam habent difficultatem.

DIENSTAG, dies Martis. Nomen varie ſcriptum reperitur in Dialectis. Præcipuæ variationes, quæ indagantium attentionem merentur, ſunt, quod idem dies Angloſaxonibus vocatur *tues-dæg* & *tiwes-dæg*, Anglis *tues-day*, Danis *tüsdag*, Belgis *dingsdag*. Vox Germanica ita concepta eſt, acſi diem cultus, ſervitii, aut miniſterii deſignaret, ſed cujus, ignoratur. Belgica, prout jacet, diem ſonat juridicum. Nam *ding* eſt judicium, & hic dies deſtinatione Majorum inter dies Septimanæ judiciales minusque pacificos, fuit medius, ut patet ex Jure prov. Alam. Cap. 247. Verum, cum omnes Septimanæ feriæ a Diis appellationes ſuas habeant, ita ut prima dicatur *Sontag* a ſole, ſecunda *Montag* a Luna, quarta *Wonsdag* a Wodano, quinta *Donnerſtag* & *Pfinſtag* a Jove, ſexta *Freytag* a Freya, ſeptima *Saterdag* a Saturno: mirum ſane fuerit, ſolam tertiam non ab aliquo numine, ſed a neſcio quo ſervitio aut judicio nuncupari. Itaque WORMIUS nomen Danicum deducit a *Diſa*, Septemtrionalium Dea, Thori uxore, quæ quondam in Selandia colebatur, a qua Leges & jura ſe nactos incolæ arbitrantur, quod indice Lapide Runico, in quo *Diſa-loger*, h. e. Diſæ Leges memorantur, colligit in Mon. Dan. pag. 120. Hanc fori & juſtitiæ præfectam vocat, & hanc etiam inter Deos Diales Germanorum numerat, in Faſt. Dan. pag. 51. Sed fallitur vir alias excellenter doctus. Nam *tüsdag* revera eſt *dies Martis*, non *dies Diſæ*. Idque ex antiquiſſimæ Linguæ Angloſaxonicæ proprietate facile oſtendo, in qua *Mars* dictus eſt *Tue*, *Tuu*, *Tüg*, teſtibus SOMNERO & BENSONIO. SKINNERUS credit a *Tuiſcone*, Gentis Germanicæ conditore. Malim a Θέειν mactare, vel a φθέειν perdere, deſtruere, facere ut pereat, ita ut Mars proprie ſit exterminator. Verba, a quibus hic ſenſus oritur, videntur extincta, ſed non ſunt. Nam a Θύειν Galli habent *tuer* trucidare, niſi ſit ſyncopatum ex *tüden*. Et a φθέειν Islandi *tion* perditio, *tyna* perdere, apud VERELIUM in Indic. Utrumque etymon Marti convenit. Quid enim Marte cruentius aut exitialius? Marte, inquam, urbium everſore, agrorum vaſtatore, quem terror præcedit, mors & ſtrages comitantur, victima humana ſequitur? Alia Martis nomina vide in *Wig* & *Erich*. Iſtud, de quo nunc agimus, undecunque deſumptum ſit, vera & unica cauſa eſt, cur tertia feria Septimanæ Angloſaxonibus dicatur *tues-dæg*, Anglis *tues-day*, Danis *tüsdag*, id eſt, Martis dies. S. eſt genitivi index, ut omnibus notum. Atque hinc jam patet, quid de Germanica & Belgica voce ſtatuendum ſit, quæ videntur aliud ſonare, & longius abludere a reliquis. Revera enim eundem continent ſenſum, nec differunt a reliquis, niſi ſola epentheſi, quæ apud Germanos eſt N. apud Belgas NG. Utraque mutatio ſatis frequens eſt in ore vulgi, vocabulorum tyranni. Exempla vide in *Proleg.* Sect. IV. in *Epentheſi*. Tolle literas infertas, quæ originem occultant, & habebis primigeniam vocem *Dies-tag* & *Dis-dag*.

DIENST-BOTEN, famuli & ancillæ, & omnes qui imperata faciunt ex libero & ſpontaneo obſequio. A *bieten* offerre. Olim erant nobilioris ſervitii homines, quantum ex codicillo quodam Chronici Mindenſis colligi poteſt, in quo CAROLUS IV. Imp. ſic præfatur: *allen fürſten, grafen, fryen dienſtbeden, rittern, knechten.*

DIENSTLEUTE, omnes quacunque ratione patrono ſervientes, ſive ſint liberi obſequii homines, ſive homines proprii, ſive inter liberos & ſervos medii. In SPECULO quidem SAXONICO Lib. III. art. 42. *dienſt-lüde* videntur eſſe homines proprii. Sed hoc nimis reſtrictum eſt, cum vox natura ſua latius pateat. Familiare enim eſt Germanis, plura ſervorum genera eodem nomine complecti, quod abunde teſtantur voces *knechts*, *ſchalck*, *degen*, *knap*, quæ certe ſunt æquivocæ, & de pluribus diſſimiliter dicuntur.

DIENSTMANN, liberæ conditionis ſervus. Gloſſ. Keron. ſervitor *deonoſtman*, ſervitoribus *deonoſtmannum*. OTFRIDUS de Joſepho Lib. I. Cap. XIX. 3. 4.

Uuas thionoſtman guater,
Biſourgeta ouh thie muater.
Erat miniſter bonus,
Et curam gerebat matris.

Latino-Barbari *miniſterialem* vocant. HINCMARUS Epiſt. 3. Cap. 17. Miniſteriales dividit in *ſuperiores* & *inferiores*, & alibi Seneſcallum, Buticularium, & Comitem ſtabuli *miniſteriales* vocat. Iidem in Capit. CAROLI CALVI Tit. 34. Cap. 11. vocantur *miniſteriales regni*. Horum enim munia ita comparata erant, ut nonſolum circa perſonam Regis ſacram verſarentur, ſed & in adminiſtranda Rep. & tuendo ſive conſiliis ſive armis imperio partes ſuas obirent. Unde dubium non eſt, illos a ſervitiis tam aulicis quam bellicis eminenti quadam ratione appellari potuiſſe *miniſteriales*, etiamſi pro-

proceres eſſent, & principes, & comites, & dynaſtæ. Vulgares autem *miniſteriales* erant homines regii, ex genere militum gregariorum, quos Rex in terris ſuis, quæ ad fiſcum regium ſpectabant, & Regis quaſi privatæ poſſeſſiones erant, alebat, prædiis pro militia conceſſis. Vulgo etiam *Vaſſos* & *Vaſallos* vocant. Quæ vox, ſi originem ſpectes, *miniſterialem* ſignificat, utpote a *was* ſervus deducta. Verum hi miniſteriales immane quantum differebant a prioribus, & inter illos atque plebejos erant quaſi homines medii. Ejusdem conditionis erant *miniſteriales* principum & optimatium, quos Jus provinciale Alamannicum Cap. CLI. *hohe Dienſtmannen*, h. e. ut. cel. SCHERZIUS vertit, *miniſteriales claſſis eminentioris* vocat, etiamſi revera inter ſummos & imos eſſent medii. Et horum quoque officia erant vel *aulica* vel *militaria*. Quemadmodum enim principes & Comites ex patrio inſtituto Regem in caſtra proficiſcentem tenebantur ſequi: ita hi Dominos ſuos in expeditionibus bellicis. Et ſi forte bellum non eſſet, munera tamen obibant *Mareſcalcorum*, *Cameriariorum*, *Dapiferorum*, *Pincernarum*, item *Vellicorum*, *Sculteterorum* &c. apud eos Principes, a quibus prædia ſua tenebant. Quando Principes ejusmodi officiales ſibi adſciverint, incertum eſt. Vulgo initium rei ad tempora OTTONUM refertur, quum ſcil. auctoritas Cæſarum decreſcere, & potentia Principum invaleſcere cœpiſſet. Verum ex Lege Salica Tit. XI. 6. nimis manifeſtum eſt, hoc inſtitutum longe antiquius eſſe, & Proceres Francorum habuiſſe ſuos *Mariſcalcos*, *Majores domus*, *Scantiones*, *Dapiferos*, ſimilesque miniſteriales, antequam haberent Regem. Ut adeo Rex in ordinanda Aula potius ſplendorem Principum, quam Principes exemplum Regis videantur imitati. Interim ab his inferioris generis *miniſterialibus* immenſam nobilium ſegetem in Germania proſeminatam eſſe, operoſe demonſtrat V. C. JOH. GEORG. ESTOR in Commentario de *Miniſterialibus*. Hæc in medium proferenda erant, ut voci Germanicæ *dienſtmann*, quatenus antiquitus *miniſterialem* denotavit, lux aliqua accenderetur.

DIENSTMANN, homo ſervilis conditionis. Hoc ſenſu videtur occurrere in Jur. Prov. Alam. Cap. LIII. 4. *alle dienſtman hatzzent aygen an der ſchrift, davon müigen ſie nit aigen lüt haben mit recht.* Vertit Cel. SCHERZIUS: *Omnes miniſteriales dicuntur eſſe homines proprii in S. Scriptura, hinc non poſſunt jure habere homines proprios.* An *miniſterialis* dicatur etiam de ſervo proprie ſic dicto, aliis inquirendum relinquo. Is, quem ſupra deſcripſi, nec proprius fuit, nec propriis deſtitutus.

DIENSTZAUM, frænum ſervitutis. Utitur Luth. 2. Sam. VIII. 1. Refer ad *dienen* humiliare, redigere in ſervitutem.

DIESER, *diſer*, hic. Pron. demonſt. Goth *thiz*, *thizai*, *thize*, Angloſaxon. *this*, *thes theos*, Francis *thiſer*, Alam. *diſer*, Belg. *deſe deeze*, Angl. *this*, Lat. *is*. Gloſſ. Keron. hic *diſter*. hæc *deſui*, *deiſu*, hanc *deſan*, hoc *deſeru*, his *deſe*. TATIANUS Cap. VI. 6. *Maria gihielt alle thiſu uuort*, Maria conſervabat omnia hæc verba.

DIET, bonum. Cambris *da*, Gothis *thiuth*. Cod. Arg. Luc. I. 53. *thiuthe gaſothida gredagans*, bonis ſatiavit eſurientes. Utraque vox videtur convenire in radice Islandica *tia* prodeſſe, quia per bonum omnes intelligunt id quod juvat & conducit. Hodie dicimus *deihen*, quod vide. Gothi a *thiuth* componunt *thiuthſpillon* evangelizare, i. e. bonum nunciare, Luc. III. 18. & *thiutheigs* bonus, i. e. bono vel bonitate præditus. Hodie dixeris *dietig*.

DIET, per ſynecdochen generis dicitur de *opibus* & *divitiis*, quia maxime conducunt. IRENICUS apud Schilt. in Gloſſ. pag. 710. DIETH *eſt veriſſimum vocabulum Germaniæ, quod divitias ſignificat: das iſt ain diet.* Uſus etiamnum agnoſcit *dietrich* clavicula Laconica, quæ ſic dici videtur, quod fures ea (eſt enim ad fraudem & furtum facta) aliorum bona potiantur, a *rich*, *reich* potis.

DIET, bonus. Francis compoſite *githiuto*. Inde *kuning githiuto* rex bonus, quod dicitur de Davide & Chriſto, apud OTFRIDUM Lib. I. Cap. III. 39. Lib. IV. Cap. IV. 87. Hinc porro boni, & qui faciunt voluntatem Dei, vocantur *githiuti* Lib. III. Cap. X. 45.

Jh ni bin, quad er tho zin,
Giſentit hera in uuoroltin,
Ni ſi, theih gidue githiuti
Thie mines fater liuti.
Non ſum, dixit ad eos,
Miſſus in hunc mundum,
Niſi ut faciam bonos
Patris mei ſubditos.

SCHILTERUS vertit *illuminatos*, SCHERZIUS *felices*. Malim *bonos*. Qui certe ſic dicuntur, quod ſint probi & utiles, a *tia* prodeſſe. Solent autem vocabula *bonitatem* ſignificantia a veteribus ad *nobilitatem* & *fortitudinem* transferri, quod inprimis patet ex dictis in *gat*, *derb*, *tapfer*, *brav*, & ſimilibus. Hinc THEODO *vel* THEUTO, quatenus eſt nomen proprium viri, nonſolum *dominum* (de quo ſignificatu actum in *Teut*), ſed etiam *bonum*, *nobilem*, & *fortem* poterit denotare, etiamſi eo ſenſu non occurrat in compoſitis.

DIET, bene. Inde Gothis *thiuthtaujan* benefacere, *unthiuthtaujan* malefacere, Marc. III. 4. & alia apud JUNIUM in Gloſſ. Gothic. pag. 350.

DIET, populus. NOTKERUS apud Schilterum in Gloſſ. *judon diet* populus judæorum, *liut dieto* populus gentium, *dietpurge* patriæ gentium. HENISCHIUS in Theſ. L. Germ. *diet*, *volck*, *ein alt teutſch wort*, *populus*. Vox innumeris variationibus obnoxia,

noxia, quas vide in *deut* populus. In Belgio & circa Rhenum *diet* obſoleſcit, quod CAROLO quinto imperante adhuc viguit. Ab illo eſt nomen proprium Regis Italiæ THEODORICI, quem Hiſtoria fabuloſa DIETRICH *von Bern* vocat, eo fortaſſe ſenſu (quod ex conjectura amici ſcribo), quo Mars apud HOMERUM dicitur λαοδάμας, populorum domitor. Aliam interpretationem vide in *Teut* princeps.

DIEWEIL, interim, donec. Angloſaxon. *thahwile* Matth. IX. 15. Dicitur etiam *derweil*. Illud eſt nominativi, hoc genitivi caſus. In utroque *weil* moram & intervallum ſignificat.

DIEWEIL, conjunctio cauſalis, ſed nova. V. *weil* quoniam.

DING, ſpes, fiducia, *dingen* ſperare, confidere. NOTKER. Pſal. XXI. 5. *unſere forderen dington an dih, unde du loſtoſt ſie*, in te ſperaverunt patres noſtri, & liberaſti eos. WILLERAMUS Merulæ pag. 73. *thie hiro herza an themo thinga geueſſenont*, qui corda ſua in hac ſpe firmant. Francos has voces a Gr. δοκάειν, quod apud HESYCHIUM exponitur προσδοκᾶν, id eſt, ſperare, exſpectare, per epentheſin formaſſe, plane perſuaſus ſum. Hodie utitur Eccleſia compoſito *geding*, quod vide.

DING, a ſpe & fiducia eleganter transfertur ad lætitiam, quia ſpes eſt jucunda exſpectatio boni, & animum exhilarat naturaliter, quo magis a metu ſoluta eſt. Inde formula antiqua, qua etiamnum hodie utimur, *guter dinge ſeyn* bono & hilari animo eſſe. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XVII. 18. de Herode & Magis.

Z'imo er ouh tho ladota
Thie uuiſun man th'ih ſageta,
Mit in iſt guater thingon,
Jo filu haltngon.

Vertit SCHILTERUS:

Ad ſe tum invitabat ſapientes viros quos dixi, cum iis bono erat animo, & multis cum inſidiis. Quæ verſio in notula ſubjecta male corrigitur.

DING, res, ens. Angloſaxon. & Franc. *thing* & *ding*. Gloſſ. Lipſ. *inneron thingon* inferioribus. OTFRIDUS Lib. II. Cap. II. 25. *thaz lioht iſt ſilu uuar thing*, lux eſt res valde vera. Optime MARTINIUS deduxit a *thun* facere. Nam ſi Mundum conſideres, omne ens actu exiſtens, ab alio factum eſt, & vi naturæ ſuæ rurſus conatur aliquid facere, vel ſe ſolo, vel conjunctum cum alio, ut in ſynonymis *ſache* & *rache* oſtendi. Cum hoc ſignificatu convenit Græc. τί, τινά aliquid.

DING, per ellipſin vel reticentiam orationis dicitur de eo, quod propter ignorationem nominari nequit, vel propter pudorem non debet. De ultimo ſignificatu vide PICTORIUM in voce. Latinis quoque *res* ſæpe eſt res obſcœna. Vide VALESIANA pag. 71. & 121. & KEYSLERI Ant. Sept. pag. 483.

DING, cauſa. Gloſſ. Pez. cauſam *dinch*, cauſarum *dingo*. Si quælibet res vocatur *ding*, quia vel actu eſt, vel aliquid agere poteſt, quanto magis cauſa rei idem nomen merebitur.

DING, cauſa controverſa. NOTKERUS Pſal. XLII. 1. *irteile uber mih Got unde ſceide min ding*, judica me Deus & diſcerne cauſam meam. Dictio ſynecdochica, qua genus ponitur pro ſpecie, cauſa pro cauſa forenſi & litigioſa. Ita *ſache* primo cauſam, & deinde rixam denotavit.

DING, factum. Rurſus a *thun* facere. OTFRIDUS in Præf. ad R. Ludov. v. 23.

Hoh ſmt, ſo ih thir zellu,
Thiu ſinu thinkan ellu.
Magna ſunt, ut tibi narro,
Omnia ejus facta.

DING, verbum, ſermo. Significatum primus obſervavit, & ex NOTKERO produxit SCHILTER. Pſal. XXI. 7. *dinch Gotes fater*, verbum Dei patris. Mihi perſuaſum eſt, hunc ſignificatum cum antecedentibus cognatum eſſe, & unacum illis, ex eodem fonte oriri, nempe a *thun* facere. Nam dicta numerantur in factis, cum quia ſunt productiones oris & linguæ, dicentibus etiam Latinis *verba facere* pro loqui, tum quia ſunt ſigna vocalia, quibus res ipſæ repræſentantur. Plura ejusdem indolis nomina, dictis & factis communia, vide in *wort* & *ſpil*. Hic ſignificatus, quamvis extinctus, probe eſt notandus, quia in progreſſu operis ad eum provocabimus.

DING, colloquium. Senſus a ſermone ad mutuum ſermonem translatus. Significatum primus animadvertit cel. SCHERZIUS ex verbis OTFRIDI Lib. III. Cap. XIII. 105 de Chriſto, Moſe, & Elia:

Zelit thir iz Lucas,
Uuas iro thing thar tho uuas.

Vertit SCHERZIUS: *Narrat tibi Lucas quodnam ipſorum colloquium tum ibi fuerit.* Quæ verſio exacte convenit cum Matth. XVII. 3. Luc. IX. 30.

DING, judicium, forum, comitia. Senſus a colloquiis privatis ad publica & forenſia, quæ juris dicundi cauſa inſtituuntur, translatus. Ita *mal* primo ſermonem & colloquium, poſtea comitia & *mallum* denotavit. Hinc judicium in omnibus pene veterum Dialectis dicitur *thing*. Gloſſ. Pez. forum *dinch*. TATIANUS Cap. XXVI. 2. *ſculdig thinges*, reus judicio. Cap. CLXXXIX. 1. *thinc uuirchenti*, concilium facientes. Quod dicitur de Concilio Sacerdotum ad condemnandum Jeſum a principe Sacerdotum convocato. ADAMUS BREMENSIS Hiſt Eccl. Cap. 229. *Commune populorum Concilium a Sueonibus* WARPH, *a nobis* THINC *vocatur*. OLAUS WORMIUS in Mon. Dan. pag. 68. *Loca in quibus publice lites ſecundum*

dum regni leges & conſtitutiones divimuntur, fora hic vocamus, noſtratibus TING. VERELIUS in Indice: THING *in Legibus ubique accipitur pro judicio & foro, ubi civium lites ſecundum leges deciduntur.* Quibus affine videtur, quod Hebræis atque Arabibus judicium vocatur *din*. Vix ulla vox eſt, quæ plura apud veteres habeat compoſita. Nos potiora hic indicabimus.

Wehadinc, judicium pugnæ. Extat in Decreto Thaſſilonis de popularibus legibus art. 5. *de pugna duorum, quod* WEHADINC *vocamus*. Quidam hic obtrudunt *werding*, a *weren* defendere, quod contra Codicum fidem non eſt admittendum, ſicut optime monet Cel. SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 224. Ipſe a *weihe* conſecratio dictum putat, quaſi promiſſum judiciale de ſortibus diabolicis non utendis. SPELMANNO eſt a *wead* pignus, quaſi duellum interpoſito pignore ſponſum. Utrumque a proprietate vocis & interpretatione Legis alienum. Nam *wehading* revera eſt judicium pugnæ, & omnino ſic dicitur a *vega* dimicare, quod habet VEREL. in Ind. & nos ex illo in *wigen*. G. & H. permutantur. Ratio, cur duellum ſic appelletur, ſatis manifeſta eſt. Nam quæ judicio ordinario terminari non poterant, duello apud veteres dirimebantur, tanquam oraculo quodam & judicio divino. De hoc inſtituto, ejusque auctore & origine, vide plura inter *Ordalia*.

thinchus, curia, prætorium. Gloſſ. Pez. auditorium *dinchus*. TATIANUS Cap. CXCV. *1: ingieng tho abur in thas thinchus Pilatus*, introiit ergo iterum in prætorium Pilatus. Ab *hus* domus publica, palatium.

hus-thing, idem quod *thinchus*, quamvis inverſo compoſitionis ordine. Inde Latino-Barbaris *huſtingus* & *huſtingum* curia, apud Spelman. & Cang. Angloſaxonibus *hustinge* eſt ipſum concilium.

dagathing, judicium certo & definito die conſtitutum. Utitur OTFRIDUS Lib. V. Cap. XIX. 1. Hodie dicimus *taiding*, quod vide.

thing-ſtow, forum, judicii dicundi vel exercendi locus. Vox Angloſaxonica apud SOMNERUM, a *ſtow* locus.

dis-ting, nundinæ & judicia ſolennia in honorem *Diſæ*, quæ Leges Septemtrioni tuliſſe fertur, celebrata, apud OL. WORMIUM in Mon. Dan. pag. 117. Faſt. Dan. pag. 52.

vapnathing, luſtratio armorum & militum, apud VERELIUM in Ind. a *wapen* arma.

dinchliute, judices. NOTKERUS Pſal. XCIII. 4.

boding vel *buding*, judicium extraordinarie convocatum, a *bieten* indicere, interprete SCHILTERO. Extat in Charta Henrici III. Imp. an. 1056.

ding-ſtat, locus judicii publici, vel etiam ſtatus. Spec. Sax. Lib. III. 61.

ding-ſtul, tribunal, ſubſellium Judicis. In de formula, *im gehægten dinge binnen 4. henken*, judice inter quatuor ſcamna ſcabinorum pro tribunali ſedente.

dink-ſlubt, quando quis judicio legitimo ſe ſubducit fuga vel contumacia. Jus prov. Alam. Cap. 205.

elich dink, legitimum judicium. Jus prov. Alam. Cap. 75.

veme-ding, judicium vemicum. V. *feim-gericht*.

friding, judicium liberum.

ungeboden ding, curia non indicta. HUNDIUS in Gloſſ.

vogd-dink, idem quod *boding*. Recurrit in V. *ding-pflichtig*, juratus judicii ſcabinus vel miniſter, interprete SCHILTERO. Alibi videtur ſignificare eum, qui forum contractu aut juramento ſortitus eſt, de quo more aliquid dixi in *band-mal*.

dingliche rechten, videntur eſſe jura in foro recepta.

geding, idem quod ſimplex.

Sæpe etiam *ding* annectitur nominibus villarum, quales ſunt *Loding* & *Boding* in Marchia Brandenburgica, indicio haud obſcuro, ejusmodi loca a judiciis ruſticis ortum & appellationem accepiſſe.

DING, jus, *dingſtreit* controverſia juris. Utitur NOTKERUS Pſal. IX. 5. *uuanda du getate daz ting unde den dingſtrit*, quoniam tu feciſti judicium meum & cauſam meam. An aliqua cum reliquis affinitate? Dubito. Potius eſt a Gr. δίκη jus, per epentheſin.

DING, jurisdictio. Videtur truncatum ex vetuſtiori *ding-recht* jus judicandi, quo utitur NOTKERUS Pſal. LXXI. 1. *der fater uberteilet niemannen, er gab daz dinchreht al demo ſune*, pater non judicat quenquam, ſed judicium omne dedit filio. Sequiora tempora habent *geding*. Inde compoſita, *holz-geding* jurisdictio foreſtaria, *vogd-geding*, *recht-geding*, & alia apud Jurisconſultos. Sed a ſimplici extat *bauding* jurisdictio in colonos, a *bau* villa.

DING, quatenus eſt verbale a *dingen* tranſigere, ſignificat quantum poteſt, *negotium, pactum, conventionem*, & *conditionem conventioni adjectam*.

DING, negotium, pactio, transactio, conventio inter duos vel plures. SOMNER. in Dict. AS. *thing* negotium. Gloſſ. Pez. negotium *dinch*, conventione *gidingun*, pactum *friduding*.

DING, conditio, lex pactionis vel conventionis. SOMNER. loc. cit. *thing* conditio, *ece thing* conditio æterna. Gloſſ. Pez. conditioni *gidingun*. Hodie dicimus *beding* & *geding*, præeuntibus Francis.

DINGEN, loqui, ſermocinari, ſermonem conferre. OTFRIDUS Lib. V. Cap. X. 53. *bigondun thingon untar in*. Vertit SCHILTERUS, qui nobis primus hunc ſenſum oſtendit: *cæperunt dicere inter ſe*. Refer ad *ding* ſermo. Græcis φθέγγομαι eſt loquor, & φθόγγος vox, ſola aſſonantia, an etiam

affinitate, aliis examinandum relinquo. Hodie non amplius auditur hoc verbum, nec tamen improle deceſſit. Nam ab illo perſpicue ſatis derivatur *zunge* lingua, loquendi inſtrumentum.

DINGEN, tranſigere, pacifci, conventionem facere, quocunque modo. Non a *ding* ſermo, ut antecedens, etiamſi Longobardis ſolemne ſit verba forenſia a *confabulatione* formare; ſed potius a *ding* res & factum, quia tranſigentes nonſolum confabulantur, ſed etiam rem pro re, & factum pro facto condicunt, ſecundum vulgatum, *do ut des, do ut facias, facio ut des, facio ut facias.* BENSON. in Voc. Angloſax. *thingian* pacifci. Gloſſ. Pez. conveniſti *gidingotos.*

DINGEN, pretio conducere. Surculus verbi præcedentis. Gloſſ. Pez. conductum *gidingoti.* Inde compoſita, *verdingen* locare, elocare, *abdingen* detrahere aliquid de pretio.

DINGEN, quatenus derivatur a *ding* judicium, ſignificat omnes actus judiciales, tam judicis, quam partium litigantium, latiſſimo quidem ſenſu, ſed neceſſario & gentili.

DINGEN, in foro Francico ſignificat (1.) judicare. GASSARUS in Vocabulario Otfridino, quamvis locis probantibus deſtitutus: *gethingen, richten, vertragen*, h. e. judicare, cauſam dirimere. SCHILTERUS huc refert verba OTFRIDI Lib. V. Cap. XX. 71. de judicio extremo:

Suntar ſar ſih ringot,
So Druhtin iz githingot.
Sed ſtatim ſe aggregabit,
Ut Dominus id judicabit.

(2.) litigare, primo quidem in foro, poſtea etiam extra forum. GASSARUS loc. cit. *thingon, rechten*, h. e. judicio contendere. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XVIII. 21.-24. de Judæis cum Chriſto altercantibus:

Bigundun ſie antuuurten,
Mit imo thar tho thingon.
Cœperunt reſpondere,
Et cum illo altercari.

DINGEN, in foro Angloſaxonico ſignificat (1.) componere delictum. SOMNER. in Dict. AS. *thingian, gethingian* componere, *butan he thingian wille* niſi componere vel pacem facere voluerit, *thingunge* ſatisfactio. (2.) cauſam dicere pro aliquo. SOMNER. loc. cit. *gethingian* intercedere, interpellare, *thingere* advocatus, *thing-rædenne* interceſſio, interventus. Inde Latino-Barbaris *tanganus* patronus cauſarum.

DINGEN, in foro Longobardico ſignificat judiciaiter tradere, donare, declarare, promittere, & ſimilia. Notæ ſunt eorum voces Latina terminatione veſtitæ, *tbingare* donare, *thingare liberum* manumittere, liberum declarare, *thinx* & *thingatio* donatio, *garanthinx* plenaria donatio coram judice facta. Vide LINDENBROGIUM, SPELMANNUM, CANGIUM in vocibus Latino-Barbaris.

DINGEN, in foro Alamannico ſignificat citare, in jus vocare. Quod ex Jure eorum Feudali oſtendit SCHILTERUS in Gloſſ. Teut. pag. 222. col. 2.

DINGEN, in foro Cambro-Britannico ſignificat jurare, quia juramentum eſt inſtar judicati, quo lites terminantur. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *tyngu* jurare, *twng* juratio, juramentum. Inde Latino-Barbaris *tangnare* adjurare.

DINGEN, ſperare. V. *ding* ſpes.

DINGMAN, ſignificat quantum poteſt, judicem, aſſeſſorem judicis vel ſenatorem, imo etiam cauſarum patronum, pro diverſa primæ partis ſignificatione, quæ compoſitionem ingreditur. Gloſſ. Pez. curiales *dincman*, concionatorem *dingman*. NOTKERUS Pſal. LXXIII. 22. *Truhtin ſtani uf, uuis min dingman*, exurge Domine, & eſto judex meus.

DINGMAN, decanus, decurio. Gloſſ. Pez. decurio *dincman*. Ad declarationem Latinæ vocis facit, quod SPELMANNUS obſervat: DECANUS *in militia dictus eſt, qui decem præfuit militibus; in Monaſteriis decem monachis; in Eccleſia majori decem præbendis; in Epiſcopatus diviſione decem clericis ſeu parochiis; in Centuriæ ſive Hundredi diſtinctione, decaniæ ſuæ ſodalibus.* Idem in voce *Hundredus* pag. 302. *Eſt autem* HUNDREDUS *portio Comitatus, qua olim degebant centum pacis Regiæ fidejuſſores, ubi* DECURIA, *qua decem: & complexus eſt igitur* HUNDREDUS *decem* DECURIAS, *ut centenarius numerus decies denarium.* Quemadmodum igitur *hundredus* eſt ab *hund* centum, & *decanus* a δέκας vel decem: ita ab Angloſax. *thyn* decem fit *ding* decuria, per medium derivandi G. & hinc porro *dingman* præſes decuriæ. Lex Salica TUNGINUM vocat, eundemque cum *Centenario* tanquam magiſtratum minorem cum majori conjungit Tit. XLVII. 1. Sic autem dicitur, non a *zehen* decem, ut ECCARDUS exiſtimat, & multo minus a *ding* judicium, ut BRUMMERUS, ſed a *ding* decuria. Ita Alamannis decanus dicitur *zehaningaro*, a *zehaninga* decania.

DINCKEL, *dünkel*, far, zea. DIOSCORIDI duplex eſt, alia ἄκακλι ſimplex, alia δίκοκκος, grana habens gemina in ſingulis membranis. Et hujus quidem appellationem videntur Germani imitari in *dinkel*. An vocabulum rei conveniat, videant rei ruſticæ periti. Apud veteres non invenio. Videtur tamen antiquitas ejus colligi poſſe ex nominibus oppidorum, *Dinkels-bühel* collis zeæ, & *Dinkel-vingen*, quod campum farris interpretari licet. Vide dicta in *wang* & patebit.

DINTE, atramentum. Gloſſ. Pez. atramentum *tinctun*, atramentarium *tincta-horn*. Hiſpanis *tinta* atramentum. Derivarem cum BESOLDO a *tinctura*, niſi obſtarent Cambri, quibus *duedd* nigredo, atror, a *du* ater, niger, unde per epenthefin fieri poterat *dinte*, litera N. ut ſæpe alias, ab uſu infarta.

Atra-

Atramentum ex fuligine factum memorat PLINIUS Lib. XXXV. Cap. 6.

DIR, tibi. Gothis *thus*, Angloſax. *the*, Franc. *thir*, Alam. *dir*. Gloſſ. Keron. tibi *dir*. TATIANUS Cap. II. 9. *ih bin giſentit zi thir*, miſſus ſum ad te. Cuncta a *du* tu, per literas terminales S. & R. quæ in omnibus Linguis ſunt permutabiles.

DIRNE, famula, ancilla, ſed liberæ conditionis. Vox Franco-Theotiſca. Gloſſ. antiqua apud JUNIUM in Obſerv. ad Will. pag. 159. *diorna, traga*, gerula. VEREL. in Ind. *therna* ancilla, famula, *thionuſtu thernar* famulæ, ancillæ. Ad hanc vocem, hactenus intactam, & omnium pene metu in obſcuritate relictam, mihi inſtar clavis eſt, quod famula Dialecto Angloſaxonica dicitur *thienerne*, apud BENSONIUM in Vocabulario, haud dubie a maſculino *thiener* famulus, quod uſus conſtanter retinet. Nam hinc fieri poterat (& haud dubie factum eſt) *thierne* per ſyncopen, qua figura in vocibus ſæpe nominandis nihil frequentius.

DIRNE, virgo, puella. Senſus a puellis famulantibus ad omnes virgines & juvenculas, etiam non ſervientes, translatus. Gloſſ. Lipſ. *thierno* juvencularum. Idque nomen paſſim tribuitur B. Virgini in monumentis Theotiſcis. TATIANUS Cap. III. 1. *inti namo thero thiornun uuas Maria*, & nomen virginis erat Maria. OTFRIDUS Lib. I. Cap. V. 29.

Heil magad zieri,
Thiarna ſo ſconi.
Salve virgo decora,
Puella gratioſa.

Et paulo poſt:

Thiu thiarna filu ſcono
Sprah zi boton frono.
Virgo pulcherrima
Reſpondit nuntio ſacro.

Hodie & ſervam & virginem etiamnum hac voce deſignant: exceptis tamen Helvetiis, qui eam ſolent vituperare.

DIRNE, meretrix. Ita Helvetii apud PICTORIUM in Lex. Cui vituperio impudicitia ancillarum anſam præbere potuit. Fata ſimilium vocabulorum vide in *dieb*.

DISS, hoc. Conſenſum oris antiqui vide in *dieſer* hic.

DISTEL, carduus. Angloſaxonibus, Francis, Anglis & Suecis *thiſtel*. Gloſſ. Pez. carduus *thiſtil*. MARTINIUS in Lex. Philol. *carduus, herba aculeata, quæ nobis diſtel: forte quia δυσαλὴς infeliciter virescens: eſt enim inter vitia agri, etſi alioqui non careat uſu in medicina: niſi potius a toſten attrectare, per antiphraſin.* Sed quid etymologo cum antiphraſi? Vide annon carduus potius ſic dictus ſit, quod tangentes pungat, ab Angloſax. *thydan* pungere, figere, ut primo fuerit *thydſel*, a medio derivandi SEL, & poſtea transpoſito ſibilo *thyſtel*. SOMNER. in Dict. AS. *thydan* configere, perfigere, infigere, perforare, *he hine ſylfne hetelic thydde*, ſe ipſum acriter confixit. Aliam vocem ab eodem verbo formatam vide in *tüttel*, punctum, apex.

DISTEL-VOGEL, acanthis. Utrumque a ſpinis. PLINIUS Lib. X. Cap. 74. *Acanthis in ſpinis vivit: idcirco aſinos & ipſa odit, flores ſpinæ devorantes.* Græcis ἄκανθα ſpina, vepris &c.

DIU, Deus. Vox Celtica, ſed varie apud auctores ſcripta. BOCHARTUS in Orig. Gall. pag. 15. *Apud Cambros hodieque* DIU *Deum ſignificat.* Alii Cambris tribuunt *dui* & *duw*, & Armoricis *due*. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. in voce *dir* certus: *a fo da gan Dduw ys dir*, quod viſum eſt Deo, certum. Idem in voce *Uwyddo* proſperare: *ni fynno Duw ni lwydd*, quod non vult Deus, non proſperabit. Et in Botanico: *gras Duw* gratia Dei. BAXTER. in Gloſſ. Ant. Brit. pag. 107. DUI *in quadam Camdeni Inſcriptione Jupiter eſt. Etiam adhuc Dialecto quadam Deus Britannis dicitur Dyu, ut & Aremoricis due.* Unde Celtæ acceperint hanc vocem, an ex Theologia vera & primitiva ab Hebræo nomine *dai* ſufficiens, perfectus, an ex Theologia Gentili, & præcipue Græcorum, quorum vetuſtiſſimi (ut tradit PLATO in Cratylo) eos ſolos Θεοὺς appellabant, quos perpetuo curſu in cœlo terri conſpiciebant, a θέειν currere, aliis inquirendum relinquo. Hoc omnes absque monitore vident, cum Celtica voce convenire etiam Latinam *Deus*, & Gallicam *Dieu*, & Italicam *Dio* &c. An huc etiam ſpectet *Deut* vel *Düd*, quod Germanis antiquis tribuit LUTHERUS in Libello de Nominibus propriis, & incaute ſequitur CLUVERIUS, dubito, imo nego. Nam *deut* priſca Germanorum lingua non Deum, ſed terram aut populum ſignificat, ut demonſtravi in loco. Quo ipſo corruit conjectura eorum, qui huic ſiculneo argumento innixi, Germanos dictos volunt *Teutonas*, tanquam divinos.

DOBEN. V. toben.

DOCH, tamen. Goth. *thau*, Angloſax. *theah*, Franc. *thoh*. TATIANUS Cap. CLXXXI. 2. *thoh nalles thaz ih uuilli*, veruntamen non quod ego volo.

DOCKE, pupa, icuncula, perſona ficta. Gloſſ. Pez. mima *tohcha*. Vel ejusdem indolis eſt ut *puppe*, vel diverſæ. Si prius, erit imago puero ſimilis vel puellæ, adeoque a τέκος filius vel filia; Si diverſæ, formari potuit a τεύχω paro, fabrico.

DOCKE, canis moloſſus. Angl. *dog*, Belg. *dogg*, Suec. *dugg*, *engliſh dugg*, Gall. *dogue*. Quamvis Anglis *dog* ſit omnis canis, in reliquis tamen Dialectis eſt canis grandis & venaticus, & fortaſſe ſic dictus a *tacken* capere, quomodo alias canis accipiter dicitur *habich*, ob ſimilem cauſam. De verbo *tacken* vide plura in *attachiare*.

DOLCH, pugio, ſica. Græcis δόλων, Lat. *dolo*, Belg. *dolk*, Islandis *dolgur*. Proprie

eſt ferrum latens in omnibus linguis. JUNIUS in Obſerv. ad Will. pag. 183. "*dol, dolch, „dolg, dolk*, pugio, dolo, baculus intra quem „latet pugio. Græcis eſt δόλων. Ita HE„SYCHIO δόλωπες ſunt gladioli in baculis oc„culti. PLUTARCHUS Tiberio δόλωνα expoſuit gladiolum prædatorium vel piraticum. VIRGIL. VH. Æn. verſ. 764. *Pila „manu ſævosque gerunt in bella dolones.* Ubi „SERVIUS: *Dolo eſt flagellum, intra cujus „virgam latet pugio, aut ſecundum Varro„nem ingens contus cum ferro breviſſimo. Do„lones autem a fallendo dicti ſunt, quod deci„piant ferro, cum ſpeciem præferant ligni.* Hactenus JUNIUS, qui videtur pollicem premere Servio, quamvis nimia brevitate obſcuro. Forte Servius in animo habuit verbum Græcum δολόω decipio. Sed hæc deceptio ligni nimis jejuna eſt. Potius eſt, ut credamus, omnium originem eſſe a verbo obſoleto *dolen* occultare, quod hodie ſuperat apud Suecos, quibus *dolia, fördolia* eſt celare, abſcondere, occultare, *fördöld* abſconditus, occultus, clandeſtinus, *fördolias* latere. Hinc ſcil. vetuſtas varia flexione efformavit *dol, dolg, dolch*, quod vi originis telum abſconſum ſignificat. Islandis *dolgur* nonſolum pugionem, ſed etiam hoſtem occultum, & *dylgiur* tectas inimicitias, & *dul* quicquid occultari poteſt, denotat. VERELIUS vocem Islandicam derivat a *thoſligen* occidere, STADENIUS Germanicam a *tilgen* delere. Sed neutrum ſatis convenit cum illa idea, quam ſibi veteres de hoc gladiolo formarunt. VIRGILIUS *dolones* tribuit Tuſcis, manifeſto ſatis ſimilitudinis, quæ olim inter Linguam Tuſcam & veterem Germanicam fuit, indicio.

DOLE, *dule*, avis ex graculorum genere. Latini vocant *monedulam*, quod monetam auferat & occultet. PLINIUS Lib. X. Cap. 29. de graculis & monedulis: *cui ſoli avi furacitas auri argentique præcipue mira eſt.* Radix utriusque vocis, tam Latinæ, quam Germanicæ, videtur eſſe *dolen* abſcondere. Si quis tamen nomen avis a garrulitate derivare malit, habebit obſequium verbi *talen* loqui, dicere, unde recte fit *dole* avis dicax & garrula. Apud veteres hactenus non occurrit.

DOLEN, abſcondere, occultare. Sueciis *dölia*. Vide plura in *dolch*.

DOLEN, pati. V. *dulden*.

DOLEN, *dwalen*, errare, vagari. Angloſaxonibus *dwelian, dwolian*, Franco-Saxonibus *duelon*, Belgis *dolen* & *dwaalen*. Gloſſ. Lipſ. *duelont* errant. Inde Angloſaxonibus *dole* & *dwola* error, Belgis *dwaaling* error, *dwaalſter* ſtella erratica. Quamvis *dolen* & *dwalen* promiſcue uſurpentur in Dialectis, revera tamen differunt origine. Nam *dwalen* eſt a *wallen* errare, per proſtheſin literæ D. Contra *dolen* eſt a *dwalen*, per ſyncopen literæ w. Prima litera poterat omitti ſalvo & integro ſenſu, ſi uſus voluiſſet: alterum non debuit omitti, cum ſit radicalis. Omitti tamen ſolet ex pigritia pronunciantium.

DOLEN, *dwalen*, ſeducere. Verbum faceſſens ex præcedenti. Quid enim eſt ſeducere, niſi facere ut erret? Antiquis effertur ut ſupra. Inde Angloſaxonibus *dwolman* hæreticus, ſeductor, impoſtor, *dwaslibt* ignis fatuus, ignis erraticus, viatorem a recta via abducens, *gedwol-guda* idola, ſimulacra, deaſtra. Belgis *dwaal-weg* iter devium, *doolhof* labyrinthus, quia intrantem ſeducit.

DOLEN, *dwalen*, quatenus ſignificat *errare*, metaphorice accipitur pro *judicio falli*, quoniam, qui hoc modo falluntur, ſimiles ſunt eorum qui circa viam errant. Fallimur autem judicio duobus modis, vel ex ſtupore ſenſuum & ingenii, vel ex defectu ſanæ mentis. Hinc *dolen* & *dwalen* in metaphorico dicendi genere ſignificant quantum poſſunt, (1.) ſtupere, (2.) deſipere.

DOLEN, *dwalen*, ſtupere, ſtupidum eſſe. Gloſſa Juniana in Obſerv. ad Will. pag. 171. *artuualun* torpebant. Inde *dwalm* ſtupor, qualitas quæ ſenſus obtundit & hebetat. Utitur WILLERAMUS in Cant. Cap. VII. 13. *diu uzzera vinta ejusdem pomi in uuine getrunkeniu dualm machet den, die man ſcal ſuidan oder brennan*, exterior cortex mandragoræ in vino hauſta ſtuporem inducit iis, qui ſecandi vel urendi ſunt. Et hucetiam ſpectant quædam Anglica, cujusmodi ſunt, *to dull* hebeſco, torpeſco, *dulled* hebetatus, contuſus, ſtupefactus, *dullard* hebes, bardus, ingenio tardus, *dullnig* hebetatio, *dulneſs* hebetudo, ſegnities, torpor, *dully* obtuſe.

DOLEN, *dwalen*, deſipere, delirare. Angloſax. *dwolian*, Belg. *dollen*. Inde *dwolung* deliramentum, apud SOMNERUM.

DOLL, quatenus derivatur a *dolen*, ſignificat quantum poteſt. Dicitur antiquitus (1.) de ſtupidis. Inde Cambris *dwl* hebes, obtuſus, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Angli eodem ſenſu dicunt *dull*. (2.) de ſtultis. Evang. Goth. Matth. V. 22. *ſaei quithith brothr ſeinamma dwala*, ſi quis dixerit fratri ſuo, fatue. Ubi Codex Rushworthianus habet *dole*, teſte JUNIO loc. cit. pag. 273. Et hoc ſenſu *dole* occurrit quoque apud SOMNERUM in Dict. & *dulen* apud VEREL. in Indice. Huc ſpectat ex Lingua Oſca *dalivus* fatuus, & ex idiomate inferioris Saxoniæ *dalike, dwalike* mulier fatua. (3.) de furioſis. Inde *dollheit* rabies, *dollhaus* domus mente captorum, *dollkiin* audax inſtar furioſi &c. Hodie ſcribunt *toll*, ſed contra torrentem omnium Dialectorum tam veterum quam recentiorum. Dixi *doll* eſſe a *dolen* vel *dwalen*. Et hoc etiam dixit STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 641. Alii, quicquid horum eſt, ex lingua Græca ad nos manaſſe putant, ſive a δοῦλος ſervus, quia hebetes & ſtulti ſunt natura ſervi, & a cæteris regendi, ſive a rabie ſervi in libera colla furentis, ſive a θολὸς turbidus. Prima etymo-

etymologia eſt ab ingenio JUNII, altera PEISKERI, ultima HENISCHII. Nulla idonea, ut ex antecedentibus patet.

DOLMETSCHEN, interpretari, ex alia lingua in vernaculam transferre, *dolmetſch* interpres. An a *tal* ſermo, lingua? Ita quidem vellent HENISCHIUS, STILERUS, STADENIUS; ſed in poſteriori compoſiti parte, quæ certe non eſt Germanica, viri optimi ſuccumbunt. Polonis *tlum* eſt plebs, vulgus, populus, & inde *tlumacze* populari ſermone exponere. Vulgus noſtrum inde formaſſe *dolmetſchen*, Sarmaticam vocem imitando, jam olim monuit ECCARDUS in literis ad STADENIUM. HELVIGIUS derivat ab Heb. *talmud* doctrina, eruditio. Quod, etiamſi remotius ſit, non auſim contemnere, quia *dragomano* ſynonymum ejus multorum judicio eſt ab Heb. *thargum* interpretamentum.

DOLPEL, convicium in hominem agreſtem. HELVIGIO venit ab Heb. *taphel* inconditus, inſulſus, inſipidus. Sed potius eſt diminutiv. a Celtico *delſſ* ruſticus, agreſtis, barbarus, quo hodie utuntur Cambro-Britanni apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Vox Celtica eſt ab Angloſaxon. *delſan* fodere, & proprie agriſoſſorem ſignificat, ſi quid video. A ſimplici *delſ* formatur *dölpiſch* ruſticus & ruſtice, & a diminutivo *dölpel* proveniunt *zuedölpeln* ruſtico impetu ferri, *überdölpeln* prævertere aliquem incivilibus modis.

DOM-KIRCHE, eccleſia cathedralis, per apocopen *dom.* Gloſſ. Lipſ. *duomis* templum. Non a Græco δῶμη ædificium, nec a Lat. *dominus*, ut quidam opinantur; ſed a *dom*, quod in omnibus veterum Dialectis, & in iisdem LIPSII Gloſſis, *judicium* & *juriſdictionem* ſignificat, ut demonſtravi in *dunmen* judicare. Isque ſignificatus perfecte convenit Cathedrali Eccleſiæ, quæ certe eſt ipſa ſedes Principis Eccleſiæ, unde tanquam ex ſacro Tribunali ſuam in terras & Eccleſias ſubjectas jurisdictionem exercet.

DOMMEL, onocrotalus. Angloſaxonibus *dumle*, apud BENSON. Videtur ſic appellari quaſi *dompel* mergus, a verbo Belgico *dompelen* immergere. Eſt enim avis paluſtris, & forte è mergorum genere, quales Belgis vocantur *dompelaars*. Aut certe vox ficta eſt a ſono rauco & obtuſo hujus avis. LUTHERUS utitur compoſito *ror-dommel* Pſal. CII. 7. quia in paludibus inter arundines degit. Apud Francos duo invenio compoſita *horotumbel* & *horotupil*. Illud apud NOTKERUM Pſal. CI. 6. hoc in Gloſſis Pezianis. Utrumque defumptum eſt ab *horo* cœnum, quia onocrotalus cœno & paludibus delectatur. Gloſſ. Lipſ. *horo* ſtercus. *Tupil* autem eſt mergus, & oritur a *dupen* immergere.

DON, aqua, unda. Vox Celtica & antiquiſſima. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *tonn* unda, *tonnog* undoſus. Meretur hæc vox notari, quamvis LEIBNITIO in Gloſſario Celtico neglecta, quoniam ab illa per varias flexiones prodierunt nomina Fluviorum vetuſtiſſima, cujusmodi ſunt,

DONAU, *Dona*, Angloſaxonice *Donua*, Latine *Danubius*, & in nummis *Danuvius*. Id eſt aqua.

TANAIS, fluv. Scythiæ, Europam & Aſiam disterminans, qui a ſuis accolis etiamnum vocatur *Don*, h.e. aqua. Inde eſt, quod *Tanais* & *Danubii* nomina tanquam idem ſignificantia ſæpe confunduntur a Scriptoribus. Teſtis mihi ZOSIMUS Lib. I. pag. 7. *Scythæ Tanaim transgreſſi vicina Thraciæ loca prædis agendis infeſtabant.* Id eſt Gothi Danubium transgreſſi, ut pridem obſervavi in *Annalibus Alamannicis*. Rem ipſam vidit quoque PERIZONIUS, quamvis notionis, quæ Celticæ voci adhæret, ignarus, in Q. Curtio Ruſo vindicato pag. 158. *Apud Scythas communiter omnes majores fluvios* TANA *vel* DONA *aut* DONAU *dictos putem: id porro nomen Græcos in ſua lingua, teruinatione ſibi ſolita pronunciaſſe* TANAIS, *Romanos* DANUVIUS *vel* DANUBIUS. *Certe idem fuiſſe nomen* DANUBII *ex Germania per Pannoniam & Daciam in Pontum Euxinum ſe exonerantis, &* TANAIS *ab Septentrione per Mæotim in eundem Pontum ſe effundentis, vix dubito.*

DAUNUS, fluv. Britanniæ, unde *Doncaſter* arx ad fluv. Daunum. Miror EDUARDUM LUIDIUM in appellationibus fluviorum Britanniæ nomen *don* omiſiſſe.

DUINA, *Dyna*, fluv. Livoniæ.

DINA, apud Geographum Ravennatem eſt fluv. Holſatiæ, qui hodie *Eider*, eodem utrinque ſignificatu, ut demonſtravi in *Oder*.

Omnes iſtæ Fluviorum appellationes a Celtis, cum ex Oriente in Occidentem & Septemtrionem migrarent, ſuis quæque locis relictæ ſunt, & præter *aquam* nihil ſignificant: Quæ cum nobis hodie ſint obſcuræ, diſceſſum Linguæ noſtræ ab antiqua nobis objiciunt. STADENIUS hæc fluviorum nomina a ſonitu & fragore, qui nobis *don*, a *dönen* ſonare, deſumpta putat, in Voc. Bibl. pag. 160. Quod uti nec refellere, ita nec adoptare ſuſtineo. Latinos a Celtica voce per metatheſin formaſſe *unda*, Francos *und*, quivis absque monitore intelligit.

DON, ſonus, ſtrepitus, fragor. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *tön*, teſte JUNIO in Obſ. ad Will. pag. 283. Angloſaxonibus *dyn* apud SOMN. & BENS. Suecis *don*, Islandis *dunur*, *dynur* apud VEREL. in Ind. Græcis τόνος, Lat. *tonus*, *ſonus*. An a *τεθνεω* vel *denen* tendere? Ita ſentiunt omnes, quotquot inſpexi. Et admitti poteſt, ſi primus vocis ſenſus non a tenſione fidium, ſed ab extenſione percuſſi aeris deſumatur. Mallem tamen cunctorum originem petere a verbo Islandico *dya* quatere, concutere. Nam *ſonus* eſt, ubi aliquid pulſat & pulſatur. Primo

autem colliduntur corpora. Mox aer percuſſus viciſſim pulſat aures. Et verba ſonandi a cauſis formari, multa evincunt exempla, quæ vide in *brauſen* ſonare.

DONEN, ſonum vel fragorem edere, Angloſaxon. *dynan*, *thunnan*, Scandis *dona*, Latin. *tonare*, *ſonare*, Græc. τονίζω. Verbum a ſubſt. factum.

DONNER, tonitru. Perſis & Belgis *donder*, Angloſaxonibus & Anglis *thunder*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *thunder* tonitruum, *thunder-slæge* ictus tonitrui. Quibus addo ex Evang. Gentis Marc. III. 17. *thunres-bearn* filii tonitrui. Quod imitatur interpres TATIANI Franco-Theotiſcus in *thonares kind* Cap. XXII. 6. Vox horrenda prorſus & graviſona, quam qui edunt, ipſo ſono teſtantur, ſe non verba, ſed tonitrua loqui. Ideoque ad voces per Onomatopœiam fictas aliquando retuli. Sed nunc magis adſentior STADENIO, qui *donner* deducit a *dönen* ſonare, tonare, fragorem edere. Quid enim eſt tonitru, niſi concuſſi aeris fragor? Latinis quoque *tonitru* a *tonando* dicitur.

DONNER, Jupiter, Deus tonans, *donnerstag* dies Jovis. SOMNER. loc. cit. *thuner*, *thunor* Jupiter, *thunres-dæg* dies Jovis. Et huc etiam ſpectat cognomen Jovis TANARUS, quod extat in vetuſta Inſcriptione apud BAXTERUM in Gloſſ. Ant. Brit. pag. 223. *Coloniæ Devanæ reperta eſt Ara inſcripta* J. O. M. TANARO. Diſputatum eſt a multis in Britannia, an *Tanarus* in Devana Ara ſit vitioſum? Quod recte negat Vir eximie doctus. Aliud enim eſt *tonare*, aliud *ferire*. Et hinc pro diverſitate attributorum Jupiter diverſa accipit nomina, & dicitur *Taranis* quando ferit, *Tanarus* quando tonat. Illud Celtica, hoc Germanica Dialecto. Anglia diem Jovis vocat *thursday*, Scandia *thorsdag*, non a *Tarane* Jove Gallico, ſed a *Thoro* Jove Saxonico. De utroque Deaſtro actum ſeorſim. Aliud nomen Jovis vide in *pfin*.

DONNERN, tonare, tonitruare. Angloſaxon. *thuneran*, *thunran* apud BENSON. Francis *doniron*, Belgis *donderen*, Suec. *dundra*. NOTKER. Pſal. XXVIII. 3. *Got dero magenchrefte irdonerota*, Deus majeſtatis intonuit. Refer ad *donner* tonitru.

DOPLEN, ludere aleis, *dopler* aleator. Originem & antiquitatem vide in *tafel* alea. Sed & *grœcari* ſignificare poteſt, ſi ſit frequentativum ab Anglico *to tope*.

DOPP, interjectio ad ſponſionem provocantis, vel potius imperativus verbi obſoleti *duppen* percutere, a τύπτω ferio. Nam ſponſiones more antiquo compoſitis dextris (Latini manum ſtipulatam vocant) percutiuntur. Et hinc is, qui ad ſponſionem provocat, dicere ſolet *dopp*, id eſt, percute. Confer *adobare*.

DOPPEL, *doppelt*, geminus, Gr. διπλόος, διπλᾶς, Latinis *duplex*, *duplus*, Cambris *dwbl*, a *dau* & *plyg*, h. e. a duabus plicis. Allegorice dicitur de ambiguo, quod duobus modis intelligi & explicari poteſt.

DOPPELHAK. V. *hak* uncus.

DORF, locus habitandi communis, ſive villa ſit, ut hodie, ſive oppidum, ut olim. Vox Celtica quæ Cambris effertur *tref*, Angloſaxon. *throp*, Francis *thorf*, Belg. *dorp*, Island. *thorp*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *tref* urbs, oppidum, locus habitationis, *didref* eremus, ἄπολις, ubi non habitatur, *pentref* villa, propolis, ſuburbia (potius urbs capitalis vel metropolis, a *pen* caput). BENSON. in Voc. Angloſaxon. *throp*, *throp-tun* pagus ruſticus. Gloſſ. Pez. oppido *thorf*. VEREL. in Ind. *thorp* caſtellum, prædium, pagus, *thorparaskapr* ruſticitas. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXXI. 31. *in thorfon ioh in burgin*, in vicis & in oppidis. Extat & *turpha* pro villa in Lege Salica Tit. XVIII. 2. *Si quis villam adfalterit alienam, & ibidem oſtia fregerit, canes occiderit, aut hominem plagaverit, vel in carro aliquid exinde duxerit. Malb. turpha*. Oritur, non a Græco θόρυβος tumultus, nec a Latino *turba*, & multo minus a *turpis*, quæ MARTINII etymologia eſt; ſed a voce Celtica *torf* agmen, cœtus, ſenſu a multitudine ad locum, ubi multitudo habitat, translato. Vox Celtica ob mobilitatem literæ R. hodie effertur *tropp*, quod vide.

DORN, ſpina. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *draen*, Gothis *thaurn*, plur. *thaurnjus*, Angloſaxon. *thorn*, *thyrn*, Franc. & Alam. *dorn*, *thorn*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *draen* & *draenen* ſpina, ſentis, *draenog* erinaceus, hericeus, herix, chirogilius, chirogeneus, echinus, q. d. ſpinoſus. Noſtri eodem ſenſu dicunt *dorn-ſchwein* apud HENISCHIUM. Gloſſ. Æliſ. in nom. arb. ſpina *thorn*, tribulus *thorn*, alba ſpina *hæg-thorn*. Gloſſ. Keron. ſpinas *dorno*. Gloſſ. Boxh. *dhorn* ſudes, ſtirpex. TATIANUS Cap. CC. 2. *ſlehtente corona fon thornon*, flectentes coronam de ſpinis. Judice MARTINIO eſt τέρετρον quid, i. e. penetrans, & acumine perfodiens, a τορῶν transfigere, quem ſequitur JUNIUS in Gloſſ. Goth. SKINNERO tamen magis probatur origo Angloſaxonica, a *tæran* lacerare, quod hodie effertur *zerren*. Islandis *dorn* eſt fibula, quia antiquitus ſpina pro fibula utebantur. TACITUS Cap. 17. de M. G. *Tegumen omnibus ſagum, fibula aut (ſi deſit) ſpina conſertum*.

DORREN, *dörren*, *dürren*. Vide reliqua in poſtremo.

DORSCH, caulis. Ital. *torſo*. Utrumque a Lat. *thyrſus*.

DORT, ibi, illic. Adverb. loci remoti, a Francis relictum. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXIII. 165.

Uns iſt leid hiar managaz,
Thorot ni ſorgen uuir bi thaz.

Senſus eſt: nos hic multa pati triſtia, ibi vero nulla. Ibi, nempe in cœlo. Angloſaxones

nes eodem ſenſu dicunt *thider* & *thyther*, quod etiamnum cuſtoditur ab Anglis.

DOSEN, ſtrepitum edere, quatiendo, cadendo, currendo, vel alio quovis modo. Gloſſ. Pez. vibrabit *dizinot*. VEREL. in Ind. *thoyſa, thuſa, thyſa* tumultuoſe proruere. KILIANO *doſen* eſt pulſare cum impetu & fragore. Quod a *tuſu* deduxit MARTINIUS in voce *tundo*. Hinc porro ſonus, ſtrepitus, fragor, quacunque de cauſa editus, Francis dicitur *daz* & *doz*, Islandis *thys*, nobis *getös*. NOTKER. Pſal. LXIV. 9. *uuer irlidet dero uuellono doz*, ſonum fluctuum ejus quis ſufferet? Pſal. LXXVI. 18. *unichel daz dero uuazzero*, multitudo ſonitus aquarum. VEREL. in Ind. *thys* turba, tumultus, *thys oc vopnabrok* tumultus & armorum concurſus. Inde porro DYSYNNI ſonorus, nomen fluvii Celticum apud Britannos a fremitu aquarum, in adverſariis poſthumis LUIDII. Differt a *düden* ſonare, quod proprie eſt inſtrumentorum muſicorum.

DOTT, *totle*, pater luſtricus. Vide *tott* & *tatte*.

DOTTER, vitellus. Vox genuina eſt *'teyergeel* luteum ovi, unde Belga fecit *doyer*, & ex eo Germanus *dotter* per epentheſin. Aliam vocabulo medicinam afferre non poſſum; niſi forte ſit ab Angloſaxon. *dyttan* occludere, quia vitellus intra albumen clauditur.

DRACH, ſpecies ſerpentis, veri an fabuloſi, viderint alii. Præſtat tamen famæ patrocinium antiquitas, & vocabulum in pluribus Linguis, imo etiam in cœlo obvium. Græcis enim dicitur δράκων, Latinis *draco*, Cambris *draig*, Francis *drach*, Angloſax. *draca*, Belg. & Suec. *drak*, Gallis & Angl. *dragon*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XVII. 59. de adſenſu Chriſti in cœlum:

Then drachon nieuuihtes min,
Ther ſih thar uuintit untar in.
Tranſcendit etiam Draconem,
Qui volvitur inter ſtellas.

Helleniſtæ ducunt a δέρκεσθαι cernere, ſive quia hominem lædit aſpectu, ſive quia acerrime videt. Contra VEREL. in Ind. pag. 51. derivat a *tragen* portare, quia Draco aurum colligit & incubat.

DRAD, *drat*, ſtatim, confeſtim, *ſo drad* quamprimum. Hymnus de paſſione Domini ſtroph. 7.

Der biſchof fraget Jeſum drat,
Sie ſuchten falſch zeugen und raht.

Angloſaxonibus *threatian* eſt urgere, premere. Hinc *drad* quatenus ab urgendo oritur, ſignificat quantum poteſt, ſubſtantive *impetum*, adjective *vehementem*, adverbialiter *valde*, *vehementer*, *inſtanter*, *celeriter*, *cito* &c. Gloſſ. Pez. impetus *drati*, violentus *drattiu*. Gloſſ. Keron. nimius *dratter*. Rhythmus de S. Annone §. 48. *Arnold his dradi rennin*, Arnoldus juſſit celeriter currere. TATIANUS Cap. VIII. 6. *giſahun thrato*, gaviſi ſunt valde. Belgis *dra* eſt ſubito, quod videtur transpoſitum ex *rad* celeriter.

DRAGONER, miles ad velitationem equeſtrem & pedeſtrem inſtructus. HERTIUS in Elem. Prud. Civ. Part. I. Sect. IX. §. 12. *Recentior ætas auctoribus, ut videtur, Germanis, novum genus (militum) adinvenit* DRAGONARIOS, *quos imitatione antiquitatis Dimachas appellare poſſumus; alii malunt equites deſultorios vocare.* SKINNERUS credit ſic dictos, quod ab initio exitioſi fuerint hoſtibus, & Draconum inſtar ignem evomere viſi. Olim *Draconarius* erat ſignifer, qui Draconem cohorti præferebat. Hodie non ſunt ſigniferi, nec ſigno militari, quod draconem referat, conſpicui. Hinc male a ſigniferis illis ducitur appellatio. Vide, annon *dragoner* proprie ſit *curſor*, a verbo Gothico *tragen* currere, de quo infra. Officium ſane equitis & peditis currendo facit. Res ipſa antiquiſſima eſt, & male adrecentioris ætatis inventa refertur. CÆSAR Lib. IV. Cap. 2. de Germanis: *Equeſtribus prœliis ſæpe ex equis deſiliunt, ac pedibus prœliantur, equosque eodem remanere veſtigio aſſuefaciunt, ad quos ſe celeriter, quum uſus poſcit, recipiunt.* Eadem ſcil. opera (ut idem alibi ſcribit) rem magnam conſecuti, ut mobilitatem equitum, & ſtabilitatem peditum in prœliis præſtent.

DRANG, turba conferta, multitudo concurrentium, qui ſe mutuo premunt. Angloſaxonibus *thring*, *thrang* eſt turba. Anglis *throng* idem. Unde, niſi a *drengen* premere? Vox Barbara *Drungus*, quæ labente imperio pro globo militum invaluit, origine Germanica eſt, quod pridem animadvertit SPELMANNUS contra eos, qui eam ex Oriente profectam arbitrantur. VOPISCUS, qui primus eam literis mandavit, Germanicam eſſe intimat, dum de Germanis tractans ita ſcribit in Aureliano: *Omnium gentium Drungos uſque ad quinquagenos homines ante triumphum duxit.*

DRANG, preſſura, anguſtia, & metaphorice afflictio, moleſtia, vexatio. Ex eodem fonte. Utitur Luth. Pſal. XLIV. 25. Hodie libentius dicimus *drang ſal.*

DRAT, filum ex lino. Angloſaxon. *thræd*, Angl. *thread*, Suec. *træd*, Belg. *draad*. Refer ad *drehen* torquere, quia filum e colo torquendo ducitur. Poſtea ſenſus ad fila ex ære ductilia translatus eſt. Inde *eiſendrat* filum ferreum.

DRAUT, *trawt*, ſignificatus ſuos accipit partim a *trauwen* confidere, partim a *trauwen* ſpondere, facere ut alter confidat. Et dicitur adjective & ſubſtantive in vetuſtiſſimis Dialectis.

DRAUT, *trawt*, adjective.

DRAUT, promiſſus, deſponſus. Occurrit eo ſenſu in Lege Salica Tit. XIV. 10. *Si quis puellam ſponſatam* DRUTHE *ducente ad maritum in via aſſallierit.* Lege *ducentem ad maritum*, i. e. proficiſcentem, ut dixi in *ziehen* proficiſci. Hodie utimur compoſito *vertraut*

vertraut, quod dicitur de virgine pacta Matth. I. 18.

DRAUT, fidus, fidelis, fide adſtrictus, & cui tuto fiditur. OTFRIDUS Lib. I. Cap. VII. 53.

Johannes Druhtines drut.
Johannes Domini fidelis.

Quod dicitur etiam de Angelo Lib. I. Cap. V. 82. & de credentibus univerſe Lib. V. Cap. XX. 133.

Quemet, quit er thara zi in,
Thie giuuihte mines fader ſin,
Giſegenote ſine,
Joh liabun druta mine.
Vertit SCHILTERUS:
Venite, dicet tunc ad eos,
Qui conſecranei mei Patris eſtis,
Benedicti ejus,
Et cari fideles mei.

Inde Latino-Barbaris *Drudes* & *Drudi*, i. e. fideles, vaſalli, & omnes qui fidem ſuam Regi obſtrinxerunt.

DRAUT, charus, dilectus, *trawtes kind* puer dilectus Jer. XXXI. 20. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *drud* carus. NOTKERUS Pſal. XXVIII. 6. *des fater trut uuirdet menniſcho unde irſlirbet*, patris dilectus fit homo & moritur. Idem Pſal. LIX. 7. *daz dine truta irloſet uuerden*, ut liberentur dilecti tui. Cum fideles ſint chari, eoque chariores, quo magis eorum fides eſt perſpecta, mirum non eſt, ſenſum a fidelibus ad dilectos translatum eſſe. Ex Cambrica voce conſenſus Celtici eloquii cognoſcitur. Inter nomina propria Fœminarum multæ ſunt TRUDES, vel a fidelitate, vel a charitate ſic dictæ. Ad poſteriorem claſſem videtur ſpectare GERTRUDIS, valde dilecta, a *gar*, quatenus ſenſum intendit.

DRAUT, ſubſtantive.

DRAUT, amicus. Gloſſ. Pez. amicos *trutun*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XII. 43.

Petrus ſprah thar ubar lut,
Ther furiſto Druhtines drut.
Tunc dixit Petrus alta voce,
Præcipuus Drutus vel amicus Domini.

Inde Francis *drutinna* amica, apud eundem Lib. II. Cap. XIII. 20. Lib. III. Cap. XXIII. 28. & *drutſcaf* amicitia Lib. IV. Cap. IX. 60. Gallia agnovit olim *drue* amica, *druerie* amicitia. Italis remanſit *drudo* pro amico & amaſio. Cuncta e Germanico fonte, etiamſi apud Germanos hodiernos ſint ſopita.

DRAUT, fides data, ſponſio, promiſſio. Anglis *truth* eſt fides & veritas, quia fides data præſumitur ſervari, & habetur pro veritate, *in truth* profecto, in veritate. Inde Angloſaxonibus *dribt-guma* paranymphus, proxeneta, internuncius ad pacifcendum vel ſtipulandum, & Longobardis *Trotingi* Lib. I. Tit. XVI. 8. fidejuſſores promiſſorum in contrahendis matrimoniis. Utrumque ex interpretatione SOMNERI.

DRAUT, contubernium. Lex Sal. Tit. XLVI. 3. *Si quis foris caſa, ſive iter agens, ſive in agro poſitus, a contubernio fuerit occiſus, & tres vel amplius habuerit, Malb. Druchte lidio; hoc eſt, & tres de eodem contubernio convicti fuerint* &c. Ubi *druchte-lidio* ſunt homines ejusdem contubernii. Vocem per epentheſin gutturalis factam eſſe a *trauwen* confidere, ſat manifeſtum. Quemadmodum autem vox Latina nonſolum de familiaribus, ſed etiam & primario de militibus dicitur (nam *contubernium* proprie ſunt decem milites qui ſub una taberna vivunt): ita apud Antiquos *druchte* nonſolum de convictu familiari, ſed etiam de contubernio militari uſurpatur. Inde Gothis *gadraubteis* milites Marc. XV. 16. id eſt, ſenſu Romano *contubernales*, a *drauhte* contubernium militare. De Præfixo *ga* vel *ge*, quod hunc ſenſum exigit, vide plura in *geſell* ſocius.

DRECHSELN, tornare. A *drahſel* tornator, quod eſt a *drehen* tornare. *Drahſel* eſt vox WILLERAMI Cap. V. 14. *der drahſel ſamftor uuirchet danne ander debein uuerchnan.* Quæ verba ſic vertit cel. SCHERZIUS: *tornio majori cum facilitate laborat quam ullus alius opifex.* Eadem vox recurrit Cap. VII. 2. A *drechſeln* rurſus fit *drechsler* tornator, cui conſentit *threxlere* & *thraxlere* in Editione MERULÆ.

DRECK, tria ſignificat, *ſordes, excrementum, cœnum.* Primum ſignificatum habet a τρύξ, τρυγὸς fæx, & Suethice dicitur *dræg*. Alterum a *ſtercus* vel στέργανος ſimus, per metatheſin, & Belgis dicitur *dryt*. Tertius eſt a ſecundo per translationem, quia cœnum eſt terra putris & excremento ſimilis, & Anglis dicitur *dirt*. K & T. ſunt literæ permutabiles in omnibus Dialectis.

DREHEN, *dræhen*, vertere in orbem, quocunque modo id fiat, rotando, flectendo torquendo &c. Cambris *troi* eſt vertere, flectere, volvere, & inde *tro* verſio, gyrus, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Angloſaxonibus *turnan*, *tyrnan* vertere, volvere, flectere, *thrawan* torquere, rotare, apud SOMNER. in Dict. Franci & Belgæ eodem & latiſſimo ſenſu dicunt *draien*, Angli *to turn*, Galli *tourner*. Gloſſa antiqua apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 156. *kidrait* tortum. Cuncta a Græc. τροχὸς rota, orbita. Quid enim eſt vertere, niſi facere ut eat in gyrum inſtar rotæ, quæ circa axem ſuum movetur? Litera R. eſt ludibrium vulgi, & vera crux etymologorum, quæ mobilitate ſua innumeras origines occultat, quamvis ſecretorum gnaris manifeſtas. A *drehen* Germanis fit *drieſel* verticulum, inſtrumentum luſorium, *drat* filum tortum, *verdrehen* detorquere, pervertere, & alia ſatis manifeſta.

DREHEN, *drehen*, rotare, ut cavum aut rotundum fiat. Græc. τορεῖν, τορεύειν, Lat. *tornare*. Reliquis ut ſupra. Gloſſ. Pez. tornavit *drata*, tornaturas *gidrati*. Senſus a rotando in genere, ad eam rotationem, qua opera

opera tornatilia fiunt, manifeſto translatus. Hinc porro rotundus vel gyrando factus Græcis dicitur τόρνος, Latinis *tornus*, Cambris *turn*, Germanis *rund* per metathesin.

DREHEN, deflectere a via, redire ad priorem locum. Lat. *tornare*, Italis *tornare*, Gall. *retourner*. Cauſa translationis eſt, quoniam redituri coguntur corpus vertere, & aſſimilari rebus, quæ in orbem volvuntur. Hinc etiam Latinis *reverti* dicuntur.

DREI, unum & duo. Gr. τρεῖς, τρία, Lat. *tres, tria*, Camb. & Armor. *tri*, Goth. *thrins*, Angloſax. *threo, thry*, Franc. & Alam. *thri, dri*, Belg. *drie*, Procop. *tria*, Angl. *three*, Suec. *tree* &c. Gloſſ. Keron. tres *drio*, tria *dry*, trium *trio*. Evang. Goth. Matth. IX. 5. *gawaurkjam hlijans thrins*, faciamus tabernacula tria. Matth. XXVII. 63. *afar thrins dagans urreiſa*, poſt tres dies reſurgam. Vox Gothica ita concepta eſt, acſi numerum myſticum & occultum denotaret. Nam *dyrn* Saxonica Lingua eſt occultus, apud SOMNERUM in Dictionario, & *dyrnan* occultare, apud BENSONIUM in Vocabulario. Imo etiam Græcis δρύω eſt abſcondo. Sic autem dici potuit ternarius, a vi occulta, quam in divinationibus habere credebatur. Nam apud TACITUM in Sortilegio per ſurculos, Sacerdos Civitatis, aut ſi privatim conſulatur, paterfamilias Deos precatus cœlumque ſuſpiciens *ter ſingulos tollit*, ſublatosque ſecundum impreſſam ante notam interpretatur, Cap. X. de M. G. Reliqui numeri aternario oriundi ita ſe habent.

Triginta Gothis dicitur *thrinſtig* Matth. XXVII. 3. Angloſax. *thrittig* ibid. Francis *drizzug* in Harm. Evang. Tatiani Cap. CXCIII. 6. hodie *dreiſſig*, quamvis corrupte, cum deberemus dicere & ſcribere *dreizig*. Id eſt, ter dena, vel tres decades, ut demonſtravi in *zehen* decem.

Trecenti Goth. *thrijabund* Marc. XIV. 5. Angloſax. *thrym hund* ibid. & *thrym hundred* Joh. XII. 5. Franc. *drihunt*, hodie *dreihundert*. Quo ſenſu, jam explicavi in *hund* decies decem.

Tertius Goth. *thridja* Matth. XXVII. 64. Angloſax. *thrydda* ibid. Franc. & Alam. *thritto, dritto*, Camb. *trydydd*, German. *dritte*. Gloſſ. Keron. tertius *dritto*, tertius pars *drita teil*. Quibus conſentit Græc. τρίτος.

DREIEINIG, trinus, *dreieinigkeit* Trinitas. Nova, ſed idonea. Alias ſancta Trias Angloſaxonibus dicitur *thrim-hade* & *thrynnyſſe*, a *thrim* vel *thrynen* ternus, trinus. Similibus vocabulis in hoc myſterio utitur Antiquitas Francica & Alamannica. Gloſſ. Keron. ſanctæ Trinitati *der uuihun driniſſu*. ISIDORUS Cap. IV. 1. *in dheſem dhriniheidem iſt ein namo dher unchideiliden meghines*, in his tribus perſonis unum eſt nomen individuæ majeſtatis. Gothicum vocabulum deſideravi mirum non eſt, cum illi fuerint Arii Sectatores, etiamſi nulla ejus dogmatis veſtigia deprehendantur in Verſione Evangeliorum ULFILANA, quæ Codice Argenteo continetur.

DREIFALTIG, trinus, *dreifaltigkeit* Trinitas. Has voces a Criticis immerito reprehendi tanquam novas & tanto Myſterio indignas, oſtenſum in *falt* plicatus.

DREILING, ſignificat quantum poteſt, menſuram vel cyathorum vel digitorum, pecuniam, & unum ex tribus eodem partu editis. Latine dixeris *triens, teruncius, tergeminus*.

DREMEL, inſtrumentum ligneum. Diminutiv. a *tram* trabs, arbor, lignum. Synecdochice dicitur de vectibus per mediam machinam trajectis, de repagulis oſtiorum, de telis ligneis, clava, cala, cæſto, dardo &c. allegorice de longurionibus & grobianis, ut cum vulgo loquar. Vectis ſignificatum videntur Latini poſteriores imitari in vocibus *dromus, heterodromus, homodromus*, apud VITRUVIUM.

DRENGEN, proprie eſt urgere, & dicitur de extimo & intimo rerum. Quando urgemus extima, tunc dicimur *drengen* premere, trudere, impellere: Quando intima, *dringen* penetrare. Vulgus & Lexicographi vulgares hæc duo confundunt, quamvis a natura diſcriminata. Nam qui premit, tendit in extima, qui vero penetrat, tendit in intima. Ille ſuperficiem urget, hic tranſitum per ſuperficiem. Utrumque verbum naſci potuit in caſtris ab Angloſax. *targ* ſcutum. Nam cuneus veterum eſt acies ex ſcutis confertis denſata, quæ, dum ſe ipſam premit, ne dividatur, impreſſionem facit in hoſtem, & ordinem ejus perrumpit. Uterque motus a ſcuto denominari potuit.

DRENGEN, premere, trudere, impellere. Angloſax. *thringan*, Franc. *thrangen, drangen*, Belg. *dringen*, Angl. *to throng*, Suec. *trængia*. Gloſſ. Pez. comprimaris *gidrangos*. WILLERAMUS Cap. VI. 3. 9. *uuola gedrangetiu zeltſcara* acies bene conſtipata. Evang. Angloſax. Marc. V. 31. *thu geſyhſt thæs mengu the thringende*, vides turbam te comprimentem. Luc. VIII. 42. *he wæs of-thrungen of tham menegum*, comprimebatur a turbis. Inde *drung* preſſio & turba conferta, *gedrungen* coactus, *bedrengen* coarctare, in anguſtias conjicere, *aufdrengen* obtrudere, *verdrengen* extrudere, propellere &c.

DRINGEN, tendere in interiora, *eindringen* impreſſionem facere, *durchdringen* penetrare, permeare, perrumpere, *undurchdringlich* impenetrabilis.

DRESCHE, tritura, actus triturandi. Gloſſ. Pez. trituram *gidreſch*. Refer ad verbum.

DRESCHE, area, locus ubi faſciculi frugum triturantur. Gothis *gathraſk* Luc. III. 17. *jah gabraineith gathraſk ſein*, & purgabit aream ſuam. Refer ad verbum.

DRESCHEN, triturare. Gloſſ. Pez. triturabitur *gidroſcan uuirdit*. In hoc verbo tanquam domicilio continetur tota Trituræ Antiquitas. Ab initio ſignificavit *jumentis calcare*. Nam hic eſt vetuſtiſſimus triturandi

modus, ab ipſa Cerere inventus & monſtratus. CALLIMACHUS in Hymno ejus verſ. 20.

Pulchriu, ut culmum & ſacros manipulos primos
Spicarum abſciderit, & boves calcare immiſerit.

Hujus ſignificatus, quamvis pene extincti, memoria non uſque adeo deleta eſt, ut nulla undique veſtigia relicta ſint. Nam *limen* ante portas, quod introëuntium & exeuntium pedibus continuo calcatur, Angloſaxonibus dicitur *thyrſcel*, *therſcel*, *threxwold*, *therſcwald*, Anglis *threshold*, Islandis *throskuldur*, Suecis *tröskel*, prorſus ut Belgis *drempel* a *trampeln* calcare; manifeſto ſatis indicio, *therſcan* & *threſcan* aliquando calcandi ſignificatu polluiſſe. Quod partim ex mea, partim ex JUNII obſervatione ſcribo, in Gloſſ. Goth. pag. 126. Poſtea cœpit denotare *tribula terere*, cum boves plauſtro dentato juncti eſſent, ut tritura celerius procederet, de quo triturandi modo aliquid dixi in *ege* tribula. Hic ſignificatus internoſcitur ex lingua Francorum. Gloſſ. R. MAURI apud Diecm. attritus *fardroſcan*. Quod ſane eſt a ſimplici *dreſcan* terere. Inde Angloſaxonibus *therſcel* tribula, tritorium, & poſtea flagellum. Quibus conveniunt ſono & ſignificatu *terere*, *tritus*, *triturare*, & Græcum τρύω tero, attero. Poſtremo denotavit *ligno batuere*, quo ſenſu etiamnum viget. BENSONIUS in Voc. Angloſax. *threſcan*, *therſcan* percutere, verberare, *therſce* plaga, flagellatio, *therſcel* flagellum, *gethreſc* verbera. Quibus affinia ſunt Græcum θραύειν ferire, & Sorabicum *raſchu* cædo, verbero, tundo. Hæc curioſis inſervire poſſunt loco ſupplementi ad Libellum eximium V. C. SCHOETGENII *de Antiquitatibus Trituræ*. In quibusdam Dialectis, quamvis recentioribus, triturare dicitur *deſchen*, teſte MARTINIO in voce *tritura*, quod ille derivat ab Heb. *duſch* tritura. An etiam reliqua inde derivari debeant per epentheſin, viderint alii.

DRESCH-KEULE, flagellum frumentarium, inſtrumentum triturandi hodiernum. Gloſſ. Pez. tribula *driſcilun*. Proprie clava trituraria. Venuſtum ſane compoſitum, quod ab Oratoribus noſtris & Poëtis meretur uſui reſtitui.

DRESS, theſaurus, *dreſſler* theſaurarius, *dreſſkammer* ærarium, camera rationum. Has voces nobilis Ordo Fratrum Teutonicorum, quos a cultu B. Virginis *Marianos*, a teſſera militari *Crucigeros* vocant, cum Lingua Germanica Pruſſiæ intuliſſe, ubi *Dreſſkammer* etiamnum dicitur de ſacrario Templi, ubi Gazophylacium pauperum. Vide Acta Boruſſica Tom. III. pag. 215. Prima quidem vox non extat in Actis: Sed revera eſt reliquarum mater, & origine Francica, imo Latina. Nam a Lat. *theſaurus*, Francus per metatheſin fecit *treſo*, ſicut Gallus *treſor*. TATIANUS Cap. XXXVI. 1. *triſſuuet ju treſo in himile*, theſaurizate vobis theſauros in cœlo. Inde Francorum compoſita, *triſachamaro* gazophylacium, in Gloſſis Pezianis, & *treſoſazzun* arculæ theſauri, apud TATIANUM Cap. VIII. 7. Plura dabit SCHILTERUS in Gloſſ. Teut. pag. 239.

DREUSCHEN, ſonare, ſonum edere, *gedreuſch* ſtrepitus. Belgice *druiſchen* & *gedruiſch*. Gothica Lingua *driuſan* eſt cadere Luc. XVI. 17. & *drauſjan* ex alto præcipitare Luc. IV. 29. Hinc ſuſpicor ex analogia verborum, quæ nobis ſonum ſignificant, ut ſunt *brauſen*, *döſen*, *raſſeln*, *braſſeln*, hoc quoque verbum per metonymiam cauſæ formatum eſſe, & proprie denotare ſonum ex caſu. Sic vulgo dicimus de ſtrepitu pluviæ cadentis, *es regnet daß es dreuſchet*. Si quis tamen malit idem verbum derivare a Gr. θρόος vel θρῦς ſonus, quod eſt a θρύω ſono, quam etymologiam adoptavit Vir Græce doctiſſimus & ſtudiis noſtris favens GUL. OTHO REIZIUS in *Belga Græciſſante*, non repugno. Interim Cambris *trwſt* eſt ſonitus, ſtrepitus, manifeſta cum reliquis affinitate.

DRINGEN, vide poſt *drengen*.

DROHEN, *drowen*, *drawen*, *dreuwen*, minari. Gloſſ. Pez. minabit *drouuit*. Gloſſ. Keron. comminationem *drouua*. Hujus verbi duplicem invenio etymologiam, æque commendabilem. HELVIGIUS derivat a verbo Spartano θειρᾶν dira minari, vehementer convitiari: MARTINIUS a *terrere*, quia minari eſt terrorem incutere, ſive verbis ſive aliis ſignis. Belgæ dicunt *dreigen*, Sueci *truga*, quoniam W. ſolet mutari in G. Ipſum vero W. quod a Francis & Alamannis inſartum, non magis neceſſarium eſt, quam H. quo hodie delectamur. Verbum Angloſaxonicum vide in *trotzen*.

DROHEN, *bedrohen*, minis arguere, increpare, vetare aut præcipere ſub commnatione. Gloſſ. Keron. arguere *drauuen*, argue *dreuui*. Idem Angloſaxonibus *threan*, *threagan*, *threapian*, & hinc *threaginge*, *threawunge*, *threapunge* correptio, increpatio, apud SOMNER. & BENSON. Litera P. in tertia verbi forma neminem debet morari, quia W. ſæpe convertitur in labialem B. vel P.

DROMMEL. V. *tromme*.

DROMMETE, tuba. Utitur Luth. Hiob XXXIX. 28. Etymon vide in *trompete*.

DROSSEL, *droſchel*, turdus. V. *troſtel*.

DROSSEL, jugulum, guttur, ſpiraculum animæ. Diminutiv. ab Angloſaxonico *throt* guttur, quod hodie cuſtodiunt Angli in *throat*, Belgæ in ſibilato *ſtrot*, Itali in *ſtrozza*. FERRARIUS vocem Italicam derivat a τραχεῖα aſpera arteria: nos Saxonicam majori jure a τρῆλὸς perforatus, verbi τρύω perforo, quia guttur, ſive ad ſtomachum ducat, ſive ad pulmones, canali excavato ſimilis eſt. Interim a *droſſel* deducimus *erdroſſeln* ſtrangulare, gulam frangere, ſiſtulam ſpiritalem præfocare.

DROST,

DROST, præfectus. Quæ non ineptiarum plauſtra in hanc unam vocem congeſta ſunt, a viris etiam doctiſſimis? Quidam confundunt cum *drottin* dominus. Alii cum *truſtis* fidelis. Alii cum *drotz* dapifer. Et rurſus alii cum *antruſtione*, quem dapiferum interpretantur. Nos miſſis eorum nugamentis, vocem ex alia, unde in compendium redacta eſt, æſtimabimus. *Droſt* contractum eſt ex *Drot-ſet*, quod proprie *præpoſitum multitudini* ſignificat, ſive illa multitudo ſit populus provinciæ, ſive plebs civitatis, ſive globus militantium, ſive cœtus in aula famulantium &c. Componiturque a *drot* multitudo, plebs, populus, turba, & *ſet* poſitus, conſtitutus, quod eſt a *ſetten* ponere, conſtituere. Nec obſtat, quod poſitus Angloſaxonibus dicatur *ſeted*, & compoſite *geſett* Luc. VII. 8. Nam apud Anglos & Islandos, qui breviſſimis vocibus utuntur, hoc participium ſimpliciter effertur *ſet*. Ipſum vero compoſitum non eſt vox ficta, ſed vera, genuina, & Sagarum Scriptoribus uſitata apud VERELIUM in Ind. ubi *drotſeti* exponitur *præfectus prætorio*. Revera autem quemvis præfectum ſignificat, modo cuidam multitudini præſit. Inde

Droſſatus, Præfectus provinciæ, apud CANGIUM in Gloſſario.

Drotſetus regni, prorex, qui abſente rege vicarium regis agit, princeps Senatus, apud LOCCENIUM in Antiq. Sueo-Goth. Lib. II. Cap. XI. quem imperiti ſimilitudine ſoni capti male confundunt cum *drotz* vel *drotzet*, quo Sueci imitatione Germanicæ vocis *truchſes* dapiferum ſignificant.

Land-droſt præſes territorii apud Weſtfalos.

DROT, multitudo, plebs, populus, turba, cœtus, examen, cohors &c. Varie ſcribitur in Dialectis, *drot*, *trott*, *driht*, *threat*. Primum extat in Indice VERELII. Alterum in Lexico Runico OLAI WORMII. Tertium in Grammatica Angloſaxonica HICKESII pag. 120. Poſtremum in Evangelio ejusdem idiomatis Matth. XXVII. 27. *tha underfengon thæs deman cempan thone hælend on tham dom-erne, and gegaderodun ealne thone threat to hym*, tunc ſuſceperunt milites præſidis Jeſum in prætorium, & congregaverunt univerſam cohortem ad eum. SOMNERUS & BENSONIUS *driht* & *drihten* confundunt, quæ res viro cuidam doctiſſimo opinandi anſam dedit, quaſi *drotſet*, de quo paulo ante, *præpoſitum dominicum* ſive miniſtrum a Domino conſtitutum ſignificet. Sed quæ illi confundunt, revera differunt ut ſimplex & derivatum. *Driht* populum notat, *drihten* vero dominum. SOMNERUS ex Hickeſio, BENSONIUS ex ſeipſo corrigendus. Nam in vocibus Poëticis *driht* exponit *familiam*, *plebem*. Cur autem poëticum cenſeri debeat, quod ad vulgarem popularemque loquendi uſum ſpectat, non video. Omitto nunc originationem, quam nemo facile indagabit, & ad parentelam vocis me converto. Ab illa manifeſto oriuntur

drotſet, præfectus, præſes multitudinis, de quo paulo ante.

droſt, eadem notione, per contractionem præcedentis.

vigdrot, turba belligerantium, milites, apud VERELIUM in Ind.

dribt-ealdor, architriclinus, qui præeſt ſervis a triclinio, in Evang. Angloſax. Joh. II. 8.

dribt-weras, familiæ comites, in Paraphraſi Angloſaxonica apud SOMNERUM.

drotna dominari, apud VERELIUM in Ind.

DROTTIN, dominus. Angloſax. *dribten*, *dryhten*, Francis & Alam. *druhtin*, *truhtin*, Islandis *drottin*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *dribten*, *dryhten* Dominus, *ic eom dribten thin God* ego ſum dominus Deus tuus, *dribtna dribten* dominus dominantium, *dribtenlic* Dominicus. Gloſſ. Keron. dominus *truhtin*, domini *truhtines*, domino *truhtine*, dominum *truhtinam*, dominicum *truhtinlihhun* &c. Litera H. in medio vocis eſt ſupervacanea, & a Septemtrionalibus non agnoſcitur. VEREL. in Ind. *drottin* dominus, *drotta* domina, *drottinlauſir* ſervi domino, populus rege orbati, *drottins ſviki* domini ſui proditor, *dyr er drottins ordinagni* æſtimandum eſt mandatum regis. Oritur, non a *drut* charus, fidelis, ut plerique nugantur, ſed a *drotna* dominari, quod eſt a *drot* populus, quia dominari eſt populo præeſſe. Ab eodem verbo regina Suecis vocatur *drotning*, quaſi domina, & dominatus Angloſaxonibus *dribtnes* & *dribtſcipe*. Patet interim ex uſu nominis antiquo, non fuiſſe illud unquam Deo peculiare, ut multi nobis perſuadere conantur. Recte tamen in Verſionibus Veterum ubique tribuitur Deo ſenſu eminentiſſimo, tanquam omnium gentium & totius humani generis regi, principi, ac domino. Quid enim quæſo aliud ſumus quam plebs Dei?

DROTTELN, pigre & lente incedere. V. *trotten* ejusd. ſignif.

DRUCKEN, premere. Goth. *treiban* Luc. VIII. 45. Angloſax. *thriccan*, *tryccan*, Franc. *druchen*, *thruccen*, Belg. *drucken*, Suec. *tryckia*. Gloſſ. Pez. oppreſſum iri *pidruchit uuerdan*. An dicemus, quod *drucken* & *drengen* ſint verba ſororia, & non niſi ſyncope aut epentheſi diſcreta? Hæreo. Potius eſt a Lat. *trudo*, mutato D. in K. quod fieri ſolet creberrime. Utimur autem non ſolum de motu impulſivo, ſed etiam de truſione ponderis & gravitatis, & allegorice de afflictione, moleſtia & perſecutione. Inde Francis *thrucneſſi* tribulatio. TATIANUS Cap. CLXXVI. 4. *in theru uueralti habet ir thrucneſſi*, in mundo habebitis preſſuram. Cum hoc ſenſu convenit Græc. τρύχω vexare, affligere. Ubi tamen obſervandum, quod verbum Germanicum non poſſit eſſe a Græco, quia ſenſus proprius ſemper natura prior eſt allegorico. Ad confirmatio-

nem etymi ſpectat, quod premere Anglis dicitur *thruſt*, omnino a *truſando* vel *truſitando*, ſicut optime animadvertit SKINNERUS.

DRUCKEN, prelo imprimere. Senſus cum typographia natus, quæ proprium Germanorum decus & inventum eſt.

DRUDE, *druden*, *druden-fuß*, & reliqua, vide in *Druiden*.

DRUHE. V. *truhe*.

DRUHTIN, dominus. V. *drottin*.

DRUIDEN, Philoſophi & Sacerdotes veterum Gallorum & Britannorum. Nomen celebre, & magno olim in honore habitum, præcipue in Gallia, ubi ſumma rerum erat penes Druides tempore Cæſaris. Germani ſolent hanc vocem Linguæ ſuæ accommodare, quamvis diverſis modis. AVENTINUS & plures alii *Druidas* ſic dictos volunt ab adj. *drut* fidelis, dilectus, velut amicos & ſocios Dei. PALTHENIUS adjectivum in nomine agnoſcit, ſed a ſubſtantivo *drubtin* dominus, deus, formatum, & a peregrinis Scriptoribus minus plene expreſſum, ut *Druidæ* ſint divini, ſive qui rem divinam faciunt. Cur vero adjectivo opus ſit, cum etiam ſubſtantive *Domini* dici potuerint honoris cauſſa, nullam rationem adfert. Aliis eſt vox compoſita, *ſapientem* ſignificans, quamvis ad hunc ſenſum demonſtrandum non una utantur compoſitionis ratione. GOROPIUS BECANUS, qui de ſapiente primus cogitavit, vocem componit ex *trou* verus & *wis* ſapiens, quam etymologiam commendat RICHARDUS SIMON in Bibliotheca Nova Tom. II. Cap. 2. SCHILTERUS priorem compoſiti partem deſumit a *dera* arbor, & poſteriorem a *wit* ſapiens, ut *Druidæ* ſint religionis arboreæ periti. Contra BAXTERO *Druidæ* ſic appellantur velut *doorwitten* perſapientes, a particula Belgica *door* per, quod miror Viro Linguæ Britannicæ perito potuiſſe placere. Sed magnis ingeniis ſæpe idem accidit quod magnis venatoribus, ut quædam acrius, alia vero negligentius ſectentur. Enimvero, ſi nomen *Druidarum*, prout ipſe faretur, & plerisque placet, *Celticum* eſt, fruſtra in ſaltibus Germaniæ, ubi nulli unquam fuere Druides, etymon ejus venabimur. Quamvis enim Germanicus ſermo in multis conveniat cum Celtico, in aliis tamen & pene innumeris totus Scythicus eſt, tantumque a Celtico diſcriminatus, ut jam ARIOVISTI ævo Germanis ad Gallice loquendum longinqua exercitatione opus fuerit. Æquum autem eſt, ut Celtica a Celticis deriventur, ſi fontes proſtent, & nulla ſit in alias Linguas tranſiliendi neceſſitas. Sed ne videar gratis præſumere, quod fuerat demonſtrandum, teſtibus utar. *Diſciplinam Druidarum* in Britannia repertam, & inde in Galliam translatam eſſe, neque *Druidas* habere Germanos, qui rebus divinis præſint, ſcribit ſummus auctorum JUL. CÆSAR Lib. VI. de B. G. Ergo cum diſciplina vocabulum quoque translatum intelligitur. Diſerte vero PLINIUS Lib. XVI. cap. 44. *Non eſt omittenda in ea re Galliarum admiratio. Nihil habent Druidæ (ita ſuos appellant Magos) viſco & arbore, in qua gignatur (ſi modo ſit robur) ſacratius. Jam per ſe roborum eligunt lucos: nec ulla ſacra ſine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Græca poſſint Druidæ videri.* Quodſi Galli magos ſuos appellant *Druidas*, lingua ſua id faciunt, quæ a Britannica haud multum diverſa, teſte TACITO in vita Agricolæ Cap. XI. Ergo ſi robur nomen dedit Druidis (quod recte autumat Plinius), non alia lingua quam Gallica & Britannica dediſſe cenſendum eſt. Reſtat ergo, ut ipſum vocabulum oſtendam. Magum Lingua Celtica appellari *dry*, & Græcos inde formaſſe δρυΐδων, Latinos *Druidarum* vocabulum, contendit CLUVERIUS Lib. I. Germ. Ant. Cap. 24. Sed fallitur & fallit vir doctus, ut plerumque in vocibus Celticis. Fallitur, quia *dry* non eſt vox Celtica, nec Celtis unquam denotavit magum, ſed Angloſaxonibus tantum, ut poſtea oſtendam. Fallit, quia hypotheſi ſuæ ſervit, Gallos veteres Germanica Lingua uſos eſſe, quæ omnino falſa. Vera & antiqua vox non ex inanibus conjecturis, nec ex affectu omnia ad ſe rapiendi, ſed ex idiomate populorum Celtice loquentium æſtimanda eſt, quales ſunt hodie Cambri & Armorici, Linguæ veteris Celticæ unici cuſtodes. Qua voce illi utantur, a multis jam viris doctis oſtenſum. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *Derwyddon, Druides, ſapientes, vates.* BAXTER. in Gloſſ. Ant. Brit. *Druidæ Britannica Lingua appellati Deruidhon.* Invento jam vero & genuino nomine, inquirendum in ejus cauſam & ſignificatum. PLINIUS utitur interpretatione Græca ἀπὸ τῆ δρυὸς a quercu, quem ſequuntur innumeri. BOXHORNIUS hæret, itane dicti ſint a δρυὶ quercus, an ab Heb. *darash* interpretari, exponere. PICARDUS vero in Celtopædia *Druides* a principe ſuo *Druide* appellatos exiſtimat, nodum figmentis ſecans, non ſolvens. Nos miſſa Græca & Hebræa derivatione, quæ præter rationem obtruditur, vocabulum ex lingua Celtica, ut par eſt, interpretabimur. Cambris *derw* quercum, *udd* dominum ſignificat. Quibus in unum conjunctis fit *derwydd* & pluraliter *derwyddon* domini quercuum. BOXHORN. loc. cit. *derw, derwen* quercus, robur, *udd* dominus, unde poëtæ antiqui interdum dicebant *udd Ceſſar* pro Julius Cæſar. Priorem vocem invenio quoque in Legibus Wallicis Lib. III. Sect. 13. ubi quercus & pomus dicitur *derw ac afall*, & pretium quercus *gwerth derwen*. Nec dubito, quin altera quoque vox in iisdem Legibus alicubi reperiatur, etiamſi ſtudium quærendi meum effugerit. Ante nomen *Druidarum* auditum, Græci Theologos & Philoſophos Celtarum appellabant SARONIDAS, cujus nominis eadem poteſtas. Nam *ida* eſt a Celtico *udd* dominus, vel ab Islan-

Islandico *it* vir, & *παρὰ τῶν* Gr. olim denotavit quercum, teſte PLINIO Lib. IV. Cap. 5. *Sinus Saronicus, olim querno nemore redimitus, unde nomen, ita Græcia antiqua appellante quercum.* Ex quo Plinii loco recte colligit BOCHARTUS, *Saronidarum* & *Druidarum* eandem nominis rationem eſſe, utroque a quercu ducto. Cur autem a quercu? Cauſas jam expoſuit PLINIUS, quarum prima, quia *hac arbore Druidis nihil ſacratius*, altera, quia *per ſe roborum eligunt lucos*, puta tam ſacrificandi, quam Philoſophiam docendi cauſa. LUCANUS certe Gallorum Druidas deſcribit tanquam *nemorum incolas*, eosdemque *multa nobiliſſimos gentis in abditis ſaltibus docere*, teſtis MELA. An TOLANDUS idem ſentiat, neſcio, quia tractatum ejus *de Druidibus* non habeo ad manus. PEZRON. in Antiq. Celt. exiſtimat, *Druidas* ſic appellatos, velut *quercuum incantatores*, ab *hud* incantatio. Sed non perſuadet, quia tunc dicendum fuiſſet *derwhudol*, quod a nomine Druidarum nimium diſtat. Teſtis mihi BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *hud* præſtigiæ, illuſio, *hudol* præſtigiator, impoſtor. MARTINIUS, qui noviſſime ſententiam dixit de Druidibus, nomen componit a *deru* quercus, & terminatione *iddon*. Quam etymologiam, ſi de ſtipite & non de Magos ſermo eſſet, libens probarem. At Magum ideo vocare quernum, querceum, aut querculanum, quod in quercubus latitet, neſcio quo pacto id fieri poſſit?

Derivata.

Germaniam omnibus temporibus habuiſſe ſacrorum præſides, ſacerdotes, augures, & fœminas fatidicas, certum eſt, an etiam *Druides*, incertum, imo falſum, ſi teſtimonium CÆSARIS Lib. 6. & ſilentium TACITI ſequamur. Excepiſſe tamen ſinu ſuo potuit exules, quo tempore Druidæ, ſive quod finem imperii adeſſe, & poſſeſſionem rerum humanarum transalpinis gentibus inſtare haud vano augurio, ut eventus docuit, prædicerent, ſive quod ſacra ſua humano cruore polluerent, a ſenatu Gallia pulſi ſunt, memorante TACITO Annal. XIV. 30. ſi conferatur cum Hiſt. IV. 54. Quod jam ante Neronem tentaverat Tiberius, & poſtea Claudius, teſtibus PLINIO & SUETONIO. An revera exceperit, neſcio. Favent tamen affirmationi, aut favere videntur, multa Germanorum vocabula, quæ multorum judicio Druidicum nomen præ ſe ferunt, cujusmodi ſunt,

Dry, magus, veneficus, incantator, *dreas* harioli, pluralis a *dry*. Vox Angloſaxonica, a *Druidarum* nomine abſciſſa, arbitrio SOMNERI in Dictionario, ubi ſequentia exhibet compoſita, *dry-men* magi, Druides, *dry-creft* ars magica, *drymer* (malo *dry-mer*) ſpectrum.

Drude, *drutte*, ſaga, druis, mulier fatidica aut venefica, imo etiam ſpectrum, & inde *drütner* magus, incantator, & *drud-druken* ephialtes, ſpectrum nocturnum quod dormientes premit. Quas voces Franconibus & Helvetiis tribuit KEYSLERUS in Antiq. Sept. pag. 503.

Druden-cy, ovum Druidarum, in magna olim Galliarum fama. Modum, quo Druidæ hoc ovum furripiunt ſerpentibus, deſcripſit PLINIUS Lib. XXIX. Cap. 12. Vocem Germanicam, neſcio unde acceptam, ſiſtit SCHILTERUS in Gloſſario.

Druden-fuſs, pes Druidarum, ſignum ſalutis, figura pentagona, quam ſuperſtitioſi ſolent ſtabulorum portis inſcribere, ut Sagas ab armentis arceant. KEYSLER. loc. cit. pag. 503. Pingitur etiamnum paſſim in vaſis, libris, & inſtrumentis, tanquam non tantum ſanitatis, ſed & omnis incolumitatis ſymbolum. HENISCHIUS in Theſ. Ling. German. Confer SCHILTERUM in voce.

Drus, ſaga, maga, *daſs dich die Drus hole* ut te venefica auferat. Latinis *druis* & *druias*, fœmininum a maſculino *Druida*. LAMPRIDIUS in Alexandro: *Mulier Druias eunti exclamavit Gallico ſermone, vadas, nec vitioriam ſperes, nec militi tuo credas.*

Præterea nomen *Druidarum* creduntur retinere multa Germaniæ loca. Hujusmodi ſunt arbitratu KEYSLERI pag. 69.

Truttenhauſen, monaſterium in Alſatia, ſic dictum velut domus Druidum.

Trubendingen, Comitatus, a judicio Druidum ſic dictus.

Hohen-Drudingen, *Waſſer-Drudingen*, *Alten-Drudingen* } loca circa Almonam.

DRUSE, *drüſe*, glandula. Varia eſt apud Medicos, pinealis, pituitaria, lacrimalis &c. Dicitur autem *glandula* & Græce *βαλάνου*, quia rotunditate parvam glandem refert. Hinc ſuſpicor *drüſe* derivari a *δρῦς* quercus, ut *eichel* ab *eiche*.

DRUSE, fæx, ſordes. Angloſaxon. *dros*, plur. *droſna*, Franc. *truoſo*, Belg. *droeſſem*, Anglis *droſs*, *dregs*, Suec. *drægg*, Gr. *τρύξ*, *τρυγὸς*. NOTKER. Pſal. LXXIV. 9. *chelih ſoller truoſenon*, calix plenus fæcibus. Extat ibidem aliquoties, quod & SCHILTERO obſervatum in Gloſſario pag. 795. Cum fæx naturali pondere deorſum feratur, & in fundo vaſis ſubſidat, hinc illi fortaſſe nomen a verbo Gothico *driuſan* cadere.

DRUSE, ulcus purulentum, ſive ſit intra carnem, ut glandulæ ſuum, ſive in ſuperficie cutis, ut tubercula, bubones, carbunculi. Senſus a præcedenti petitus, quoniam ulcera ſunt ſordes & ejectamenta naturæ. Utitur Luth. de lepra Lev. XIII. 22. Gothi videntur eodem ſenſu dixiſſe *thruts* in compoſito *thrutsſill* lepra, cutis calloſa Matth. VIII. 3. Alium tamen Gothicæ vocis ſenſum, nec minus dictu ſpecioſum, eruere conatur JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 355. quem vide. Apud VEREL. in Ind. *throte* eſt tumor a *thruina* tumeſcere.

DRUSS, moleſtia. Gloſſ. Pez. moleſtiam *urdreoz*, moleſti *druzſame*. Græcis τρύχις eſt quævis mala paſſio. Gothis *thriutan* moleſtum eſſe Luc. XVIII. 5. *ſa widuwo uſthriutith mis*, hæc vidua mihi moleſta eſt. Hodie utimur compoſitis, *verdruſſ* moleſtia, *verdrieslich* moleſtus, *verdrieſſen*, moleſtia afficere.

DRUSS, tædium. Senſus a genere ad ſpeciem translatus. Quod etiam fit in ſynonymo *eckel*. Inde Angloſaxonibus *thryt* tædet apud BENSON. *me athryt* tædet me, *athroten* pertæſus, *athræt* tædium. Francis *farthroza* tædium in Gloſſis LIPSII, *overthruz thirro uuerelde* tædium mundi apud WILLERAMUM Merulæ pag. 93. Germanis *verdroſſen* pertæſus, *überdrüſſig* nauſeabundus, ſatietate captus.

DU, pronom. demonſt. ſecundæ perſonæ, Græcis Dial. Æol. τύ, Perſis & Lat. *tu*, Camb. *ti*, Armor. *te*, Goth. Angloſaxon. & Francis *thu*, Alam. *du*. Gloſſ. Keron. tu *du*. TATIANUS Cap. III. 4. *thu fundi huldi mit Gote*, tu invenisti gratiam apud Deum. De origine hujus particulæ vide ſubtilitates NITGIDII in *ich* ego. Hodie Deum & chariſſimos quoscunque ob amorem & fiduciam, inferiores pro auctoritate, reliquos ex contemtu, hac particula alloquimur, exceptis tamen Belgis, quibus non licet ita fari, etiamſi hunc modum commendet antiquitas, & uſus loquendi perennis. Hinc in SYNODO DORDRACENA non leve litigium de hoc pronomine ortum. Sic enim legimus in Actis Seſſ. XII. *Propoſitæ ſunt quæſtiones quædam, ad interpretationem Bibliorum ſpectantes: An in locis illis omnibus, in quibus ſermo de Deo habetur, in perſona ſecunda ſingularis numeri, ad exemplum Nationum aliarum, per vocem Belgicam* DU *ſit exprimendum, itemque verba Belgica ſecundæ perſonæ ſingularis numeri eidem reſpondentia? An vero magis rationi conſentaneum ſit, ut recepta loquendi conſuetudo retineatur? Argumentis utrinque variis allatis atque expenſis, pluribus ſuffragiis fuit judicatum, præſtare, ut in illis locis pronomen* GIJ, *jam uſitatum, retineatur, cum id ipſum apud Belgas omnes jam uſu inveterato pro ſingulari uſurpetur, atque inprimis, quia verba Belgica ſecundæ perſonæ ſingularis numeri, quæ pronomini* DY *reſpondent, jam dudum quaſi obſoleta ſunt, & horridam, ingratam, & deſuetam auribus Belgicis vocem edunt.* Hactenus Acta Synodi. Confer Epiſtolas Arminianorum pag. 513. Belgæ certe hodierni non poſſunt dicere *du biſt* tu es, ſed linguæ ſuæ proprietate coguntur dicere *ghy zyt* vos eſtis. Interim a *du* derivantur *dein* tuus, & *duzen* ſive *dauzen* tuiſſare, de quo ſupra.

DU, adjective ater, obſcurus, ſubſtantive nigredo, atramentum. Vox Celtica. Armoricis *du* eſt ater, niger, pullatus, nec non atramentum, *mis du* menſis Novembris, Cambris Januarius, haud dubie propter tenebras, *duedd* nigredo, atror. Cuncta apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Nos inde habemus *düſter* obſcurus, caliginoſus, *dinte* atramentum, *tuſche* nigredo, cum ſuis derivatis: Islandi veteres *dokna* nigreſcere, *doker* niger, *dockve* nigredo.

DUCAT, moneta aurea. Nominis rationem refert FRISIUS in SpeculoMonetali Lib. IV. Cap. 31. his verbis: *Ducati nomen habent a Ducibus, ſicut Reales a Regibus.* Alii Rogerium Siciliæ Regem huic monetæ nomen ab *Apuliæ Ducatu* impoſuiſſe contendunt. Vide Diſſert. D. MASCOVII *de jure circa rem monetariam in Saxonia.*

DUCKEN, premere, Dial. Francica. Hunc ſignificatum primus animadvertit STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 649. unde ſequentia teſtimonia decerpo. ISIDORUS pag. 269. *dhanne Chriſt dhes crucis zeihhan chidhuhit in iro andinum*, quando Chriſtus ſignaculum crucis exprimit in frontibus eorum. WILLERAMUS pag. 147. *moſt giduhtan uzzon ruoden ephelon*, muſtum expreſſum ex malis punicis. Gloſſ. R. Mauri MS. *farduchit pim* opprimor, *farduchit* expreſſit. Addo ex BENSON. *thycgan* comprimere.

DUCKEN, curvare, inclinare, deprimere ad terram, Belg. *duiken*. Inde *ſich ducken* inclinare ſe, *nidergeduckt* cernuus, inclinatus, depreſſus. Ita maceries, quæ ruinam minatur, NOTKERO dicitur *nidergeduohto zun* Pſal. LXI. 4.

DUDEN, ſonare, *düd-horn* cornu ſonorum, *dudel-ſack* uter ſonorus, tibia utricularis, *düdeln* utriculari. Rhythmus de S. ANNONE §. 27.

Herehorn duzzin,
Becche blutis vluzzin.
Tubæ bellicæ clangebant,
Rivi ſanguinis manabant.

Cuncta a ſono *düd, düd*, quem edunt inſtrumenta inflata, & præcipue cornea, a quibus ſenſus ad tibias translatus. Aliud eſt *döſen* ſtrepitum edere, de quo ſupra.

DUELL, bellum inter duos, & inde nomen a Lat. *duellum*, quod multorum opinione eſt ſimplex a *duo* formatum, unde poſtea per contractionem fieri cœpit *bellum*. Ita videtur exiſtimaſſe CICERO in Oratore: *Quid vero licentius, quam quod hominum etiam nomina contrahebant, quo eſſent aptiora. Nam ut* DUELLUM BELLUM, *&* DUEIS BIS, *ſic* DUELLIUM *eum, qui Pœnos claſſe devicit,* BELLIUM *nominarunt.* De Bellio fidem facit nummus æneus Auguſti, in cujus adverſa parte *Duellius* ille *Bellius* vocatur, apud URSINUM in Familia Bellia. Ciceronem ſequitur SANCTIUS in Minerva, Grammaticos ridens, qui inter *bellum* & *duellum* differentiam conſtituunt. Aliis tamen *duellum* eſt vox compoſita, & quaſi *divellum*. Veroſimilius eſt, vocem origine Celticam eſſe. Nam Armoricis *certamen duorum* dicitur *du-fel*, a *du* duo, & *fel* certamen, teſte PEZRONIO in Celticis pag. 385. Eodem judice vulgaris etymologia, quæ pro Latina voce *bellum* afferri ſolet, nequaquam defen-

defendi poteſt. De voce Celtica *fel* vide plura in *feld* expeditio bellica. Græci duellum *monomachiam* vocant, ab uno ſolo, non a duobus. Quos imitantur noſtri in voce domeſtica *einwig*. De monomachia veterum Germanorum, ejusque primæva inſtitutione, vide plura inter *Ordalia* in voce *wehadinc*, & confer *acht* vindicta privata.

DUFT, exhalatio. A *dæmpfen* exhalare, per ſyncopen. A *duft* rurſus fit *duften* & *ausduften* exhalare.

DULDEN, pati. Gloſſ. Pez. ſuſtinet *duldit*. Gloſſ. Keron. pertulerunt *fardolteton*. Forte eſt frequentativum, vel certe per epentheſin factum ex ſimpliciori *dolen*, quo omnis retro antiquitas uſa eſt. Nam pati, ſuſtinere, perferre Gothis dicitur *thulan* Luc. XVII. 25. Angloſaxon. *tholian*, Franc. & Alam. *tholen*, *dolen*. Gloſſ. Keron. ſuſtinere *doleen*, pati *dolen*, compaſſus *ebandolenti*. TATIANUS Cap. LX. 3. *tholeta bluotes fluz*, patiebatur fluxum ſanguinis. Quibus conſonat Græc. ταλᾶν perferre, & Lat. *tolerare*, quod eſt ab antiquiori & ſimpliciori *tolo*, obſervante JUNIO. Hodie ſuperat apud Suecos & Danos, quibus *tola*, *taala* pati, dum Belgæ cum Germanis dicunt *dulden*. Sed & Gothis aliquando frequentativum placuiſſe, patet ex derivato *thuldinei* patientia, quod extat Luc. VIII. 15. A ſimplici oritur

Latinis *dolor*, ſenſus ingratus ex paſſione ſive corporis ſive animi.

Armoricis *dolur*, Hibernis *dolas*, eadem notione apud TOLANDUM.

Angloſaxonibus *thol-mod* patiens, quaſi animus patienter ferens, *thol-modneſſe* patientia.

Francis & Alam. *dolungo* paſſio, *kedult* patientia, tolerantia, *fardolen* ſuſtinere. Gloſſ. Keron. paſſionibus *dolungono*, patientes *dultigeem*, patientia *kidult*, patienter *kidultlihho*, ſuſtinere *fardoleen*, ſuſtinent *fardoleent*, ſuſtinens *fardolenti*.

Islandis *thol* patientia, tolerantia, *tholleyſi* impatientia apud VEREL. in Ind.

Gallis *devil* dolor, luctus.

Germanis *gedult*, *gedultig*, *ungedult*, *ungedultig*, & ſimilia a Francis relicta, quorum interpretatio in vulgus nota.

A *dulden* porro ſunt *erdulden* & *verdulden* eadem notione, nec non *ſich gedulden* moram patienter ferre.

DULE, monedula. V. *dole*.

DULE, fovea. V. *tilk*.

DUMB, *thumb*, inſipidus, *thumb ſaltz* ſal fatuum. Utitur Luth. Matth. V. 13. Videtur eſſe a Græc. θυμιάω evaporo, quia ſal non bene ſiccatum (ſicciſſimum autem eſt ſalſiſſimum) exhalatione evaneſcit.

DUMB, ſtupidus & ſtupide. Gloſſ. Lipſ. *dumba* ſtultus, *dumpheide* inſipientia. TATIANUS Cap. XXVI. 4. *ther ſinemo bruoder quedit tumbo*, *ther iſt ſculdig helle fuires*, qui fratri ſuo dicit fatue, reus erit gehennæ ignis. Similiter & Belgis *dom* eſt hebes, & *domheit* ſtupiditas. Qui Græcis natalibus delectantur, derivant a θαυμάζω miror, quia ſtupidi omnia admirantur, etiam nullo hiatu digna. At cum in reliquis Dial. *dumb* idem ſit quod *ſtumm* mutus, elinguis, hinc idem vocabulum videtur ab antiquis tam rationis quam orationis defectui impoſitum, ob vinculum naturale quod eſt inter ſtupiditatem & loquendi impotentiam. Sic apud Latinos a *ſurdus* fit *abſurdus*. Sed nihil definio, quia ſenſus a ſale fatuo ad inſulſos & inſipidos homines transferri potuit. Utrum rectius dicatur, viderint alii. Mihi eſt vertiginoſus a *dümen* vertere.

DUMEN, vertere, circumagere. Verbi pereuntis imaginem & familiam vide in *daumel* vertigo.

DUMPF, odor teter ex ſqualore, & ipſa res ſqualida, *dumpf werden* fraceſcere, *dumpfig* ſitu corruptus. Videntur originem referre ad *dæmpfen*, quod in latiſſimo ſignificationum ambitu poſitum eſt, & naturæ ſuæ proprietate vaporem naturalem nonſolum emittit, ſed etiam *cohibet*, *opprimit*, *ſuffocat*, abrupta cum libero aere communicatione, unde poſtea exiſtit rerum corruptio, & ex corruptione novus vapor & ingratus. Dicitur autem *dumpf* non *dampf*, ſive quia litera *U.* deſignandis rebus vitio affectis aptior viſa, ſive ut a *dampf* vapor & fumus diſtinguatur. Belgis *duf* eſt mucor, & *duffig* mucidus, ex eodem fonte, quamvis per ſyncopen.

DUMPFIG, *dumpfichs*, raucus, qui aſperam vocem edit ob impeditum affectione gutturis halitum, rurſus a *dæmpfen* cohibere, intercipere.

DUN, ſepimentum. A *tynen* ſepire. SOMNER. loc. cit. *tun* ſepes, ſeptum, ſepimentum, vallum, *tynan* claudere, ſepire, obſepire. VEREL. in Ind. *tun* ſepimentum. Hodie cum Francis dicimus *zaun*. De verbo *tynen* vide plura in *zeunen*.

DÜN, locus ſeptus, ſive ſit domus aut hortus, ſive nemus aut campus, ſive villa, vicus, aut pagus. Rurſus a *tynen* ſepire. SOMNER. loc. cit. *tun* villa, vicus, domus, prædium, hortus, *deor-tun* hortus cervorum, ſeptum, ſalrus, forenſi Latinitate parcus, *apple-tun* pomarium, *tun-gereſa* villicus. VEREL. in Ind *tun* locus ſeptus, clauſus, munitus, *tunberg*, *tunwallr* idem, *tompt oc tungardr* fundi pars ædificiis occupata & clauſa. Et huc etiam ſpectat vox *thun* ex *Abrenunciatione* Antiquo-Theotiſca apud ECCARDUM, ubi *lucorum cultores* vocantur *thuna erende*. Hodie ſuperat apud Belgas, quibus *tuin* ſepes & hortus. Reliqua vide in *zaun* primæ ſignificationis.

DÜN, civitas, urbs, oppidum. Ex eodem fonte, quia oppida ſunt loca ſepta & munita, & ſemper fuerunt antiquitus, ſi non muris & maceriis (quod ſerius factum in Germania) certe palis, ſtipitibus, foſſis, aggeribus, aliisque impedimentis. Vox omnibus Celticis Scythicisque populis communis.

nis. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *dinas* civitas, urbs, *dinasfraint* jus civitatis, *dinesig* urbanus, *dinaswr* civis, civitate donatus. SOMNER. loc. cit. *tun* oppidum, *tunes-man* villanus & oppidanus, *tun-gerefa* præfectus oppidi, alias *culdor-man.* VEREL. in Ind. *tun* ſæpius pro oppido vel urbe munita. Hodie perennat apud Anglos, quibus *town* oppidum, municipium, *towns-man* oppidanus, *dennifon* civis, a Cambrico *dinas* civitas. Tanta autem eſt Urbium apud veteres in *dunum* deſinentium copia, ut omnibus rite explicandis ſinuoſo volumine opus eſſet. Ideoque ex innumeris quædam ſeligam.

LUGDUNUM Batavorum, a *llug*, quod Cambris ſubſtantive lucem, adjective clarum & lucidum ſignificat. Inde *Lugdunum* clara civitas, ſicut *lug afon* clarus amnis. BAXTER in Gloſſario Antiq. Brit. pag. 159. *Britannis noſtris* LUGAVON *lucidus amnis dicitur.* Menſuram nominis locus ille non ſolum avorum memoria, ſed etiam noſtris temporibus implevit, dum priſtino ſplendori decus literarum addidit.

LONDINIUM, urbs regia apud Britannos, forte ſic dicta, quia flumini impoſita, a Celtico *lan*, *lon* fluvius, quod vide infra in loco. Hoc certe malo, quam cum BAXTERO nomen urbis contrahere ex *Lugavondunum*, liquidi amnis oppidum. SOMNERUS Londinium putat denominari a Cambrobritannico *llawn* frequens, plenus, & *dyn* homo, ut *Lawndyn* tantundem ſit ac ſi dicas urbs frequens & hominibus refertiſſima, prout ſententiam ejus refert JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 189. Forte reſpexit ad verba TACITI Annal. XIV. 33. LONDINIUM *copia negotiatorum & commeatuum maxime celebre.*

AUGUSTODUNUM in Æduis, nomen haud dubie a Principe ejusdem nominis ſuſcepit, ut poſtea nomen *Flaviæ* a Conſtantio vel Conſtantino e Flavia gente prognatis. Nunc contracte *Autun* appellatur, quaſi *Civitas Auguſta.*

NOVIODUNUM, urbs nova, non collis novus. Oppidum Sueſſionum, Æduorum, Biturigum &c. Germanice *Neuſtadt.*

UXELLODUNUM, Germanice *Hochſtedt*, ab *uchel* altus, ſublimis, excelſus, vocabulo Cambro-Britannis hodieque uſitato. Oppidum Cadurcorum & Brigantum a ſitu montano & natura loci ſic dictum. BAXTER in Gloſſario Britannico pag. 257. UCHEL DUN *veteri Celtarum ſermone eſt Arx vel Civitas excelſa.* Hodie Gallis *Uſſeldun*, Britannis *Hexham* dicitur.

In his aliisque Urbium nominibus *dun* volunt eſſe collem CLUVERIUS, VOSSIUS, LEIBNITIUS, alii, quaſi omnia loca ſic denominata in edito ædificata fuerint. Quod etiamſi verum eſſet (falſum autem eſſe vel exemplo *Londinii* & *Lugduni Batavorum* patet) male tamen *dun* traheretur ad *collem*, ubi *oppidum* ſignificare poteſt. Sed hic ſignificatus Eruditis hactenus fuit ignotus, aut certe non animadverſus.

DUN, mons, collis, cumulus, & quævis terræ eminentia, parva vel magna. Celtica Lingua *dun* collem & eminentiam denotare, teſtis CLITIPHON apud Plutarchum in Libro de fluminibus. PEZRONIUS tribuit Ælobius δυνὸς, eodem ſenſu, in Antiq. Celt. pag. 235. Armoricos & Hibernos collem etiamnum appellare *dun*, teſtis TOLANDUS in Vocabulario Harmonico. Græcis Σῶρος eſt cumulus arenæ, & Σῶρες colles vel acervi. Gallis hodiernis *dunes* ſunt montes arenoſi in littore maris, & *donjon* propugnaculum in colle ædificatum. Germanos antiquitus eadem voce uſos eſſe, ex idiomate Angloſaxonico manifeſtum. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *dun*, *dune*, mons, *dun-ælfas* oreades, *dune-weard* deorſum, *dun-land* terra montana, *dun-ſætas* monticolæ, *dunſtræt* via montana. Quibus addo *oliuetes-dune* mons oliveti, ex Evangelio Gentis Matth. XXVI. 30. Inde Anglis remanſit *down* collis, Belgis *duinen* colles arenarii ad mare, Sax. inf. *dünen* colles. Cuncta a *dunen* turgere, intumeſcere, elevari. Quid enim ſunt montes & colles, niſi tumores terræ? Huc etiam ſpectat ex remota antiquitate TAUNUS, mons in Cattis prope Gieſſam, TACITO Annal. I. 56. XII. 28. & POMPONIO MELÆ in Deſcriptione Germaniæ memoratus (ubi Druſus quondam caſtellum poſuit, a Germanico poſtea renovatum), quem hodie *Dyns* vocant, olim vero *Taun* appellaſſe videntur, ut ex Latina voce adparet. Et hic ſignificatus in quibusdam locorum nominibus ſatis conſpicuus eſt. Hujusmodi ſunt

SEGEDUNUM, in Germania, Gallia, & Britannia, quod proprie *collem aridum* ſignificat, a *ſych* ſiccus, aridus, vocabulo apud Cambros ſuperſtite. Eandem nominis interpretationem dedit BAXTER, vir clariſſimus, in Gloſſario Antiq. Brit.

LUGDUNUM, vel *Lugidunum*, in Gallia, quod BAXTER interpretatur *collem liquoris* pag. 160. Rectius opinor CLITIPHON apud Plut. libro de fluv. LUGUM *Galli lingua ſua corvum vocant*, DUNUM *vero locum eminentem.* Et rationem nominis hanc reddit, quia cum jacerentur fundamenta urbis in colle ex oraculi præcepto, corvi quidam ſubito apparuerunt. Germanice dixeris *Ravensperg.* SCALIGER in Euſeb. hanc interpretationem in dubium vocat: *De priore voce*, inquit, *ipſe viderit, de altera non dubium eſt*, DUNUM *olim & nunc quoque in Belgis ſignificare collem & eminentiam.* At de priore fruſtra dubitatur. Nam corvus in hunc uſque diem Armoricis & Hibernis vocatur *lug*, teſte TOLANDO in Vocabulario utriusque Linguæ Harmonico. Forte a videndi perſpicacia. Nam *lugen* noſtris eſt proſpicere.

CLUVE-

CLUVERIUS in Germania Antiqua pag. 52. magnum texit Catalogum Urbium in Germania magna & Cis-Rhenana, Gallia, Hiſpania, Britannia, Vindelicia, Norico, Pannonia, quarum nominibus adjectum eſt *dunum*, quod ille univerſe collem vel montem interpretatur. Sed falli eum in pleriſque, jamjam oſtendi in *dun* civitas. Interim ex recentioribus huc ſpectat DUNCERCA, vulgo *Dün-kirche*, i. e. Eccleſia montana.

DUNEN, turgere, intumeſcere, elevari. Verbum antiquiſſimum, cujus cuſtodes hodie ſunt Saxones inferiores, quod illos ab antiquis accepiſſe, manifeſtum ex derivatis, *dun* mons, collis, terræ tumor, *dunen* pennæ elaſticæ, quæ depreſſæ reſurgunt & elevantur. Vide frequentativum in *dunſen*. Friſiis quoque *duynen* idem eſſe quod tumeſcere, & *duyninge* fluctum decumanum, KILIANUS auctor eſt. Cuncta affinia Græco οἰδάνω tumeo.

DUNEN, plumæ, pennæ avium molliores & meliores, compoſite *edder-dunen*, ab *edder* aves, ut dixi in *ede* avis. Compoſiti verum ſenſum primus inveſtigavit LEIBNITIUS in Gloſſario Chaucico & Celtico. De ſimplici vidimus paulo ante.

DUNGEN, *düngen*, ſtercorare agrum. Angloſax. *dyngan*, Suecis *dyngia*, Anglis *to dung*. Forte a τέγγω irrigo, humecto, & inde *dung* ſimus, & ab illo reliqua.

DUNKEL, opinio. V. *dunken*.

DUNKEL, occultus, ſecretus, non apertus. Corruptum per epentheſin ex antiquiori *dukl*, quod eſt a *decken* latere, latitare, vel a *tögen* celare. TATIANUS Cap. CLXXXVII. 2. *in dougli ni ſprah ih niouuiht*, in occulto locutus ſum nihil. Interpres Angloſaxonicus adhibet *on dyglum* eodem ſenſu Matth. VI. 18. *then fæder the geſihth on dyglum, hit agylt the*, pater tuus, qui videt in abſconſo, hoc tibi reddet. Inde Angloſaxonibus *digelan* occultare, abſcondere, facere ut lateat, omnino a *digle* occultus.

DUNKEL, obſcurus, caligine obductus, opacus, *dunkel wetter* tempeſtas nubila, *dunkel braun* pullus. Dicitur de obſcuro, quia ob defectum lucis occulto ſimile eſt. Belgæ dicunt *donker*, quia L. & R. permutantur.

DUNKEL, caligans, *dunkele augen* oculi caligantes. Verbale a *dunkeln* caligare.

DUNKELHEIT, ſignificat quantum poteſt, qualitatem occultam, obſcuritatem, hebetudinem, obfuſcationem, & Francis dicitur *tuncali*, quod eſt abſtractum a concreto *tuncal*. Gloſſ. Pez. obfuſcatio *tuncali*.

DUNKELN, cujuscunque ſit ſignificatus, oritur ab adj. *dunkel* obſcurus. Et hinc tria præcipue ſignificat, (1.) *obſcurare*, caliginem objicere. (2.) *hebetare*, obſcurare viſum. (3.) *caligare*, defectum viſus pati, quod fit, quando oculi nubeculis tanquam nebula obducuntur.

DUNKELN, obſcurare, obfuſcare. Hodie utimur compoſito *verdunkeln*, eodem ſenſu.

DUNKELN, hebetare. Gloſſ. Pez. hebetatum *pitunchlit*.

DUNKELN, caligare, *die augen faben an zu dunkeln* oculi incipiunt caligare. Gloſſ. Pez. deficiant *tunchlent*. Gloſſ. Boxh. *tunkileton* caligaverunt. A *dunkeln* rurſus fit *dunkel* caligans.

DUNKEN, videri, opinari, animo ducere, imo etiam judicare, quamvis cum formidine oppoſiti. Gothis *thuggkjan*, quod pronunciatur ut *thungkjan*, Angloſax. *thincan*, Francis *thunken*. Hinc verba ſummi Pontificis apud S. Marcum Cap. XIV. 64. *Quid vobis videtur?* a Codice Argenteo redduntur, *hwa thungkeith izwis?* a Verſione Angloſaxonica, *hwæt thincth eow?* ab interprete TATIANI in Harmonia Franco-Theotiſca Cap. CXCI. 2. *uuaz thunkit juwih?* JUNIUS *denken* & *dunken* confundit: CLAUBERGIUS ita diſtinguit, ut *denken* ſit cogitare, *dunken* obſcure cogitare, & E. conſulto mutatum putat in U. literam obſcuriſſimam, ut obſcuritate ſua rem ipſam naturæ convenienter exprimat. Vereor, ne hoc argutum magis quam ſolidum ſit. Nam *dunken* manifeſto convenit cum Gr. δοκέω, & Lat. *ducere*. Et litera N. non ſemper cuſtoditur in medio. Hinc vulgo promiſcue dicimus, *mich dunkt* & *mich dauchs*, mihi videtur. Præcipuum derivatum eſt *dünkel* opinio, quæ quando ſe ipſam decipit, quod ſæpe fit apud arrogantes, vocatur *ladünkel*, a Scandico *læ* fraus.

DUNN, non craſſus, dilatatus quoad ſuperficiem. Traduc verbi *denen* extendere. Hic primus vocis ſenſus & antiquiſſimus, qui poſtea ad omnia tenuia, gracilia, & rarefacta, tam liquidorum quam aridorum, quod non-craſſis ſimilia eſſent, translatus eſt, primo quidem in Celtica, mox etiam in aliis Linguis. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *tenau* tenuis, rarus, macilentus. BENSON. in Voc. Angloſax. *thyn*, *thynne* tenuis, *thynner* tenuior, *thynneſt* tenuiſſimus. SOMNER. in Dict Angloſax. *thinnian* attenuare, macerare, rarefacere, *thinniſſe* tenuitas, *thyn weſen hrægl* levidenſia. Gloſſ. Keron. puram tunicam (id eſt, levem & tenuem) *dunna*. Subintellige *tunihu*. Gloſſ. Pez. tenuitas *thunni*. Conſonat Lat. *tenuis*, & Gr. τανὸς, quod HESYCHIO exponitur exiguus. Allegorice dicitur de tenui fortuna. Inde *tineman* ſervus minutus, in Conſtit. CANUTI R. de Foreſta §. 4. 5. apud SPELMANNUM in Gloſſ. Archæol. pag. 240.

DUNSCH, *dünſchel*. V. *Dunſen*.

DUNSEN, elevari, turgere, intumeſcere. Frequentativ. a ſimplici *dunen* ejusdem ſignificatus. Inde Angloſaxonibus *thunden* tumens, apud BENSONIUM, Belgis *opgedunſen* turgidus, inflatus, quod memini me in Batavis audiviſſe, etiamſi apud Lexicographos non reperiam. A *dunſen* porro fit *dunſch*, dimin. *dünſchel* os, ſcilicet, labia turgida, *dunſt* typhus, elatio, per ſyncopen

pen *duſt*, unde LUTHERUS formavit *verdüſtert* turgidus, inflatus, 1. Tim. VI. 4.

DUNST, vapor, Sorabis *towſty* apud FRENZELIUM in Orig. Sor. pag. 1056. MARTINIO eſt a θύειν fumigare. Quamvis etiam a *dunſen* elevari, attolli, quod exhalationibus proprium, derivari poſſit. A *dunſt* porro fit *düinſten* exhalare, *düinſtig* vapidus, *ausdüinſtung* evaporatio.

DUNST, tempeſtas, *dunſtig* procelloſus. Voces Notkerianæ apud SCHILTERUM in Gloſſ. Teut. pag. 249. & veriſimiliter inter Francos formatæ a θύειν quatio, concutio.

DUPFEN, *tupfen*, pungere, punctum facere, *gedupft* punctatus, *düpftein* punctum, *dupfig*, *düpfticht* punctis variegatus, *dupfwerk* opus acu pictum. Dicitur alias *ſtupfen*, melius & integrius. Nam hæc verbi forma origini propinquior eſt, ut oſtendi in *ſtippen*. Interim a *dupfen* Latino-Barbari habent *diptire*, auro vel argento interpungere, quam vocem contra falſas Goldaſti & Spelmanni interpretationes recte vindicat SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 228.

DUPFEN, *eindupfen*, tingere, immergere. Verbum ab Angloſaxonibus relictum, quibus *dyppan* immergere, *dypped* tinctus, apud BENSONIUM. Occurrit eo ſenſu paſſim in Verſione Angloſaxonica. Luc. XVI. 24. *Send Lazarum that he dyppe hys fingeres lith on wætere*, mitte Lazarum ut intingat digiti ſui articulum in aquam. Marc. XIV. 20. *Se the hys hand on diſce mid me dypth*, is qui manum ſuam in catinum mecum intingit. A notione profunditatis, ut dixi in verbo ſororio *tauffen* immergere.

DUPPE, genus vaſis. V. *tuppe*.

DUPPEN, percutere. Verbi percutis imaginem collige ex dictis in *adobare*.

DUR, aqua, lympha, latex. Vox Phrygia, quæ hodie perennat apud Armoricos & Hibernos, quibus *dur* aqua, teſte TOLANDO in Vocab. utriusque Linguæ Harmonico. Cambris *dwr*, & Armoricis *dour* etiamnum aquam denotare, teſtantur quoque BOXHORNIUS in voce *dwfr* & *merydd*, & PEZRONIUS in Antiq. Celt. pag. 386. Idem Græcis ὕδωρ, & Latinis *udor*, quamvis alterato paulum ſignificatu. Falſi hic ſunt Grammatici, qui ὑέω ab ὖω pluo deducunt, cum ea vox Græcis non ſit domi nata, ſed a Phrygibus tradita, ſicut multa alia nomina Barbarica, quæ Linguæ Græcæ accommodari non poſſunt, & Phrygiam habent originem, quod clare ſatis oſtendit PLATO in Cratylo pag. 281. PEZRONIUS Phrygiam vocem deducit a Celtica, ego contra. Atque ut ita ſentiam, movent me permulta vocabula in omnibus Dialectis, quæ per varias mutationes a Phrygio videntur prodiiſſe. Nam ab ὑδωρ fit

Per apharæſin ἀζάρ, quod Armenicum, & *dur* quod Celticum.

Per apocopen *yth*, quod Angloſaxonicum.

Per proſtheſin *water*, quod Belgicum, & *weſſer*, quod Cheruſcum.

Per epentheſin *hiſter*, quod Thracicum.

Per vocalium permutationem *oder*, quod Vandalicum, & *eider*, quod Cimbricum.

Cuncta aquæ vel elementaris vel profluentis ſignificatu. Græcos a *dur* formaſſe διερὸς humidus, haud improbabile.

DUR, aqua profluens vel alluens, amnis, fluvius. Inde

DURIA, flumen Alpinum, nunc *Doria*.

DURIUS, flumen Luſitaniæ, arenulis aureis nobile.

DUR, trajectus fluminis. Hunc ſignificatum primus animadvertit CLUVERIUS in Germ. Ant. pag. 52. & multis locorum nominibus in *Durum* deſinentibus confirmavit. Cluverium ſequitur alterum Geographiæ lumen CELLARIUS, in Not. Orb. Ant. Tom. I. pag. 333. DÜREN & MAGEN *lingua Celtica idem ſonabant, tranſitum nempe fluminis*. Cluverius ſenſum a *thür* porta deſumptum putat, alii a *thor* turris. BAXTER. in voce explicanda nihil auſus eſt, quod miror. Nam ex perpetuo Linguæ Celticæ & Græcæ conſenſu noſſe poterat, *dur* eſſe a διέρω tranſeo, trajicio. Nos miſſis, quæ magno numero afferri poſſent locorum nominibus, pauca tantum, ſive vetera, ſive ex veteribus facta, conabimur attingere, reliquis poſteritatis induſtriæ relictis.

BOJODURUM, trajectus Bojorum in Norico. CÆSAR Lib. I. de B. G. Cap. 5. *Boji qui in agrum Noricum tranſierant*. De hoc tranſitu vide plura apud CLUVERIUM in Norico cap. 5.

BATAVODURUM, trajectus Batavorum in Belgio. Hodie partem nominis cuſtodit *Durſtede*.

DUREN, trajectus. Oppidum ad Roram fl. cujus nomen haud dubie factum ex TACITI *Marcodurum*.

SOLOTURN, oppidum Helvet. ad Arolam, quod in Tab. Theodoſ. vocatur *Salodurum*.

ZURZACH, aquæ duræ, quaſi *Durſach* aquæ trajectus.

DURSTEDE. V. *Batavodurum*.

WINTERTURN, factum ex antiquiori *Vitodurum*.

DREUX, factum ex *Durocaſſium*.

AUXERRE, factum ex *Autoſſodurum*.

MANDURE, factum ex *Epomandurum*.

DUR, chalybs. Vox Celtica & Cambro-Britannica apud BOXHORNIUM in Lex. Ant. Brit. Hinc commodam interpretationem capit gladius Rolandi *dyrendal* dictus, quaſi diviſor chalybeus, a *teilen* dividere ſecando, quia eodem ictu hominem & equum dividebat, ut ex veruſta Hiſtoria tradit WORMIUS Lib. V. Mon. Dan. pag. 382. SCHILTERUS tamen mallet legere *durendart*, & interpretari

tari *genus durans*. PONTANUS ſcribit, hunc gladium adhuc Burdigalæ aſſervari, TURNEFORTIUS Pruſæ in Turcia.

DURCH, per locum. Goth. *thairh*, Angloſax. *thurh*, Franc. & Alam. *thuruh*, *duruh*, Belg. *door*, Angl. *through*, Saxon. infer. *dur*. Dicitur de tranſitu per locum in omnibus Dialectis. Evang. Goth. Matth. VII. 13. *inmaggaith thairh aggwu daur*, intrate per anguſtam portam. Evang. Angloſax. Marc. X. 25. *to farenne thurh nædle thyrel*, tranſire per foramen acus. TATIANUS Cap. VIII. 8. *thuruh anderan weg*, per aliam viam. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIV. 9. *fuar er thuruh Samariam*, ivit per Samariam. Inde compoſita, *durchlaſſen* tranſitum concedere, *durchſcheinen* translucere, *durchſtechen* trajicere telo, & alia innumera.

DURCH, per tempus. Inde Gothis *alla naht thairh*, per totam noctem, Luc. V. 5. & Angloſaxonibus *thurh-wacol* pernox.

DURCH, per cauſam. TATIANUS Cap. I. 2. *alliu thuruh thas uuurdun getan*, omnia per ipſum facta ſunt.

DURCH, propter. Gloſſ. Keron. propter *duruh*. Dicitur de cauſa movente. TATIANUS Cap. XXII. 15. *ſalige ſint thie thar ahteneſſi ſint tholente thuruh veht*, beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam. Et mox: *thuruh then mannes ſun*, propter filium hominis. R. TYROLIS in Parænesi ad fil. §. 23. *Got dur uns niht me ſterben wil*, Deus propter nos non amplius vult mori. Inde clauſula precum vetuſta, qua etiamnum utimur, *durch JEſum Chriſtum* per JEſum Chriſtum, obſervante STADENIO in Voc. Bibl. pag. 165.

DURCH, inter, *durchſchieſſen* intercalare, *durcheinander* promiſcue, nulla inter unum & alterum diſtinctione.

DURCH, auget & amplificat ſenſum in multis compoſitis, plane ut apud Latinos *per*. Gloſſ. Keron. perficere *duruhtuan*, perſiſtere *duruhſtantan*, perſuaderi *duruhſpanan uueſan*, perſeverantes *duruh uuonente*, permixti *duruhmiſte*. Inde *durchleuchtig* valde illuſtris, *durchleutert* valde purgatus, *durchtrieben* valde exercitatus, & alia innumera.

DURFEN, opus habere. Idem quod *darfen*, de quo ſupra. Hodie utimur compoſitis *bedürfen*, *bedörfen*, *bedarfen*.

DURFT, uſus, opus, utilitas. Gothis *thaurft* Luc. IX. 25. Angloſax. *thearf*, Franc. & Alam. *duruft*, Lex. Run. *dorf*. Gloſſ. Keron. opus *durufft*. Refer ad *derben* expedire, vel ſi mavis ad *darfen* opus eſſe. Vide plura in *darf*.

DURFT, indigentia, *dürftig*, *bedürftig* indigus, egenus, *notdurft* indigentia ejus quod neceſſe eſt. Refer ad *darfen* opus habere, vel ſi mavis ad *darben* indigere. A *durft* rurſus oriuntur verba parenti ſimilia. Inde Gothis *thaurftan* indigere, *thaurfta* indiguit, Marc. II. 25. *thaurfts* neceſſarium, Luc. XIX. 34. Alamannis *durufftigon* indigere. Gloſſ. Keron. indiget *durufftigot*, indigent *durufftigunt*. Quæ hodie ſunt extra uſum poſita.

DURFTIG, egenus. Ab indigentia ejus, quod ad vitam ſuſtentandam neceſſarium eſt. Francis & Alam. *thurftig*, apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 344. Et alia Dialecto *thurtig*, litera F. in medio vocis eliſa. Gloſſ. Lipſ. *thurtic* egenus, *thurtegin* egeno. In reliquis Dialectis hic ſenſus non derivatur a *durft* indigentia, ſed ἀμέσως a *darben* egere, carere. Hinc pauper, egenus Gothis dicitur *tharba*, Angloſaxonibus *thearfa*, *thearfend*, *thearfic*.

DURR, aridus, ſiccus. Gothis *thaurs* vel *thaurſus* Luc. VI. 6. Angloſax. *thyrre*, Franc. *thurro*, Belg. *dor*, *dorre*, Suec. *torr*, *tærr*, Angl. *dry*. TATIANUS Cap. LVII. 6. *ther unſubiro geiſt gengit thuruh thurro ſteti*, ſpiritus immundus ambulat per loca arida. Quibus conſentit Lat. *torus* aridus, quod monente FESTO pronunciandum ut *torrus*. Refer ad *dürren* arefacere, quia ſiccus eſt arefactus.

DURRE, ariditas. Gloſſ. Pez. uredine *durri*. Græcis θέρος eſt æſtas torrida.

DURREN, *dorren*, areſcere, ſiccari, aridum fieri. Verbum ab adjectivo ortum. Evang. Goth. Marc. V. 29. *gathaursnoda ſa brunna blothis izos*, ſiccatus eſt fons ſanguinis ejus. TATIANUS Cap. CLXVII. 5. *uuer in mir ni uuonet*, *thorret*, qui in me non manſerit, areſcet. VERELIUS in Ind. *thorna* ſiccari. Idem Gallis *tarir*. Hodie utimur compoſito *verdorren*: Sed a ſimplici habemus *darre* morbus avium ex uredine, item locus ubi hordeum madefactum torretur, *durſt* ſitis, & quorundam judicio etiam *torf* gleba arida.

DURREN, *darren*, *dörren*, arefacere, ſiccare, facere ut areſcat. Francis *tharran*, Belg. *dorren*, Island. *thærra*. Gloſſ. Pez. ſiccas *gidartiu*, ſiccentur *giderrite*, exſiccandos *tharran*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XII. 25.

Quedent ſum giuuaro
Helias ſis ther maro,
Ther thiz lant ſo tharta,
Then himil ſo bisparta.

Quidam dicunt pro certo
Te eſſe celebrem illum Eliam,
Qui hanc terram torruit,
Et cœlum obſeravit.

Quibus conſentit Gr. τείρω, quod in Cadmo Martiniano exponitur *ſicco*, & Lat. *torreo*. In quibusdam Dialectis dicitur de ſimplici abſterſione, quæ fit absque calore. VEREL. in Ind. *thærra* ſiccare, *thærdi blod af andliti* deterſo ſanguine faciem ſiccavit. Cui ſimile Gr. τέρσω & τερσαίνω abſtergo, & Lat. *tergo*.

DURST, ſitis. Angloſax. *thyrſt*, Franc. *thurſt*, *thruſt*, Belg. *dorſt*, Angl. *thirſt*, Suec. *torſt*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XX. 210.

Ni huaztut ir mir thaz iſt uuar,
Thurſt inti hungar.
Non ſedaſtis mihi, hoc verum eſt,
Sitim atque famem.

Proprie eſt ſiccitas, ariditas, oriturque a *dürren* areſcere, ſiccari, per medium derivandi ST. Nam ab ariditate eſt ille appetitus humidi, qui vulgo ſitis vocatur. Et hanc etymologiam confirmat, (1.) quod Dialecto Gothica *thaurſnan* areſcere & *thaurſjan* ſitire ex eodem fonte derivantur, nempe a *thaurs* aridus, ſiccus. (2.) quod Francis aridus & ſitiens eodem vocabulo venit. Gloſſ. Pez. ſitientem *durra*. (3.) quod terra arida Poëtis dicitur ſitire. (4.) quod ſimilis originatio reperiatur apud Cambros, quibus *ſyched* ſitis eſt, a *ſych* ſiccus, aridus, obſervante JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 346.

DURSTEN, ſitire. Goth. *thaurſjan*, Angloſaxon. *thyrſtan*, Francis *thurſtan* & *thruſtan*, ob mobilitatem literæ R. Belg. *dorſten*, Angl. *to thirſt*, Suec. *törſta*. TATIANUS Cap. CCVIII. 1. *ih truſtu*, ſitio. Verbum a ſubſtantivo oriundum, non vice verſa.

DURREN, audere, confidere, præſumere. G. Θαρρεῖν. Forma verbi antiquiſſima, de qua prolixe actum in vitiato *darfen*. Dicitur etiam *thüren*, quod propter derivata obſervandum.

DURST, audacia, confidentia, præſumtio. Gr. Θάρσος. Scribitur & *thurſt*. Inde LUTHERO *thurſt und frevel* in Tomis Jenenſibus apud STADENIUM in Voc. Bibl. pag. 166. Oritur a *thüren* audere, per medium derivandi ST. Dicitur eſt *truſt*, ob mobilitatem literæ R. Gloſſ. Keron. præſumptione *utrurſti*. Lege *urturſti* vel *urtruſti*. Similiter in Lex. Run. *trauſt* exponitur audacia, confidentia.

DURSTEN, audere, confidere, præſumere. Græc. Θαρσεῖν. Verbum a ſubſtantivo oriundum, quod tamen apud Veteres non occurrit niſi in imperfecto. Hinc *audebat* Goth. is dicitur *gadaurſta* Marc. XII. 34. Angloſaxonibus *dorſte* ibidem, Francis *dorſti* in Rhythmo de S. Annone §. 41. *di her ni dorſti kundin*, quæ non audebat propalare. In Saxonicis Dialectis R. ſæpe transponitur. SOMNER. in Dict. Angloſax. *thriſtian* audere, præſumere, *thrieſte* temerarius, audax, præſumptuoſus, *thriſtneſſe* pertinacia, pervicacia, obſtinatio. VEREL. in Ind. *treiſta* audere, confidere. Inde Saxonibus Trans-albianis remanſit *threiſt*, *thrieſt* audax, *thrieſtiglich* audacter, *thrieſtigkeit* audacia, confidentia.

DURSTIG, audax, fiducia præditus. Græc. Θαρσὺς. Utitur Luth. Phil. I. 14. Angloſaxones eodem ſenſu dicunt *dirſtig*, *dyrſtig*, Sueci inverſis literis *dryſtig*.

DURSTIGLICH, *thurſtiglich*, audacter, confidenter. Utitur denuo Luth. Hiob. XII. 6. Idem Angloſaxonibus *dirſtelice* & *thriſtlice* apud SOMNERUM.

DUSÆK, gladius ligneus ruſticorum in Suevia. Sorabis *deſſak* eſt gladius ferreus. Utrumque videtur proprie denotare gladium lateralem, & componi a Celtico *tu* latus, quod hodie ſuperat apud Cambros teſte BOXHOR. in Lex. Ant. Brit. & Angloſaxonico *ſæcg* gladiolus apud SOMNER. quod *ſægen* ſecare. Confer *ſachs* pugio, & *ſæge* gladius.

DUSII, dæmones impuri apud Gallos, quos fœminarum amore flagrare, & cum illis conſueſcere, referunt S. HIERONYM. in Jerem. 50. 39. & Eſa. Cap. 13. & S. AUGUSTINUS Lib. XV. de Civ. Dei Cap. 23. Gloſſ. Iſid. *duſius* dæmon. Proprie eſt dæmon incubus. Nam *duyſe* (ut pridem viris doctis & KILIANO obſervatum) veteribus Belgis eſt concubina, & *thydaſt* Scandis antiquis eſt concumbere. VEREL. in Ind. *thydaſt* cum muliere vel viro rem habere, *tyſt hana* conſuevit cum illa.

DUSII, manes, animæ defunctorum, apud populos Slavonicos. Sorabis *duſchi*, Bohemis *duſſe*, a *duch* ſpiritus bonus vel malus, vel *duſcha* anima, quod eſt a *duju* flare, ſpirare, interprete FRENZELIO in Orig. Sorab. pag. 268.

DUSII, Parcæ, apud Septemtrionales. WORMIUS Lib. II. Mon. Dan. pag. 121. DYSER *alioquin Deæ fuerunt Parcarum inſtar, quæ ab Odino moriturvis transmitti credebantur, ut animas eorum ad aulam mortuis deſtinatam deferrent.* Forte ſic dicuntur, quaſi dæmones ſepulcrales, a *dyſia* tumulo condere, vel *dys* tumulus, quamvis WORMIUS hæc vocabula inverſo ordine a Dyſiis deducat.

DUSII, ſpectra, apud eosdem. WORMIUS in Lit. Run. *dus* interpretatur ſpectrum montivagum. MARTINUS, qui de priſca *Gallorum Religione* Opus multis lucubrationibus commentatum edidit, hanc etymologiam proponit Lib. IV. Cap. 25. *Les Gaulois appelloient ces Divinitez* DUSII, *qui eſt un mot Celte, avec une terminaiſon Latine, formé de Teus, qui ſignifie tout ce qui paroit & diſparoit en un moment, un Lutin, un ſpectre, un phantome.* Sed non addit, qua Dialecto. Forte eſt aliquid timidum vel timendum, quod vel fugit conſpectum hominum, vel metum videntibus incutit. Græcis δῖος eſt timuit, δαιδαίων dæmones metuens, δείσης metuendus.

DUST, tumor, inflatio. V. *dunſen*.

DUSTER, obſcurus, caliginoſus. Angloſaxon. *thyſter*, Belg. *duiſter*. Quemadmodum ab Islandico *dimma* caligo, apud Francos fit *thimſter* caliginoſus, per medium derivandi *ſter* : ita a Celtico *du* nigredo, quod apud Cambros & Armoricos etiamnum ſuperat, fit Angloſaxonibus *thyſter* caliginoſus, & hinc porro *thyſtru* tenebræ, *thyſter-full* tenebricoſus, *athyſtrod* obſcuratus, *fore-thyſtrian* obſcurare. Quanquam etiam *thyſter* a *thimſter* absque nova etymologia, & ſola ſyncope derivare, proclive ſit.

DUTTE, *titte*, mamma, uber, fons lactis, tam hominum quam animalium. Vox antiquiſſima. Heb. *dad*, Græc. τιτθή, τιτθός, τιτθίον

τιθλον, Camb. *diden*, *teth*, Angloſaxon. *tit*, *titt*, *tytt*, Franc. *tuito*, Angl. *teat*, Gall. *teton*, Ital. *tetta*, Hiſp. *teta*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *diden* papilla, ruma, rumis, *teth* ruma, mamma, uber, maſtus. Gloſſ. Ælf. mamilla *tit*, ubera *meolce-breoſt*, papilla *titt-ſtrycel*. Gloſſ. Pez. mamma *tuito*. Dicitur etiam *zirz*. Verba utrumque producentia in Linguis Occidentis duo eſſe poſſunt, Suecicum *dii*, *dija* fugere, quod adoptavit STIERNHIELM. in Gloſſ. Goth. pag. 31. Sorabicum *deju* mulgere. Græci a τιτθὴ derivant τιθάνω, Gothi *daddjan* Marc. XIII. 17. Galli *teter*. Omnes lactandi ſignificatu.

DUTTE, *dute*, *deute*, involucrum chartaceum. Forte quia rumis animalium ſimile. Quamvis etiam opertorium eſſe poſſit, ſi derivetur ab Angloſaxon. *dyttan* occludere, obturare.

DUZEN, tuiſare. V. *dauzen*.

DUZT, *dutzet*, *dutzent*, duodenio. A *dodecas* vel *duodecim*.

DW ALEN, errare. V. *dolen*.

E.

E præfixum, negativum & intenſivum. V. PROLEGOM. Sect. V.

E, ſubſixum. V. PROLEG. Sect. VI.

E, lex, pactum, conjugium, & reliqua. V. *Ehe*.

EBBE, refluxus maris. Angloſaxon. *ebba*, *ebbe*, Belg. *eb*, *ebbe*, Angl. *ebb*, *ebbing*. Gloſſ. Ælf. receſſus *ebbe*, acceſſus *flod*. BENSON. *ebba*, receſſus. Proprie eſt abitus ſeu decrementum maris, vel immediate ab adverb. defectus *ab*, vel mediante verbo *aben* abire, deficere. Ab *ebbe* Belgis & Anglis rurſus fit *ebben* & *to ebb* reciproco refluxu recedere.

EBEN, planus. Gothis *ibn*, Angloſax. *efen*, *efn*, Franc. & Alam. *eban*, *epan*. Island. *iafn*. Dicitur tantum de loco. Ulfilas Luc. VI. 17. *gaſtoth ana ſtada ibnama*, ſtetit in ſolo campeſtri. Hebræis *eſen* eſt perpendiculum, principium dirigens plani, nonnulla, ut JUNIO videtur, cum reliquis adfinitate. Quamvis hoc etymon non auſim contemnere, fieri tamen poſſe video, ut planus dicatur *eben*, quaſi non-altus, vel cujus nulla pars eminet, a privativo *e*. & *bann* altus.

EBEN, in genere dicendi metaphorico ſignificat quantum poteſt, quantumque ſimilitudo permittit, (1.) *æqualem*, quia planum in longum & latum ita extenditur, ut nulla undique differentia adpareat. (2.) *ſimilem*, quia planum eſt ſuperficies ſibi per omnia ſimilis. (3.) *humilem*, *æquabilem*, *moderatum*, quia plano nihil eſt depreſſius, nihilque in plano quod ex area ſe extollat. (4.) *juſtum* & *æquum*, quia in plano nihil eſt irregulare, gibboſum, aut a rectitudine deflectens.

EBEN, par, æqualis, ut ſervus ſervo, liber libero, *eben-vil*, tantundem, æquivalens, *eben-maſſe* menſura proportionis. Gloſſ. Keron. par *eban*, æqualis *eban*, pari conſilio *ebanemu keratte*, æqualiter *ebano*. Dicitur de omnibus rebus, quæ quocunque modo ſibi invicem pares & æquales ſunt. Sic æquinoctium Angloſaxonibus vocatur *efen-nihi*, æquipondium *efen-wege*, & *efen-wihte*, conſors *efen-blytta*, coævus *efen-eald*. Similia habent Franci & Alamanni. Gloſſ. Keron. conſortes *ebanlozzon*. Gloſſ. Pez. coævas *epanalte*. Hodie magis delectamur adverbio quam adjectivo. Sic vulgo dicimus, *eben ſo groſſ* æque magnum, *eben ſo ſchön* æque pulcrum, *eben ſo gut* æque bonum.

EBEN, ſimilis. Sic homines ἰσάγγελοι Gothis vocantur *ibnans aggilum*, ſimiles angelorum, Luc. XX. 36. Hodie ſuperat in compoſ. *ebenbild*, quod eſt imago ad ſimilitudinem exemplaris facta.

EBEN, ſimiliter, una, pariter, juxta, ut ſolent ii, qui ſimiles habent voluntates. Hodie compoſitiones raro aut nunquam ingreditur, olim vero maximi erat uſus. Inde Angloſaxonibus *efen-weorcan* cooperari, *efen-throwian* compati, *efen-gefean* congaudere, congratulari, *efen-theowa* conſervus, *efen-biſcop* coëpiſcopus. Similia habent Franci & Alamanni. Gloſſ. Keron. conferat *ebanprinke*, conſedere *ebankeſizzan*, conſiſtens *ebanſtantanti*, compaſſus eſt *ebandolenti*.

EBEN, æqus, humilis, moderatus. Gloſſ. Ker. æquo animo *ebanemu muate*. Quemadmodum Lat. mare nullis fluctibus agitatum, & loca etiam campeſtria vocantur *æquora*, ab æqualitate: Sic animus pacatus & tranquillus, qui neque effertur in ſecundis, neque deprimitur in adverſis, Priſcis dicitur *eben*, quia planitiem æquitate, humilitate, & moderatione refert. Et talem animum Latini quoque *æquum* vocant, Græci vero ἤπιον, mira cum vocabulo Germanico conſonantia. Hodie quidem ceſſat, dici tamen eleganter poteſt, ſi tædium in egeſtate abſit.

EBEN, juſtus, æquus. Quaſi regularis, & ad perpendiculum juris factus. Nam planities eſt res ordinata, & hinc dubium non eſt, hunc quoque ſenſum, quamvis obſoletum, a plano, in quo nulla gibboſitas a regula deflectens adparet, deſumptum eſſe. BENSON. *efen* æquus. Kero in Gloſſis interlinearibus ad Reg. S. Benedicti Cap. III. æquiſſimo judici *ebanoſtin ſuanarre*. Convenit hæc appellatio exacte cum altera, qua juſtus dicitur *gerecht*, quaſi rectus. Nam juſtus & injuſtus judicio veterum differunt ut rectus & obliquus, planus & gibboſus. Vide quæ infra notavi ad *Recht* jus.

EBEN-BURT, par genus & dignitas nativa, a *burt* nativitas, genus, tam maternum quam

paternum. Cum partus ſervilis nunquam procreet liberum, nec liber ſervilem, & liberi ipſi ob differentiam clypeorum militarium non ſint unius ejusdemque ordinis & dignitatis, hinc in jure cujusque definiendo opus erat hoc vocabulo, ob matrimonia mixta, ne cum ſanguine jura partuum confunderentur. Extat in Jure Saxon. Lib. III. art. 73. cujus inſcriptio: *van evenbort*, de æquali generatione. Quam Gloſſa ibidem ad quatuor genera revocat, ſine quibus ſucceſſio juris Saxonici intelligi nequit. Primum genus oritur ex Scabinatu, alterum ex nexu feudali, tertium ex ſtatu ſervili, quartum ex nobilitate.

EBEN-BURTIG, par genere & dignitate nativa, ejusdem conditionis qua pater vel mater, ejusdem clypei militaris. A paritate naſcendi. Saxonibus in Speculo *evenbordich*, Lib. III. art. 72. Alamannis in Spec. Suevico *ebenburtig*, Cap. IV. 6. XIV. 3. CCCLXXXII. Verel. in Ind. *iufn-borner menn* genere & dignitate pares.

EBENE, planities. Gloſſ. Pez. planities *epani*, virente planitie *kruonera epani*. Ab *eben* planus.

EBENE, æqualitas qualiscunque. Sic æqualitas hominum naturalis Francis dicitur *ebini thera giſcefti*, apud Otfridum Lib. III. Cap. III. 38. obſervante Cl. Scherzio in notis. Ab *eben* æqualis. Hodie obſoleſcit.

EBENE, humilitas. Otfridus in Præf. ad R. Ludov. verſ. 28. *thaz duit er al mit ebinu*, id facit totum cum humilitate, hoc eſt, ſe minime efferendo, etiamſi cæteris nobilior, ſapientior, & facundior ſit. Idem Lib. IV. Cap. XXIX. 11. de toga Chriſti inconſutili, quæ eſt Eccleſia:

Joh ſint io mit ebine,
Mit minnu al untaruuebane.

Cum humilitate & charitate omnes inter ſe ſunt contexti. Refer ad *eben* humilis. Hodie obſoleſcit.

EBENE, æquitas. Notkerus Pſal. IX. 9. *ter ſelbo irteilet uber die uuerlt in ebini*, ipſe judicabit orbem in æquitate. Pſal. L. 3. *tiligo mina unebeni*, dele iniquitatem meam. Et mox: *Daz uuas uneheni, daz ih andermo teta, daz ih mir ſelbemo ne uuolti*, hoc erat iniquitas, alteri feciſſe, quod mihi fieri nollem.

EBENEN, complanare. Gothis *gaibnjan airthai* eſt æquare ſolo, Luc. XIX. 44. Francis & Alam. *ebonon*, *giebonon* complanare. Gloſſ. Pez. complanat *gieponot*, complanata *giepanotiu*. Ab *eben* planus.

EBENEN, æquare quocunque modo. Sic de filio dicitur apud Otfridum Lib. III. Cap. V. 26. *thaz er ſih Druhtine ebonoti*, quod ſe Domino æquaret. Ab *eben* par. Hodie obſoleſcit.

EBEN-HOLZ. V. *hebenholz*.

EBENTHEUR. V. *abenteur*.

EBER, porcus ſilveſtris. Lat. *aper*, Angloſaxon. *eofor* & *wild bar*, Francis *ebir*, *eber*, & *wild ber*. NOTKER. Pſal. LXXIX. 14. *der eber uzzer uualde*, aper de ſilva. Et mox: *der einluzzo uuilde ber* ſingularis ferus aper. Sic autem dicitur a feritate, ut ex ſynonymis *urbar*, *urſau*, *urkempe*, manifeſtum. Nam *e*, *a*, *eo* ſenſum alterius partis intendunt, ſic ut *eber*, *aper*, & *eofor* ſit porcus ſilveſtris valde ferox, plane ut *atrox* eſt valde *trux*. *Ber* perſe non porcum modo domeſticum, ſed etiam ſilveſtrem denotare, jam ſupra in loco monitum.

ECHT, lex, jus, Dial. Belg. Opinor ab *achten* obſervare, quia Lex eſt juſti injuſtique regula omnibus obſervanda. Inde Belgis *echteloos* illegitimus.

ECHT, matrimonium, ead. Dial. Senſus a lege ad ſtatum legalem, qui matrimonio definitur, translatus. Inde Belgis *echteloos* ſpurius, extra matrimonium genitus.

ECHT, legitimus, *echte kinder* liberi legitimi, *echtgeboren* legitime natus, ex juſtis puta nuptiis. Certe ab *echtig* per apocopen, quod eſt ab *echt* lex, matrimonium. Belgæ inde derivant *echten* pro legitimo declarare.

ECHT, genuinus, probus, verus, idoneus, *echt gold* aurum verum & nativum, *echte ſteine* gemmæ naturales. Francica Antiquitas dixit *echtig*, omnino rectius. Gloſſ. Pez. idoneus *ehtiger*. Ex hoc compoſito intelligimus, quod *echt* ſit abſciſſum ab *echtig*. Dicitur autem de genuinis, quia legitimis ſimilia ſunt.

ECHT, ſubſtantia, poſſeſſio. Angloſaxonibus, Francis & Alamannis magno conſenſu *eht*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *æht* poſſeſſio, *ehte* bona, res, facultates, poſſeſſiones, *on-æhte* inops. Gloſſ. Keron. ſubſtantia *eht*, ſubſtantiæ *ehtin*. Eſt autem ſubſtantia S. BENEDICTO in Reg. res & bona Monaſterii. TATIANUS Cap. XXXV. 4. *furcoufet thas ir in ehti habet*, vendite quæ poſſidetis. Oritur non ab *achten* æſtimare, ſed ab *eigen* habere, poſſidere, verbo omnibus Antiquis uſitato, per medium derivandi T. elemento G. in H. vel CH. tranſeunte. De hoc verbo vide plura in loco. Hodie cum univerſa familia extinctum eſt.

ECKE, acies, cuſpis, mucro cujuscunque rei, etiam ferri. Vox antiquiſſima & Scytho-Celtica, quæ Cambris effertur *awch* apud LFIBNITIUM in Gloſſ. Celt. Angloſaxon. *ecge*, Angl. *edge*, Islandis & Suecis *egg*, *ägg*, apud VEREL. in Ind. Turcis *ug*, Græcis conſono vocabulo *ἀκή*, Latinis *acies*, Latino-Barbaris *aguzo* apud SPELMANNUM. Ab hoc primitivo incredibilis eſt derivatorum in omnibus pene Linguis numerus. Inde

Græcis *ἀκάζω* acuo, *ἐχῖνος* erinaceus.

Latinis *acuo*, *acumen*, *acutus*, *acus*, *aculeus*, *acidus*, *acetum*, *occa*, *echinus*, & *icere* pungere, ferire.

Gothis *ahſa* ſpicæ, quia acuminatæ, Marc. II. 23. *abana* paleæ, Luc. III. 17. *aihwatundja* rubus, a vepribus acutis, Luc. VI. 44.

Anglo-

Angloſaxonibus *æchir*, *egle*, & *eglan* ſpica, ariſta, feſtuca, apud SOMNERUM & BENSONIUM.

Francis *acu* ſecuris, *eichil* ſiliqua, *agena* ariſta, apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 42. *abir* eadem notione, *agaleia* rhamnus, genus rubi, ramos ſpargens aculeis rectis.

Turcis *ekſi* acris, apud CLODIUM in Lex. Turc.

Germanis *æxe* ſecuris, *igel*, *egel* erinaceus, ſanguiſuga, *bechel* inſtrumentum dentatum, *ege*, *egge* occa, *æzen* incidere, *eſſig* acetum, & alia, ſuis quæque locis explicata.

Latino-Barbaris *æcentia* ſenticetum, apud JUNIUM loco cit. pag. 45.

Gallis *aigu* acutus, *eguille* acus, *eguiſer* acuere.

Italis *aguzzare* acuere &c.

Allegorice dicitur (1.) de ſtudio acri. Inde Latinis *acer* & *alacer*, Francis *agaleizo* induſtria, agendi ſedulitas, quod ſæpiſſime occurrit apud OTFRIDUM. (2.) de incitamento ad agendum. Inde Alamannis *ekii* & *egii* diſciplina, quaſi incitabulum, quia acriter hortatur, impellit, & animadvertit, apud KERONEM in Gloſſis, Islandis *eggia* cohortari, *eggiaſt* incitari, Germanis *æzen* incitare.

ECKE, angulus, cuſpis ex concurſu duarum linearum, Græcis ἀγκὼν per epentheſin, Lat. *angulus*, Belgis *hoek*, præpoſito ſpiritu. Inde *drei-eck*, *vier-eck*, & alia indubiæ vetuſtatis & notæ ſignificationis, quamvis ſolis Francis uſitata. Gloſſ. Pez. quadrangulus *feor-ekker*. Gothi angulum vocant *waihſta*, & caput anguli *haubid waihſtins* Marc. XII. 10. quo ſenſu, Gloſſatores ignorant. Mihi videtur componi a ϛία lapis, & *wahs* acutus, quod eo ſenſu occurrit in Rhythmo de S. Annone Stroph. XXI.

Von den mezzerin alſo wahſin
Wurdin ſi geheizzin Sahſin.
A cultris tam acutis
Nominabantur Saxones.

De hac voce vide plura in *waſi*. Angloſaxones angulum vocant *horn*, ob rationes in loco adductas. Præcipuum compoſitum eſt *eckſtein* lapis angularis, novum, ſed idoneum.

ECKELN, averſari. Proprie eſt dolere, vel moleſtiam pati, a Gr. ἀλγέω per metatheſin. SOMNER. in Dict. AS. *eglan* dolere, *eglath* tædet. Hinc Gothis ipſum malum, quo cruciamur, vocatur *aglo*, in Codice Argenteo paſſim. Poſteritas ab *aglo* fecit *eckel*, ſenſu ad eam moleſtiam, quam nauſeantes ſentiunt, reſtricto. Et ſic ab *eckel* nauſea rurſus factum eſt *eckeln* nauſeare, averſari cibum, ſicut a *leid* moleſtia *verleiden* pertæſum reddere. Utrumque ſignificatum ſuum accepit a ſynecdoche generis.

ECKERN, glandes. V. *æckern*.

EDE, avis. Vox Celtica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *edn* avis, ales, *adar* aves, *aderyn* avis, *adar ilwch gwin* vultures, gryphes, *adar y to* paſſeres, *adardy* caſa avium, ornithoboſcium, *adarwr* auceps, *adain* ala, *hedeg* volare. Vox Germanica in plur. habet *edder*, quod Celticum *adar* proxime exprimit. Inde *edder-dunen* plumæ avium, quod vide ſupra in ſimplici. Jutis & Saxonibus aves etiamnum appellari *edder*, teſtis LEIBNITIUS in Gloſſ. Celt. Unde hoc nomen hauſtum ſit, non explicat illuſtris Gloſſator. Mihi videtur acceptum ab ὕδω cano, & primo quidem avem cantillantem, mox omnem avem denotaſſe.

EDEBAR, vel *adebar*, ciconia. Belgis *oyevaar*. Solent enim Belgæ, quod etiam Gothis ſolemne, literam D. in medio vocis ſæpe excludere, & in locum ejus ſurrogare jota. Vide obſervationes ad elementum T. in *Prolog.* Sect. III. Hujus nominis miras & tantum non ridiculas afferunt interpretationes viri etiam doctiſſimi. MARTINIO ſic dicitur quaſi *oudevaer* avus, vetus pater, ſive quia locum priſtinum ſemper occupando, tandem ad ſenium perducitur, ſive quia ſenes parentes admirabili pietate fovet. STILERO quaſi *edel-ar* avis nobilis. Primus avem in priori compoſiti parte deprehendit LEIBNIT. in Gloſſ. Chaucico, ſed in poſteriore parte hæſit vir aliasperſpicaciſſimus, qui noſtro ævo facile principatum tenuit inter Eruditos. At ſi Belgicam vocem vel conſuluiſſet vel conſideraſſet, ſtatim vidiſſet, Germanicam depravaram eſſe ex ſaniori *edefar*, & proprie denotare *avem peregrinatorem*, componique ab *ede* avis, & *faren* (Belgis *vaaren*) proficiſci. Nota ſunt ciconiarum immenſa itinera. Dabo tamen PLINII verba, quia lectu digna, Lib. X. Cap. 23. *Ciconiæ quonam e loco veniant, aut quo ſe referant, incompertum adhuc eſt. E longinquo venire non dubium, eodem quo grues modo, illas hyemis, has æſtatis* ADVENAS. Hodie ſatis compertum, illas a nobis migrare in Orientem & Perſiam uſque, & vere ineunte ad priſtinas ſedes inde reverti.

EDEL, nobilis, nobili genere ortus. Angloſax. *æthel*, *ethel*, Francis *edil*. OTFRIDUS de profapia B. Virginis Lib. I. Cap. III. 51.

Thiu thritta zuahta thanana
Thaz uuarun edil thegana.
Tertia deinde generatio
Erant Domini nobiles.

Idem Alamannis *adel*. Gloſſ. Keron. nobilibus *adelem*. Nam *adel* & *edel* apud veteres non diſtinguuntur, ut hodie, ſed ſubſtantive genus, adjective nobilem & generoſum ſignificant. Id quod ex compoſito *adelſchalk* ſervus nobilis, & nominibus propriis mox explicandis, clariſſimum. Vi vocis eſt generoſus vel patritius, derivaturque ab *atta* pater, ut mihi quidem videtur. Nam nobilitas eſt quædam Majorum claritas ſecundum ARISTOTELEM, & is demum nobilis cenſendus, non qui dives & opulentus, ſed qui claris parentibus ortus eſt. Ejusmodi nobiles quam plurimos fuiſſe

in

in Germania Antiqua, teſtes ſunt locupletiſſimi rerum Germanicarum inter Romanos ſcriptores, apud quos frequens nobilium Germaniæ mentio & elogium. TACITUS Germanos univerſe in *nobiles*, *ingenuos*, *libertos*, & *ſervos* dividit, Cap. XXV. de M. G. Et *Arminius* VELLEJO vocatur *juvenis genere nobilis*, quod Sigimero Gentis Cheruſcorum Principe prognatus ſit, Lib. II. Cap. 118. Hanc veterum nobilitatem in antiquitate & claritudine generis unice conſtitiſſe, jam ſupra in voce *Adel* demonſtravi. Alii tamen omnem priſcorum nobilitatem vel in *latifundiis*, vel in *virtute militari* collocant. Et illis quidem *edel* derivari ſolet ab *od* ſubſtantia, poſſeſſio, vocabulo domeſtico, his vero a peregrino ἀεθλος certator. Verum hæc, quamvis ſpecioſe dicta, naturam primævæ nobilitatis nondum exhauriunt. Latifundia divitem efficiunt, non nobilem. Virtus ad gloriam ducit, non ad nobilitatem, ſaltim primis illis temporibus, de quibus hic agitur. Hoc ut oſtendam, de divitiis primum, & deinceps de virtute agam. Divitias omnibus temporibus præcipuum nobilitatis decus fuiſſe, & divites antiquitus a ſubſtantia nomen accepiſſe, dubio caret, & jam infra in vocula *od* ex omnibus veterum Dialectis eſt demonſtratum. Verum Gothi, quibus *audags* dives & beatus, nobilem vocant *godakunds* Luc. XIX. 12. quaſi bono genere natum, a *goda* bonus, & *kun* genus: Et Angloſaxones *æthel-boren man*, ibid. quaſi natu nobilem, quia ſcil. omnem aut certe præcipuam nobilitatis gloriam in partu & utero, hoc eſt, in naſcendi felicitate collocabant. Id quod etiam vox Francica *edil* exprimit, quæ certe ſemper & ubique nobilem, nunquam divitem ſignificat. Unde fieri non poſſe intelligimus, ut ad radicem *od* referatur. Qui ſecus ſtatuunt, nobilem & divitem confundunt. Virtus vero, cum etiam plebejis adhæreat, fundamentum appellationis eſſe nequit, eoque minus quod TACITUS *nobilitatem* & *virtutem*, & mox *nobilitatem* & *decus bellorum* continuo diſtinguat Cap. VII. & XI. de M. G. Quibus conferri merentur, quæ præclarus auctor de ordine nobilium ab ingenuis & libertis diſtincto Cap. XXV. de principis adoleſcentuli nobilitate Cap. XIII. de rege ex nobilitate ſumpto Cap. VII. de nobili genere MARODODUI & TUDRI Cap. XLIII. de ſtirpe regia apud Batavos Hiſt. IV. Cap. 13. memoriæ prodidit. Nam cætera, quæ de gradibus & æmulatione Comitum commemorat, non ad genus, ſed ad virtutem ſpectant. Ex dictis manifeſtum, Germaniæ nunquam defuiſſe nobiles, eosque nomen antiquitus non a divitiis aut virtute, ſed omnino a natalibus accepiſſe. Sed quæcunque demum fuerit appellandi cauſa, appellativum ſæpe tranſiit in nomen proprium tam virorum quam fœminarum. Inde

ITALUS, nobilis. Rex Cheruſcorum, Arminii ex fratre nepos, apud TACITUM Annal. XI. 16.

ATTALUS, eadem notione. Rex Marcomannorum Gallieni ævo.

ATTILA, eadem forte notione. Nam Hunnos Gothicam linguam coluiſſe, ex PRISCO obſervat clar. MASCOVIUS in excellenti Opere Hiſtoriæ Germ. Lib. IX. §. 23.

EITEL, eadem notione. Nomen celebre in Familia Hohenzollerana, & Suevis etiamnum uſitatum.

ATHALA, Francorum Regis filia, ab Encomiaſte exponitur *nobilis*, in GUNDLINGIANIS XX. pag. 499.

ADELHAIDE, perſona nobilis. HROSWITA de Ottonis M. conjuge: *Cui nomen clarum dictavit ſumma parentum nobilitas, illam digne vocitans* ADELHEIDAM. V. *heit* in PROLEG.

ADELGARD, venter nobilis. V. *Garten* hortus veneris.

ADELGUND, nobilis virago. V. *gund*.

ADELGIS, nobilis geſus. V. *geſus*.

ADELDEGEN, nobilis miles. V. *degen*.

ADALMAN, vir nobilis.

EDILWIG, nobilibus bellator. V. *wig*.

Hæc ſpeciminis gratia ſufficiant, quæ vera peritis in immenſum augeri poſſunt ex Indicibus GOLDASTI.

EDEL, virtute excellens. Utitur hoc ſenſu WILLERAMUS Cap. VI. 5. *Reginæ, daz ſint die edelen ſela*, hæ ſunt animæ nobiles. Id eſt, virtute præſtantes. Ratio interpretationis eſt, quia præter virtutem in anima non eſt nobilitas. Hac ſola cœleſtes animas a vulgaribus diſtinguimus.

EDEL, pretioſus. Senſus a nobilitate generis ad res naturales translatus, præcipue eas quæ naturæ quadam præſtantia reliquas ſui generis antecellunt. Superat eo ſenſu in compoſito *edel geſtein* gemma, lapilli pretioſi, omnino ſic dicti, quod in illis præ cæteris lapidibus naturæ majeſtas conſpicua ſit.

EDEL-GEBOREN, nobili genere natus. Extat in Evang. Angloſax. Luc. XIX. 12. *ſum æthel-boren man ferde on fyrlen land*, homo quidam natu nobilis abiit in regionem longinquam. Sic etiam in Indice VERELII *adlibornes* dicuntur ſummo loco nati, non degeneres, generoſi. Differt ab *odalborin* bona avita & hæreditaria poſſidens, in eodem Indice. Ab *æthel-boren* ſit Angloſaxonibus *æthel-borennyſſe* generoſitas, nobilitas.

EDELING, eſt vox valde obſcura, cum quia neſcimus, quænam vera ejus terminatio ſit, *ing* an *ling*, tum quia duobus modis componi potuit, vel ab *ett* genus, quod Islandis proprium, vel ab *edel* nobilis, quod multis Dialectis commune. Quicquid ſit, ita concepta eſt, ut id omne ſignificare poſſit, quod eam uſus ſignificare voluit, nempe pro varia conditione parentis, tam natu

tu nobilem in genere, quam eum in ſpecie, quiad regium genus ſpectat. Quid enim regio genere nobilius? Confer PROLEGOMENA in *ing* & *ling*.

EDELING, nobilis, generoſus. SOMNER. in Dict. AS. *ætheling* nobilis, *æthelinga ord* nobilium caput. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXIII. 90.

Ni droſtet iuih in thiu thing,
Thaz jagelih iſt ediling.
Ne fiduciam ponite in eo,
Quod quisque veſtrum eſt natu nobilis.

Lex Angliorum & Werinorum Tit. I. 1. *Si quis Adalingum occiderit, DC. ſol. componat.* Hinc porro Longobardis *adelinga* pro claſſe nobilium, apud SPELMANNUM. Nota eſt Saxonicæ Gentis in tres ordines *Edelingos, Frilingos*, & *Laſſos* diviſio. Locum NITHARDI infra produxi in *Laſſi*.

EDELING, puer regius, regis filius, hæres regni. Cambris *edling* & *edlin*, Francis *edeling*, Latino-Barbaris *adelingus* & *edhilingus*. OTFRIDUS in Præf. ad LUDOVICUM Regem Francorum Orientalium verſ. 35.

So is therſelbo Edelinc
Ther heizit auur Ludouuic.
Talis eſt regius ille juvenis
Qui iterum vocatur Ludovicus.

Si omnis generoſus eſt & dicitur *adelingus*, talis quoque erit omnis ad regiam familiam ſpectans, & multo magis filius Regis & hæres regni. Nam REX apud omnes fere Gentes, quæ regibus utuntur, nonſolum eſt apex nobilitatis, ſed etiam nobilitatem ſuam, & una cum illa jus ſuccedendi in poſteros ſuos transmittit. Apud Francos ſane ſucceſſiones in imperio ſemper ex uno genere tamquam ex ſacra ſtirpe procedebant. AGATHIAS Lib. I. *Regnum apud Francos a Patre ſemper ad filium tranſit.* Non, quod regnum Francorum patrimonii inſtar eſſet hæreditarium, aut filii patribus invito populo ſuccederent (ante enim ſcutis impoſiti & elevati regalem dignitatem a plaudente exercitu accipiebant, quam uſurpabant): Sed quod ita ferret mos patrius & antiquus, ut filius patri jure nobilitatis & ob inſignia patrum merita, in regno ſuccederet, nulla prævia electione. TACITUS Cap. VII. de M. G. *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumunt.* Plura huc ſpectantia vide in *adel* nobilitas. Antiquiſſimis temporibus Saxones nullos habuere Reges, ſed Duces tantum. Poſtquam autem & ipſi regibus parere cœperunt, eandem vocem filio & ſucceſſori Regis tanquam propriam dicarunt. SOMNER. loc. cit. *ætheling* regia ſoboles, regni hæres, & futurus ſucceſſor. EDWARDUS Confeſſor in Legibus Cap. 35. *Rex vero Edwardus Edgarum filium eorum ſecum retinuit, & pro ſuo nutrivit; & quia cogitabat hæredem eum facere, nominavit* ADELING. BOXHORN. Cambricam vocem componit ex *ed* & *llin*, ſed nulla partium addita interpretatione. Forte idem voluit dicere quod rex Edwardus, qui nomen effingit ex *adel* & *ling* imago. Nam *llun* Cambrica lingua effigiem denotat. Sed in hac etymologia Boxhornium in ipſo Boxhornio deſideres.

EDELKNAB, ſignificat quantum poteſt, vel puerum nobilem, vel famulum viri nobilis. Hodie utrumque ſenſum complectitur, notatque puerum nobilem e famulitio Regis, Principis, aut Optimatis.

EDEL-KNECHT, miles nobilis. Prior compoſiti pars nobilitatem, altera militarem dignitatem teſtatur. *Knecht* ſæpe ſe ſolo nobilem militem deſignat, quanto magis junctum cum *edel* idem ſignificabit. Hinc ejusmodi nobiles ſæpe diviſim appellantur *edle knechte*, quod nobilitatem eorum magis in lucem collocat. Hujus ſynonymum in Lingua Francorum antiqua eſt *edil-thegan*, quod explicavi in *degen* miles.

EDEL-KNECHT, miniſterialis, miles ignobilis, qui Principi, Duci, aut Comiti, aliisque ſummæ nobilitatis viris pro beneficio ſervit. Tales enim erant miniſteriales, non ſervi quidem proprie dicti (his enim militia lege interdicta erat) ſed feudali nexu ad ſervitia tam aulica quam bellica nobilioribus obſtricti, ut dixi in voce *dienſtmann*, quatenus liberæ conditionis ſervum denotat. Nomen egregie explicat STUMPFIUS in Chronico Helvetico Lib. IV. Cap. 30. his verbis: *er wurde ein* EDELKNECHT *genand, weil er dem adel gedienet.* Nomen ergo habet a nobilitate non ſua, ſed aliena, quia nobilium ſervus erat, & radiis domini coruſcabat, tanquam nobilioris ſervitii homo. Inde eſt, quod miniſteriales ſæpe nobiles appellantur, quamvis ab inſita nobilitate alieni. Vide CL ESTOREM in Commentario de Miniſterialibus pag. 418. & paſſim.

EDEL-KNECHT, ſervus nobilium, ſed vilioris conditionis, quales ſunt equiſones, ſtabularii, pediſſequæ, & alii. Hunc ſenſum uſus hodiernus agnoſcit, dum reliqui obſoleſcunt.

EDEL-LEUTE, nobiles. LEIBNITIUS ſic dictos exiſtimat, quaſi *odal-lüde* homines proprietarios, ab *ode* proprietas, vocabulo Scandico, quod *nobiles*, ut ſcribit, *in ſuo nativo ſenſu nihil ante tempora* KAROLI M. *aliud quid erant, quam proprietarii terræ, vel provinciæ inhabitatores, atque ideo præcipui & ſummi: ex quibus proinde Comites, Duces, Gravii, id eſt, Judices eligebantur*, Quod ibidem ex hodiernis antiquæ Gentis Friſicæ inſtitutis illuſtrare conatur. *In ea enim*, inquit, *cum coemta qualibet proprietate fundi, coemitur quaſi & transfertur in poſſeſſorem ſeu emtorem jus quodlibet Provinciæ, ſitque talis ex Ordinibus unus, item nobilis (ex terræ illius ratione) & quorumlibet honorum capax.* In Excerptis Mejerianis pag. 289. Rem aliis examinandam permittimus. Quid nobis videatur, jam in vocibus

bus *adel* & *edel* expoſuimus. Latino-Barbari nobiles vocant *Etillidos* & *Etlidos*, quæ nomina, etiamſi apud Gloſſographos inſtra quærantur, farragini tamen meæ inſerta reperio, oblitus circumſtantiarum, unde illa hauſerim. Prior vox eſt illa ipſa, de qua nunc agimus. Poſterior videtur originem referre ad *ætt* genus, proſapia, quod extat eo ſenſu apud VEREL. in Indice.

EDELMANN, nobilis. Compoſitum novum; ſed legitimum. Scandicum *odalman* ſono convenit, non ſignificatu. Ille avito genere ortum, hic fundi aviti poſſeſſorem ſignificat. Plerique tamen ſono vocis capti unum cum altero confundunt. Sed meminiſſe debemus, quod ex ſono ſolo male judicium feratur de vocibus. Quid voci Germanicæ *edel-leüte* magis conſonum, quam Scandica *otalhlydinn* apud VEREL. Et nihilominus tanta eſt inter eas differentia, ut nullo pacto ad eandem ideam reduci poſſint. Illa enim nobiles, hæc ſermonibus aliorum non attendens declaratur.

EDEL-SCHALK. V. *adelſchalk*.

EE, lex, jus, conjugium &c. V. *ehe*.

EGE, *egge*, inſtrumentum dentatum quo terra conteritur. Vox Celtica, quæ Græcis effertur ἐξύα, Lat. *occa*, Cambris *og*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *og* occa, crates. Hæc appellatio videtur a dentibus inſtrumenti deſumpta, adeoque ab *ecke* cuſpis, mucro.

EGE, inſtrumentum triturandi. Armorici tribulam vocant *oguet*, teſte BOXHORNIO loco citato. Nec immerito, quia tribula vetus erat occæ ſimilis, totaque dentata. SERVIUS ad Georg. I. 164. *Tribula genus vehiculi omni parte dentatum, unde teruntur frumenta*. De hoc veterum triturandi modo agit V. D. SCHOETTGENIUS in *Antiquitatibus Trituræ*, ubi tribulam verbis auctorum veterum deſcribit, quod ſit *vehiculum ſine rotis, cujus infima tabula ferreis clavis erat aſperata, vel etiam lapidibus, qui ſubtus tabulæ infigebantur; quod ſi a jumentis per frumenta trahebatur, illa comminuebat*.

EGEL, hirudo. V. *igel*.

EGEN, *eggen*, terram occa conterere & complanare, Lat. *occare*, Armor. *oguedi* apud PEZRON. in Antiq. Celt. pag. 404. Angloſaxon. *egean*, Franc. *egen*. Gloſſ. Pez. æquaverit *giegit*. Gloſſ. Ælf. occatio *eggung*.

EHE, pro *prius*, absque nota comparativi eſt vox vitiata, & genio Linguæ contraria. Rectius dicitur *eher*, quamvis etiam hoc vitioſum ſit, ob literam H. in medio. Omnes antiqui habent *er*, quod nimia contractione laborat. Nam proprie eſt *éer*, & comparativus a poſitivo *a*. vel *e*. quo perpetuus temporis fluxus denotatur.

EHE, *ee*, *e*, lex, jus, fas. SOMNER. in Dict. AS. *æ* lex, *Criſtes æ* evangelium, *æ bec* codices juris, *æ-cræftig* legis peritus. Gloſſ. Boxh. *euua* jus, *euua* ſcitum. Gloſſ. Keron. lex *euua*, lege *euu*, e lege *er euu*, facerdos *euuart*. Gloſſ. Lipſ. *euua* lex, *euvenlari* legislatorem. Lex Sal. Tit. XXXI. 2. 4. *lando-eſa* lex patria. Vox Saxonica nimia laborat brevitate. Melius Franci & Alamanni legem vocant *euua*. Oritur enim manifeſto ab *a*, *e*, *dei*, ſemper, per medium derivandi W. & proprie ſignificat *conſuetudinem antiquam, ſemperque obſervatam*, poſtea vero *legem*, quia mos ab antiquo receptus accipit effectum juris. Diſerte PROLOGUS Legis Salicæ: *Unaquæque Gens propriam ſibi ex conſuetudine elegit Legem. Longa enim conſuetudo pro Lege habetur*. Et mox: *Conſuetudo autem eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro Lege ſuſcipitur*. Hodie *é* pro lege occurrit in compoſito *éhaften* legitima impedimenta. Litera H. in medio vocis *ehe* plane ſuperflua eſt, & a novatoribus intruſa. Interim ab *ew* vel *euu* nomen ducit EURICUS, qui & EVARICUS apud Gregorium Turonenſem dicitur, Rex Gothorum in Gallia & Hiſpania. Quod certe *lege pollentem* ſignificat, ſicut optime obſervavit GROTIUS in Indice. Hoc nomen habuit omen. Nam quod futurus erat opere, jam ejus præſignatum eſt nomine. Primus enim Leges Wiſi-Gothis ſcriptas dedit, quas hodienum legimus in Codice Legum Antiquarum LINDENBROGII.

EHE, *ee*, *e*, dicitur per ſynecdochen generis (1.) de religione, quia religio Chriſtiana eſt lex Chriſti, (2.) de fide & fidelitate, quia fides data eum, qui dedit, obligat inſtar legis. (3.) de fœdere & pacto, quia ſponſiones ſunt leges, quas paciſcentes ſibi mutuo præſcribunt. (4.) de matrimonio, quia conjugium eſt ſtatus legalis & fœderalis.

EHE, *ee*, *e*, religio. Inde Angloſaxonibus *æwfeſt*, *æwfull* pius, religioſus, & Alamannis recentioribus, quos in ſcenam produxit GOLDASTUS in Parænet. p. 367. *kriſten-é* Chriſtiana religio.

EHE, *ee*, *e*, fides, fidelitas. TURPINUS Archiepiſcopus apud GOLDASTUM loc. cit.

Uſ min ampt und uf min é.

Et de CAROLO M. narratur ibidem:

Der hies gebieten bi der é.

Quæ vocis acceptio hodie extincta. Utinam re ſalva. Nam de ſæculo noſtro merito conquerimur, quod nonſolum veterum vocabulorum, ſed etiam antiquæ fidei expers ſit.

EHE, *ee*, *e*, fœdus, pactum. Gloſſ. Keron. teſtamentum *euua*, teſtamenti veteris novique *dera altun euua joh dero niuun*. Id eſt, veteris & novi fœderis. Plura exempla ſubminiſtrabit GOLDASTUS loco cit.

EHE, *ee*, *e*, matrimonium. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *æw* matrimonium, conjugium, *æw-brecca* adulter, *æw-bryce* adulterium. Dicitur de legitima & illegitima maris & fœminæ conjunctione. Inde *unehe* concubinatus, in Chron. Konigshov. pag. 75. in quo compoſito *un* non negat conjunctionem, ſed vitium ejus indicat. Hinc in quibus-

dam

dam Germaniæ Dialectis concubinatus dicitur *wilde ehe*, h. e. conjugium vagum. Compoſita vide deinceps.

EHBRECHER, prævaricator legis. Ab *e* lex, & *brechen* violare. Vocem produxit DIECMANNUS in ſpec. Gloſſ. pag. 22. *In libro MS. precum Saxon. quo Moniales Benedictinæ in Novo Cœnobio haut procul Buxtehuda uſæ ſunt fol. 8. a. non ſpeciatim, ut hodie, adulter, ſed generatim quivis legis transgreſſor* EEBREKER *audit.* PLAUTUS quoque *legirupam* vocat eum, qui leges violat.

EHBRECHER, mœchus, adulter, violator matrimonii. Ab *e* matrimonium ſeu pactum nuptiale. Gothi nullum habent vocabulum huic prævaricatori proprium, ſed mœchos vocant *horos*, id eſt, ſcortatores, Luc. XVIII. 11. & mœchari *horinon*, i. e. ſcortari, Marc. X. 19. Angloſaxones habent quidem vocem *æw-brecca*, quæ mœchum ſatis apte exprimit; Sed hanc vocem recentiorem eſſe, & priſcis illis, quorum probitas tantopere laudatur, ignotam, ex ignoratione ipſius rei colligitur.

EHBRUCH, adulterium, infractio juris & fidei conjugalis. Angloſaxones eodem ſenſu dicunt *æw-bryce* apud SOMNER. & BENSON. Quod confirmat THOMAS MARESCHALLUS ex legibus CANUTI R. in Obſervationibus ad Verſ. Goth. pag. 533. Vox in corruptela ſequioris ævi nata. Nam primis Germaniæ temporibus adulterio non erat nomen in foro, cum quod rara eſſent in Gente caſtiſſima adulteria, tum quod accuſator deeſſet. Utrumque teſtatur TACITUS Cap. 19. de M. G. *Pauciſſima in tam numeroſa gente adulteria, quorum pœna præſens & maritis permiſſa. Acciſis crinibus nudatam coram propinquis expellit domo maritus, ac per omnem vicum verbere agit. Publicatæ enim pudicitiæ nulla venia. Non forma, non ætate, non opibus maritum invenit. Nemo enim illic vitia ridet, nec corrumpere & corrumpi Sæculum vocatur.* Ejusque rei veſtigium manſit in vetuſtiſſimis Dialectis, quæ adulterium cum publicata pudicitia ſeu ſcortatione uno vocabulo confundunt. Sic Gothis adulterium dicitur *kalkinaſſus*, a *kalkje* meretrix, Marc. VII. 21. Angloſaxonibus *for-legneſſe* Matth. V. 32. qua voce nihil aliud quam vitium in cubando denotari, infra oſtendi in *Forlegani*. Item *unriht hæmed* quaſi injuſtus hymenæus, quod de fornicatione & adulterio dicitur.

EHGATTEN, conjuges. Proprie ſocii conjugales. Vide *gatten* conjungere.

EHAFT, legitimus, legalis. Ab *é* lex, jus, fas, & terminatione *haft*, quæ ſæpe prædictum eare, cui annectitur, ſignificat, ut oſtendi in PROLEG. Sect. VI. Vocem ante ducentos annos adhuc uſitatam ſiſtit DIECMANNUS ex quodam MS. in Spec. Gloſſ. pag. 22. Inde *ehafte urſache* cauſa ſontica, *ehafte not* neceſſitas urgens, cujusmodi in Jure Prov. Alam. Cap. 389. recenſentur quatuor, captivitas, morbus, iter religionis cauſa ſuſceptum, & ſervitia domino præſtanda. Quibus addi poteſt paupertas. Nam huc videtur ſpectare Lex Cap. 347. 1. *Verkauffet ain man ſin kint durch ehaft not, daz thut er uuol mit reht.* Vertit Cl. SCHERZIUS: Si quis ex cauſa ſontica liberos ſuos vendit, hoc jure facit.

EHAFTEN, legitima impedimenta. Ab *haft* detentio, & *e* lex. Recte PALTHENIUS ad Tatian. pag. 323. *Ehaft adjective & ſubſtantive uſurpatur. Priori ſenſu idem eſt quod legalis ſive legitimus, poſteriori quod cauſa ſive excuſatio legitima.* Quod a DIECMANNO fruſtra impugnatur in Gloſſario, ubi ſubſtantivum cum adjectivo confundit. Dicitur de omnibus neceſſitatibus, & omnibus cauſis ſonticis, quibus libertas agendi naturalis impeditur & reſtringitur. Nam hæc omnia habent vim legis, & hominem non ſinunt eſſe liberum. Hinc etiam religio in Gloſſ. R. Mauri exponitur *ehaftida*, quia ſtatus monaſticus haud dubie eſt vinculum legis, & legitima detentio. Plura impedimentorum genera vidimus paulo ante in *ehaft*. Unde ſimul antiquitas vocis comprobatur. Vulgo ſcribitur *ehehaften*. Sed noſtram Scripturam contra rabulas defendit SCHERZERUS in Syſt. Theol. p. 757.

EHALTEN, famulitium ex ſervis & ancillis compoſitum. Proprie *fideles*, qui patrifamilias obſequia præſtant. Ab *e* fides, fidelitas, & *halten* ſervare. Nimirum nonſolum regna & imperia, ſed etiam domus privatæ ſuos habent *fideles*. Vox Suevis & Francis nobis hodie uſitata.

EHALTIG, legitimus, vel potius legis & fidei obſervans. Vetus Francicum. Gloſſ. Boxh. *ehaltic* legitimum.

EHLICH, legitimus, legalis. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *ælice* legalis, *tyn ælican word* decalogus, quaſi decem legalia verba. Jus Prov. Alam. Cap. 75. *wie die Rihter elichiu dink gebieten ſulen*, quomodo Judices legitima judicia convocare debeant. Hodie non amplius occurrit.

EHLICH, conjugalis, *eliche pfficht* debitum conjugale, *eliche kinder* liberi ex legitimo matrimonio nati. Refer ad *e* conjugium.

EHLOS, exlex. Hoc eſt, ob maleficia legum beneficiis privatus. Ab *e* lex. Hoc ſenſu *eloz* occurrit in Jure prov. Alam. Cap. 59. & conjungitur cum ſynonymo *rechtlos*, quod vide.

EHLOS, cœlebs. Ab *e* conjugium, & *los* liber. Infamiam non habet ut antecedens.

EHSTAND, conjugium, ſocietas conjugalis. Proprie ſtatus viri & fœminæ matrimonialis, vel etiam legalis & fœderalis. Hodie non ſemper adhibemus compoſitum, ſed ſæpe utimur ſolitario *ehe*, pro ſtatu & fœdere conjugali.

EHER, prior & prius. V. *er*.

EHREN. V. eren.

EI, terminatio. V. PROLEG. Sect. VI.

EI, interjectio hortantis & blandientis. Perſis *ei*. Lat. *enge, eja*.

EI, interj. admirantis, Lat. *o, hui*.

EI, interj. dolentis, Lat. *au, heu, eheu*, Græc. αὖ τάλαν ὦ te miſerum.

EIA, utinam, interj. optantis. Græc. εἴ Dorice αἰ.

EIBE, ſpecies avis clamoſæ apud Suevos in Algovia. Nomen videtur a clamore e Celtica Lingua petitum. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *ubaim, uban* clamare, ejulare. VEREL. in Ind. *opa* clamare, *op* clamor. Quibus convenit Græc. ἰβύω clamo. HESYCHIUS: ἰβύσι, τύπτει, βοᾷ.

EIBE, arcus, baliſta, apud eosdem. Ab ἰβύω, quatenus idem quod τυπτέω ferio.

EIBEN-BAUM, taxus. Boxhorn. in Lex. Ant. Brit *yw* taxus, ſimilax. Arm. *iwinen*. Gloſſæ Ælf. in nominibus arborum: taxus *iw*. Eadem arbor Gallis *if*. Quæ certe ſunt abſciſſa ab aliquo compoſitorum, ſive noſtro *eiben-baum*, ſive Belgico *ieven-boom*, ſive Anglico *yew-tree*, quæ proprie arborem ad arcus idoneam ſignificant. SKINNERUS in voce *yew*: *Ante tormentorum inventum ex hoc ligno majores noſtri laudatiſſimos arcus confecerunt: quorum uſu vicinis gentibus longe præcelluerunt, & ingentem hoſtium ſtragem ſumma cum gloria ſæpe ediderunt; ideoque ſingulis in cœmiteriis plantari curarunt; quæ ubique in hodiernum diem perennant*. Ergo ab *eibe* arcus, & *baum* lignum, arbor. Quomodo etiam Latinis *taxus* dicitur, quod τοξεύω, i.e. arcus inde fierent. Domeſticam Germanis arborem & venenatam eſſe, innuit CÆSAR Lib. VI. de B. G. Cap. 31. *Cativulcus Rex Eburonum, taxo, cujus magna in Gallia Germaniaque copia eſt, ſe exanimavit*. Hinc quidam nomen ligni deflexit ab ἴσχω noceo. Sed SKINNERUS, quem modo excitavi, nullum in hoc ligno venenum agnoſcit. Verba: *Certe umbra nocere, licet etium graviſſimi Authores credant, nos tamen Angli, quibus arbor hæc frequentiſſima eſt, crebris experimentis edocti, pernegamus; Pueri enim noſtri ſæpe ſub ejus umbra impune dormiunt & fructum ſine noxa eſitant*.

EICHE, quercus, arbor glandifera. Angloſaxon. *ac, æc*, Franc. *eih, eich*, Angl. *oake*, Belg. *eike*, Suec. *eek*. Gloſſ. Ælf. in nom. arbor. quercus vel ilex *ac*, robur *jung ac*, glans *æcern*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *æc* quercus, robur, *æcen* quernus, roboreus. Gloſſ. Pez. quercus *eih*. Credo quercum antiquitus dictam eſſe *eichbaum*, quaſi *arborem venerabilem* a verbo Gothico *ogan*, quod in Codice Argent. plus quam decies occurrit pro timere, metuere, vereri. Conſtat autem verba timendi in omnibus linguis nonſolum de formidine mali, ſed etiam de veneratione & reverentia uſurpari. GELLIUS Lib. XV. N. A. Cap. 13. *Malunt metui, quam vereri ſe a ſuis*. Et hinc eſſe puto, quod voces Græcorum ἄγη terror, admiratio, ἄγος veneratio, & ἅγιος ſanctus, verendus, ſicut inter ſe, ita etiam cum voce Germanica *eiche* ſint cognatæ, etiamſi Græci verbum Gothicum *ogan*, quod omnium radix eſt, non agnoſcant. Ratio nomenclaturæ eſt, quia quercus apud omnes & antiquiſſimas gentes fuit arbor metu ſacra, inviolabilis, & ſecuri non ferienda. Druidis, Gallorum Philoſophis, nihil hac arbore ſacratius, nihil ad commorandum gratius fuiſſe, adeo ut inde etiam *Druidæ* appellari voluerint, auctor eſt PLINIUS Lib. XVI. Cap. ult. Hoc illos ab Abrahamo didiciſſe, exiſtimat nuperus *Religionis Antiquo-Gallicæ* interpres Lib. II. Cap. 6. Sed hoc æquo longius petitum eſt. Nam hujus tam antiquæ admirationis & venerationis cauſæ poterant occurrere in ipſa arbore ſat multæ: majeſtas & magnitudo immanis: umbra contra ardores ſolis: fructus, primus hominum ante fruges inventas cibus: & incredibilis longævitas. Scribit enim PLINIUS, teſtis oculatus, de quercubus Germaniæ Lib. XVI. Cap. 2. *in eadem Septentrionali plaga Hercyniæ ſylvæ roborum vaſtitas intacta ævis, & congenita mundi, prope immortali ſorte miracula excedit*. Conſtat etiam quercum Mamre; Abrahami commorationenobilitatam, adhuc ævo Conſtantini M. ſuperfuiſſe, quod ex EUSEBIO aliisque fuſe probat laudatus Auctor. Hæc & ſimilia nonſolum Druides, ſed Abrahamum ipſum movere poterant, ut quercum præ cæteris arboribus eligeret.

EICHEL, glans, fructus ilicis, & inde nomen ab *eiche* ilex. Vocem antiquiſſimam eſſe, etiamſi monumenta nos deſtituant, vel hinc colligitur, quia glans Græcis eodem plane ſono vocatur ἀκυλος. Dicitur & *agla* Latino-Barbaris. Gloſſæ ISIDORI: *agiæ* glandolæ. Ubi legendum *aglæ*, monente SCHILTERO in Gloſſ. Teut. pag. 17. Quod miror GRÆVIUM non animadvertiſſe. Si primus hominum cibus fuit glans, conveniet quoque Hebræum *achel* cibus, unde Judæis hodiernis *acheln* comedere.

EICHEL, ſiliqua, putamen frugum. Gloſſ. R. Mauri: de ſiliquis *ſona eichlom*. Angloſaxonibus *eglan* eſt feſtuca apud BENSON. carduus apud SOMNER. Utrumque in cuſpidem definit. Et tales etiam ſunt ſiliquæ, cibus lignoſus & aculeatus. Vide ergo, annon nomen omnibus commune ſit ab *ecke* acies, cuſpis, mucro? Gothi certe ſiliquas vocant *haurne*, Luc. XV. 16. & Græci κεράτια. Unde, niſi quia ſiliquæ ſunt cibus corneus, & ipſa ſimilitudine cuſpides & acumina cornuum referunt? Hinc non poſſum aſſentiri Cel. DIECMANNO, qui Rabanum glandes in animo habuiſſe putat, in Spec. Gloſſ. pag. 116. Hodie non amplius occurrit.

EICHEL-STEIN, monumentum Druſi Moguntinum, quod ſic creditur appellari a Lat. *aquila*, unde etiam Gallis & Anglis *aigle, eagle* pro aquila. Vide Gloſſarium Schilterianum pag. 17.

EICHEN,

EICHEN, menſurare dolia. Proprie eſt aqua metiri, ab *ach* aqua.

EICH-HORN, ſciurus. Gloſſ. Ælf. ſcirra, aquilinus, ſciurus *acwern.* JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 381. vocem Angloſaxonicam componit ex *ac* quercus & *cwyrn* mola : non quod beſtiola illa ſit quædam ſine ſenſu machina, ut quidam recentiores fabulantur; ſed quod vitam degat inter quercus, & fructus earum inſtar molæ dentibus ſuis frangat comminuatque. Vox Latina eſt a Gr. σκίουρος, ex qua ſibilo detracto lucet quaſi per tranſennam antiquo-Germanica *kwir*, quæ videtur a Græcis, literam *w.* nec habentibus, nec pronunciare potentibus, mutata in κίωρ, literis paulo transpoſitis, & deinceps in σκίωρος, unde porro prodiit in variis linguis *ſcirra, ſcira, ſquirius, ſquirrell, eſcurieus, ſchirivolo, eſquilo,* JUNIO memorata. De mola vide plura in *quern.*

EID, fas, jus. Ab Angloſaxonico æ lex, per medium derivandi *D.* Senſus vocis primus, ſed pene deletus, paucis exceptis, partim reſiduis, partim extinctis, qualia ſunt,

eidſtab, ſententia, decretum. NOTKER. Pſal. CXL. *an dem ſuono tage iſt aller der eidſtab umbe opera miſericordiæ*, in die judicii erit omnis ſententia circa opera miſericordiæ. Vocem primus obſervavit SCHILTERUS in Gloſſ. ſed non ſatis explicuit. Ipſe NOTKER. *ſententiam* interpretatur, ſed proprie eſt *ſententia juris*, componiturque ab *eid* jus, & *ſtab* judicium, ſententia, decretum, quod eſt a *ſtaben* judicare.

adel, legitimus. Ab *eid* jus. Unde *adel-erbe* hæreditas legitima, quod vide.

eid-ſchwur, jusjurandum, de quo paulo poſt.

Denique & hoc obſervandum, quod hæc juris nomenclatura a lege petita, ſapienter omnino inſtitura ſit a majoribus noſtris. Quid enim eſt jus, niſi id, quod legi vel naturali vel civili conforme eſt?

EID, juramentum. Gothis *aith* Marc. VI. 26. Angloſaxon. *ath*, ibid. Franc. & Alam. *eid*, Scand. *ed* & *eidur*, Belg. *eed*, Angl. *oath*, Latino-Barbaris *atha* apud Cangium. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XVIII. 30.

Mit eidu iz deta feſti,
Thaz er then man ni uueſti.
Juramento firmabat,
Se hominem non noſſe.

Hebræis *eed* eſt teſtimonium, *ud* teſtatus eſt. Hoc ſecundum HELVIGIUM & MARTINIUM eſt verum Germ. vocis etymon. Alii tamen aliter ſtatuunt. Græcis ἀραὶ ſunt Diræ, quibus cum ſe devovere quondam cogebantur jurantes, hinc JUNIUS *eid* execrationem interpretatur. Hunc STIERNHIELMIUS ita corrigit, ut vocem potius ab *ee* jus, lex, deducat. Sed quo pacto ex jure fiat juramentum, nec ego intelligo, nec ipſe fortaſſe intellexit. Si vir celeberrimus omnes ſignificatus τῶ ee perſpectos habuiſſet, ſtatim vidiſſet, *eid* rectius deflecti ab *ee* religio. Quid enim eſt juramentum, niſi religioſa affirmatio? Apud majores noſtros, quamvis adhuc falſorum numinum cultores, ſummam ſemper fuiſſe juramenti religionem, fide Annalium conſtat. Cimbros datis induciis æneum taurum juraſſe, ſcribit PLUTARCHUS in Mario. Reliquos in cauſis tam publicis quam privatis per arma juraſſe, demonſtravi in *ſchwert* gladius. Denique non in judiciis tantum, ſed etiam extra judicia locum juramentis fuiſſe in devotionibus & conjurationibus, recte colligas ex TACITO de M. G. Cap. XXXI. & Hiſt. Lib. IV. 15. Sequuntur Compoſita.

eidbuſſ, juramentum. Vox Francica. TATIANUS Cap. IV. 15. *eidbuſſi thie her ſuor zi Abrahame*, juramentum quod juravit Abrahæ. Quo ſenſu, non convenit inter eruditos. JUNIUS in notis (ut ferunt) manuſcriptis ad hunc locum legit *burti*, ſed nec illud explicat. SCHILTERUS refert ad *buaz* emendatio, tanquam ſit juramentum purgatorium, cujusmodi Deo tribui non poteſt. PALTHENIUS celebris Tatiani commentator, vocem in medio relinquit. Mihi videtur ſatis diſtincte juramentum obligatorium denotare, & componi ab *eid* juramentum & *buſt* vinculum, ligamen, de quo ſignificatu ejusque origine egi in *baſt*.

abt-eid, juramentum quod dimicaturi ſibi mutuo præſtabant, antequam manus conſererent. Vox Bojoarica, quam vide in *acht* vindicta privata.

naſt-aid, juramentum mulieris per pectus ſuum. Vox Alamannica, quam vide in N.

ath-ſtaf, juramentum. Vox Angloſaxonica apud SOMNERUM & BENSONIUM, quam explicavi in *ſtab* literæ.

cörperlich eid, ſive *juramentum corporale* ſcriptoribus medii Ævi dicitur id, quod tacto quocunque corpore ſacro, ara, cruce, Evangelio, reliquiis Sanctorum, aliisque rebus, vel revera vel opinione ſacris, præſtatur. Opponitur juramento *Sacerdotali*, quod nulla interpoſita re ſacra, ſed ſimpliciter tantum ſtipulatione *per verbum veritatis & ſacerdotium* fiebat. De qua re videndus CANGIUS in voce. Hodie ni fallor *cörperlich eid* dicitur, quod quis per ſe, non per alium præſtat.

leiblich eid, eadem notione.

EID, juramentum fidelitatis. Dictio ſynecdochica, qua genus ponitur pro ſpecie. Gloſſ. Pez. ſacramentum *eid.* Præcipuum compoſitum eſt *knecht-eid* juramentum militare, a *knecht* miles. Gloſſ. Pez. ſacramentis militaribus eſt implicatus *in chenehto eide uuard pivangan.* Idque juramentum Germaniæ antiquæ haud ignotum fuiſſe, videtur teſtari TACITUS de M. G. Cap. XIV. *Principem defendere, tueri, ſua quoque fortia*

tia facta gloriæ ejus adſignare, præcipuum ſacramentum eſt.

EID, jurator. Francis *eido*. Verbale ab *eiden* jurare. Hinc conjuratores, qui ſcil. more apud veteres recepto ſimul jurabant cum reo, Francis vocabantur *gieidon*, & Latino-Barbaris *Hamedii*, ab ἅμα ſimul. Gloſſæ Helmſtadienſes apud ECCARDUM in notis ad Leg. Sal. pag. 94. HAMEDII, *id ſunt conjuratores, quos nos* GEIDON *dicimus*. Id eſt, *geeidon*. Nam *ge* eſt nota collectivi. Et huc etiam ſpectat ex Lege Salica Tit. LXXVI. 1. *widredo* conjurator, iterator juramenti.

EIDAM, gener, filiæ maritus. Gloſſ. Ælf. ſocer *fweor*, gener *athum*. Gloſſ. Pez. generum *eidum*. Veroſimile eſt, hanc vocem altera ſui parte eſſe mutatam. Nam quæ ab initio recte impoſita ſunt, non manent cuncta, ſed ſæpe patiuntur corruptionem in ore vulgi. Id quod præcipue accidit in vocibus valde antiquis, & quæ ſæpius proferendæ ſunt, e quarum numero hanc eſſe, manifeſtum eſt. His, ut par eſt, ſuppoſitis, optimus divinator erit optimus interpres. Optima autem divinatio eſt illa, quam proponit cel. STADENIUS his verbis: Obſervandum, inquit, quod antiquitus ſponſalia juramentis firmata ſint, quod inter alia patet ex præcellenti quodam Codice manuſcripto Imp. MAXIMILIANI I. cujus LAMBECIUS in Commentar. de Bibl. Cæſ. Vindobon. Lib. II. Cap. V. pag. 388. mentionem facit, ubi rhythmi de hoc argumento ita ſonant:

Dem Chunige Pippine
Wart ein Vrowe geſworn,
Der eit wart alſo verlorn,
Daz ſi im verwechſelt wart. &c.

Hinc deſponſatus vel futurus gener appellatur *eydam*, ſive ut D. GEIERUS ſæpe ſcribit *eydman*, quorum illud facilius pronunciatur. Inde *hingeſchworne* eſt virgo deſponſata, fiduciata, & viro cum juramento promiſſa, & teſtatur FREHERUS, quod in patria ſua *ein hinſchweren* idem ſit quod fœdus conjugale, & *firmata tabula* in Lege Lombarda dicitur. Hæc ille in Voc. Bibl. pag. 169. Sic & apud CANGIUM in Gloſſario JURATA dicitur puella interpoſito ſacramento pacta aut deſponſa. Quem ritum maxime viguiſſe inter impuberes, ex loco ab illuſtri auctore adducto patet. Hactenus gener recte dicitur *eid-man*, h. e. vir juratus, quia reciproce deſponſatus. Sed nihil obſtat, quo minus etiam ſic appelletur, tam a juramento ſuo, de fide conjugi ſervanda, quam a juramento ſponſæ. Nam moribus antiquis puellæ Germanorum ſe uni viro devovebant, teſte TACITO de M. G. Cap. XIX. *Tantum virgines nubunt, & cum ſpe votoque uxoris ſemel transigitur.* Quæ verba videntur indicare, ſponſam Deos conjugales juraſſe, ſe alteri viro nubere non velle, poſt obitum prioris. Quæ res mari-

to idem nomen apud parentes conciliare potuit.

EIDEN, jurare. Gloſſ. Pez. adjura *gieitte*, adjuravit *gieitta*. A ſubſt. *eid* juramentum, non vice verſa. Ab *eiden* rurſus fit *eid* jurator, quod vide.

EIDEXE, lacerta. Angloſax. *athexe*, apud SOMNER. & BENSONIUM. Francis *edehſa* & *egidehſa* in Gloſſis Pezianis, Belgis *egdiſſe* & *haagdiſſe*. Id eſt, ni fallor, reptile oviparum, ab *ey*, *eg*, *egi* ovum, tot enim modis effertur in Dialectis, & *tygen* parere, gignere, procreare, quod hodie cuſtodiunt Saxones inferiores. Græci haud diſſimili vocabulo omnia ovipara vocant ᾠοῤῥάκα, ab ᾠὸν ovum, & τεκεῖν parere.

EID-SCHWUR, jusjurandum. Vox Saxonica. SOMNERUS in Dict. AS. *ath-fwara*, *athſwaring* juramentum, *ath-ſware-pytt* Beersheba, puteus juramenti Gen. XXI. 31. Francis & Alamannis magis probatur *eidswart*. Illud eſt verbale, hoc derivativum a *ſchweren*. Utrumque ab *eid* jus. Gloſſ. R. Mauri: jusjurandum *eidſuart*. Gloſſ. Keron. jurejurando *rehteru eidſuuardiu*. Gloſſ. Pez. conjurationes *eidſuuarti*. Ubi conjurationes non ſunt conſpirationes in caput alterius, ſed juramenta priſco more tertia manu, quarta, decima, centeſima præſtita. De qua conjurandi conſuetudine prolixe agit CANGIUS in voce *Juramentum*. Dicitur etiam *aaſuoren eed* apud CANGIUM in Gloſſario, & WORMIUM in Monum. Dan. pag. 82. & 84. nec non *giſuornan eid* in Gloſſis Pezianis, i. e. jus juratum.

EIFEL, ſyncopatum ex *infel*, quod vide.

EIFERN, & per pleonaſmum *nacheiſern*, æmulari, contendere virtutis cauſa, ſive ex invidia, ſive gloriæ cupiditate. Proprie eſt imitari. Id enim faciunt æmuli, ut ſtudia & opera ſua invicem imitentur. Et Latinis quoque æmulari eſt aliena imitari, & æmulus ejusdem rei ſectator & imitator. Oritur ab adverb. ſimilitudinis *aber* ſecundum, & in nulla re differt ab *æfern* imitari, niſi quod illo uſitatius ſit. Inde *nach-eiferung* æmulatio, eo quo dixi ſenſu.

EIFERN, inflammari ad aliquid agendum, odio vel amore, *eifer* fervor in agendo, ſtudium ardens, impetus ad religionem, zelus bonus vel malus, *eifrig* flagranter, ardenter, & adjective fervidus, vehemens, devotus. MARTINIUS in voce *Zelus:* Germanis *eifer* ſonat *ein feuer:* Zelus eſt velut ignis, ardens affectus. Alius fortaſſe duceret a Lat. *effervere*. Quamvis nec hoc neceſſarium ſit. Nam *vehemens* in Evang. Goth. dicitur *abrs*, Luc. XV. 14. & in Indice VERELII *avar* eſt adverb. intendendi, ſignificans *valde*, *admodum*, *ſummopere*. Hinc *eifer* poteſt eſſe omnis animi affectus gravior & modum excedens, & *eifern* tali affectu flagrare.

EIFERN, inflammari iracundia, *eifer* ardor iræ, excandeſcentia. VEREL. in Ind. *æſa* efferveſcere, *æfr* excandeſcens. Hebræis

abbar

abhar eſt excanduit, *abhrah* furor, indignatio. Francis *eiueri* eſt amarus, acerbus, ut patet ex allegatis apud SCHILTERUM in Gloſſ. pag. 262.

EIFERN, inflammari zelotypia, *eifer-ſucht* rivalitas, affectus antizeliæ. Verbum ipſum cum quibusdam compoſitis extat Num. V. 14. 15.

EIGEN, habere, tenere, poſſidere. Gloſſ. Keron. habet *eigit*, habent *eigun*. Idem Gothis *aigan*, Angloſax. *agan*, Suecis *æga*. Quibus conſentit Gr. ἔχειν. Hodie non amplius auditur. Viget tamen adhuc in poſteritate.

EIGEN, verbale ab *eigen*, duobus modis dicitur, *adjective* & *ſubſtantive*. Utrumque a notione habendi vel poſſidendi.

EIGEN, adjective ſumptum, eſt *proprius*. SOMNER. in Dict. AS. *agen* proprius, *agene cyre* liberum arbitrium, *agenes thankes* ſua ſponte, *agen nama* nomen proprium. Gloſſ. Keron. propria *eigono*, propriam *eiganan*, proprium *eikan*, proprii *heiknin*.

EIGEN, ſubſtantive ſumptum, ſignificat (1.) *proprium* ſeu *peculium*. (2.) *hominem peculiari ratione noſtrum*, ſive noſter ſit conjunctione, ut domeſtici & neceſſarii, ſive ſubjectione, ut mancipia & ſervi.

EIGEN, proprium, proprietas, peculium. Cod. Arg. Luc. XIX. 8. *halba aiginis meinis*, dimidium poſſeſſionis meæ. SOMNER. loc. cit. *agen* ſuum cuique proprium, *agennyſſe*, *agenunge* proprietas, poſſeſſio, dominium. VEREL. in Ind. *eiga* omnis generis poſſeſſio. TATIANUS Cap. XIII. 5. *her quam in ſin eigan*, venit in proprium. Senſu forenſi dicitur de bonis allodialibus. VEREL. in Ind. *eign* poſſeſſio allodialis vel fundorum, quæ maxime propria. Hoc ſenſu *aygen* occurrit in Jure Prov. Alam. Cap. XXXVIII. A ſubſtantivo *eigen* oritur imperſonale *eignet* ſpectat, pertinet, quo utimur in formula *dem es eignet und gebüret:* & verbum regulare *eigenen* proprium facere quocunque modo, & *zueigenen* aſſerere ſibi, dedicare alteri, quorum prius Angloſaxonice dicitur *agnian*, Anglice *own*.

EIGENE, domeſtici, neceſſarii. NOTKERUS Pſal. CIII. 17. *ſie ſtiftent monaſteria an iro eigenen*, ædificant monaſteria fratribus ſuis.

EIGENE, mancipia, ſervi, *freie und eigene* liberi & ſervi.

EIGENEN. V. *eigen* proprium.

EIGENHAFT, peculium, proprietas. Vetus Francicum. Gloſſ. Pez. proprietates *eiganhafti*. Ab *haft* poſſeſſio, & *eigen* proprius.

EIGEN LEUTE, mancipia, homines proprii, qui non ſunt ſui juris, ſed in jure alterius. WINSBEKIUS in Parænesi ad Fil. §. 75.

Min eigen lüte laſſe ich fri,
Mancipia mea manumitto.

Speculum Suevicum eosdem homines vocat *aygen lüt*, Cap. 51. ſeq. & Spec. Saxonicum *eigen* ſimpliciter, Lib. I. art. 52. Germaniam antiquam ſuos quoque habuiſſe ſervos, ex captivitate vel alea oriundos, teſtis TACITUS de M. G. Cap. XXIV. Franci victis hoſtibus, jure gentium uſi, & ipſi ſervitutis jugum impoſuere, præcipue vero Alamannis. Originem tam atrocis inſtituti, ut homo hominis ſervus ſit, conatur reddere Spec. Saxon. Lib. III. art. 42.

EIGENSCHAFT, ſervitus. Speculo Sax. *eigenſchap* & *egenſchap*, quaſi conditio hominis proprii, Lib. III. §. 42. Hodie dicimus compoſite *leib-eigenſchaft*.

EIGENSCHAFT, proprium naturale cujusvis rei a primæva conſtitutione, quæ terminatione *ſchaft* eleganter exprimitur. Senſus novus, ſed probus, & Philoſophis neceſſarius.

EIGENTUM, liberum arbitrium. Angloſax. *agenne dom*, apud BENSONIUM. A *dom*, judicium, ſententia, examen, quod habet idem.

EIGENTUM, peculium. Senſus hodiernus. *Tum* plerisque compoſitis jus, arbitrium, poteſtatem, & jurisdictionem communicat, ut dixi in PROLEG. Hinc proprio annexum, dominium, quod cuivis competit in rem ſuam denotat.

EILEN, feſtinare, præcipitare moram. Verbum Francis & Alam. unice uſitatum. Gloſſ. Pez. propera *ili*, properas *ilis*, inſtanter *iligo*, anhelant *illent*, tendere *illan*. Gloſſ. Keron. feſtinatione *ilungu*, feſtinanter *ilunt-libho*. Convenit Lat. *illico*, & Græc. ἐλαύνειν impelli ad curſum. Inde porro *eil* feſtinatio, *nacheilen* perſequi, *übereilen* præcipitanter agere, *übereilung* nimia feſtinatio.

EILEN, impellere, facere ut feſtinet. Græcis ἐλᾶν. Inde *übereilen* præcipitem reddere, nimia feſtinatione obruere.

EIMER, menſura liquidi. Angloſaxonibus *amber* eſt amphora. Francis *eimbre* hydria, in Gloſſ. Pez. Latino-Barb. *ambra* cadus, menſura. Quantæ capedinis, incertum. Cuncta a Græco ἀμφορεύς, quod communi conſenſu ſic dicitur ab ἀμφὶ circum, & φέρω porto, quaſi vas portatile, quod circumferri poteſt.

EIMER, menſura aridi. Chronicon Montis Sereni an. 1218. *Modius ſiliginis, qui vulgo* HEIMERE *dicitur*.

EIN, in compoſ. idem quod *in*, vel *innen*, in, intus, intra, intro, de quibus infra. Veteres (ut ibidem notavi) habent *in*, *ana*, *inna*, & ſimilia, quæ poſteritas transformavit in *ein*. Exempla ubique obvia ſunt.

Gloſſ. Keron. ingreſſus *ingane*, inſpirationis *anaplaſannes*. Hodie *eingang*, & *einblaſung*.

Gloſſ. Pez. oſtium *invart*. Hod. *einfart*.

Gloſſ. Boxh. inſtitutione *inkiſezzidu*. Hodie *einſezung*.

Huc ſpectant verba, *einſchreiben* referre in tabulas, *eindrucken* imprimere, *einlaſſen* intromit-

tromittere, *einnemen* occupare, interiora capere, *einſchræncken* intra cancellos concludere, *einſchalten* intercalare, & alia ſine numero.

EIN, in compoſ. idem quod *gegen* ob, contra, adverſus. Exempla vide in PROLEG. Sect. V.

EIN, in comp. idem quod *un*. Exempla vide loco citato.

EIN, articul. indefinitus. Angloſax. *an*, Francis *ein*, Alam. poſterioribus *ain*, Belg. *een*, Angl. *a*, Gall. *un*.

EIN, unus, tam numèro quam ſimplicitate. Gothis *ains*, Angloſax. *an*, Francis & Alam. *ein*, *einer*, *einaz*, Cambr. *un*. Codex Arg. Marc. XII. 29. *fan ains* dominus unus. Matth. V. 18. *jota ains*, *ſtriks ains*, jota unum, apex unus. Gloſſ. Keron. unum *ein*, unus *einer*, una *einaz*, uno die *einama tag*, uno momento *eineru ſtunthuuilu*. TATIANUS Cap. XII. 3. *eines tages uueg*, unius diei iter. Cap. XXV. 6. *einaz ſon then minniſton geboton*, unum ex mandatis minimis. Idem Belgis *een*, Anglis *a*, *an*, *one*, Island. *ein*. Quibus conſentit Græc. εἷς, ἑν, ἑνός, Lat. *unus*.

EIN, dicitur per ſynecdochen generis (1.) de aliquo, quia uni ſimilis eſt, (2.) de ſolo, quia ſolus eſt unus absque ſocio, (3.) de ſingulari, quia ſoli ſimilis eſt, (4.) de indiviſo, quia conjunctione unus eſt, (5.) de æquali, quia æqualis unus eſt conformitate.

EIN, quidam, aliquis, individuum vagum. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XVII. 37.

Sagetun, thaz ſie gahun
Sterron einan ſahun.
Dixerunt, quod ſubito
Stellam aliquam vidiſſent.

Idem Lib. V. Cap. IV. 48.

Quam engil ein in gahi
Fon himilriches hebi.
Venit angelus quidam ſubito
De regni cœleſtis altitudine.

EIN, ſolus, unus absque ſocio. Gloſſ. Lipſ. *eino* ſolus. Gloſſ. Keron. ſola *einera*, ſolum *einin*. Cod. Arg. Joh. VI. 15. *afiddja afira in fairguni is ains*, receſſit iterum in montem ipſe ſolus. Verſio Angloſax. Joh. XVI. 32. *and forlæton me anne*, *and ic ne eom ana*, *fortham min fæder is mid me*, & relinquent me ſolum, & non ſum ſolus, quia pater meus mecum eſt. Harm. Evang. TATIANI Cap. XV. 3. in *themo einen brote ni libet ther man*, in ſolo pane non vivit homo. Inde Cambris *unben* vel *unbyn* monarcha, quod eſt ab *un* ſolus, & *pen* caput, quaſi dicas, unicum & ſolum caput, interprete BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Hodie utimur compoſito *all-ein* pro ſolo, de quo ſupra. Viget tamen priſcum illud & ſimplex *ein* in derivatis, *einöde* ſolitudo, *einſam* ſolitarius, ſoli ſimilis &c.

EIN, ſingularis, ſeparatus, *einwig* duellum, certamen ſingulare.

EIN, indiviſus, unus conjunctione, collective unus. OTFRIDUS Lib. I. Cap. I. 31.

Iz iſt giſuagit al in ein,
Selb ſo helphantes bein.

Loquitur de ſcriptis Græcorum & Romanorum, in quibus omnia tam apte ſunt combinata tanquam in opere ex ebore teſſellato. Huc etiam ſpectat, quod corpora conjugum conjuncta Gothis vocantur *leik ain*, Angloſaxonibus *an fleſc*, LUTHERO *ein fleiſch*, Marc. X. 8. In quibusdam compoſitis ponitur adverbialiter, & tunc ſignificat *una*, *ſimul*, *conjunctim*. Exempla vide in *Proleg.* Sect. V.

EIN, æqualis, unus conformitate. Dicitur de rebus & perſonis, quæ quocunque modo ſibi ſimiles ſunt. Gloſſ. Keron. uniformem *eines piladeſ*. Huc ſpectant ex hodierno idiomate,

eins, idem, indiſtinctus, concors,
eins ſeyn, concordare, idem velle & idem nolle,
eins werden, convenire,
eines alters, æquævus,
eines ſinnes, ejusdem animi & voluntatis,
eines ſchlages, ejusdem notæ monetalis,
eines inhalts, ejusdem argumenti.

Unde poſtea exiſtunt compoſita,

uneins, inæqualis, & allegorice diſcors,
einerlei, indiſtinctum, ejusdem generis, naturæ, formæ.
einmüthig, unanimis & unanimiter, & alia ſine numero.

EIN, ſubſtantive ponitur quatuor modis, (1.) pro unitate. Inde *einig* unicus, unitate præditus. (2.) pro conformitate, ſicut *zwei* pro differentia. Inde *einig* conformis, metaphorice concors, *uneinig* diſcors, *eintracht* concordia, conſenſus animorum & voluntatum, proprie ſtudium conformitatis, *einträchtig* concors, concordiæ ſtudioſus. (3.) pro conjunctione. Inde *einbar* ſocialis, conjunctioni aptus. (4.) pro ſolitudine. Gloſſ. Keron. anachoritarum *einchoranero*. A *choron* eligere, quia ſolitudinem eligunt. Hodie ſuperat in compoſito *einſidler* eremita, ſolitudinis inſeſſor, ſi ita loqui fas ſit.

EINANDER, mutuo, viciſſim, alternatim. Gloſſ. Pez. erga nos invicem *einandremo*. Haud dubie ab *einer* & *ander* unus & alter, quamvis mira & inſolita compoſitionis ratione. Apud Antiquos nonſolum conjunctim, ſed etiam diviſim uſurpatur. NOTKERUS Pſal. XXXIII. 15. *alſo ouh an dien liden ſunderig keba iſt ieo iegeliches*, *unde ſiu alliu einero andere bedurfen*, ſic & in membris ſingulare cujusque munus eſt, & omnia ſe mutuo indigent. Id eſt, unum altero indiget. Et ab his partibus pendet etiam intellectus compoſitorum, cujusmodi ſunt, *miteinander* una, conjunctim, unus cum altero, *nacheinander* ſucceſſive, unus poſt alterum,

durch-

durcheinander promiſcue, nulla inter unum & alterum diſtinctione, *auseinander* ſeparate, uno ab altero diducto, ſelecto, diviſo &c.

EINBAR, ſocialis. Ab *ein* conjunctio, & *bar* aptus, idoneus. Quamvis etiam junctu facilem denotare poſſit. Inde *einbaren* & *vereinbaren* conſociare.

EINEN, ſemper oritur ab aliquo ſignificatu τοῦ *ein*, quem facile invenient rimaturi, ſi ad retro dicta attendant.

EINEN, adunare, in unum redigere. Græc. ἑνόω, ἑνῶ, Lat. *unire*, Camb. *uno*. Hodie utimur compoſito *vereinen*, & frequentativo *vereinigen*.

EINEN, ſtatuere, colligere cogitationes, atque ita figere, ut inde fiat ſententia decretoria. Franci hoc ſenſu dicunt *einon* & *geeinon*. WILLERAMUS Cant. VII. 8. *ih habo mich geeinot uffen den palmboum ze ſtigene*, palmam ſcandendi fixa eſt ſententia menti.

EINEN, ſenſu forenſi eſt concordare, convenire, *ſich vereinen* tranſigere, paciſci, *einung*, *vereinung* pactio, conventio. NOTKERUS Pſal. LXXXII. 6. *iegelih kezumſt iob einunga beizzet peneimeda*, omne pactum & placitum vocatur teſtamentum.

EINER, idem quod *ein*.

EINFACH, ſimplex. Proprie eſt *unicolor*, ab obſoleto *fach* color, & dicitur de ſimplici per metaphoram, quia ſimplex eſt uniformis. BENSON. in Voc. Angloſax. *fah* color, *an-fah* unicolor, *bleo-fah* verſicolor. Haud dubie a Φάω luceo. Quid enim eſt color niſi lux diverſis modis refracta? Confer *blech*.

EINFACH, ſimplus, absque numero. V. PROLEG. in *fach*, Sect. VI. *Ein* ſæpe eſt particula negativa, ut mox patebit ex *einfalt*.

EINFALT, ſimplex. A *falt* plicatus. Gothis *ainfalth* Matth. VI. 22. Angloſaxon. *anfeald* ibidem, Francis & Alam. *einfalta*, *einfaltlihho*. Gloſſ. Keron. ſimpliciter *einfaltlihcho*, ſimplicioribus *einfaltlehero*. JUNIO tantundem eſt ac *unius veluti plicæ*: MARTINIO *ſemel plicatus*. Male. Nam *ein* hoc loco non eſt unus, ſed potius idem quod negativum *un*, quia per ſimplicem omnes intelligunt eum, non qui unam habet plicam, ſed qui nullas. Ita Latinis *ſimplex* eſt quaſi *ſiniplex*, i. e. ſine plicis. Unde cognoſcimus, quod *einfalt* non ſit is, qui ſemel plicatur, ſed qui nunquam. Hoc ſenſu *ein* occurrit in aliis quoque compoſitis, ut oſtendi in PROLEGOM. Sect. V. Metaphoram, quæ in dictione eſt, vide in *falt* plicatus. Senſu phyſico dicitur de eo, quod ita ſimplex eſt, ut omnem compoſitionem excludat: morali, de candido & ſincero. OTFRIDUS Lib. II. Cap. VII. 109.

In thir haben ih mir funtan
Thegan einfaltan.
In te inveni mihi
Servum ſincerum.

Hodie *einfalt* & *einfæltig* ſæpe vituperatur a vulgo, quod priſcis, a quorum ſimplicitate deſcivimus, prorſus inſolens.

EINFALT, ſimplicitas. V. *falt* plica.

EINGEWEID, viſcera. In Lege Salica extat *anowado* pro ventre vel viſceribus matris Tit. XXVIII. 5. *Si quis infantem in ventre matris ſuæ occiderit. Mal. anowado.* Solent autem antiqui viſcera & ventrem eodem ſæpe nomine deſignare. Hinc vox Malebergica a celebri Legum Salicarum interprete ECCARDO male explicatur per *ana wamba* in ventre, & adhuc pejus a SCHILTERO per *ana wat* ſine indumento. Videamus primo de ſimplici *wado* vel *weide*, quo etiamnum utimur in compoſito *weidwund* inteſtinis læſus, & *ausweiden* eviſcerare. Quis vocis ſenſus, quæ cognatio, aut cauſa denominationis, nemo hactenus inveſtigavit. Forte a ſcopo & uſu vocis non procul aberrabit, qui viſcera ſic dicta imaginabitur, vel a *wetten* ligare, copulare, conjungere, tanquam inter ſe mutuo implicata & conjuncta: vel a *wenden* vertere, quaſi *inneuuendi*, & per ſyncopen *inneuuedi* interanea, introverſa: vel a *winden* torquere, quaſi torta. Nam *with* in Gloſſis antiquis exponitur *torta*, apud JUNIUM in Append. ad Gloſſ. Goth. pag. 422. Quicquid ſit, a ſimplici certe ſunt compoſita, *geweide*, *eingeweide*, *inwade*, *ingewade*, *ingewand* & *ingewind*. Cuncta eodem ſenſu, ab *ein* intus. In reliquis Dialectis viſcera alia accipiunt nomina, ſono quidem diverſa, ſed a ſitu interno plerumque deſumpta, cujusmodi ſunt,

infeinandeins, in Evang. Goth. Luc. I. 78.
innethron, in Gloſſ. Lipſ.
inuuartigi, in Gloſſ. Pez.
innodila, in Harm. Evang. Tatian. Cap. IV. 18.

Et huc etiam ſpectant quædam Angloſaxonica apud SOMNER. & BENSON. *innoth* inteſtinum, uterus, alvus, venter, *innobas* ilia, *inelue* interanea, viſcera, exta.

EINGEWEID, in diſciplina Haruſpicum denotare potuit *extiſpicium*, quia Gothis *witan* eſt videre, reſpicere.

EINGRIFF, invaſio juris alieni, Longobardis *anagriph*. Vide *greiffen* invadere.

EINHELLIG, unanimis, concors, conſentiens. Compoſitum novum, ſed legitime factum ab *ein* una, & *hellig* ſonorus, quod eſt ab *hall* ſonus, & hoc ab *hallen*, *bellen*, *hillen*, ſonare. Proprie notat conſonum, & dicitur de concordi per allegoriam a muſica vocali vel inſtrumentali deſumptam, quia ſicut inter ſonos, ita etiam inter unanimes eſt quædam voluntatum harmonia. Contrarium eſt *miſhellig* diſſonans, & figurate diſcors.

EINHORN, unicornu. Gloſſ. Ælf. in nom. ferarum: unicornis vel monoceros vel rinoceros *an-hyrne deor*. Gloſſ. Pez. unicornis *einhurnio*, rhinocerotis *einhurnen*.

EINIG, unicus. Gothis *ainaha* Luc. VII.

12. Francis *einog*, *einag*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XII. 169.

Bithiu ſie ni gilouptun
In then Gotes einogon ſun.
Quoniam non crediderunt
In unicum Dei filium.

TATIANUS Cap. XLIX. 2. *einag ſun ſinero muoter*, filius unicus matris ſuæ. Vi terminationis eſt unitate præditus ab *ein* unitas.

EINIG, ullus, aliquis. Gothis *ainoh*, & hinc *ni ainoh* nemo, nullus Marc. IX. 8. Angloſaxonibus *anig*, Francis & Alam. *einiger*. Gloſſ. Boxh. *einiger* quiſpiam. Gloſſ. Ker. aliquis *einiger*, absque ullo labore *ano einikeru arbeiti*, ſine aliquo tyſo vel mora *ana einikama libbitode edo tuuala*. Dicitur de aliquo, quia unico ſimilis eſt.

EINIG, concors, *uneinig* diſcors. Senſus novus, ſed optimus, ab *ein* conformitas.

EINKEL, *enkel*, unicus & unice. Ab *einke* unicus, quod eſt diminutiv. ab *ein* unus, ſolus. VEREL. in Ind. *einkamal* ſingulare negotium, *einka fridur* ſolus pulcer, *einkadur* ſingularizatus. Belgis *enkelvoudig* eſt ſimplus.

EINLAGER, immiſſio equitatus in hoſpitium moroſi debitoris, *einlager-recht* jus obſtagii, jus perſequendi debitorem per talem immiſſionem. Forte ab *einlegen* immittere, inlocare, quod dicitur etiam de executione militari, & ſenſu caſtrenſi de militibus, qui per habitationes diſtribuuntur. Hodie res & nomen ſuperat apud Holſatos, dum apud reliquos Germanos ob fœdum abuſum damnatur. Dicitur etiam *einritt* inequitatio, reſpectu creditoris, & *leiſtung* præſtatio obſtagii, reſpectu debitoris, qui ſe capturæ ſiſtere tenebatur tanquam obſes, donec creditori ſatisfactum fuerit. Unde porro cognoſcimus, quod *obſtagium* Latino-Barbaris ita dicatur velut *obſidagium*, a voluntaria debitoris traditione, & *obſtagius* obſes, ob eandem rationem, quod imitantur Angli, Galli, & Itali, in vocibus *hoſtage*, *oſtage*, *hoſtaggio*.

EINLUTZIG, ſolitarius. V. *einzel*.

EINMAL, ſemel. V. *mal* in Proleg. Sect. VI.

EINODE, ſolitudo. Gloſſ. Lipſ. *eino* ſolus, *einodis* ſolitudinis, *einodi* ſolitudine. OTFRIDUS Lib. I. Cap. X. 55. de Johanne Baptiſta:

Joh faſtota io zi note
In ualdes einote.
Et jejunabat valde
In ſilvæ ſolitudine.

Idem Lib. II. Cap. IV. 1. de Chriſto:

Gileitit uuard tho druhtin Chriſt,
Thar ein einoti iſt.

Ductus eſt dominus Chriſtus in ſolitudinem. Vulgo componi ſolet ab *ein* ſolus, & *ôde* deſertum, nullo aut ſuperfluo ſenſu. Nam cum omne deſertum ſit ſolitudo, non opus erat particula *ein* ad hoc ſignificandum. Nec ita ineptiunt Franci, ſed more antiquo utuntur particula *ode* ad faciendam derivata. Hinc *einode* propriè eſt abſtractum ab *ein* ſolus, per medium particulæ *ode*, quæ hic mera terminatio eſt, & annectitur etiam aliis vocibus, in quibus nulla vacui aut deſerti ſuſpicio eſt, ut demonſtravi in PROLEG. Sect. VI.

EINREDE, interpellatio, oblocutio. Idem quod *wider-rede*. V. PROLEG. in *ein*, quatenus *contra* ſignificat.

EINS, neutrum a maſculino *ein*, & ejusdem pene latitudinis in ſignificando.

EINSAM. V. *ein* ſolus.

EINSIDLER, eremita. A *ſidel* ſedes ſit *ſidler* habitator, qui aliqua ſede ſedet, nec ab illa ſede recedit. *Ein* hoc loco ſolitudinem notat. Conjunctim efficiunt hominem, qui ſedem ſuam in ſolitudine fixit, h. e. eremitam. Alamanni eundem hominem vocant *uualdlibber* & *einchoraner*, apud KERONEM in Gloſſis.

EINSPÆNNIGER, monocaballos. Vide in *ſpannen* jugare.

EINSPRUCH, idem quod *einrede* vel *widerſpruch*. Ab *ein* contra.

EINST, *einſten*, aliquando. Olim *einzen*, quod ex Francica Dial. ſiſtit SCHILTERUS in Gloſſario. Quemadmodum Græcis ab ὅτι aliquid, ſit ὅταν quando, Latinis a *qui quando*, ab *aliquis aliquando*: ita Francis ab *eins* aliquid *einzen* aliquando. Quod, cum tantis exemplis nitatur, non debemus faſtidire. Nos ab *einzen* fecimus *einſten*, quia Z. hoc eſt, TS. ſæpe patitur metheſin.

EINTRACHT, concordia. Proprie ſtudium concordiæ. Vide *tragen* cupere, *tracht* deſiderium, *ein* conformitas.

EINTRACHT, ſtamen. Utitur Luth. Lev. XIII. 48. 49. Refer ad *tragen* ferre, quia inſertur ſubtegmini. *Ein* hoc loco ſignificat *in*.

EINTRAG, impedimentum. Refer ad *tragen* impedire.

EINTRAG, proventus. Refer ad *tragen* ferre.

EINWIG, duellum. V. *zweikampf*.

EINZEL, ſingulus, ſingularis, ſolitarius. Diminutivum a Gothico *ains* ſolus, quodextat Joh. V. 15. Nam proprie eſt *einſel*, & ſitu liquidarum mutato *einluz*, quo Franci & Alamanni delectantur. Gloſſ. Keron. ſinguli *einluzze*, ſinguli per ſingula *einluzze duruh einluzium*, ſingulatim *einluzlihho*, ſingularem *einluzlihheru*. Quædam Dialecti inde habent *einluzzig* pro ſolitario.

EINZIG, unicus. Vi terminationis *ig* eſt unitate præditus, a ſubſt. Alamannico *einniſſa* unitas, quo utitur ISIDORUS Cap. IV. 4. Angloſaxonibus quoque *annyſſe* eſt unitas.

EIS, glacies, aqua frigore concreta. Gloſſ. Ælf. glacies *is*. NOTKERUS Pſal. CXLVIII. 8. *fiur*, *hagel*, *ſne unde is*, ignis, grando, nix, glacies. Idem Belgis *ys*, Angl. *ice*, Suec. & Iſland. *is*, *jis*. Forte eſt planities congelata ab ἰσός æqualis vel ἰσὸν æquare. Præcipuum compoſitum eſt *glat-eis* glacies lubrica, unde

unde fortaſſe Latinum *glacies* melius deducitur, quam ἀπὸ τῦ λυεῖν γῆν, a ſolvendo terram, quam etymologiam ex Perotto propinat MARTINIUS. Nam plura verba in pauciſſimas literas cludere, *improbæ cujusdam ſubtilitatis eſt*, judice GELLIO Lib. XII. Cap. 14.

EISCH, turpis, fœdus. STILERO eſt ab *ais* ulcus. Potius familia apud Græc. quærenda, quibus ἀισχὸς turpis, ἄισχος fœditas, ἀισχύνη turpitudo. Angloſaxones immiſcent elementum W. dicendo *æwiſc*.

EISCHEN. Vide *heiſchen*, quod uſitatius.

EISEN, ferrum. Cum hodierna nomenclatura convenit, quod ferrum Angloſaxon. *iſen* & *iſern*, Francis & Alam. *iſar* & *iſarn*, Belgis *yſer* appellatur. Gloſſ. Keron. ferro *iſarne*, ferramentis (ramentis ferreis) *iſarnaz zaſum*. Gloſſ. Pez. ferrata carpenta *mit iſarna pelegita uuagana*. Plura Francorum teſtimonia dabit SCHILTERUS in Gloſſ. Teut. pag. 496. VREDIO *iſar* etiam Gallica vox eſt, idque probat ex appellatione munitiſſimi cujusdam Templi in Territorio Lugdunenſi, cui vetuſta paganitas nomen *Iſardori*, hoc eſt, portæ ferreæ impoſuit, Lib. Prod. 2. ad Hiſt. Com. Fland. Cap. 2. pag. 19. Cambris *iſarn* eſt falx & longa ſecuris, & *iſamer* armiger. Cuncta fortaſſe a Lat. *æs*. Et cum *æs* in caſu obliquo habeat *æris*, hinc idem metallum Angloſaxonibus dicitur etiam *iren*, Anglis *iron*, Danis & Suecis *jern*, Hiſp. *hierro*, Camb. *hajarn*. Aliam viam conciliandis tot diſſonis Dialectorum vocibus, hactenus invenire non potui. SKINNERUS tamen omnia deflectit a Lat. *ferrum* per Hiſp. *hierro*, quod ferrum Hiſpanicum longe optimum & maximo in pretio ſit.

EISENKRAUT, verbena. Angloſaxon. *irenhard*, Suec. *iernörd*. Videtur a Majoribus noſtris dicta a ferro vel Marte, quaſi *Martis herba*, ob uſum ejus in clarigationibus apud Latinos. Nam fœciales bellum indicturi hanc herbam cum ſua terra evulſam hoſtibus porrigebant. PLINIUS Lib. XXV. Cap. 9. de verbena: *Hæc eſt quam Legatos ferre ad hoſtem indicavimus.* Indicavit autem Lib. XXII. Cap. 2. ubi plura de hoc ritu. *Iren* & Ἄρης ſe mutuo referunt.

EISENSCHMID, faber ferrarius. Francis *iſarnſmid* in Gloſſ. Pezianis, Angloſaxon. *iren-ſmith*.

EISERN, ferreus. Cod. Arg. Marc. V. 4. *gabrak anafotun eiſarna*, diſrupit compedes ferreas. Ab *yſer* ferrum.

EISERN, ſenſu forenſi eſt *inviolabilis*. Inde *eiſern brief* literæ moratoriæ, quæ ſecurum præſtant debitorem, ne intra quinquennium in carcerem rapi, aut ad ſolutionem compelli poſſit a creditoribus, *eiſern werden* impetrare inducias quinquennales, *eiſern vieh* animalia in locum mortuorum ſubſtituenda, ſi conductor ſedem mutet. Cujus dicti ratio eſt, quia animalia prædiorum ruſticorum cenſentur immortalia, & mori conductori, non locatori. Cuncta a natura ferri, quæ dum duritie ſua tactui & corruptioni reſiſtit, rerum inviolabilium & immortalium ſymbolum eſt. Inde etiam Latinis *ferrea jura*, i. e. dura, perennia & inviolabilia. VIRGILIUS Georg. II. 501.

> \- - - *Nec ferrea jura,*
> *Inſanumque forum, aut populi tabularia vidit.*

EIS-SCHOLLEN, fruſta glaciei denſiſſime congelatæ. Extat in antiquo Poëmate Runico apud WORMIUM in Literatura Runica Cap. XIX.

> *Iis kollum bru breida,*
> Glacies pontium latiſſimus.

JUNIUS in Veſtibulo Gloſſarii Gothici pag. 26. miratur vocem *kollum*, quam ſe non intelligere ait, omiſſione ſibili deceptus. Nam hoc reſtituto vocem apud Belgas ſuos reperire poterat, qui eodem ſenſu dicunt *ſchollen* & *ys-ſchollen*, a *ſchelen* dividere.

EIS-VOGEL, halcyon, alcedo. Sic dicitur a glacie, quia hyeme ova excludit, quo tempore reliquæ aves a prolificatione abſtinent. PLINIUS de halcyonibus: *Fœtificant bruma, qui dies halcyonides vocantur, placido mari per eos ac navigabili.* Lib. X. Cap. 32.

EIT, ignis. Vox Celtica, Francis cuſtodita. Primus eam obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario. Diſerte NOTKERUS Pſal. XVI. 3. *in demo eite irſuohtoſt du mih*, igne me examinaſti. ULFILAS faces interpretatur *haize*, Joh. XVIII. 3. STIERNHIELMIUS vocem Gothicam deducit a Lat. *faces*, mutato F. in H. Sed veroſimilius eſt, *haize* proprie denotare *ignes*, & convenire cum Francico *eite*. Hodie non amplius utimur hoc ſubſtantivo. Deſiit autem non ita diu. Nam STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 187. ex quadam recentioris ævi Scriptura Sacra Verſione Exod. XV. 17. producit compoſitum *ait-ofen*, quod nihil aliud quam furnum igne æſtuantem videtur denotare. Dixi vocem origine Celticam eſſe. Idque pateſcit ex compoſitis apud Cambro-Britannos reſiduis, cujusmodi ſunt, *etewyn*, *ytewin*, Armorice *eteau*, torris, titio, fax, *edyn* fornax, uſtrina. Quæ videntur ab igne denominationes acceſſiſſe. Cum vero ignis Hebræis quoque *eſch*, & Chaldæis *adar*, & ædes ignis Perſis *ateſch kada* dicatur, quæ cæteris omnino conſona ſunt: hinc ſuſpicor vocem Celticam *ete* e lingua hominum primitiva profectam eſſe. Ab hoc interim primitivo vetuſtas formavit verbum *eiten*, vario ſignificatu, pro variis ignis proprietatibus, de quo mox erit dicendi locus.

EITEL, vacuus. Angloſax. *ydel*, Francis *ital*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XIX. 85.

> *Uf yrſcrikta harto*
> *Ther furiſto Euuarto,*
> *Sinan ſtual in ala uuar*
> *So liaz er italan thar.*

Qua re perterritus valde
Summus Pontifex
Sellam ſuam in veritate
Reliquit vacuam.

Idem Lib. V. Cap. IV. 60. ſepulcrum Domini vacuum vocat *thaz itala grab*, quia Chriſtus jam reſurrexerat. TATIANUS Cap. IV. 7. *inti otage forliaz itale*, & divites dimiſit inanes. Quod OTFRIDUS Lib. I. Cap. VII. 35. rhythmice ſic exprimit:

Thie odegun alle
Firliaz er itale.

Origo vocis eſt a particula privativa *ut* ex, omnibus veterum Dialectis, & plerisque recentioribus uſitata, per medium derivandi *el*, quod vide in *Proleg.* Ut adeo *eitel* vi derivationis proprie ſit privatus, quod vacuo aprime convenit. Germanis evanuit hic ſignificatus: ſuperat tamen in ſenſu tradu&to, ut mox patebit.

EITEL, vanus. Significatus ex priori deſumptus, quod vano nihil ſit inertius, nec magis vacuum. Gloſſ. Keron. vana *italin*, vana gloria *ital ruam*. Saxones quoque ſuum *ydel* ad ſignificandum vanum transtulerunt. Hinc vana gloria illis dicitur *ydelgylp*, & vanitas *ydelnyſſe*, apud BENSON. Ab utroque adjectivo Franci & Alamanni formarunt verbum *aridalen*, quod ISIDORO eſt exinanire, ab *idal* inanis, & TATIANO evaneſcere, ab *idal* vanus: idque in Gloſſ. Schilt. pag. 202. male ad *dal* vallis refertur.

EITEN, urere, incendere, facere ut ardeat. Ab *eit* ignis. Græcis ἀΐθω eſt uro, incendo, ἐστία focus. Francis *eiten* idem ſignificaſſe, poſtea patebit ex derivatis *eiter* venenum, & *heiter-neſſel* urtica minor, quæ vide ſuis locis. Latini inde habent *æſtus* & *æſtas*, utrumque ab urendo. Islandi *eyſa* carbones candentes ſub cinere, apud VEREL. in Ind. Itali *eſca*, Hiſpani *yeſca* fomes igni concipiendo aptus, quod FERRARIUS perperam deducit ab *eſca* pabulum. Hodie *ais* eſt ulcus, quia urit, unde vulgo *inflammatio* vocatur, & *eſſe* uſtrina. Cuncta ab *eiten* urere. Verbum ipſum, etiamſi obſoleſcat, viguit adhuc Sæculo XIII. quod ex anonymo Poëta demonſtrat ECCARDUS in Cat. Theot. pag. 124. cujus hæc ſunt de ore mulieris verba:

He eydit als eins dracgin kyel,
Urit tanquam gula Draconis.

Imo nuper demum deſiiſſe, patet ex Verſione quadam Sacrarum Literarum haud antiqua, ubi lateres igne ſolidare, dicitur *mit fwer aiten*: Exod. XI. 3. quod fit urendo & exſiccando. Locum obſervavit STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 187.

EITEN, uri, ardere. Id eſt, igne corripi, æſtuare, abſumi. Rurſus ab *eit* ignis. Itaque Græcis ἄΐθειν nonſolum eſt urere, ſed etiam ardere, & ἄϊθομαι uror, incendor. Horumque derivata ſunt ἀϊθὼς ardor & ardens, ἀϊθὴρ aer ſubtilis & ardens, ἀϊθίοψ qui nimio Sole uritur. Quibus cognatum videtur *ad, aad*, quod in Gloſſ. Æſf. exponitur rogus, buſtum. Hoc quoque obſoleſcit. Superat tamen Helvetiis in nomine ſuccini, quod apud Pictorium & Decimatorem vocatur *aid-ſtem*, quaſi lapis uſtilis, a facilitate ardendi.

EITEN, examinare per ignem. NOTKERUS Pſal. LIX. 10. *uuanda er geeitet iſt in fiure ahtungo*, quoniam examinatus eſt in igne perſecutionis. Pſal. XLV. 12. *uuir uuurden ſo geeidet in demo fiure, daz uuir nicht ne mahton ze faren in demo uuazzere*, ita examinati ſumus in igne, ne periremus in aqua. Quod tempus delevit.

EITER, venenum. Ab *eiten* urere, quod pleraque venena ſint calidæ urentisque naturæ, obſervante ECCARDO in Cat. Theot. pag. 123. Utuntur hoc ſenſu omnes pene veterum Dialecti. Angloſaxonibus *ater*, *æter*, *ættor* eſt venenum, *ater-drinca* potio venenata, *ator-berend* venenifer, *ættran* venenare, *ættrod*, *geættrod* venenatus. Similia habent Franci, Alamanni, & Septemtrionales. Gloſſ. Lipſ. *eitir* venenum. Gloſſ. Pez. venenatum *eittarhaftaz*. ISIDORUS pag. 269. *eitar predigon* venena prædicare. VEREL. in Herauds-Saga: *eiter* virus.

EITER, pus, ſanies, tabum. Senſus vocis hodiernus, & a veneno, ut videtur, deſumptus, quod pus ſit ſpecies veneni, quod per ulcera ejicitur. STADENIUS immediate deducit ab *eiten* urere, quod ſanies intra tumores æſtuet & urat, in Voc. Bibl. pag. 174.

EITERDUNEN, plumæ avium molliores. Ab *ede* avis, & *dunen* plumæ. Vide utrumque in loco.

EL, *ell*, alius, alienus, peregrinus. HENISCHIUS in Theſ. L. Germ. *el* alius, *jemand el* alter quispiam, alius quispiam, *niemand el* nemo alius. Vox Celtica & primitiva, quæ Græcis effertur ἄλλος, Lat. *alius*. Inde compoſita & derivata in omnibus Dialectis, & præcipue

CAMBRICA, *allwn* alienus, *alon* alieni, inimici, *alltud* alienigena, advena, *alltudo* in exilium pellere, *altudaeth* exilium, *allwlad* alienigena, *arallu* alterare, *ellmyn* Alamanni, & uſurpatur pro peregrino quocunque. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit.

GOTHICA, *aljath* alio, aliorſum, peregre, *aljathro* aliunde, *aljakunja* alienigena, apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 49.

ANGLOSAXONICA, *elles* alias, alioquin, *elles-hwær* aliorſum, *el-theodig*, *altheodig* exterus, extraneus, peregrinus, *el-reordig* barbarus, apud SOMN. & BENSON. Quibus addi poteſt *el-theodiſce men* peregrini, ex Matth. XXVII. 7.

FRANCICA, *alleſtuara* alio, in Gloſſ. Pez. *eliporo* alienigena, in Gloſſ. Boxh. *elirarter* barbarus, in Gloſſ. R. Mauri.

ALAMANNICA, *alleſtuanan* aliunde, in Gloſſ. Keron.

ISLAN-

ISLANDICA, *ella* alias, apud VERELIN Ind.

ANGLICA, *elſe* alius, alias, aliter, alioqui, *elſewhere* alibi.

GERMANICA hodierna, *alſanz* aliena loquens, *el-görze* idolum peregrinum, *elend* terra aliena, *büffel* bos peregrinus &c.

Nomina Propria ex eodem fonte oriunda.

ALLOBROGES, pop. Galliæ Narbonenſis, ſic dictus, quod ex alio agro translatus eſſet. Vetus Scholiaſtes ad Sat. 8. Juvenalis: *Allobrogæ Galli ſunt. Ideo autem dicti* ALLOBROGÆ, *quoniam* BROGA *Galli agrum dicunt*, ALLA *autem aliud. Dicti igitur, quia ex alio loco fuerant translati.* Quam etymologiam fruſtra impugnat BOCHARTUS in Orig. Gall. quod ἄλλος Græce ſit alius, non Gallice.

ALAMANNI, de quibus ſupra.

ALISO, caſtrum Romanum, inter Luppiæ & Eliſonis confluentes, exſtructum a *Druſo*, teſte DIONE, ſed nomen adeptum a *Quintilio Varo*, qui prætorem ibi agebat urbanum, quod Germanos, qui gladiis domari non poterant, juris diſciplina mulceri poſſe credebat, teſte VELLEJO Lib. II. Cap. 117. Quæ res Germanis anſam dedit, ut Caſtellum illud appellarent *Aliſo*, h. e. forum vel tribunal peregrinum, a Celtica voce *lys* aula, curia, palatium, forum judiciale, quam exhibet BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. CASTELLUM ALISONEM diſerte memorat TACITUS Annal. II. Cap. 7.

ELBE, Albis, fluv. Germ. de quo TACITUS Cap. XLI. de M.G. *In Hermunduris* ALBIS *oritur, flumen inclytum & notum olim: nunc tantum auditur.* Notum erat, inquit CLUVERIUS, quum Druſus, Tiberius, ac Germanicus, aliique Romani exercitus Duces, Cheruſcos, Cattos, Hermundurosque debellarent. Trajano autem imperante, cujus imperii primo anno librum de Germania condidit Tacitus, quum Romani ab illorum finibus receſſerant; audiebatur tantum. In Germ. Ant. pag. 609. Oritur autem non in Hermunduris, ſed in montibus Bohemiæ e jugo Gigantum, undecim, ut ferunt, fontibus, & mediam Germaniam ſecat. Hinc quidam nomen ejus derivant ab *alp* mons, alii ab *halb* dimidium, & rurſus alii ab *elf* undecim. HIERONYM. OROSIUS:

Nomen ab undenis fontibus Albis habet.

Suecis *elf* quemvis fluvium denotat, quod mihi eſt inſtar etymi. Slavos & Venedos inde formaſſe ſuum *Labe* per metathefin, credibile eſt, quia vetus nomen, in quo omnes ſcriptores tam Græci quam Latini conveniunt, eſt *Albis*. Si verum eſt, quod conjectat ALTINGIUS, locum fontis a PTOLEMÆO appellari DEVONA, Albis erit flumen divinum. Ita vocem explicat AUSONIUS in hoc verſu:

DIVONA *Celtarum lingua fons addite Divis.*

Et hodieque apud Cambros *diu* Deum ſignificat, & *vonan* fontem, teſte BOCHARTO in Orig. Gall. pag. 15. Certe numen ineſſe fluminibus, ex perpetuo eorum motu Germanis fuit perſuaſum. Hinc pro iis tanquam pro Diis pugnabant, teſte TACITO Annal. XIII. 57. Confer *Rhein.*

ELBSCH, *elbiſch*, olor. HENISCH. in Theſ. L. Germ. *elbſch* canorus ales, cygnus, *eines elbſchen geſang* cycni canor. Heniſchio conſentit PICTORIUS in Dict. Helvet. Sed neuter vocem explicat. Ducam ab *elf* fluvius, quod Scandicum eſſe vidimus, quia olor eſt avis fluminea. Quamvis etiam ab inſigni candore ſic appellari potuerit, ut oſtendi in *alp* albus. Voces veterum habes ibidem.

ELCH, equicervus, fera ſylveſtris Boruſſiæ. Græc. ἄλξ & ἄλκη, Lat. *alx*, *alce*, Angloſax. *elch*, Franc. *elach*, Suec. *elg*, Angl. *elk*. Gloſſ. Pez. alx *elah*. Græcis omnis fera robuſta vocatur ἄλξ. Idemque nomen tribuitur leoni & apro apud HOMERUM, obſervante MARTINO Lib. III. de Rel. Gall. Cap. 20. Eadem lingua ἄλξ & ἀλκὴ robur & potentiam ſignificant: manifeſto indicio, nomen animalis a robore petitum eſſe, quod etiam placet MARTINIO in Lex. Philol. & nobis eo magis placere debet, quod alterum nomen hujus feræ, *elend* inquam, nihil aliud quam robuſtum deſignet. An huc etiam ſpectet Deus Naharvalorum, de quo TACITUS Cap. XLIII. de M.G. *Ejus Numinis nomen Alcis.* Dubito. Nam hic Deus non magis fuit Alce quam urſus, imo ne ſimulacrum quidem habuit. *Nulla ſimulacra*, inquit TACITUS, *nullum peregrinæ ſuperſtitionis veſtigium.* Scriptor tamen Gallicus, quem modo laudavi, neſcio qua ingenii fiducia, inde concludit, *Alcim* fuiſſe numen venatorium, & ſimile Gallico *Cernunno*, quem cornua Alcis portare ait. Ego potius inde concluderem, Naharvalos VIRTUTEM, quæ viros fortes & bellicoſos reddit, ſub nomine ALCIS coluiſſe. Nam Virtutem & viros fortes colere, eſt Germanis proprium. Ideo *Herculem, primum omnium virorum fortium ituri in prælia canunt*, teſte TACITO Cap. III. Et ob eandem cauſam *Caſtorem* & *Pollucem* videntur coluiſſe Naharvali, quod Herculis comites fuiſſent, & fortibus factis inſignes. Græcis certe ἀλκὴ non ſolum robur, ſed etiam fortitudinem ſignificat, & inde *Alcides* cognomen Herculis apud Poëtas, & ἀλκάζεσθαι fortiter agere.

ELE, *elle*, cubitus, & menſura cubitalis. Gr. ὠλένη, Lat. *ulna*, Armor. *elin*, Goth. *alleina* Matth. VI. 27. Angloſax. *eln* ibidem, Franc. *elin*, *helin*, Belg. *elle*, Angl. *ell*, Gall. *aulne*, Ital. & Hiſp. *alna*. Gloſſ. R. Mauri in part. hum. corp. cubitum *helina*. TATIANUS Cap. CCXXXVI. 7. *ferro ſon erdu zuuei hunt elino*, longe a terra ducentis cubitis. MAR-

TINIUS vocem Græcam ducit ab ὠλὸς curvatura brachii, in Cadmo Græco-Phœnice. Cæteræ videntur eſſe a Græca per Latinam. Ita ſentit SKINNERUS. Certe *ele* ante de brachio quam de menſura dictum eſſe, ſuadet compoſitum. Nam curvatura brachii Angloſaxonibus dicitur *el-boga*, Danis *albue*, Anglis *elbow*, nobis & Belgis *elnbogen*, omnino a *biegen* flectere.

ELEFANT, elephas. Utrumque a Gr. ἐλέφας, & hoc ab Heb. *alluph* bos, judice HELVIGIO in Orig. Dict. Germ. Nam genera ſolent confundi, ut demonſtravi in *bær* animal, ubi invenies *boves Lucas*, h. e. elephantos Italica lingua ſic dictos. Vocem Germanicam vide in *helfant*.

ELEND, *ellend*, virtus, vis, robur. Olim *ellen* ſubſtantive virtutem & pugnam, adjective fortem & robuſtum denotavit, ſapitque originem Hebræam ab *el* fortis. SOMNER. in Dict. AS. *ellen* vis, vigor, robur, virtus, *ellen campian* pugilare, luctari, *ellendune* pugnæ locus &c. Gloſſ. Boxh. *ellinod* agon. Inde titulus honoris Equitum & Principum Sæculo XI.

dem elendhaften,
dem elendreichen,
i. e. fortiſſimo.

ESCHELBACH parte 2. Heroicorum apud Goldaſt. in Animadv. ad Parænet. Scriptores pag. 416.

Do antuuort im gar halde
Der ellentriche Baren.
Tunc reſpondit illi promptiſſime
Fortiſſimus Princeps.

GOLDASTUS vertit *præpotens princeps:* haud male, ſed ex conjectura tantum, ignarus quid ſit *ellent*. Contra HARSDÖRFERUS vertit *miſerrimus princeps*, apud HULDRICUM ab EYBEN in Operibus pag. 830. Quam abſurde & contumelioſe, nemo non videt. Scilicet hæc & talia portenta olim parturivit, & etiamnum parturit patriæ linguæ ignorantia. Plura ad familiam virtutis ſpectantia vide in *held*.

ELEND, *ellend*, alce, animal ſylvæ Hercyniæ, teſte CÆSARE & PLINIO, nunc Sarmatiæ & Boruſſiæ tantum, ſic dictum, non quod ſit peregrinum in his oris, & multo minus quod morbo caduco laboret, etiamſi *elend* exterum & miſerum ſignificare poſſit: quorum illud DIECMANNO, & mihi aliquando, hoc KILIANO ſe probavit: ſed quod ſit *ellen-thier*, h. e. animal robuſtum, ab *ellen* robur. Ob eandem cauſam alio nomine vocatur *elch*, ut patuit ſupra. Litera D. poſt N. neminem debet morari. Vide quæ de adjectione hujus literæ monui in *Proleg.* Sect. III.

ELEND, ellend, regio extera, peregrinitas, alias *fremde*. Vox Francica. OTFRIDUS Lib. V. Cap. IX. 33.

Biſt thu eino ir elilente,
Ir anderemo lante.
Tune unus es ex peregrinitate,
Ex alia regione?

Ubi *elilente* exponitur per *anderemo lante*. Olim verti *ex peregrinis*. Et ſic etiam vertit SCHILTERUS. Sed contra genium linguæ. Nam ad hunc ſenſum exprimendum Francice dicendum fuiſſet *eino thero elilentero*. Differunt ergo ut ſubſtantivum & adjectivum. Ratio compoſitionis manifeſta eſt ab *el* alius, alienus, peregrinus, & *land* terra, regio. Hic ſenſus probe notandus eſt. Nam ab illo derivantur apud Francos

elilenden peregrinari, exteras terras inviſere, unde rurſus fit *elilendi* peregrinatio. Gloſſ. Lipſ. *elelendis* peregrinationis. Verbum *ellenden* pro peregrinari, extat in Verſione vetuſta Gen. XLVII. 4. quam vidit DIECMANNUS.

elilenter peregrinus. TATIANUS Cap. CXCIII. 5. de agro Acheldama: *accar in grabaſteti elilentero*, ager in ſepulturam peregrinorum.

elilendig eadem notione. Gloſſ. Lipſ. *elelendig* extraneus, *ellendiga* advenam.

ELEND, ellend, exilium. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXV. 35.

Mit kreffigera henti
Duent unſih elilenti.
Manu forti
Facient nobis exilium.

Idem Lib. I. Cap. XXI. 5.

Thar Joſeph uuas in lante,
Hina in elilente.
Vertit SCHILTERUS:
Cum Joſeph eſſet in regione
Foris in exilio.

GOLDASTUS vocem componit ex *all* omnis, & *ende* finis: BOEDIKERUS ex *eb*, *band*, & *land*. Sed his etymologiis, multo minus tam futili & plumbea, qualis eſt Bœdekeri, minime opus habemus. Nam *elend* eſt verbale ab *elenden* pellere in exilium.

ELEND, ellend, captivitas, *elender* captivus. Illa Francis dicitur *ellendi* & *ellendunga*, apud NOTKERUM Pſal. LXX. 1. & Pſal. LXXXIV. 2. hic *ellenter* in Gloſſis Pezianis. Omnino ab *elenden* in exilium ducere, quod fit captivando.

ELENDEN, ellenden, pellere vel ducere in exilium. Illud fit relegando & proſcribendo e finibus patriæ; hoc deportando in alias terras. Uterque ſenſus naſcitur ab *elend* terra extera. Franci, qui verbi hujus auctores ſunt, dicere ſolent *elilenton* & *geellenton*. Gloſſa ex Hymno antiquo apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 61. *liut kaelilentot* plebs captivata. NOTKERUS Pſal. LXVII. 19. *dero menniſcon ellende geellendotoſt du*, hominum captivitatem captivaſti. Inde *elend* exilium & captivitas, gemino ſenſu, ſed legitime nato, *elender* proſcriptus & captivus.

ELEND,

ELEND, *ellend*, calamitas, ærumna, *viel elend ausſtehen* multos perpeti labores & ærumnas, *euſſerſtes elend* extium, pernicies, jactura omnium bonorum. Circa hanc vocem, quæ valde difficilis intellectu, obſervandum venit (1.) quod raro aut nunquam occurrat in monumentis veterum, etiamſi fortaſſe omnibus temporibus dicta ſit. (2.) quod abſurdum & incongruum ſit, a triſti exulum ſtatu omnem calamitatem, etiam domeſticam, appellare *elend*, hoc eſt, exulatum. (3.) quod longe veriſimilius ſit, primos vocis auctores calamitatem ab ipſo malo, quod patimur, appellare voluiſſe. (4.) quod malus & malum in multis Dialectis dicatur *ill*. Anglis certe *ill* eſt malus & male, *ill eaſe* ægrotus, *ill-luck* infortunium, adverſa fortuna; Islandis *ill-felle* malus caſus, *il-mæla* malum imprecari, & alia apud VEREL. in Ind. SKINNERUS Anglorum *ill* contrahit vel potius detruncat a ſynonymo *evil*, *yfil*, *ubil*. At ſi Græcis ὀλέω idem fuerit ac *doleo*, quod fide Lexicographorum aſſumo, ab illo potius *ill* quam aliunde ducendum erit. Quid enim eſt malus, niſi luctuoſus, ingratus, moleſtus? (5.) quod ab *ill* malus, gravis, moleſtus, recte & decenter fiat *illt* moleſtia, calamitas. VEREL. in Ind. *illt* malum onoroſum, difficile, miſerum. His itaque præſuppoſitis, atque ut par eſt, conceſſis, manifeſtum eſſe reor, unde calamitas dicatur *elend*, *ellend*, nempe ab *illt* per epenthesin. Plures voces ſimiliter factas vide in terminatione *end* inter *Proleg.* Sect. VI.

ELEND, *ellend*, miſeria, conditio miſerabilis, ſtatus miſeratione dignus. Hic ſenſus videtur a præcedenti diſcretus, & vim ſignificandi ſuam accepiſſe a Græc. ἐλεεῖν miſereri.

ELENDE, *elendig*, & *elendiglich*, oriuntur ex præcedentibus, & pro varia derivatione ſignificant miſerum ſeu calamitoſum, rem & perſonam miſerandam & modum miſerabilem. Græca ἀλιτὸς miſer, lamentabilis, & ἐλεεινὸς miſerabilis, cum illis manifeſto conſentiunt.

ELF, *eilf*, undecim. Angloſax. *endleof*, *endlyfa*, Francis & Alam. *einlif*, Belg. *elf*, *elve*, Angl. *eleven*, Succ. *elfwe*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XV. 29.

Zi imo ſprah tho Thomas,
Er ein thero einlifo uuas.
Dixit ad eum Thomas,
Qui unus erat ex undecim.

Proprie eſt unum reliquum, puta ſupra decem, ab *ein* unum, & *laib* reſiduum, quod vide. Nimirum primi nominum impoſitores per digitos numerabant (quod etiamnum faciunt Americani), illudque quod decadem digitorum excedebat, ſi unum eſſet, appellabant *einlif*, ſi duo *zwelif*. Ab his igitur parentibus exiſtunt hodie *eilf* & *zweilf*, undecim & duodecim, quæ nimia brevitate originem ſuam occultant. Debemus hanc etymologiam & complures alias ejusdem probitatis, felici ingenio virorum ampliſſimorum, JUNII, STADENII, ECCARDI, quorum merita & ſtudia in ornandis patriis literis majora & notiora ſunt, quam ut noſtro præconio indigeant.

ELFT, undecimus. Angloſax. *endlyfte*, *endlefta*, Franc. & Alam. *einlifto*. Gloſſ. Keron. undecimus *einlifto*.

EL-GOTZE, idolum peregrinum. Ab *el* alius, alienus. Vulgo ſcribitur *öl-götze*, & confunditur cum *ölberger*, quaſi eſſet apoſtolus in monte olivarum dormiens, vel imago Apoſtoli. Sed rectius diſtinguuntur. Nam *elgötze* dicitur de attonito, qui ſtatuæ inſtar ſilet, hæret, nec verbum proferre poteſt: *ölberger* de negligente & ſomnolento.

ELR, *eller*, arbor fluminalis. Angloſaxon. *alr*, *ælr*, *ælre*, *ællre*, Francis *elira*, Angl. *alder-tree*. Gloſſ. Ælf. in nom. arb. alnus *alr*. Gloſſ. Pez. alnus *elira*. Dicitur & *erl*, ob mobilitatem literæ R. Hinc porro lignum alni promiſcue appellatur *ellern-holz* & *erlinholz*. Utrum rectius dicatur, definiant ii, qui nomen arboris ex virtutibus ejus inveſtigare poſſunt. Tantiſper ſupponere poſſumus, quod *eller* ſit ab *alnus*.

ELS, alnus, *elſen-holz* lignum alni. Ita Batavi & Sax. inf. dum Poloni dicunt *olſza*. Vox a præcedenti non magis diverſa ac *arbos* ab *arbor*. R. & S. in Dialectis frequenter permutantur.

ELSTER, pica. Nomen contractum ex antiquiori & integriori *aglaſter*, quod vide.

ELTER, natu major, h. e. adultior vel ſenior. Angloſaxon. *aldor*, *yldor*, Francis *altero*. NOTKERUS Pſal. XL. 14. *Got Iſrahelis des iungeren ſunes, demo der altero dienot.* Comparativ. a poſ. *alt* cretus vel annoſus.

ELTERMAN, ſenior, qui cæteris præſtat ætate & experientia, alias *obmann* & *obermann*. Hodie fere tribuitur tantum Tribunis mercatorum & opificum. Olim vero *Ealdor-men* Angloſaxonibus nonſolum ſeniorem & præpoſitum qualemcunque, ſed Principem, Satrapam, & Provinciæ rectorem denotavit. Teſtis luculentus eſt Evangel. Angloſaxon. Matth. XX. 25. *wite ge, thaz ealdor-menn wealdath hyra theoda, and tha the fynt yldran habbath unweald on him*, noſtis, quod principes dominentur in gentes ſuas, & quod magnates habeant poteſtatem in eas. Latino-Barbari *Aldermannum* vocant, cujus nomen & amplitudinem explicat SPELMANNUS in Gloſſario. Derivari poteſt ab *aldor* pater, quod extat eo ſenſu apud BENSON. ita ut *aldermanni* ſint quaſi patres conſcripti, quæ vocis interpretatio ſe inprimis VEREL. probavit. Verum quia *aldor* etiam ſeniorem ſignificat, malo cum SPELMANNO vocem ad ætatem referre, & ab ætate ad honorem traducere, more Germanis uſitato. Nec mirum, nomen imperantibus a ſenio quæſitum. Quid enim ſenili capite venerabilius? Aut quid magis obvium apud omnes Gentes, quam Magiſtratus & ſummæ dignitatis viros appellare *Seniores*? Omitto nunc Orientales, quam hoc etiam

etiam in aliis Linguis reperiatur. Græcis optimates vocantur γέροντες, quaſi ſeniores. Et ARISTOTELES eadem vocula principes viros Lacedæmoniorum & Cretenſium, PORPHYRIUS Crotoniatarum deſignavit. Latini ſenatorem ſic dicunt a *ſenio*. Gothis *ſiniſtans* ſunt præſtites populi, a *ſneigs* ſenex. Et apud Burgundiones rex ipſe vocatur HENDINUS, quaſi ſenior inter cives, ab *hen* vetus, ſenex, & *dyn* homo, quibus vocibus etiamnum utuntur Cambri in Britannia. Vocabulum Burgundicum annotavit MARCELLINUS Lib. XXVIII. Cap. 5. ſed hactenus a nemine, quod ſciam, explicatum. SPERLINGIUS in egregia *de Titulo Regis Daniæ* Commentatione, tangit quidem vocem §. 60. ſed non explicat. Ejus hæc ſunt verba: *Cum nulla reperiatur (vox) neque in antiqua Danica neque hodierna (lingua), quam huc referre liceat, corruptam illam vocem in Ammiano facile videmus, neque quam ſubſtituamus, ad veram lectionem juvandam, reperimus.* Hoc pacto nodum ſecat, non ſolvit. At Ammiani vocem non corruptam eſſe, patet ex ſimili voce Codicis Argent. Matth. XXVII. 11. 15. ubi Pilatus vocatur *kindins*, id eſt, præſes, præfectus. Adde, quod optimus ſit Ammianæ vocis ſenſus; & quod titulus Regis Burgundicus cum ſtudio libertatis antiquo magis conveniat, quam ullus alius. Sed revertamur ad titulum *Senioris*, quo, uti vidimus, antiquitas Principes ſuos inſignivit. Ab hac veterum conſuetudine poſtera ætas adeo defecit, ut Principes non amplius optarint appellari *Seniores*, ſed *Pueri*, ut demonſtravi in *Junker*.

ELTERN, parentes. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *yldran*, *yldras*, parentes, majores. TATIANUS Cap. XII. 1. 3. de parentibus Chriſti: *fuorun ſine eldiron*, ibant parentes ejus. Et mox: *ni forſtuontun thas ſine eldiron*, non cognoverunt hoc parentes ejus. Oritur ab *alen* parere, nutrire, & vi originis genitores & nutritores ſignificat. Reliquæ Dialecti aliis utuntur vocibus, & plerumque diverſis, in parentibus denominandis. Sic Gothis parentes vocantur *fadrein* Luc. VIII. 56. Angloſaxonibus *magas* ibidem, & Joh. IX. 2. 3. 18. 20. 22. quinquies in eodem capitulo. Alamannis *katilinga*, apud KERONEM in Gloſſis.

ELTESTER, ſenior, potior. Angloſaxon. *yldeſt* Luc. IX. 46. Marc. X. 43. in diſputatione Diſcipulorum. Diſputabant autem inter ſe, non quis ætate provectior, ſed quis cæteris potior eſſet? Interim nomen ita conceptum eſt, acſi ſeniorem ſignificaret, quod non caret ratione & exemplo. Nam prima reverentia eſt a parentibus & ſenioribus, & apud omnes gentes hic honor prævectiori ætati ſemper habitus, ut qui cæteris ejusdem ordinis virtute aut dignitate præſtaret, *Senior* appellaretur, quamvis annis inferior. Græcis certe πρεσβύτερος non ſolum natu majorem, ſed etiam potiorem & pretioſiorem ſignificat. Confer dicta in *elterman*.

EM, præfix. V. *Proleg.* Sect. V.

EMBSIG. V. *emſig*.

EMP, præfix. V. *Proleg.* Sect. V.

EMPFANGEN, accipere. Omnes antiqui habent *entfangen*. Gloſſ. Keron. ſuſcepit *imtfianc*, recipiatur *ſi entfangan*, accepiſtis *entfiangut*, accepit *entfianc*. Sed perinde eſt, quocunque modo efferatur. Nam radix eſt *fangen* capere, & particulæ *emp* & *ent* utrinque augent ſignificatum.

EMPFELHEN, commendare. V. *befelhen*.

EMPFINDEN, ſentire, experiri. V. *finden* cognoſcere.

EMPOR, ſurſum. V. *por*.

EMSE, formica. Correptum ex *ameiſſe*, quod vide.

EMSIG, jugis & aſſiduus in opere. Contractum ex vetuſtiori *emmazzig*, quod intelligi rite non poteſt, niſi prius oſtendam, quid Francis & Alamannis ſit otium, quid occupatio. Gloſſ. Pez. ocii *muozu*. Gloſſ. Keron. vacat *muazzot*, occupari *keunmuazun*, continuanda erit *zi emizzigonne iſt*, frequenter *emezzico*. Gloſſ. Boxh. occupatio *unmuazza*, juge *emmazzigo* Ex his Gloſſis manifeſtum eſt, quod præfixum *e.* eandem poteſtatem habeat cum negativo *un*, & quod poſtrema vox *emmazzig* (unde hodierna per contractionem orta) idem plane valeat, quod *unmuazig*, id eſt, occupatus & minime otioſus. Galli habent *amuſer* occupatum tenere, detrahere otium, ex eodem fonte. Ab *emſig* eſt *emſigen* contendere, operam navare, *emſiglich* diligenter.

ENDE, finis & terminus loci. Gothis *andei*, Angloſaxon. *end*, *ende*, Francis & Alam. *enti*. Gloſſ. Keron. finis *enti*. Evang. Goth. Marc. XIII. 27. *fram andjam airthos und andi himinis*, a finibus terræ uſque ad finem cœli. TATIANUS Cap. LVII. 5. de Regina Auſtri: *quam ſon ente erdi zi horrenne ſpahida Salomones*, venit a finibus terræ audire ſapientiam Salomonis. Oritur, ni fallor, ab *anen* privare, quia per finem omnes intelligunt ultimas partes, ubi res definit. Inde Francis & Alam. *uzanenti* ſuperficies, *obanenti* culmen, *nidanenti* infimum, baſis, fundamentum. Sæpe etiam *enti* ſolitarie ponitur pro ſummitate, vel extremo. TATIANUS Cap. XLV. 5. de amphoris: *inti ſie fultan ſin unzan enti*, & impleverunt eas uſque ad ſummum.

ENDE, finis & terminus temporis. Evang. Angloſaxon. Luc. I. 33. *and his rices ende ne bith*, & regni ejus non erit finis. Inde Angloſaxonibus *end-leas* æternus, Germanis *endlich* noviſſime.

ENDE, finis & terminus ſtatus, vitæ, laboris &c. TATIANUS Cap. CCXLII. 3. *ſenu ih bin mit ju unzan enti uueralti*, ecce vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.

ENDE, frons. Gloſſ. R. Maur. de part. hum. corp. frons *endi*. ISIDORUS circa fin. *Chriſt dhes crucis zeihhan chidhubit in iro andimuni*, Chri-

Chriſtus ſignaculum crucis exprimit in frontibus eorum. Sueci dicunt *ænna*, expulſo D. Franci fidelius *endi, andi*, quia frons eſt illud extremum, quod ſtaturam hominis ſuperius terminat. Metaphorice dicitur de pudore & verecundia, quia color virtutis ſe maxime videndum offert in fronte. Hinc *unendlich* aliquando fuit impudens, effrons.

ENDE, ſcopus agentis, *zu was ende* ad quem finem? Senſus a termino locali ad intentionalem translatus, novus, ſed optimus, & a natura petitus, quæ ultra ſcopum non progreditur, & in illo tanquam ultimo termino acquieſcit. Comp. *endzweck* pleonaſmum ſapit.

ENDEN, finire, terminare. Angloſaxon. *endian*, Francis & Alam. *enton*. Gloſſ. Keron. finiantur *kientot ſin*, finitis *keentotin*. Verbum a ſubſt. factum. Inde reciprocum *ſich enden* deſinere.

ENDEN, conſummare, perficere. Gloſſ. Keron. conſummentur *ſin keentot*. TATIANUS Cap. CCVIII. 4. *gientot iſt*, conſummatum eſt. Ab *ende*, quatenus eſt terminus integritatis, quia perfecta & conſummata dicimus, quæ ad ſummum integritatis gradum perducta ſunt. Græci eodem ſenſu dicunt ἀνύτειν. Hodie dicimus *vollenden*, quamvis ſupra neceſſitatem.

ENDEN, feſtinare, properare ad finem. Verbum deſiderativum ab *ende* finis laboris vel negotii. Cui ſimile Atticum ἀνύτω feſtino. Ab hoc ſignificatu, quamvis extincto, habemus compoſita & derivata

behend, agilis, celer, pernix, expeditus in agendo.

endelich, expeditus, quo utitur Luth. Prov. XXI. 5. XXII. 29.

endelich expedite, alacriter, quo rurſus utitur Luth. Luc. I. 39.

endlich, ſedulus, *unendlich* iners, qui nunquam negotia terminat, in Lex. ALBERI citante FRISCHIO in Obſerv. ad voces Bibl.

ENDEN, mori, obire, finire curriculum vitæ. TATIANUS Cap. CCXII. 5. *Pilatus uuuntrota, oba her ju entuti*, Pilatus mirabatur, ſi jam obiiſſet. In Lege donationis Lud. pii & Lotharii apud BROUWERUM in Annal. Trevirenſ. defunctus vocatur *geendido*. Et in quibusdam Flandriæ locis *endglocke* idem eſt quod *todten-glocke* campana exequialis. Ab *ende*, quatenus terminum vitæ denotat.

ENDELICH. V. *enden* feſtinare.

ENDLICH, finitus, *unendlich* infinitus, qui nulla figura, numero, nec extremo terminatur. Nova, ſed idonea, ab *ende* finis. Antiqui utuntur compoſito *end-leas* & *andalaus*, quorum illud Saxonicum, hoc Islandicum eſt. Aliud eſt *endlich* ſedulus, quod vide in *enden* feſtinare.

ENDIGEN, frequentativ. ab *enden* finire.

ENG, arctus, conſtrictus, anguſtus. Primitivum Celticum, per Francos & Alamannos ductum, & Cambris quoque cuſtoditum. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *ing* anguſtus, arctus. Gloſſ. Keron. anguſta via *enger uuec*. Convenit Heb. *ack* anguſtum, quod exhibet HELVIGIUS. In reliquis veterum Dialectis vox Celtica recipit augmentum finale. Hinc anguſtus Gothis dicitur *aggwu* Matth. VII. 14. Angloſaxonibus *angſum*, apud BENSONIUM.

ENGE, anguſtia, neceſſitas, coarctatio. BOXHORN. loc. cit. *ing* anguſtia, *angen* neceſſitas. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *enge* anguſtia, *ang-breoſt* aſthma, pectoris coarctatio. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XII. 26. *in herzen uuas in ango*, in corde erat illis anguſtia.

ENGEN, arctare, conſtringere, & metaphorice premere, vexare, angariare. Originem pete ex antecedentibus, & antiquitatem ex dictis in *angen*. Convenit rurſus Heb. *ock* anguſtum reddidit, coarctavit. Præcipua derivata ſunt, *angſt* anguſtia, *engſter* angariator, item anxius, qui anxietatem ſuam aliis communicat, *angſter* poculum collo & orificio anguſto.

ENGEL, angelus. Goth. *aggilus* Luc. I. 11. Angloſaxon. Franc. & Alam. *engel*, *engil*, Gloſſ. Keron. angelis *engilun*. Vocabulum recens, & nuper additum, ut plura alia, quæ primis Germaniæ Apoſtolis debemus. Significat proprie nuncium, ab ἀγγέλλω nuncio. Quid enim eſt angelus niſi ſummi Regis nuncius? Idcirco patria lingua dicitur *bote*. Gloſſ. Pez. angelus *poto*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. VIII. 13.

* *Thaz uuir Engil nennen,*
Thaz heizzent, ſo uuir zellen,
Boton in githiuti
Frenkiſge liuti.

H. e. Angeli Francorum idiomate vocantur *boton*. RELANDUS vocem Græcam deducit a Perſica *agaliden*, inſtigare, urgere, ut ἄγγελος idem ſit qui Perſis ἄγγαρος nuncius Regis. Sed hæc etymologia non videtur convenire niſi *angelo mortis*. STILERUS vocem Germanicam Germanis vindicat, tanquam ab *enke* ſervus, per deminutionem natam, ingenioſe magis quam vere, etiamſi angelus ſit miniſter Dei.

ENKE, ſervus, non coactæ, ſed liberæ conditionis. Initium dictionis eſt a Græcis. Illis enim κονεῖν eſt ſervire, ἐγκονεῖν inſervire, ἐγκονὶς famula. Antiquiſſimi Latinorum inde habent *ancus* ſervus, *ancilla* famula, *anculare* miniſtrare. Dicitur per ſynecdochen generis primo de ſervis ab agricultura, poſtea de nobilioribus ſervis, denique de omnibus juvenibus.

ENKE, ſervus ab agricultura. Gloſſ. Pez. agricultura (lege agricultore) *acharmanne, einche*. In Saxonia inferiore, & præcipue Brandeburgica, juvenes & ſervi agricultorum etiamnum vocantur *enke*.

ENKE, ſervus nobilior. Gloſſ. Boxh. *ango* ancularis. Græcis ἄγκονος eſt Diaconus, miniſter, apud HESYCHIUM. Latinis *anculi* & *anculæ* Deorum miniſtri & miniſtræ apud

FESTUM: Latino-Barbaris *anculus* & *anclaris* miniſter aulicus. Gloſſ. ISIDORI: *aculus* miniſterialis domus regiæ. CERDA in Adverſariis emendat *acoluthus*: BARTHIUS *aulicus*: GRONOVIUS *a caliculis*, quia magiſter calicum (qui Angloſaxonibus *yldeſt byrla*, quaſi præcipuus pincerna) in Gloſſario ÆLFRICI circa fin. vocatur *a caliculis*. Sed PITHOEUS rectius reſtituit *anculus*, quod etiam adoptavit SALMASIUS in Hiſtoriam Auguſtam. Nam *enke* vel *anke* eſt nomen ſervi apud veteres. Et quemadmodum *knecht*, *ſchalk*, *degen*, & alia ſervorum nomina tribuuntur etiam dominis, ut in ſingulis demonſtravi: Ita etiam *enke*, ejusque diminutivum *enkel*, familiari veterum inſtituto a ſervis inferioribus ad honeſtioris ſervitii viros extenditur. Ex Nominibus propriis huc ſpectant ENGILBERT & ENGILHART. Illud miniſtrum clarum, hoc miniſtrum fortem ſignificat.

ENKE, juvenis. SCHILTERUS in Gloſſ. Teut. *ank, juvenis, miniſter.* LUTHERUS in libello de nom. prop. Germ. nomen FRANCORUM componit ex *fry* liber, & *ank* juvenis, & de voce *ank* ita diſſerit: ANCKE *eſt adoleſcens, juvenis, nomen hodie gentile multis familiis, &* ENCKEL, ENCKLE *diminutive dicitur adhuc juvenis arator, ſeu aratrum gubernans, ut appareat* FRANCOS *fuiſſe pubem ſeu juventutem, quæ ſe forte ſervili bello per ſeditionem in libertatem aſſeruit* &c. LUTHERUM ſequitur BECMANNUS in originibus voce CYRUS, ubi verba: FRANCUS, *i. e. ἐλεύθερος, liber, a frei aut fry, & ank.* ANCKE *enim eſt adoleſcens, juvenis; quod etiam nunc in pagis audias* &c. Et tametſi vetuſtiora laudare non poſſim, quia non omnia a Majoribus ſcripto tradita ſunt, conſtat tamen voci ſua antiquitas, cum ex perenni Germaniæ uſu, cujus initium ignoratur, tum ex eo, quod priſcis (ut ex voce *knab* infra patebit) familiare fuit, nomina ſervorum ad juvenes transferre. Quod haud temere, ſed merito feciſſe putandi ſunt, quia per juvenem omnes intelligunt hominem ætate & viribus florentem, qui alios juvare poteſt. Et hoc ſenſu ſæpe occurrit in nominibus propriis Alamannorum, cujusmodi ſunt apud GOLDASTUM in Indice,

ENGINBERT, juvenis clarus.
ENGINHART, juvenis fortis.

Quemadmodum autem voces ſæpe nominandæ, quales omnino ſunt juniorum, h. e. puerorum & adoleſcentium, mutationibus magis quam aliæ obnoxiæ fuiſſe, cui rei fidem facit vox *jung*, multis modis depravata: ita etiam vox *enke, ango, eincho*, in ore Francorum & Alamannorum triplicem mutationem paſſa eſt, unam a ſyncope, unde *ekke* & *egge* pro *enke:* alteram a metatheſi, unde *ekkin* & *egin* pro *enke:* tertiam ab apocope, unde *ein* pro *enke*. Harumque mutationum teſtes mihi ſunt luctulenti permulta nomina propria in Indicibus GOLDASTI, quæ, etiamſi hactenus fuerint obſcura, clariora tamen fient, & (auſim dicere) venuſta, ſi claviculam meam adhibeas. Talia ſunt,

EKKIHART, juvenis fortis.
EKKEPREHT, juvenis clarus.
EGEOLF, juvenis juvans.
ECGIRIH, juvenis potens.
EGGIBALD, juvenis audax.
EGINOLF, juvenis juvans.
EGINHART, juvenis fortis.
EINHART, juvenis fortis.
EINRIH, juvenis potens.
EINWALT, juvenis potens.

Alias juvenis dicitur etiam *ing*, ſed ex alio fonte. Nam hujus vocis ſenſus non eſt a ſervientibus, ſed a nova ætate petitus.

ENKEL, nepos. Non ab *æne* avus, ut vir quidam doctus ſentire videtur, quia nepos non eſt parvus avus, ſed parvulus avi, ex filio genitus: ſed potius a Græc. ἔγγονος nepos. Quamvis etiam parvus puer eſſe poſſit, ſi *enke* pro puero alicubi reperiatur. Nam ſervorum nomina ſolent etiam ad liberos transferri, ut oſtendi in *knab* & *knecht*.

ENKEL, talus calcanei. Angloſaxon. *ancleow*, Franc. *enchil*, Belg. *enkel*, *enklauw*, Angl. *ancle*. Gloſſ. Pez. talari uſque ad talos *enchilun*. Diminutiv. ab *anke* os mobile, quod vide.

ENKEL, unicus. V. *einkel*.

ENT, præfix. V. PROLEG. Sect. V.

ENTBÆREN, carere, deſtitui. Verbum a Francis relictum. OTFRIDUS Lib. I. Cap. VIII. 6. de B. Virgine: *ſi ni mohta inberen ſin*, non poterat illa carere eo. Nempe Joſepho, nec in fuga, nec in victu, ut ſequentia verba declarant, quod pulcre obſervatum cel. SCHERZIO in notis. NOTKERUS Pſal. LXXVIII. 9. *uuir ne mugen inberen dinero helfo*, non poſſumus carere auxilio tuo. *In* ſæpe ponitur pro *int*, ſicut *an* pro *ant*, & *en* pro *ent*, quod me jam ſæpe monuiſſe memini. Idem ſignificare poteſt ſimplex *bæren*, ſi uſus vellet. Hinc Sorabis *paruju* eſt carere. Utrumque a *bar* deſtitutus, privatus. *Ent* hoc loco ſignificatum intendit.

ENTBÆREN, mancipare, mancipio dare. Ulrich von Gutenburg apud GOLDASTUM in Parænet. pag. 415.

Ich ergib é mich und enbar
An ir genadengar.

A *baren* liberare & privativo *ent*, quia mancipare eſt libertate exuere, & in alterius poteſtatem tradere. Hodie obſoleſcit.

ENTBIETEN, nunciare, per nuncium ſignificare. Gloſſ. Pez. ſignificare *inpiotan*, ſignificaveris *inpiutis*. Refer ad ſimplex ejusd. ſignificatus.

ENTBINDEN, ſolvere. Goth. *andbindan* Marc. I. 7. Angloſaxon. *unbindan*, Franc. & Alam. *intpintan*, *antpintan*, & per ſyncop. *inpintan*, *anpintan*, Belg. *ontbinden*. Gloſſ. Pez. enodare *inpintan*. Gloſſ. Keron. ſolvamus *anpintames*. Proprie eſt a nexu vel vinculo

culo liberare. Nam *binden* eſt ligare, *ent* vero eſt particula disjunctiva vel privativa, quæ ligamen ſolvit.

ENTE, anas. Gloſſ. Ælf. in nom. avium: anas *ened*. Gloſſ. Pez. anates *enti*. Latino-Barbari habent *aneta*. Veroſimile eſt, ab *anas* eſſe reliqua, & hoc ex ἡ νῆσσα vel ἡ νᾶσσα coaluiſſe, articulo in ſocietatem nominis cooptato. Nam articulum Græcum in ore Latino multis nominibus jungi, non hoc tantum exemplo, ſed pluribus aliis demonſtravit JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 63. Videtur autem ſic dici anas apud Græcos a νέω no, nato, velut ales natatilis, ob natandi aſſiduitatem, ut pridem HELVIGIO obſervatum. Præcipua compoſita ſunt,

ǽrtap, aquila. Vocabulum Thuſcum apud HESYCHIUM. Forte eſt aquila anatibus infeſta, quæ vulgo *ent-ar*, PLINIO *anataria* dicitur, ab *ar* aquila.

anethapich, accipiter qui anates mordet, in Lege Bojorum Tit. XX. 3.

enterich, *anterich*, maſculus inter anates, proprie ductor anatum. V. dicta in *reich*.

antvogel, anas. Extat in Jure prov. Alam. Cap. 334. §. 3.

ENTER, annuus, anniculus, *enterrind* bos anniculus. Convenit inter KILIANUM & JUNIUM, vocem contractam eſſe ex *einwinter* unius hyemis, quia veteres Germani annos non æſtatibus ut Romani, ſed brumis computabant, prorſus ut ſpatia diurna noctibus, de quo computandi more aliquid dixi in *jahr* annus, & *nacht* dies civilis, & paſſim alibi. Huic etymo fidem conciliat, quod veteris Linguæ Friſicæ tenaciores bimulum vocant *twinter*, quaſi *tweewinter* a *twee* duo, obſervante JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 404. Interim cum priori compoſito convenit Græc. ἔνος & ἐναυτὸς, quod in Gloſſa antiqua exponitur anniculus. Vix ſonum edere Germanus poteſt, aut Græcum ſibi experitur aſſonantem. STADENIUS, qui OTFRIDO illuſtrando multum inſudavit, videtur ſibi eam vocem deprehendiſſe in Evangelio ejus rhythmico Lib. I. Cap. III. 13. ubi de Adamo dicitur,

Bi enterin uuorolti
Uuas er liut beranti.

Quaſi ſenſus ſit: cum mundus eſſet anniculus, homines generavit. Sed meliores Codices legunt: *buenter in uuorolti*. Quæ lectio cel. SCHERZIUM movit, ut ab interpretatione Stadeniana, cui alias multum tribuere ſolet, recederet. Confer *winter* annus.

ENTERBEN, exheredare. Belgis *onterven*. Proprie eſt privare hæreditate, a privativo *ent*, & *erben* transferre poſſeſſionem, quod dicitur de moriente vel mortuo. Alamanni hunc ſenſum paulo aliter efferunt. KERO in Gloſſis: exheredet *erurerebe*. JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 64. legit *eruzerbe*: SCHILTERUS in Gloſſario pag. 61. *erbe*. Sed nihil videtur in lectione mutandum. Nam *ur* hoc loco privat, & *er* privationem intendit. Et præfixa præfixis cumulare, moris antiqui eſt, quem etiam hodie in multis compoſitis imitamur.

ENTFALTEN, explicare. Inuſitatum, ſed probum & antiquum. Gloſſ. Boxh. *intfaldemes* explicamus. A *falte* plica.

ENTGEGEN, adverſus, obviam. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *ongean* in, contra, adverſus, *ongean-cuman* obviare, *ongean-yrnan* occurrere. Gloſſ. Pez. obtendere *ingagan ſprechan*. Ab *ent* in, & *gegen* contra. Ejusmodi adverbia ex præpoſ. & adverb. compoſita agnoſcit quoque Latina Lingua, ut patet ex *adhuc*, *deinde*, & ſimilibus.

ENTGELTEN, luere pro alio. A ſimplici ejusdem ſignificatus, quod vide.

ENTHALTEN, abſtinere. Novum ſed legitime factum ab *ent* ab, & *halten* tenere. Nam abſtinentis eſt ita tenere & continere animum, ut ſimul a placitis abſtrahatur. Veteres aliis utuntur verbis ad hunc ſenſum exprimendum. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *forbæran* abſtinere. Gloſſ. Keron. abſtinentia *furipurt*.

ENTLEHNEN, mutuare, h. e. mutuum dare, vel fœnori dare, alias fœnerare & fœnerari. Senſus verbi antiquus. Gloſſ. Pez. fœneravi *intlehnota*, fœnerantur *intlehenont*. Refer ad ſimplex ejusdem ſignificatus.

ENTLEHNEN, mutuari, h. e. mutuum ſumere, vel fœnori accipere. Belgice *ontleenen*. Senſus verbi hodiernus, a *lehnen* ejusd. ſignif.

ENTLONEN, retribuere, remunerari, reddere mercedem pro labore, præmium pro meritis &c. A ſimplici *lonen* ſolvere. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *edleanian* remunerare, retribuere, *edlean*, præmium, merces, *edleanung* retributio. Quibus conſentiunt quædam Alamannica apud KERONEM in Gloſſis: retribues *itloon*, de ſpe retributionis *fona uuane des itloones*. Particulæ *ent*, *ed*, *id*, ſunt adverbia numeri, idem ſignificantia, nempe *re* vel *rurſus*. Hodie libentius & frequentius dicimus *belonen*. Belgæ tamen conſtanter dicunt *ontloonen*.

ENTRATEN, carere. Vide *raten* conjungi.

ENTRINNEN, fuga elabi, *entrunnen* elapſus. Gloſſ. Pez. lapſus fuerit *intrinnit*, lapſa eſt *intran*. Jus prov. Alam. Cap. 346. *dem ſin aygen liit entrinnent*, cui homines proprii ſe fuga ſubducunt. Refer ad *rennen* currere. Præfixum *ent* eſt a Lat. *ante*, & ſignificat *præ*, quia elabi eſt prævenire periculum, & antevertere abitu vel rapido curſu. Utcunque autem ſcriptura hodierna ſe tueatur auctoritate antiquæ, mallem tamen ſcribere *entrennen*. Nam *rennen* & *rinnen*, quantumvis antiquitus confuſa, ſenſu tamen differunt. Illud de pedibus, hoc de fluoribus dicitur.

ENTRUSTEN, exacerbare. Proprie inquietum & male tranquillum reddere, a *raſt* requies, & privativo *ent*.

ENTSAGEN, quatenus oritur a verbo forenſi *ſachen*, de quo infra prolixe, ſignificat quantum poteſt, *adverſari*, *abnegare*, *renunciare* &c. Originem & antiquitatem invenies ibidem.

ENTSCHLUPFEN, elabi. Compoſitum antiquum, & a Francis concinnatum, ducta ſimilitudine a rebus lubricis. Gloſſ. Pez. elabitur *intſuſphit*. Lege *intslufphit*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XVI. 56. *thaz er iu n'intslupfe*, ne vobis elabatur. Lib. V. Cap. X. 51. *joh intslupta in gabun*, & diſparuit illis ſubito, tanquam elapſus. Refer ad ſimplex ejusd. ſignif. Præfixum *ent* eſt a Lat. *inde*, & ejusdem hoc loco valoris.

ENTSETZEN, ab officio removere, exauctorare. Gloſſ. Keron. degradaverit *intſezzit*. Refer ad *ſetzen* ponere, collocare. *Ent* eſt disjunctivum, & virum e loco vel dignitate movet.

ENTSETZEN, (*ſich*), horrere metu, metuere. Gloſſ. Pez. metuere *intſezan*, metuebant *intſazun*. Proprie eſt de ſtatu mentis collocari, & cognatum cum præcedenti. Hinc antiquum nonſolum de metu, ſed etiam de ira, odio, & quovis triſti affectu dicitur. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXVII. 88. *ſie inſazun iz harto*, ferebant id valde moleſte. Hodie eſt reciprocum, ſed paſſivi ſignificatus, quia nemo ſe ipſum de ſtatu mentis dejicit, niſi a cauſis externis impulſus. Ab hoc interim compoſito oritur

Gothis *andſet* abominatio Luc. XVI. 15.

Angloſaxonibus *andſate* exoſus, abominabilis.

Germanis *entſezlich* horribilis, abominabilis.

ENTSPENEN, ablactare. Vide *ſpenen* lactare.

ENTSUNDIGEN. V. *ſünde* macula.

ENTWEICHEN, fecedere, excedere, aufugere. WILLERAMUS Cap. VI. 1. *ſage uns, uuara iſt din uuine intuuihhun*, dic nobis, quo declinavit amicus tuus. Refer ad ſimplex.

ENTWISCHEN, elabi. A ſimplici ejusd. ſignificatus, quod vide.

ENTZWEI, in duas partes. Goth. *in twa* Marc. XV. 38. Angloſaxon. *on twa* ibidem. Id eſt, in duo.

ENZEN, referre, aſſimilari, h. e. proprietatem alterius rei in natura propria exprimere. Græcis ἰζειν in multis compoſitis, ut λακωνίζειν Lacones brevitatis ſtudio imitari &c. Nec tamen eſt mera terminatio, ſed potius ab ἴσκω ſimilis ſum, convenio, congruo, per epenthesin, litera K. ut ſæpe alias, in Z. mutata. Utimur in compoſitis tantum, cujusmodi ſunt, *judenzen* judaizare, *faulenzen* otiari, torpentes imitari, *bockenzen* hircum olere &c.

EPHEU, hedera, ciſſus. Angloſaxon. *ifig*, Angl. *ivy*. Vox Indica apud HESYCHIUM: ἔισσος ὑπὸ Ἰνδῶν, Evan ciſſus apud Indos. CASAUBONUS, qui locum primus obſervavit, & vocabulo Saxonico adplicuit, exiſtimat, Indos, vel potius Indo-Scythas, hanc vocem ab acclamatione bacchantium ad ſignificandam arborem traduxiſſe, quia *hedera eſt gratiſſima Baccho*, prout canit OVIDIUS Faſt. III. Alii derivant a Græc. ἐφι valide, fortiter, ſive quia fortiter adhæret rebus comprehenſis, ſive quia firmiſſimas quoque arbores amplexu ſuo enecat. SKINNERUS hederam confundit cum *eibenbaum* taxus.

EPPICH, apium. A Latino, auctoribus Francis. Gloſſ. Pez. apium *epphi*.

ER, ex. Præpoſitio obſoleta. V. *Proleg.* Sect. V.

ER, præfix. V. *Proleg.* loco cit.

ER, ſubfix. V. *Proleg.* Sect. VI.

ER, pronom. demonſt. & relativ. tertiæ perſonæ, quod in Dialectis varie effertur. Nam *ille* Gothis dicitur *is* (S. & R. permutantur), Angloſaxon. *he*, Franc. *er* & *her*, Alam. *er* & *ir*. Evang. Goth. Marc. I. 8. *ik daupja izwis in watin, ith is daupeith izwis in ahmin weihamma*, ego baptizo vos aqua, at ipſe baptizabit vos Spiritu Sancto. Evang. Angloſaxon. Joh. IX. 17. *he cwæth, he is witega*, ipſe dixit, ipſe eſt propheta. Gloſſ. Keron. ipſe *er*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XIV. 111. *er gibot then uuimton*, ipſe præcepit ventis. ISIDORUS Cap. VI. de Cyro: *dhaz ir Jheſus uuardh chinennit*, quod ipſe nominaretur Jeſus. TATIANUS XIII. 5. *her quam in ſin eigan*, venit in proprietatem ſuam. Et ſic ubique. Cum Gothico *is* convenit Græc. ὅς, & Lat. *is*.

ER, adverb. temporis & ordinis, ſignificans *ante*, *prius*. Gothis *air uhtwon* eſt ante diluculum Marc. I. 35. *airiſthau* olim Luc. X. 13. Angloſaxonibus *ær* ante, prius, *ær-boren* primogenitus, *ær-thæm* antequam, *ær-thiſſum* antehac, *ær-thon* antea. Francis & Alam. *er*, *her*, *aer*, ante, prius. Gloſſ. Keron. prius *er*, ante omnia *er allu*, ante ſolis abitum *er dera ſunnen ſedalkange*, antequam *erdenne*. Gloſſ. Pez. perindie *ergeſtre*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XVIII. 121.

Ih ſagen, quad, iu in uuar min,
Er imo ſo iſt thaz uueſan min,
Ih bin mit giuuurti
Er thanne er io uuurti,
Uuarun ziti mino
Er uuurtin io thio ſino,
Min uueſan uuizit ir thaz
Er imo ſiluru uuaz.

Dico vobis, inquit, per fidem meam,
Ante illum eſt eſſe meum,
Ego ſum naſcendo
Priusquam ille fieret,
Tempora mea erant
Ante tempora ſua,
Eſſentia mea ſcitote
Erat diutiſſime ante illum.

ISIDORUS Cap. IV. 5. *aer huuil uurdi uuas ih dhar*, antequam tempus fieret, eram ibi.

Cap.

Cap. V. 3. *aer Lucifere ih dhih chibar*, ante Luciferum genui te. Hodie dicimus *eher*, inſerto H. dum Belgæ cum antiquis dicunt *eer*, Angli *ere*. Radix vocis eſt *a, e, ἀεὶ* ſemper, uſque. Et ab hoc poſitivo, qui omnia temporis momenta complectitur, fit comparativus *a-er*, contracte *aer* vel *er*, prius, quia prius eſt ante præſens, præteritum, & futurum.

ER, quatenus eſt adverb. temporis, ſubſtantivatur, & tunc ſignificat tempus matutinum, & adverbialiter *mane, mature*. Hoc ſenſu Græci dicunt ἦμι, Gothi *air* Marc. XVI. 2. Angloſaxones *ær* ibidem, Angli *early*. Inde Francis *erach* matutinus. Gloſſ. Pez. antelucanum *erachar*. Vox proba, & minime ſpuria, quam contra SCHILTERUM optime defendit doctiſſ. FRICKIUS in notis cancellatis ad Gloſſ. Schilt. pag. 268. Confer *ar* principium.

ER, dominus, in caſibus obliquis *ern*. Titulus honoris, cujus uſus antiquiſſimus, præcipue inter Francos. Gloſſ. Pez. perſonam *era*. Eſt autem *perſona* ſtylo medii ævi non quilibet homo, ſed vir honoratior, & dignitate aliqua ſive eccleſiaſtica ſive ſæculari ornatus. Antiquitus etiam *her* ſcriptum & pronuntiatum videtur. Imo etiam *jor*, quod habent Cambri. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *jor* dominus, princeps. Ab his initiis videntur oriri quædam diminutiva, Angloſaxonicum *eorl*, Anglicum *earle*, Danicum *jarl*, dux, comes, ſatrapa, nobilis: Et ab illis Latino-Barbara *herilis* & *erilis*. Vocem ex Gloſſis antiquis ſiſtit CANGIUS, ex quo ſequentia decerpo. Gloſſ. Græc. Lat. *δεσποτικὸς erilis, δεσπότινος erilis*. Gloſſ. MS. Eccl. Paris. *Erilis, filius dominicus. Eriles, domini, domnuli*. PAPIAS, qui *herilis* ducit ab *herus*, vocem Latinam cum Latino-Barbara confundit. Illa eſt a Latino *herus*, hæc ab Anglo-ſaxon. *eorl*. SPELMANNO *eorla* eſt vox Danica, idemque quod *aldermannus*. Recte quoad ſenſum, male quoad originem. Nam *eorl* diu ante Danorum in Angliam ingreſſum Angloſaxonibus uſitatum fuiſſe, SOMNERUS ex Legibus ALUREDI Regis, & Saxonica CÆDMONIS Paraphraſi demonſtrat. Ipſe ducit ab *are* honos, ſed nulla literæ L. habita ratione. SKINNERI vero originatio, qua vox Saxonica ab *are* honos, & *ethel* nobilis, conflatur, nimis violenta eſt. Cum ex adverſo *eorl* nullo negotio fiat e ſimpliciori *er*, per notam diminutivi L. Si quæratur, unde ſit Theotiſcum *er*, diverſa reſponſa accipimus. HULDRICUS ab EYBEN Op. pag. 609. *Stylo Curiæ*, inquit, EHR *aliquando placuit pro* HERR, *reſpondens contracto* DOMNUS, *quo poſteriora ſecula pro* DOMINUS *uſa perſonas eccleſiaſtica dignitate ſungentes appellarunt*. Similia habet ECCARDUS in Cat. Theot. pag. 162. *Vox* HERR *olim* ER *ſcribebatur, unde adhuc ſtylus Curiæ, quando Principes ad honoratiores ſubditos ſcribunt, ſuum* EREN, *vel* DEM EREN *retinet*. DIECMANNUS in Spec. Gloſſ. pag. 125. *Ab* ERO, *honor, iſtud* ER *originem traxiſſe exiſtimo, quod virorum honoratiorum, ut Nobilium & Clericorum, nominibus propriis majores noſtri præmittere ſoliti ſunt, quamvis* BECMANNUS & ECCARDUS *ab* HERR *declinent. Mihi enim eminentiæ declarandæ gratia, figura omnibus Linguis familiari,* HONOREM *pro* HONORATO *dicere voluiſſe videntur*. Sed huic duriſſimæ figuræ mox diffiſus, aliam propinat etymologiam his verbis: *Commode etiam ad* ER, *prior, referre poſſis, ut virum honore & dignitate aliis priorem notet*. Mallem tamen repetere ab *her* altus, cum quia ſenſus ab altitudine naturali ad civilem eminentiam facile transfertur, tum quia hoc adjectivum, quando tranſit in ſubſtantivum, neceſſario *magnatem* ſignificat. Et hunc primum vocis ſenſum arbitror. Tales enim erant veteres illi *Eres* & *Eriles, Eorlæ* & *Jarli*, nempe viri illuſtres, & vel principes, vel principibus pares. Qui dubitat, adeat CANGIUM in voce *Heriles*, & SPELMANNUM in voce *Eorla*. In Monumentis Sæculi XIV. *Er* tribuitur adhuc Principibus, Epiſcopis, & omnibus nobilioribus militari baltheo cinctis. Teſtimonia diplomatica M. HORNIUS V. D. in literis ad me ſequentia communicavit. Charta an. 1358. Fer. 4. ante Læt. *pfleget Marggr. Wilhelm zu Meiſſen mit rathe der hochgeboren fürſten,* ERN *Friederichs und* ERN *Balthaſars, ſeiner Brüder, eine Eheberedung*. Charta an. 1385. *Mitw. n. Neuen Jahre ſtifften Herzog Wenzel zu Sachſen und Landgraf Balthaſar zu Thüringen zwiſchen* ER *Friederich,* ER *Wilhelm, und* ER *Jürgen, Landgrafen zu Thüringen, und der Stadt Leipzig, wegen der Gerichte einen vergleich*. Charta an. 1399. *Mitw. nach Eſto mihi, eignet Hr. Friedrich der Streitbare nebſt ſeinen gebrüdern den Dominicanern zu Leipzig einen weinberg. Teſtes die Erbarn und geſtrengen,* ER *Peter Tum-Probſt zu Merſeburg,* ER *Jan von Hugewitz Ritter* &c. Poſtea (ut fieri ſolet in Titulis) vileſcere cœpit, & omnibus promiſcue nobilibus, clericis, doctoribus, & literatis tribui. De poſtremis teſtis eſt Concio VII. MATHESII de vita & Scriptis Lutheri, ubi hoc præſamen honoris plus quam decies occurrit:

Er Zacharias Weixner, Pfarrner zu Bruck,
Er Johan Bugenhagen,
Er Licentiat Zülsdorff,
Er Valtin Mellerſtad,
Er Clam von Franckfurt,
Er Leonhard Keyſer,
Er Philippus,
Mein Er Doctor Ecolampadius,
Er Brentius.

Hodie ſuperat in ſtylo Palatii, ſed extra palatium obſolefcit.

ERARNEN, conſequi, promereri, *erarnet* acquiſitus, ſive labore, ſive meritis. Vide ſimplex.

ERAUGEN, *ereugen*, apparere, oſtendi, *hieraus ereuget* hinc apparet. Gloſſ. Keron. appareat *keauge*. Ab *augen* apparere.

ERAUGEN, *ereugen*, oſtendere, manifeſtare, facere ut appareat, *es eraüget ſich eine gelegenheit* occaſio ſe offert. Gloſſ. Keron. oſtendat *keaucke*, oſtendunt *kaaugont*. Gloſſ. Boxh. oſtenditur *arbaughit iſt*. TATIANUS Cap. CLXIII. 1. *erougi uns then fater*, oſtende nobis patrem. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XIII. 27. *thaz thie engila in irougtun*, quod Angeli illis indicaverant. Vulgo ſcribitur *ereignen*, quòd periti non debent imitari. Eſt enim ab *augen* oſtendere, & hoc ab *aug* oculus. Ideoque STADENIUS ſcribit *eraugen*, in Voc. Bibl. pag. 94. & 820. Et ſic etiam ſcribit MATHESIUS Conc. XV. de vita & Script. Luth. pag. 185. lin. 13.

ERBAR, illuſtris, nobilis, perſonatus, h. e. in dignitate aliqua ſive Eccleſiaſtica ſive ſæculari conſtitutus. Id enim eſt *perſonatus* apud Latino-Barbaros, interprete CANGIO. Sic autem dicitur quaſi illuſtribus æqualis, a *bar* par, quod vide in PROLEG. Sect. VI. & titulo honoris *er*, de cujus ſignificatu actum ſupra prolixe. HULDRICUS ab EYBEN Op. pag. 830. ex tabulis publicis permulta ſiſtit exempla, ex quibus patet, titulum *erbar* inde ab initio Sæculi XIV. uſque ad exitum, fuiſſe Principum, Epiſcoporum, & Abbatum proprium, & ſuperiorem titulo *edel* nobilis, qui ſæculis prioribus erat omnibus titulis eminentior. Quibus addo ex obſervatione Amici mox laudandi, Chartam an. 1332. in qua R. Bohemiæ Johannes ceſſionem facit Friderico Severo, Landgravio Thuringiæ, *mit wiſſen und gezeügnus der* ERBARN FURSTEN *und Herren, Baldewyns Ertzb. zu Tryer, Wittegen Biſchoff zu Meiſſen, Grave Heinrichs von Honſteyn, Grave Heinrichs von Swartzburg, Hermanns Purchgraffe zu Meiſſen* &c. Vergente ad finem ſæculo, *erbar* & *unerbar* cœperunt opponi ut *nobilis* & *plebejus*, quod mihi oſtendit ex Charta an. 1398. FRIDERICO BELLICOSO (lingua vernacula propediem proditurò) inſerenda amicus M. HORNIUS, Antiquitatum Saxonicarum ſcrutator doctiſſimus & feliciſſimus. Vox cum ſæculo XIV. nata & denata.

ERBAR, honeſtus, inculpatus. Proprie honore ſpectabilis, ab *ere* honor & *bar* conſpicuus.

ERBARMEN, miſereri. Compoſitum Francicum. Gloſſ. Pez. miſereor *mir irparmet*, condeſcendunt *irparment*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XVI. 36. *thaz iro leid ſie irbarme*, ut illos calamitatis eorum miſereſcat. Ratio compoſitionis eſt a ſimplici *armen* miſereri, de quo ſupra, per præfixa *er* & *be*, quæ hoc loco ſenſum intendunt, ſic ut *erbarmen* idem ſit ac *er-be-armen* valde miſereri. Vide Doctrinam de Præfixis in ER. BE. & B. Idem etymon ſe probavit celeberrimis Linguæ noſtræ Duumviris, STADENIO in Voc. Bibl. pag. 105. & DIECMANNO in Spec. Gloſſ. pag. 134. Alii derivant a *barmen* fovere, quia miſericordes ſolent fovere eos, quorum miſerentur. Secundum hanc etymologiam *ſich erbarmen* erit potius fovere ſeipſum quam alium, quod a ſenſu vocis alienum. Pone vero ſignificet quod volunt, nondum efficiunt quod optant, niſi cauſas & effectus rerum confundant. Nam miſereri eſt miſeria affici, & miſericordia primo compatitur, & deinde fovet. Gothi ſimpliciter dicunt *arman*. Angloſaxones *miltſian*. Inde *miltſa me* miſerere mei, Marc. X. 48. *gemiltſa us* miſerere noſtri, Luc. XVII. 13. Belgæ utuntur compoſito *ontfermen*, B. in F. mutato. Confer dicta in *barmen*, *barmherzig* & *barmherzigkeit*.

ERBE, poſſeſſio viventis, mobilis & immobilis. Vox Angloſaxonica. SOMNERUS: *orfe* pecus, pecunia, bona, res, facultates, ſubſtantia, *yrf*, *yrfe* pecus, bona, res. LUNDIUS in notis ad Indicem Verelii pag. 2. *urf* univerſa ſupellex ruſtica & prædiorum dos. Hic primus vocis ſignificatus, unde ſequentes omnes tanquam penetralia a foribus dependent. Quem cum non animadvertiſſent vocabulorum venatores, ad miras etymologias delapſi ſunt, de quibus poſtea. Ratio, cur poſſeſſio ſic appelletur, a duobus illis, quos laudavi, Viris doctiſſimis, diverſa affertur. LUNDIUS appellationem ducit ab *orva* vel *urva* glebas vomere aratri proſcindere, dentatis raſtris vertere & minuere. Sed hæc radix nimis angusta videtur, & totius poſſeſſionis amplitudine minor. SOMNERUS contrahit ex *or-feo*. Et *feo* quidem bonum mobile & immobile denotare poteſt. Sed quid ſit *or*, non explicat. Mihi vox ſimplex & minime compoſita videtur. Quod ut oſtendam, obſervare jubeo, nexum, quo res vel bona nobis adhærent, vel ad nos pertinere dicuntur, in omnibus pene linguis figuratis quibusdam locutionibus exprimi. Ita pertinere Germanis dicitur *gebören* ab auditu, Latinis *ſpectare* a viſu, Græcis *φέρειν*, a vergendo. Hoc ſuppoſito, manifeſtum eſt, Francos a *φέρειν* pertinere formaſſe *raub* peculium, Saxones *orf* eodem ſenſu, transpoſitis ſaltim literis.

ERBE, hæreditas, poſſeſſio defuncti. Gothis *arbi*, Luc. XX. 14. Angloſax. *yrf*, *yrfe*, Franc. & Alam. *erbe* & *erve*. Gloſſ. Lipſ. *ereve* hæreditas. Verel. in Ind. *arf*, *urf*, *orf* hæreditas. LEIBNITIUS in Excerpt. Mejerian. pag. 289. exiſtimat, majorum noſtrorum vetuſtiſſimos *erbe* derivaſſe ab *arf*, vocabulo Celtico, telum, ferrum, ſagittas, & quælibet arma denotante, quod tunc arma venatori hominum beſtiarumque populo ſola eſſet hæreditas. Verum cum hæreditas ſit ipſa poſſeſſio defuncti ad viventes transmiſſa, nova etymologia opus non eſt præter eam, quam res, quatenus poſſeſſio eſt, involvit. Hinc poſſeſſio viventis & mortui in Lingua Angloſaxonica & Islandica iisdem vocabulis effertur. Olim deduxi a *werfen* jacere, per

per aphæreſin, & hæreditas mihi videbatur dici *yrf*, quaſi fors, ſive id quod jactu cadit, vel quaſi numerus teſſeræ, qui Cambris vocatur *eirif*. Sed poſtquam primum vocis ſignificatum (qui aciem meam diu effugerat) inveſtigando deprehendi, aliter ſentire cœpi, præſertim cum TACITUS de uſu ſortium in familia hercifcunda plane taceat cap. XX. de moribus Germanorum.

ERBE, hæres, ſucceſſor in bonis defuncti. Ab *erben* obire hæreditatem. Gothis *arbja*, Marc. X. 17. Francis *erbo*, Alaman. *eribo*. Gloſſ. Keron. heredes *eribun*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. VI. 15.

Thie Gotes botun sluagan,
Joh then adal erbon.

Ubi *adal erbo* ſignificare poteſt tam legitimum quam primarium hæredem, quoniam *adal* in Indice VERELII utrumque ſignificat. In eod. Ind. *arfi* exponitur hæres. Latino-Barbari *aribonem* vocant, apud ECCARDUM in Cat. Theot. pag. 161. voce ad modulum Alamannicæ formata. Angloſaxones utuntur compoſito, quod vide in *erbnam*.

ERBEN, cujuscunque ſit ſignificatus, oritur a ſubſt. *erbe* poſſeſſio, hæreditas, non vice verſa. Duo autem ſignificat in foro, (1.) *transferre poſſeſſionem in alios*. (2.) *obire hæreditatem*. Latini inferiores utroque ſenſu dicunt *hæreditare*.

ERBEN, transferre poſſeſſionem in alios. Significatum exhibet Cel. SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 60. & 61. cujus verbis & citatis hic utar. „Ita regula juris antiqui Germanæ Jurisprudentiæ: *der tote erbt den lebendigen*. „Quæ & Francis communis: *le mort ſaiſit „le vif*. De qua Tiraquellus commentatus, „& vide ſi placet Exerc. noſtram XV. ad π. „& XXX. Ita Jus provinciale Alem. Cap. „CXCV. (lege Cap. CLXXXI. 1.) *der zinsman erbet ſein haw uf ſinem erbe*. Et Jus „Sax. Lib. II. Cap. 21. *der zinsman erbet ſein „gebew auf ſein erben:* cenſitus ſua relinquit „in fundo cenſuali ædificia ſuis hæredibus. „J. Feud. Alem. Cap. XLIII. 2. *es erbet niman lehn, uuenne der vater uf den ſun:* „nemo hæreditat, i.e. hereditario jure transmittit feudum, niſi pater in filium. Latino-Barbari eodem ſenſu dicunt *hæreditare* & *adhæredare*, apud CANGIUM.

ERBEN, obire hereditatem, ſuccedere in bonis defuncti. Gothi & Angloſaxones carent verbo. Franci & Alam. dicunt *erben*. Gloſſ. Lipſ. *giervun ſal* hæreditabit. Alium vocis ſenſum, aliamque proſapiam quærit ECCARDUS in Cat. Theot. pag. 159. 160. ubi ſequentia leguntur: *"Erben* proprie eſt *ad„ſumere, connecti. Ar* eſt *ad*, de quo ſupra „actum. Cæmentarii lapidem, qui reliquos „continet, vocant *den erb-ſtein*, & quando „firmiter adhæret cæteris lapis, tunc dicunt „*der ſtein erbet*. Porrigo ſeu ſcabies capitis „contagioſa, quæ ab aliis eo malo affectis, „facile adſumitur ſive adhæret, vulgo *der „erbgrint* audit. Et quis ſcit, annon Græ„corum ὄροβος, Latinorum *ervum*, & no„ſtrum *erbſe* ex eadem radice deſcendens „indicet leguminum genera, quæ ſe inter „ſeſe connectunt, ſibique invicem aut ful„cris appoſitis adhærent? Hoc certe ervo„rum & piſorum eſt, quæ natura caduca ad „terram feruntur, ut ſe invicem & quic„quid nanciſci poſſunt præterea, claviculis „ſuis, quaſi manibus complectantur. Bra„chium eadem de cauſa veteribus *arm*, no„bis *arm* dictum eſt, quia illo *aſſumimus, com„plectimur* & *tenemus res*, ſive quia ipſo me„diante aliis rebus *connectimur*. Græcis ἔρυω & ἄρω eſt *necto*, *copulo*, unde recentioribus ἔρος, *connexus* ſive *propinquus*. Do„mnizo in vita Mathildis Ducatricis Lib. I. „Cap. 18. canit:

„Cæſar Henricus Comitiſſæ tempore vivus,
„Extiterat, ſcimus, quod herus fuit atque propinquus,
„Ipſe Beatricis Magnæ - - - -

„Huc etiam referendum eſſe credo verbum „Saxonum *hören*, & Teutonum *gehæren, per„tinere, proprium* aut *connexum eſſe*. Ne„que nos turbare debet aſpiratio, quæ ve„teribus pro jubitu nunc præpoſita, nunc „omiſſa eſt, ipſa *hæredis* voce teſte, quæ „olim ſine ſpiritu *eres* & in accuſativo *erem* „ſcripta eſt. Erit itaque & *heres* & *erbe* is, „qui bona defuncti *adſumit ſibi*, & *connectit*, „ſive, cui *propria* atque *ita connexa ſunt bona, ut naturaliter ab eo alienari non poſſint*. Huc usque ECCARDUS, non certe ea ingenii vena, quam toties benignam expertus eſt in vocibus explicandis. Nam pleraque aut falſa ſunt, aut ita turbata, ut in illis ECCARDUM ipſum deſideres. Anſam excurſioni tam vaſtæ & intricatæ dedit Gloſſa ex Symbolo Athanaſii Theotiſco excerpta, & male intellecta: ARHABANI, *adſumitione*. Atqui hæc Gloſſa non eſt a verbo conficto *erben* adſumere, connecti, ſed a radice *heben* levare. Hinc totum compoſitum proprie non adſumtionem, ſed exaltationem ſignificat. Gloſſ. Keron. levare *heſſan*, exaltet *heffe*, exaltabitur *iſt erhaban*, extollatur *ſi erhaban*, exaltatus *erhapener*, exaltationem *erhabanii*, adſumptione *inthabanii*. Id eſt, exaltatione. Patet ex Regula S. Benedicti Cap. 63. *Abbas autem, qui vices Chriſti creditur agere, Dominus & Abbas vocetur, non ſua aſſumptione, ſed honore & amore Chriſti*. Germanice dixeris: *der Abt ſol ſich einen herrn nennen laſſen, nicht aus eigener erhebung, ſondern Chriſto zu lieb und even*.

ERB-EXEN, jus cædendi ligna in ſilvis, prædiis adhærens. Ab *exe* ſecuris, quæ Angloſax. *æx* vel *ex*, Germ. ſup. *axt*. Rem & nomen illuſtrant LEIBNITIUS in Excerpt. Meicrian. pag. 290. ſeq. SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 61.

ERBIETEN, offerre. Gloſſ. Pez. offeres *irpiotes*. Inde *orbede* & *urbede* tributum voluntarium. Nam *er*, *ir*, *or*, & *ur* permutantur. Plura vide in ſimplici.

ERB-

ERBLEICHEN, pallescere, sive culpa, sive infirmitate, sive terribilis rei occursu, sive alias ob causas. Refer ad simplex.

ERBLEICHEN, mori, *erblichen* mortuus. Gloss. Pez. concidit *irpleihheta*. Præfixum *er* hoc loco est adverb. ordinis, & ultimum pallorem significat.

ERBNAM, hæres, hæredipeta, vel potius hæredicepes, a capienda hæreditate. Gothis *arbinumja*, Marc. XII. 7. Anglosax. *yrfenuma*, ibid. Belg. *erfgenaem*. Refer ad *nemen* capere.

ERBS, *erbes*, *erbis*, pisum. Lat. *ervum*, Franc. *arauuiz*, Belg. *erwet*, Suec *ært*. Gloss. Pez. cicercula: *arauuiz*, frixum cicer *inchentu arauueiz*. Vox Suecica nimia brevitate laborat: Latina & reliquæ manifesto sunt a Gr. ὄροβος ervum. ECCARDUS vocem Græcam supra deduxit ab *erben* assumere, quia pisa sibi invicem & fulcris adhærent. Quod tamen eo sensu nusquam reperitur. Mihi videtur oriri ab ἐρέφω tego, & proprie denotare omne legumen siliqua tectum.

ERBSCHAFT, hæreditas. Novum, sed probum. Vi compositionis est hæreditas ex testamento vel codicillo. Nam *schaft* constitutum quid significat.

ERBSCHICHTER, arbiter hæreditatis. Utitur Luth. Luc. XII. 14. Refer ad *schichten* dividere, partiri.

ERBWART, hæres, exspectator hæreditatis. Anglosax. *yrfe-weard* Luc. XX. 14. *her ys se yrfe-weard*, ipse est hæres. Refer ad *warten* exspectare.

ERCHTAG, dies Martis. V. *Erich*.

ERDE, terra, elementum aridum. Gothis *airtha*, Anglosax. *eard*, *eord*, *eortho*, Franc. & Alam. *erda*, *herda*, Angl. *earth*, Belg. *aard*, Dan. & Suec. *jord*. Conveniunt sono & significatu Heb. *erez*, Chald. *artha*, Syr. *artho*, Ægypt. *ertosi*, Græc. ἔρα. Extra hanc cognationem *erde* majoribus nostris, utpote Geolatris, significare potuit *Deam* vel *Matrem*. Illud ab *eren* colere, hoc ab *ar*, *or*, *ur* principium. TACITUS de Semnonibus Cap. XXXIX. *Per humum evolvuntur*, *eoque omnis superstitio respicit*, *tanquam inde initia gentis*. Idem de Suevis Cap. XL. *In commune* HERTHAM, *id est*, *terram matrem colunt*. Cambri inverso literarum ordine terram vocant *tir* & *daear*. Quamvis etiam *ard* haud alienum sit ab eorum Dialecto, ut postea ex compositis & derivatis patebit. Latinos a Celtico *tir* formâsse *terræ* nomen, existimat PEZRONIUS. Aliam terræ appellationem vide in *Teut*. Ab illa, de qua hic agitur, nomina accipiunt quædam terræ productiones, apud Anglosaxones *eorthcend* terrigena, apud Francos *erd-ephili* pepones, *erdfur* sulphur, apud Germanos *erdberen* fraga, apud alios alia & pene innumera.

ERDE, orbis terrarum, terra quatenus opponitur cœlo. Hinc *Cœlum & terra*, de quibus sermo Matth. V. 18. interpreti Gothico dicitur *himins jah airtha*, Anglosaxonico *heofon and eorthe*, Francico *himil inti erda*, in Harm. Evang. Tat. Cap. XXV. 5. *er thanne zifare himil inti erda*, donec transeat cœlum & terra. Inde composita Anglosaxonica

middan-eard, terra, a medio situ sic dicta, & quod fortasse plures in universo terras præter hanc mediam agnovissent. Vox in Evangelio Anglosaxonico Joh. I. 9. 10. & passim obvia. Consensum Gothorum & Francorum vide infra in *gard* mundus.
eorthan-ymb-hwyrft, circulus orbis terrarum.
eorth-nafel, umbilicus terræ.
eorth-waru, terricolæ.
eorth-rice, terra.

Alias terra Gothis dicitur *manaseds*, h. e. sedes hominum, quasi hanc animo concepissent opinionem, ut cœlum Dei, ita terram hominum esse sedem & habitaculum. Et sic etiam de terra sentit PLINIUS Lib. II. Cap. 63. & Ansibariorum Legatus apud TACITUM Annal. XIII. 55. Præcipuum Francorum compositum est *erdring* orbis terræ.

ERDE, territorium, & quævis regio habitabilis in superficie orbis terrarum. TATIANUS Cap. XI. 2. *quam zi erda Israel*, vetiebat in regionem Israel. Gloss. R. Mauri: territorium *erdmarcha*. Proprie terra limitanea. Miratur PALTHENIUS hoc tanquam insolentius dictum. Sed nihil obstat, ut sensus a toto ad partem transferatur. Hinc nonsolum Franci, sed etiam Gothi & Saxones ita loquuntur Matth. XXVII. 45. Luc. IV. 25.

ERDE, ager, terra arabilis. Anglosaxonibus *yrth* & *yrtland*, Francis ut supra. TATIANUS Cap. LXXV. 4. *thie thar in guota herda gisauuit ist*, qui in bonam terram seminatus est. Hinc colonus, agricola Cambris dicitur *arddwr*, quasi vir agri, & Anglosaxonibus *eorthling*, *yrthling*, nisi malis referre ad *erden* arare.

ERDE, solum, humus, terra quam pedibus calcamus, & quævis terræ portio, parva vel magna. Gloss. Pez. solo *herdu*.

ERDE, fundus. VEREL. in Ind. *jord* fundus, *jordattari* dominus fundi.

ERDE, inferiora terræ. Inde

Anglosaxonibus *eorth-beofung* terræ motus.
Francis *erdpruft* vorago.
Germanis *beerden*, *beerdigen* inhumare. Cui simile verbum Cambricum *daearu*, si metathesin adhibeas.

ERDEN, terram colere, arando vel alio modo. Cambris *aredig*, Armoricis *arat*, Francis *arton*, quod cognoscitur ex derivatis. Nam hinc colonus, agricola Gothis dicitur *aurthja* Luc. XX. 10. 14. Francis *artar*. Gloss. Boxh. *artarum* cultoribus. Et huc etiam spectat *ard* aratio, vox antiquo-Scandica apud VERELIUM in Indice. Quicquid horum est, cum universa familia pridem extinctum est.

ER-

ERDEN, habitare. Angloſax. *eardian*, *eardigan*, Franc. *arton*. Gloſſ. Lipſ. *ordon* habitabant. TATIAN. Cap. XI. 4. *artota in dera burgi*, habitavit in civitate. Idem Cap. XVI. 2. *uuar artos*, ubi habitas? Senſus ab agricultura ad manſionem translatus, quia veteres in agris, quos colebant, etiam habitabant. Latinis quoque *colere* ſæpe eſt habitare. Hinc illa vox Anchiſæ apud VIRGILIUM: *Elyſiumque colo.*

ERDEN, manere. ISIDORUS Cap. IX. 1. *ſiin ſamo ardot in euuin*, ſemen ejus manebit in æternum. Senſus ab habitando ad manendum translatus, quia manentes ſunt degentibus & habitantibus ſimiles.

ERDEN, honorare, venerari. Cambris *arddunaw* apud BÓXHORNIUM in Lex. Ant. Brit. Senſus a cultu terræ religioſo petitus, & ad omnem honoris, ſubmiſſionis, & cultus demonſtrationem, quæ tetrigenis exhibetur, translatus. Confer *eren* honorare.

ERDRAUCH, ſumaria. V. *rauch* fumus.

ERDREICH, orbis terræ. Angloſax. *eorthrice*. Proprie eſt regnum mundanum, & occurrit eo ſenſu apud TATIANUM Cap. XV. 5. *inti arangta imo alle thiſena erdrichen*, & oſtendit ei omnia regna mundi.

ERDREICH, territorium, *erdreich* fundus privati. Hodie utrumque in ſubſtantivo *reich*.

ERDROSSELN. V. *droſſel* jugulum.

ERE, honor, cultus. Angloſax. *are*, *arna*, Franc. & Alam. *era*, *hera*, Belg. *eer*. Gloſſ. Keron. honorem *ero*, honore *heru*. Verbale ab *eren* colere, honorare. Inde compoſita *erlich*, *erwürde*, *ererbietig*, & ſimilia, quæ non carent vetuſtate. SOMNER. in Dict. Angloſax. *arlice* venerabilis & venerabiliter, *arwurtha* reverendus, honorandus. Gloſſ. Keron. honeſte *erlihho*, reverentia *eruuirdy*, honeſtiores *eruuirdigoron*. Gloſſ. Pez. deferant *era irpiotan*.

ERE, cultus divinus, reverentia quæ Deo & rebus ſacris debetur. Inde Angloſaxonibus *ar-fæſt* pius, *ar-leas* impius. Similia habent Alamanni. Gloſſ. Keron. pius *erhafter*, impietatem *erloſida*. Hodie *eren-veſt* & *erenhaft* ſunt tituli honoris, qui, cum ab antiquis nobis traditi ſint, tantum ſignificant, quantum poſſunt, nempe nonſolum honeſtum, ſive eum, qui ſui alienique honoris cuſtos eſt, ſed etiam pium & religioſum, omnino ab *eren* colere, honorare, quia religio omnium judicio eſt verus vel falſus Dei cultus.

EREN, colere terram, arare, humum vertere. Verbum omnibus antiquis uſitatum, quod originem refert ad *ar*, ἔρα, terra, arvum, & Gothis eſſertur *arian* Luc. XVII. 7. Angloſaxonibus *erian*, *erigan*, Francis *eren*, *erren*, Angl. *eare*, Islandis *aria* apud VERELIUM in Indice, Friſiis *era* apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 64. Quibus conſentiunt Arab. *haruſa*, Græc. ἀρόω & Lat. *arare*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. IV. 85.

Uns errent ſine pluagi
Bi iaron io ginuagi.

Quæ verba optime vertit cel. SCHERZIUS

Nobis arant ipſius aratra,
Quotannis omnino ſatis.

Chriſtus enim, cum ſit Dominus omnium rerum, non opus habet aratro, ſicut nos, ad producendum panem. Jus prov. Alam. Cap. 275. *der fræmden acker unuuizzend ert*, qui agrum alterius ignarus arat. Inde *ungeraran uelt* campus inaratus apud WILLERAMUM Cap. II. 1. & *eriung* aratio in Gloſſis ÆLFRICI, Anglis *earing*, & *ar* cultura in Lex. Run. OL. WORMII. Hodie ſuperat apud Argentinenſes, qui quotidie uſurpant *einen acker eren* pro arare agrum, teſte SCHERZIO in notis ad rhythmum Otfridi: imo etiam apud Suevos, quibus *umberen* eodem ſenſu dicitur, monente FRICKIO in notis cancellatis ad Gloſſ. Schilt. pag. 269.

EREN, honorare, venerari. Gothis *ſweran* per proſtheſin, Angloſax. *arian*, Francis & Alam. *eren*. Gloſſ. Keron. honorare *eeren*, venerari *ereen*. Idem Belgis *eeren*, Sueciis *æra*. An ab ἔρα terra, ſenſu a cultu geolatrico ad quemvis cultum translato? Hoc videtur exigere ſynonymum *erden*, quod certe a cultu terræ deſumptum eſt. Extra hanc analogiam *eren* poteſt idem eſſe quod laudibus extollere, ab *her* altus; Vel idem quod ἀρᾶν curare, cum cura verſari circa aliquem, quomodo etiam Latinis *colere* primo eſt curare terram, mox etiam curare parentes, amicos, Deos &c. Sed præſtat ad unam familiam referre quæcunque poſſunt, quam ſcalam peregrinis interrumpere.

EREN, capere, accipere. Gloſſ. Pez. accipere *eran*. Similiter & Græcis ἀμφέω eſt capio. Hodie ſuperat in derivatis, quorum præcipuum eſt *ar*, vel *arn* accipiter. Alamanni recentiores huic verbo præpoſuerunt W. dicentes *weren*. Inde *gewer* eadem Dialecto eſt poſſeſſio, ab occupatione ſic dicta.

EREN, metere. Omnino ab accipiendo. Quid enim eſt metere, niſi ſegetes capere? Cognoſcitur ex derivatis, partim vigentibus, partim obſoletis. Ad primam claſſem ſpectat *ernde* meſſis; ad ſecundam

ar, annona, proventus annuus, apud VEREL. in Ind.
aeron, fructus æſtivi, apud Cambros.
arn, meſſis, dialecto Francica, de quo ſeorſim.

EREN, æneus. Gloſſ. Pez. bubus æreis *rindrun erinn*. NOTKERUS Pſal. XVII. 35. *du tate mina arma ſtarche ſo erinen bogen*, tu roborasti brachia mea ut arcum æreum. BENSON. *are* æneus, *eran* tinnulus, *erenne* ferreus. SOMNER. *are* æneus, æreus, *thurh are nædle eage* per foramen acus æreæ, Luc. XVIII. 25. Cuncta a ſubſt. obſoleto *er* æs, quod vide. Cum utroque convenit *æs* & *æreus*.

EREN, expedire, perficere, exequi. Forte idem eſt quod operis alicujus curam ſuſcipere, ab ἄρα cura. Gloſſa manuſcripta Anglosaxonica apud SCHILTERUM in Gloſſ. Teut. pag. 56. *areddun* expediebant. VEREL. in Ind. *arna* negotium expedire, *are* curator negotiorum, *erendi* negotium. In Marchia Brandeburgica *arende* etiamnum eſt negotium, *arendieren* negotiari, *arendator* negotiator.

EREN, dicere, nunciare, denunciare. Græcis ἐρεῖν. Ad hoc verbum, quamvis pridem extinctum, manuducimur a multis derivatis, quæ ad aliud referri principium vix poſſunt commodius. Talia ſunt,

Cambrica, *herod* nuncius, *herodraeth* negociatura.

Mœſo-Gothica, *airu* legatio Luc. XIV. 32. *airuns* legati Luc. IX. 52.

Angloſaxonica, *ar* nuntius, angelus, *aras* nuntii, angeli, *ærend* nuncium, mandatum, legatio, *ærend-gewrit* epiſtola, *ærend-raca* nuntius, legatus, apoſtolus, *ærendian* annunciare, mandata deferre.

Francicum *arunti* nuncium, legatio. Vox OTFRIDO familiaris. Inde *ſconi arunti* pulcrum nuncium, *ſelba arunti* idem nuncium, *Gotes arunti* Dei nuncium, apud eundem Lib. I. Cap. IV. 96. 116. 129. 134. Et toties quoque occurrit in Capite ſequenti. Excerpta vide apud SCHILTERUM in Gloſſario.

Suco-Gothica, *ara* nuncius, legatus, *konungsara* nuncius Regis, legatus, apud STIERNHIELM. in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 7.

ERENHOLD, fecialis, caduceator, miniſter publicus. Qui hunc miniſtrum cum *Heraldo* confundunt, nomen ejus varie interpretantur. Aliis ſignificat *domino* vel *exercitui fidelem*, ab *hold* fidus, & *herr* dominus, vel *her* exercitus. Aliis *miniſtrum exercitus*, qui inter cuneos hoſtium libere fert imperata, ab *her* exercitus, & *ald* ſervus, quamvis hoc nomen nunquam reperiatur ſervis honeſtioris conditionis, & multo minus legatis tributum. Nam *aldius* proprie eſt ſervus in domo domini nutritus & educatus, ut demonſtravi in loco. PALTHENIUS, qui hic præ cæteris audiri meretur, componit ab *airun* nuntius, legatus, quod Gothicum, & *hold* amicus, ſic ut totum compoſitum ſignificet caduceatorem, amicitiæ vel ſervandæ vel reſtituendæ intentum, in Animadverſ. ad Iſidorum pag. 411. Sed nihil obſtat, ut quemvis miniſtrum, & quacunque de cauſa miſſum, denotare poſſit, ſi derivetur ab *ærend* mandatum, & *halten* tenere. Nam qui legatione fungitur, tenet aliquid in mandatis. Simile compoſitum eſt, quando *caduceatores* in Gloſſario ÆLFRICI vocantur *ærend racan*, quaſi oratores negotiorum, a *reccan* narrare, declarare, enarrare, quia principis ſui mandata ad alium principem deferunt. Unde ſit illud *ærend*, & quam habeat in omnibus veterum Dialectis cognationem, paulo ante oſtendi in *eren* nunciare. Interim *erenhold* & *herold*, qui vulgo confunduntur, mihi videntur diſtinguendi. Ille negotiis publicis adhibetur tanquam ſacer nuntius, hic vel nullam obit legationem, vel ritualem tantum. Vide dicta in *herold*.

ERESBURG, Caſtellum Martis, in Monum. Paderborn. Si vera eſt interpretatio, *Eres* Germanorum idem erit qui Ἄρης Græcorum. Et potuit ſane Mars eo nomine innotuiſſe noſtris, etiamſi illud nuſpiam literis mandatum inveniam. Alia Martis nomina vide in *Wig*, *Erich*, *Dienſtag*.

EREUGEN. V. *eraugen*.

ERFAREN, experiri. V. ſimplex ejusdem ſignificatus.

ERFULLEN, implere, *erfüllung* complementum. Gloſſ. Keron. implere, adimplere *eruullen*, *erfullen*. Refer ad ſimplex.

ERGERN, *ærgern*. V. in *arg*.

ERGOTZEN, *ſich ergötzen*, lætari, voluptate perfundi, ob poſſeſſionem alicujus boni, quod Gothice & Saxonice dicitur *god*, hodie *gut*. Quidam ſcribunt *ergetzen*, ſed male, quia appellationem ducit ab objecto, quod eſt bonum præſens, a quo naturaliter oritur lætitia. Cum ſimplici *götzen*, quod neſcio ubi inveniam, convenit Heb. *chadab* gavisus eſt, Græc. γηθέω lætor, & Lat. *gaudeo*.

ERGOTZEN, oblectare, lætitia afficere. Cæſar ad Germanos in Rhythmo de S. Annone §. 24.

Her quad, das her ſi wolti gern irgezzin,
Ob ir un icht ci leide gedan hetti.
Dicebat, quod libenter illos oblectare vellet,
Si illos aliqua re offendiſſet.

Verbum faceſſens ex præcedenti. Quid enim eſt oblectare, niſi facere ut gaudeat? Miror STADENIUM hoc verbum derivare ab *eſſen* epulari.

ERHEBEN, ſurſum tollere, extollere, exaltare, *erhaben* altus, elevatus, editus, gibboſus. Gloſſ. Keron. extollit *erhevit*, exaltabitur *iſt erhaban*, exaltatus *erhapener*. Refer ad *heben* levare. In genere dicendi metaphorico ſignificat laudare, quia laudare eſt laudibus extollere. Plura ejusdem indolis verba vide in *loben*.

ERHEBEN, quatenus eſt reciprocum, dicitur (1.) de ſuperbis. Inde *ſich erheben* efferre ſe ſupra alios. (2.) de abeuntibus. Inde *ſich erheben* diſcedere, quia diſcedentes ſurgunt, ut abeant. Evang. Goth. Matth. XI. 1. *ushof ſik jainthro*, diſceſſit inde. Hodie dicuntur tantum principes levari, non privati.

ERHEBLICH, gravis, ſonticus. In rebus libra examinandis grave dicitur id, quod alteram lancem attollit, idque videtur ad rationum pondera translatum. Ergo ab *heben* levare. Quo ſenſu etiam Galli dicunt *relevant*, a levando. Alia tamen allegoria refer-

referri poteſt ad *heben* tenere, quia cauſa ſontica detinet agentem.

ERHOHEN. V. ſimplex.

ERICH, videtur aliquando fuiſſe nomen Martis. Nam apud Auſtriacos *Erchtag* eſt dies Martis. Celtica Lingua, & hodie Cambrica, *erch* dicitur horrendus. Forte quaſi *herich*, ab *her* terribilis. Talis autem fuit Mars, utpote nonſolum conceſſis animalibus, ſed etiam occidione hoſtium, & victimis humanis placatus, teſte TACITO Cap. IX. de M. G. & Annal. XIII. Cap. 57. Sed & *bellipotentem* & *ferro potentem* ſignificare poteſt. Nam *aer* Cambris eſt bellum, prælium, & *ær* Angloſaxonibus æs, ferrum, ſicut *rich* potens in plerisque & vetuſtiſſimis Dialectis. Hoc nomen rurſus convenit Marti, nec Marti tantum, ſed etiam regibus bellicoſis. Et hanc fortaſſe ob cauſam multi Danorum Reges dicti ſunt ERICI.

ERICH, legibus potens. De hoc ſignificatu vide plura in *ehe* lex.

ERINNERN. V. *inne* animadvertens.

ERKEL, *erkl*, *erkle*, Hercules. V. *herkul*.

ERKENNEN, quatenus derivatur a *kennen* ſcire, noſſe, ſignificat quantum poteſt, agnoſcere, cognoſcere &c. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XVII. 18. de Magis: *thie irkantun ſunnen fart*, qui cognoſcebant viam ſolis. Gloſſ. Keron. agnoſcat *erchenne*.

ERKENNEN, gratiam referre, *erkentlich* gratus. Dictio metonymica, qua agnitio beneficiorum ponitur pro grato animo, quia grati ſunt beneficiorum memores.

ERKENNEN, ſenſu forenſi eſt judicare, litem dirimere, *erkentnüs* decretum, quia ſcil. antecedens poni ſolet pro conſequente, cognitio cauſæ pro ſententia, quæ cognitionem ſequitur.

ERKENNEN, coire. Vulgo exponitur *carnaliter cognoſcere*, quod de coitu modeſtiæ cauſa dictum volunt, quia cognoſci dicuntur nonſolum ea, quæ intelligimus, ſed etiam quibus familiariter utimur. Sed & verbum faceſſens eſſe poteſt a *kennen* parere, gignere, producere. Quid enim eſt rem habere cum uxore, niſi facere ut pariat, gignat, producat?

ERKER, projectura ædificii. Lat. Barb. *arcora*. Forte ab *arcus*, quia olim erat rotunda, quod videtur probari CANGIO, vel ab *arcula*, quod mallet FRISCHIUS.

ERKIESEN, eligere. V. ſimplex.

ERKLECKEN, ſufficere. V. ſimplex.

ERKOBERN, conſequi. Verbum OTFRIDO familiare, factum a Lat. *capere*, auctoribus Francis, qui hoc ſenſu dicunt *irkoboron*. Vide Gloſſ. Schilter. pag. 492. & notas Cel. SCHERZII ad Otfrid. Lib. V. Cap. II. 28.

ERKOREN, electus. Refer ad *küren* eligere.

ERKUNDEN, inveſtigare, inquirere ſciendi cauſa. Verbum novum, ſed legitime factum a *kunde* ſcientia, notitia. Utimur etiam frequentativo *erkundigen*. Unde antiquitatem ſtabiliam, non invenio.

ERL, alnus. Ab *elr*, per metathesin.

ERLANGEN, conſequi, adipiſci. Proprie eſt adtingere, a *langen* tangere, quod vide.

ERLASSEN, quatenus derivatur a *laſſen*, ſignificat quantum poteſt, dimittere, remittere, relaxare &c. Priſci aliis utuntur præfixis, cujusmodi ſunt, *a*, *af*, *ab*, *for*, *fur*, *far*, *fra*, ut patet ex compoſitis, *aletan*, *afletan*, *ablazzan*, *forlætan*, *furlazzan*, *farlazzan*, *fraletan*, quorum alia ſunt Saxonica, alia Gothica, alia Francica & Alamannica. Sed & interdum utuntur præfixo *ur* pro *er*. Inde *urlaz ſunti* remiſſio peccatorum, in Symbolo Apoſtolorum Alamannico apud FREHERUM. Pro quo hodie dicimus *erlaſſung*.

ERLAUBEN, permittere, *urlaub*, *erlaubnüs* venia. Gloſſ. Keron. licet *arlaubit*, liceat *arlaube*, licuit *erlaupta*, licere *erlaubpan*, licentia *urlaubii*. Refer ad *lauben* concedere. Gothi & Saxones alias præfigunt particulas, ſed eadem vi pollentes, nempe ut ſenſum intendant. Evang. Goth. Matth. VIII. 31. *uslaubei uns galeithon in tho hairda ſweine*, permitte nobis abire in gregem porcorum. Evang. Angloſax. Matth. VIII. 21. *alyſe me æreſt to farenne and bebyrigean minne fæder*, permitte me primum abire & ſepelire patrem meum.

ERLESCHEN, extinguere & extingui, *erloſchen* extinctus. Utrumque a Francis relictum. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XVII. 103. 104. de Herode: *er uuolta uns thia fruma irlesgan*, volebat nobis bonum extinguere. Gloſſ. Boxh. *arlaſtiu* exſtincta. Alia Gloſſa, *erlosken cole* carbo, apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 137. Refer ad ſimplex *leſchen*. Reliqui veterum aliis utuntur compoſitis, cujusmodi ſunt, *afchwapjan* & *acwencan*, in Verſ. Goth. & Angloſax. Marc. IX. 44. 48. Quorum ſimplicia ſunt *qwæfwia* & *quench*, apud Saxos & Anglos reſidua.

ERLOSEN, liberare, redimere. Gloſſ. Ker. liberabis *erloſis*. TATIAN. Cap. XXXIV. 6. *arloſi unſih ſon ubile*, libera nos a malo. Refer ad *loſen* ejusd. ſignificatus. Gothi delectantur compoſito *uslausjan*, Angloſaxones *alysan*. Hinc porro liberatio, redemptio Gothis dicitur *uslauſei* Luc. I. 68. Angloſaxon. *alyſnes* & *alyſedneſſe*, Francis *arlosneſſe*, in Harm. Evang. Tat. Cap. VII. 10. hodie *erloſung*.

ERMEL, manica, pars veſtimenti, qua brachium tegitur, & inde nomen ab *arm* brachium, ſicut *brachiale* a *brachium*, & *manica* a *manus*. Quibus auctoribus neſcio. Antiquiſſimos Germanorum rem & nomen rei ignoraſſe, liquet ex TACITO Cap. XVII. de M. G. *Partem veſtitus ſuperioris in manicas non extendunt, nudæ brachia & lacertos.* Inventum manicarum tribuitur Phrygibus. VIRGIL. Æn. IX. 616. *Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.* Quod Phrygibus objicit Numanus. A defectu manicarum veſtis quædam militaris Latino-

Barbaris dicitur *armilausa*, i. e non manicata, absque manicis, a *los* destitutus.

ERNDE, messis. TATIANUS LXXII. 6. *lazet jogiuuedar uuahsan unzan zi arni, in thero arnziti quidu ih then arnarin*, finite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus &c. Ergo lingua Francica *arn* est messis, *arnzit* tempus messis, *arnari* messor. Cuncta ab *eren* metere, quod vide. Ex eodem fonte possunt derivari voces Codicis Argentei, *asa* messis Luc. X. 2. *afans* messis Marc. IV. 29. quia R. & S. frequenter permutantur. Ab *arn* rursus fit *arnen* metere, ut demonstravi in loco, & ab *arnen* noviſſime *ernde* messis, per medium derivandi DE. Vocabulum Angloſaxonicum vide in *herbſt*.

ERNDEN, metere. Soboles ſubſtantivi *ernde* messis, sed nova, & priscis ignota. Verba vetera vide in *arnen, erden, eren*.

ERNST, certamen singulare. Vox Celtica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *orneſt* duellum, monomachia, *orneſtwr* pugil. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *eorneſt* duellum, monomachia. Ipse ab *arrhis* dictum existimat, quibus se mutuo obligabant pugiles, quæ hodienum Anglis vocantur *earneſt*: ego malim ab ἀρίστευειν fortiter pugnare, ob perpetuum linguæ Celticæ & Græcæ consensum, quia duellum secundum veteres est facinus strenuum, quod lites ferro terminat. Litera N. in medio vocis neminem debet morari. Hoc enim commune fatum omnium pene vocabulorum in alias linguas transeuntium est, ut vel mutentur in medio per epenthesin, ut hoc loco, vel in capite per aphæresin. Sic ab ἀρίστεια alia Dial. fit *reiſt* virtus, unde nobis remansit *rüſtig* fortis, quod vide. Atque hinc porro patet, quid proprie sit ERNESTUS, vel ERNST, quatenus est nomen proprium viri, nempe idem quod Græcis ἄριστος fortiſſimus. Hoc malo, quam cum aliis transponere e Lat. *ſtrenuus*.

ERNST, a contentione armorum transferri cœpit ad omnem animi contentionem, quia serii & graves videntur dictis & factis, moribus & vultu exprimere eos, qui arma interse conferunt. Inde nobis *ernſt* ardens & vehemens agendi studium, *in ernſt* serio, *ernſtlich* graviter, severe, *ernſthaft* gravis, severus, vultuosus. Et alia satis manifesta. Quibus consentiunt quædam Angloſaxonica, ut sunt, *eorneſt* studioſus, serius, vehemens, *on eornuſt* serio, quod extat Matth. V. 18. *ic ſecge eow on eornuſt*, dico vobis serio. Similem vocem, a contentione litigiosa ad omne studium agendi serium translatam, vide in *fleiſs* industria.

ERORTERN, definire, terminare, & sensu forensi componere & decidere litis controversiam. Non ab ὀρθὸς rectus, quasi ad justum & æquum reducere, ut ante LEIBNITIUM omnibus eruditis, & inprimis HELVICIO visum; & multo minus ab *ort* locus, quasi in locum suum collocare, ut Lexicographi vulgares nugantur; sed omnino ab *ort* finis, extremitas rei, quem significatum se primum ex lingua Metallicorum cognoviſſe scribit LEIBNITIUS in Meditatis de Emendatione Linguæ Germanicæ art. 54. quamvis rei metallicæ minime proprius sit, sed aliis quoque rebus adhibeatur, ut demonstravi in loco. Vox nova, sed probitate sua commendabilis.

ERPICHT, cupidus. Proprie flagranti quodam desiderio tanquam stimulo incitatus, a *picken* pungere, & non a *pech*, pix, ut Lexicographi ineptiunt.

ERQUICKEN, quatenus oritur a *queck* vivus, vividus, vegetus, robustus, significat quantum potest, (1.) vivificare. OTFRIDUS Lib I. Cap. XXIII. 93.

Got mag theſe kiſila,
Joh alle theſe feliſa,
Joh theſe ſteina alle
Vrquicken io zi manne.

Vertit SCHILTERUS:

Deus potest hos silices,
Et omnes has petras,
Atque hos lapides omnes,
Vivificare in homines.

(2.) reficere. Gloss. Keron. recreare *erqhuichan*. Prior sensus obsolescit.

ERRATEN, solvere divinando. Gloss. Pez. solveritis *irratet*. Refer ad simplex.

ERREGEN, ciere, excitare. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXIII. 87.

Uuir ſculun nan iruucken,
Fon themo ſlafe irreken.
Expergefaciamus eum
Et excitemus e somno.

Refer ad simplex.

ERREICHEN, adtingere. Composita antiqua vide in simplici.

ERRETTEN, liberare. Gloss. Pez. liberet *irretit*. Refer ad simplex.

ERSAUFEN, perire in aqua. A *ſaufen* mergi. Præfixum *er* hoc loco est adverb. ordinis, & ultimi termini in ordine, significans eum qui suffocatur, ita mergi, ut mors inde sequatur.

ERSCHALLEN, increpare, sonare. Gloss. Lipſ. *irſcal* increpuit. Refer ad simplex.

ERSCHEINEN, apparere. Gloss. Pez. appareat (appareas) *urſceinuſt*. Refer ad simplex.

ERSCHLAGEN, trucidare. Gloss. Boxh. *arſlaghan uuerde* necetur. Refer ad simplex.

ERSCHNAPPEN. V. simplex.

ERSCHRECKEN, expavescere. A *ſchreck* terror. Novum a novo.

ERSCHRECKEN, terrere, facere ut expaveſcat. Ex eodem fonte.

ERSCHUTTEN, concutere. OTFRIDUS Lib. III. Cap. IV. 23. *thaz uuazar er yrſcutita*, angelus domini concutiebat aquam. Hodie libentius utimur frequentativo *erſchüttern*. V. simplex.

ERSE-

ERSETZEN, compenſare, reparare damnum. Gloſſ. Pez. reparantur *irſezit uuerden*. Refer ad ſimplex.

ERSEUFEN, ſuffocare. A *ſaufen* mergere. Franci alio utuntur præfixo. Gloſſ. Pez. demerſerunt *piſouftun*. Hodie *beſaufen* non eſt ſubmergere, ſed inebriare & inebriari, a *ſaufen* immodice bibere.

ERSPRIESSEN, vernare, progerminare. Refer ad ſimplex. Allegorice dicitur de flore fortunæ & dignitatis. Inde *erſprieslich* floridus, *ein erſprieslich jar*, annus florentiſſimus. Pars votorum apud Suevos in novi anni auſpiciis.

ERST, primus, tam ordine quam dignitate. Angloſaxon. *æreſt* Luc. II. 2. Franc. & Alam. *eriſt*. Gloſſ. Keron. prima *eriſtun*, primas *eriſto*, prima hora *eriſta uuila*, primum *az eriſt*, inprimis *in heriſt*, *iz eriſt*, *az eriſt*. TATIAN. Cap. CLVII. 1. *in themo eriſton tage thero oſtruno*, prima die azymorum. Manifeſto eſt ſuperlativus comparativi Angloſaxonici *erra*, *ærra* prior. Matth. XXVII. 64. *thonne bith thæt æftere gedwyld wyrſe thonne thet ærre*, tunc error noviſſimus pejor erit priore. Nec aliunde Græcis ἄριστος, quatenus præſtantem & optimum ſignificat. Id enim judice STIERNHIELMIO in Gloſſ. Goth. reſolvitur in primum & priorem.

ERSTAUNEN, obſtupeſcere. Gall. *eſtonner*. Proprie eſt obſtupefieri ſubito quodam fragore, a *don* fragor, per ſibilum præfixum. Hinc obſtupefactus Græcis dicitur ἐμβρόντητος, a βροντὴ tonitru, Latinis *attonitus*, a tonando, Anglis *aſtoniſhed*, & alio vocabulo *thunder-ſtrook*, velut fulmine ictus. Confer *beſtürzt*.

ERSTEHEN, ſurgere, *auferſtehen* reſurgere. V. *auferſtehung*.

ERSTICKEN, ſuffocare & ſuffocari. Gloſſ. Pez. expiravit *irſtiſta*. Proprie eſt ſpiritum ita figere vel intercipere, ut mors inde ſequatur, a *ſtecken* impedire, & præfixo *er*, quod hoc loco eſt adverb. ordinis, ultimum rei terminum ſignificans.

ERTRENKEN, ſuffocare, mergere ut pereat. A *trenken* mergere. Utitur OTFRIDUS Lib. II. Cap. III. 108. Locum vitio affectum ſolerter reſtituit & vertit cel. SCHERZIUS:

Thaz unſih io ſangta,
Er al iz thar irdrangta.
Id, quod nos certe ſubmergebat,
Omne ille ibi (in baptiſmo) ſubmerſit.

ERTRINKEN, ſuffocari, perire in aqua, *ertruncken* ſuffocatus. Gloſſ. Pez. ſuffocati *irtrancti*. Refer ad *trinken* bibere. Particula *er* eſt adverb. ordinis, innuens eum, qui in aqua perit, tantum potare, ut mors inde ſequatur.

ERWACHEN, expergiſcere, e ſomno ad vigilias reverti. Gloſſ. Pez. expergefacti *uruuahhente*. Refer ad ſimplex.

ERWÆGEN, deliberare. Refer ad *wægen* ponderare. Utimur hoc tropo, ob manifeſtam inter pondera & momenta rerum ſimilitudinem.

ERWÆRMEN, caleſacere, *ſich erwærmen* calefieri. Gloſſ. Pez. recaleſcat *eruuaramee*. Refer ad ſimplex.

ERWECKEN, expergefacere, facere ut expergiſcat. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXIII. 87. *uuir ſculun nan iruueken*, excitemus eum e ſomno. Quod dicitur de Lazaro. Refer ad ſimplex.

ERWECKEN, reſuſcitare a mortuis. Vitiatum ab antiquiori *erquicken* vivificare, quod vide. Q. & W. in ore vulgi permutantur.

ERWECKEN, excitare. Proprie movere ab ortu. Nam *wecken* eſt movere, & *er* eſt adverb. ordinis, initium rei ſignificans. Dicitur autem non de ſomno, & multo minus de morte, ut antecedentia, ſed de rebus nondum exiſtentibus, quæ ab origine moventur ut ſint.

ERWEHNEN. V. *wenen*.

ERWELEN, eligere. Gloſſ. Keron. eligat *eruuelle*, eligatur *ſi eruuelit*, eligantur *uruuelit ſi*. Apud OTFRIDUM legitur *iruuellet* pro eligatis, Lib. IV. Cap. XXII. 22. 24. Refer ad ſimplex.

ERWERBEN, plures habet ſignificatus extinctos, quamvis legitime factos a ſimplici. Significat autem (1.) avertere, a *werben* vertere. Gloſſ. Keron. avertere (imperativ.) *erhuuarabi*. (2.) ſubvertere a *werben* vertere. TATIANUS Cap. CXCIV. 2. *theſan fundumes eruuerbenti unſara thiota*, hunc invenimus ſubvertentem gentem noſtram. (3.) converti, redire ad ſanam mentem, a *werben* redire, quia converſi ſunt redeuntibus ſimiles. Gloſſ. Pez. reſpiſcat *iruuerue*.

ERWERBEN, acquirere, ſtudio vel labore. Refer ad *werben* negotiari. Dicitur proprie de rebus quæ in commercio ſunt. Cum vero res uxoria ſit commercium inter virum & fœminam, hinc etiam liberi e tali commercio nati, dicuntur acquiri apud Scriptores ſuperioris ævi, quibus nihil familiarius hac formula *kinder erwerben* ſuſcipere liberos.

ERWINDEN, deficere, deeſſe, *nichts erwinden laſſen* facere ne quid deſit, ne quid ex parte noſtra defideretur. Oritur ab Islandico *vanta* ejusdem ſignificatus, & hoc a *wan* defectus. VEREL. in Ind. *vanta* deficere, deeſſe.

ERZ, *æs*, metallum cujuscunque coloris. Ab antiquiori *ær* quod vide. Litera Z in fine vocis aſſuta eſt præter rationem, & in ſobolem non transmittitur. Hinc æneus dicitur *eren*, non *erzen*.

ERZ, principatum rebus, quibus præfigitur, attribuit, plane ut *ἀρχὴ* & *archi* apud Græcos & Latinos in compoſitis, unde etiam per imitationem deſumptum eſt. Quemadmodum igitur Dux belli Græcis dicitur ἀρχιστράτηγος, quaſi princeps militiæ: ita ſummus Epiſcopus nobis vocatur *erzbiſchof*, quaſi princeps epiſcoporum. Idem judici-

um de aliis quoque honorum titulis ſerendum. Sunt, qui nimio & præpoſtero patriæ Linguæ ſtudio abrepti, hoc præfixum vernaculæ vindicare conantur, ſed auſu magis ridiculo, quam proſpero. Hoc interim addimus, hanc particulam, quamvis peregrinam & ex Gr. ἀρχὴ ortam, inter Germanos eſſe ſpectatæ vetuſtatis, & Chriſtianæ Religioni pene coævam. SOMNER. in Dict. Anglosaxon. *arce-biſceop* archiepiſcopus, *arce-biſceop-hade* archi-epiſcopatus, *arceſtole* ſedes archiepiſcopalis. Gloſſ. Pez. metropolis *dero erciituomlihhun purch*, matricula *erzipiſcofiuom*.

ERZELEN, narrare. Veteres delectantur ſimplici, quod vide.

ERZIEHEN, educare. A ſimplici ejusdem ſignificatus.

ERZWINGEN, cogere. Gloſſ. Boxh. *arduuingu* exigo. Refer ad ſimplex.

ES, articul. definitus, a Francis relictus. TATIANUS Cap. LXVII. 13. *thaz ni alle thie iz giſehent, biginnen inan biſmaron*, ne omnes qui vident, incipiant illudere ei. Cap. CLXXXIII. 2. *ther iſt iz, ſahet inan*, ipſe eſt, tenete eum. In priori loco *iz* ſignificat hoc, & refertur ad præpoſteram ædificandi rationem; in poſteriori eum qui quæritur. Latini dicunt *id* & *is*.

ES, articul. indefinitus, verbis impersonal. præponi ſolitus. TATIAN. Cap. CCXXVIII. 2. *uuone mit uns uuanta iz abandet*, mane nobiſcum quoniam veſperaſcit. Anglis *it* eſt art. definitus & indefinitus.

ES, monas. V. *as*.

ESCHE, fraxinus. V. *aſche*.

ESEL, aſinus. Goth. *aſil* Joh. XII. 14. Angloſaxon. *aſſa* ibid. Camb. & Armor. *aſen*, Francis & Alam. *eſil*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. V. 13.

Eſil, uuizun uuir thaz,
The'iſt ſihu ſilu dumbaz.

Id eſt, aſinus eſt animal valde ſtupidum. Gloſſ. Boxh. *eſilin chilin* aſellus. Cuncta ab Heb. *azel* piger, ignavus, judice HELVIGIO: cujus ſententiæ in vocabulo naturam animalis tam apte exprimente, libenter ſubſcribo, etiamſi Gothica Lingua auritum denotare poſſit; ſi derivetur ab *auſo* auris. Quid mirum, animal Orientis ex vetuſtiſſima Orientis lingua nomen capere? Aut nomen cum ipſa re exteris communicatum? Fortaſſe etiam apud Græcos idem animal, priusquam ultimum Occidentem adtingeret, quædam in itinere produxit. Cujusmodi eſt ἀσελγὴς laſcivus, obſervante HELVIGIO. Cognata enim vitia ſunt pigritia & laſcivia, & in Aſino tanquam communi ſede morantur.

ESPE, *aſpe*, populus arbor, alias *tremula* dicta, quod folia ejus leviſſimæ auræ afflatu tremant. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *eſpe* tremulus, *eſps* tremulus. Gloſſ. Pez. tremulus *aſpa*. Idem Anglis *aſp*, & compoſite *aſptree*. Quærit MARTINIUS, an quaſi ἀσπαστία, quod lubenter creſcat, ſicut *willige* dicitur ſalix? Reſpondeo cum SKINNERO: *miror Helleniſtas noſtros, nondum etymon acceriviſſe ab ἀσπάιρω palpito, tremo*. Germanis certe tremor hujus arboris in proverbium abiit, & etiamnum vulgo dicimus *beben wie ein eſpenlaub*. Ab *eſpe* Latinis fit *ibiſcus* populeus.

ESSE, uſtrina. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *odyn*, Francis *eſſa*. Gloſſ. Pez. ſuſtatorium *eſſa*. Refer ad *eiten* urere, ardere. Ex eodem & antiquiſſimo fonte Græci habent ἑστία focus, fornax, Angloſaxones *ade* rogus, alii alia.

ESSEL, menſura liquidi. V. *etzel*.

ESS, *es*, *az*, cibus. V. *as*.

ESSEN, veſci. Græc. ἔδω, ἔδω, ἐδήτεν, ἐδήτεν, Lat. *edere*, Goth. *itan* Luc. XV. 16. Angloſax. *etan*, Franc. & Alam. *ezzan*, Belg. *eten*, Angl. *eat*, Suec. *æta*. Gloſſ. Keron. edere *ezzan*, edentium *ezzantero*, edax *ezzaler* &c. TATIANUS Cap. CCXXXI. 1. *habet ir hier uuaz thaz man ezzan mogi*, habetis hic aliquid quod manducari poſſit? Et mox: *inti mit thiu her tho az fora in*, & cum manducaſſet coram eis. Cum imperativo *iſs* vel *eſs* convenit Plautinum *es* pro ede, quod extat in Mil. Glor. Act. III. Sc. 1. & Pſeudol. Act. I. Sc. 2.

ESSEN, cibus, dapes, eſus. Verbum a Francis & Alamannis ſubſtantivatum. Gloſſ. Keron. eſus *ezzan*. NOTKERUS Pſal. LXXVII. 30. *unziro ezzen noh in iro munde uuas*, cum cibus adhuc eſſet in ore ipſorum. Affinia ſunt *eſus* & *eſca*, & fortaſſe etiam *æſculus* fagus, quia glans primus hominum cibus. Synecdochice dicitur de cœna & prandio. Saxonum voces vide in *as* cibus.

ESSIG, vinum aut cereviſia acescens. Vox pluribus Linguis communis, quæ Perſis effertur *eski*, Græc. ὄξος, Lat. *acetum*, Goth. *akeit* Matth. XXVII. 48. Angloſaxon. *eced* ibidem, Franc. & Alam. *ezzich*, Belg. *edick*, *eek*, Island. *edik*, Suec. *ættikia*. TATIANUS Cap. CCVIII. 4. *tho do intfieng ther heilant thiu ezzih*, cum accepiſſet Jeſus acetum. Gloſſ. Boxh. *ezzihſaz* acetabula. Omnes, quotquot inſpexi, denominationem ab aciei vel acuminis notione deſumptam eſſe conſentiunt. Refer ergo ad *ecke* acies, & confer ibi reliqua, quæ cum aceto in eadem radice conveniunt.

ESTRICH, pavimentum ex gypſo. Omnino a Græc. ὀστράκινον teſta, velut teſtaceum. Ita HENISCHIUS in Germanica, MARTINIUS in Latina voce.

ET, unus & unum. VEREL. in Ind. *eitt* unum, commune, *eit huad* aliquid. Conſentit Gr. εἷς unus, & ἄττα quædam. Antiquitas Alamannica inde formavit *edder* & *eddes* unum, ullum, in multis compoſitis. Gloſſ. Keron. aliquid *eddesuuaz*, aliquis *eddesueliher*, aliqua *eddeslihiu*, aliquando *edderuuenne*. Ab his initiis exiſtunt,

etliche, *ezliche*, aliqui, unis vel ullis ſimiles, non certe ab ἐτ ὀλίγοι plane pauci.

etwann,

etwann, aliquando, uno quodam tempore.
etwas, aliquid, unum quid.
etwelche, aliqui, uni quidam, vel uniquales.

ETGERE, telum Saxonicum, quod Angloſaxonibus dicitur *ategar* & *ætgare*. Utrumque extat apud SOMNERUM, & exponitur *framea, falarica*. Eadem vox occurrit quoque in Fragm. de Bello Saracenico apud SCHILTERUM in Gloſſ. pag. 274. Poſterior compoſiti pars nullam habet difficultatem, quoniam *ger* in lingua antiquo-Germanica telum miſſile denotat, ut demonſtravi infra in voce. Priorem nemo hactenus aſſecutus eſt. SPELMANNUS illam ducit a *teon* ejicere, quem ſequitur, ut fere ſolet, CANGIUS in voce *ategar*. Verum cum *teon* Angloſaxonibus ſit *ducere*, *trahere*, non *mittere* aut *jacere*, & alioqui concipi non poſſit, qua lege ex *teon* potuerit naſci *æt* vel *ate*, niſi forte per transpoſitionem, alia omnino etymologia quærenda eſt. Videamus quid ſit *falarica*. Falarica dicitur a *phalis*, h. e. a turribus ligneis, ſive quia de turribus eo telo pugnabant, ſive quia turritas machinas eo incendebant. Habuit enim ignem affixum, & per aërem fulminis inſtar ferebatur. VIRGILIUS Æn. 9.

Sed magnum ſtridens contorta phalarica venit
Fulminis acta modo.

Plura veterum teſtimonia de hoc telo ignito, præcipue LIVII & VEGETII, vide apud MARTINIUM in voce. Et hæc deſcriptio nobis aditum parat ad penetralia vocis, quæ certe non aliunde compoſita eſt, quam a *ger* jaculum, & *eit* ignis, de quo ſignificatu actum ſupra prolixe. Iconem dedit R. P. DANIEL in Hiſt. Milit. Franc. Lib. II. pag. 64.

ETZEL, *ötzel*, *etſel*, menſura vinaria & cerevifiaria. Proprie hauſtus vel hauſtrum, a Scandico *öſa* haurire. Et dicitur etiam *nöſſel* per proſtheſin.

EVANGELIUM, bonum fauſtumque nuntium. Vocem a Scriptoribus Græcis acceptam Apoſtoli doctrinæ chriſtianæ publicationi adplicuerunt, quæ deinceps a Celticis populis ad Chriſtum converſis diverſimode tradu&ta eſt. Cambri Evangelium vocant *llawenchwedl*, apud DAVIESIUM in Dict. Camb. quaſi lætam narrationem, a *llawen* lætus, hilaris, & *chwedl* fama, narratio, quod eſt a *queden* narrare, de quo infra. Utramque compoſiti partem ſiſtit BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. In Codice Argenteo *evangelizare* redditur *wailamerjan* Luc. I. 19. & *thiuthspillon* Luc. III. 18. Illud eſt a *waila* bene, & *merjan* prædicare, divulgare : Hoc a *thiuth* bonus, & *ſpillon* nuntiare, narrare. Sed in ſubſtantivo idem Codex imitatur Græcos, ut patet ex inſcriptionibus Evangeliorum S. Marci & S. Lucæ, in quibus adhibetur *aiwaggeljo*. Contra Angloſaxones a *ſpellian* narrare, formarunt *god-ſpellian* evangelizare, & *god-ſpell* evangelium, Marc. XIII. 10. XIV. 9. non quod Evangelium ſit narratio divina, a *god* Deus, quod nec vox Græca nec Gothica ſignificat ; ſed quod ſit bona doctrina, & bonum nuntium, a *god* bonus, & *ſpel* ſermo, doctrina, narratio. Vocem Angloſaxonicam imitantur hodie Angli in *gospell*. Franci præter Græcam dictionem utuntur etiam Saxonica. Hinc interpreti TATIANI, homini utique Franco, evangelium regni dicitur *gotſpel ribbes*, & evangelizare *gotſpellon*, Cap. XXII. 1. 4. Alamannis peculiare eſt, quod illis evangelium nuncupatur *cuatchundida*, quaſi bona notitia vel manifeſtatio, omnino a *cuat* bonus, bona, bonum, & *kunden* notum facere, nunciare. Gloſſ. Keron. notitiam *chundida*, evangelium *cuatchundida*, indicet *chundit*, nuntiare *kechundan*. Omnes illæ voces nonſolum proprietatem Græci vocabuli pulcre exprimunt, ſed & miram habent emphaſin in Dialectis ſuis : ut dolendum ſit, optimam veteris linguæ partem nobis deperiiſſe, dum nimia exoticarum vocum affectatione veteres probasque obſoleſcere ac penitus excidere patimur. Quæ eſt juſta FRANCISCI JUNII querela in Obſ. ad Will. pag. 7. De nominibus antiquis Evangeliorum vide plura apud MARESCHALLUM in Obſ. ad Verſ. Angloſax. pag. 509.

EUCH, vos & vobis. Angloſaxon. *eow* vos, *mid eow* vobiſcum Matth. XXVIII. 20. Franc. & Alam. *euuih*, *iuuih*, & contra&te vel transpoſite *ju*. Gloſſ. Keron. vos *euuih*, *iuuih*, vobis *ju*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XVI. 14. *ju iſt ſalida gimeinit*, vobis deſignata eſt beatitudo. Et mox: *ir ſculut juih naben*, debetis vos approximare. Vocula contra&ta inprimis delectatur TATIANI interpres. Ex innumeris ſufficiant hæc duo. Cap. XXII. 16. *uuidar ju* adverſum vos. Cap. XXIII. 3. *we ju* væ vobis. Quod ideo obſervandum, quia Angli videntur inde retinuiſſe *you*, *yee*, Belgæ *gy*. Francos Saxonicum *eow* extendiſſe in *euuih*, & hoc Germanos rurſus contraxiſſe in *euch*, cuivis manifeſtum. Ab omnibus longius recedunt Gothi, quibus vos & vobis *izwis*. Exempla aſſatim dedit JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 217. Ab origine Linguæ dictum eſt de pluribus tantum, nec dici aliter potuit. Poſtea honoris cauſa ad unum ſolum extendi cœpit, & forte auctoribus Francis. Nam eo ſenſu utitur particulis *ju* & *juuih* OTFRIDUS in Epiſt. dedicatoria ad SALOMONEM Epiſcopum Evangelio rhythmico præfixa.

EUER, *euwer*, veſter, Camb. *eich*, Angloſax. *eower*, Franc. & Alam. *iuuo*, *iuuer*, Belg. *uw*, *uwe*, Angl. *your*. Gloſſ. Keron. veſtra *iuuerru*, veſtras *iuuereem*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XVIII. 7.

Ziu ſint thie iuuo uuizzi
Thes ſulih ſiruuuizzi?
Quamobrem ſunt ſenſus veſtri
Horum adeo curioſi?

TATIA-

TATIANUS Cap. XL. 1. *uuelih iuuer habet frunt*, quis veſtrum habet amicum? Cap. XLIV. 21. *iuuares houbites har*, capitis veſtri capilli. Cuncta ab Angloſaxonico *eow* vos. Similiter Gothis ab *izwis* vos, ſit *izwar* veſter.

EULE, noctua. Latinis conſono vocabulo *ulula*, Angloſaxon. *ule*, Belg. *uyl*, Angl. *owle*. Cuncta ab *heulen* triſte ſonare, verbo ab omnibus pene linguis per onomatopœiam facto. Francis noctua dicitur *huwo*, & diminutive *huwila* vel *uwila*, haud dubie per imitationem clamoris queruli monſtri illius nocturni. Gloſſ. Pez. bubonem *huun*. Gloſſ. Boxh. bubo *uuuila*. Galli ab *huwo* videntur habere *hybou*. De noctua ejusque variis nominibus vide plura in *guguck*.

EUROPA, pars mundi occidentalis & borealis. EUSTATHIUS dictam vult quaſi *εὐρυώπην* lætam adſpectu, pulcram. FESTUS ab Europa Agenoris filia. BOCHARTUS Pœnis ait Europam dici *ur-appa* quaſi terram *λευκοπρόσωπον*, quia Europæi Africanos candore faciei multum ſuperant. Quid ſi *Europa* ſit *terra illuſtrium*, ſicut *Aſia* eſt patria Deorum, & *Africa* regio ſimiarum? Nonne optimus verborum ſenſus in ſingulis, conjecturam reddit opinabilem? Atqui *ar* Celtica lingua eſt terra, & *rofe* Angloſaxonica clarus, celebris, illuſtris, a *ropen*, *ruſen* celebrare. Reliquas orbis partes vide in loco.

EUSSER, *euſſern*, & reliqua, vide in *auſſer*.

EUTER, uber pecudum. Græc. *οὖθαρ*, Angloſax. *uder*, Angl. *a beaſts udder*.

EW, ſemper. Vox Celtica, & in Dialectis e Celtica oriundis paſſim obvia, quamvis varie enunciata. Cambris *eu* ſemper denotare, colligit ill. LEIBNITIUS in Gloſſario Celtico ex verſu antiquo, quem refert & interpretatur BOXHORNIUS in Orig. Gall. pag. 82.

Eu Ner a folant,
Eu biaith a gadwant,
Eu tir a gollant
Ond gwyllt Wallia.
Uſque laudabunt Dominum creantem,
Uſque ſervabunt idioma linguæ,
Arvaque amittent ſua cuncta, præter
Wallica rura.

Gothis *aiw* idem deſignaſſe, ex ſenſu ad ævum & æternum transpoſito recte colligit JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 47. Similia habent reliquæ Dialecti. Nam *a* & *aa* in idiomate Angloſaxonico eſt *ſemper*, teſtibus SOMNERO & BENSONIO. In Lexico Runico & Ind. VEREL. *æ* exponitur *ſemper* quibuscum perfecte convenit Gr. *ἀεί*, eodem ſenſu. Franci eandem particulam paulo aliter pronunciant. Illis enim *ſemper* dicitur *io* & *ieo*. Exempla aſſatim produxerunt HICKESIUS in Gram. Franco-Theot. pag. 76. & SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 479. unde quædam decerpſimus infra in particula *ie*. Hodie omnium Dialectorum veſtigia occurrunt in noſtris derivatis. Nam a Celtico *eu* habemus *ewig* æternus, a Saxonico *æ* habemus *eher* prior, & a Francico *io* habemus *nie* nunquam.

EWE, duratio ſempiterna. Græc. *αἰών*. Lat. *ævum*. Gothis *aiwa*. Joh. VIII. 35. *ſunus viſitb du aiwa*, filius manet in æternum. Francis & Alam. *euuo*. Gloſſ. Keron. in perpetuum *in euuin*, in æternum *in euuin*. Cuncta ab *ew* ſemper. Hodie extra compoſita obſoleſcit.

EWE, ſæculum. Senſus a tempore perpetuo ad tempus vitæ humanæ longiſſimum translatus, quia ſæculum eſt tempus durationi ſempiternæ ſimile. Græcis, Latinis, & Gothis ut ſupra. Hinc *filii hujus ſæculi* Gothis vocantur *ſunjus this aiwis*, Luc. XX. 34. Et hoc ſignificatu utuntur paſſim Scriptores Sagarum, teſte VERELIO in Indice, unde ſequentia decerpo: *æfi* ævum, *æfilok* vitæ exitus, *æfiſaga* commemoratio hiſtorica vitæ & rerum geſtarum hujus vel illius hominis, *æfintyr* hiſtorica narratio jucunda. Hodie ſuperat apud Belgas, quibus *eeuwe* tempus centum annorum dicitur.

EWIG, æternus, ſempiternus Derivatum ab *ewe*, quatenus perpetuum tempus denotat. Gloſſ. Keron. perpetuam *euuic*, *euuikemu*, *euuuigan*, vitæ æternæ *des euuigin libes*. Quibus conſentit Belgicum *eeuwig* æternus. In reliquis Dialectis non eodem modo formatur hoc derivatum. Gothis *aiweino libains* eſt vita æterna, Joh. XVII. 3. *aiweinos hleithros* tabernacula æterna, Luc. XVI. 9. Angloſaxones non agnoſcunt W. in medio vocis, ſed ab *a* ſemper faciunt *æce*, vel *ece* æternus, & hinc *ece lif* vita æterna, Joh. XVII. 3.

EY, quod avis parit, fovet, excludit. Græc. *ὠὸν*, Lat. *ovum*, Camb. *wy*, Armor *uy*, Angloſaxon. *æg* Luc. XI. 12. Franc. *eig*, Belg. *ei*, *ey*, Angl. *egge*, Succ. *ägg*, Gall. *oeuf*, Sorab. *jejo*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *æg* ovum, *æges hwite* albumen. Gloſſ. Pez. ova *eigir*. Malo hanc vocem tot linguis vetuſtiſſimis communem, ad primitivum humani generis ſermonem referre, quam originem ejus aliunde inveſtigare, quod ne fruſtra faciam metuo. Præcipuum compoſitum eſt *oſter-ey* ovum paſchale, ſic dictum, quia cum paſchate redit ova edendi licentia, nonſolum apud Catholicos, ſed etiam apud Chriſtianos orientales, qui durante Quadrageſima abſtinent ab ovis. Hinc tempore paſchatis Ruſſi ſolent obviis præſentare ovum honoris cauſa, etiam Imperatori, & in Suevia notum eſt eodem tempore puerorum oviludium. Poſtea ab avibus ad piſcium & ſerpentium ova facta transnominatio.

EY, inſula. Heb. *ai*, Angloſaxon. *ig* & *æge* apud BENSON. Hibern. *oghe*, Friſiis *oge*, Suec. & Danis *öö*, Islandis *ey*, Lat. Barb. *eia*. VEREL. in Ind. *ey* inſula, *eyar skieggiar* homines inſulares, ingenii non ſemper boni, *uteyar* inſulæ in mari ſparſæ. SPELMANNUS

vocem

vocem Latino-Barbaram deducit ab An-
„gloſaxon. *eage*. Eſt autem, inquit, *eage*
„proprie *oculus* & *ovum*, nomenque hinc
„contraxit inſula, quod inſtar oculi vel ovi
„ſe in mari exhibet.„ Dubito. Nam vox Angloſaxonica *aege* videtur eſſe ab *ea* aqua, & γῆ terra, & proprie terram aquaticam denotare. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *ea* aqua, *ea* aquæ. Cæteræ, quæ *ge* non habent in fine, ex illa ſunt apocopatæ. Nam *ege* & *oge* ſunt voces genuinæ & antiquiſſimæ, ut patet ex denominationibus Maris ÆGÆI, quod non aliunde melius, quam *quod crebræ in eo ſint Inſulæ* (ut verba ſonant FESTI) ſic appellatur, & Inſulæ OGYGIÆ h. e. Inſulæ Calypſus apud HOMERUM & HESYCHIUM, & Inſulæ Hiberniæ apud PLUTARCHUM, quæ certe non ab ἀυγὴ ſplendor, quod omnis aqua ſplendeat, ut non nemo exiſtimat, ſed ab *oge* inſula & γαῖα terra, velut terra inſularis ſic dicitur. Ab *oge* hodienum multæ apud Friſios Inſulæ denominantur, quas inter commemoranda mihi venit SCHIER-MONIK-OGE, inſula monachorum albicantium, parva quidem, ſed amœna, ut vidi coram. Ejusdem ſignificationis eſt AUGIA, quoties tribuitur Inſulis.

EYDER, *Eidora*, fluv. Holſatiæ. Videtur, uti ſono, ita etiam ſenſu convenire cum *Oder*, & nihil aliud denotare quam fluentum, ut oſtendi in *dur* aqua. Dicitur etiam *Egidora*, mutato *y* in *g*. apud EGINHARD. in vita Caroli, & adſpirate *Hegidora* apud REGINONEM in Annalibus, quod nova etymologia opus non habet, etiamſi videam hoc nomen portæ cuidam tribui, & a porta ad fluvium transferri a ſummis in eruditione viris, quorum verba nunc recitabo, ut ſequantur, qui velint. LEIBNITIUS de Orig. Francor. §. 15. *Eidoram dictam conſtat ab Heggedor*, (*ut Dithmarus a me reſtitutus vocat*) *vallo ſcilicet, in quo ad aditum porta relicta erat, quo Dani ejus ripam antiquitus munierant.* ECCARDUS in not. ad Leg. Sal. pag. 45. *Indago ſive concida, quæ nobis hegge, hecke, hage dicitur, olim etiam hege vocata fuit, uti ex nomine fluminis Hegidoræ apud Rheginonem videmus, quod proprie indaginis portam ſignificat, & flumini inditum eſt a tranſitu per indaginem, quæ illi prætenſa a Danis erat. Indagines enim eo tempore murorum & vallorum loco ponebantur.* Reliqua fluvii nomina, ut ſunt *Egidona* & *Epidora*, ex prioribus vitiata ſunt.

EYLAND, inſula. Gloſſ. Lipſ. *alendi* inſulæ. Duo ſignificare poteſt. Primo terram aquaticam, vel regionem aqua circumfluam. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *ea* aqua, flumen, fluvius, amnis, *ealand*, *ealond* inſula, terra aquaria, vel aquis incincta, *ig-land* inſula, terra aqua circumdata. Secundo, terram inſularem, ſi derivetur ab *ey* inſula.

F.

FABEL, fabula. Utrumque a Gr. παραβολὴ collatio, comparatio, per ſyncopen. Quid enim ſunt fabulæ, niſi collationes inſtitutæ, quibus ſimilia cum ſimilibus comparantur? Veteres ad hunc ſenſum exprimendum ſuis utebantur vocibus, non alienis. Gothis parabola dicitur *gajuko* Luc. VIII. 9. Angloſaxonibus *bigspel* ibid. Francis *wort-bild*, quaſi ſermo figuratus, vel imago rei verbis depicta. TATIAN. Cap. CLXXV. 3. *thiſu in uuortbilidu ſprab ih ju, cumit zit, nit thiu ih in uuurtbilidun ni ſprihhu ju*, hæc in parabolis locutus ſum vobis, venit tempus, cum jam non in parabolis loquar vobis. Vox optima, & reſtitui digna. Gothicam explicavi in *joch*, Saxonicam in *ſpil*.

FABEL, in foro Longobardico eſt conventio, a confabulando ſic dicta, & *fabula firmata* pactum firmatum. Hiſpanis *fabla* & *habla* eſt ſermo, *fablar* & *hablar* loqui, & *morir ſen fabla* absque teſtamento mori. Vide, ſi juvat, SPELMANNUM & CANGIUM in voce.

FACH, terminatio numeralium, de cujus vi & origine actum in *Proleg.* Sect. VI.

FACH, color. V. *einfach* ſimplex.

FACH, loculamentum. Proprie receptaculum, capedo, a *fahen* capere. Dialecto Angloſaxonica dicitur de ſpatio, intervallo, & diſtantia loci & temporis, quaſi eſſet ab Heb. *bak* vel *bakak*, evacuavit. Inde *ſtowe-fæc* ſpatium loci, *lytel fæc* modicum temporis, *twegra dæga fæc* biduum, & alia apud SOMNERUM in Dictionario.

FACKEL, tæda ardens. Camb. *fagl*, Angloſaxon. *fæcele*, Franc. *fachala*. Gloſſ. Pez. flamma *fbachala*. Gloſſ. Boxh. *facolono* tedæ. Radicem videntur cuſtodire Græci in φλέγω, quod duplici pollet ſignificatu, flammam excitare, & flammam emittere. Inde φλόγεος flammeus, quod facile tranſit in ſubſtantivum apud Barbaras gentes, per literarum transpoſitionem. Promptior tamen eſt omnium derivatio a Lat. *facula*.

FADEM, *faden*, filum. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXIX. 13.

Uuolt er ſie giſamanon
Mit ſilu kleinen fadomon.
Et paulo poſt:
Thie Gotes drut thegana
Thaz ſint thie ſconun ſaduma,
Mit in iſt io mit ebinu
Thiu tunicha giuuebinu.
Volebat illos congregare
Multis ſubtilibus filis.
Fideles Dei miniſtri
Sunt hæc pulcra fila,
Quibus ex æquo
Tunica eſt contexta.

Videtur proprie funiculum denotare, a *faſſen, vatten* capere, quomodo etiam Græcis laqueus ἁρπεδὸν dicitur, ab ἁρπάω capio. Mira interim convenientia eſt inter fruſtum vocis πεδὸν & *faden*.

FADEM, *faden*, menſura ſex pedum. Belg. *vadem*, Angl. *fathom*. Cum ſex pedes æquales ſint duobus cubitis expanſis, hinc veroſimile eſt, nomen menſuræ ab amplexu cubitorum deſumptum eſſe, adeoque a *faſſen* capere ambitu. Angloſaxonibus *fæthm* eſt menſura cubitalis, quia cubitus tantum capit ſpatii, quantum duæ manus expanſæ. Ergo a *faſſen* manu prendere.

FADEN-NASS, alia Dialecto *bad-naſs*, h. e. madidus tanquam ex balneo, ſicut *pfützenaſs* madidus tanquam ex palude.

FÆCHER, *fechel, focher, fucker*, inſtrumentum ventilandi, ab officio ſic dictum. Belgis *wayer* a *waien*, ſicut Latinis *flabellum* a *flare*. Hinc a peritis rectius ſcribitur *vecher*, quia eſt ventilator, a *wehen* (antiquo pronunciatu *wechen*) ventum facere. Quamvis etiam F. retineri poſſit, quia F & W. ſunt literæ ejusdem inſtrumenti, & continuo permutantur.

FÆLLEN, ſternere, proſternere, evertere, facere ut cadat. Verbum faceſſens a *fallen* cadere. Niſi ſita Græc. βάλλειν. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *fælan* evertere. Gloſſ. Lipſ. *fellon ſal* deſtruet. VEREL. in Ind. *fella* proſternere. Inde Francorum compoſita *arfellan, bifellan, zarfellan*, quæ hodie obſoleſcunt. Gloſſ. R. Mauri: conſternatus *arfellit*. Gloſſ. Lipſ. *bifillidi* proſterneret. Gloſſ. Pez. ſubruere *zearfellan*. Verbalia huc ſpectantia vide in *fall*.

FÆLLEN, ſenſu forenſi eſt condemnare, quia condemnatus eſt proſtrato ſimilis. VEREL. in Ind. *fælla* in Legibus paſſim condemnare. Saxones & Franci eodem pene ſenſu dicunt *nideren*, quod vide. Inde *ſachfællig* cauſa dejectus, proſtratus a judice, *ſtraffællig* mulctæ reus.

FÆLLEN, pronunciare, *urteil fællen* ſententiam pronunciare. Latini alias dicunt ſententiam *ferre*. Quod videmur imitari in *fællen*. Nam R. & L. ſunt literæ permutabiles.

FÆLLEN, decipere. A Lat. *fallere*, vel Gr. φιλεῖν. Cognoſcitur ex derivatis, cujusmodi ſunt, *falle* decipula, *faliſch, falſch* mendax, ad decipiendum factus. Cui ſimile Græc. φῶλος impoſtor, quod imitantur Galli in *filou*.

FÆLLEN, occidere, facere ut moriatur. Verbum faceſſens a *fallen* mori. VEREL. in Ind. *fælla diura* feras figere vel in venatu interimere.

FÆLLER, peſtis, apud STILERUM in Theſ. L. Germ. Vide *bal* malum calamitoſum, niſi malis referre ad *fællen* occidere.

FÆME, judicium Vemicum. Vide *feim-gericht*.

FÆNDRICH, ſignifer. A *fane* vexillum. Sed unde *drich*? Reſpondeo, a *tragen* portare. Solent enim vereres verbalia formare a verbis. Ita Angloſaxonibus *tacn-bora* eſt ſignifer, a *bæren* portare. *Drich* pro ferente, occurrit etiam in compoſito *truchſeſs* dapifer. Vulgo male ſcribitur *fænderich* & *fænrich*. Illud epentheſi, hoc ſyncope laborat.

FÆRBEN. V. *ferben*.

FÆRDE, periculum. V. *far*.

FÆRE, locus trajiciendi & ipſe trajectus. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *faru* tranſitus. VEREL. in Ind. *far* iter, tranſitus. Hodie dicitur de ripa, ex qua transfretaturi in adverſam ripam vehuntur. Belgæ eodem ſenſu dicunt *het veer*, Sueci *feria*, Græci πόρος. Refer ad *faren* tranſire, transfretare.

FÆRE, ponto, machina nautica, qua flumen trajicitur. Proprie eſt vehiculum, a *faren* vehi. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *fær* vehiculum, & dicitur (inquit) de arca Noæ in Paraphraſi Saxonica. VEREL. in Ind. *far* cimba, navicula, ſcapha. Ægyptios quoque cymbam illam, in qua mortuus ad ultimum judicium deferebatur, *barin* appellaſſe, vocabulo forte a Scythis relicto, quos aliquando Ægyptum tenuiſſe JUSTINUS refert, alibi ex HERODOTO & DIODORO Siculo obſervavi. Vide, annon etiam huc referri poſſint *parones* & *myoparones*, naves Saxonum prædatoriæ, quas deſcribit ISIDORUS Lib. XIX. Orig. Cap. L. Quædam Dialecti habent *færde*, haud male, quia D. eſt medium derivandi, cujus ope a *faren* fit *færde*. Gloſſ. Pez. navigium *ferid*. Hodie eadem litera utimur ad formandum nomen equi *pferd*, quod cæteris affine, & ex eodem fonte hauſtum.

FÆRE, nauta, remex. A *faren* remigare. Gloſſ. Boxh. *ferio* remiga. Gloſſ. Pez. remex *vero*. Hodie ſuperat apud Helvetios, quibus *feer* vector, lintrarius, apud PICTORIUM in Dictionario. Reliqui Germani utuntur compoſito *fær-mann*.

FÆRGE, linter, navicula, alias *bark*, quia labiales cum labialibus, & gutturales cum gutturalibus, in omnibus linguis permutantur. Anglis *barge* & *bark*, ea ſaltim differentia uſurpantur, ut (quod ex obſervatione SPELMANNI ſcribo) illa tanquam minore in fluviis tantum, hac in mari trajiciendo utantur. Sed utriusque appellationis idem fons, nempe verbum Gothicum *farjan* remigare, quod vide in *faren* ejusdem ſignificatus. Latino-Barbari inde habent *barga, barca, barcus*, & *barica*, Græco-Barbari βάρκαι, Galli *barque*, Itali *barca*, & *varco*, & hinc porro *varcare* flumen rate trajicere, imo etiam *fregata* navis actuaria, quam vocem in medio reliquit FERRARIUS, cautior MENAGIO, qui a catis & felibus lepidiſſime deducit. Turcæ idem navigium ſine ulla transpoſitione vocant *fargata*, quod origini propinquius.

FÆRGE, *færich*, nauta, remex. Ex eodem fonte. Gloſſ. Pez. remiges *verigen*. Utrumque

que hodie obſoletum. Utitur tamen LUTHERUS priori Ezech. XXVII. 27.

FÆR-GELT, ripaticum, portorium, naulum. Olim *fer-ſchatz*. Gloſſ. Boxh. *ferifcaz* naulum. SOMNERUS: *fære-ſceat* naulum.

FÆRIG, promptus. V. *ferig*.

FÆRKEL, porcellus. Belg. *verken*, *varken*. Diminutiv. a Lat. *porcus*.

FÆS. V. *feslein*.

FÆSER, *feſer*, ſarmenta vitium. Utitur Luth. Eſa. V. 7. Res hoc nomine inſignita proprie eſt pars refecta vitis vel arboris quæ propagatur. Hinc ſuſpicor illam ſic dici quaſi propaginem, a *fáden* propagare, ſenſu a procreatione animalium ad regnum vegetabile translato. D. & S. in Dialectis permutari, jam ſæpe animadvertimus.

FÆSER, *ſæferlein*, fibræ, capillamenta herbarum & radicum. Belgis *veezel* de omni filamento dicitur, quaſi eſſet a *faden* filum. Contra STADENIUS appellationem petit a ſimilitudine cum cæſarie, quæ Angloſaxonibus dicitur *feax*, Francis *fahs*, *vahs*. Alii ducunt a *faſſen* capere, quia plantæ fibris iſtis nutrimenta attrahunt.

FÆSLEIN, *fæſchen*, *vesken*, omne tenue, inprimis pilus, floccus, ſtipula, feſtuca, palea &c. Antiquiores habent *fes* & *fis*, neſcio quo ſenſu, aut unde deſumto. TATIANUS Cap. XXXIX. 6. *zihiu giſihes thu thie feſun in ougen thines bruoder*, quid vides feſtucam in oculo fratris tui? VERELIUS in Ind. *fis* palea, folium aridum. Interim a ſimplici *fes* & *fis* venit minuſculum *fiſel*, *fæſel*, *fæslein*, & reliqua, pro Dialectorum varietate. A *fiſel* derivatur *fiſelig* ſubtilis, & dicitur apud Suevos de Scriptura minutiſſima.

FAHEN, capere quocunque modo, manu, mente, ambitu, ſpatio, imo etiam vi & dolo. Gothis *fahan*, Angloſaxon. *fon* apud BENSON. Francis & Alam. *fahen*, Island. *fa*, Suec. *fæ*. A πιάω prendo, corripio, judice JUNIO. TATIANUS Cap. CLXXXV. 7. *mih zi fahanne*, comprehendere me. Gloſſ. Keron. conprehendant *pifabe*, occupat *pifabit*, excipe *intfah*. Inde

fach, loculamentum, & omne ſpatium capax.

fæbig, capax, latiſſimo ſenſu.

anfahen, ordiri, aggredi, initium capere, Francis *anafahen* apud OTFRIDUM Lib. IV. Cap. XXXVII. 6. ab adverb. ordinis *an*.

auf-fahen, excipere, intercipere.

empfahen, accipere, recipere, corruptum ex genuino *entfahen*, quod antiquum.

umfahen, ampleƈti, capere in ulnas vel circuitum.

unterfahen, conari, factum ad modulum Latini verbi *ſuſcipere*. Olim ſignificavit *intercipere*, ut ex OTFRIDO docet SCHILTERUS in Gloſſario, manifeſta rurſus Latinæ compoſitionis imitatione.

Dicitur etiam *fangen*. Sed quoties ita loquimur, tunc literam inſerimus, nec omnibus gratam Dialectis, nec ineſſe debitam. Operæ tamen pretium eſt, ut hoc verbum cum ſuo parente conferatur.

FAL, pallidus. Dicitur de pallore omnium colorum, præcipue fuſci, flavi, & nigri, plane ut apud Latinos helvus & gilvus. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *falu*, *fealo*, *fealwe*, *falewe* helvus, gilvus, *mus-fealu* color myrteus. Proprie murinus, cineritius, inter album & nigrum medius, & fortaſſe a Græc. βάλιος, quod nonſolum varium & maculis diſtinctum, ſed etiam fuſcum ſignificat. Quamvis etiam a *palleo* eſſe poſſit. VEREL. in Ind. *folur* pallidus. Idem Belgis & Alamannis *val*. Kraft von Toggenburg apud GOLDASTUM in Parænesi. pag. 444.

Heide und anger und du tal
Du hat der winter aber val
Gemachet und die owe.

PROCOPIUS videtur hanc vocem oſtendere in loco memorabili de equo Beliſarii L. I. Hiſt. Goth. *Equo forte vectabatur, aſſueto bellis, edoctoque e periculis ſervare equitem, cui cætera corporis fuſca, frons narium tenus candebat, quod genus equi Græci* BALIOS, *Barbari* (Gothi aliique) VALAS *vocant*. Utor verſione GROTII. Belgæ & Germani equum pallidi coloris etiamnum eodem nomine deſignant. Vide Luth. Apoc. VI. 8. Ut neceſſe non ſit emendare PROCOPIUM, & pro βάλαν legere φάεαν, quod facit CANGIUS. Nam *farius* Barbaris equum ſignificat, non colorem equi. VEREL. in Ind. *far* equus.

FALB, flavus. Angloſaxon. *feahw*, Italis *falpo*. Vel idem eſt quod antecedens, vel a Lat. *flavus*. Inde noſtris *welwen* flacceſcere, quia flavedo eſt color plantarum pereuntium. BENSONIUS in Voc. Angloſaxon. *wealowian* exareſcere. Nifenius apud Goldaſt. loc. cit.

Nu ſiht man valwen grunen walt.
Nunc cernimus ſilvam viridem areſcere.

FALK, ſpecies accipitris, incredibilis avium terror. Gloſſ. Æliſ. in nom. avium: falco vel capus, a capiendo, *wealhhafoc*. BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. *gwalch* accipiter. Gloſſ. Pez. herodion *falucho*. VEREL. in Ind. *valur* falco, accipiter. Idem Belgis *valk*, Græc. inf. φάλκων, Lat. *falco*, Gall. *faulcon*. Quidam nomen a *falce*, vel *falcatis* unguibus effingunt, quaſi origine Latinum eſſet, quod falſum. Nam *falco* Latinis ſero innotuit, & ante JULIUM FIRMICUM nemo dixit *falco*, ne PLINIUS quidem, qui Hiſtoriam animalium ſtylo ſuo ornavit. Et BEMBUS, Cardinalis ille Latine doctiſſimus, non auſus eſt dicere *falco*, ſed falcones *aquilas* appellavit, quamvis inepte. Latini enim non *aquilam*, ſed *immiſſulum* vocant, ab immittendo, quia capturæ cauſa in ſublime mittitur. Olim exiſtimavi,

ſtimavi, *falk* derivari a *fællen* proſternere, vel a *fallen* irruere, vel a *walken* agitare: quoniam hæc mire convenire videbantur falconi, qui aves minores ſolo conſpectu deprimit, ut manibus prehendi a venantibus poſſint: grues vero altiſſime ſupervolans fulminis inſtar adoritur, easque in aere diu agitatas, tandem in terram dat præcipites. At nunc diligentius perpenſa voce Saxonica *wealh-hafoc*, quæ proprie accipitrem peregrinum denotat, a *walch* peregrinus, non amplius dubito, quin reliquæ ab illa ſint avulſæ per apocopen. Præcipuum compoſitum eſt *gerfalk*, de quo infra.

FALL, varios habet ſignificatus, quorum alii rectius a *fællen*, alii a *fallen*, prout ſenſus exigit, deducuntur. Angloſaxonibus effertur *fylle*, Francis *falla*, *valla*, Belgis *val*, Anglis & Suecis *fall*. Vocem Celtis quoque uſitatam fuiſſe, ex compoſitis Cambricis poſtea patebit.

FALL, lapſus, actus cadentis. A *fallen* cadere. Inde Cambris *adfail* lapſus ædificiorum, Angloſaxonibus *fylle-ſeoc* epilepticus, Germanis *waſſer-fall* cataracta, præcipitium aquæ, *fuſs-fall* ſupplicatio, prolapſio ad pedes alterius, *durchfall* profluvium, & alia innumera. A *fall* porro eſt *fællig* labilis, caducus, deciduus, *bau-fællig* quod lapſum minatur, & ſimilia.

FALL, eventus fortuitus, caſus inopinatus, *auf den fall* in caſum, *allenfalls* in eventum, *not-fall* caſus neceſſitatis, *zent-fall* caſus criminalis, *glücks-fall* caſus fortunæ, *zufall* idem quod ſimplex, *zufællig* fortuitus. Gloſſ. Pez. caſus *falla*. Refer ad *fallen* accidere, contingere. Poſtea ſenſus translatus eſt a fortuitis ad ſtatum & conditionem, quæ cuivis forte, bona vel mala, obtingit. Inde *zufall* ſors, ſtatus, conditio. Franci eodem ſenſu utuntur ſimplici *fall*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XX. 113. de hœdis a ſiniſtris:

Thar ſint thie andere alle
In uuenegemo falle.

Vertit SCHILTERUS:
Iſthic ſunt cæteri omnes
In miſerrima conditione.

FALL, defectio, *fall der Engel* defectio angelorum, *Adams fall* defectio primi hominis a ſtatu integritatis, *abfall* apoſtaſia, defectio a patria religione, *verfall der kirchen* defectio Eccleſiæ a priſtina fide & puritate. Refer ad *fallen* deficere.

FALL, defectus, *fall der eren* deliquium fidei, auctoritatis, famæ, exiſtimationis &c. *fall der narung* decrementum commercii. Refer ad *fallen* deſtitui. Cambris *aball* eſt inopia, defectus, ex eodem fonte.

FALL, grave delictum, jactura pudicitiæ, aut ſimile quid, *zu fall kommen* graviter delinquere. Refer ad *fallen* delinquere.

FALL, dejectio. A *fællen* ſternere, facere ut cadat. Inde vetus compoſitum *marchfalli* projectio ab equo, quod extat in Lege Bojorum Tit. III. §. 3. qui inſcribitur *de ab equo projectis*.

FALL, irruptio, *anfall* impetus, inſultus, *ausfall* eruptio, excurſio, *einfall* invaſio. Refer ad *fallen* irruere, involare.

FALL, ruina, deſtructio, jactura rei familiaris, *eines fall befördern* interitum alicujus accelerare. Refer ad *fællen* ſternere, evertere. Cambri ex eodem fonte habent *adfail* ruina.

FALL, reditus, *ambts-fælle* ſportulæ, reditus ex officio, *ſtraf-fælle* reditus ex mulctis, *haubtfall* reditus capitalis, quo ſenſu, jam dixi infra in *haubt*. Ejusmodi caſus vulgo vocantur *accidentia*, ut pateat eſſe a *fallen* accidere, contingere. A *fall* porro eſt *fællig* exigibilis.

FALL, inſidiæ, *fallſtrick* laqueus. Refer ad *fællen* decipere.

FALLE, decipula. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *balleg* excipula, ficilla, naſſa. Gloſſ. Pez. decipula *valla*, muſcipulis *vallun*. VEREL. in Ind. *fælla* tendiculæ feris poſitæ. NONIUS MARCELLUS tribuit Latinis *fallam* pro *fallacia*. Cuncta a *fællen* decipere. Inde vox Malebergica *ac-falla* avium decipula, a Latino *auca* avis, in Leg. Sal. Tit. VII. 9. Præcipua hodie compoſita ſunt, *maus-falle*, *ratten-falle*, *wolfs-falle*, & ſimilia in vulgus nota.

FALLEN, cadere, labi, ruere, *fallend* cadens, caducus, *abfallen* decidere, *einfallen* in ſe ruere, *umfallen* corruere, in latera cadere. Verbum omnibus antiquis (ſi Mœſo-Gothos excipias) uſitatum. Angloſaxonibus *feallan* eſt cadere, *feallend*, *fallend* cadens, *feallendlic* caducus, *fylth* cadit, quod bis occurrit in Evangelio Gentis Luc. XX. 18. *ælc the fylth ofer thone ſtan*, *hyth forbryt*, *ofer thone the he fylth*, *he tocwyſt*, quisquis cadit ſuper illum lapidem, confringetur, & conquaſſabit eum, ſuper quem cadit. Idem Francis & Alamannis *fallen*, *vallen*, Belgis *vallen*, Suecis *falla*, Anglis *to fall*. Gloſſ. Pez. labuntur *vallent*. Gloſſ. Keron. cecidit *fial*. Quibus conſentit multorum judicio, Heb. *naphal* cecidit, Græc. βάλλεσθαι dejici, & Lat. *labi* per anaſtrophen.

FALLEN, in metaphorico dicendi genere ſignificat quantum poteſt, quantumque ſimilitudo permittit, (1.) *accidere*, *contingere*, *obvenire*, quia contingentia, dum præter intentionem, ſpem, & opinionem in rem veniunt, ſimilia ſunt eorum, quæ fortuito cadunt. (2.) *deficere*, *defectionem facere*, quia deficientia, dum a priſtino ſtatu in deteriorem, noxium, & vitioſiorem ruunt, perfecte referunt ea, quæ ex alto in profundum cadunt. (3.) *imminui*, *defectum pati*, quia inclinata, imminuta, & labefactata videntur, prorſus ut cadentia, ad inferiora tendere. (4.) *graviter delinquere*, quia cadere eſt gravitate ſua deorſum ferri. (5.) *irruere*, quia cadentia motu celeri & incitato obvia quæque impellunt, & toto corpore premunt. (6.) *mori*, *interire*, quia mortui lapſis ſimiles

ſimiles ſunt. (7.) *naſci*, quod dicitur de pullis quadrupedum, quia decidere magis de matre, quam nixu edi videntur.

FALLEN, accidere, contingere, præter ſpem & opinionem evenire. Gloſſ. Pez. contingunt *givallent*. Hodie utimur compoſito *vorfallen*.

FALLEN, obvenire, ab uno ad alterum devolvi. Gloſſ. Pez. obvenerat, obtigit, *giviel*. Inde *erbfall* hæreditas, *heimfallen* redire ad priorem dominum.

FALLEN, deficere, defectionem facere, a priſtino ſtatu in deteriorem, noxium, & vitioſiorem ruere. Inde

Cambris *aballu* deficere.
Francis *balo*, *palo*, *falo* malus, & malum tam paſſionis quam actionis. Vide plura in *bal*.
Anglis *to fall away* deficere, deſcifcere.
Germanis *fall* defectio, *abfallen* deficere, defectionem facere, *verfallen* prolabi in deterius.

FALLEN, imminui, deſtitui, deliquium & defectum pati. Gloſſ. Pez. deſtituimur *vallames*. Inde formulæ, *der preis iſt gefallen* quando pretium minuitur, *der mut iſt gefallen* quando animo deſtituimur.

FALLEN, graviter delinquere, *fall* grave delictum.

FALLEN, irruere, involare, inſultum facere, ſive lædendi & opprimendi, ſive prædandi cauſa, *in die hare fallen* in capillos involare, *ins haus fallen* irrumpere in domum, effringere ædes, *ins land fallen* impreſſionem facere in regionem manu prædatoria, *ins lager fallen* caſtra invadere. Gloſſ. Pez. opprimi *irvallan uuerden*. Similiter & Græcis βάλλομαι eſt irruo & impreſſionem facio. Inde Alamannis *fal* rapina, per metonymiam antecedentis pro conſequente, quia invaſionem plerumque ſequitur deprædatio. ISIDORUS Cap. V. 3. *ni uuas imu dhuo einighan fal ardeilendi, dhaz ir Gote uuas ebanchiliih*, non rapinam arbitratus eſt, eſſe æqualem Deo. Compoſita vide in *fall* irruptio, derivata in *feld* bellum, inſultus.

FALLEN, mori, occumbere, perire, *durchs ſchwerd fallen* ferro interire, necari. Inde

Cambris *aballu* perire, & *aball* exitium.
Anglofaxonibus *manna-fyll* hominum ſtrages, apud SOMNER. in v. *fylle*.
Francis *fall* mors, interitus, corruptio & deſtructio corporis. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XX. 49.

Thieſelben irſtantent alle
Fon thes lichamen falle.
Omnes reſurgent
A corruptione corporis.

FALLEN, naſci, *von ſchönen pferden fallen ſchöne füllen* ab equis generoſis naſcuntur pulli generoſi. Inde *füllen* pullus equinus vel aſininus, *winter-fællig* quod ex animalibus domeſticis hyberno tempore editur.

FALLEN, ſentire, judicare, *beifallen* aſſentiri, *beifall* aſſenſus. Non a *fallen* cadere, etiamſi Galli dicant *tomber d'accord*, quod non habet ſenſum intelligibilem; ſed forte ab Heb. *pillel* judicavit.

FALLEN, placere, gratum eſſe. Priſcis Septentrionalibus *billa* eſt placere, *obilla* diſplicere, *fallin* aptus, *fallegr* pulcher, apud VEREL. in Ind. Græcis φιλέω eſt amare. Latini inde habent *bellus*, i. e. pulcher, amabilis. Alia origine minime opus eſt, cum hæc ſatis manifeſta ſit. Nam a *bellus* pulcher, amabilis, recte fit *billa*, *falla*, *fallen* placere, quia pulchra tantum placent. Hodie dicimus *gefallen* cum præfixo *ge*, & inde *gefællig* gratus, acceptus, *gefelligkeit* placendi ſtudium. Sed in reliquis compoſitis præfixum *ge* abjicimus. Inde *misfallen* diſplicere & diſplicentia, *misfællig* moleſte, non ſine offenſa. Quæ, cum nullam habeant affinitatem cum cæteris ejusdem ſoni verbis, commodiſſime, ni fallor, ab idea grati deducuntur. Plura verba ſimiliter facta vide in *danken* placere.

FALSCH, non-verus, mendax, ad decipiendum factus. Vox Celtica, quæ Cambris & Armoricis effertur *ffals*, *fals*, Hibernis *falſa*, Anglis *falſe*, Belgis *valſch*, Suec. *falsk*, Island. *falskur*, Gall. *faux*, *fauſſe*, Lat. *falſus* & *fallax*. Cuncta a *fællen* decipere. Dicitur & ſubſtantive pro fraude & materia fraudulenta, ſæpe apud veteres Islandos, VEREL. in Ind. *fals-laus* integer, ſine fraude, *fals* pecunia adulterina, dicitur & de aliis rebus quæ falſantur, vel in quibus ſub genuino fraus & dolus occultatur. Plura ſubſtantiva ab eodem verbo oriunda, vide in fonte. A *falſch* porro oritur *falſchen*, *verfælſchen* vitiare, adulterare, falſum pro vero ſubſtituere, *falſchlich* mendaciter, doloſe.

FALT, verbale a *falten*, ſignificat plicam & plicatum.

FALT, plica veſtis, ruga frontis, & ſimilia. Cambris *pleth*, Angloſax. *feald*, Angl. *fold*, Ital. *falda*, Suecis *fæll* per apocopen, Belgis *vouw* per ſyncopen. Allegorice dicitur id, quod plures & diſpares habet exiſtendi modos, ducta a veſtibus complicatis ſimilitudine. Hinc ſimplicitas dicitur *einfalt*, quaſi *unfalt*, quia nullas habet plicas, ut oſtendi in loco.

FALT, plicatus, allegorice varius, multiplex, diſpar. Dicitur (1.) de eo quod in ſe varium & anceps eſt. Gloſſ. Lipſ. *twifolda* anceps. Inde *einfalt* ſimplex, a negativo *ein*, quia totus ſibi ſimilis & a compoſitione alienus eſt. (2.) de eo, quod in genere ſuo multiplex. Inde Angloſax. *twy-feald* duplex, *feal-feald* multiplex, *mænig-feald* plurifarius, *hund-feald* centuplus, Matth. XIII. 8. Similia habent Franci & Alamanni. Gloſſ. Keron. duplici *zuuifalda*. Gloſſ. Boxh. bipertitum *zuivalt*. Confer TATIANUM Cap. LXXI. 5. (3.) de eo quod in unitate ſua plures habet exiſtendi modos, pluresque

differentias. Hoc ſenſu utitur ISIDORUS Hiſpalenſis de Myſterio Trinitatis in Fragmento contra Judæos Cap. IV. 7. ubi ait: *dhazs dher forafago dhenſelbun Druhtin dhrifaldan in ſeinem heidim araughida*, quod vates eundem Dominum ut trinum in ſuis perſonis oſtenderit. Hodie dicimus *dreifaltig*, quam vocem alii tanquam novam & tanto arcano minime aptam immerito faſtidiunt. Enimvero ſi Chriſtianis doctoribus jam Sæculo VII. licuit dicere *drifalda*, non video, cur nobis hodie non liceat dicere *dreifaltig*, cum utriusque vocis idem ſenſus ſit, niſi quod illa trinum, hæc trinitate præditum ſignificet.

FALTEN, plicare. Gothis & Alam. *faldan*, Angloſax. *fealdan*, Francis *faltan*, Anglis *to fold*, Italis *faldare*, Suecis *fælla*, Belgis *vouwen*. Gloſſ. Keron. plicare *faldan*, explicantur *fyn kefaldan*, adplicet *zuapifalde*, volvat *inualde*, provolvat *forapiualde*, provolvantur *fora ſi pifaldan*. Quæ hic JUNIUS de voce Angloſax. *fald* ſtabulum, ſeptum, affert, impertinentia vocat STIERNHIELMIUS. Et merito. Revera enim *falten* eſt dictio Latina a *plicare* facta, per literas mobiles & convertibiles. Vide doctrinam de literarum permutatione in PROLEG. & patebit, P. & F. nec non C. & T. in multis vocibus permutari, & L. e ſede nativa frequenter transponi.

FALTIG, *fæltig*, plicatus. Id eſt, plica præditus, vi terminationis *ig*. Senſum metaphoricum vide in antecedentibus. Veteres dicunt *falt* & *faltlich*.

FALZEN, plicare. Frequentativ. a *falten*.

FAN, dominus, Dial. Gothica. Etymon, & plurium Linguarum conſenſum, vide in *bann*.

FANE, pannus laneus vel lineus. Evang. Goth. Marc. II. 21. *fanins niujis plat* panni rudis aſſumentum. Gloſſ. Florent. linteolus *fanon*. RUDBECKIUS in Atlantica deducit a *funna* lucere, & vocem de veſte valde candida interpretatur. Quam etymologiam adoptat DIECMANNUS in Spec. Gloſſ. pag. 115. Mihi videtur eſſe a Lat. *pannus*, & hoc a Græc. πήνος tela, textura.

FANE, faſcia, & quodcunque involucrum ex panno, linteo, vel ſindone. Dicitur antiquitus primo de linteis ſepulcralibus. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXIV. 202. de Lazaro:

Joh ſon themo grab erſtuant,
Mit lachanon biuuuntan,
Joh ſanon ſo giduntan.
Surrexit de ſepulcro
Pannis involutus
Et faſciis ligatus.

Secundo de linteis ſacris, quibus calices aliaque vaſa ſacra involvebantur, quæ Monachis vocantur *fanones* apud Gloſſographos, manifeſta Germanicæ vocis imitatione. Tertio de omnibus mappulis. Gloſſæ veteres apud LINDENBROG. in Gloſſ. mappa *hanckfano*, mappula *tiſchfano*. Et huc etiam ſpectat ſudarium, quod ALCUINUS apud Gloſſographos *fanonem* vocat, quodque obſervante DIECMANNO in Bibliis antiquis paſſim vertitur *ang fane*. Quarto & metonymice de munuſculis, quatenus ab offerentibus ſindone vel aliis linteis ſunt involuta. Hinc *eulogium* in Gloſſis R. Mauri vertitur *fana*.

FANE, vexillum. Angloſax. *fana*, *fæna*, Francis & Lat. Barb. *fano*. Quibus convenit vox Cambrica *penwn*. Plerique *fane* deducunt a *band* faſcia, quod ejusmodi faſciæ perticis alligatæ priſcis erant pro vexillis. Sed revera notionibus & Dialectis differunt. Nam *band* Gothica lingua eſt ſignum, & Longobardica ſignum militare, ut demonſtravi in voce, *fane* Francica linteolum ex haſtili dependens, ſenſu a mappulis ad labara & vexilla ob manifeſtam ſimilitudinem translato. Præcipuum & antiquiſſimum compoſitum, quod mire exercuit ingenia eruditorum, eſt *gundfane*, quod explicavi in loco. Reliqua, quæ vel ab imperio, vel ab exercitu, vel a ſanguine, vel ab oppugnatione nomen ducunt, ut ſunt *reichsfane*, *her-fane*, *blut-fane*, *ſturm-fane*, & ſimilia, a Jurisconſultis & Lexicographis paſſim explicantur. A *fane* eſt diminutiv. *fænlein* cohors, ſub eodem vexillo militans, per metonymiam ſigni pro ſignato.

FANE, triton, lamina verſatilis in faſtigiis ædium, quæ, ſi figuram vexilli refert, dicitur *fane*, ſi Galli gallinacei *wetter-han*, quia vento explorando facta.

FAN-LEHN, feudum vexillare. Differt a *zepter-lehn* inveſtitura tantum. Illud Principibus ſæcularibus conferri ſolet per vexillum, hoc Eccleſiaſticis per ſceptrum. Id quod ipſis nominibus declaratur.

FANG, verbale a *fangen*, plures habet ſignificatus, pro varia notione verbi, a quo oritur.

FANGEN, capere, & per ſynecdochen generis *recipere*, *excipere*, *ſuſcipere* &c. A *fahen* per epentheſin. Illud Saxonibus, Francis, & Alamannis, hoc Gothis magis uſitatum. Capit autem primo *manus* & *digiti*, poſtea ad ſimilitudinem manus etiam *mens*, *vis*, *dolus*, *locus*, *ordo*, & quid non? Quorum evolutio, cum ſit ſatis facilis, non debet me detinere. Oſtendam tamen potiſſimos ſignificatus ex dictis fluentes.

FANGEN, capere manu, accipere. SOMNER. in Dict. Angloſax. *fangan*, *fengan* capere, manu prehendere, capeſſere, *feohfang* acceptio pecuniæ. Hodie dicimus *empfangen*, quod vide.

FANGEN, capere mente, concipere. VEREL. in Ind. *fangarad* conſilium e re & occaſione captum. Dicitur etiam in malam partem. Inde *grillenfænger* homo cerebroſus, qui ſpecies tantum inanes captat.

FANGEN, capere vi, comprehendere, *gefangen* captivus, *gefængnus* carcer. TATIANUS Cap. CLXXXV. 7. 8. *ir giengut uz mit ſuerton inti ſtangon mih zi ſahenne*, *inti ir ni giengut*

fiengut mih, exiiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me, & me non tenuiſtis. Inde *infang* manus injectio, in Lege Bojorum Tit. III. 3. *Si in eum contra legem manus injecerit, quod infanc dicitur.* Plura huc ſpectantia exhibet VERELIUS in Ind. cujusmodi ſunt, *fang* rapina, violenta invaſio, *herfang* manubiæ, præda, ſpolium, *hardfengi* violentia.

FANGEN, capere aſtu, irretire, *vogelfang* aucupium. Dicitur autem nonſolum de infidiis laqueorum, ſed etiam verborum. Evang. Angloſaxon. Marc. XII. 13. *tha ſendon hi to hym ſume of Fariſeum and Herodianum, thet hi befengon hyne on hys worde*, & mittunt ad eum quosdam ex Phariſæis & Herodianis, ut eum caperent in verbo. Ubi Luth. *daß ſie ihn fiengen in worten.* Inde *verfænglich* captioſus.

FANGEN, capere circuitu, circumdare. Inde *umfangen* ulnis amplecti, muro aut ſepimento cingere. Præcipuum derivatum eſt *fang*, quod in latiſſimo ſenſu poſitum eſt apud veteres, & dicitur primo de ſeptis. Gloſſ. Boxh. *pifanc* ſeptum. Inde Latino-Barbaris *bivangium* pro ambitu ſaltuum aut ſepto hubarum. Secundo de veſtimentis. Inde *gifang* toga, apud OTFRIDUM Lib. I. Cap. XXIV. 10. *ther zuei gifang eigi*, qui duas habet tunicas. Tertio de ſinu. VEREL. in Ind. *fang* ſinus, & quantum quis ulnis complecti poteſt.

FANGEN, capere ab initio, incipere. Gloſſ. Keron. incipiatur *ſi kifangan.* Hodie utimur compoſitis, cujusmodi ſunt, *anfangen* inchoare, *anfang* initium, *anfænger* inceptor.

FANGEN, occupare. TATIANUS de S. Petro Cap. XIX. 8. *forhta beſieng inan*, timor occupaverat eum. Inde Angloſaxonibus *fore-fang* anticipatio, præventio, & Islandis *fang* acquiſitum, & *full-fang* plena & legitima acquiſitio, apud VEREL. in Ind.

FANGEN, jugulare, excipere gladio. Viget in compoſitis *fangeiſen* & *hirſchfænger* venabulum.

FANZEN, nugas agere. Idem quod *fatzen* inſerto N. Inde *alfanz* nugator, aliena & inepta loquens, *firlefanz* verboſus nugator.

FAR, *færde*, periculum. Suecis *fara*, Belgis *vaer*, *vaar*. Proprie eſt terriculum, derivaturque a *faren* terrere, & dicitur de periculo, quia terret. Similiter Græcis δεῖμα metum & periculum notat. STADENIO, qui in hac voce explicanda inconſtans eſt, & derivationem ejus modo a *faren* proficiſci, quia itinera ſæpe ſunt periculoſa, modo a *faren* tentare, quia pericula ſunt malevolorum nocendi tentamina, inſtituit, aſſentiri non poſſum. Hodie utimur compoſito *gefar*. Utitur tamen ſimplici Luth. Sir. XXXIV. 13. & derivato *fæhrlichkeit* 2. Cor. XI. 26.

FARBE, color. Vox Francica. Gloſſ. Boxh. color *farva*. Gloſſ. Pez. colores *faruua*. Gloſſ. Keron. colore *farauuy*. MARTINIUS ducit a Lat. *varius*, ingenioſe magis quam vere. Nam vox hodierna eſt ab antiqua *faruua*, mutato W. in B. quod fieri ſolet ſæpiſſime; antiqua vero a *waren* videre, per medium derivandi W. quia color eſt ſpecies viſibilis. Simile eſt, quando color dicitur *ley* a λεύω video. Interim a *farbe* eſt *færben* tingere, colore imbuere, & alia ſatis nota. Voces Saxonicas vide in *blech* & *fach*, Celticam *lei* in *Proleg.* Sect. VI.

FARBE, forma, proſopon, perſona. ISIDORUS Cap. III. 6. *aridalida ſih ſelban, endi ſcalches farauua intfenc*, exinanivit ſe ipſum, & formam ſervi accepit. Senſus a colore ad formam translatus, quia ex coloribus forma dignoſcitur. Inde *farb halten* ſuſtinere perſonam, quod dicitur de conſtantis propoſiti viro.

FAREN, plures ducit familias, quæ nihil inter ſe commune habent. Nos illas docendi cauſa in tres ſeparabimus.

FAREN, primi generis.

FAREN, tribus modis dicitur, (1.) *de motu pedum*, (2.) *de motu rerum & perſonarum*, (3.) *de motu mentis.* Primus ſignificatus eſt a Laconico πὸρ pes, quia verba eundi ſolent a pedibus formari. Exempla vide in *pedden.* Secundus a *für* trans, ultra, de loco. Quid enim eſt moveri, niſi de loco in locum agi? Tertius a motu locali transfertur ad mentem, quia operationes mentis ſunt motibus corporeis ſimiles. Sed his rite intelligendis meditatione opus eſt.

FAREN, ire, abire, diſcedere. TATIANUS Cap. XLVI. 4. *far inti giougi thih themo biſcofe*, vade & oſtende te Sacerdoti. Gloſſ. Keron. gradiendi *ze faranne.* OTFRIDUS Lib. V. Cap. X. 5.

Tho det er ſelb ſo er uuolti
Ioh rumor faran ſcolti.
Tunc finxit ac ſi vellet
Longius ire.

FAREN, transire. Codex Arg. Luc. X. 7. *ni faraith us garda in gard*, nolite transire de domo in domum. Verſio Angloſaxonica eodem ſenſu: *ne fare ge fram huſe to huſe.* Idem Græcis πεφᾶν, obſervante JUNIO.

FAREN, ferri, moveri, de loco in locum agi. Occurrit in *farnüß, farende habe, farende güter*, bona mobilia. Vocem explicat Jus Prov. Alam. Cap. CLXI. *uuaz varndez gut haizze, daz ſulen uuir iu ſagen. Golt und ſilber, und edelgeſtain, vihe, roß, und allez daz man getriben und getragen mag:* Quid ſit bonum mobile, dicendum nunc eſt. Aurum, argentum, gemmæ, pecora, equi, & quicquid agi aut portari poteſt. Cum hoc ſignificatu convenit Lat. *ferri.*

FAREN, proficiſci. Gloſſ. Pez. profectus eſt *fuor.* VEREL. in Ind. *fara* verbum generale, ire, proficiſci terra marique, *far* iter, tranſitus, *farveg* via publica vel communis vicinorum. Inde fortaſſe *faramanni* in Lege Burgund. Tit. LIV. 2. 3. qui judice CANGIO ſunt hoſpites & advenæ, quibus agri ad habitandum conceſſi.

FAREN,

FAREN, vehere & vehi. Inde Angloſax. *fær* vehiculum, Islandis *far* vectura, Germanis *fur* idem, & *furmann* auriga.

FAREN, remigare, navigare, transfretare. Cod. Arg. Luc. VIII. 23. *furidedun* navigabant. Joh. VI. 19. *farjandans* remigantes. TATIANUS Cap. LIV. 1. *fleig tho in ſhiſilin inti ferita*, tunc aſcendit in naviculam & transfretavit. Ab hoc verbo deſumptum eſt nomen ipſius navigii apud priſcos, quod aliis quidem *feru*, aliis *ferid*, aliis *far*, Ægyptiis *baris* dicitur. TATIANUS Cap. CCXXXVI. 7. *thie andere jungoron mit ferennu quamun*, reliqui diſcipuli navigiis veniebant. Gloſſ. Pez. navigium *ferid*. VEREL. in Ind. *far* cymba, navicula, ſcapha; item navigatio & iter maritimum, *farbann* navigationis interdictio, navium demtio. Germani ex eodem fonte habent *fære* trajectus & ponto quo amnis trajicitur, nec non *færge* linter & remex.

FAREN, errare, vagari, *farende ſchüler* ſcholaſtici vagabundi. Idem quod *faren* proficiſci, & dicitur de vagis, quia ſemper in via ſunt, nusquam ſtabilem figentes ſedem.

FAREN, contingere, fortuito venire. NOTKERUS Pſal. CIII. 6. *alſo iz fuor in diluvio*, ſicut accidit in diluvio. Plura ejusdem auctoris teſtimonia vide apud SCHILTERUM in Gloſſ. pag. 285. Hodie utimur compoſito *widerfaren* fortuito obvenire. Utrumque eſt a *faren*, quatenus ſignificat *ferri*, & dicitur de contingentibus, non quod temere, ſed quod a ſuis cauſis, quamvis nobis ignotis, ferantur & obferantur. Hinc fatum Græcis dicitur *φέρον* a *φέρω*, Latinis *fors* a *ferre*, quia fatum eſt ipſa ſeries cauſarum, quæ omnes eventus, bonos & malos ſecum fert. VIRGIL. Æn. 2. *Fors ſi qua tuliſſet*. Germani inf. dicunt *büren*, non a *bæren* ferre, ſed a *faren* contingere, mutato F. in B. quod fieri ſolet ſæpiſſime. V. *gebüren*.

FAREN, agere, facere, peragere. Verbum extinctum, ſed in prole ſuperſtes. Nam hinc componuntur & derivantur, *ſchonfaren* leniter cum aliquo agere, *willfaren* gratificari, optata & deſiderata facere, *far* opus, *farleſſig* negligens, remiſſus in opere, *fart* negotium, & ſenſu forenſi cauſa, imo etiam *fer* & *fert* facilis. Quæ vide ſuis locis. Cum hoc ſignificatu convenit Gall. *faire*.

FAREN, procedere, certo & determinato modo agere. Jus Prov. Alam. Cap. 385. *wie man mit kamphe gevaren ſol*, quomodo in duellis procedendum ſit. Inde *rechtlich verfaren* eſt legitime procedere, & ſubſtantive legitima cauſæ defenſio.

FAREN, tendere, animo volare, *hoch faren* ad ſublimia tendere, animo ad alta volare, *anfaren* involare, impetere, incivilibus modis aggredi.

FAREN, obire. Proprie eſt *ire*, *transire*, & dicitur de anima, non quod abeat in ventos, ſed quod ex hac vita transeat in aliam. BENSON. in Voc. AS. *faran* ire, obire. Gloſſ. Boxh. *binafare* abeam. Lege *obeam*. TATIANUS Cap. IX. 3. *unzan binafart Herodes*, usque ad obitum Herodis.

FAREN, deficere, perire, diſſolvi. Gloſſ. Lipſ. *tefuor* defecit, *tefarando* deficientes. ISIDORUS Cap. II. 3. *dhiu zifarande chiscaft dhero dodhlühhono*, conditio caduca mortalium. TATIANUS Cap. XXV. 5. *er thanne zifare himil inti erda*, antequam transeat cœlum & terra. Gloſſ. Keron. tranſitoriis *zefarantlihhem*. Ergo proprie eſt *tranſire*, & dicitur de pereuntibus, quia tranſeuntibus ſimiles ſunt. Hodie utimur in re coquinaria. Inde *zerfarenes*, *zerfarens*, cibus ex ovis diſſolutis. Differt a cibo ex ovis ſalva integritate frixis.

FAREN, ſecundi generis.

FAREN, generare, *vorfaren* progenitores. Idem quod *bæren* gignere, procreare. F. & B. ſunt literæ permutabiles. Inde Longobardis *fara* generatio, & familia. P. DIACONUS Lib. II. de Geſt. Long. Cap. 9. *Giſulfus non prius ſe regimen civitatis & populi ſuſcepturum edixit, niſi ei, quas ipſe elegere voluiſſet, Longobardorum* PHARAS, *hoc eſt, generationes vel lineas tribueret*. Lex Long. Lib. III. Tit. 14. *Si quis liber homo migrare voluerit aliquo, poteſtatem habeat - - cum* FARA *ſua migrandi quo voluerit*. Latinis *omnifarius* eſt omnigenus, forte ex eodem fonte.

FAREN, coire, inire. VEREL. in Ind. *kuenna-far* coitus cum uxore. Verbum faceſſens a *bæren* parere, quia coire eſt facere ut pariat. Quamvis etiam metonymicum eſſe poſſit, poſito conſequente pro antecedenti, generatione pro coitu, quæ coitum proxime excipit. Germani videntur inde habere *farr* bos initor.

FAREN, tertii generis.

FAREN, timere, metuere, *ſich befaren* in metu eſſe, *ſich verfæren* expaveſcere. Simile eſt Lat. *vereri*. Angli inde habent *fear* metus, Galli *peur*.

FAREN, terrere, facere ut metuat. Verbum faceſſens ex præcedenti, quod Angloſax. effertur *færan*, *afæran*, Francis *ferron*, *irferron*, Anglis *to fear*. Gloſſ. Lipſ. *irferron ſal* obſtupefacies. Hinc attonitus, perterritus, obſtupefactus Francis dicitur *ervirrit*, Anglis *afraid*, Germanis *verfært*. EPINIC. R. Lud. *kuning uuas ervirrit*, rex erat attonitus. Ex eodem fonte eſt *far*, *gefar* periculum, quia terret, & ab illo reliqui verbi *faren* ſignificatus.

FAREN, inſidiari. NOTKERUS Pſal. X. 8. *er varet daz er den armen erzucche*, inſidiatur ut pauperem rapiat. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XIV. 209.

Faretun thes ferahes
Sine fianta innan thes.

Interea inimici ejus inſidiabantur vitæ. Inde Gothis *ferjans* inſidiatores Luc. XX. 20. Omnino a *far* periculum. Quid enim eſt inſidiari, niſi periculum ſtruere? A *faren*

rurſus fit *fara*, fraus, dolus, inſidiæ. NOTKERUS Pſal. XXX. 5. *du bringeſt mich uzer dien faron, die ſie mir tougeno taten*, educes me ex laqueis, quos mihi clam poſuerunt. Et huc ſpectat ex hodierno ſermone *geſærde* dolus, inſidiæ. Nota formula contrahentium: *getreülich und one geſærde*, fideliter & absque dolo.

FAREN, tentare, periclitari, periculum intendere. Idem quod inſidiari, & ex eodem fonte. Quid enim eſt tentatio, niſi periculi oſtenſio, & neceſſitas ex duobus malis alterum eligendi? Hoc ſenſu tentatio videtur accipi Matth. VI. 12. & hoc ſenſu tentare OTFRIDO dicitur *faran*, tentatio *fara*, tentator *farari*. Exempla vide apud SCHILTERUM in Gloſſario.

FAREN, experiri, experimento cognoſcere. Græcis conſono vocabulo πειράζω, Lat. *perio*. Ex eodem, ut videtur, fonte. Quid enim eſt experiri, niſi periculum facere? Hodie utimur compoſitis, cujusmodi ſunt, *erfaren* uſu cognoſcere, adjective prudens, expertus, peritus, *erfarung* uſus, experientia.

FARLÆSSIG, negligens. Proprie tardus & remiſſus in rebus agendis, a *laſſen* remittere, cunctare, & *fur* opus, negotium, quod eſt verbale a *faren* agere, peragere.

FARN-KRAUT, & per apocopen *farn*, filix. Angloſaxon. & Angl. *fearn*. MARTINIO venit a Lat. *farnus*, arbor e genere quercuum, quia filix dicitur naſci in veterum quercuum muſco.

FARR, *farr-ochs*, bos, taurus. Evang. Angloſaxon. Matth. XXII. 4. *mine fearras and mine fugelas ſynt ofslegene*, tauri mei & altilia mactata ſunt. NOTKERUS Pſal. XXI. 13. *feizte pharre habent mih umbefezzen*, tauri pingues obſederunt me. Cujus generis ſint hi tauri, an ad venerem gregariam refervati, an ſimpliciter juvenci, non liquet. Si prius, *farr* eſt bos initor, a *faren* inire. Si poſterius, nomen ab Hebræis arceſſendum. Iliis enim *phar* vel *par* bovem juvencum, & *parah* bovem juvencam denotat. Priorem vocem, quoties in Hebræo occurrebat, LUTHERUS in vernacula reddidit *farr*, Exod. XXIX. 1. Lev. VIII. 2. Num. XXVIII. 11. 19. 27. XXIX. 13. 17. & alibi.

FART, cujuscunque ſit ſignificatus, eſt derivativum a *faren*.

FART, itus, abitus. Gloſſ. Lipſ. *utferdi* exitus. Refer ad *faren* ire.

FART, tranſitus, & omnis locus, per quem itur & tranſitur, five pedibus ſive vehiculo, *einfart* porta. Gloſſ. Pez. oſtium *infart*. Refer ad *faren* tranſire.

FART, aſcenſus & deſcenſus, *himmelfart* aſcenſus in cœlum, *höllenfart* deſcenſus in infernum. Refer ad *faren* ferri, moveri.

FART, curſus. Gloſſ. Pez. curſu *ferti*. Inde *luſt-fart* excurſio oblectationis cauſa. Refer ad *faren* vehi.

FART, iter. Gloſſ. Lipſ. *verthe* itineribus, *geverthe* iter. Inde *ſeefart* iter navale, *walfart* peregrinatio religionis cauſa. Refer ad *faren* proficiſci.

FART, expeditio. Senſus ab itinere petitus, quia expeditio eſt profectio ad bellum. SOMNER. in Dict. Angloſaxon *færde*, *fyrde* expeditio, *land-fyrd* expeditio terreſtris, *ſcip-fyrd* expeditio navalis. Viget in compoſito *her-fart* expeditio bellica, quod vide infra in loco.

FART, cauſa, negotium. A *faren* agere. Utitur hoc ſenſu OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIII. 21. ubi paranymphus dicitur *friunt thes fartes*, conciliator negotii, interprete SCHILTERO in Gloſſ. Inde nobis *tag-fart* terminus judicialis, proprie dies cauſæ condictus, a *tag* dies præſtitutus, & *fart* cauſa, negotium. Præpoſtera vocis compoſitio verum ejus ſenſus occultat.

FASAN, avis phaſiana, a *Phaſide* Colchorum fluvio ſic dicta, unde ab Argonautis primum in Græciam advecta creditur.

FASE, floccus, *faſen* flocci, *feslein* omne tenue. Vide reliqua in poſtremo.

FASEL, nova fœtura. In genere plantarum dicitur *fæſer*, h. e. propago. Utrumque ex eodem fonte, nempe a *föden* parere, gignere, prolificare, litera muta, ut ſæpe alias in liquidam mutata. Gloſſ. Pez. paſcualem vitulum *vaſal chalp*. NOTKERUS Pſal. CXLIII. 13. *iro ſcaf ſint fefelig*, oves eorum ſunt fœtoſæ. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *fæsl* fortaſſe fœtus, ſoboles, partus, quod Belgis hodieque *faſel*. Vocem Belgicam ſiſtit KILIANUS in Etymologico: *faſel*, *vaſel*, fœtus in utero, Sicambris ſoboles, *faſelborſe* fœtus involucrum, *faſelvieh* pecus generans, cui opponitur *geldevieh*. A *faſel* porro fit *faſelen* ſobolescere & liberis operam dare, quod habet HENISCHIUS.

FASELN, *faſolen*, genus fabarum, Italis *faſoli*. Utrumque a Lat. *faſeolus*.

FASELN, nugari, ineptire. Frequentativ. a *farzen*, quod vide.

FASS, dolium, cadus, & omne receptaculum ventroſum, ſenſu apud veteres & recentiores latiſſimo. Lat. *vas*, Angloſaxon. *fat*, *fæt*, Francis & Alam. *faz*, Cambris *ffettan*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *fat*, *fata*, *fæt* vas, menſura quædam, *fætels* pera, abacus, ſaccus, vaſculum. Gloſſ. Ælf. in nom. vaſor. alabaſtrum *flænen ele-fæt*, cocula *olfata*, cratera *earde fæt*, enophorum *win-fæt*, ydria *weterfæt*, mulctrale *meolc-fæt*, ſcortia *lethren-fæt*, acetabulum *æced-fæt*, malluviæ *hand thwealesfæt*, pelluviæ *fot-thweales-fæt*, catinus *læpeldre-fæt*, cimbia, cymbium *ſcip-fæt*, lagena *læmen-fæt*, bulga *hydig-fæt*, ſalinare *ſealt-fæt*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *ffettan* ſaccus. TATIAN. Cap. VIII. 7. *inti gioſſonoton iro trefofazzon*, & aperuerunt ſcrinia theſauri ſui. Cap. CLXXXIII. 1. *tho quam Judas mit liohtfazzon*, tunc venit Judas cum laternis. Uſus hodiernus agnoſcit *hand-faſs* gutturnium, *ſalz-faſs* ſalinare, *ſpül-faſs*, *waſſer-faſs*, & alia innumera noti ſignificatus, in quibus *faſs* latiſſimo ſenſu ſumitur. Eadem latitudine

occurrit in collectivo *geſæſſe*, quo omnis generis vaſa & de quacunque materia deſignantur. Sic autem dicitur, a *faſſen* capere continendo, quaſi capedo continens, prout eſt ipſius rei teſtimonio. Vaſa vero anſata ob duplicem rationem ita dicuntur, cum quia capiunt ut reliqua, tum quia capiuntur per anſas. Vox Latina ejusdem eſt originis, de qua, niſi reducatur ad *faſſen*, nulla idonea ratio reddi poteſt.

FASSEN, capere. Belg. *vatten*, Suec. *fatta*. Apud antiquos hactenus non occurrit, in nullis eorum Dialectis, quod in iſta derivatorum multitudine, quæ conſpicuam habent vetuſtatem, mirum videri poteſt. Dicitur autem ſenſu latiſſimo. *Capere* enim in omnibus Linguis primo dicitur *manus*, & poſtea ad ſimilitudinem manus *intellectus*, *animus*, *vinculum*, *ambitus*, *vas*, *inane*, & quid non? Hinc tot ſignificatus orti, quot poſſunt eſſe capiendi modi in rerum natura.

FASSEN, capere prehenſione. Dicitur (1.) de manu. Et hactenus verbum Germanicum ſimile eſt Dorico πιάζω, prendo, manu premo. (2.) de intellectu. Inde vox Domini apud Matth. XIX. 12. *wer es faſſen mag, der faſſe es*, qui poteſt capere, capiat. Diſputari ſolet inter Philoſophos, quomodo fiat intellectio? Sed in omnium ſententia evitari non poteſt grave incommodum, ut vel corporea intellectio fiat a mente incorporea, vel a corporeis ſimulacris intellectio incorporea. Utrinque ex nihilo aliquid fit, ſive corpus cogitet, ſive mens tantum. Adeo omnia ſunt incerta, ut ne nos quidem noſcamus. Verum quomodocunque fiat intellectio, mens intelligendo percipit, & percipiendo intelligit, & hæc perceptio eſt quædam *comprehenſio*, *ſimilis iis rebus*, *quæ manu prenderentur*, ut ſapienter docet ZENO apud CICERONEM in Quæſt. Acad. Lib. I. Cap. ult. (3.) de voluntate. Inde *mut faſſen* animum colligere.

FASSEN, conſtrictum tenere. Græcis conſono vocabulo πιέζειν, πιάζειν. Inde ligamina Latinis *faſces*, *faſciæ*, Cambris *ffasgau*, Goth. *faskja* Joh. XI. 44. *joh urran ja dautha gabundans handuns jah fotuns faskjam*, & ſurrexit mortuus ligatus manus & pedes inſtitis. Ex eodem fonte eſt *feſſel* manica, pedica, vinculum ferreum, quo captivus tenetur. Allegorice dicitur de animo, quatenus motus ſuos compeſcit, & pravis affectibus veluti vincula injicit. Inde *ſich faſſen* moderari triſtitiam, iracundiam, metum, cupiditatem &c. *gefaſt* tranquillus, *ſich gefaſt machen* munire animum contra adverſa.

FASSEN, capere ambiendo, *umfaſſen* ulnis amplecti, muro vel ſepimento cingere. In derivatis dicitur primo de ſeptis. Evang. Goth. Luc. XIV. 23. *usgagg and wigans jah fathos*, exi in vias & ſepes. Marc. XII. 1 *atlagida fathom*, circumdedit ſepem. Secundo de veſtimentis. VEREL. in Ind. *fat* veſtimenta, *fatabur* domus in qua veſtes conſervantur. Tertio de marginibus rerum artificialium. Inde *einfaſſung* ora, limbus, fimbria, & univerſe incluſio. Quarto de menſuris cubitalibus. Inde *faden* menſura duorum cubitorum.

FASSEN, capere continendo. Dicitur primo de vaſis & menſuris, quatenus ſunt receptacula rerum. Secundo de omni argumento, quod literis & mandatis continetur. Inde in *ſchriften faſſen* literis mandare, in commentarios referre, *verfaſſer* auctor literarum, *verfaſſung* inſtitutum, mandatum, proviſio. Cuncta a complexu argumenti.

FASSEN, transvaſare, ex uno vaſe in aliud transfundere. Verbum a ſubſtantiv. *faſ* factum.

FASSEN, convaſare. Ex eod. fonte. Allegorice eſt præparare, quia præparantes ſimiles ſunt eorum, qui vaſa colligunt proficiſcendi cauſa. Inde *gefaſt* accinctus, expeditus, poſitis omnibus requiſitis ad agendum paratus, *kriegs-verfaſſung* apparatus bellicus.

FASSNACHT, veſpera vel vigilia ante jejunium quadrageſimale. Non a vaſis potoriis, velut nox Baccho ſacra, etiamſi pravi Chriſtianorum mores huic etymologiæ faveant: Sed a genuino *faſtnacht*, mutato T. in S. qua mutatione in ore ſuperioris Germaniæ nihil eſt frequentius.

FAST, duos habet ſignificatus, quorum alter ſenſum intendit, alter remittit. Primo ſignificat *valde*. Luth. Pſal LXXXIX. 8. *Gott iſt faſt mæchtig*. Secundo *pene*, *fere*. Id Marc. VI. 35. *da der tag faſt dahin war*. Prior ſenſus videtur eſſe ab adject. *veſt* validus. Sic Latinis a *validus* fit *valde*. Hodie tamen obſolefcit. Alter Oedipo opus habet. Interim apud Latinos quoque *penitus*, & *pene* ſunt contraria. A *faſt* valde, eſt nomen proprium VASTMAR, valde celebris, quod extat in Fragm. de Belg. Hiſp. Caroli M. v. 2950.

FASTEN, ſervare, cuſtodire, obſervare. Evang. Goth. Joh. VIII. 55. *waurd is faſta*, ſermonem ejus ſervo. Joh. XIV. 24. *waurda meina ni faſtaith*, ſermones meos non ſervat. Plura exempla vide apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. STIERNHIELMIUS, qui poſt Junium linguam Gothicam lucubrationibus ſuis illuſtravit, hoc verbum ducit a *veſt* firmus, ut idem ſit quod firmum ſervare. Haud male. Nec tamen exacte. Nam *faſten* proprie eſt tenere, a *veſt* tenax, ſervans, cuſtodiens, quod vide.

FASTEN, jejunare. Gothis *faſtan* Marc. II. 19. Angloſaxon. *faſtan* ibid. Franc. *faſten*. TATIANUS Cap. XV. 2. *mitthiu er faſteta fiorzug tago*, cum jejunaſſet quadraginta diebus. VEREL. in Ind. *faſta* jejunare, *vatnfaſta* aqua & pane vivere. Idem quod *obſervare*, & dicitur de jejunando, quia jejunia antiquitus erant peculiaris obſervantiæ in Eccleſia. Certe *obſervare*, & *jejunare* apud

apud Scriptores Eccleſiaſticos ſæpe ſunt ſynonyma. ISIDORUS in Auctario Gloſſarum : *abſtinet, obſervat.*

FASTEN, jejunium. Evang. Goth. Marc. IX. 29. *in bidai jah faſtubnja*, in oratione & jejunio. Evang. Angloſaxon. Luc. II. 37. *on fæſtenum and on halſungum*, jejuniis & obſecrationibus. Gloſſ. Keron. jejunium *faſtun*, caput quadrageſimæ *haubit der faſtun*. VEREL. in Ind. *faſta* jejunium, *faſtamat* caro aut cibus jejunii, i. e. piſces, caſeus, lac, puls, *faſtelagen* jejuniorum tempus, quadrageſima, *faſlegang* initium jejuniorum, *midfaſto* medium jejuniorum. An a Græco ἀναγία inedia, per aphæreſin ? Dubito, ob rationes ſupra dictas. Quid obſtat, ut jejunium dicatur *obſervantia*, appellatione a ritu Eccleſiaſtico deſumpta, & ad omnia deinceps jejunia, etiam ea, quæ non religionis, ſed ſanitatis cauſa fiunt, traducta? Præcipuum derivatum eſt *faſtnacht* veſpera vel vigilia ante jejunium quadrageſimale. Si eadem vox ad Bacchanalia, quæ quadrageſimam præcedunt, ſignificanda transfertur, tunc videmur ita loqui, ut turpitudinem honeſto vocabulo tegamus.

FATZEN, nugari, ineptire, *fatzmann* morio, nugator, ſcurra. A Græc. φάζειν dicere, fari, loqui, familiari Germanis inſtituto, quo verba Græcorum, quibus ſermo ſignificatur, vituperare ſolent. Exempla vide in *lügen, lallen, ſchwatzen, waſchen, frutzen, fanzen* &c.

FAUL, omnibus antiquis effertur *ful*, ſed non idem ſignificat apud omnes. Francis eſt *putris*, & hic primus vocis ſignificatus: Gothis *fœtidus*, quia fœtor putredinis comes: Angloſaxonibus *immundus*, quia putria & fœtida tangentes maculant : Germanis recentioribus *piger*, quia putrem ſitu & torpore, fœtidum ſqualore, immundum moribus refert. Nam intermiſſio motus eſt vitium, quo nonſolum res naturales, ſed etiam mores corrumpuntur. Quæ res multis viris doctis, qui ſcalam cauſarum ignorabant, impoſuit, ut *faul* derivarent a Gr. φαῦλος malus, vitioſus, vel a Lat. *vilis*, quia piger nihil agendo male agere diſcit.

FAUL, putris, putridus. Gloſſ. Pez. putridum *fulaz*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXIV. 165.

Drubtin, quad thiu fueſter,
Ther lichamo iſt nu fuler.
Domine, inquit ſoror,
Corpus jam eſt putridum.

Dixi, hunc primum vocis ſenſum eſſe. Et forte eſt a notione inveterati, quia res longo ſitu corrumpitur. Sane Græc. παλαι eſt pridem, & παλαιὸς vetus, & Hebræis *bala* inveteravit. Auctor Etymologiæ eſt AVENTINUS apud Helvigium in Dictionibus Germanicis. A *faul* eſt *faulen, verfaulen* putreſcere, quod Francis effertur *irvulen*.

FAUL, fœtidus. Evang. Goth. Joh. XI. 39. *jah fuls iſt*, jam fœtet. Inde OTFRIDO *ful leger* fœtidum cubile, quod dicitur de dormitoriis mortuorum Lib. V. Cap. XX. 51.

FAUL, impurus. SOMNER. in Dict. Angloſax. *ful* immundus, impurus, profanus, reus, putidus, obſcœnus. Inde *faul geſchwætz* obſcœna colloquia, ſermones profani.

FAUL, piger, ignavus, *faulheit, faulkeit* pigritia, *faulenzen* otio indulgere. Nova, ſed idonea.

FAUM, ſpuma. Angloſaxonibus *fæm* eſt ſpuma, *fæman* ſpumare, *fæmth* ſpumat Luc. IX. 39. Quæ hodie ſuperant apud Anglos in *fome* & *to fome*. Nos inde habemus *abfëümen* deſpumare, & hinc *abgefeümt* deſpumatus, figurate callidus, aſtutus, in arte decipiendi magiſter, quaſi a fœcibus purgatus & ſubtilior factus. SKINNERUS cunctorum originem ducit a Lat. *fumus*, quia fumus & ſpuma in raritate conveniunt. Ego malim a *ſpuma*, detracto ſibilo.

FAUST, pugnus. Angloſaxon. *fyſt*. Franc. & Alam. *vuſt*, Belg. *vuiſt*, Angl. *fiſt*. Gloſſ. Pez. pugillus *vuſt*. Proprie eſt manus contracta, digitis in pugnum collectis, a *faſſen* capere, prehendere, conſtringere. Utimur autem pugno nonſolum ad prehenſionem, ſed etiam ad defenſionem. Et cum hoc antiquiſſimo & naturali defenſionis inſtrumento, alterum, quod Latinis *fuſtis* dicitur, non nihil habere videtur commune. Confer *arm* brachium, a quo *arma*.

FAUST-RECHT, jus vindictæ privatæ, quod apud veteres Germanos cuivis læſo competebat, ab armis naturalibus ſic dictum, quaſi jus primævum & cum ipſo pugno natum. Quæ fuerint Judicis partes in hoc Germaniæ ſtatu, prodidit TACITUS Cap. XII. & Cap. XXI. de M. G. Quintilius Varus, qui alia jura Germanos docere voluit, atrociſſimas conatus ſui pœnas dedit, memorante VELLEJO Lib. II. Cap. 117. Nihil hic mutatum eſt in Legibus antiquis, quamvis ſerius exaratis. Imo ne Chriſtiana quidem religio tanti radices mali exſcindere potuit, niſi longo intervallo.

FECHEL, flabellum. V. *fæcher*.

FECHSER, malleolus. Forte a *fahen* capere, quia transplantatus nova incrementa capit. Dicitur & *fæſer*, ſed ex alio fonte.

FECHTEN, pugnare, *gefecht* pugna. Angloſaxon. *feoht, fyht* eſt pugna, *feohtan, fyhtan* pugnare, *fyhtling* miles. Similia habent Franci & Alamanni. Gloſſ. Keron. pugnam *fehtun*, pugnare *fehtan*. Gloſſ. Boxh. *fechtant* dimicant. Gloſſ. Pez. luctamenta *kefeht*. TATIANUS Cap. LXVII. 14. *giſeht uuidar anderan cuning*, bellum adverſus alium regem. Plura veterum teſtimonia vide apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 93. Græcis πυκτεύειν eſt pugnare, πύκτης pugil. Latinis *pictæ* pugil. Cuncta inter ſe cognata, & forte a primitivo πύξ pugnis, quo utitur HOMERUS, unde Græcis proverbium πύξ καὶ λάξ manibus pedibusque. Nam pugnus eſt primum & vetuſtiſſimum pugnandi inſtrumentum, & primos mortales prius inter ſe manus conſeruiſſe, quam

armis dimicaſſe, apud omnes in confeſſo. LUCRETIUS:

Arma antiqua manus dentesque unguesque fuerunt.

CASSIODORUS de anima: *Et quoniam neque cornu, neque dente, neque fuga* (ut alia animalia) *corporis humani forma ſe prævalet vindicare, robuſtus illi thorax, brachiaque conceſſa ſunt, ut illatam injuriam manu defenderet, & objectu corporis quaſi quodam clypeo vindicaret.* Similiter & ARISTOTEL. de partibus animal. IV. 10. manum homini ait eſſe pro haſta, pro enſe, & pro armis quibuslibet. Unde mirum non eſt, a primis naturæ præſidiis appellationes poſteriorum deſumptas eſſe. Huic etymologiæ fidem facit, quod verba pugnandi plerumque formantur a manu. Exempla vide in *kæmpfen*. A *fechten* fit *fuchtel* gladius, & alia plura, quæ nullam habent difficultatem.

FEDE, inimicitia aperta, perſecutio, vindicta. Angloſaxon. *fæhth*, Island. *fæd*, Latino-Barbaris *faida* & *feida*. Lex Longobard. Lib. I. Tit. VII. art. 1. & 15. *faida, id eſt, inimicitia.* Regino Lib. II. de Eccleſ. Diſcipl. Cap. 5. *Vindicta parentum, quod faidam dicimus.* Vox in Capitularibus & Legibus veterum Germanorum ubique obvia. Primis temporibus videtur illam tantum perſecutionem denotaſſe, qua quis cædem parentis vel propinqui bello privato legitime ulciſci poterat, de qua videndus TACITUS Cap. XXI. de moribus Germanorum. Sed hoc jure poſtea abrogato, vox ab inimicitia capitali ad quamcunque inimicitiam & ſimultatem ſignificandam adhibita eſt. Hinc Belgis *veede*, Anglis *feud* quamvis inimicitiam denotat. Utitur Eccleſia in cantilena ſacra: *all febd hat nun ein ende*, omnis hoſtilitas jam habet finem. VERELIUS originem vocabuli arceſſit a *fæ* paucus. Hinc *fæd* illi eſt averſio, quæ pauciloquentia deſinitur. Sed invitis omnibus pene Eruditis, qui vocem de graviori ſimultate interpretantur. Ipſe alibi deducit a *feigd* mortalitas, quod eſt a *feig* moribundus. Sed manifeſta mortalitatis cum inimicitia confuſione. SCHILTERO *febed* (ſic enim ſcribit in Gloſſario pag. 288.) ſic dicitur quaſi *feeed*, diſſolutio fidei. Quo ſenſu, aut quibus de cauſis, non indicat. Rectius opinor SOMNER. Spelmannum ſecutus, vocem componit ex *fah* hoſtis, & *had* qualitas. Quid enim eſt inimicitia niſi qualitas inimica? Rectiſſime autem formatur a *fien* odiſſe, verbo omnibus pene antiquis uſitato, per medium derivandi *de*. Idque cæteris præferendum. Auctores etymologiæ ſunt STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 793. & ECCARDUS in not. ad L. Sal. pag. 170. A *faida* Latino-Barbari formarunt *diffidare* bellum indicere, unde Gallis *defier* provocare, & *defi* provocatio. Germanis prioribus *feiden* & *bevehden* duo ſignificat, bellum inferre, & bellum indicere. Utrumque ex eodem fonte.

FEDER, telum fodicans. V. *ſchweinsfeder.*

FEDER, penna, tegumentum avis, mox etiam pro ala, quia penna nonſolum ad tegendum, ſed etiam ad volandum data. Angloſaxon. *fether*, *fyther* penna, ala, *fetherberend* penniger, *plum-fether* pluma, *fethergeweorc* opus plumarium. Gloſſ. Pez. calamus *fedara*. Gloſſ. Lipſ. *fetheracco* alatum. Cuncta a Græco πτερὸν penna, ala, quaſi πτερὸν, hodie Græcis Φτερὸν, a πτέω volo, judice MARTINIO. Ab hoc ſubſt. oritur verb. *fiedern* plumare, pennis inſtruere, *den pfeil fiedern* amentare telum, alas addere ferro, *gefiedert* plumatus.

FEDER, penna ſcriptoria. Evang. Angloſaxon. Luc. XVI. 6. *nim thine fethere, and ſite hrade, and writ fiftig*, accipe pennam tuam, & ſede ocyus, & ſcribe quinquaginta. Ubi *fether* non notat cautionem, ſed pennam, ſicut obſervat SOMNERUS, etiamſi Græca & Vulgata aliter habeant. Idem in Dict. Angloſaxon. *blæce ond fether* atramentum & calamus. Primum & vetuſtiſſimum ſcribendi inſtrumentum erat graphium, graphio ſucceſſit ſtilus, ſtilo calamus ſive arundo, arundini penna. Sed quo primum tempore homines loco calami uti cœperint penna, nemo hactenus definire auſus eſt, non MONTFAUCONIUS in Palæographia, non Celeber. SCHWARZIUS in Exerc. eleganti *de varia ſupellectile rei librariæ veterum*, nec quisquam alius. Vetuſtiſſimum, quod reperiri hactenus potuit teſtimonium, eſt ISIDORI HISPALENSIS, qui anno Chriſti 636. obiit, cujus hæc ſunt verba: *Inſtrumenta Scribæ, calamus & Penna* &c. Lib. VI. Orig. Cap. 14.

FEDER, allegorice dicitur elaterium, ſive lamina ex chalybe, propter motum elaſticum, quia tollit in altum, ſicut penna levat aviculam. Inde *gefieder* elateria ferarum & horologiorum, *ſchloſsfeder* elaterium feræ.

FEDERSPIL, aucupium, venatio avium per aves. A *ſpil* ludus venatorius, & *feder*, quod hoc loco ſynecdochice ponitur pro avibus & toto pennato genere.

FEDERSPIL, avis venatica & collective omnes aves quibus fit aucupium. Occurrit in Jure prov. Alam. Cap. CCXXXV. & CCXXXVII. & explicatur Cap. CCXXXIV. 4. his verbis: *ich main hæbche oder ſperuer und ain anderz femlichez uederſpil*, intelligo accipitres, niſos, & ſimiles volucres venaticas. A *ſpil* ludio venaticus.

FEGEN, purgare, mundare. Proprie humido. Eſt enim a *wage* aqua, ut *waſchen* ab *iſca*. VERELIUS in Ind. *fægia* purgare, eluere. W. & F. ſunt literæ permutabiles, & neminem debent ſuſpenſum tenere.

FEGEN, februare, polire, ornare. Antiqui utuntur frequentativo *fegeren*, quod vide.

FEGEREN, frequenter purgare, & per ſynecdochen generis *februare, polire, ornare.* SOMNERUS: *gefægerian* ornare. Et alibi,

bi, *gefegrod* politus, ornatus. VEREL. in Ind. *fegra* ornare. Inde pulcher, venuſtus Angloſax. *fæger*, Island. *fagur*, Suec. *fager*, Anglis *fair*, per ſyncopen. Et pulchritudo Angloſax. *fægernyſſe*, Franc. *fagari* & *fagarneſſi*, Island. *fegurd* & *fagrindi*, Suec. *fægring*, Angl. *fairneſſe*. TATIANUS Cap. CLXXIX. 2. *ih gab in thia fagari, thia thu mir gab*, dedi illis claritatem, quam dediſti mihi. Et mox: *thaz ſie giſehen mine fagarneſſi*, ut videant claritatem meam.

FEG-FEUR, purgatorium, locus apud inferos. Belg. *vage-vier*. Hactenus in nullis veterum Theologorum Monumentis Theotiſcis occurrit. Duo autem notare poteſt, ignem februum, & ignem vindicem, ut dixi in *feur*.

FEHLEN, errare. V. *fel.*

FEHLEN, tradere, commendare. V. *befelhen.*

FEIDE, inimicitia. V. *fede.*

FEIG, varios habet ſignificatus, & ſingulos a Gr. *πάυω* ceſſo, deſino. Quod, cum reliqui opinatores non potuerint oſtendere, paucis hic explanabo. Dicitur antiquitus (1.) de pauco, quia paucus omnium judicio in numero deficit. TATIANUS Cap. XL. 10. de via quæ ducit ad vitam: *inti ſo he ſint thie then findent*, & pauci ſunt qui inveniunt illam. Gothi eodem ſenſu dicunt *fawai* Matth. VII. 14. Angloſax. *fea*, *feawa*, Alamanni *foi*, *fouue*, Angli *few*, Suec. *fæa*, Galli *peu*. Gloſſ. Keron. pauca *foiu*, paucis *fouuem*, *fœm*, paucorum *fœro*. Saxones inferiores paucum etiamnum vocare *fôge*, ſcribit STADEN. in Voc. Bibl. Vox Lat. *paucus* cæteris cognata eſt. (2.) de vili, quia pauco ſimilis eſt, & in qualitate deficit, ſicut paucus in numero. Hinc homo vilis alias *homo nihili*, Italis aptiſſime *huomo da poco* appellatur. Huc ſpectat locus OTFRIDI Lib. I. Cap. XXIV. 9. *ni ſi man nihein ſo feigi*, nemo ſit tam vilis. Conſer Lib. I. Cap. XI. 19. cum notis doctiſſimi SCHERZII. (3.) de pavido, quia deficit in audendo. Inde *feig* timidus, *feige memme* anicula meticuloſior. (4.) de moribundo, quia vivere ceſſat. VEREL. in Ind. *ufeigr* morti hoc tempore non deſtinatus. De hoc ſignificatu, pridem extincto, vide plura apud HICKESIUM in Gram. Angloſax. pag. 114.

FEIGE, verber, *die feigen weiſen* pugno vel baculo minari, *ohrfeige* percuſſio aurium, plaga maxillaris. Cognatum eſt Anglicum *box on the ear* alapa, colaphus, & *to box* palma percutere. Puto, me operæ pretium facturum, ſi verba SKINNERI, præſtantiſſimi inter Anglos Philologi, hic deſcribam: MINSHEW, inquit, *ingenioſe deſtectit a Græco adverbio πυξ pugnis. Mallem tamen, quia Germanis magis quam Græcis cognatione conjunctus ſum, declinare a Teut. pochen percutere, pulſare, Belg. fuycken* (Belgæ dicunt *beucken*) *pulſare, quatere, trudere, unde & Fr. G. buguer, bucquer, ortum ducit.* Optionem faciat Lector. Mihi, qui inter utrumque animi pendeo, non licet. Literæ F. B. P. cum ſint ejusdem inſtrumenti, & facile convertibiles, neminem debent morari. Vulgo *ohrfeige* refertur ad *feige* ficus. Atqui plaga auribus inflicta non magis eſt ficus quam pomum. Scire ergo velim, qua lingua plaga ſit ficus? Certe brutorum, non Germanorum.

FEIGE, ficus. Angloſax. *fic*, *fic-æppl* ficus, carica, dactylus, *fic-beam*, *fic-treow* ficus arbor. Gloſſ. Pez. caricarum *figono*. Cum ficus ſit fructus exoticus, recte nomen ejus derivatur a Lat. *ficus*. Nam earum rerum, quibus Germani ab initio caruerunt, multa a Francis reliquisque populis Germ. in idioma ſuum nomina Latina translata eſſe, dubio caret, & recte monet SOMNERUS in voce *win*. Gothis ficus vocantur *ſmakkans*, Matth. VII. 16. & ficus arbor *ſmakka-bagms*, Marc. XI. 21. haud dubie a *ſchmecken* ſapere, quia ſapor ficuum Gothico palato præprimis gratus & amabilis erat, judice JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 309. Hinc prædulcis ille fructuum ſapor ſæpe exteris gentibus tentandæ Italiæ cauſa fuit. PLINIUS Lib. XII. 1. *Produnt Alpibus coercitas, & tum inſuperabili munimento Gallias, hanc primium habuiſſe cauſam ſuperfundendi ſe Italiæ, quod Helico ex Helvetiis civis eorum, fabrilem ob artem Romæ commoratus, ficum ſiccam & uvam, oleique ac vini præmeſſa, remeans ſecum tuliſſet. Quapropter hæc vel bello quæſiſſe, venia ſit.* LIVIUS Lib. V. 33. de Gallis: *Eam gentem traditur fama, dulcedine frugum, maximeque vini, nova tunc voluptate, captam, Alpes tranſiiſſe, agroſque ab Etruſcis ante cultos occupaſſe, & invexiſſe in Galliam vinum illiciendæ gentis cauſa.* P. DIACONUS Lib. II. 5. de Langobardis: *Narſes Legatos ad Langobardorum gentem dirigit, mandans ut paupertina Pannoniæ rura deſererent, & ad Italiam cunctis refertam divitiis, poſſidendam venirent. Simulque multimoda pomorum genera, aliarumque rerum ſpecies, quarum Italia ferax eſt, mittit, quatenus eorum ad veniendum animos poſſet illicere.*

FEIGE, morbus ani, *feigwarz* tuberculum in ano ad ſimilitudinem ſici. BENSON. in Voc. AS. *ſice* ficus morbus, *ſic-adle* ficus morbus. Græci etiam *σύκωσις* vocant, a *σῦκον* ficus. Angli *emerods* ab *hæmorrhoides*, quamvis non idem malum ſit.

FEIL, error, defectus. V. *fel.*

FEIL, promercalis. Islandis *falur*, Suecis *faal*, Alamannis in Jure prov. *vail*, Cap. CCCLIII. Cum interiores Germani antiquitus & ſimplicius permutatione mercium uterentur, pecunia plane deſtituti, teſte TACITO Cap. 5. de M. G. hinc manifeſtum, rem & nomen rei novum eſſe, & a Rheno proximis ad remotiores perveniſſe. Ab his ergo & mercari, & pecuniam accipere, & quid ſit vendibile didicerunt, ſicut illi a Romanis. Quo (ut par eſt) conceſſo, LAZIUS *feil* deducit a Lat. *venalis* per ſyncopen, HELVIGIUS a *πωλέω* vendo.

FEILEN, licitare, pretium offerre pro re vendibili. Francis *veilon*, ab adj. *veil*. Gloſſ. Pez. adpretiatus *greveiloter*. Hodie utimur frequentativo *feilſchen*.

FEILEN, limare. Angloſax. *feolan*, Camb. *peillio*, Angl. *to file*. Græcis φαλύνειν eſt ſplendidum reddere, a φαλὸς ſplendidus. Hanc originem tradit JUNIUS apud SKINNERUM, quamvis etiam a *polire* eſſe poſſit. Hinc porro lima nobis dicitur *feile*, Angloſax. *feol*, Francis *fila*, Angl. a *file*, Camb. *llif* per anaſtrophen. Gloſſ. Pez. lima *fila*.

FEIM, acervus mergitum. Græcis ἀμᾶν & ἀπαμᾶν primo ſignificat *metere*, ab ἄμη falx, poſtea etiam *colligere* meſſa & *accumulare*. Ab illo Gallus fecit *amas* acervus, ab hoc Germanus *feim*, mutato P. in F.

FEI'M-GERICHT, & per apocopen *feime*, judicium criminale, a Carolo M. ut ferunt, Saxoniæ toties rebelli impoſitum. FREHERUS in libello *de ſecretis Judiciis Weſtphaliæ* producit ex Privilegio Mindenſi Caroli IV. Imp. *veme-ding*, ex Chronico veteri Colonienſi *die Veme*, ex Æneæ Sinenſi *judicium Vemicum*, & ex Trithemio *feimeros* miniſtros illius judicii, de quibus univerſe tacent SPELMANNUS & CANGIUS. Natura & indoles hujus Tribunalis erat, quod reus ſuæ damnationis ignarus, ubicunque repertus fuerit, ſtatim laqueo vel alio ſupplicio afficeretur, nec auditus nec defenſus. Primus & antiquiſſimus inter Hiſtoricos, qui hanc rem tangunt, eſt ÆNEAS SENENSIS, cujus hæc ſunt verba Cap. 29. *Carolus M. multa cum Weſtphalis prælia geſſit, eosque magnis afflixit cladibus, coegitque Chriſti religionem ampleƈti, relicto idolorum cultu. Quam cum ſæpius abnegaſſent, nec jusjurandum adverterent, ut metu pœnæ rebellionem compeſceret, occultos inſtituit Judices, quibus poteſtatem dedit, ut quamprimum dejeraſſe aliquem comperiſſent, aut fidem fregiſſe, aut aliquod aliud flagitium commiſiſſe*, MOX *illum ſupplicio afficerent, ubi primum comprehendi poſſet, nulla citatione prævia aut defenſione permiſſa*. Res ipſa dudum evanuit, & de Concilio tam terribili hodie nihil reſtat præter nomen & famam. Ejus reformationem vide apud GOLDASTUM in Conſt. Imp. Tom. I. pag. 163. Unde nomen hauſtum ſit, in iſta opinantium diverſitate pene incertum. Sunt, qui a *væ mihi* deducunt, qui videntur ineptire. PEISKERUS a φιμόω ſuffoco derivationem inſtituit, quod miſeri illi plerumque in nemoribus vitam cogerentur finire, laqueo ex arboribus ſuſpenſi. FREHERUS a *faum* ſpuma, quod illud judicium remp. malis hominibus liberaret & veluti deſpumaret. Quem ſequitur SCHOTTELIUS de Ling. Germ. pag. 497. niſi quod *fehmen* illi nonſolum ſit deſpumare, ſed etiam ſeparare, quem ſignificatum ex compoſito *fehm-ſchwein* ſtabilire conatur. STILERO *fehmen* eſt diffamare, & *vehmrüge* judicium occultum, quo ſuſpecti ex ſola fama condemnantur, utrumque a *fam* fama. STADENIO, qui innumeris linguæ noſtræ vocibus vel reſtitutis vel illuſtratis gloriam conſecutus eſt haud perituram, feliciter in mentem venit feſtinatio iſtius judicii, & huic feſtinationi aptiſſime reſpondens adjectivum Islandicum *fimur*, cui jungere licet ſubſtantivum *fum*, quamvis ab illo non adductum, quorum illud in INDICE VERELIANO exponitur *velox, celer, agilis*, hoc *feſtinatio, celeritas*. Unde non amplius dubitavit, ſe veram vocis etymologiam reperiſſe, & *Judicium Vemicum* nihil aliud eſſe quam Judicium ſubitum & præceps, ſive Judices ſpectes, ſive perituros. Quod ſane non eſt contemnendum, ſed cæteris præferendum. Quid enim mandato Caroli M. apud Æneam Senenſem magis congruum? Memini, me in SPECIMINE GLOSSARII *fæm* deduxiſſe a *femta* judicium peragere, unde Islandis *fæmt* judicium. Sed nunc INDICE VERELIANO melius inſpecto clare deprehendo, *fæmt* quod & *fimt* ſcribitur, non eſſe judicium ſimpliciter, ſed in quo reus *quinto die* poſt litem ab actore ſibi intentatam comparere tenebatur, & inde nomen accepiſſe a *fim* vel *fem* quinque, five, ut INDEX loquitur, *a fim natta freſti* a ſpatio quinque noctium ad reſpondendum indulto. Quod, cum nihil commune habeat cum *Judicio Vemico*, in quo nec dilationi nec reſponſioni ullus erat locus, nunc meliora edoctus deferendum putavi. Plane enim affectus ſum ſicut JUSTINIANUS Novella XXII. *Non erubeſcimus, ſi quid melius etiam horum, quæ ipſi prius diximus, adinveniamus, hoc ſancire, & competentem prioribus imponere correƈtionem*. Vide STADENIUM in Voc. Bibl. pag. 777. ſeq. Dixi, hoc judicium a CAROLO M. conſtitutum eſſe. Qua in re communem doƈtorum opinionem ſecutus ſum, a quibus GRYPHIANDER & BOECLERUS recedunt, quos ſequitur BRUMMERUS in Tractatu *de Scabinis* Cap. 4. cujus hæc ſunt verba: *Gryphiander ſcribit, Scabinos iſtius Judicii, ut dignitatem ex antiquitate commendarent, eoque prætextu crudelitatem ſuam palliarent, originis Carolinæ opinionem & famam credulo vulgo impoſuiſſe: non enim veroſimile eſſe, Chriſtianum imperatorem tam barbari inſtituti auƈtorem extitiſſe. Bœclerus vero ad fidem antiquioris hiſtoriæ adpellans, ex ejus ſilentio rem hanc exempli minime probabilis a Carolo M. profeƈtam eſſe negat*. Et mirum ſane videri poteſt, quod in Capitularibus Caroli M. nulla iſtius Judicii (ſi Carolinum fuerit) mentio injeƈta reperiatur.

FEIMER, unus ex aſſeſſoribus judicii vemici. Latino-Barbaris *Feimerus* apud TRITHEMIUM in Polygraphia. FREHERO eſt deſpumator. Eadem ſcil. forma, qua Franco-Galli piratas ſuos, qui velivolas rates quaſi ſpumam maris ſublegunt, *eſcumeurs de mer* joculari verbo vocitant. Sed in Ind. VEREL. *fimur* eſt velox, celer, agilis. Un-

de

de recte fit *femerus* Scabinus velox, ob feſtinatum miſerorum ſupplicium.

FEIM-STADT, locus ſupplicii. Proprie locus celeritatis, a *fum* vel *feime* feſtinatio.

FEIN, quod in ſuo genere præſtans. Vox Celtica, quæ Armoricis, Gallis, Hibernis & Anglis effertur *fin*, Belgis *fyn*, Italis & Hiſp. *fino*. In rebus naturalibus ſignificat *purum*, *mundum*, *& a partibus diſſimilibus purgatum*, ut aurum purum, ferrum purum: in artefactis *tenue & ſubtile*, ut filum tenue, tela vel pannus ſubtilis: in moribus *decens*, *elegans*, *concinnum*, cum quo ſignificatu convenit Lat. *vinulus*, *venuſtus*, *venus*, & multorum judicio etiam *φαενὸς* fulgens.

FEIN, callidus, aſtutus. Quaſi a fœcibus purgatus & ſubtilior factus, ſenſu a rebus naturalibus vel artefactis deſumpto. Inde Gallis *fineſſe* aſtutia, quaſi ſubtilitas, quia quo quis ingenio ſubtilior, eo major in arte decipiendi magiſter. Conſonat Græc. *φένακ* deceptor, & Turcicum *fen* dolus.

FEIND, hoſtis, inimicus. Gothis *fiand*, *fijand* Matth. V. 43. 44. Angloſaxonibus *feond*, *fynd* ibidem, Francis & Alam. *fiant*, Belg. *vyand*, Anglis & Suec. *fiend*. Gloſſ. Keron. inimicus *fiant*, inimicis *fiantu*, inimica *fiantin*. TATIANUS Cap. LXXII. 2. *tho thie man intsliefun*, *quam der fyant*, quum homines obdormiviſſent, venit inimicus. Helleniſtæ derivant a *βιᾶν* opprimere, vel *φόνευ* occidere, Latiniſtæ a *fendo*, *offendo*. Sed has etymologias neglectus linguæ patriæ, fœcunda nugarum mater, in lucem edidit. Proprie eſt oſor, a participio verbi *fien* odiſſe, quod vide. Peculiariter dicitur de Diabolo ob inſigne humani generis odium. A *feind* rurſus fit *feinden* & *anfeinden* odiſſe.

FEINDSCHAFT, odium, inimicitia. Angloſax. *feondſcype*, Franc. & Alam. *fiantſcaf*. Gloſſ. Keron. diſſenſionis *fiuntskeſſi*. Inde *fiantſcaffon* inimicare, odio habere, in Gloſſ. Boxh. quod obſoleſcit.

FEIST, pinguis. Gloſſ. Keron. craſſum *feiztas*. Gloſſ. Pez. craſſitudo *veizti*, corpulentiores *veizturun*. NOTKERUS Pſal. XXI. 13. *feizte pharre habent mih umbeſezzen*, tauri pingues obſederunt me. Omnino ab antiquiori, ſimpliciori, & magis genuino *fett*. Nam quando duo TT. in una voce concurrunt, tunc alterum in ore vulgi ſæpe liqueſcit, & tranſit in ſibilum. Quod multa docent exempla in *Proleg.* Sect. III.

FEIST, *fyſt*, flatus ventris, *feiſten*, *fyſten* ventum emittere. Belgis *veeſt* & *vyſten*, Gallis *veſſe* & *veſſir*, a *viſire* pedere. Latinam Linguam non caruiſſe hoc verbo, oſtendunt MARTINIUS in Lex. Philol. & MENAGIUS in Originibus. Hinc porro *vyſter* Belgis eſt pedens, Saxonibus anus. ROSTIUS Poëta Saxoniæ inf. pag. 85. de fatis librorum:

Jan Bokebinder brueckt een deel tho pappenklyſter,
Endlick un thom beſchluth fegt man darmit den Vyſter.

FEL, hoſtis. V. *feld* bellum.

FEL, ſemper eſt verbale a *felen*, & ſequitur parentem in ſignificando.

FELEN, eſt verbum defectus, erroris, fruſtrationis, & delicti, & convenit cum Gr. *σφάλλεσθαι* per omnes ſignificatus: hoc uno diſpar, quod absque ſibilo pronunciatur.

FELEN, deficere, deeſſe, *es felet nichts* nihil deeſt, nihil deficit. Ab hoc ſignificatu pendent reliqui, tanquam penetralia a foribus. Inde *fel*, *feil* defectus, quo utitur Luth. Lev. XXII. 18. A *fel* defectus, rurſus fit *felen* carere, deſtitui, defectum pati.

FELEN, errare, hallucinari, a ſcopo vel via deficere, Lat. *falli*, Gall. *faillir*, Belg. *feilen*. Hinc error & hallucinatio Græc. *σφάλμα*, Camb. & Armor. *ſſael*, Belg. *feil*, quia error eſt defectus in agendo vel cognoſcendo. Inde porro compoſita, *felſchuß*, *feltvitt*, & ſimilia, quæ a propoſito agentis deficiunt & aberrant.

FELEN, fruſtrari, *felbitt* fruſtanea petitio. A defectu boni eventus. Nam fruſtratio eſt, quando ſpes & exſpectatio petentis eluditur.

FELEN, delinquere, labi per errorem vel defectum ſive attentionis ſive virium. Utitur Luth. Jac. III. 2. Inde *fel* vitium ex errore vel defectu.

FELER, ſecundum antecedentia ſignificat quantum poteſt, defectum, vitium, erratum &c.

FELD, bellum, invaſio, inſultus. Vox origine Celtica, ſed præ nimia vetuſtate vix cognoſcibilis. MARTINIUS in Lex. Philol. Longobardis tribuit *falda* bellum, & Latino-Barbaris *faldoſus* hoſtis publicus. Quibus teſtibus, non invenio, neque ipſe indicavit. Certiora vocis documenta præbet Lex Salica Tit. XVIII. 1. *Si quis villam alienam adfallierit*, MALB. ALAC. FALTHIO. Ubi legendum *falac falthio*, quod certe eſt *inſultus hoſtilis*. Nam *falæca* apud BENSONIUM in Vocabulario Angloſaxonico exponitur *hoſtilis*. Eadem vox recurrit in Lege ſequenti §. 2. *Si quis villam adfalierit alienam*, *& ibidem oſtia fregerit*, *canes occiderit*, *aut hominem plagiaverit*, *vel in carro aliquid exinde duxerit*, MALB. TURPHA FALCHIO. Lege *falthio*, ut in Lege antecedenti. Nam *turpha falthio* manifeſto eſt *invaſio villæ*. Quod neſcio quo pacto fugerit ECCARDUM, qui cum in Lege *villam* vidiſſet, *inſultum* quoque videre poterat, ſi debitam attentionem adtuliſſet. SCHILTERUS veretur has voces admittere, ob diſſenſum Codicum. Atqui integritas vocum non ex conſenſu Codicum, qui in omnibus fere vocibus deſideratur, ſed potius ex ſenſu & cognatione æſtimanda eſt, & hæc cognatio jus emendationis habet in ipſos Codices diſſentientes. Quod opinor omnibus eſſe manifeſtum, etiamſi licentioſum videri queat. Videamus ergo quænam ſit illa cognatio? Cambri & Armorici, veteris Linguæ Britannicæ & Gallicæ tenaciſſimi, in quam plurimis compoſi-

poſitis cuſtodiunt *fela* belligerare, cujusmodi; ſunt apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *rhyfela*, *rhyfelu* bellum gerere, præliari, belligerare, *rhyfel* bellum, prælium, militia, *rhyfelwr* bellator, præliator, miles. In quibus præfixum *rhy* videtur ſignificatum intendere, ut ſolet ῥύ apud Græcos. Nam in reliquis compoſitis nullum hujus præfixi veſtigium. Hinc iisdem Cambris dux, imperator dicitur *ffelaig*, & Armoricis bellum inter duos *du-fel*, teſte PEZRONIO in Antiq. Celticis. Latinos inde habere *Bellum* & *Duellum*, idem auctor monuit. Cum Celtico *fela* belligerare, convenit Francicum *fallen* irruere, involare, hoſtilibus modis invadere, quo ſenſu etiamnum uſurpatur, ut ſupra oſtendi in loco. Ad utramque radicem commode referri poſſunt,

fel, hoſtis, quod ſiſtit MARTINIUS, neſcio unde acceptum, in voce *falda*. *Felo* tamen & *fello* in monumentis Latino-Barbaris eſt hoſtis qui ante fuit amicus aut vaſallus, idemque Gallis *felon*, Italis *fellone*.

fal, rapina, quo utitur ISIDORUS Cap. V. 3.

falius, *farfalius*, vox Childeberti R. in Decret. §. 7. quæ ſecundum interpretationem ECCARDI *aſſultum inimicum* ſignificat.

felonia, hoſtilitas.

falaca, hoſtilis.

faltbo, invaſio, inſultus, bellum privatum.

falda, bellum.

faldoſus, hoſtis apertus.

Feld, pro bello vel expeditione bellica videtur hodie ſuperare in compoſitis *feld-herr* dux belli, *feld-zeug* inſtrumenta bellica, res expeditionales, *feld-ſchlang* tormentum bellicum, quod ignem vomit inſtar draconis, & ſimilibus. Ab hoc ſenſu tanquam principe & primitivo reliquos ſignificatus ortos eſſe, credibile eſt.

FELD, campus Martius, ubi caſtra metantur, ubi pugnatur, vincitur, & occumbitur, *feldlager* caſtra, cubile exercitus, in campo Martio. OTFRIDUS Lib. I. Cap. I. 123. de ſuis Francis:

In felde ioh in uualde
So ſint ſie ſama balde.

Vertit SCHILTERUS:
In campis & in ſylvis
Æque ſunt audaces.

Cum bellum geratur in campo, facile nomen ab uno ad alterum devolvi potuit. Nam loca ſolent appellari ab eo, quod in loco fit. Ita *kamp* ante denotavit pugnam quam locum pugnæ, *mallus* ante colloquium quam judicium, *eccleſia* ante congregationem quam templum, in quo populus congregatur.

FELD, ager publicus. Vox omnium Dialectorum uſu tam veterum quam recentiorum probata. In Lege Salica extat *friofala* campus patens Tit. XLIV. 8. hodie *freifeld*. Occurrit etiam apud Longobardos, eorumque Scriptorem P. DIACONUM Lib. I. Cap. 20. *Habitaverunt in campis patentibus, qui ſermone Barbarico* FELD *appellatur*. Habent & Angloſaxones *feld*, *fæld*, *fild*, Angli *field*, Belg. *veld*, Suec. *fæld* Significatus ex præcedenti ortus, quod caſtrametationes & pugnæ plerumque in campis patentibus ſuſciperentur. Hinc in aliis quoque Dialectis ejusmodi transnominationes obſervare licet. Sic Armoricis *maes* pugnam & agrum, Gallis *campagne* expeditionem bellicam & campum ſignificat. Ab hoc ſignificatu denominationes ducunt innumera Germaniæ oppida, *Salfeld*, *Mannsfeld* &c. quæ vide apud Geographos. Item *Feld-kirche* Eccleſia ruralis.

FELD, ager privatus, *feld-bau* agricultura, *gerſten-feld* ager hordeo conſitus. HELVIGIUS ingenioſe ſatis derivat a *fallen*, h. e. ab eo quod ſorte cecidit, quia veteres ſorte dividebant agros, quod etiam in hæreditate factitatum. SOMNERUS a πολεῖν ſcindere, arare, colere. Sed veroſimilius eſt, ſenſum ab agro publico ad privatum translatum eſſe. Gloſſ. Boxh. *feld-tenni* area. Hoc compoſitum obſervatione dignum, quia eſt index & cuſtos antiquæ conſuetudinis, quæ extra urbes & villas in ipſo agro, ubi fruges creverant, areas ſuas excitavit. De qua re conſulendus *Cato*, *Varro*, *Columella*, alii.

FELD, terra, ſolum, *gut feld* ſolum pingue, *mager feld* ſolum ſterile. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *folde* tellus, humus, ſolum, *folde ungrene* terra nondum gramine noſa, quod dicitur de terra mundo nondum creato.

FELD regio, diſtrictus, ſolum habitatum, *über feld* peregre. VEREL. in Ind. *fold* tellus, terra, regio, *folden gleidie ſik* exultet terra Pſal. 96.

FELD, menſura agri vel viæ, *feld-rute* pertica menſoria. Synecdochice dicitur de ſtadio, ſenſu a genere ad ſpeciem translato. Rhythmus de S. Annone §. 46. *ginc na ſnimo roſſe ainis veldis lanc*, ibat ad equum ſuum per longitudinem ſtadii. Inde *feldwegs* ſtadium itineris, quo utitur Luth. Gen. XXXV. 16. & paſſim. In reliquis Dialectis ſtadium Gothice dicitur *ſpaurd* Joh. XI. 18. Angloſaxonice *ſpyrd*, apud JUNIUM in Append. pag. 430.

FELD, locus in agro ſeptus, ſtabulum, ſeptum, caula. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *ffald*, Angloſaxonibus *falæd*, *fald*, *falde*, Anglis *fold*, Suecis *fald*, in compoſitis *færeſald*, *geteſald*, Latino-Barbaris *falda* apud SPELMANN. An a *falten* plicare? Ita ſentit JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 154. quia ejusmodi ſepta ex ſtipitibus cratibusque in terram defixis complicatisque fieri ſolent. Sed præſtat hunc ſignificatum petere a Lat. *palare* palis munire. Hodie dicunt *feldſtall*, quod eſt quaſi ſtabulum palis munitum, vel ſtabulum campeſtre. Utrumque enim denotare poteſt. Vocem exhibet HENTSCHIUS in Theſ. L. Germ. Allegorice dicitur de quovis ſpatio vacuo quod margine terminatur, quia ſepto ſimile eſt. Inde pictoribus *feld* area definita & plerumque qua-

quadrata, & hortulanis *feld-bedd* porca, lectulus hortenſis inter duos ſulcos.

FELD-MARK, ſignificat quantum poteſt, terminum agri publici & privati.

FELD-WEIBEL. V. *weibel.*

FELGE, canthus, curvatura rotæ, cui radii infixi. Angloſaxon. *felg, fælge, felga,* Francis *felg, velg*, Belg. *velge.* Gloſſ. Florent. *felg* flexura. Gloſſ. Pez. canti *velga.* A *felgen* volvere, quia volvitur circa axem. Dicitur autem nonſolum de circulo rotæ exteriori, ſed etiam interiori. Inde Belgis *radvelghe* modiolus rotæ, apud KILIANUM.

FELGE, occa. Angloſaxonibus *fealh, fealga, fælging*, apud SOMNER. & BENSON. Ex eodem fonte, quia terram volvit & revolvit.

FELGEN, volvere, volutare, verſare. Gothis *walwjan* Marc. IX. 29. Matth. XXVII. 60. Angioſaxon. *walwian*, Belgis prioribus *velghen* apud KILIAN. Anglis hodie *wallow.* Quibus affinia ſunt Græca, ἑλίω volvo, voluto, & ἑλεῖν verſare, circumagere, JUNIO in Gloſſario Gothico obſervata. Et multo magis Latinum *volvo.* Confer verba ſororia *wülen, wellen, walgen, walken, welzen.*

FELGEN, novare agrum, *felgung* novatio. A *felge* occa. Allegorice dicitur de ſtudio novitatis. Hinc Francis *felgen* eſt novaturire in re aliqua. Sic Chriſtus a falſis teſtibus accuſatur apud OTFRIDUM Lib. IV. Cap. XX. 39.

In thia beldida gigange
Then namon imo felge.
Eo audaciæ progreſſus
Ut nomen ſibi novaret.

Id eſt, ut ſe Meſſiam diceret. Latinis quoque nonſolum agri, ſed etiam verba *novari* dicuntur.

FELL, tegumentum animalis naturale. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *pil*, & dicitur de exuviis & excoriato, Gothis *fill*, Angloſaxon. Francis, Belg. Angl. *fell*, Lat. *pellis.* Cuncta a notione tegendi. Nam *filhan* Gothis eſt condere, abſcondere, quocunque modo id fiat. Inde *gafalh ſik* abſcondit ſe Joh. XII. 36. *gafilhin iſt* abſconditum eſt Luc. XIX. 42. Vulgo legitur *gafialgin iſt*, quod idem, vel mendoſum. Similiter Islandis *fela* eſt occultare, *eg fel* occulto, *fylſkni* latibulum, teſte VEREL. in Ind. Quibus affine Hebræum *bala* texit, operuit, & Lat. *velare*, imo etiam *fallere* latendi ſenſu, quo utitur HORATIUS in Epiſt. ad Scævam: *nec vixit male qui natus moriensque fefellit.* Verbum antiquiſſimum & ex ipſa hominum primitiva lingua, tanquam ex fonte communi in reliqua idiomata per varias flexiones derivatum, & ad omnia tegumentorum genera extenſum. Hinc Celtica Lingua *pil* nonſolum exuvias, ſed etiam corticem denotat, quia arborem ambit & tegit, ut pelles oſſa & carnes animalium. Et hoc ſenſu Cambri & Armorici etiamnum dicunt *pil*, Græci φελλὸς, φλόος, φλοιὸς. Quibus conſonat *æfelle* decorticatum in Vocab. Angloſaxon. BENSONII. STIERNHIELMIUS ex eodem fonte derivat veſtimentorum genera, *pallium, pallam, paludamenta*, & alia plura. In quibusdam Dialectis extenditur usque ad ſepulturam, quia ſepelire nihil aliud eſt quam pulvere & humo tegere, & intra terram condere. Ita *bergen* & tegere & ſepelire ſignificat. Inde Goth. *filhan* nonſolum eſt occultare, ſed etiam ſepelire Matth. VIII. 22. *let thans dauthans filhan feinans dauthans*, dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos. Friſios vetuſtiores inde retinuiſſe *bifellan* ſepelire, & *bifelling* ſepultura, obſervavit JUNIUS in Gloſſ. Goth. Quæ cum ita ſint, & animalia pellibus ſuis a natura tanquam veſtibus tegantur & involvantur, hæc tunica eorum naturalis ab antiquis recte & decenter dicitur *fell.* Præcipuum derivatum eſt *fillen* cædere, deglubere, quod vide.

FELLEN, pelliceus. Sic zona pellicea Johannis Baptiſtæ Gothis dicitur *gairda filleina* Marc. I. 6. interpreti Angloſaxonico *fellen gyrdel* ibidem, TATIANO *fellin bruoh* Cap. XIII. 11.

FELL-EISEN, ſaccus ſcorteus, pera viatoria. Gall. *valiſe*, Ital. *valiggia.* An dictio Germanica ſit, ex pelle & ferro compoſita, dubito, quia hoc pacto non corium ferro munitum, ut auctores etymi volunt, ſed ferrum pellis denotaret, quod abſonum. Suſpicor vocem noſtram vitiatam eſſe ex Gallica *valiſe*, & hanc Gallos formaſſe a Lat. *follis*, quatenus culeum ſignificat. Nam apud priores Germanos *eiſen* non reperitur in voce. HENISCHIUS habet *felles* quod parvam bulgam, & *fellifer* quod equum qui bulgam portat, interpretatur.

FELONIA, perfidia clientis in Dominum, aut Domini in Vaſallum. An a Gr. φιλῶν decipere, illudere? Sed hæc vocis interpretatio nondum explet menſuram criminis. Ejusdem cenſus ſunt derivationes eorum, qui hærent in verbis *fallen* delinquere, aut *felen* errare. Nam felonia non eſt quodvis delictum, & multo minus error & hallucinatio, ſed crimen quod *infidelitate* definitur, cujusmodi eſt, ſi vaſallus dominum gladio aut veneno petat, ſi in bello periclitantem deſerat, aut non liberet ſi poſſit, ſi inimicis domini adhæreat, & alia innumera, quorum ſyllabum contexuit ex Conſtitutione Conradina SPELMANNUS in voce. Ipſe feloniam derivat a *fallen* cadere, quod illa ſit genus culpæ, ob quam feudum in manus domini cadat. A relapſu igitur feudi ad dominum, h. e. a pœna ipſius delicti nomen acceſſit. Quod, etiamſi haud infrequenter contingat, ut ſcil. nomen pœnæ delicto communicetur, an hic factum ſit dubito. Nam Angloſaxonibus *fæle* eſt fidelis, & *unfæle* infidelis, probante SOMNERO & BENSONIO. Ab *unfele* autem fieri potuit *onfelia*, & per converſionem ſyllabarum *felonia*, h. e. perfidia. Quodſi hæc con-

jectura non placet, alias proponam in gratiam eorum, qui transpoſitionibus offenduntur. Nam *felonia* ſic dici potuit (1.) a *fel* hoſtis, velut hoſtilitas. (2.) a *fallen* deficere, defectionem facere, quia felonia revera eſt defectio ab eo, qui ante fuit amicus, ſive Domini a vaſallo, ſive vaſalli a Domino. De felonia vaſalli vide SPELMANN. de felonia domini GUNDLINGIANA Faſciculo XLII. 1.

FELS, rupes. Olim erat biſyllabum. Gloſſ. Lipſ. *felis* rupem. Gloſſ. Pez. ſcopulis *felisono*, ſaxis *felisſon*. Vox a Francis proſeminata, quæ videtur proprie locum ſaxoſum denotare. Nam SUIDÆ φελλεὺς ſunt πέλροδες τόποι loca petroſa. Inde Gallis *falaiſe* crepido littoris. Alium generis auctorem, & æque probabilem, ſuppeditat MARTINIUS in voce *falæ*, ubi *fels* derivat a φαλὸς eminens.

FEN, lutum, cœnum. Gothis *fani* Joh. IX. 6. Angloſaxon. *fenn* ibidem, & fortaſſe a Gr. πινὸς ſordes. Hodie vox Gothica ſuperat apud Gallos & Italos in *fange* & *fango*: niſi quis malit hæc ſubſtantiva derivare ab Angloſaxon. *fennig* lutoſus.

FEN, palus, locus paluſtris. Angloſaxonibus & Anglis *fenn*, Islandis *fen*. VEREL. in Ind. *fen* paludes, *fen eda forrad* palus aut foſſa, *fenior* paludoſum. Inde Alamannis *finnifiat* locus paluſtris, apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. & Angloſaxonibus *fen-fugelas* aves paluſtres, *fen-fixas* piſces paluſtres. Et huc etiam ſpectant nomina Regionum,

FENLAND, *finnland, Finnonia*, h. e. terra paludoſa, ipſis Finnis SOO-MA dicta, *a ſoo* palus, & *ma* terra. Utrumque ex obſervatione STIERNHIELMII.

ZUTPHEN, *Zutfania*, h. e. paludes auſtrales, a *ſud* meridies, & *venne* palus, interprete MENSONE ALTINGIO. Quæ etymologia inde confirmatur, quod eadem regio Scriptoribus medii ævi dicitur SUDVENO, obſervante Cl. JUNCKERO in Geograph. M. Æ.

FENCHEL, fœniculum. Gloſſ. Ælf. in nom. herb. feniculum *fynel*. Gloſſ. Pez. fœniculum *fenich*, fœniculum *finachal*. Cuncta a Latino.

FENSTER, feneſtra. Camb. *ffeneſtr*, Francis & Belg. *venſter*, Suecis *fönſter*. WILLERAMUS Cant. Cantic. Cap. II. 9. *er ſelbo ſtet hinter unſer tuente, unte ſihet uz den venſtron*, ipſe ſtat poſt parietem noſtrum, & reſpicit per feneſtras. Antequam de etymo diſpiciamus, quædam de origine feneſtrarum præmittenda ſunt. Feneſtræ ortæ ſunt cum ædibus ex ligno, luto, latere, vel lapidibus ſtrui cœptis. Hinc in primo & proprio ſignificatu eſt *foramen in tectis vel parietibus ædium, quo diurnum lumen aeraque admittitur*. Has feneſtras contra ventos & imbres defendebant priſci valvulis vel velis. De valvulis intelligendus OVIDIUS Lib. III. de Ponto: *Nox erat, & bifores intrabat Luna feneſtras*. De velis ULPIANUS Lib. 12. §. 17. *Vela autem Cilicia -- ideo parantur, ne ædificia vento & pluvia laborent*. Verum cum hic ventos & pluvias arcendi modus lumini officeret, cujus gratia feneſtræ erant inventæ, ejusque uſuram vel plane interciperet, vel valde minueret, paulatim feneſtris pellucida materia, & primo quidem *pellicea* & *cornea*, poſtea *lapidea*, poſtremo *vitrea* aptari cœpit. De lingulis copioſe agit OLDERMANN. in Diſſertatione eleganti *de Specularibus veterum*. Et has quidem feneſtrarum ſpecies Germanis diu ignotas fuiſſe, facile largior: At primo illo & vetuſtiſſimo genere, quod foramine definitur, nunquam illos caruiſſe arbitror, ne in lutea quidem domuum ætate. Sed quo nomine tunc venerit, ignoratur. Varium fuiſſe, veroſimile eſt. Angloſaxones feneſtram vocant *eagh-thyrl*, quaſi foramen oculi cauſa factum. Alii *tagloch*, quod JUNIUS tribuit Alemannis, in Obſervationibus ad Willeramum pag. 73. In Indice Vereliano feneſtra dicitur *vindöga*, quaſi oculus vel foramen per quod ventus vel aër intromittitur, quam vocem imitantur Angli in *window*, Hiſpani in *ventana*. Et nihil omnino obſtat, quo minus etiam *fenſter* antiquitus dictum ſit. Nam *fœnna, funna*, in vetuſtiſſima Islandorum lingua eſt lucere, plane ut Græcis φαίνειν. Quemadmodum igitur Latini a φαίνειν habent *feneſtra*; ita noſtri a *funna* lucere, potuerunt formare *fenſter*, per medium derivandi *ſter*, quod vide in PROLEG. Alii vocem Germanicam immediate petunt a Latina; qua derivatione nihil commodius, ſed nec ignavius.

FENT, ab initio denotavit peditem, poſtea quemvis ſervum a pedibus, ut demonſtravi in *fuſs* pedes. Hodie apud Belgas vituperatur.

FER, *ferr*, ab, uls, ultra, longe de loco. Gothis *fairra* Matth. VIII. 30. Angloſaxon. *feorr* Marc. XII. 34. Franc. & Alam. *fer, verro*, Belg *ver, verre*, Angl. *farr*, Island. *fiar*. Gloſſ. Keron. abſit *fer ſii*, quod abſit *daz ferſi*. Gloſſ. Junian. in Obſ. ad Will. pag. 90. *ferro* procul, *noh ferro* nec procul. Gloſſ. Pez. eminus *verror*. VEREL. in Ind. *fiarr* procul, remote, *firnari* remotior, *fiarſt, fierſt* remotiſſime, *firra* elongare &c. TATIAN. Cap. LIII. 9. *uuar thar nalles fer fon in*, erat non longe ab illis. Quibus conſentit Græc. πόρρω ultra, item πόρρω & *porro*.

FER, facilis. VEREL. in Ind. *fer* facilis. Verbale a *faren* facere. Hodie dicimus *bar* in quibusdam compoſitis, quia F. & B. permutantur. Exempla vide in *Proleg.* Sect. VI.

FER, facilitas in agendo. Ex eodem fonte. Hoc ſenſu occurrit in comp. *ferig* facilis, quod vi terminat. *facilitate præditum* ſignificat.

FERBEN, fœrben, tingere, colore inficere. Francis *farauuen*, Belgis *verwen*, Suecis *fœrga*, mutato W. in G. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XXII. 44. *iz alles uuio gifaruues*. Vertit SCHILTERUS: id omne quomodo colorabis? Refer ad *farbe* color.

FERCH-

FERCH, anima, ſpiritus vitalis. Angloſaxon. *feorh*, Francis *ferab*. Etymon vide in *feele*. Viguit adhuc ante centum annos, ut ex Lexico HENISCHII intelligo.

FERG, nauta. V. *ferg*.

FERG, exactor, *fergen* urgere. V. *würgen*.

FERIG, promptus, expeditus, alacer. PICTORIUS in Lex. Helvet. *ferig* volucer, expeditus, velox, *ferige hand* dextra agilis. Proprie eſt facilis, ſeu facilitate in agendo præditus, ut ſupra oſtendi in *fer*, & dicitur de prompto & expedito, quia, quo quis facilior, eo promptior eſſe ſolet. Latinis quoque *facilis* ſæpe pro prompto accipitur.

FERKEL, porcellus. V. *ſærkel*.

FERN, procul, longe, remote. Angloſaxon. *feorran*, *fyrran*, Franc. *verno*. Gloſſ. Pez. aberat *verno uuas*. A ſimpliciori *fer*, quod vide. A *fern* eſt *ferner* longius, ulterius, porro.

FERN, longinquus, *aus fernen landen* ex regionibus longinquis Deut. XXIX. 22. Gothus regionem longinquam vocat *fairra land* Luc. XV. 13. Angloſaxo *feorlen rice* ibidem, & *fyrlen land* Luc. XIX. 12. Dicitur autem nonſolum de loco, ſed etiam de tempore, ob manifeſtam temporis & loci longinqui ſimilitudinem. Inde *firn* vetus.

FERNE, longinquitas, ſpatium longum, diſtantia magna. Angloſaxon. *feorneſſe*, Franc. *verri*. Gloſſ. Pez. ſpacia *verri*. Inde recentioribus *fern-glas* tubus opticus, quaſi vitrum longinquitatis.

FERNEN, removere. Angloſaxon. *feorſian*. Hodie delectamur compoſito *entfernen*; Sed a ſimplici habemus reciprocum *ſich fernen* recedere, quo utitur Luth. Prov. XIX. 7. Cuncta ex præcedentibus orta.

FERNEN, veteraſcere. VEREL. in Ind. *fyrnaſt* obſoleſcere, veteraſcere. A *fern* procul, ſenſu a diſtantia loci ad diſtantiam temporis translato, ob manifeſtam, quæ eſt inter ſpatium longum & tempus diuturnum, ſimilitudinem. Vel ἀμέσως a *firn* vetus. Nam hoc valde antiquum eſt, & ab omnibus Dialectis agnoſcitur. Inde

Gothis *fairniji wein* vetus vinum Luc. V. 39. *fairnjans balgins* veteres utres Matth. IX. 17.

Angloſaxonibus *fyrn*, *fyrnlic* anteactus, antiquus, *in fyrn dagum* in diebus illis.

Islandis *fyrnska* vetuſtas, apud VEREL. in Ind.

Germanis *firn* vetus Lev. XXIII. 10. *fernig* annuus, ſuperiori anno natus aut cretus, cujus oppoſitum *heurig* hornus, recens. Et huc etiam ſpectant, quæ mox ſequuntur.

FERND, olim, ante annum, anno ſuperiori. Adverb. temp. præt. Inde *ferndig*, & per ſyncop. *ferdig* annuus, ſuperiore anno natus aut cretus.

FERR. V. *fer*.

FERT, anno ſuperiore. Syncopatum ex *fernd*. WINSBEKIUS in Paræneſi ad filium §. 27.

Swer tugende hat derſt wolgeborn.
Sch han ze frunde mir erkorn
Den nidern bas der eren gert,
Dan einen hohen ſunder tugent,
Der hure iſt böſer danne vert.

Senſus eſt: eum eſſe vere nobilem, qui virtute pollet: Et humilem potius ac honoris cupidum amicum eligendum, quam excelſum & virtutis expertem, qui hoc anno deterior eſt quam præcedenti.

FERSE, calx. Gloſſ. Pez. calce *mit ferſano*. Evang. Goth. Joh. XIII. 18. *ushof ſaiſzna ſeina ana mik*, levavit calcaneum ſuum contra me. Forte ab Angloſax. *feorſian* amovere, elongare, quod eſt a *feor* procul, quia calce petimus ingrata amovendi cauſa. Hinc & *malleolus* Latinis dicitur tanquam parvus malleus, & *calcaneus* a calcando. Alii derivant a Lat. *verſura*, & rurſus alii a Gr. σφυρὸν malleolus, per metatheſin. Vocem Angloſax. vide in *hacke* calx.

FERSEN-GELT, tributum pro calce, ut olim *nefgild* tributum pro naſo, apud VEREL. in Ind. & hodie *kopf-gelt* tributum pro capite. Poſtea joco militari aptari cœpit iis, qui terga vertunt, & calcaneos oſtendunt. Inde proverb. *das ferſen-gelt geben* aufugere ex prælio.

FERT, anno ſuperiore. Vide poſt *ferr*.

FERT, veſtigium. NOTKERUS Pſal. LXXVI. 20. *ne uuurden bechennet dine ferte*, veſtigia tua non cognoſcentur. Refer ad *faren* ire, tranſire. Hodie eſt veſtigium cervi vel alterius feræ tranſeuntis, ſtylo venatorio. Hinc *vertagus* MARTIALIS poteſt eſſe canis veſtigator, ſi barbarus adſit interpres.

FERT, facilis. VEREL. in Ind. *fer*, *fert*, facilis, *hardfert* arduum & difficile. Refer ad *faren* facere. Hodie obſoleſcit.

FERT, facilitas in agendo. Ex eodem fonte. Cognoſcitur ex comp. *fertig* facilis, quod vi terminationis facilitate præditum ſignificat. Dicitur etiam *ferig*, quod vide.

FERTIG, promptus, expeditus. Gloſſ. Pez. expeditos *vartiga*. Idem Belgis *vaerdig*. Proprie eſt facilis, ſeu facilitate agendi præditus, & dicitur de prompto & expedito, quia, quo quis facilior, eo etiam promptior & expeditior eſſe ſolet. Inde compoſita, *buſs-fertig* pœnitens, promptus ad reparandum delictum, *leichtfertig* levis, promptus ad levia.

FERTIG, paratus, parando factus, *das haus ward fertig* templum erat finitum. 1. Reg. IX. 25. An a *faren* facere? Dubito. Potius eſt a Lat. *paratus*, auctoribus Francis. Gloſſ. Pez. paratos *vartiga*. Poſtea ſenſus translatus eſt ad inſtructos, quia inſtructi ſunt parati.

FERTIG, inſtructus, *fertig zum ſtreit* inſtructus ad pugnam, *reiſe-fertig* procinctus ad viandum.

FERTIGEN, facere, perficere, abſolvere. A *fertig* paratus. Hodie delectamur compoſito

verfertigen. Utitur tamen ſimplici Luth. Eſa. XL. 20.

FERTIGEN, dimittere, expedire, *rechtfertigen* juſtificare, dimittere ut juſtum. A *fertig* expeditus. Inde porro reciprocum *ſich fertigen* feſtinare, quo utitur Luth. 2. Sam. XIX. 17.

FESSEL, vinculum ferreum, compedes, manicæ, *feſſeln* catenis ligare. BENSON. in Voc. Angloſax. *fetor* pedica, *fattre, fettairu* compedes. Vox Angloſax. videtur eſſe a *fot* pes, noſtra a *faſſen* conſtrictum tenere. Gothis compedes ſunt *bifotuns* Marc. V. 4. Francis *truben* & *fuoztruben.* Illud a *fot* pes, hoc a *truhe* arca.

FEST, dies feſtus. Armor. *feſt*, Hibern. *feaſta*, Angl. *feaſt.* Dubitari poteſt, an ſit a Latino factum? Nam vox Latina non habet ſenſum, iſiſi violenter ducatur a φάος lux, vel ἑστιᾶν epulari. Contra Armorica rite naſcitur a *feſta* ordinare, quia dies feſti ſunt dies ſolemnes per annum diſpoſiti. Auctor Etymologiæ eſt PEZRONIUS in Antiq. Celt. pag. 388. 439. Præterea *faſtan* Gothis eſt obſervare, & dicitur de obſervatione ſermonum Domini Joh. XIV. 24. Dies autem feſtus eſt dies præ cæteris obſervandus. Adde, quod *veſten* ſit figere, & quod dies feſtus ſit dies fixus, & quotannis ſtatis temporibus recurrens. Cæterum Germaniam feſtos egiſſe dies ante lucem Evangelii exortam, verbis TACITI infra oſtendi in voce *feyren* celebrare. Sed quo nomine tunc venerint, an eo, de quo nunc agimus? ignoratur. Plura fuiſſe, fide monumentorum conſtat. Nam feſtum Gothis dicitur *dulths* Joh. VI. 4. Joh. VII. 2. Angloſaxonibus *freolsdæg* ibidem, & alibi *ſimbel-dæg*, Francis *itmalentag* in Harmonia Evangelica Tatiani Cap. CXCIX. 1. Alamannis *tult.* Gloſſ. Keron. Solemnitas *tult*, feſtivitatibus *tuldim*, ſolemniter *tultlichiu.*

FEST, firmus. Scribitur & *veſt*, quod vide.

FETT, pinguis. Angloſaxon. *fæt*, Angl. *fat*, Belg. *vet*, Island. *fæit*, Suec. *feet.* Rectius ſcribitur cum duplici TT. Nam proprie eſt *fedet*, a *föden* nutrire, quia pinguia dicimus, quæ ſunt bene paſta & bene ſaginata. Inter compoſita antiqua reperiuntur voces Malbergicæ, *feiſfecho* pecora pinguia, & *fetiſchefo* oves pingues, in Lege Salica Tit. IV. 3. Omnibus conſentit Græc. πίων pinguis. Nam P. & F. ſunt literæ permutabiles, ſicut S. & T.

FETT, pinguedo. Adjectiv. ſubſtantivatum.

FETZ, lacinia, fruſtum, ſegmentum. Belg. *vod, vodde*, Gall. *pieçe*, Ital. *pezza*, Hiſpan. *pieça*, Lat. Barb. *petia.* Cuncta a Lat. *vidére* ſeparare, quod ſuperat in *dividere*, & a viris Eruditis male confunditur cum *vidére* intueri, quaſi *dividere* ſit bis videre, cum proprie ſit in duo partiri. Ipſum vero *videre* oritur ab Etruſco *iduare* ejusd. ſignificatus. MACROBIUS Lib. I. Saturn. Cap. 15. *Iduare Etruſca lingua dividere eſt.* Plura ad cognationem hujus verbi ſpectantia vide in *waiſe* orphanus. FERRARIUS vocem Italicam derivat a Græc. πέζα limbus, parum proſpere, quia limbus eſt quidem pars veſtis, ſed non pars reſecta. A *fetz* eſt *fetzen, zerfetzen* in fruſta ſecare, dilacerare, dilaniare, *fetzicht* lacer, pannoſus, *zerfetzt* ruptus, ſciſſus, *gefetzte kleider* veſtes ſciſſæ, quales ante centum annos erant in uſu. Quæ videntur antiquitus uſurpata, ſi recte ſe habet Gloſſa Francica, *giphifota* fractas, quam ex Lazio producit STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 473. ubi tamen *fetzen* & *pfetzen* videtur confundere.

FEUCHT, madidus, humidus, *feuchte* humor, humiditas, *feuchten, befeuchten, anfeuchten* humectare. BENSONIUS in Vocab. Angloſax. *fuht* humidus. Gloſſ. Boxh. *fuhti* madidi. Gloſſæ Jun. in Obſ. ad Will. pag. 135. *fuhti, nazzi* humor. WILLERAMUS Schilteri Cap. IV. 12. *der garto iſt allaz angefuihtet mit demo beſigeleten brunnen*, hortus totus irrigatus eſt fonte ſignato. Belgæ ſcribunt *vucht, vocht*, quod poteſt eſſe ab *uvidus*, inſerto CH. Quam grata ſit hæc inſertio gutturi Germanico, & quam frequens in vocibus, tam domi natis, quam aliunde acceptis, peritis non poteſt eſſe ignotum. Exempla vide in *Proleg.* Sect. IV. in *Epenth.*

FEUDUM, *feodum*, prædium militare vel clientelare, ſtipendii loco conceſſum. Quidam ad Latinas origines prolapſi *feudum* a *fide* vel *fœdere* derivant, quia feudum eſt genus clientelæ, cujus prima lex fidelitas erga patronum, & vitæ fortunarumque ejus defenſio. GOLDASTUS Latin itatem quidem in voce agnoſcit, ſed provincialem, & feudum deducit a *foi* fides, ſicut *leudum* a *loi* lex, Tomo I. Rer. Alam. pag. 132. Contra alii & plerique rem & nomen rei origine Germanicum eſſe contendunt, quamvis eorum non una hæreſis ſit, dum alii vocem ad *ſimplices*, alii ad *compoſitas* referre malunt. Videamus primo de illis, qui ſimplicitatem tuentur. Horum præcipuus eſt SPELMANNUS, qui vocem arceſſit ab Angloſaxon. *feoh*, quod ſtipendium interpretatur. Atque ut contumaciam literæ D. quam ſibi infeſtam experiebatur, quodammodo compeſceret, illam ex litera finali H. euphoniæ gratia factam ait, quod neſcio an ullo exemplo comprobari poſſit. Ex adverſo STIERNHIELMIUS feudum ab alendo deducit, quia *föden* eſt nutrire, & *föda* alimentum in omnibus veterum Dialectis. „Et hinc, inquit, decantatum illud *Feudum*, „bona ſcil. quæ ſunt data *till födum*, hoc eſt „in alimentum: de cujus vocis etymo An„dabatarum more digladiantur linguæ *Scan„dicæ* imperiti interpretes Legum Longo„bardicarum.„ Hæc ille totidem verbis in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 46. & ſeq. Inter compoſitores rurſus chorum ducit SPELMANNUS, qui præter ſuperiorem, mox aliam conjecturam proponit, ut *feudum* perinde dicatur quaſi *feo-had* ordo & ſtatus ſtipendiarius, ſicut *cnyht-had* ordo militaris.

Sane

Sane Angloſaxonibus *had* in multis compoſitis ordinem & ſtatum denotare, recte aſſerit vir ſummus, etiamſi ipſum compoſitum e monumentis Saxonicis oſtendere non poſſit. GUNDLINGIANA vocem componunt ex *feo* pecu, & *od* bonum, ita ut *feudum* ſit bonum ruſticum vel pecuarium, Germanice *ein vieh-gut*. Et in hac ſententia dicuntur etiam verſari LOCCENIUS, & alii bene multi. Tertia compoſitio eſt HUGONIS GROTII, cujus vi *feodum* eſt fundus ſtipendiarius, ſic dictus ab *od* ſubſtantia, fundus, poſſeſſio, & *feo* ſtipendium, ſalarium, merces, de quo ſignificatu actum infra in *vieh*. Et his fere partibus totum compoſitum apud diverſos diverſimode conſtatur. Plura opinionum divortia exhibent *Origines Feodi* viri ampliſſimi GEORGII CHRISTIANI GEBAUERI. Mihi præ cæteris placet ſententia STIERNHIELMII & GROTII: ſed quænam alteri præferenda ſit, non facile dixerim. Illa ſimplicitate ſua ſe commendat, & Linguæ Celticæ ſuffragio, qua *fwyd* (ut poſtea oſtendam in *föden* nutrire) alimentum ſignificat, tum & aliarum vocum analogia, quæ ante nomen *feudi* repertum, ſtipendio militari antiquitus adhæſerunt, & præter victum nihil ſignificant, ut mox patebit. Hæc compoſitionis elegantia, & ipſius rei teſtimonio ſe tuetur. Quid enim eſt *feudum*, niſi ſtipendiaria poſſeſſio?

Primis temporibus, cum Germania tota eſſet militaris, nemo militiæ cauſa ſtipendium accipiebat, ſed omnes ex annona publica alebantur. Quorſum videntur ſpectare verba TACITI Cap. XIV. de M. G. *Epulæ, & quanquam incompti, largi tamen apparatus, pro ſtipendio cedunt.* Id quod etiam voces antiquæ demonſtrant. Nam *ſtipendium militare* Luc. III. 14. ubi ſedes vocis nativa, interpreti Gothico vocatur *anno*, a Lat. *annona*, Angloſaxonico *andhyſe*, h. e. victus, Francico *libnara*, h. e. alimentum, ſuſtentatio vitæ, in Harm. Evang. Tatiani Cap. XIII. 18. Et in Gloſſis Boxhornianis *libnara* exponitur *ſtipendia*.

Poſtea, captis Romanorum provinciis, militi ex hoſtico proviſum eſt, tertia vel dimidia parte ſoli, prout victori placuit, inter belligerantes ſorte diviſa. Quæ res ipſi fundo ſtipendiario *ſortis* nomen conciliavit. Notæ ſunt *ſortes Vandalorum* in Africa, *Oſtrogothorum* in Italia, *Viſigothorum* in Hiſpania, *Burgundionum* & *Francorum* in Gallia. De ſortibus *Vandalorum* agit PROCOPIUS Lib. I. de Bello Vandal. Cap. I. De ſortibus *Oſtrogothorum* idem Lib. I. de Bello Goth. Cap. I. De ſortibus *Wiſigothorum* Lex Wiſigoth. Lib. X. Tit. I. 8. De ſortibus *Burgundionum* Lex Burgund. Tit. XIV. 5. Tit. LXXXIV. 1. 2. & MARIUS Aventicenſis in Chron. ad an. 456. De ſortibus *Francorum* Lex Salica Tit. LXII. quod vel hinc patet, quia Lex ibi inſcribitur *de Alodis*, i. e. de Sortibus, & quia *Alodum* mox vocatur *terra Salica*, id eſt, ſtipendiaria, ſicut alibi oſtendo.

His ſortibus noviſſime ſucceſſit *Feudum*, novum genus beneficii militaris, & omnium judicio a præcedenti diverſum. Dico novum. Nam terra feudalis non eſt terra hoſtis, ſed ipſius Principis, cui militatur. Imago ejus rei cernitur in Barbaris, in ſolum Rom. ea lege receptis, ut Romanis militarent. Quando vox *Feudi* primum audita ſit, inquirit CANGIUS in voce, & cel. D. GEBAUERUS in Diſſertatione Academica ſupra laudata.

FEUR, ignis. Phrygibus & Græcis πῦρ, Angloſax. *fir*, *fyr*, Francis & Alam. *fuir*, Belg. *vuyr*, *vier*, Angl. *fire*, Gall. *feu* per apocopen. Gloſſ. Keron. igne *fuire*. Vox Phrygia, teſte PLATONE in Cratylo, quæ hodie male ſcribitur *feuer*, cum ſit monoſyllabum apud omnes antiquos. Verba Platonis hæc ſunt pag. 281. *Scis, qua ratione ignis πῦρ nominatur? Vide, quid de hoc ſuſpicer. Reor multa nomina Græcos a Barbaris, eos præſertim qui ſub Barbaris ſunt, acciepiſſe. Vide igitur, ne hoc nomen πῦρ barbaricum ſit: Neque enim facile eſt, iſtud Græcæ Linguæ accommodare, conſtatque hoc Phryges nominare, parum quid declinantes, ut ὕδωρ & κύνας, aliaque permulta. Vera hæc ſunt* &c. Scripſit etiam ARISTOTELES Librum de *Nominibus Barbaricis*, qui ſi adhuc ſupereſſet (periit autem maximo Reip. literariæ damno) haud dubie multa vocabulorum ſecreta nobis panderet. Habent & Hebræi *ur* vel *uur* pro flamma, haud dubie ex lingua humani generis primitiva, unde Phryges quoque ſuum hauſiſſe vocabulum tanquam ex communi fonte, credibile eſt. Ab hoc primitivo prognata ſunt verba in multis etiam vetuſtiſſimis Linguis. Inde Hebræis *baar* arſit: Græcis πυρῶν incendere, πυριᾶν fovere: Latinis *urere*, *burere*, *furere*, *fervere*, & forte etiam *feriari*: Angloſaxonibus *byrnan* ardere, *bærnan* urere, unde Anglis remanſit *to burn* utroque ſignificatu. Poſtera ætas dixit *brennen*, liquida e loco nativo mota, quod fieri ſolet ſæpiſſime. Sed *bernen* antiquius eſt, diuque cuſtoditum. Inde *berndes lieht* lumen ardens, in Parænefi R. TYROLIS ad fil. §. 12. Inde Luthero *börnen* ardere in prima ſacri Codicis editione, obſervante FRISCHIO in Voc. Bibl. Quod etiamſi a typographis eliminatum ſit, reſtat tamen in compoſito *bern-ſtein* ſuccinum, lapis uſtilis. Omitto nunc cætera derivata, qualia ſunt apud Græcos πυρὴ focus, rogus, πύριον igniarium, πυρίτης lapis ex quo excutitur ignis &c. apud Latinos *pyra*, *fornax*, *formus*, *furceps* &c. apud Angloſax. *bærning* uſtio, & ſimilia. Ab hoc antiquiſſimo & cum vetuſtiſſimis linguis cognato vocabulo *feur*, oriuntur & componuntur

feuren, ignem excitare. Gr. πυρῶν.

feuren, igneus. Græc. πυρινὸς. Angloſaxon. *fyren*, *feren*, Franc. & Alam. *fuiren*, *fiuren*. Gloſſ. Pez. igniferis *fiurinen ſtralom*.

feurig, igneus, ignitus. Gr. πυρικκὸς.

fûre, tæda. Quod vide.

erd-feur, ſulphur. Gloſſ. Pez. ſulphur *erdfiur*. Vox ab uſu relicta, ſed reſtitui digna.

nodfyr, ignis ſacrilegus. Vox Synodi Liptinenſis in Indiculo ſuperſtitionum & paganiarum Saxonicarum §. 15. *De igne fricato de ligno, id eſt*, NODFYR. Videtur ſic dictus, non a motu violento, quo ex ligno fricatur, in quo nihil eſt, quod jure reprehendi poſſit; ſed a calamitate quadam, cui averruncandæ ſuperſtitioſi hunc ignem adhibebant. Vide *not* calamitas.

feg-feur, ignis februus, ſi derivetur a *fegen* purgare, flamma ultrix, ſi derivetur a *fab* vindicta, vocabulo Angloſaxonico apud Lexicographos. De priori ſenſu actum ſupra: poſteriorem exhibet SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 288. ubi *feg feur* exponitur concrematio in effigie.

feur-fax, ignicomus. Angloſax. *fyr-feaxa*. A coma, quæ Angloſaxonibus *fex*, *feaxa*, Francis *fahs*. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. capilli *loccha*, *fahs*, cæſaries *giſchoraz fahs*, comæ *ungiſchoran fahs*. Hodie & compoſitum & dimidium compoſiti obſoleſcit.

feur-ofen, fornax, clibanus. Græc. πύρωσις quaſi πύρωφος vel πύρεπνος, quæ Phrygiam ſapiunt originem.

feur-Gott, Vulcanus. Angloſax. *fyres-god*.

feur-thurn, pharus. Angloſax. *fyre-tor*.

feur-kelle, capula ignis. Gloſſ. Pez. receptacula ignium *fiurchellun*. Angloſaxon. *fyrencylle* eſt clibanus.

feur-pfanne, batillum. Angloſax. *fyr-panne* apud BENSONIUM.

feur-probe, examen innocentiæ per ignem. Nomen novum rei veteris, dudumque abolitæ. Lex Ripuar. Tit. XXX. 1. *Quod ſi quis in judicio pro ſervo interpellatus fuerit, dicat: Ego ignoro, utrum ſervus meus culpabilis an innocens de hoc extiterit. Propterea eum ſecundum Legem Ripuariam ſuper XIV. noctes ad ignem repræſento. Et ſic de ejus præſentia cum feſtuca fidem faciat. Quodſi ſervus in ignem manum miſerit, & læſam tulerit, dominus ejus, ſicut Lex continet, de furto ſervi culpabilis judicetur.* Vetera vocabula vide in *Ordalium*.

Reliqua compoſita, quorum ingens numerus, nunc mitto, quoniam nec opera mea indigent, nec ideo minus proba ſunt, etiamſi ſingulis antiquitatis ornamentum addere non poſſim.

FEYREN, celebrare, *feyre* feſtivitas, ſolemnitas, *feyr-tag* dies feſtus, *feyrlich* ſolemnis & ſolemniter, *feyr-kleid* cultus feſtivus. Cuncta ex hæreditate Francorum, quibus *firon*, *firon* eſt feriari, ſabbatizare, *fira*, *virro* feſtum, *firrotak* ſabbatum. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XV. 9. *ſih nahtun eino ziti, thaz man tho firoti*, adpropinquabat tempus, quod tunc celebrabatur. Cap. ſeq. ab init. *tho thiu uuecha ſo Got gibot, uuas halba gifirot*, cum ſeptimana a Deo præcepta eſſet dimidia parte feriata. Germaniam antiquam jam ante Chriſtianiſmum feſtos habuiſſe dies, certiſſimum eſt, & memoriæ prodidit TACITUS de M. G. Cap. IX. *Certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habent.* Cap. XXXIX. *Stato tempore in ſilvam coeunt.* Cap. XL. *Læti tunc dies, feſta loca.* Et mox: *Pax & quies tunc tantum amata.* Idem in Annal. I. Cap. 50. *Feſtam Germanis noctem ac ſolemnibus epulis ludicram* memorat. Hinc quidam patriæ linguæ & antiquitatis ſtudioſi exiſtimarunt, vocem Francicam a paganiſmo relictam eſſe, & *feyren* nihil aliud denotare, quam ſtato tempore aras incendere, & ignes nocturnos in honorem Deorum excitare, a *feur* ignis. Auctor etymologiæ laudatur CÆSIUS, cui calculum ſuum nec addit nec ſubtrahit STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 203. Præterea *feyren* poteſt etiam denotare *ignem colere*, & ſynecdochice *colere*, ſenſu a cultu Ignis (de quo abunde actum in voce *tan*) ad omnem cultum religioſum tradu&cto. Sed hæc parum firma ſunt. Veriſimilius eſt, Theologos Francorum hoc verbi feciſſe & finxiſſe ad modulum Latini *feriari*. Voces Gothorum & Saxonum vide in *feſt* dies feſtus.

FEYREN, colere, venerari, obſervare. Senſus a cultu religioſo ad civilem & obſequioſum translatus, novus quidem, ſed aptus. Latinis quoque *celebrare* eodem ſenſu dicitur.

FEYREN, otiari, ceſſare a labore, *feyre* otium. Gloſſ. Pez. otiari *virron*, otium *virra*. Senſus a quiete feſtiva ad omnem quietem translatus. Utitur Luth. Exod. V. 5. Convenit Heb. *para* vacavit, otiatus eſt. Præcipuum compoſitum eſt *feyr-abend* ceſſatio a labore, quæ quia ſingulis diebus fieri ſolet veſperi, *otium veſpertinum* appellari meruit.

FEYREN, vacare, *feyre* vacatio a quacunque re. Utitur Luth. de territorio Lev. XXVI. 43. Latinis quoque agri *vacare* dicuntur.

FI, interjectio averſantis apud Saxones inferiores & Gallos hodiernos, ſicut apud Latinos *fu*. Familiam particulæ vide in *fien* odiſſe. Germani ſuperiores dicunt *phui* & *pfui*, Græci Φεῦ. A flatu contra putidum.

FIBEL, libellus abecedarius. A Gr. βιβλίον libellus.

FICHTE, pinus, ſpecies arboris piceæ, & hinc fortaſſe nomen a *pech* pix, ſicut Græc. πίτυς a πίττα. Confer *fôre* tæda.

FICKE, loculus vel facculus in veſte, in quo aliquid conditur. Factum ab antiquiori *pocca*, quod vide in *pack* pera. P. in ore vulgi frequenter mutatur in F. Apud SUIDAM Φαγύλιον eſt marſupium.

FICKEN, fricare. Itali fidelius *fregare* a *fricare*. Nos literam caninam expellimus. Dicitur autem de omni frictione, etiam ea, quæ

quæ cum pruritu conjuncta eſt. Inde Angloſax. *fagung* ſcabies, lepra.

FICKFACKEN, intricare, turbare, interprete STILERO. Vox Britannica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *fygfag* confuſe.

FIDEL, inſtrumentum muſicum, fidibus tenſum, & inde nomen a Lat. *fides* vel *fidicula*. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *fithele* fidicula, pandura, *fithelere* fidicen, pandurarius, lyricen. Anglis *a fiddle* & *a fidler*. VEREL. in Ind. *fidla* chelys, violina. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXIII. 395. de cœleſti Muſica:

Lira ioh fidula,
Ioh manag ſaltu ſuegala.
Lyra atque pandora,
Et multiplices ſiſtulæ.

Cambris *ffilor* eſt fidicen, quod videtur ſyncopatum ex *fidler*. Per eandem ſyncopen ex *fidel* fit *viole*. Ab hoc ſignificatu deſcendunt alii per allegoriam. Hinc *fidel* dicitur (1.) inſtrumentum torturæ ex nervis. (2.) manica lignea fidulæ ſimilis, machina pœnalis apud Berolinenſes. (3.) fœmina impura & cuivis fricabilis &c.

FIDERN, pennare, alis inſtruere, *gefidert* pennatus, alatus, *gefiderter pfeil* ſagitta pennata, cui ars addidit alas, *gefidertes gevögel* volucres alatæ Gen. I. 21. *gefider* volatilia. Cuncta ab ala, quæ Saxonice dicitur *fither*. SOMNER. in Dict. AS. *fither*, *fyther* ala, penna, *fither-berend* aliger, *fythered* alatus. Originem ſubſtantivi vide in *feder* penna.

FIEBER, febris, morbus ex intemperie caloris. Angloſaxonibus *fefer* & *fefor*, Matth. VIII. 15. Marc. I. 31. Francis *fiober* & *fiebar*, in Harm. Evang. TATIAN. Cap. XLVIII. 1. 2. Cuncta a Latino. Gloſſa LUTHERI ad locum Matthæi: *Fieber*, *das iſt den Ritten auf Teutſch*, *fieber iſt Lateiniſch*. Dicitur autem febris a fervendo. Hinc idem morbus interpreti Syro vocatur ignis, ULFILÆ *heito* ab æſtu, *brinno* ab ardore, Græcis πυρετὸς, & HIPPOCRATI πῦρ ignis, obſervante JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 99. Vocem LUTHERI vide infra in *rütten*.

FIEN, odiſſe. Verbum omnibus veterum Dialectis uſitatum, quod Gothis effertur *fijan*, Angloſaxonibus *fian* & *figan* apud BENSONIUM, *fiwan* apud SOMNERUM, Franc. & Alamannis *fien*, *figen*. Gloſſ. Keron. odire *fien*, odiſti *fietos*. Gloſſ. Boxh. *fieta* exoſi. Gloſſ. Pez. zelaveris *figidos*. Evang. Goth. Joh. VII. 7. *Ni mag ſo manaſeths ſijan izwis*, *ith mik ſijaith*, non poteſt mundus odiſſe vos, me autem odit. Cuncta ab interjectione averſandi *fi*, non vice verſa. Præcipua derivata ſunt *fede*, *feide* odium, inimicitia, *feind* hoſtis, inimicus, de quibus actum ſeorſim. Ex eodem fonte proveniunt quædam obſoleta, ut ſunt apud Angloſaxones *fah* hoſtis, *fah*, *gefah* vindicta, *fah-mon* inimicus, *fionge* odium, & alia apud SOMNERUM, quæ imitantur Angli in *foe* & *foman* hoſtis.

FILLEN, cædere, verberare, percutere. Verbum a Francis proſeminatum. Gloſſ. Pez. percutere *villan*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XIX. 39.

Sprah ih auur alauuar,
Ziu filliſt thu mih thanne ſar?
Si verum omnino dixi,
Cur me protinus verberas?

Haud dubie a *fell* (quod Gothis effertur *fill*) cutis, pellis, quam verbera feriunt & lacerant. Inde *fillones* verberones apud Latino-Barbaros. Hodie utimur frequentativo *filzen* & *ausfilzen* objurgare, cædere verbis, ſenſu a verberibus ad aſperа verba translato.

FILLEN, deglubere. Francis ut ſupra, Cambris *pilio*, Belgis *villen*, Gallis *peler*, Anglis *to flea*. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *pil* excoriatum, cortex, *pilio* expilare, deglubere, decorticare. Gloſſ. Pez. excoriaverunt *piviltun*. Inde Angloſaxonibus *fylled* excoriatus apud BENSON. & Germanis *filler* excoriator. Cuncta ex eodem cum præcedenti fonte.

FILZ, caſtigatio quæ fit verbis, a *filzen* objurgare, de cujus origine actum paulo ante. Olim *fillo* erant verbera virgarum & flagrorum. Gloſſ. Keron. verbera *fillo*, verberum *filloom*, verberum (virga) *fillonokertu*. Gloſſ. Pez. flagris *villon*. Poſtea ſenſus ad verbera linguæ translatus eſt, quia ſicut illa cutim, ita hæc animum flagellant.

FILZ, pannus ex lana denſatus, non textus, & omne tegumentum ex tali panno, ſagum, ſtragulum, matta &c. Gloſſ. Keron. matta *filza*. Gloſſ. Pez. in ſago *in vilze*. Veſtitus primævus Germanorum, de quo TACITUS in M. G. Cap. VI. *nudi aut ſagulo leves*. Cap. XIX. *tegumen omnibus ſagum*. Derivari poteſt, vel a Græc. πιλέω opus coactile, quod eſt a πιλῶ arctare, denſare, lanam cogere: Vel a Lat. *villus* aut *villoſus*. Nam ad cognationem τῷ *fell* pellis referre, non amplius placet, quoniam *filz* notione ſua non operimentum ſimplex, ſed operimenti craſſamentum ingerit. Eadem res Angloſaxonice dicitur *felt*, Belgice *vilt*, quod ideo notandum, quia ex his Dialectis ad Græcos & Latinos inferiores rurſus manavit φέλτρον, *feltrum*, *filtrum*, de quibus fuſe & erudite agunt MEURSIUS in Lex. Græco-Barbaro, SELDENUS in uxore Hebræa, LINDENBROGIUS & CANGIUS in Gloſſariis, MARTINIUS in Lexico Philologico. Itali vocem Germanicam integre cuſtodiunt in *feltro*, Galli corrupte in *feutre*. A *filtrum* porro prodierunt *filtreus* & *filtrinus*, & verbum *filtrare*, h. e. percolare per filtrum, transfundere per pannum denſiorem, ne ſordibus pateat exitus.

FILZ, cilicium, pannus e pilis animalium confectus. Hoc ſenſu videtur occurrere in compoſito *vilz-hus* tentorium, quo utitur WILLERAMUS Cap. I. 5. Nam tentoria orientalium non ex quovis panno compacto, ſed ex cilicio fiebant. ISIDORUS Orig. Lib. XIX. Cap. 26. *Cilicia Arabes nuncupant velamenta pilis caprarum contexta*, *ex quibus*

ſibi

ſibi tentoria faciunt. JO. de JANUA: *Cilicium velamentum factum de pilis caprarum vel taxorum, unde tentoria fiunt, & mortui operiuntur.* Et talia videntur quoque fuiſſe tentoria illa Tartarorum & Turcomannorum, quæ ſcriptoribus apud CANGIUM in voce *filtrum*, vocantur *tentoria filtrea* & *domus filtreæ*, manifeſto ſatis indicio, *filtra* Latinis appellari, quæ Arabibus *cilicia*. Nec dubito, quin *loricæ ex filtris* ibidem memoratæ, & omnia tegumenta bellica, quibus telorum & lapidum impetus excipiebant, quoties *filtra* vel *filtrea* appellantur, ad *cilicium* referenda ſint. Hodie quoque calceos (ni fallor), & pileos, & ſtratorum genera, ex pilis animalium confecta, eodem nomine deſignamus.

FILZ, avarus, cui non facile elabitur pecunia, *ein karger filz* ſordide avarus. Utitur Luth. Sir. XXXI. 29. Ducta appellatio a ſimilitudine cum panno *filz*, quæ in utroque eſt tenacitas. Quemadmodum enim pannus, ex lana groſſiori conſtipatus, non pulverem, non pluviam, & vix aerem transmittit: Ita avarus, facultatum ſuarum ſupra modum tenax, vix obulo tranſitum concedit. A ſubſt. oritur adj. *filzig* tenax.

FINANZ, dicitur in bonam & malam partem. Gallis *finances* ſunt publicæ facultates, a Suethico *finna* invenire, judice MENAGIO. Germanis *finanz* uſura, *finanzer* æruſcator, *finanzen* pecuniam undique corradere: Quæ ſecundum HELVIGIUM oriuntur a Gr. φένας & φεναπίζω deceptor & decipio. Verum, cum bonus vocis ſenſus plerumque antiquior ſit pravo, veriſimile eſt, Quæſtores Principum, qui publicas opes malis artibus undique extorquebant, vituperando vocabulo anſam dediſſe.

FINDEN, invenire. Angloſaxonibus *findan* eſt invenire, *fint* invenit, Joh. X. 9. *ne findath* non invenietis, Johan. VII. 34. *funden* inventus, *funden-cild* puer expoſitus, *findele* inventum, *findig* inventor. Similiter Francis & Alamannis *findan* & *fintan* eſt invenire. Gloſſ. Keron. invenire *findan*, inveniat *finde*, inveniatur *ſi fundan*, repertus *fundaner*. Gloſſ. Boxh. *findo* repertor. Poſſit eſſe a *ventu*, quomodo Latinis *invenire* eſt *in rem venire*. HELVIGIUS mallet a *videre* per epentheſin, quod ea maxime inveniantur, quæ ſub aſpectum cadunt. Dicitur de quæſitis & non quæſitis. Sæpe enim ultra propoſitum aliquid invenimus, ſicut Saul, qui dum aſinos quærit, regnum invenit. Hoc verbum multas habet propagines in omnibus veterum Dialectis. Quædam enim inveniuntur oculis, alia mente & cogitatu, alia ſponte ſe nobis offerunt aut caſu, alia non niſi longo uſu & experientia deprehenduntur. Unde fit, ut idem verbum diverſimode accipiatur.

FINDEN, in ſynecdochico dicendi genere, ſignificat quantum poteſt, (1.) venire in notionem rei, hoc eſt *cognoſcere*. Hic ſenſus duos habet ſurculos, *decernere* & *probare* ut mox oſtendam. (2.) venire in experientiam rei, hoc eſt, *experiri, uſu & experientia cognoſcere.* (3.) venire in aptitudinem ad rem, hoc eſt, *accommodare, aptare.* (4.) venire ad perſonam, hoc eſt, *adire, accedere.*

FINDEN, cognoſcere, invenire cogitatu. Nam veritates rerum cognoſcendo non facimus, ſed ab alio factas deprehendimus. Et hinc *ſcire* eſt *invenire*. Hoc ſenſu inveniuntur cognoſcibilia. Hinc Gothis *finthan* eſt cognoſcere, *fanth* cognovit, Joh. XII. 9. *funthi* cognoſceret, reſciret, Marc. V. 43. *finthandeins* cognoſcentes, Luc. IX. 11. Non ſolum autem Gothi, ſed etiam Franci eodem ſenſu utuntur. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XI. 73.

Thaz ſon in uuuvti funtan,
Thaz er uuas ſelbo irſtantan.
Ut ab eis cognoſceretur,
Quod ipſe reſurrexerit.

Huc etiam ſpectare videtur dictum Pilati apud TATIANUM CXCVII. 2. *ni fand nih-einiga ſahha*, nullum crimen in illo deprehendo. Græce εὑρίσκω Joh. XVIII. 38. quod de intellectu inveſtigantis dicitur. LUTHERUS ibidem habet *finden*, & ſæpe alibi, ubi de intellectu agitur, ut Act. XVII. 27. Hic ſenſus duos habet ſurculos in hodierna Lingua, pro duplici natura & indole cognitionis. Nam quando ex cognitis nova elicimus, tunc dicimur *erfinden*, excogitare, & hinc ingenii humani inventum vocatur *erfindung*. Quando vero cognitionem noſtram comitatur grata vel ingrata rei cognitæ perceptio, tunc dicimur *empfinden*, ſentire, unde ſenſationes vocantur *empfindungen.*

FINDEN, decernere, ſtatuere, definire. Proprie eſt cognoſcere cauſam, idemque quod *finden* cognoſcere. Dicitur autem per metonymiam antecedentis de decernentibus, quia iidem homines in foro & cognoſcunt lites & decernendo dirimunt. Gloſſ. Pez. ſtatueris *vindis*, definiant *findent.* NOTKERUS Pſal. XCVII. 9. *er findet reht uber erdring*, judicium ſtatuit ſuper orbem terræ. Pſal. CXVIII. 23. *Reges fundan dar, ut nusquam eſſent Chriſtiani.* Id eſt, ſtatuebant, decernebant, ut nusquam &c. Hinc *urteil finden* apud priores Germanos eſt pronunciare ſententiam, & *finder* arbiter. Weichbild art. 10. *ſo ein ſchöpp allein ein urteil findet.* Land- und Lehn-Recht Cap. 81. §. 1. *die ſchöppen ſollen für Gericht urteil geben und finden.* Item: *urteil ſollen ſie faſſend finden.* Et: *wer urteil ſpricht, der mag ſie mit recht ſitzend finden.* Plura vide apud SCHOTTELIUM de Ling. Germ. pag. 563. Hodie utimur compoſito *abfinden*, quod proprie dicitur de tranſigentibus, qui finem ſtatuunt controverſiæ; Et hinc porro *abgefundene* proprie ſunt ii, quibus vi transactionis ſatisfactum, aut annua penſio definita eſt. Utrinque præfix. *ab* eſt adverb. ordinis,

dinis, quod ultimum terminum rei significat.

FINDEN, probare, facere ut sciat vel cognoscat. Verbum facessens a *finden* cognoscere. ISIDORUS Cap. V. circa finem : *dhes martirunga endi dodh uuir findemes mit urchundin dher heilegin chiscribes*, cujus martyrium & mortem comprobavimus testimoniis sacræ Scripturæ. Hodie dicimus *ausfindig machen*, idoneis argumentis probare, & *unerfindlich* quod demonstrari nequit.

FINDEN, experiri, usu & experientia cognoscere. Gloss. Keron. experimento *findungu*, experientia *pifindungu*. Gloss. Pez. inexpertus *unpefuntan*. Hodie dicimus *befinden*.

FINDEN, accommodare, aptare. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XIX. 145.

Thiu ougun fie imo buntun,
Thaz in zi spile funtun.
Oculos ei præligabant,
Ut ipsum ad ludibrium aptarent.

Hodie est reciprocum. Hinc de homine, qui se omnium moribus & ingeniis accommodare potest, vulgo dicimus, *er kan sich in alle leüte finden*. Anglosaxonibus *findan* est disponere, cognato significatu.

FINDEN, adire, accedere. Anglosaxonibus *fundan* est adire, unius literæ mutatione. Franci nihil mutant in literis. Hinc ancilla apud OTFRIDUM Lib. IV. Cap. XVIII. 13. Petro ait:

Ih uuanu thu sis rehto
Thesses mannes knehto,
Thes sines gesindes,
Thaz uuan ih thu nu findes.

Opinor te esse hujus viri servum, & unum ex comitatu, quem arbitror hic accedis. Huc fortasse spectat, quod de homine accessus impatiente dici solet, *er will sich nicht finden lassen*, non vult adiri. Gallis quoque *trouver* nonsolum est invenire, sed etiam accedere.

FINDLING, infans exposititius. A *finden* invenire, quia fortuito inventus.

FINGER, digitus. Goth. *figgr*, plur. *figgrans* Marc. VII. 33. Anglosaxon. *finger*, plur. *fingras*, ibid. Francis *finger*, *fingir*, *fingar*, &c. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XVII. 71. *reiz mit themo fingar in erdu*, scripsit digito in terram. TATIANUS Cap. CCXXXIII. 6. *senti thinan fingar in mina sita*, mitte digitum tuum in latus meum. NOTKERUS Psal. CXLIII. 1. *der mine hende unde mine fingera lehret ze uuige*, qui manus meas & digitos meos instruit ad pugnam. Hellenistæ derivare solent a σφίγγω stringere, quia strictis digitis omnia prehendimus; Latinistæ a *fingendo*, quia figuras rerum digitis fingimus & refingimus; Reliqui a *fangen* capere, quia digitis arma tractamus, & tenenda capessimus. Præcipua composita sunt,

figgragultb, annulus, aurum digitale, in Evang. Goth. Luth. XV. 22.

scyte-finger sagittarius, alias index, *middelfinger* medius, qui & impudicus, *lace-finger* medicus, *gold-finger* annularis, apud SOMNER. in Dict. Anglosaxon.

fingiribringa, annulus, in Glossis Boxhornianis.

finger-reif, annulus, circulus digitalis, in versione Luth. Luc. XV. 22.

FINK, fringilla. SOMNER. in Dict. AS. *finc* frigilla, *gold-finc* aurivittis. Vide inter nomina avium a voce naturali ficta in *guguck*.

FINNEN, sordes, *finnig* mucidus, putridus, *finniger speck* lardum fœtidum. Idem Anglosaxonibus *fynig* apud SOMNER. & BENSON. & inde *fynigean* muceſſere. Unde nisi a Gr. πυὸς sordes?

FINNEN, pustulæ in carne suum, *finnicht schwein* sus pustulis laborans. Videtur nihil aliud denotare quam sordes. Nam pustulæ illæ pus continent, & sensus a sordibus ad ulcera transferri solet, ut vidimus supra in *drüse*. Si tamen eædem pustulæ Græca dictione sint φύματα, Latina *pani*, verosimilius est, Germ. vocem ex alterutra ortam esse.

FINSTER, tenebricosus, *finsternüs* tenebræ, *verfinstern* obfuscare, tenebras offundere. Cuncta e penu Francorum & Alamannorum. Gloss. Keron. tenebræ *finstri*. Gloss. R. Mauri apud Diecm. chaos *mihilfinstar*. Gloss. Pez. opacum *finstar*, obtenebratæ *pivinstrit*. TATIANUS Cap. IV. 18. *in finstarnessin* in tenebris. Quo sensu, ipsa caligine obscurius. HENISCHIUS scribit: *das teutsch kompt her von dem Lateinischen*. Sed non apparet, quid velit. MARTINIUS componit vel potius contrahit ex φάος lucere & στερέω privare, quia caligo est φάους στέρησις privatio lucis. STADENIUS, quamvis originem sibi aliquando incompertam esse ingenue fassus sit, postea tamen deduxit a *thinster* obscurus, quod apud WILLERAMUM legitur, literis TH. in F. conversis, cujus mutationis exemplum sibi deprehendisse visus est in Codice Arg. ubi *thliuhan* ponitur pro fugere, quod in reliquis Dial. effertur *fliehen*. DIECMANNUS invenit quidem in STADEN. quod carpat, sed unde lucem vocabulo administret, nihil. ECCARDO videtur convenire cum *winster* sinister, in Cat. Theot. pag. 180. Sane *winster* in omnibus veterum Dialectis, & hodie Danica ac Suecica, est sinister, ut demonstravi in loco. Sed addere debuisset vir doctissimus, Solem nobis, ad Polum nostrum prospicientibus, oriri ad dextram, occidere ad sinistram: Vel orientem spectantibus meridiem esse ad dextram, noctes Arctoas ad sinistram. Nam absque hoc monito concipi non potest, quo pacto sensus a *finistro* ad *tenebrosum* translatus sit. Forte *finster* & *winster* sunt ex eodem fonte, nempe a *wan* defectus. Quemadmodum enim tenebræ deficiunt a luce, ita sinistrum ab eo, quod melius & potius est. Re-

liqui in hoc ſenſu mire variant. Gothis tenebræ vocantur *riquiz* Matth. VI. 23. tenebroſum *riquizei* ibidem, contenebrari *riquizan* Marc. XIII. 24. Voces Angloſaxonicas vide in *demmer* & *düſter*. Præterea Angloſaxonibus *deorc* eſt obſcurus, caliginoſus, *adeorcian* obſcurare, quod cuſtodiunt Angli in *dark*. Quæ judice CASAUBONO ſunt abſciſſa a Græc. ἀδηρὸς inviſibilis. Sed quo minus huic conjecturæ aſſentiar, obſtat Lingua Perſica, qua *tariki* dicuntur tenebræ, teſte CLODIO in Lexico Turcico. Nam hinc videtur elucere, Perſicam, Gothicam, & Saxonicam vocem, non e Græco, ſed potius e Scythico eloquio hauſtam eſſe. Cæterum cur tenebræ Suecis dicantur *mörker* & Islandis *myrkve*, ipſis inveſtigandum relinquo. Mihi videtur contractum ex ἀμαυρότης obſcuritas.

FIRLEFANZEN, nugas agere. A φλυαρία nugæ, per metatheſin *firle*, & φάζω dicere, per epentheſin *fanzen*. Utitur LUTHERUS Tom. Jen. II. pag. 134. contra R. Angl. Henric. *wie ſolt ein arm man thun, der gern ſchreiben wolt, und künd nichts? Er muſs ie ſo firlefantzen, und mit worten umbherſchweiffen, das die leut dencken, er wölle ein buch ſchreiben*. Poſſit etiam denotare *aliena loqui*, ſi ducatur ab Angloſaxon *fyrlen* longinquus. Confer *fanzen* & *fatzen*.

FIRMEN, *firmlung*. Vide *fromm* confirmatus.

FIRN, vetus, *firnig* annuus, ſuperiori anno natus aut cretus. Vide *fern* longinquus, & *fernen* veteraſcere.

FIRNIS, *vernis*, vernix, *firniſſen* vernice obducere. Omnium judicio eſt ipſa vox Latina.

FISCH, animal aquatile, Lat. *piſcis*, Camb. *pyſg*, Armor. *peſc*. Goth. *fisk*, plur. *fiskans* Marc. VIII. 7. Angloſaxon. *fiſc*, plur. *fixas*, Franc. *fisg*, Procop. *fiſil* &c. TATIAN. Cap. CCXXXVII. 2. *bringet von then fiſgon*, afferte de piſcibus. Et paulo poſt: *zog thas nezzi in erda ſol mihilero fiſgo*, traxit rete in terram plenum magnis piſcibus. "Minime dubium „eſt, inquit JUNIUS, quin hæc omnibus fe„re Europæis gentibus communis piſcium „appellatio ejusdem ſit originis cum Latino „*Piſcis*. Cujus nominis ratio valde vide„tur obſcura. Triplicem tamen de ejus ori„gine conjecturam adfert Voſſius in Ety„mologico, quod adi. Hæc ille in Gloſſ. Goth. pag. 163. Compoſita & derivata, cum ſatis manifeſta, & juſta lege facta ſint, non debent me detinere.

FISEL. V. *föden* gignere.

FISELIG. V. *fæslein*.

FITTICH, ala. Gloſſ. Boxh. *fedacha* alas. NOTKERUS Pſal. XVII. 11. *uberfluog die uettacha dero uuindo*, volavit ſuper alas ventorum. Pſal. XC. 4. *under ſinen fetachen gedingeſt du skermes*, ſub alis ejus ſperabis umbraculum. Vox per ſyncopen depravata e ſaniori & integriori *feder-rich* pennipotens, alatus, & ſubſtantive ala. Vocem genuinam, tam adjectivo quam ſubſtantivo ſenſu acceptam, exhibet Antiquitas. Gloſſ. Lipſ. *fetheracco* alatum. Rythmus de S. Annone §. 14.

Daz dritti dier was ein Leharte,
Vier arin Vederich her havite.

Vertit SCHILTERUS:

Tertium animal erat Leopardus,
Quatuor aquilinas alas habebat.

FIX, promptus & prompte, celer & celeriter. Antiquiſſima idiomata habent *fus*. SOMNER in Dict. Angloſaxon. *fus* promptus, *ſwithe fus* perexpeditus. VEREL. in Ind. *fus* promptus, *fuſari* promptior, *fuslega* iponte, libenter, prompte, *fyſa* feſtinare, item incitare, h. e. facere ut feſtinet. Hæc ille. Unde cognoſcimus, quod *fyſan* in Vocabulario Benſoniano male exponatur *differre*, cum proprie ſignificet *feſtinare*. Franci & Alamanni delectantur epentheſi, pro *fus* dicendo *funs*. Utrum nativius ſit, ignoratur. KERO in Gloſſis: promptus *furſer*. TATIANUS Cap. CLXXXI. 6. *ther geiſt giuuiſſo funs iſt, thas fleiſc abur unmahtig*, Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Interim a *funs* eſt ALFONSUS valde celer, perquam acer.

FLACH, planus, latus, altitudinis expers, *flach feld* æquor, campus late patens, *flach ufer* littus vadoſum, *flache ſchüſſel* patella, *flache hand* palma, *flachen* complanare, *flache* planities. Cum Germ. voce convenit Belgica *vlak*. In reliquis Dialectis occurrit *flaz*, *flat*, & *plat*, quæ vide in poſtremo. Ratio tam variæ enunciationis ex doctrina de permutatione literarum petenda eſt. Interim *flach* & *vlak* non carent antiquitate. Nam apud Græcos πλάκες ſunt tabulæ, a latitudine & planicie ſic dictæ, & πλαξ ὄρους æquor montis, cujus planicies arari poteſt.

FLACHS, linum, ſtupa. Angloſaxon. *fleax*, *flæx*. Matth. XII. 20. *and ſmeocende flæx he ne adwæſceth*, & linum fumigans non exſtinguet. Inde Belgis remanſit *vlas*, & Anglis *flax*. Cum linum ſit filum plicatile, forte ab uſu ſic appellatur ἀπὸ τῦ πλέκειν texere, plicare, nectere: Vel a πλόκος cæſaries, Sorabice *wloſ*, quod capillamentis ſimile ſit. Sed filamentum malo quam capillamentum. SKINNERUS contrahit a Lat. *villus*. Aliud rei nomen vide in *lein*.

FLACHS-ADER, nervus, tendo. MARTINIO ſic dicitur quaſi *vena filacea*, quia nervi tanquam fila & capillamenta per totum corpus ſparguntur.

FLACK, tepidus. Angloſaxon. *wlæc*. Ab initio fuit *lauw*, quod vide. Poſtea *flauw* per proſtheſin. Quod etiamnum probatur Belgis. Denique *flag*, mutato W. in G. Quod ubi durius pronunciatur, fit *flack*.

FLACKERN, flammas projicere. A Lat. *flagrare*.

FLADEN, placenta. Francis *flado*, Belgis *vlaade*. Gloſſ. Pez. placentas *fladan* vel *preitinga*

tinga. Inde placentæ Latino-Barbaris *fladones*, *flatones*, & *flantones*, & Gallis *flaons* & *flans*, quamvis litera D. in medio vocis eliſa. Quidam exiſtimant, Francicam vocem imitari Latinam *placenta*. Alii utramque a Græca πλακὸς, οὖντος derivant, quæ eſt a πλακῶ incruſto. Alii malunt Germanicum nomen a Latino-Barbaro *oblata* deducere per aphæreſin, figuram in peregrinis vocabulis adoptandis familiarem. Utitur hoc etymo LUTHERUS in Poſt. Eccleſ. Homil. ſuper 1. Cor. 5. de purgando veteri fermento. Quem ſequitur HELVIGIUS in Orig. Germ. & FRISCHIUS in Bödekero illuſtrato pag. 209. Et negari ſane non poteſt, panes quosdam toſtos & tenuiſſimos infimæ Latinitatis Scriptoribus appellari *Platas*, etiamſi teſtimonia a CANGIO allegata non ſint tantæ vetuſtatis ut Gloſſa Theotiſca. Forte ad declarationem vocis aliquid facit, quod in eadem Gloſſa *fladun* exponitur per *preitinga*. Nam *flat* & *breit* ſunt ſynonyma. Et hinc placentæ videntur ſic dictæ, quaſi panes lati & plani, ut *plæzen* a *plat* latus, planus.

FLAMME, flamma. Cambris *fflam*, Armor. *flam*, Belg. *vlam*, Slavon. *plamen*. Vox Celtica, Latinis communicata, judice PEZRONIO in Antiq. Celt. pag. 388. JUNIO eſt vox Græca, originem trahens a φλέγω incendo. Unde Æolicum φλέμμα pro φλέγμα inflammatio. Æolibus enim familiare eſt, priorem conſonantem commutare in eam quæ ſequitur. Hæc ille in Obſerv. ad Will. pag. 230. MARTINIUS vero a Latina voce Germanicam deduxit. Verba veterum vide in *Ioh.*

FLANKE, latus, *einem in die flanke gehen* impreſſionem facere in latus, *flankieren* latera oberrare. Galli eodem ſenſu dicunt *flanc* & *flanquer*. Quæ certe ſunt a ſimpliciori *lank* latus, præpoſito digamma Æolico.

FLASCHE, *flæſche*, lagena. Olim etiam uter, follis, amphora, & quodlibet vas contendis liquidis accommodum. Vox omnibus populis Celticis, & Slavonicis quoque uſitata, quamvis varie enunciata. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *fflacced* lagena, uter. Gloſſ. Pez. aſcopam (hoc eſt, utrem) *vlaſcun*. SOMNERUS: *flaxa* lagena. Sed in Evang. Angloſaxon. Matth. XIV. 13. *weter-flaxan* ſunt amphoræ. VERELIUS in Ind. *flaska* lagena. Belgæ dicunt *fleſche*, Angli *flagon*, Galli *flacon*, olim *flaſcon*, Hiſpani *flaſco*, Itali *fiaſco*, *fiaſcone*, mutato L. in I. ut ſæpe alias, Poloni *flasha*, Bohemi *flaſſe*, Hungari *palaſzk*. Latino-Barbari habent *flaſcas*, *flaſculas*, & *flaſcones*, vario ſenſu apud CANGIUM in Gloſſario. HESYCHIO Φλάσκων exponitur ὅδος ποτηρὶς, ſpecies poculi. Cuncta videntur corrupta ex *Pilaſca*, quæ vox MARTINIO judice derivatur a *pilis* & Gr. ἀσκὸς uter, ſic ut *pilaſca* ſit uter ex corio piloſo factus. Vocem ſiſtit ISIDORUS in Gloſſario: *Pilaſca*, *vas vinarium ex corio*. Ejusmodi vas Gothis in Evangelio vocatur *balg* Matth. IX. 17. Luthero *ſchlauch*, h. e. follis, uter. Hic primus vocis ſenſus, unde reliqui per translationem orti.

FLAT, decor, mundities, *unflat* ſordes. Vide prius in poſteriori.

FLATTEREN, ſtrepere. ALBERUS Friſchio in Voc. Bibl. citatus: *ich fladder* ſtrepo, *ich fladdere hindurch* perſtrepo. LUTHERUS Stadenio in Voc. Bibl. citatus: *über den text hinfladderen* perſtrepere textum obiter. Græcis φλάζω eſt ſtrepo. Germanos inde formaſſe *fladderen* per modum frequentativi, veriſimile puto. Poſtea idem verbum ſenſum metaphoricum accepit a nugacibus, quia ſtrepentibus ſimiles ſunt, & ſimiliores quam loquentibus. Inde Græcis Φλυδῶν ſtulta & inepta loqui, Cambris *ffladdr* loquax, ſtultus, bardus, inſulſus, Saxonibus *flatteren* idem quod *unnützerweiſe reden*, garrire, nugari, teſte LEIBNITIO in Gloſſ. Celt. pag. 119. Cuncta a ſtrepitu, quem nugaces illi, & nimium loquaces, garrulitate ſua excitare ſolent.

FLATTEREN, volitare. Proprie cum ſtrepitu & plauſu alarum volare. Dicitur præcipue de bruchis, papilionibus, veſpertilionibus, & univerſe de pullis avium, qui alis plaudere magis quam volare videntur. Hinc bruchi volitantes LUTHERO vocantur *fladernde kefer* Jer. LI. 27. & in Algovia *fletterſch* eſt papilio. Poſtea idem verbum uſurpari cœpit de rebus non alatis, & primo quidem de tenuioribus, quæ ob inſignem levitatem tremule aut ſtridule moventur in aëre, ut flammæ, vela, & ſimilia: denique etiam de vagis, quod volitantibus ſimiles ſint. Inde compoſita, *herumflatteren* circumvagari, tam corpore quam animo, *zerflatteren* volitando diſſolvi, quod dicitur de animula vagula Sap. II. 3.

FLATTEREN, fluctuare, inconſtanter moveri. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *flotan*, *floteran*, fluctuare. Haud dubie a *flut* fluctus, & non a ſtrepero motu ut antecedens. Inde compoſita, *fladder-geiſt* animus inconſtans, variis & contrariis conſiliis aut opinionibus hinc inde agitatus, ut navis inter fluctus, *fladdern-holz* lignum undulatum, interprete STADENIO, non quod fluctuet, ſed quod fluctus venis referat. Utroque utitur LUTHERUS, illo Pſal. CXIX. 113. hoc Ezech. XXVII. 5.

FLATTERIG, cui mens vaga in corpore vago, ducta ſimilitudine ſive a fluctibus, ſive a vago papilionum volatu.

FLECHSEN, tendines. Non occurrit, neque in Gloſſis ÆLFRICI, neque in Gloſſis R. MAURI de partibus humani corporis. STILERUS rationem appellationis petit a *flachs* linum. *Habent enim*, inquit, *inſtrumenta iſta motus, ex nervis & ligamentis conflata, ſimilitudinem lini macerati*. Quibus addi poteſt lentor & tenacitas lini, quæ in nervis quoque conſpicitur. Sed præſtat vo-

cem Latinis relinquere, ut *flechſen* proprie ſint organa *filacea*. Confer *flachs-ader*.

FLECHTEN, torquere in latus, ſive id fiat texendi, pectendi, aut colligandi gratia. Gloſſ. Pez. intexuit *flaht*, plectam *kifleht*. Hodie dicitur præcipue de calathis, capillis, ſtragulis, ſertis. Conveniunt Græca, πλέκω texo, πλεκτὸς textus, implicatus, πλόκαι cirri, & Latina *flectere*, *plectere*.

FLECHTEN, aſperitas cutis cum impetigine. Morbus faciei, alias Lat. *lechen*, a Gr. λειχὴν pruritus, unde Germani videntur primo feciſſe *flechen*, & mox *flechten*. De ſuperfluitate Literæ F. ab initio vocis vide *Proleg.* Sect. IV. in *proſtheſi*. PLINIUS *mentagram* vocat, ſuitque morbus novus, & ante Tiberii principatum Romanis incognitus, totos primum vultus, mox colla pectusque, & manus occupans, oculis tantum immunibus.

FLECK, macula, nævus. Francis *flech*. Quod SCHILTERUS recte colligit ex his NOTKERI verbis, *ungeflechotomo uuege* via immaculata, Pſal. C. 2. Hodie dicimus *unbefleckt*. Islandis quoque *fleik* eſt macula, & hinc *fleiklaus* ſine macula, immaculatus, apud VEREL. in Ind. Cuncta mutatis labialibus ab antiquiori & magis genuino *black*, quod adjective nigrum, ſubſtantive maculam ſignificat.

FLECK, fruſtum, ſegmentum, *ſchuh-fleck* ſegmentum corii, *kuttel-fleck* ſegmentum extorum. Refer ad *flicken* ſcindere, ſecare. Dicitur etiam de veſtibus, quæ ex ſegmentis panni fiunt. Inde *bruſt-fleck* pectorale, *ſchurz-fleck* ſuccinctorium. Vocem Francicam & Gothicam vide in *blez*.

FLECK, vicus. Proprie locus ſylvæ exciſus, ex eodem fonte. De origine vicorum ex ſylvis vide plura in *Mark-fleck*. Utitur ſimplici Luth. Matth. XXI. 2. STADENIUS *fleck* interpretatur *ſegmentum oppidi*, minus commode, quia oppida non ſecantur in partes.

FLECK, aſſumentum, commiſſura. Belgis *flick*. Refer ad *flicken* ſarcire. Vulgo confundi ſolet cum ſegmento *fleck*, ſed male. Nam diverſos habent fontes, & rei ipſius teſtimonio non omnia ſegmenta ſunt aſſumenta.

FLEDER, videtur aliquando ſe ſolo alam denotaſſe & derivari a *flattern* volitare, niſi me fallant compoſita, *fleder-maus* mus alatus, *fleder-wiſch* verriculum ex ala anſerina.

FLEDER-MAUS, veſpertilio. Gloſſ. Pez. veſpertilio *fledarmus*. Quaſi mus alatus. Animal ex ſimilitudine duorum animalium, muris & volucris, in unum translata, a natura compoſitum. Alis enim, quamvis præter morem membranaceis, volucrem, cætera murem refert. Nam etiam dentatus eſt, ut mus. Et volucrum nulli dentes præter illam, & ſola volucrum animal parit, & lacte nutrit. Hinc ſcil. illi nomen a mure, qui variantibus Dialectis dicitur *mus*, *maus*, & *fleder* ala.

FLEGEL, & compoſite *dreſch-flegel*, tribula, lignum teres quo fruges excutiuntur. Gloſſ. Pez. tribula *flegila* vel *driſcilun*. Quidam derivant a Latino *flagellum*, ſono quidem propitio, ſed non ſignificatu. Nam *flagellum* eſt diminutivum a *flagrum*, flagrum autem eſt ſcutica, qua ſervi cædebantur, & MARTINIO ſic dicitur, quod pars eo percuſſa flagret, i. e. ardeat, unde Horatius: *urere flagris*. JUNIUS nomen ducit a *fluagen* percutere, quod tribuit OTFRIDO Lib. IV. Cap. XIX. 148. in Append. Gloſſ. Goth. pag. 424. Verum apud Otfridum legitur *ſluagi*. STILERO *flegel* idem eſt quod *fliugel* ala, quia inſtar alæ in tritura volat. Sed non opus eſt allegoria, cum nulla magis radix huic inſtrumento denominando aptior ſit, quam *plagen* percutere, unde recte fit *flegel* tribula, litera P. ut ſæpe alias in F. mutata. Hinc idem inſtrumentum appellari etiam ſolet *ſchlegel* tudes, a *ſchlagen* tundere, percutere. Similiter Armoricis tribula dicitur *flau*, a *plau* percutere, quod cuſtodiunt Cambri. Galli inde habent *fleau*, flagellum frumentarium.

FLEGEL, dicterium in hominem agreſtem & male moratum, qui cum ruſticitate ſua aliis moleſtiam creet, recte vocatur tribula & flagellum ſocietatis. Confer *bengel* & *knoll*.

FLEHEN, adulari. Ita omnes antiqui. Gloſſ. Boxh. *fleari* adulator, *fleham* blanditiæ. Gloſſ. Pez. adulatores *flehara*, adulatione *flehunga*. Gloſſ. Keron. adulentur *ſint keflehit*. Cum Francis & Alamannis loquuntur adhuc Belgæ, quibus *vleijen* eſt adulari, *vleijer* adulator, *vleiſter* adulatrix, *vleijery* adulatio. Credo, cuncta eſſe vitioſa, & per ſyncopen facta ab aliquo antiquiori *vlieden*, *vleyden*, quod prioribus Belgis tribuitur, vel Gallico *flater*, quod judice MENAGIO eſt a Lat. *flatare* crebro flare, turgidum reddere. Neſcio an ſatis apte, etiamſi experientia teſtetur, homines adulatione reddi deteriores. Nam primi nomenclatores videntur Latinos imitati: ut, quemadmodum Latinis *adulari* eſt a δῦλος ſervus, ita illis *fliden* a *litus* ſervus, præpoſito digamma Æolico, quod adulatio ſit vitium ſervili ingenio proprium.

FLEHEN, ſuppliciter invocare. Senſus verbi hodiernus, quem priſcis quoque uſitatum fuiſſe, *Gloſſarium Schilterianum* ex NOTKERO demonſtrat, cujus hæc ſunt Gloſſemata: *fleha* deprecatio, *flehonde umbe unſih* interpellans pro nobis. Proprie eſt *ſervilter invocare*, hoc eſt, ea humilitate & ſubmiſſione, quæ potius ſervum, quam liberum hominem deceat. STIERNHIELMIUS tamen & STADENIUS derivant a Lat *fleo*. Quod probare non poſſum.

FLEISCH, caro, tam viva quam mortua, tam hominum quam animalium. Vox difficilis & abſtruſa, quæ, cum jam multos ſpe

noſcen-

noſcendi fruſtratos dimiſerit, reliquos a ſcrutinio deterruit. Cauſa obſcuritatis eſt, quod plures mutationes obiiſſet, antequam formam hodiernam reciperet. Prima forma, ut mihi quidem videtur, fuit *lyf*. Belgis *lyf* etiamnum eſt ſubſtantia viva, a *leeven* vivere. Altera *lich*, auctoribus Francis, quorum teſtimonia produxi in *leich* corpus animatum. De mutatione F. in CH. vide *Proleg.* Sect. III. Tertia *leik*, Gothis propria eſt, & ſæpe occurrit in Codice Arg. e. g. Luc. III. 6. *all leike gaſaihwit naſein Goths*, omnis caro videbit ſalutare Dei. Marc. X. 8. *twa ain leik*, duo una caro. Quarta eſt ab Angloſaxonibus, qui primo dixerunt *lic*, quod convenit cum Gothico *leik*, poſtea *flæc* præfixo digamma Æolico, denique *fleſc* inſerto ſibilo. BENSON. in Voc. Angloſax. *lic* corpus, *lic-beorg* ſarcophagus, *flæc* caro, *flæc-ſirete* macellum, *flæc-tawere* lanius, *flæſc* caro, *flæſclic* carnalis. Hinc in omnibus locis, ubi Gothicus interpres habet *leik*, Angloſaxonicus reddit *flæſc*. *Ælc flæſc geſihth Godes hæle. Twegen an flæſc.* Hoc deinceps imitati ſunt Franci & Alamanni, unde nobis dicendi initium. Gloſſ. Pez. caro *fleiſch*. Gloſſ. Keron. carnis *fleiskes*, carnes *fleiſco*, carnium *fleisko*, carnibus *fleiskum*. Cuncta, uti patet, per varias mutationes a primigenio *lyf* caro viva, quod poſtea ad mortuam quoque translatum eſt. Alii alias origines venantur, ſed omnibus in derivando aqua hæret. Quidam deducunt ab Heb. *lehem* cibus, cadaver, cibus vermium, alii a Græco φλογὶς caro aſſa, quod eſt a φλέγω uro: alii a πλάσμα figmentum: alii a *flecken* diſſecare, quo ſenſu hodie utuntur Dani: alii a *fallen* cadere, quod caro i. res caduca: alii a *fell* pellis, ut *fleiſch* idem ſit quod *felliſch* pelliceum, vel cute tectum. Quæ vix operæ pretium eſt longius proſequi, cum pleraque hoc vitio laborent, ut vel ſenſum generent incommodum & ab humana carne alienum, vel a regulis rectæ derivationis recedant.

FLEISS, rixa, contentio. A Lat. *lis*, per prostheſin literæ F. Olim erat vocabulum forenſe. Nam litigare, ſive contendere judicio, Angloſaxonibus dicitur *flitan*. Matth. V. 40. *and tham the wylle on dome with the flitan*, & qui velit in judicio tecum contendere. Luc. XXII. 24. *and hi flitun betwux hym hwylc hyra wære yldeſt*, & diſceptabant inter ſe quis eorum major eſſet. Inde *flitere* rabula, *flit-full* litigioſus, *flit-georn* vitilitigator, *flit-wite* mulcta ob frivolas contentiones. Hoc ultimum ſiſtit SPELMANNUS in Gloſſario, reliqua SOMNERUS & BENSONIUS. Similia habent Franci & Alamanni. Gloſſ. Keron contentio (rixa) *flyz*, contendere (litigare) *flizzan*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXVIII. 27. *undar uns ni flizen*, ne diſceptemus inter nos. Ab hoc verbo Diabolus NOTKERO paſſim appellatur *uuiderfliez*, obſervante SCHILTERO in Gloſſario, h. e. litis conteſtator, adverſarius, objurgator. Cuncta hodie inveterata.

FLEISS, ſtudium, induſtria. Quemadmodum apud Latinos *contentio* e foro ad quemvis niſum intenſum, ſtudiumque ardens & anxiam curam transfertur: ita Germanis omne ſtudium agendi ſerium dicitur *fleiß*, ducta ſimilitudine a contentione forenſi. Inde Francis *flizan* ſtudere, *fliz* ſtudium, *flizech* diligens, *flizlichor* ſtudioſior, quæ vide apud JUNIUM in Obſerv. ad Will. pag. 43. Nos inde habemus, *fleiß* ſtudium, *fleißig* diligens & diligenter, & hinc porro *fleißigen*, *befleiſſigen* ſtudium adhibere, operam navare, *gefliſſig* gnavus, induſtrius, *gefliſſenheit* aſſiduitas, & alia plura, quæ vulgo male a *flieſſen* fluere derivantur, quaſi ſtudium a perennitate fluviorum nomen acceperit.

FLICK, plumatus. V. *flickern*.

FLICKEN, ſecare, ſcindere, findere. Verbum Danis cuſtoditum, nec alibi niſi in derivatis obvium. JUNIUS in Gloſſ. Goth. Append. pag. 425. Danis *flecke* eſt findere, *eg flecker adryggen* exdorſuo, *flecker en miss-dædere mid ſire heſte* diſcerpere ſontem quatuor equis. Inde, eodem judice, Angloſaxonibus *flicce* & Anglis *flitch* ſuccidia, tergum porci in duo diviſi. Quibus addere poterat e lingua Germanica, *fleck* fruſtum, ſegmentum, *block* truncus, *pflock* paxillus, clavus e ligno fiſſus, & alia, niſi noſtra deſpicatui habuiſſet, quod tanto viro indignum.

FLICKEN, ſarcire, reficere, interpolare. Belg. *flicken*, Suec. *flicka*. Non a Gr. πλέκειν, etiamſi ſono conveniat, nam ſarcire non eſt plicare aut plicando contexere, ſed lacera reparare; Quod cum fiat aſſuendo, intelligitur derivari a *fleck* fruſtum, ſegmentum. Quid enim eſt ſarcire, niſi fruſta conſuere? A *flicken* rurſus fit *fleck* aſſumentum, cognatum quidem cum ſegmento, ſed non idem.

FLICKERN, motitare alas, imperfecte volare, majore cum ſtrepitu, quam effectu, quod dicitur de pullis avium, qui plumeſcere incipiunt, nec tamen volare poſſunt. Angloſax. *fliccerian*, Angl. *to flickre*. Non a *fliegen* volare, ſed a *flatteren* volitare, mutato T. in K. quod fieri ſolet ſæpiſſime. Inde *flick* plumatus, *unflick* inplumis.

FLIEDER, flores ſambuci. Factum per epentheſin e Belgico *vlier*, quod eſt a Lat. *flores*. Belgis *vlier-boom* eſt ſambucus. Unde, niſi a copia florum?

FLIEGE, muſca, inſectum volatile. Gloſſ. Ælf. in nom. inſect. papilio *buttor-fleoge*. Gloſſ. Lipſ. cynomyia *hundefliga*. VEREL. in Ind. pag. 144. *flugan kroppadi a halſin* muſca collum perreptans. Refer ad *fliegen* volare.

FLIEGEN, volare, in ſublime ferri. Angloſax. *fleogan*, Franc. *fliegen*, Belg. *vliegen*, Angl. *flye*, Suec. *flyga*. NOTKERUS Pſal. XVII. n. *unde fluog ſone erdo ze himile*, & volavit de terra ad cœlum, *unde uberfluog die uettacha dero uuindo*, & tranſcendit vo-

latu pennas ventorum. Idem Pſal. LIV. 7. *vner gibet mir tubun federa, thaz ih fliege vnde rauuee*, quis dabit mihi pennas columbarum, ut volem & requieſcam? HELVIGIUS Cap. 21. qui Linguam noſtram Græcæ tributariam facit ubique, *fliegen* deducit a πλυγῶν, quia volare eſt aerem percutere. Alii exiſtimant, quod *fliehen* & *fliegen*, fugere & volare, ſint affinia. Ita MARTINIUS in v. *ala*. Ab illo habemus, *fliege* muſca, infectum volatile, *flügel* ala & ales, *geflügel* volatilia, imo etiam *vogel* avis.

FLIEGEN-SCHNEPPER. V. *ſchnappen* captare.

FLIEHEN, fugere, ſubducere ſe. Angloſax. *fleon*, Franc. & Alam. *fliehen*, *fleohan* &c. Belg. *vlieden*, Angl. & Suec. *fly*. Gloſſ. Keron. fugere *fleohan*, fugientes *fliohente*. TATIANUS Cap. CLXXXV. 12. *floh naccot ſon in*, profugit nudus ab eis. HELVIGIUS duxit a πλυγῶν progredi, & hac etymologia fugæ detraxit alas. Aliis *fliehen* & *fliegen* ſunt germina ejusdem ſementis, a φώγειν vel *fugere* oriunda, quia L. ſæpe eſt inſititium. Præcipuum derivatum eſt *flucht* fuga, unde rurſus fit *flüchten*, *flichten* fugam capeſſere.

FLIESEN, tegere, *flies* tegula. Hoc ex conjectura. Vide *vlies* vellus, & confer *flins* laterculus.

FLIESSEN, fluere. Angloſax. *flowan*, *fleowan*, Franc. & Alam. *fleozan*, *fliezen*, Belg. *vlaeijen*, *vlieten*, Angl. *flow*, Suec. *flyta*. NOTKERUS Pſal. LXXVII. 20. *er fluog an den ſtein unde ſar dannan uz fluzzen uuazzer genuhtigiu*, percuſſit petram, & mox inde profluxerunt aquæ abundantes. An a Lat *fluere*, *fluitare?* Ita judicat SKINNERUS. Sed verſimile non eſt, Germanis hoc verbum ante bella cum Romanis geſta ignotum fuiſſe, cum FLEI, & FLEVI, & FLETIONIS appellationes ſint antiquiſſimæ, & ex præcedentibus ortæ, quod etiam vidit HUETIUS Cap. 21. Orig. Cadom. Si peregrina origine opus ſit, habent Græci βλυεῖν, βλύζειν, Φλύζειν ſcaturire, manare, profundere, quod pro etymo adducit HELVIGIUS.

FLIESSEN, natare, labi in aqua vel ſupra aquam. Angloſax. *fleotan*, Belg. *vlotten*, Island. *fliota*, Gall. *floter*. VEREL. in Ind. *fliota* ſupernatare, *fliotendi* ligna natantia quæ ſuſtinent rete. Senſus ab aqua ad res in aqua natantes translatus, quoniam & ipſæ cum aqua fluere videntur. Inde *floß* ratis, *floſſen*, *floß-federn* pennæ remiges, *flotte* claſſis, exercitus navalis, *flot-milch* flos lactis, a pinguedine in ſummitate natante ſic dictus. Et huc etiam ſpectat *flot holm* inſula natans, e Lexico Juris Sueo-Goth. LOCCENII.

FLIESSEN, inundare. Suec. *flöda*, Island. *floa*. VEREL. in Ind. *floa* inundare. Inde *flut* inundatio.

FLINS, laterculus, *flur-flinſen* lateres pavimenti. A Gr. πλώθος later. Dicitur etiam *flies*, ſive per ſyncopen, ſive a *fliefen* tegere.

FLINS, ſilex. Gloſſ. Pez. ſilices *flinsſteina*, de ignitis lapidibus *vlinſin*. Non a πλωθος later, ut antecedens, quid enim lateri & ſilici commune? Sed potius a πλήτ'ίω, πλήσσω percutio, allido, illido, per epenthesin. Nam ſilex eſt petra focaria, quæ ignis eliciendi gratia alliditur ad chalybem. Hodie dicimus *flint* cum Saxonicis Dialectis.

FLINT, eadem notione. Angloſaxonibus, Anglis, & Suecis *flint*, ex eodem cum præcedenti fonte. Dicitur etiam de *ſclopeto*, ſed per ſynecdochen partis pro toto.

FLINTER, idem quod *flitter*, & ex illo factum per epenthesin.

FLISTERN, clam loqui. Videtur a murmure ſuſurrantium factum.

FLITSCH, ſagitta. V. *flitz*.

FLITTER, coruſcus. Simile eſt *llathr*, quod in Lexico Antiquo-Britannico BOXHORNII exponitur *politus*, *coruſcus*, *fulgidus*. Utrumque referri poteſt ad verbum Angloſax. *witan* videre, quia coruſca ſunt maxime conſpicua. Islandis *fliod* eſt mulier ſplendide ornata, apud VEREL. in Ind. Quod reliquis videtur cognatum. Niſi forte ſit a Gr. φαλὸς ſplendidus, & hoc a φάω luceo. Quo pacto ordo derivationis erit invertendus.

FLITTER, ſplendor, *flitter-woche* ſeptimana initialis, a ſplendido cultu novæ nuptæ ſic dicta. Verbale a *flittern* coruſcare.

FLITTER, bracteola aurea. Ex eodem fonte. Utitur Luth. Eſa. III. 20. Inde *flitter-haube* mitra bracteolis aureis ornata, *flitter-gold* aurum bracteatum.

FLITTERN, coruſcare, micare. Verbum ab adjectivo factum, quod poſtea ſubſtantiva peperit.

FLITZ, *flitſch*, ſagitta. Angloſaxonibus *fla*, Belg. *vlits*, Gall. *fleſche*. Quidam derivant a ſtridore ſagittæ, per onomatopœiam. Alii a φλέγω ardeo, quod ſagittæ interdum volatu ignem concipiant. Alii a φλάω contundo, & hæc JUNII etymologia eſt, in Obſ. ad Will. pag. 240. Aptiſſime HELVIGIUS a πλῆξω, quod eminus feriat. Gallica vox e Germanico fonte eſt, nec aliunde Italica *frezza*, *freccia*, etiamſi literas mutando originem occultet. Præcipuum compoſitum eſt *flitz bogen*, *flitſch-bogen* arcus ſagittarius.

FLOCK, pars avulſa, velleris, lanæ, nivis &c. Lat. *floccus*, Angloſax. *flacea*, Francis *flocho*, Angl. *flake*, Island. *floka*, Ital. *fiocco*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *flacea* floccini, flocci nivis. Gloſſ. Pez. lanugo *flocho*. VEREL. in Ind. *floka olpa* floccus lanæ. Refer ad *plücken*, *pflücken* carpere, vellere.

FLOH, pulex. Gloſſ. Ælf. in nom. inſect. pulex *flev*. Gloſſ. Pez. pulex *floh*. VEREL. in Ind. *flo* pulex. Contrahi ſolet e Lat. *pulex*, vel e Gr. ψύλλα, ſibilo explosо. Alii malunt derivare a *fliehen* fugere, quia continuo fugit, & deprehendi metuit. Ita STIERUS & SKINNERUS.

FLOR,

FLOR, ſtatus floridus. A flore vel florendo. MARTINIUS in voce *flos:* Florum nomen in felicitatis ſignificatione ponitur. Quos imprimis felices dicere volebant, de eis vivis dicebant, ex eorum veſtigiis flores naſci, de mortuis, ex eorum ſepulchris ſuaveolentes flores erumpere. Hoc ex eo, quia veteres favoris & honoris cauſa ſolebant *φυλοζιλεῖν*, id eſt, flores aſpergere.

FLOR, nebula ſerica vel linea tenuiſſimi operis, *flor-kappe* velamen reticulatum. Forte a floribus intextis. Niſi per contemptum ita dicatur a *φλαύρος* vilis, futilis, levis.

FLOR, velamen funebre. A Gr. *φλωρὸν* fuſcum, nigrum.

FLOR, area, ſpatium latum & planum. Forte a Gr. *λαῦρος, λευρὸς*, latus & planus, per proſtheſin literæ F. Cambri dicunt *llawr*, quod origini propinquius. Dicitur per ſynecdochen generis de *pavimento* & *ſolo*.

FLOR, *flur*, pavimentum. SOMNER. in Dict. Angloſax. *flor*, *flore* pavimentum, contabulatio, *flor on huſe* excuſſorium, *upflore* cœnaculum, *bereflor* area, ubi frumentum teritur. VEREL. in Ind. *flor* pavimentum, *febirflur* gazophylacia.

FLOR, *flur*, ſolum, fundus, ager. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *llawr* ſolum, fundus, area. SOMNERUS loc. cit. *flere*, *flering* ſolum. STILER. in Theſ. L. Germ. *flur* arva, agri dimenſi, diſtrictus, univerſitas, & confinia agrorum, *bauren-flur*, *dorf-flur* agri ruſticorum, *edelleute flur* arva nobilium, *ſtadtflur* termini & fines jurisdictionis urbicæ. Quibus addi poteſt e Theſauro Beſoldiano *flor-zaun* terminus, territorium.

FLOREN, olim erat nummus aureus & Florentinus, ab inſigni Florentinorum, flore inquam Lilii, ſic dictus. Hodie eſt moneta argentea. Vide Differt. Cel. D. MASCOVII *de jure circa rem monetariam in Saxonia*.

FLOSS, ratis, navigium temere factum ex trabibus inter ſe connexis, *flötz-recht* jus utendi fluminis ad traducenda ligna. Non a *flieſſen* fluere, ſed a *flieſſen* natare.

FLOSSEN, *floß-federn*, pennæ remiges. Gloſſ. Pez. pennulas *flozun*. Ex eodem fonte.

FLOSSEN, fundere, *einflæſſen* infundere, inſtillare. Verbum faceſſens a *flieſſen* fluere. Nam fundere eſt facere ut fluat. Cum ſimplici convenit Græc. *βλύζω* fundo.

FLOSSEN, *flætzen*, abluere. WILLERAMUS Cap. V. 3. *ih hab daz fluppe dero irdiskon gedanke abo mir mit uuirdegero ruiuuon zaheren geflozzet*, pulverem terrenæ cogitationis dignis pœnitentiæ lacrymis a me abſterſi. Utitur Luth. Hiob. XIV. 19. Proprie eſt aqua profluente abluere, a *fluß* aqua fluens.

FLOTE, *flöte*, tibia, quæ inflatur. Latino-Barbaris *flauta* apud CANGIUM, Gall. *flute*, *fleute*, Ital. *flauto*, Hiſp. *flauta*. Latinis *flator* eſt tibicen apud FESTUM, & *flatare* tibia canere apud ARNOBIUM. Alamannis *platen* inflare, quod vide in *blaſen*.

FLOT, præſtantiſſimum in liquido. Lat. *flos*, Angloſax. *flete*. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *flete* cremor, *flot-ſmere* ollæ pinguedo ſupernatans. Nobis *flot-milch* flos lactis. Vel a Lat. *flos*, vel a *flieſſen* natare, ſupernatare.

FLOT, *flotte*, claſſis, expeditio nautica. Græc. *πλόος, πλῶς*, Angloſax. *flota*, Belg. *vloot*, Angl. *fleet*, Gall. *flote*, *flotte*, Ital. *flota*. Non a *fluctus* vel *fluctuare*, ſed a *flieſſen* natare, quia labitur in undis.

FLOTTERN, fluctuari, fluctibus agitari. Angloſaxonibus *flotan*, *floteran* apud BENSON. A *flut* unda, fluctus.

FLOZ, ratis. Vita S. Willibaldi apud CANGIUM in voce: *Se conduxerunt in quodam ligno, quod dicitur floze*. Idem quod *floß*.

FLOZEN, idem quod *flöſſen* abluere.

FLUCH, diræ, *fluchen* imprecari, diris devovere. Gloſſ. Pez. imprecatio *fluoh*. Gloſſ. Keron. maledicentes *fluahhonte*, remaledicere *uuidarfluahhan*. Helleniſtæ derivare ſolent a *βδελύτιον* abominari, ſenſu congruo, ſed partu violento. Forte *fluch* ab initio fuit *baluch* a *bal* malum, quod vide. Quid enim eſt maledicere, niſi malum imprecari? ſic a *bal* malum, Islandis fit *bolvan* maledicere.

FLUCHT, fuga. Angloſax. *flyht*, Franc. *fluht*, Belg. *vlucht*, *vlugt*, Anglis *flight*, Suec. *flycht*. NOTKERUS Pſal. LXXXVIII. 24. *in fluht pechero ih, die in hazzent*, in fugam convertam odientes eum. Refer ad *fliehen* fugere, ſubducere ſe. Præcipua compoſita ſunt, *dink-fluht* fuga judicii, & dicitur de accuſato, qui foro legitimo ſe ſubtrahit, in Jure prov. Alam. Cap. 205. *fluhtſal* traditio ſubductitia, & dicitur de obærato, qui res ſuas in fraudem creditoris alteri offert, in eodem Jure Cap. 309. Reliqua extra forum uſitata, ut ſunt *ausflucht* effugium, *zuflucht* refugium &c. nullam habent difficultatem.

FLUCHTEN, fugam capeſſere. Verbum a ſubſt. factum auctoribus Francis. TATIANUS Cap. XLIV. 15. *mit thiu ſie zuuer abtent in thero burgi, fluhtet in andera*, cum perſequentur vos in civitate iſta, fugite in aliam.

FLUG, volatus, volandi actus. VEREL. in Ind. *flugdreki* draco (volans), *flugumenn* magi per aera volantes, *flugabiorg* montes tam alti ut nemo niſi volando illorum apicem pertingere queat. Refer ad *fliegen* volare.

FLUGEL, *flügel*, ales. Ex eodem fonte. Gl. *Farmenni* citante MARESCHALLO in Obſ. pag. 564. *mine fiedel-fluglas* altilia mea. Hodie ſuperat in collectivo *geflügel*.

FLUGEL, *flügel*, ala, volandi inſtrumentum. Nuperum, ſed legitimum, a *fliegen* volare. Saxonicam vocem vide in *feder*. Francicam in *fittich*. Metaphorice dicitur de valvis portarum, lateribus ædificiorum, & acie ad ſimilitudinem alæ ordinata.

FLUGS, ocyus. Proprie incitate, ſive a *fliegen* volare, ut antecedentia, ſive ab obſoleto

to *fleyga* incitare, quod habet VEREL. in Ind. Vel certe a Lat. *velox*.

FLUR. V. *flor.*

FLUSEN, *fluſen*, vellere. V. *vlies* vellus.

FLUSS, quatenus derivatur a *flieſſen* fluere, ſignificat quantum poteſt (1.) actum fluendi. Gloſſa Juniana in Obſ. ad Will. pag. 139. *fluſc* fluxus. (2.) humorem fluentem, ſanguinem aut pituitam. Gloſſa Juniana ibidem: *framfluske* profluvio. (3.) aquam fluentem, ſive fluvium. Unde hunc ſignificatum ſtabiliam, apud Veteres non inveni. In Verſione Pſalmorum Notkeriana flumen ubique vertitur *aha*, *chlingo*, *uuazzer*, nunquam vero *fluz* nec *fluſc*. Hinc ſuſpicor *fluſs* pro fluvio novum eſſe.

FLUSS, quatenus derivatur a *flöſſen* fundere, ſignificat liquamen vel liquationem, & dicitur de fuſilibus tantum, cera, plumbo, metallo &c.

FLUT, quatenus derivatur a *flieſſen* fluere, ſignificat quantum poteſt, (1.) fluxum ſeu fluendi actum. Inde *ebb und flut* receſſus & reſſuxus maris. (2.) undam ſeu fluctum. Utitur Luth. Exod. XV. 8. (3.) fluvium. Occurrit eo ſenſu *flod* in Verſione Angloſaxonica Marc. I. 5. ubi flumen Jordanis vocatur *Jordanes flode*. Sueci fluvium etiamnum ita vocant.

FLUT, quatenus derivatur a *flieſſen* inundare, ſignificat inundationem. Inde Gothis *ahwaflodus* inundationes aquarum. Luc. VI. 49. & nobis *ſündflut* diluvium, *waſſerflut* exundatio fluminum.

FOCK, *focke*, genus veli apud Suecos & Belgas. Hoc illis inveſtigandum relinquo. Galli videntur inde habere *voguer* plenis velis navigare.

FODEN, *fœden*, naſci, oriri. Verbum Germanis deſitum, ſed antiquiſſimum, cujus veſtigia paſſim occurrunt, præcipue apud Septemtrionales. Nam hinc nomina capiunt apud illos initium & locus naſcendi, & qui ex eo loco eſt. Sic Danis *fodſel* eſt nativitas, *fode-by*, *foſte-ſted* ſolum natale, apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. 164. & Islandis *fœdingi* oriundus. VERELIUS in Ind. *huar er tu fœdingi* unde oriundus es? Quibus videntur conſentire Græc. φύω, naſci, & Latinum *fio*.

FODEN, *fœden*, parere, gignere, procreare. Danis & Suecis *foda*, *fœda*. Verbum faceſſens ex præcedenti. Quid enim eſt parere vel gignere, niſi facere ut naſcatur vel oriatur? Græci eodem ſenſu dicunt φύω, & φύσιω, & inde φύσις natura. Ab eodem verbo nomina accipiunt in Dialectis & procreationes ipſæ, & quicquid procreationi inſervit. Inde *fud* matrix, in Lexico Runico. Græcis βύτλος. Gallis *vit* pars virilis. Latinis *fœtus* & *fœtura*, noto ſignificatu. Francis *faſel* ſemen, apud SCHILTERUM in Gloſſ. Germanis *faſel* fœtura, *fiſel* penis, *forz* vulva, *fæſer* propago. Imo etiam *patris* nomen ex eodem fonte in omnes linguas manaſſe, contendit STIERNHIELMIUS in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 47.

FODEN, *fœden* paſcere, nutrire. Cum nutritio ſit continua animantis productio, hinc ſenſus a prima productione ad ſecundam, quæ nutrimento definitur, videtur traductus. Gothis effertur *fodan*, Angloſax. *fedan*, Belg. *voeden*, Angl. *feed*, Suec. *föda*. Hinc alimentum, nutrimentum Angloſax. dicitur *foda*, Suecis *föda*, Cambris *fwyd* in compoſito *borefwyd* jentaculum, hoc eſt, cibus matutinus, a *bore* mane. Græcis quoque βοτὸν videtur ſignificaſſe *paſcere*, *nutrire*, ut patet ex derivatis βώτωρ paſtor, & βωτιάνειρος viros paſcens. Franci delectantur frequentativo *füteren*, & Germani ſuperiores cum illis. Inferiores autem utuntur etiamnum ſimplici & antiquo *fœden*. Unde porro in quibusdam Dialectis fit *vod* nutritor, *fudſel* alimonia: in omnibus vero *fett* pinguis.

FODERN, poſcere, *mit recht fodern*, jure poſtulare, *ausfodern* provocare. Eſt ipſum Latinum *petere*, quatenus ſignificat *exigere*, a Francis urbe donatum, quamvis apud illos haud obvium, niſi in depravato *fordern*, de quo infra. Differunt autem ex genio Linguæ *fordern* & *fodern*. Illud eſt promovere, hoc poſcere. Vulgo tamen confunduntur. Quæ confuſio, etiamſi haud nupera ſit, & ad Francorum tempora pertingat, vitioſa tamen eſt, & imitatores habere non debet. Imitemur potius LUTHERUM, quem in omnibus Sacræ Verſionis locis, ubi hodie *fordern* petendi ſignificatu occurrit, olim poſuiſſe *foddern*, ex Editione primitiva obſervat STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 210.

FOLGEN, ſequi, ire poſt aliquem. Angloſax. *folgian*, *fylgian*, *fyligan*, Franc. & Alam. *folgen*, Belg. *volgen*, Angl. *follow*, Island. *fylgia*, Suec. *følia*. Gloſſ. Keron. ſequi *folgen*, ſequitur *iſt kefolgeet*. Ductum videtur ab ἕλκω tractus, veſtigium impreſſum, præpoſito Digamma Æolico. Nam ſequi eſt veſtigia legere præeuntis. Metaphorice dicitur de ſuccedentibus, ſectantibus, & morigeris, quia ſimiles ſunt eorum, qui poſt alios eunt. Inde Latino-Barbaris *fulgare*, *fulgare*, eſt ſervire, & in clientelam alicujus ſe tradere, & *folgarii* clientes, famuli, ſectatores, apud SPELMANNUM & CANGIUM.

FOLTER, machina quæſtionis cauſa inventa. Romani machinam ſuam vocabant *equuleum*, quaſi parvum equum, quod quadrupes eſſet inſtar pulli, & dorſum haberet reo ferendo. Eandem machinam Latino-Barbari vocant *puledrum*, a pullo equino vel aſinino, Itali *pulledro*, Hiſpani *pulliedro*, Galli *poultre*. Quos videntur imitari Germani in *folter*. Tradit hanc etymologiam clariſſ. ECCARDUS in L. Sal. & ſimul figuram veteris equulei ex ANTONIO GALLONIO oculis ſubjicit.

FOPPEN, illudere, vel illudendo vexare. Vox in confinio Alpium e ſermone Italico

nata. Italis *beffa* eſt irriſio, *beffave* illudere, deridere, ſubſannare. Inde *foppen*, ſive transpoſite, ſive quia literæ ejusdem inſtrumenti facile permutantur. Cognationem Ital. vocis vide in *puffen* flare.

FORCHT. V. *furcht.*

FORDER, prior, anterior, *forderſt* ordine primus, *zuforderſt* ante omnia. Gloſſ. Pez. prior *fordroro*, primus *fordaroſto*, in principio *zi vordoroſt*. Gloſſ. Keron. anteriores *fordoron*. OTFRIDUS eodem vocabulo deſignat parentes, in hiſtoria de cœco nato Lib. III. Cap. XX. 20. & alibi majores B. Virginis Lib. I. Cap. V. 15. Angloſaxonibus *forthor* eſt ulterior. Græcis πρότερος prior. Cuncta a poſitivo *fort* porro, ultra.

FORDERN, & compoſite *beförderu*, promovere, provehere. Angloſaxon. *firthrian*, Franc. & Alam. *fordaron*, Belg. *vorderen*, *bevorderen*, Angl. *further*. Gloſſ. Pez. anteriorare *fordaron*, promovit *giuordarota*. NOTKERUS Pſal. XXX. 7. *die ribtuom forderont unde era*, *die forderont uppigheit*, qui promovent divitias & honores, promovent vanitatem. Cuncta a *fürder* ulterius. Quid enim eſt promovere, niſi ulterius & plus ultra movere?

FORDERN, poſcere. Verbum a Francis formatum ex Latino *petere* (exigere) per epenthes. literæ R. WILLERAMUS Cap. V. 6. *ih vorderota in ana daz er ſih mir in divro uuerlte oigte ſicuti eſt*, rogavi illum ut ſe mihi oſtenderet in hoc ſæculo qualis eſt. Referri poſſet ad voces Willerami ævo corruptas, niſi *fordrones* occurrerent in Lege Ripuaria Tit. XXXIII. 4. qui ECCARDO ſunt *repetitores*, *poſtulatores*, quamvis SPELMANNUS aliam interpretationem afferat. Quicquid ſit, rectius dicitur & ſcribitur *fodern*, ob rationes ſupra allegatas in verbo. Certe Franci non ſemper ſunt meliores in arte dicendi magiſtri, & in aliis quoque vocibus literam caninam infarciunt, ubi minime neceſſaria erat. Placet tamen vox Willeramica etiam Belgis & Suecis, quibus poſcere *vorderen* & *fordra*.

FORE, & diminutive *forl*, trutta, piſcis inter fluviatiles Germaniæ nobiliſſimus. Gloſſ. Ælf. in nominibus piſcium: turnus *forn*. Vocem Latinam depravatam eſſe, ut ſæpe alias in iisdem Gloſſis, ex integritate Germanicæ patet. Dicitur & *varius* & *variolus*, a varietate macularum, ſi ISIDORUM ſequamur, & hinc Germanice *foren*, ut MARTINIO viſum. Alii has voces ad typum Germanicæ dictionis efflictas arbitrantur, & etymon nominis in patrio ſermone quæruntur, ſive in *fyr* ignis, ob rutilantes igneo colore maculas, ut GESNERUS, ſive in particula prærogativæ *vor*, ob præſtantiam truttæ præ aliis piſcibus, ut STILERUS. Mihi etymon a *varis*, h. e. a maculis petitum, omnibus præferendum videtur.

FORE, *före* tæda. Gloſſ. Pez. picea *foraha*. Arboris piceæ tres præcipue ſpecies ſunt in Germania, *före* tæda, *tanne* abies, *fichte* pinus, quæ ſua capiunt nomina, partim ab igne, partim a pice. Ignis Celtice dicitur *tan*, inde *tanne* acies, Phrygice *fyr*, inde *före* tæda, quia facile ignem concipiunt. LUTHERO *förn-holtz* eſt lignum cedrinum, Exod. XXV. 5. 10. ſeq. Sed cedrum longe diverſam arborem eſſe a tæda, recte judicat STILERUS. Ad familiam τῆ *före* ſpectat etiam *kiefer*, ut dixi infra in voce.

FORLEGANI, ſive *farlegani*, in Lege Friſionum Tit. IX. ſunt ſcortatores & adulteri. SICAMA, vocis obſcuræ notionem inveſtigaturus, referibendum cenſuit *de horleganiis*, quia Belgis *hoer* ſcortum: audaciter nimis, & more Criticorum, qui, quoties vim & proprietatem alicujus vocis ignorant, virgulam cenſoriam in ipſam vocem ſtringunt, inſcitiæ temeritatem jungentes. Nam veteres Friſiones utebantur Lingua ut plurimum Angloſaxonica. In illa vero lingua ſcortator, adulter, dicitur *forlegere*, ſcortatio *forlegeru* Marc. VII. 21. adulterium *forlegnyſſe* Matth. V. 32. Similiter Francis & Alam. *furligan* eſt ſcortari, mœchari. TATIANUS Cap. XXVIII. 1. *ni furligi thih*, non mœchaberis. Cap. XXIX. 2. *giuuelih thie furlazit ſina quenun*, *uzan ſahha huores*, *tuot ſi furligan*, quicunque dimiſerit uxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari, h. e. concumbere cum alieno viro. Inde adjectiv. *furlegan* adulterus, apud eundem Cap. XLIV. 22. *in theſemo furleganen cunne*, in hac adultera generatione. Cuncta a ſimplici *ligen* cubare, verbo omnibus priſcis communi, & particula præpoſitiva *fur*, *for*, *fur*, quæ in compoſitis ſæpe pravitatem actionis cui præfigitur, & hoc loco omnino vitium in cubando ſignificat. Eadem vis particulæ Gothicæ *fra* & *far*. Sic Gothis *waurkjan* eſt operari, ſed *fra-waurkjan* peccare, *quithan* dicere, ſed *fra-quithan* maledicere, *fwaran* jurare, ſed *far-fwaran* pejerare. Sic & Angloſaxonibus *læran* eſt docere, ſed *forlæran* ſeducere, *rædan* conſulere, ſed *forrædan* male conſulere. Latino-Barbari eodem ſenſu dicunt *for*, *fore*, & *foris*, in vocibus hybridis. Hinc illis *forfacere* eſt delinquere, & *forfactum* crimen commiſſum, unde Gallis hodiernis *forfait*. Equidem *ligen* non ſemper eſt cubare, ſed interdum etiam ſe ſolo *fornicari* ſignificat, ut dixi infra in voce. Hinc fieri poteſt, ut quis totum compoſitum a *ligen* fornicari deducere malit. Nec repugno. Sed tunc particula *for* ſenſum intendet. Nimirum tanta vis eſt in particulis, ut illis niſi probe cognitis & perſpectis, de vero verborum ſenſu nullum judicium ferri poſſit. Vide ergo, quæ de vario uſu & munere præfixi VER notavi in *Proleg.* Sect. V.

FORM, modus exiſtendi & operandi. Lat. *forma*, Armor. *furm*, Hibern. *foirm*. PEZRONIO eſt vox Celtica: aliis Græca a μορφὴ per metathesin facta. Artifices ad *mo-*

dulos transtulerunt, quia moduli ſunt rerum artificialium formæ archetypæ.

FORSCHEN, ſcrutari, indagare. Gloſſ. Pez. percontari *vorſcon*, exquiſierat *forſcota*, perſcrutabatur *giuorſcot uurti*. Inde Francis *forſco* quæſtio, apud SCHILTERUM in Gloſſ. pag. 312. Non occurrit niſi apud Francos, quos multa Latina arripuiſſe & Linguæ ſuæ accommodaſſe certum eſt. Hinc forte non male cecidit conjectura MARTINIO, qui hoc verbum ducit a Lat. *vorſare*. Nam *ſcrutari* eſt *ſcruta verſare*, & ſcrutantes ſæpe idem quod verſantes faciunt.

FORST, nemus, ſaltus, indago. Camb. *ſforeſt*, Lat. Barb. *foreſtum*. GROTIUS in Ind. Goth. derivat ab *horſt*, mutato H. in F. SPELMANNUS a *foris reſto*, alii aliunde, quod referre tædet. Convenit inter omnes, quod foreſtum non ſit quælibet ſylva, ſed ea tantum, ubi feræ Principis aluntur. Ducam igitur a *furen* alere, paſcere, nutrire. Ita Latinis *nemus* a νέμω paſco. De medio derivandi ST. vide *Prolegom.* Sect. VI. Angloſaxones hunc ſaltum vocant *deor-fald* ſeptum ferarum, nos alias *thiergarten* eodem ſenſu. VIRGIL. Æn. I. *Iter in antiquam ſylvam, ſtabula alta ferarum.* Poſtea vox, ut fieri ſolet, a ſylva nutricationis ad omnes ſylvas, & quævis tam venationis quam piſcationis loca, extendi cœpit. Vox Italica *foreſtiere*, non eſt a *foris eſſe*, & multo minus a *foreſta* ſylva: ſed a Germ. *faren* proficiſci. Nam hinc primo fit *fart*, & inferto ſibilo *farſt*, *forſt*, iter, profectio, & ſic deinceps *foreſtiere* peregrinator, extraneus.

FORSTER, *förſter*, ſaltuarius, nemorum cuſtos. A *forſt* ſylva.

FORT, adverb. loci & motus de loco, ſignificans *inde*, *porro*, *ultra*, & hinc *fortgehen*, *fortfaren*, progredi, pergere, & alia innumera. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *forth* inde, exinde, *forth-gan* procedere, *forth-gang* proceſſus. Haud dubie a *faren*, quatenus ſignificat de loco in locum moveri. Particulam Francicam vide in *fram*. A *fort* oriuntur comparativi *fürder* ulterius, *forder* ulterior.

FORT, adverb. temporis ſignificans *uſque*. Inde *hinfort* deinceps, *immerfort* perpetuo. Angloſaxonibus *aforth* eſt indies, *forth-niht* nox provecta.

FORT, adverb. ordinis, ſignificans principium rei. Inde *fortpflanzen* producere, quaſi plantare ab initio. Similia ſunt apud Angloſaxones, *forth-beran* proferre, *forth-bæro* procreatio, *forth-fæderas* majores, progenitores.

FORT, adverb. ordinis ſignificans ultimum terminum rei. Sic vulgo dicimus, *das gelt iſt fort* pecunia conſumpta eſt. Huc ſpectant ex idiomate Angloſaxonico, *forth faran* mori, *forth-fare* obitus.

FORT, adverb. hortandi ad pergendum, *fort fort* agedum, alacriter, ſed & propellendi, ut *fort fort* apage.

FOTZ, pannus villoſus. V. *boi*.

FOTZ, vulva. V. *föden* gignere.

FOTZENHUT. V. *hut* cuſtos.

FRACHT, vectigal. Medio ævo varia erant teloniorum genera, *rotaticum* quod de quacunque rota exigebat Princeps, *pontaticum* quod de ponte tranſeundo, *ripaticum* quod de mercium & navium in littore appulſu, *foraticum* quod de pretio rerum venalium in foro & nundinis. Ex *foratico* videtur formatum *fracht*. Hic ſenſus noſtra ætate, quamvis tributorum feraci, obſoleſcit.

FRACHT, onus, tam navis quam vehiculi. Belg. *vracht*, Angl. *fraight*, Gall. *fret*. CASAUBONUS Anglicam vocem deducit a Φόρτος onus, vel a Φορτάζω onero: MENAGIUS Gallicam a *fretare*. Sed cum voces nauticæ plerumque ſint Germanicæ originis, mallem omnium natales petere a *fretten* onerare. Nam hinc recte fit *fret* onus, & per epenth. *fracht*.

FRACHT, portorium, quod aurigæ vel nauclero debetur. Belgis, Anglis, & Gallis ut ſupra. An contractum ex *far-recht* jus vecturæ? Dubito. Potius ſenſus ab onere ad precium vecturæ translatus eſt.

FRÆVEL, procax, Dial. Saxonica. SOMNER. in Dict. Angloſax. *fræfele*, *fræuol* procax, *fræfelneſſe* procacitas. Forte a Gr. παράνομος audax, temerarius.

FRÆVEL, factum protervum. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. I. 89.

Thuruh unſer ubili,
Ioh manag falto frauuili.

Vertit SCHILTERUS:

Propter noſtram pravitatem,
Et multiplicia maleficia.

Vox hodierna jacet in vitio, eſtque omnino abſciſſa ab Alamannis e genuina Francorum, & ad normam facta *frauuili*. Nam I. finale in voce Francica non eſt otioſum, ſed medium formandi abſtracta ab adjectivis, ut in *Proleg. Sect. ult.* oſtendi. Hinc *frauuili* revera eſt abſtractum a *frævel* procax. Hodie tamen ſequimur Alamannos tanquam ductores, & mutilationis ignari ſecure dicimus *frævel*, quamvis vitioſe & per apocopen, cum deberemus dicere *frævelei*. In foro Alamannico, a quo vocem accepimus, duobus modis uſurpatur, (1.) de facto injurioſo leviore, & mulcta expiabili. Jus prov. Alam. Cap. 64. *ez mag ein man umb frævel drier buz ſchuldig uuerden. Tut er ain frævel in der kirchen oder in dem frithof, er muz gaiſtlichem geriht buzzen, und uueltlichem geriht, und jenem, an dem er gefrævelt hat: daz ſint dri buz:* poteſt quis ob factum protervum triplicis mulctæ reus fieri; ſi faciat in Eccleſia vel Cæmiterio, mulctam debet judicio eccleſiaſtico, & ſeculari, & ei, cui injuriam fecerit: hæ ſunt tres mulctæ. (2.) de facto injurioſo atroci & morte digno. Jus prov. Alam. Cap. III. 4. *ain Vogt ſol rihten über den totſlag und alle frævel und uuunden und ſuuertzucken, und haimſuchen, und ſuuaz*

ſuuaz frævel und unzuht baizzet: advocati eſt judicare de homicidio, & omni injuria graviore, vulneribus, evaginatione gladii, effractione domus, & quicquid *frævel* & *unzuht* dicitur. A *frævel* oritur *frævelη* procaciter delinquere, damnum vel injuriam inferendo, & inde *fræveler* procaciter & petulanter delinquens, *frævelich*, corrupte *fræventlich* procaciter, proterve. Gloſſ. Boxh. *fravaler* procax. Gloſſ. Keron. proterve *frafallibo*. In jure Prov. Alam. *frevlen* eſt damnum inferre Cap. 210. & *frevlen am geriht* jura judicii violare, in jus vocatum vi eximendo Cap. 263. An huc etiam ſpectet VOX CHILDEBERTI Regis *farfalius* (quæ nuſquam niſi in Decreto ejus occurrit) dubito. Quamvis enim ſono conveniat cum *frævel*, & absque negotio inde formari potuerit, differre tamen ſenſu videtur. De ſenſu ejus vide quædam in *feld* bellum, ex mente ECCARDI.

FRAGE, quæſtio, interrogatio. Angloſax. *frignyſſe*, Franc. & Alam. *frago*, *frabo*. Gloſſ. Pez. quæſtionem *fraga*, quæſtionum *vragono*. Gloſſ. Keron. ad interrogationem *zan frahidu*. Refer ad *fragen* interrogare.

FRAGE, auditus, *fragen* reſcire, auditu accipere. Proprie eſt ſonus a βράχω ſono, reſono, & dicitur de auditu, ob vinculum naturale, quod eſt inter ſonum & auditum. Nam quocunque modo fiat ſonus, nullus exiſtere aut concipi poteſt, niſi auribus perceptus. Vetuſtas inde formavit *famæ* & *famoſi* vocabula, quia fama eſt vox longe audita, & famoſus longe auditus. VEREL. in Ind. *frægn* fama, *frægur* celebris, *vidfrægr* longe celebris. Similia habet CÆDMON, Paraphraſtes Angloſaxonicus apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 107.

FRAGEN, reſcire, auditu accipere. Evang. Goth. Marc. II. 1. *gafrehun thatei in gardaiſt*, auditum eſt, quod in domo eſſet. BENSON. in Voc. Angloſax. *gefræge* audita. JUNIUS in Gloſſ. Goth. loc. citato: *ic gefrægn* reſcivi, intellexi, *we gefrigen habath* percepimus. VEREL. in Ind. *frægna* reſcire. Hodie utimur compoſito *erfragen*, quod, etiamſi eſſe poſſit a *fragen* quærere ſciendi cauſa, præſtat tamen referre ad *fragen* reſcire. Nam reſcire eſt fama & auditu cognoſcere, adeoque a *frage* auditus.

FRAGEN, quærere, interrogare, ſciſcitari. Gothis *fraihnan* Luc. IX. 45. Angloſax. *frægnian*, *frignian*, Franc. & Alam. *fragen*, *frahen*, Belg. *vragen*, Suec. *fræga*. Gloſſ. Boxh. *fragen* cunctari. Gloſſ. Keron. interrogemus *frahemes*. HELVIGIO eſt verbum allegoricum, factum a Græc. προάγειν præcedere, translatumque ad loquelam, quia interrogantes alterius ſermonem præeunt loquendo. Mallem a Lat. *rogare*, ſi peregrina origine opus eſſet, præpoſito F. At ea minime opus eſſe videtur. Nam *fragen* poteſt eſſe verbum deſiderativum a *frage* auditus, quoniam is, qui quærit, aliquid audire deſiderat.

FRAIS, jurisdictio, præcipue criminalis. SCHILTERO *frais* eſt *jus terrendi & torquendi*, ducta appellatione ſive a *freiſo* periculum, ſive a *vreeſe* timor, quorum illud Franc. hoc Belg. proprium. An ſatis explorate, dubito. Nam *frais* videtur ante denotaſſe judicium quam judicium terribile, quod vel hinc patet, quia dividi ſolet in *hohe* & *nideve frais*, h. e. in jurisdictionem ſuperiorem & inferiorem. Cambrica lingua *brawdur* eſt judex, *bradwle* tribunal, locus judicii, opinor a *bradw* judicium & *lle* locus. Quemadmodum autem *brawdur* aperte ſatis eſt a Lat. *prætor*: ita *bradw* & *frais* potuerunt abſcindi a Lat. *prætura*, mutatis tantum labialibus. Et hactenus *frais* revera eſt judicium, jurisdictio, & prætoria poteſtas. Poſtea per ſynecdochen generis uſurpari cœpit pro *hohe frais*, h. e. pro jurisdictione criminali. Inde compoſita,

frais-recht, jus gladii.

frais-fall, caſus ad jurisdictionem criminalem ſpectans.

frais-pfand, teſſera jurisdictionis criminalis, lacinia de veſte occiſi abſciſſa, quam qui abſcidit, jurisdictionem vel aſſeruiſſe ſibi, vel ſi alterius ſit, violaſſe dicitur.

frais-ſtreit, controverſia de jurisdictione criminali.

fraislich, criminalis.

fraisliche obrigkeit, magiſtratus cui jus gladii competit.

frais-zent, eadem notione.

frais-herr, dominus, cui jurisdictio ſuperior competit.

frais-bücher, libri in quibus actus criminales annotantur pro tuenda jurisdictione criminali.

Gallis *frais de procez* ſunt litium ſumptus, nulla cum voce Germanica cognatione, quamvis ſono accedat. CANGIUS aptiſſime ducit a Latino-Barbaro *fredum* compenſatio, quem ſequitur ECCARDUS in not. ad Leg. Sal. pag. 34. Nam a compenſationibus ſenſus ad quaslibet cauſarum impenſas traduci potuit.

FRAIS, interdum ponitur pro maleficio, & tunc eſt vox apocopata a *fraisfall*. Quamvis etiam a Lat. *pravus* vel *pravitas* eſſe poſſit.

FRAM, præpoſ. idem ſignificans quod Græc. πρὸς, Latinis *pro*, quatenus ad bonum finem refertur. Extat in Cod. Arg. Luc. VI. 28. *bidjaid fram thaim anamahtjandam izwis*, orate pro violantibus vos.

FRAM, alia præpoſ. ſignificans *a*, *ab*, *e*, *ex*, *de*, in omnibus veterum Dialectis, prorſus ut hodie Anglis *from*, qui ſoli hujus particulæ ſunt cuſtodes. Angloſaxon. dicunt *fra*.

FRAM, ſæpe eſt adverbium, & tunc habet ſignificatus præpoſitioni ſimiles, qui cum vulgo ignorentur, hic in lucem collocandi ſunt. Nam his niſi probe cognitis & perſpectis, de multis veterum nominibus, ab hoc parente oriundis, ratio reddi non poteſt.

FRAM, ſignificat motum de loco. Inde Angloſaxonibus *fram-fleon* aufugere, procul fugere, *fram-aweorpan* abjicere, Francis & Alam. *framgangen* procedere longius, & alia innumera. Hinc *fram* ſolitarie poſitum, ſæpe eſt particula hortandi ad pergendum ulterius. VERELIUS in Ind. *fram, fram, kriſtmenn, kroſsmenn, kongsmenn*, alacres ad pugnam procedite milites Chriſti, milites crucis, milites regis. Ab hoc ſignificatu Franci habent *frumen* mittere. Gloſſ. Pez. mittit *frunit*, mittet *vrumit*, præmittet *givrumit*. Hinc *Framea* denotare poteſt *telum miſſile*, quo eminus pugnatur, ſi derivetur, ut par eſt, a verbo hactenus ignorato *frumen* mitteré. Nam ob eandem cauſam haſta miſſilis vocatur *wurſſpies*, a *werfen* jacere.

FRAM, ſignificat abſentiam a loco. Inde Angloſaxonibus *fram-ſtandan* abſtare. Ab hoc ſignificatu derivatur *frume* longinquus, quod extat in Gloſſis Keronianis, & *fremd* alienus, peregrinus, a ſolo natali longe abſens.

FRAM, adverb. ordinis, ſignificans *præ*. Cod. Arg. Luc. XIX. 28. *iddja fram*, præceſſit. Inde Gothis & Angloſaxon. *fruma* principium, tam ordinis quam originis. Olim duxit ingentem familiam in omnibus Dialectis, ſed tanta nunc oblivione ſepultam, ut nullum ubique veſtigium relictum ſit. Hinc illis in ſcenam reducendis libens abſtineo, ne tempus magis neceſſariis ſurripere cogar. Vide interim JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 173. & SOMNER. in Dict. Angloſaxon.

FRAM, interdum auget ſignificatum. Gloſſ. Keron. proficiat *fradihe*. Id eſt, *framdihe*, quo utitur OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXII. 121.

Thaz kind theh io filu fram,
So ſelben Gotes ſune zam,
Puer creſcebat plurimum,
Ut decebat Dei filium.

FRAMEA, haſta veterum Germanorum, ex ligno & mucrone compoſita. Rem & nomen rei deſcribit TACITUS Cap. 6. de M. G. *Haſtas, vel ipſorum vocabulo* FRAMEAS *gerunt, angusto & brevi ferro, ſed ita acri & ad uſum belli habili, ut eodem telo, prout ratio poſcit, vel cominus vel eminus pugnent.* Quidam exiſtimant vocabulum Taciti origine Græcum eſſe, factumque a φομφέα per metatheſin. Hæc derivandi ratio, quamvis ſit expedita, minime tamen vera eſt. Nam priſcis *frumen* eſt mittere, ut paulo ante oſtenſum. Et hinc recte formatur *frame, framea*, jaculum, telum miſſile, quod eminus pugnantes mittunt in hoſtem. Et tametſi idem nomen derivari etiam poſſit a *bremen* pungere, ictu trajicere, quod in primis ſe probavit MARTINIO: veriſimilius tamen eſt, primos nominis inventores ad id, quod in *framea* præcipuum eſt, h. e. ad jactum in hoſtem reſpexiſſe. Nam ob eandem cauſam *framea* dicitur etiam *cateia*, a *katten* jacere.

FRAMEA, medio ævo dicitur ferrum latens in baculo. Gloſſ. Lipſ. *ſtafswert* framea. Gloſſ. Pez. framea *ſtafsuuert*. Erat autem gladiolus, quem nunc vulgo *dolch, ſtillet*, h. e. ficam, pugionem, dolonem appellamus, ut ex idiomate Angloſaxonico manifeſtum. Gloſſ. Ælf. in nom. armorum: dolones *ſtæf-ſweord*. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *ſtaf-ſweord* ſica, dolon. Dicta autem eſt *framea*, non a jactu in hoſtem, ut *framea* veterum Germanorum, ſed a *bremen, pfriemen*, pungere, trajicere, fodicare. Hanc *frameam* ita deſcribit ISIDORUS Lib. X. Cap. 6. quod ſit *gladius ex utraque parte acutus, quem vulgo ſpatham vocant.* Quæ definitio male habuit LIPSIUM, quia tempora & voces non diſtinxit. Vera differentia, quæ eſt inter frameam antiquam & novam, ex dictis colligitur. Illa erat haſta brevi & angusto ferro, hæc gladiolus intra baculum reconditus, lato ferro, ſed abutraque parte acuto, & in cuſpidem coëunte. Et hæc framea Belgis etiamnum vocatur *moordtpriem*.

FRANK, liber, ſuæ poteſtatis. Armoricis *franc*, teſte PEZRONIO in Ant. Celt. pag. 427. Gallis *franc, franch*, Belgis *vrank*, Ital. *franco*, Hiſp. *franca*. Gothis liber dicitur *frije* Joh. VIII. 36. Angloſaxon. *freo, freoh, frig*, Francis *frio*, Alaman. *frig*. Gloſſ. Keron. ingenuus *friger*. Nec aliud ſonare videntur Trojanæ voces *phryx* & *phryges* quam liberos & ingenuos. Nemo tam male audit, qui non ſponte intelligat, hæc omnia nonſolum inter ſe, ſed etiam cum Celtico vocabulo *franc*, quod uſus etiamnum agnoſcit, convenire. Nam *franc* in nulla re differt a *frig*, niſi unius literæ inſertione. Hoc adjectivum tranſiit in Latinitatem medii ævi. Inde *francus* liber, *francus tenens* libere tenens, *franca femina* libera femina in Capitulari Sexto Caroli M. an. 803. Cap. 8. *francus homo* liber homo in Capitulari Compendienſi an. 757. Cap. 5. & alia illuſtri CANGIO pridem obſervata in Gloſſario. A *frank* eſt FRANCISCUS h. e. ingenuus, a libero genitus. Rationem interpretationis vide inter *Proleg.* Sect. VI. in *iſch*. Hodie *frank* conjungi ſolet cum *frei*, quia ſe ſolo obſoleſcit. Utrumque eſt ab antiquiori *frig*, illud per epentheſin, hoc per apocopen. Vide plura in *frei*.

FRANKEN, *Franci*. Saxonice *Francan*, Theotiſce *Frankon*. Teſtis vocabuli (ut alios nunc omittam) eſt OTFRIDUS Lib. I. Cap. I. per totum, & in Præf. ad Reg. Lud. ab init. unde ſequentes Gloſſas decerpo,

Frankon, Franci,
Frankono kuning, rex Francorum,
Frankono lant terra Francorum,
Frankono thiothe, gens Francica,
Edil Franko, nobilis Francus,
Frenkisga zunga, lingua Francica.

Ab

Ab initio non fuit nomen gentile, ut poſtea, ſed nomen ſociale omnium Gentium inferioris Germaniæ *Bructerorum, Chamavorum, Anſivariorum, Chattorum, Chaucorum, Friſiorum, Sicambrorum, Uſipetum, Tenctterorum, Cheruſcorum, Saliorum, Angrivariorum, Dulgibinorum, Chaſſuariorum* &c. quod primus animadvertit, & multis veterum teſtimoniis firmavit CLUVERIUS Lib. III. Germ. Ant. Cap. 20. Quibus addi poſſunt VICTOR de Cæſaribus in Gallieno Cap. 33. ſcribens: *Francorum Gentes direpta Gallia Hiſpaniam poſſediſſe.* Et EUMENIUS in Panegyr. VI. Cap. 5. ſcribens: *Bataviam a diverſis Francorum Gentibus occupatam.* Idem alio loco *intimas Francorum Gentes*, & NAZARIUS *innumeras Francorum Gentes* commemorat. Cauſa nominis tot populis communis potuit eſſe (& haud dubie fuit) commune libertatis contra Romanos tuendæ ſtudium. *Hæc eſt enim Gens* (verba ſunt Prologi Legis Salicæ), *quæ fortis dum eſſet, & robore valida, Romanorum jugum dariſſimum de ſuis cervicibus excuſſit pugnando.* Non igitur Francis propoſitum fuit, ut Romanis pro ſtipendio militarent, aut limitem Romanum contra populares ſuos, interiores Germanos, defenderent, ut quidam vir eximie doctus in novo ſyſtemate *Monarchiæ Francicæ* exiſtimare videtur. Nam hæc Francorum & Romanorum æterna amicitia, quo pacto cum bellis tot ſæculorum ſæviſſime geſtis, aut cum Præfatione Salica conciliari poſſit, nemo facile inveniet. Cum ex adverſo omnia rite cohæreant, ſi omnes illos populos, quos Antiquitas *Francorum* nomine complexa eſt, inter ſe fœderatos fuiſſe, & in unum nomen coaluiſſe, etiamſi aliis nominibus diſtincti eſſent, cum CLUVERIO ſtatuamus. Nec deſunt teſtimonia, quibus hoc fœdus probetur. Quid enim eſt *conjuratio ſceleris* apud EUMENIUM Panegyr. IV. Cap. 17. Quid *conſpiratio fœderatæ civitatis* apud NAZARIUM Paneg. IX. Cap. 18. Quid *vis collativa* apud eundem; niſi fœderis Francici invidioſa deſcriptio? Nec cauſa fœderis obſcura eſſe poteſt, quia experientia teſte vis unita fortior, & facilius ſinguli, quam omnes vincuntur. De qua re juvat audire CLUVERIUM: *Sic igitur exiſtimo. Quum prædictæ Rhenum inter & Albim nationes, variis jam inde a Julii Cæſaris ævo bellis a Romanis petitæ, dum aliæ manu ſuperiores, alias inferiores exſtitiſſent, ſe plurima ex parte jugo Romano, falſo amicitiæ ſocietatisque obtentu, ſubjectas eſſe, indigne acerbeque jam dudum tuliſſent; tandem, ubi vicinos ſuos Alemannos, Gallicam origine Gentem, eoque Romano imperio merito addictiorem, rebellare contra Dominos, & in ipſam Dominorum provinciam pacatiſſimam Galliam crebras incurſiones audacter facere viderunt: Sibi etiam eosdem animos idemque conſilium eſſe ſumendum rati ſunt. Quumque intelligerent, nulla alia re magis quondam libertatem ſuam a Romanis infractam ſuppreſſamque fuiſſe, quam quod ſingulos illi ſeorſim adgreſſi fuerant, dum ipſi in unum confulere, communemque hoſtem communibus inter ſe junctisque copiis propulſare neglexiſſent: tandem, plurimis experimentis edocti, innumerisque damnis admoniti, conſpiratione facta, in unam Societatem, in unumque Fœdus, atque adeo in unum corpus coivere; novo ſibi, haud dubie ab libertatis argumento, invento vocabulo, quo univerſi in poſterum adpellarentur thi* FRANKON. De fœdere Francico vide plura in *wrak*. Ex dictis manifeſtum eſt, quod vulgaris opinio, qua Francicum nomen a primo ortu cenſetur nomen *unius gentis*, falſa ſit, præjudicata, & rerum geſtarum turbatrix. Hoc monſtrum ante omnia erat debellandum. Nam ex illo prodierunt nonſolum falſæ Etymologiæ, quæ, quia ne hilum quidem valent, indignæ ſunt, quæ hic referantur; ſed etiam falſæ Francorum origines, & primo quidem *Trojana*, poſtea *Macedonica*, deinde *Pannonica*, denique *Baltica*. De Trojana, quæ aut nulla eſt, aut omnibus Germanis communis, videbimus alibi. Reliquæ urgentur iisdem incommodis. Nam undecunque venerint iſti Franci, ſive a Sinu Codano, ſive e Pannonia, ſive e Macedonia, neceſſe eſt (niſi male cohærentia dicant harum originum auctores), illos incredibilia patraſſe, & omnes fortiſſimasque Germanorum Nationes, quæ ſunt inter Rhenum & Albim ad Oceanum usque, nonſolum imperio, ſed etiam nomini ſuo ſubjugaſſe, antequam Romanis innotefcerent. Quo quid dici poteſt fabuloſius? Etymon LUTHERI aliorumque de nomine FRANCICO vide ſupra in *enke* juvenis.

FRANKEN, pars Francorum, dicti alias *Sicambri*, five quod in ſedibus eorum conſediſſent, ſive quod revera genus duxerint ab illis. REMIGIUS ſane CHLODOVEUM baptizandum in ipſo ſacræ initiationis ritu vocavit *Sicambrum*. Et apud SIDONIUM Apollinarem in Epiſtolis Franci paſſim nominantur *Sicambri*, nec non in Carmine XIII. ad Majorianum Auguſtum verſ. 30.

Sic Ripæ duplicis murmure fracto
Detonſus Vacalim bibat Sicamber.

Quicquid ſit, certum eſt, huic parti Francorum, inde a Sæculo quinto, NOMEN FRANCICUM, quod ante fuit fœderale, paulatim adhæſiſſe tanquam proprium & gentile. Et hi ſunt illi Franci, qui primo Galliam univerſam, & poſtea Germaniam ipſam ſubjugarunt. Quibus artibus, docte & copioſe expoſuit DU BOS in *Hiſtoria Critica Monarchiæ Francorum*.

FRANKEN, Francones. Colonia Francorum in Germania.

FRANKEN, in littore Africano vocantur omnes populi Europæi, inde ab Expeditionibus religionis cauſa in terram ſanctam ſuſceptis. Et *Lingua Franca* hodie eſt lingua in eodem littore ex Francica, Germanica, Italica, & Hiſpanica compoſita.

FRANSEN, *franzen*, fimbria ex filamentis aureis, argenteis, ſericis, Angl. *fringe*, Gall. *frange*, Ital. *frangia*. Gloſſ. Iſid. *brantia* vel *branzia*, tenuis auri lamina. GRÆVIUS, qui Iſidorum perpetuis notis illuſtravit, hic tacet. Forte omnium origo eſt a Gr. περιζόμαι cingo, circumdo, inſerto N.

FRANZOSEN, Francigenæ. A Gall. *François*. Sunt tamen, qui eos ſic appellari exiſtimant quaſi *francos hanſos*, h. e. liberos ſocios.

FRASS, quatenus derivatur a *freſſen* vorare, devorare, ſignificat quantum poteſt, edonem, & ipſum cibum qui devoratur. Cum priori ſignificatu convenit Gr. βορὸς edax, & Lat. *vorax*. Cum poſteriori Gr. βρῶσις, βρωτὸς cibus. Inde compoſita, *vogel-fraß* farrago aviaria, omnis generis grana, quibus aves aluntur, *viel-fraß* lurco, & inſatiabilis quædam beſtia. Gloſſ. Pez. commeſſatores *filo-vrezun*.

FRATZ, quatenus ſignificat rancidum, eſt a Lat. *fracidus*, & hoc a Gr. ἐυρώδες. Inde *fratzigkeit* ſcabies, putredo cutis.

FRATZ, quatenus ſignificat protervum, eſt a Lat. *procax*. Gloſſ. Pez. procax *frazarer*, procacis *frazares*, procaciſſimam *frazariſtun*. Hodie videtur ſuperare apud Suevos in comp. *fratzen-geſicht* vultus procax.

FRATZEN, nugæ, ſcommata, caviſſationes. A Græc. φράζειν loqui. Nam hoc & ſimilia Græcorum verba ſolent in ore Germanico vituperium pati, ut demonſtravi in *fatzen* nugari. Excipio tamen Belgas, quibus a φράζειν fit *praten* loqui, bono non malo ſignificatu.

FRAU, dominus. Evang. Goth. Matth. VI. 24. *nimanna mag twaim fraujam skalkinon*, nemo poteſt duobus dominis ſervire. Ubi *frauja* ponitur pro domino, ut ſæpe alias, & inprimis Matth. XXVII. 63. ubi idem nomen tribuitur Pilato. Ab hoc ſubſtantivo Gothis formatur verbum *fraujinon* dominari, quod virorum proprium eſt, non mulierum, & dicitur de iis, qui gentibus dominantur Marc. X. 42. Angloſaxonibus *frea* idem denotat. Hinc Princeps dicitur *folc-frea*, velut dominus populi, & Deus ipſe *lif-frea* dominus vitæ. Plura exempla ſuppeditabit JUNIUS in Gloſſ. Goth. SOMNERUS in Dict. Angloſax. & HICKESIUS in Gram. Angloſax. Apud Francos ſimili honoris titulo viros ornatos legimus. Apud OTFRIDUM Lib. I. Cap. V. 69. B. Virgo ita reſpondet Angelo:

Uuannana iſt iz, Fro min,
Thaz ih es uuirdig bin?
Unde eſt illud, Domine mi,
Ut eo digna ſim?

Apud eundem Lib. V. Cap. VII. 97. Maria Magdalena JEſum ſub ſpecie hortulani latentem ſic alloquitur:

Fro min, dua mih uuis,
Oba thu inan namis?
Domine mi, fac me certiorem,
An tu illum ſuſtuleris?

Eamque domini appellationem omnibus Germaniæ Antiquæ populis fuiſſe communem, teſtantur nomina propria Regum diverſarum Gentium. Inde

FROAMARIUS, dominus celebris. Rex Bucinobantum apud MARCELLINUM Lib. XXIX. Cap. 4.

FRUMARIUS, eadem notione. Rex Suevorum in Hiſpania apud ISIDORUM in Hiſt. Suevorum era ultima & penultima.

Plura invenient, quibus otium. Videtur autem proprie denotare eum, qui prior & potior eſt cæteris, ſive auctoritate ſive poteſtate. Quemadmodum enim ab adverbiis Alamannicis *mer*, *furi*, *er*, plus, præ, prius, citra controverſiam prognata ſunt adjectiva Alamannica, *mera* major, *furira* potior, *herero* prior, & poſtea ſubſtantiva *mar*, *furiſt*, *herro*, domini & principis ſignificatu; ita particula *vor* ante, præ, prius, quæ pro varietate veterum Dialectorum ſcribitur *faur*, *faura*, *fore*, *fora*, *furi* &c. videtur per metaplaſmum produxiſſe ſubſtantivum *frau*, *fro*, *fru*, eo quo dixi ſenſu. Hodie non amplius dicitur de viris, ſed de fœminis tantum, a quibus etiamnum tanquam res derelicta occupatur & cuſtoditur.

FRAW, domina. Auctoribus Francis. Prima hoc titulo ex univerſo ſexu ſequiore ornata legitur B. Virgo Maria, & deinceps etiam aliæ. OTFRIDUS Lib. I. Cap. V. 13.

Tho quam boto ſone Gote
Zi ediles frouuon,
Selbun ſancta Marion.
Tunc venit nuncius Dei
Ad nobilem Dominam
Ipſam ſanctam Mariam.

Formula S. Confeſſionis apud ECCARDUM in Cat. Theot. pag. 96. *ih uuir du Gode almahtigan bigihdic, unde Vrouuun Sancta Marian*, confiteor Deo omnipotenti, & Dominæ Sanctæ Mariæ. NOTKERUS Pſal. CXXII. 2. *alſo diu ougen dero ſcalcho uuartent ze iro herron handen, unde diu diu ze iro frouuun handen, ſo uuartent unſeriu ougen ze Gote unſermo herren, unz er uns kenade*, ſicut oculi ſervorum reſpiciunt ad manus dominorum ſuorum, & ancillæ ad manus dominarum ſuarum, ita reſpiciunt oculi noſtri ad Deum Dominum noſtrum, donec noſtri miſereatur. Et huc etiam ſpectat

FROULIBA,
Domina chara,

nomen Reginæ Gothicæ apud GROTIUM in Præf. ad Script. Goth. pag. 52. Ab initio hoc nomen non fœminis, ſed viris adhæſiſſe, paulo ante demonſtratum eſt. Hoc cum ignoraſſent Eruditi, ad ineptas & ridiculas etymologias prolapſi ſunt. KILIANUS dominam ſic dictam cenſet, quaſi *vro-hou*, id eſt, lætitiam & jucunditatem conferentem.

Ejus-

Ejusdem cenſus eſt etymon STIERNHIELMII, nomen a Gothico *fraiw* ſemen deducentis, quaſi ſignificet conſeminatam. Quod miror tanto viro potuiſſe placere, qui noſſe poterat, appellationem a viris ad fœminas perveniſſe. PEZRONIUS vocem arceſſit a *frau*, quod Cambris & Armoricis pulchrum ſignificat, & fœminis juvenculis inprimis convenire videtur. Sed mittamus iſtas argutias. Nam ex antecedentibus nimis manifeſtum eſt, quod *frauw* domina, ſit a *frau* dominus, per medium derivandi W. & quod herile nomen matribus familias ſit communicatum, quoniam & ipſæ in ſubjectos dominantur, & partem imperii domeſtici exercent. Sic apud Latinos quoque a *dominus* ſit *domina*, & ab *herus hera*. Primi nominis inventores fuere Franci. Hos imitati ſunt Germani, Germanos reliqui. Hinc domina Belgis dicitur *vrouw*, Danis *frue*, Suecis *frw*, Island. *fru*. VERELIUS in Ind. *husfru*, *husfrea*, in Leg. paſſ. hera, matrona, uxor legitima. Hiſtoria Norvagica vocem Scandicam *fru* ortam refert a neſcio qua *Freja* Noronis filia, quæ, cum omnibus ſexus ſui dotibus fuerit illuſtris, hunc titulum in alias matronas derivaverit, teſte WORMIO in Mon. Dan. pag. 225. Ipſe alibi exiſtimat, nomen proprium *Frejæ* conjugis Odini degeneraſſe in appellativum, qualibet jam matre familias hunc ſibi honoris titulum vendicante, in Faſt. Dan. pag. 57. Sed hoc etymon eodem vitio laborat quo reliqua.

FRAUWEN-ZIMMER, mulier honeſtioris conditionis. Proprie eſt Gynæceum, h. e. locus vel conclave ubi mulieres verſantur, & per metonymiam ſubjecti pro adjuncto, vel continentis pro contento, ipſæ mulieres loco aliquo congregatæ. Poſtea ex metonymia novus ortus eſt ſignificatus per ſynecdochen, qua nomen totius congregationis tribuitur uni ſoli, quamvis audaciſſime. Sed hæc cogimur ferre, quia vulgus ſic voluit, quem penes arbitrium eſt, & jus, & norma loquendi.

FREGH, nimis liber, metu & pudore ſolutus. Antiqui Saxones, quos Angloſaxones appellamus, liberum vocant *freab*, *freoh*, teſte SOMNERO & BENSONIO. Verum cum liberi plerumque neſciant tenere modum, & a libertate facilis tranſitus ſit ad animoſitatem, ferociam, & audaciam, hinc bonæ voci paulatim adhæſit deterior ſignificatus, ob mores eorum, qui male utebantur libertate. Convenit Lat. *ferox* & *procax*, & Gallicum *farouche*.

FREFEL, V. *frævel*.

FREI, *frey*, liber. Gothis *frija*, plur. *frijai*, accuſ. *frijans* Joh. VIII. 36. Angloſax. *frig* ibidem, & alibi *freo*, *freoh*, *freah*, Francis *frio*, Belg. *vry*, Angl. *free*, Suec. *fry* Gloſſ. Pez. liberi *fria*. NOTKERUS Pſalm. CXVIII. 125. *mir gelang ubelo an diu, daz ih min frio uuolta ſin, nals din ſcalch*, male mihi ceſſit in eo, quod liber eſſe vellem, non ſervus tuus. Primi nominis auctores videntur eſſe Thraces aut Phryges. Nam *Brigam* Thracica lingua denotare τὸν ἐλεύθερον, hoc eſt, *hominem liberum*, ex Juba Hiſtorico notavit HESYCHIUS in voce Βρίγες. PHRYGES vero non a *frigore* regionis ſuæ, ut BAXTERUS exiſtimat, ſed potius a libertate hoc ſibi nomen cooptaſſe videntur. Nam Βρύγοι, Βρύγες, & Φρύγες, apud STRABONEM & alios ſunt iidem. Quam pulcre hoc nomen *Phrygibus* conveniat, rationibus ſatis luculentis oſtendi in Præf. ad Germ. §. XIX. Hebræis *para* eſt liber, *pera* libertas, teſte HELVIGIO in Orig. Dict. Germ. Quæ cum cæteris ſint conſona, cuncta ex primitiva hominum Lingua manaſſe perſuadent.

FREI, ejusdem latitudinis eſt, ut apud Lat. *liber* & *liberalis*. Et dicitur civiliter de *non-ſubjecto*, moraliter de *ſpontaneo* & *non-coacto*, legaliter de *licito*, *immuni*, & *a legibus ſoluto*, allegorice de *gratuito* & *patente*. Hinc tot ſignificatus orti, quot concipi poſſunt modi exiſtendi, a vinculo neceſſitatis, juris, aut alterius rei, liberi. Quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

FREI, ingenuus, liber ex libero natus. Gloſſ. Keron. ingenuus *friger*. Idem Angloſaxonibus *freo*, *frig*, *frig-man*, interprete SOMNERO in Dict. Differunt autem liber & ingenuus. Omnis ingenuus liber, ſed non omnis liber ingenuus. Manumiſſio liberum facit, non ingenuum. Hinc obſervante TACITO Cap. XXV. de M. G. in Civitatibus libertatis amantibus *Liberti*, h. e. manumiſſi, & *Libertini*, h. e. e libertis geniti, moribus Germanicis impares & inferiores erant *ingenuis*, etiamſi apud Gentes, quæ adſtrictius regnantur, ſuper ingenuos & nobiles adſcenderent. Poſtea tamen nomen ingenui etiam Libertis communicari cœpit. Hinc *puella friolaſca*, hoc eſt, manu miſſa, in Lege Sal. Tit. XV. 3. vocatur *puella ingenua*. De quatuor hominum Ordinibus apud veteres Germanos, *Servis*, *Libertis*, *Ingenuis*, *Nobilibus*, vide TACITUM loco cit. & HACHENBERGIUM in Germania Media Diſſert. 2.

FREI, civiliter liber, ſui juris, expers ſervitutis. Angloſaxonibus & reliquis ut ſupra. CANGIUS libertatem civilem ex manumiſſione ortam exiſtimat. *Liberi*, inquit, *proprie dicti videntur, qui ab antiquo ex ſervis manumiſſis originem traxerunt*. Verum cum natura nemo alterius ſervus ſit, potius eſt ut dicamus, eſſe aliquam in civitate libertatem, manumiſſione anteriorem, & ex ſtatu hominum naturali orientem. Ideo Germani liberos & libertos vocibus diſtinguunt. Alioqui libertas civilis nomen valde æquivocum eſt, & de pluribus non eodem modo dicitur, quia nemo tam liber eſt, qui non aliquo modo alteri obnoxius ſit. Hinc libertas omnibus temporibus ſuos habuit gradus, *ſummum*, *medium*, *infimum*. Et his gradibus ſignificandis quædam inventa ſunt vocabula, quæ hic explicanda ſunt. Primus gradus

dus eſt eorum, qui vocantur *ſemper-frei* & *boch-frei*, hoc eſt, ſemper & eminenter liberi, quales ſunt Principes, præcipue ii, qui bona poſſident allodialia, nulliusque ſervitio ſubjecta. Secundum gradum efficiunt Principum vaſalli, qui a medio loco appellantur *mittel-frei*. Infra illos ſunt reliqui incolæ, in tertio & imo libertatis gradu collocati, quos Alamanni *frie lute* & *frie lantſaszen* vocant. Operæ pretium eſt, deſcribere verba Legis ex Jure provinciali Alam. Cap. II. *Diz iſt von frien luten*, hoc caput agit de liberis hominibus. §. 1. *Hie ſol man haven von drier hande frien luten, uuaz rehtz die haben*, hic audiemus de triplicis generis liberis hominibus, eorumque jure. §. 2. *Ez haizzent ains Semper-frien, daz ſint fri herren, die ander frien ze manne habent*, primum genus appellatur *ſemper-fri*, hi ſunt liberi domini, quorum alii liberi ſunt vaſalli. §. 3. *Daz ander ſint mitler-frien, daz ſint die, die der hohen frien man ſint*, alterum genus vocantur *mittel-frien*, qui liberorum primi ordinis ſunt vaſalli. §. 4. *Daz dritte ſint geburen die fri ſint, die haizzent fri Lantſæzzen*, tertium genus ſunt incolæ liberi, qui vocantur liberi Lantſaſſii.

FREI, largus, munificus. Latini *liberalem* vocant, forte quia munificum eſſe, non ſervis, ſed liberis tantum & ingenuis a fortuna conceſſum. Nam hi ſoli habent, de quo largiantur. Idque faciunt ſponte & ultro, nec moniti, nec rogati, nec juſſi, quo honeſtiore loco nati ſunt, niſi ſint natura ſervi, & ab omni honeſtate relicti. Hoc imitantur noſtri in compoſitis, *freigebig* liberalis, liberaliter largiens, *gaſtfrei* dapſilis, liberalis in advenis & hoſpitibus excipiendis.

FREI, licitus, permiſſus, *freie bürſch* locus ubi libera venandi poteſtas, *das ſteht mir frei* hoc mihi licet. Hic ſenſus oritur a libertate agendi naturali, quæ, ſi nullis reſtringatur legibus, licite facit, quicquid facit. Hinc Icil. ſenſus a libero ad licitum translatus. Huc ſpectare videtur *freibeuter*, qui latrocinia terra marique exercet impune, & cum venia ſuperiorum. Et fortaſſe etiam *Brigantes*, velites libere graſſantes, poſtea latrones.

FREI, libens, volens, non coactus. Significatus novus, ſed idoneus. Nam libertas ſæpe opponitur neceſſitati & coactioni. Hinc ab oppoſito recte dicitur liber, qui ſuopte aliquid cupit, nulla cogente cauſa externa. Ad hanc claſſem ſpectant, *freier wille* liberum arbitrium, *freiwillig* ſponte & ſpontaneus.

FREI, plures habet ſignificatus, ſed a Lexicographis male digeſtos. Mihi, ut ſingulos excutiam, non vacat. Addam tamen adhuc ſequentes, reliquis aliorum evolutioni relictis.

FREI, immunis, exemtus, *dienſt-frei* immunis a ſervitiis, *zoll-frei* immunis a vectigalibus, *frei-burger* civis ab oneribus exemtus &c.

FREI, gratuitus, *freie wonung* hoſpitium gratuitum, *frei-tiſch* menſa gratis data, *frei halten* impenſas ſolvere pro aliquo &c.

FREI, exlex, legibus ſolutus, *vogelfrei* bannitus, proſcriptus, qui impune occidi poteſt, ut avis in aëre volans.

FREI, patens, apertus, *freie ausſicht* proſpectus in loco propatulo, *frei feld* campus patens. Hoc ultimum in Lege Salica vocatur *frio ſald* Tit. XLIV. 8.

FREIE KUNSTE, artes liberales. Hac dictione imitamur Latinos, qui artes elegantiores vocant *liberales*, utpote ſordidis & ſervilibus oppoſitas, & *ingenuas*, quia ab ingenuis & honeſto loco natis potiſſimum addiſcuntur & exercentur, etiamſi non ſint nativæ, ſed longo ſtudio acquirantur. Plures appellationis cauſas nunc non addam, quia hæ ſufficere poſſunt in tranſitu. HIPPOCRATIS de artibus liberalibus ſententiam habes infra in voce *lech* medicus. Hodie omnes artes liberales ſunt ſerviles, & mercedem ex uſu captare coguntur, cujus inſtituti primus auctor cenſetur PROTAGORAS Philoſophus. OVIDIUS Lib. 2 de Ponto Eleg. 3.

Heu Sophiæ quondam ſacrum
& venerabile nomen
Proſtat, & in quæſtu pro
meretrice ſedet.

FREIEN, *befreien*, liberare. Angloſax. *frian* apud BENSON. Belg. *vryen, bevryden*, Angl. *to free*, Suec. *frya*. Cuncta ab adject. *frei* liber, cujus inſignem vetuſtatem ſupra produxi. Alias liberare Angloſax. dicitur quoque *freolſian*, Alam. *frihalſen*, Suec. *fræſa*, opinor per contractionem a *fria* ab, & *löſen* ſolvere, liberare. Inde Islandis *fræls* ingenuus, *ufrials* ſervus, *frælſe* libertas, *ufreiſ* ſervitus, & alia multa apud VEREL. in Ind. Et huc etiam ſpectat vox Longobardica *ſalfreal*, & *ſulfrealis* ingenuus, ab utroque parente liber, quæ paſſim occurrit in Legibus Longobardorum.

FREIER WILLE, liberum arbitrium, libera voluntas. Dictio proba, & congrua cum idea, quam omnes de libertate voluntatis ſibi formant, ſed infimo tantum ævo audita. Cur eam vetuſtiores refugerint, an quia voluntas ſemper a cauſa externa determinatur? non liquet. Aliis vocabulis uſos eſſe, certum eſt. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *agen-cyre, agen-dome* liberum arbitrium, *ſilf-willes* ſponte, ultro. Gloſſ. Keron. arbitrium *ſelbſuana*, in arbitrio prioris *in ſelbſuana des heroſtin*, ſponte *ſelpuuillin*.

FREI-GELASSEN, manumiſſus, libertus. SOMNER. loc. cit. *frig-læta*, *frio-leta* libertus. Lex Bojor. Tit. VII. 10. *Si quis cum libera manumiſſa fornicaverit, quam* FRILAZIN *vocant*. Eadem puella in Lege Salica vocatur *friolaſia* Tit. XV. 3. Proprie eſt liber dimiſſus, vel libera dimiſſa, a *laſſen* mittere, miſſum facere.

FREI-

FREIHEIT, libertas. Angloſaxon. *freodom*, *friodom*, Alamannis recentioribus *fr hait* in Jure provinciali Cap. CXLVIII. 1. 2.

FREI-HERR, liber Baro, mediæ inter Comites & vulgus nobilium conditionis. Proprie liber Dominus. Olim liberi Domini dicebantur ſoli Principes, quod eſſent inter liberos homines primi. Jus prov. Alam. Cap. XX. 5. *Ez git der friherr ſinem uuibe daz uuol hundert mark giltet, ich main Furſten und ander friherren*, Liber Dominus uxori ſuæ forte dat morgengabam centum marcas valentem, loquor autem de Principibus & aliis Liberis Dominis. Puta primis in ordine libertatis, & ſupra medios (quorum mox mentio injicitur) conſtitutis. Sed poſteritas tribus illis gradibus (de quibus ſupra) non contenta, plures effinxit, & nuper addidit, ſummo libertatis titulo in minores derivato.

FREILING, *friling*, ingenuus, liber a libero natus, quaſi ſoboles libertatis, ob terminationem *ling*. Vox Saxonica. NITHARDUS Lib. 4. *Saxonica gens omnis in tribus ordinibus diviſa conſiſtit. Sunt enim inter illos qui* EDHILINGI, *ſunt qui* FRILINGI, *ſunt qui* LAZZI *illorum Lingua dicuntur. Latina vero Lingua hi ſunt, Nobiles, Ingenuales, ſerviles.*

FREIMAN, ſignificat quantum poteſt, liberum, ingenuum, libertum. Saxones antiqui dicunt *frigman*, Alamanni recentiores *friman*, in Jure provinc. Cap. CCCLXV. cujus hæc inſcriptio : *uuie der friman uuider zygen uuirt*, quomodo manumiſſus in priſtinam ſervitutem cadat.

FREISLICH, terribilis. Gall. *affreux*. Utrumque a Belgico *vreſe* timor, vel Græco *φρίξ* horror. Francis *freiſon* eſt periculum, forte ab effectu, quia terret. Et cum tentare ſit in periculum ducere, inde Gothis *fraiſan* tentare.

FREMD, exterus, peregrinus. Gothis *framathja* Joh. X. 5. Angloſaxonibus, Franc. Alam. Belg. *fremd*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *fremd* exterus, extraneus, alienus, alienigena, *ne luſa thu othre fremde godas ofer me*, non diliges alios Deos peregrinos præter me, Exod. XX. 3. *fremdian* alienum facere, alienare. Gloſſ. Boxh. *fremider* extraneus. Gloſſ. Keron. alieno *fremideru*, alienis *fremideen*. KILIANUS dictum putat quaſi *verrheymed*, a *verr* procul, & *heym* domus, quia domus & patria peregrini longe diſſita eſt, quod calculo ſuo videntur adprobare celeberrimi Gloſſatores JUNIUS & STIERNHIELMIUS. Olim contraxi ex duabus vocibus *fram end* a finibus terræ. Sed nunc malo formare immediate a *fram* ab, ex, de, ut peregrinus ſit, qui e longinquo eſt. *Fram* natura ſua nonſolum ſignificat longe & procul cum motu, ſed etiam ſine motu. D. eſt medium derivandi in omnibus Dialectis. Aliis *fremd* idem eſt quod *farend*, a *faren* proficiſci. Ita ſentit FCCARDUS in Cat. Theot. pag. 105. A *fremd* habemus *fremde* terra extera, *fremdling* advena, homo peregrinus, *entfremden* alienare, *ſich befremden* mirari novitatem & inſolentiam alicujus dicti aut facti.

FREMMEN, facere, efficere. Goth. *framban* Luc. VII. 4. Angloſaxon. *fremian*, *fremman*, Francis & Alam. *fremen*, *gefremen*, Angl. *to frame*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *fremman* facere, faceſſere, formare, efficere, *gefremed* effectus, *ful-fremian* perficere, abſolvere, exequi. Gloſſ. Keron. exerceantur (id eſt, perficiantur) *ſin kefrumit*. TATIANUS Cap. LXVII. 13. *ni mag iz gifremen*, non poterit perficere. MINSHEW derivat a *forma* & *formare*, nec illepide judice SKINNERO. Hodie utimur compoſito *anfremmen*, quod vide.

FRESSEN, vorare, devorare. Dicitur de animalibus, lurconibus, & famelicis tantum. Evang. Goth. Marc. IV. 4. *quemun fuglos jah fretun thata*, venerunt volucres & comederunt illud. Luc. XV. 30. *ſaei fret thein fwes mit kalkjom*, qui devoravit ſubſtantiam tuam cum meretricibus. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *fretan* lurcari, vorare, *fretere* lurco, vorax, edax, *fretneſſe* voracitas, edacitas. Gloſſ. Pez. depaſti eſtis *fraztut*, depaſcet *frizit*. NOTKERUS Pſal. CIV. 35. de locuſta : *unde fraz heuue unde allen erdenuuocher*, & comedit fœnum & omnem fructum terræ. Hodie *freſſen* ruſtica lingua eſt comedere. Isque haud dubie primus & vetuſtiſſimus verbi ſignificatus. Nam Hebræis *barah* eſt edere, quod HELVIGIUS pro etymo adducit. Nec aliud Græcis *βρώσκειν*, *βρύττειν*, *βράξαι*, *βορᾶζειν*, quam *ἐδίειν*, edere, manducare. Imo etiam Francis *frezan* eſt comedere, & dicitur de hominibus absque vituperio. Teſtis OTFRIDUS Lib. III. Cap. VI. in fine:

Ni frazun ſie iz allaz,
Sibun korbi ubarlaz.

Senſus eſt, populum non omnes panes comediſſe, ſed ſeptem corbes reliquiſſe. Et hoc ſenſu etiamnum ſuperat in antiquiſſimo derivato *brot* panis, cujus ſoror germana eſt *fraſs* cibus.

FRETH, fœvus. V. *wred*.

FRETTEN, onerare, gravare. Græcis *βριθύς* eſt gravis, *βρίθος* onus, *βρίθειν* onerari. Quæ nobis poſſunt ſervire pro etymo. Inde reciproca *ſich fretten* gravari, *ſich abfretten* laſſari, defatigari, gravari usque ad impotentiam. Et huc etiam referri commode poteſt vox Angloſaxonica *frode* laſſus, debilitatus, confectus, quam ſiſtit SOMNER. in Dict. A *fretten* rurſus ſit *fret* onus; quod a Gallis reſtringitur ad onus nauticum. Noſtri dicunt *fracht* per epenthesin. Sed Gallica vox ſanior & origini propinquior eſt.

FRETZEN, eadem notione ut *freſſen*, quod vide. Utitur Luth. comp. *auffretzen* devorare, depaſcere Num. XXII. 4. Hodie legimus *auffreſſen*, quod etiamſi idem ſit, temere tamen ſubſtitui non debuit.

FREVEL. V. *frævel.*

FREUEN, lætari, *freude* gaudium. NOTKERUS Pſal. CV. 5. *unſih ze freuuenne in dero freuui dines dietes*, ad lætandum in lætitia gentis tuæ. Neſcio an alia etymologia opus ſit quam verbo Græco *εὐφραίνομαι* lætor. Cum illo conſentit Arabicum *feriha* gaviſus eſt. In reliquis Dialectis litera canina tanquam lætitiæ adverſa eliditur. Hinc gaudium & gaudere Gothis dicitur *faheds* & *faginon*, Angloſaxonibus *gefea* & *gefean*, item *fægnunge* & *fægnian*.

FREUEN, lætificare, facere ut gaudeat. Gr. *εὐφραίνω*. NOTKER. Pſal. XX. 7. *du freuuiſt in in mende*, lætificabis eum in gaudio. Verbum faceſſens ex præcedenti. Hodie utimur comp. *erfreuen.*

FREUND, amicus. Gothis *frijonds* Luc. VII. 34. Angloſaxon. *freond* ibidem, & alibi *frynd*, Franc. & Alam. *friunt*, Belg. *vriend*, Angl. *friend.* Gloſſ. Keron. amice *friunt.* TATIANUS Cap. CXCVI. 8. *uuarun tho giuuortan friunta*, tunc facti ſunt amici, Herodes puta & Pilatus. NOTKERUS Pſal. XXXVII. 12. *mine friunt und mine gelegenen nahton ſih uuider mir*, amici mei & proximi mei appropinquarunt adverſus me. Contractum ex participio verbi *freyen* amare, diligere. Sic & Latinis ab *amo* fit *amicus*, & a *φιλέω φίλος* apud Græcos. HELVIGIUS ducit a *βροτὸς* mortalis. Parum convenienter.

FREUND, cognatus. VEREL. in Ind. *frændi* conſanguineus, *frændkona* conſanguinea, *frændvig* conſanguineorum interfectorum ultio &c. Jus prov. Alam. Cap. 142. *wie ain rihter über ſin friund rihten ſol*, quomodo judex judicare debeat de cognatis ſuis. Senſus ab amicis ad cognatos translatus, quia cognati duce ſanguine & natura plerumque ſunt amici, ſibique invicem chariſſimi, niſi aliæ adſint cauſæ, quæ illos aliter determinent.

FREY, pulcher, amabilis, appetibilis. Vox Celtica. HENISCH. in Theſ. L. Germ. *frei* bellus, venuſtus, elegans &c. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *fraw* pulcher. Idem Belgis *frai*, Armoricis *frau*, teſte PEZRONIO in Antiq. Celt. pag. 427. Qua ſit ab origine natum, non liquet. Olim deduxi a *freyen* amare. Sed nunc naſcendi ordo mihi videtur invertendus, verbumque ab adjectivo derivandum. Interim patet, quid proprie ſit FREA, quatenus eſt nomen proprium mulieris, nempe *pulchra*, *bella*, *amabilis.* Hoc certe malo, quam vel *dominam* interpretari, vel *liberam*, etiamſi *frea* eo ſenſu in Legibus Longobardicis occurrat. Claruit hoc nomine inprimis uxor Wodani, teſte P. WARNEFRIDO Lib. I. de Geſt. Longob. Cap. 8.

FREYA, Dea pronuba, Venus veterum Germanorum. Nomen hujus Deæ adhuc inter nos perennare in Sexto die Septimanæ, negari vix poteſt. Reipſa erat uxor Regis Wodani, quæ, cum adhuc inter mortales verſaretur, a pulchritudine dicta eſt *Frea*, & poſt conſecrationem FREIA, FRIGA, & per ſyncopen FREA, FRIA. Hinc dies Veneris, qui hodie *frey-tag*, antiquis dicitur *frige-tag* & *fria-tag*, velut dies Frigæ vel Friæ. Et ab hac quoque Dea cingulum Orionis in cœlo appellatum fuiſſe *Friggeroch* colum Friggæ, quod poſt receptam Chriſtianam religionem *Mariroch* ſive colus Mariæ dictum fuit, ex Anonymo Auctore docet MARESCHALLUS in Obſerv. ad Verſ. Angloſaxon. pag. 514. Cauſa tam varii nominis omnibus una cenſetur, etiamſi in reddenda ratione non conveniant. GROTIUS videtur nomen Deæ derivare a *freien* liberare. Sic enim ſcribit in Indice: FREA, *libera. Deæ nomen apud veteres Germanos, quæ matrimoniis præerat, per quæ virgines a manu parentum liberabantur.* STIERNHIELMIUS Deam a ſemine genitali, quod Suecis *frö*, ſic dictam putat, quaſi Matrem Univerſi ſeminatricem in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 49. Nobis poſt illos aliud ſentire fas ſit. Nam *Freya* eſt amor, prætereaque nihil, a *freyen* amare, vel amor conjugalis a *freyen* nubere, procari. Nec *Matrem Phrygiam*, quam in Italiam ſecum vexit Æneas, aliud denotare puto quam *Matrem Venerem*, vel *Matrem Amorem*, ob linguæ Phrygiæ & Germanicæ in multis vocabulis conſonantiam.

FREYE, amor, tam benevolentiæ, quam concupiſcentiæ. Gothis *friathwa* eſt dilectio, a *frijon* amare, Joh. XIII. 35. Hodie dixeris *freyte.* Sed *freye* ſimplicius eſt, imo antiquius, & conſpicuum in nomine FREYA Dea amoris, Dea nuptiarum, paulo ante explicato. Et hoc ſenſu etiamnum ſuperat in compoſito *frey-werber* conciliator nuptiarum, a *werben* negotiari.

FREYEN, amare, diligere. Verbum antiquiſſimum, & a Gothis relictum, quibus *frijon* eſt amare Marc. XII. 33. *frijos* amas Joh. XI. 3. *frioth* amat Joh. X. 17. *frijond* amant Matth. VI. 5. *frijoda* amavit Joh. XI. 36. & alia, inſigni ſtudio a STIERNHIELMIO in Gloſſ. Goth. collecta. Ipſe originem verbi non adtingit, ſed ad *Additamenta* ſua tanquam in Terram incognitam nos remittit. Quid auſus ſit JUNIUS circa hoc verbum, ex Gloſſario ejus patet, ubi *frijon* derivata *frije* liber, quaſi amare ſit ingenue cum aliquo verſari, arcana pectoris libere effundendo, nec quicquam auribus dando. Forte aliam etymologiam dediſſet, ſi recordari potuiſſet, quod Celtica Lingua *frey* ſit pulchrum. Nam pulchrum eſt ipſum amabile, & naturaliter in nobis excitat illum affectum, quem *amorem* vocamus, quo uniri cum re amata cupimus, atque ut illi viciſſim placeamus, ac pulchri videamur, contendimus. *Pulchrum* autem dicitur, quod a natura ita formatum, ut ſimilitudine ſua nos delectari poſſit. Hinc quo magis imaginamur, aliquem nobis ſimilem eſſe, ſive indole & voluntate, ſive ſtudiis & moribus,

eo

eo magis illum amabimus, atque ut ab illo viciſſim amemur, efficere conabimur. Quo ipſo manifeſtum eſt, quod *amare* nihil aliud ſit, quam appetere pulchrum mutuæ delectationis cauſa. Hæc ex principiis Philoſophiæ moralis repetenda erant, ut ii, qui hæc meditata legunt, eo melius intelligant, quod *freyen* amare ſit verbum deſiderativum a *frey* pulcher, quia amor naturaliter tendit in pulchrum, ſicut eſuriens in eſum, a quo nomen accipit. Confer *lieben* amare. Gothi a *freyen* derivant *friathwa* amor, dilectio, Germani *freye*, *freyte* amor, *freund* amicus, Islandi *frid* pulcher, amabilis. VEREL. in Ind. *fridur*, fœm. *frid*, venuſtus, venuſta, pulcer, pulcra, *einka fridur* ſolus pulcer. Et hinc fortaſſe nomen capit filia R. Theodorici AMALAFRIDA, ſine macula pulcra. Vide ſimilia compoſita in *Amali*. Aliam ejusdem nominis interpretationem dedi in *frieden* tueri; ſed hæc videtur illi palmam præripere. Reliqui ſignificatus verbi *freyen*, ſunt ejusdem ſurculi.

FREYEN, procari, amorem ambire, *freyer* procus, *auf die freye gehen* ire procatum. Similiter & Suecis *frya* eſt procari, *fryare* procus.

FREYEN, nubere, conjugari, *anſehen macht freyen* ex aſpectu naſcitur hymenæus. Utitur Luth. Matth. XXII. 30. & paſſim. Belgæ inde habent *vryſter* puella nubilis.

FREY-TAG, dies Veneris. Angloſaxon. *frige-deg*, TATIANO *frigetag* Cap. CCXI. I. OTFRIDO *friadag* Lib. V. Cap. IV. 12. JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 172. cauſam nominis ad turpiſſimum Deaſtrum FRICCONEM refert, quem quondam cum Thoro & Wodano Upſaliæ cultum memorat ADAMUS Bremenſis Hiſt. Eccl. Cap. 233. Contra MARESCHALLUS in Obſ. ad Verſ. AS. pag. 514. hunc diem ejusque denominationem ab ipſa Venere Saxonica, quæ (ut ſupra demonſtratum) diverſis nominibus *Freya*, *Friga*, *Fria* &c. ſalutatur, derivat. Et hæc ſententia alteri omnino eſt præferenda. Conſtat enim Saxones antiquos cultui Wodani ejusque Familiæ impenſe fuiſſe deditos, & diem quartum Septimanæ nuncupaſſe *Wodnes-deg*, a Wodano patre, & diem quintum *Thors-deg*, a filio Thoro. Unde valde veroſimile fit, eosdem diem ſextum (*Frige-deg*) non aliunde quam ab ipſa *Friga*, conjuge Wodani & matre Thori, ſic appellaſſe. Unum WILLIELMI Malmesburienſis, de *Hengiſto* & *Horſa* differentis, teſtimonium ex Obſervationibus MARESCHALLI deſcribam: *Erant*, inquit ille, *abnepotes illius antiquiſſimi* WODEN, *de quo omnium fere barbararum Gentium regium genus lineam trahit; quemque Gentes Anglorum Deum eſſe delirantes, ei quartum diem Septimanæ, & ſextum uxori ejus* FREÆ *perpetuo ad hoc tempus conſecraverunt ſacrilegio.*

FREY-WERBER, paranymphus. V. *freye* amor.

FREYLICH, adverb. affirmandi, ſed novum, & nuper fabricatum a Gallico *vray* verum.

FRICKEN, appetere, concupiſcere. Sicut ſoboles prodit parentem, ita compoſita & derivata hoc verbum, quamvis per ſe nullibi obvium, videntur oſtendere. Talia ſunt,

faihufrikai, avari, pecuniæ cupidi, in Verſione Gothica Luc. XVI. 14.

faihufrikeins, concupiſcentiæ Marc. VII. 22. ibidem.

friclan, appetere, *friclo* appetitus, apud SOMNER. in Dict. AS.

frechi, avaritia, in Gloſſis Boxh. & apud NOTKERUM Pſal. CXVIII. 36.

frygd, libido, in Ind. VERELII.

vrek, avarus, habendi cupidus, *vrekheit* avaritia, Dial. Belgica.

Et huc etiam ſpectat FRICCO, libidinis Deus apud Septemtrionales, forte in numerum Deorum receptus ob virilis membri magnitudinem, ut Priapus apud Lampſacenos. Natione Scytham fuiſſe, & ab ipſo Othino inter Divos Aſiaticos relatum, tradit Hiſtoria Norvagica apud OLAUM WORMIUM in Mon. Dan. pag. 11. Vulgo male confunditur cum *Friga*, conjuge Othini, & Venere Saxonica.

FRIEDE, pax publica & privata, cujus oppoſitum bellum & diſcordia. Angloſaxon. *frith*, *fryth*, Franc. & Alam. *frido*. Gloſſ. Keron. pacis *frido*, pacem *fridu*, in pace *in fridu*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XII. 47. *fridu in erdu*, pax in terra. Idem Belgis *vrede*, Suec. *frydh*, Island. *fridr*. Quo ſenſu, haud perſpicuum, ob fontium, qui ſe conſiderantibus offerunt, varietatem. FRANCISCUS JUNIUS, qui primus ſententiam dixit, denominationem pacis deſumptam putat ex idiomate Gothico, in quo charitas & dilectio, ſine qua vera & inconcuſſa pax coagmentari non poteſt, dicitur *friathwa*, Joh. XVII. 26. a *frijon* amare: ſic ut pax nihil aliud ſit quam conjunctio animorum. STILERO ſic dicitur quaſi libertas, a *freien* liberare, quia pax tutiſſima rerum. Tunc enim ſtatus Reip. nonſolum a bello inferendo & profligando liber, ſed etiam ab omnibus illis malis, quæ bellum comitari ſolent, immunis eſt. Alii vocem ex Oriente petunt, ab Heb. *brith* fœdus. Hæ etymologiæ facile conciliari invicem poſſunt, pro vario pacis vultu. Nam pax tribus modis conſiderari poteſt, vel ut *concordia* ſeu *conjunctio animorum*, vel ut *pacta amicitia*, vel ut *ſtatus immunis*. Primus ſenſus optime derivatur a *freien* amare, diligere, ſecundus a *brith* fœdus, tertius a *freien* liberare. Porro *friede* unum eſt ex illis vocabulis, unde plura *Nomina propria* apud Veteres Germanos deſumpta ſunt. Quamvis enim appellationes a bello genti bellicoſiſſimæ plerumque gratiores eſſent, & cæteris frequentius occurrant, negari tamen non poteſt,

multas reperiri, quæ pacem ſpirant, quas ex Indicibus GOLDASTI Alamannicis ſtudioſe convaſavit & interpretatione ornavit JUNIUS in Obſ. ad Will. pag. 289.

Nomina Propria Virorum interprete Junio.

Adalfrid, nobilis pax vel nobilitatis ſecuritas.
Alfrid, *aalfrid*, omnium tranquillitas.
Amalfrid, *amalfrit*, cœleſtis pax.
Anſfrid, glorioſa pax vel gratioſa pax.
Baldfrid, audax pace.
Bilifrid, exemplum pacis.
Cotefrid, *cothefrith*, Dei pax vel divina pax.
Crimfrid, crudelis pace vel ſæva pax.
Cundfrid, gnarus pacis vel divulgans pacem.
Deotfrid, populi pax.
Erinfrid, gloria pacis vel venerabilis pax.
Erlefrid, principum virorum pax.
Fridaloch, *fridelob*, pacis illecebra.
Fridauot, pacis neceſſitas vel pacem extorquens.
Fridarat, *fridcrat*, pacis conſilium.
Fridebald, pacis audacia vel pace audax.
Fridebert, *friduprebt*, pace clarus.
Fridebelm, pacis galea vel tutela pacis.
Fridemunt, pacis tutor vel patronus pacis.
Fridolf, pacis adjutor vel aſſertor pacis.
Fridorich, *fridurih*, pace dives vel pace potens.
Fridouuic, pacis perfugium.
Friduger, pacis cupidus, pacificus.
Gerfrid, cupidus pacis, deſiderans pacem.
Giſalfrid, obſidum pax vel ſodalium ſecuritas.
Heilfrid, ſalutaris pax vel ſalus pacis.
Hiltifrid, tenax pacis vel fidelitas pacis.
Hraufrid, pura pax.
Hunfrid, centuriarum pax.
Itifrid, ſenilis ætatis pax.
Iſanfrid, ferri pax, inhibens ferri licentiam.
Kiſalfrid, idem cum *Giſalfrid*.
Landfred, *lantfrit*, regionis pax.
Liutfrid, populi pax. Idem cum *Deotfrid*.
Mabtfrid, potentiæ ſecuritas.
Muotfrid, otii pax vel pax animi.
Otfrid, divitiarum ſecuritas.
Perabtfrid, inclyta pax.
Perchfrid, *perhfrid*, ſaltuum pax.
Ratfrid, conſilii ſecuritas vel conſilium pacis.
Ricfrid, *rihfrid*, potentiæ ſecuritas.
Sefrit, maris pax, mari pacem dans.
Sigofrid, victoriæ pax.
Starachfrid, fortis pax, firma tranquillitas.
Tagafrid, dierum vel ſeculi tranquillitas.
Theotfrid, *thiafrit*, idem cum *Deotfrid*.
Walafrid, peregrinorum ſecuritas.
Waltfrid, *uualtifrid*, ſylvarum pax.
Willifrid, volens pacem vel affectuum tranquillitas.
Witfrid, ampla vel late diffuſa pax.
Wolafrid, *uuolfrid*, deliciarum vel divitiarum ſecuritas.

Nomina Propria Mulierum, eodem interprete.

Adalfrit, cum viris commune.
Brunfrid, loricarum pax.
Cundfrit, cum viris commune.
Frida, *frita*, *fridiue*, *fridini*, *frideni*, *fridinia*, *friduni*, nomina ſunt ipſius Pacis mulieribus indita.
Fridaburg, *frideburg*, pacis arx.
Fridagart, pacis paradiſus.
Fridelind, *fridiliud*, pax lenis vel pace lenis.
Fridebelm, cum viris commune.
Fridebere, pacis exercitus.
Friderat, cum viris commune.
Fridiliuba, pacis amans.
Meginfrid, virtutis ſecuritas.
Reginfrit, Heroum pax vel Regum ſecuritas.
Rihfrit, cum viris commune.
Sigefred, cum viris commune.
Thietfrid, *thiotfrid*, cum viris commune.
Walafrid, cum viris commune.
Waltfrid, cum viris commune.
Wolafrid, cum viris commune.

Hæc ille. Quid mihi de his interpretationibus videatur, infra exponam in *frieden* tueri. Omnium vero vetuſtiſſimum & famoſiſſimum eſt, nomen

FRITIGERNI,

Ducis Gothorum occidentalium apud MARCELLINUM Lib. XXXI. Cap. 5. 6. quod REINESIUS ſuſpicatur fœdatum ex *fridiger*, apud ECCARD. in Cat. Theot. pag. 53. 54. quamvis immerito. Nam *georn* Angloſaxonibus eſt cupidus, ſtudioſus, intentus, & *frithgeorn*, (unde *fritigernus*) pacificus, pacis ſtudioſus, teſtibus SOMNERO & BENSONIO. Cæterum E. in medio vocis *fried*, quamvis uſu hodierno probatum, inutile tamen videri poteſt, quia nec pronunciatur, nec ab Antiquis agnoſcitur. STILERUS: *Vellem ut fride ſcriberetur ſine E. ſicut Sueci ſcribunt fridh; ſed refragatur uſus.*

FRIEDE, fœdus, pactum, ipſa pax quatenus eſt pacta amicitia. BENSONIUS in Vocab. Angloſax. *fryth* pax, fœdus, *fryth-gyld* fœderatorum ſocietas, *fryth-gyslas* obſides, quia fœderis vel ineundi vel ſervandi cauſa dantur. Cum hoc ſignificatu convenit Heb. *brith*.

FRIEDE, quies, tranquillitas, ipſa pax quatenus eſt ſtatus imperturbatus. Inde *friedlich* quietus & quiete, tranquillus & tranquille.

FRIEDE, ſecuritas, ipſa pax quatenus eſt ſtatus a metu immunis. Præcipua compoſita ſunt,

kirch-friede, ſecuritas quam præſtat Eccleſia. Jus prov. Alam. Cap. 324.
burg-friede, ſecuritas quam præſtat burgum.
band-friede, cautio manu data de non offendendo.

Eodem ſignificatu occurrit in nominibus locorum, quæ immunitate quadam gaudent, ut ſunt,

apud

apud Anglosaxones,

frith-ſtoll, aſylum, ſanctuarium, refugium delinquentium, a *ſtoll*, *ſtul*, ſedes, cathedra, quaſi ſedes ſecuritatis. SPELMANNUS in voce: *Erant hujusmodi Cathedrarum multæ in Anglia, præter Eboracenſem iſtam: Beverlaci autem celeberrima, quæ priſcorum Regum benignitate (puta Æthelſtani vel alterius cujuspiam) aſyli nacta privilegium, tali honeſtabatur inſcriptione.* HÆC SEDES LAPIDEA *Freedſtoll* DICITUR, *i.e.* PACIS CATHEDRA, AD QUAM REUS FUGIENDO PERVENIENS, OMNIMODAM HABET SECURITATEM. *Occurrit frithſtol pro refugio*, in *quadam Verſione Pſalmi 17. frythſtow pro aſylo*, *in præfat. LL. Aluredi: & ſignificat præterea palatium, quod palatia Regum & optimatum multis legibus a vi & injuria erant immunia.* PLATINA hoc inſtitutum (ut aræ & Eccleſiæ eſſent aſyla reis) tribuit Bonifacio V. SPELMANNUS Honorio & Theodoſio, in voce *Sanctuarium*.

frith-ſtow, idem, a *ſtow* locus.

Apud Francos.

frit-hof, aula, palatium, atrium, prætorium. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXV. 12. *in Kaiphaſes frithof*, in Caiphæ palatio. TATIANUS Cap. CXCII. 3. *inti leittun inan gebuntanan in frithoff*, & adduxerunt eum vinctum in prætorium. Omnino a ſecuritate, neque incommode, quia atria Principum ab inſultu nonſolum per ſe tuta ſunt, ſed & tutos præſtant alios. Inde eſt, quod atrium promiſcue *frihof & frithof* dicitur, illud a libertate, hoc a ſecuritate. Gloſſ. Lipſ. *frihof* atrium, *frithovo* atria.

frit-hof, cœmeterium. Gloſſ. Pez. cimiteria *vrithova*. Jus prov. Alam. Cap. LXIV. 2. *tut er ain frævel in der kirchen oder in dem frit-hof*, *er muz gaiſtlichem geriht büzzen*, ſi factum injuriosum fecerit in Eccleſia aut Cœmeterio, foro eccleſiaſtico emendare debet. Sic autem dicitur, quia cœmeteria antiquitus eodem gaudebant privilegio ac palatia principum, ita ut in illis nec mortuos violare fas eſſet, nec vivos. In quibusdam Germaniæ locis obtinet *flithof*, quod ex antecedenti vitiatum judicat STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 216.

FRIEDE, ſatisfactio, mulcta, compenſatio delicti ſiſco debita. Haud dubie ſic dicta ab effectu, h. e. a *frieden* tueri, quia delinquentem ſecuritati, unde maleficio ſuo exciderat, reſtituit. Latino-Barbari *fredum* & *fridum* vocant, a Franco-Theotiſco *frido*, quod extat in Lege Salica Tit. XX. 3. ubi compenſatio vulneris, quæ proprie eſt *ſcarfrido* ſeu *ſcart-frido*, mendoſe vocatur *charfrido*. Vide notas Cel. ECCARDI ad hunc locum, qui primus *vulnus* in voce Salica animadvertit. Ipſum *fredum* ubique obvium eſt in omnibus veterum Germanorum Legibus, non Salica tantum, ſed etiam Ripuaria, Alamannica, Longobardica, Boiariorum, Friſionum &c. Antiquiſſimis temporibus duo erant *fredorum* genera. TACITUS Cap. XII. de M. G. *Pars multæ Regi vel Civitati, pars ipſi qui vindicatur vel propinquis ejus exſolvitur.* Quod ſapientiſſime inſtitutum eſſe patet, quia in quovis delicto duplex læſio concipienda, civis & civitatis. Cæterum *friede* pro compenſatione non plane obſoleſcit. Proſtant enim compoſita, *friede-richter* magiſtratus compoſitionum, & *befriedigen* ſatisfacere.

FRIEDE, juſtitium. Senſus a quiete armorum ad ſilentium fori translatus. VEREL. in Ind. *fridr* in Legibus nonſolum ſecuritatem publicam notat, ſed etiam ceſſationem & ferias a litibus & negotiis forenſibus, juſtitium. Inde dies ſanctiores & a ſtrepitu forenſi liberi (quales olim erant dies Jovis, Veneris, Saturni, Solis) vocantur *friedliche tage*, in Jure prov. Alam. Cap. 247.

FRIEDEN, tueri, tutari. SOMNERUS in Dict. AS. *frithian* protegere, immunem vel quietum præſtare. LOCCENIUS in Lex. Jur. Sueo-Goth. *fryda och fræſſa* ſecuros & liberos præſtare. Haud dubie a *fried* ſecuritas. A *frieden* rurſus fit *fried*, *frid*, aſſertor, protector, defenſor, in Nominibus propriis Veterum, ut ſunt:

AMALFRID, tutrix immaculata. Nomen filiæ R. Theodorici in Italia.
BALDFRID, aſſertor audax.
CUNDFRID, defenſor notus.
DEOTFRID, protector populi.
ERINFRID, defenſor honoris.
OTFRID, defenſor felicitatis.
HEILFRID, defenſor ſalutis.
STARACHFRID, aſſertor fortis.
FRIDERICH, protector potens. Dicitur & *Fredericus*, eſtque nomen Principis Gothorum in Chronico Marii Aventicenſis ad an. 463. nec non in Chronico Idatii.

Et ſic de reliquis judicandum, in quibus *frid* male aſſumitur pro *pace*, *ſecuritate*, *tranquillitate*, quotiens *defenſorem* denotare poteſt. Et univerſe hominem appellare *pacem*, in caſu recto, a re & more Germanico alienum eſt.

FRIEDEN, munire, ſepimento, muro, vel foſſa cingere. Senſus a tutamine qualicunque ad munitiones locorum traductus. Utitur Luth. compoſito *befrieden* 2. Macc. I. 34. *und ließ den ort befrieden*, & locum juſſit muniri. Hinc etiam turres & propugnacula interdum vocantur *frid*, ut docet SCHILTERUS in Gloſſario.

FRIEDEN ANSTOSSEN, pangere pacem dextris junctis. Vetus formula, & reſtitui digna, quæ infra recurret in *treffen* tangere.

FRIEDLICH, quietus & quiete. Anglosax. *frithlice*.

FRIEDSAM, pacificus, pacis ſtudioſus. Angloſax. *frithſum*, Francis *friduſam*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XVI. 49. *thie friduſame*

me ouh ſalig, beati quoque pacifici. De terminatione *ſam* vide *Proleg.*

FRIEDSAM, pacatus, ſecurus. Sic tempora pacata OTFRIDO vocantur *fridoſamo ziti*, in Præf. ad R. Lud. verſ. 59.

FRIEREN, algere & gelare, *gefroren* gelatus. Factum ab antiquiori *frieſen*, elemento S. ut ſæpe alias, in R. mutato. Belgæ, qui alias dicunt *vriezen*, in præt. perf. habent *gevroren* gelatus.

FRIES, Friſo, Friſius, *Friesland* Friſia, terra Friſiorum. Angloſaxonice *Fryſa* & *Frysland*, apud SOMNERUM & BENSONIUM. In ſententia BODINI *Fries* eſt *Phryx*, hoc eſt, Phrygius vel Trojanus. Quod CLUVERIUS male inde refellit, quod Germani ſint indigenæ, nullisque aliarum gentium adventibus mixti. In ſententia BAXTERI *Fries* & *Phryx* ſunt nomina communia omnium populorum in regione frigida habitantium. Nam quod Latine dicimus *frigus*, id Græcis, inquit, eſt φρυγος, Pelasgis φερυγος & βερυγος. Hinc judicio ejus *Phryges*, *Bryges*, *Brigantes*, *Frixi*, *Friſii*, *Friſones*, *Briſones*, *Britones*, *Britanni*, imo etiam *Thraces*, ſunt eadem nomina a regionis frigore deſumta. Vide Doctiſſimi Viri *Gloſſarium Antiquitatum Britannicarum* pag. 48. Sed huic etymologiæ non auſim fidem meam interponere. Alii rationem nominis in ſtudio libertatis quærunt, quod non ita frigidum eſt, ut antecedens. Nam veteres Friſios libertatis tenaciſſimos fuiſſe, res geſtæ cum Olennio aliisque declarant. Sed qua lingua *fries* liberum deſignet, ipſi ignorant. Admitti tamen poteſt, ſi derivetur a *fry* liber, vel *freot* libertas, quod Angloſaxonicum. Helvetica lingua *frieſen* eſt agrum concidere foſſione, & *fries* foſſor, teſte PICTORIO in Dict. Hinc ECCARDUS in *Præf. ad Collectanea Etymologica Leibnitii* pag. 11. optime colligit, *Friſiam* vi nominis eſſe terram foſſis refertam, & *Friſium* agrifoſſorem. Sed bonam cauſam male defendit ex hodiernæ Friſiæ natura & conditione. Hoc præcipuum in etymologia, non quod hodiernis conveniat Friſius, qui veterum Cauchorum ſedes tenent, ſed quod antiquis, qui inter Cauchos & Caninefates, Oceanum & Lacum Flevionem medii habitabant, & in hoc ſitu tam humili & paludoſo, ſe tueri non poterant absque magno foſſarum numero. Interim cum verbo Helvetico *frieſen* convenit exacte Græc. ὀρύσσω fodio, ſi digamma Æolicum præfigatur. Convenit etiam *frieden* munire.

FRIES, pannus craſſus & villoſus. Angl. *freeſe*, Gall. *drap de Friſe*, hoc eſt, pannus Friſicus, ab inventoribus Friſiis, judice SKINNERO. MINSEVUS a *Phrygibus* deducit, ſatis frigide. Quorſum enim attinet, inquit SKINNERUS, illud e Phrygia Aſiæ per tot terrarum intervalla arceſſere, quod in proximo Belgio ſe offert?

FRIESEL, purpura, febris purpurea, ſic dicta a *frieſen* frigere, quod cum frigore accedat. Gallis *friſſon* eſt horror ex frigore vel febre, cognato ſignificatu.

FRIESEN, algere & gelare, frigere & frigore conſtringi. SOMNER. *fryſan* gelare. Gloſſ. Pez. gelaverit *gifriuſt*. Idem Belgis *vriezen*, Angl. *freeze*, Scandis *fryſa*. Quibus conſentit φρίσσω, φρίττω horreo, primo frigore, deinde metu. Ab hac verbi forma derivantur *friſch*, *froſt*, *frieſel* &c.

FRISCH, refrigerans, *erfriſchen* refrigerare. Dicitur tantum de frigore remiſſo & recreante, quamvis ex eodem fonte. Inde Italis *freſco* frigus amabile, Gallis *vent fraiche* aura lenis & refrigerans, *rafraichir* refrigerare, *rafraichiſſement* refrigerium, refrigeratio.

FRISCH, recens. Armor. *frieſc*, Belg. *verſch*, *friſch*, Angl. *freſh*, Suec. *færſk*, Gall. *frais*, *fraiche*, Ital. *freſco*. FERRARIUS arceſſit a *vireſcens*, quod recens ob vigorem ſimile ſit florenti & virenti. Alius a *vires*, quod recens ſit vegetum. Forte primi inventores reſpexerunt ad frigus, quo vigor rerum naturalium conſervatur. Quo poſito *friſch* proprie erit *frigidus*, a *frieſen* frigere, & ſenſu translato *recens*, ducta ſimilitudine ab iis rebus, quæ frigore conſervantur. Ita videtur ſentire HELVIGIUS in Orig. Dict. Germ. Imo etiam MARTINIUS in voce *recens*, quamvis etiam a *vireſco* vel *frigeo* deduci poſſe putet. Francis hunc ſignificatum haud ignotum nec inuſitatum fuiſſe, poſtea patebit ex dicendis in *friſchling*.

FRISCH, alacer, vividus, vegetus. Senſus a recenti ad alacrem, vividum, & ſpiritu plenum translatus, quia ſcil. omnia fere juniora & recentiora ſpiritibus abundant, antiqua vapeſcunt & elanguescunt. Ita SKINNERUS in Etymol. Angl. ubi Angloſaxonibus tribuit *ferſch*, quod nuſpiam invenio. Franci dicunt *raſch* & *riſch*, ſed ex alio fonte. Vide utrumque in loco.

FRISCH, porcus vel ovis junior, quæ nondum ad juſtum incrementum pervenit. Subſtantivum ab adj. *friſch* novus, recens. Inde *halb-friſch* ſemifriſcinga, apud CANGIUM in Gloſſario.

FRISCHLING, porcus vel ovis anniccula. Franci utuntur terminatione *ing*, non *ling*. Gloſſ. Pez. pòrcus paſchalis *oſter-friſcing*. NOTKERUS Pſal. XLIII. 12. *du habeſt unſih in gegeben ze frezzene ſamo ſo slaht friuſcinga*, dediſti nos tanquam oves eſcarum. Inde Latino-Barbaris *friſcingæ* tam *ovinæ* quam *vervecinæ*, apud LINDENBROGIUM in Gloſſ. CANGIUM in Gloſſ. ECCARDUM in not. ad Leg. Sal. pag. 243. Utraque terminatio poteſt eſſe nota diminutivi, vel adjectivi ſubſtantivati. Hinc *friſking* & *friſchling* revera eandem rem ſignificant, nec alio pacto differunt, niſi quod uſus vocem hodiernam animalibus domeſticis ſubduxit, & porcis ſylveſtribus propriam dicavit.

FRIST, mora, intervallum. VERELIN. Ind. *freſtr* mora, dilatio. Gloſſ. Reenhielm. *freſtr* mora, intercapedo, *thriggia natta freſtr* trium noctium ſpatium. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXIII. 269. de incommodis hujus vitæ:

Froſt ther unblider iſt
Ther ni gibit thir thar friſt.
Frigus quod injucundum eſt,
Non dat tibi dilationem.

Utitur hoc ſenſu Luth. Gen. VI. 3. Inde *kurze friſt* parva temporis uſura, *galgen-friſt* procraſtinatio ſupplicii. Angloſaxones dicunt *fyrſt*, teſte SOMNERO & BENSONIO. Quod certe origini propinquius. Nam proprie eſt tempus prolatum, ab adverb. temporis *für* porro, per medium derivandi ST.

FRIST, ſpatium temporis quodcunque. Angloſax. *fyrſt*, Franc. & Alam. *friſt*, *viriſt*. Gloſſ. Pez. ſpatium *friſt*. RUODPERTUS S. Galli Magiſter in Gloſſis: *uuanda des keſtirnit chraft fergat unde virloufit in ſo langero viriſte ſo man einin ſtupf ketuon mag*, quia virtus conſtellationis in ictu pungentis eſt. OTFRIDUS Lib. III. Cap. IV. 79.

Er ſar zi theru friſti
Quad, es uuiht ni uueſti.
Et ſtatim in illa hora
Reſpondit, ſe id neſcire.

Et poſtea verſ. 451.

Alles mines libes friſt,
Uuiolih thar in lante iſt.
Omni vitæ meæ tempore,
Quantum ejus eſt in hac terra.

Hodie etiamnum dicimus *zur friſt*, ſtatim in illa hora, *zu aller friſt* omni tempore, *lebens-friſt* tempus vitæ, totum vivendi ſpatium partu & morte definitum.

FRIST, ſpatium temporis opportunum, alias *occaſio*. KERO in Gloſſis: occaſio *friſt*. Senſus Alamannis proprius, ſed eodem jure factus ut reliqui. Nam & Latini ſæpe *temporis* vocabulo pro ipſa *occaſione* utuntur. Sic PHÆDRUS effigiem occaſionis vocat *effigiem temporis* Lib. V. fab. 9. Et de Alcibiade ſcribit NEPOS Cap. 8. quod *tempus rei gerendæ*, hoc eſt, opportunitatem non dimiſerit. Hodie tamen obſoleſcit.

FRIST, ſpatium temporis definitum, alias *comperendinatio*, vel *terminus judicialis*. Senſus forenſis. Inde *not-friſt* terminus peremptorius, *ſechſſche friſt* terminus jure Saxonico definitus, ſpatium XLV. dierum.

FRISTEN, prorogare tempus agendi vel patiendi, vivendi vel moriendi. Angloſaxonibus *fyrſtan* eſt inducias facere. VERELIO in Ind. *freſta* differre, tardare.

FRISTEN, ſenſu forenſi eſt comperendinare, vel diem judicio dicere. Hoc ſenſu occurrit in Jure Prov. Alam. Cap. 295. *ob ain kampf gefriſtet uuirt.* Vertit cel. SCHERZIUS: *de eo, ſi duello judiciali certa dies fuerit præfixa.*

FRISTEN, olim plures habuit ſignificatus, ſed in Germania pridem abolitos, nec ex antecedentibus fluentes, quales ſunt, quod Francis *friſtan* eſt *interpretari*, & alia Dialecto *tentare*, de quibus conſuli poteſt FR. JUNIUS in Obſerv. ad Willeram. pag. 51. & in Gloſſ. Goth. pag. 166.

FRIT-HOF, in monumentis Francorum tribuitur palatiis principum & cœmeteriis, ut oſtendi in *friede* ſecuritas.

FRO, lætus, hilaris. Francis *fro*, *frau*, *frou*, Belg. *vro*. Gloſſ. Iun. in Obſ. ad Will. pag. 11. *froë* læti, *frouuuem muatum* lætis mentibus, *frauuue* læti, *frauuuer tak* lætus dies, *unfroi* angor. Gloſſ. Pez. lætiores habitu *frourun giparida*, jucunditatem *vrouui*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. II. 15. *fro uuarun ſie ſin*, gaviſi ſunt propter illum. Idem Lib. II. Cap. VI. 45. de Adamo: *er uuas thes aphules frou*, lætus erat pomo. Inde Francis & Alam. *unfro* triſtis, *unfroi* triſtitia, & *unfreuuuen* triſtitia afficere. NOTKERUS Pſ. XL. 12. *Ziu biſt du unfro mina ſela*, quare triſtis es anima mea? Gloſſ. Keron. contriſtari *keunfreuuit uueſan*. Cuncta a *freuen* gaudere. A *fro* habemus

frölich, eadem notione. Gloſſ. Pez. ludibundus *froliohar*. Belg. *vrolyk*.

frolocken, præ gaudio exilire. A *laken* exultare, & non a *locken* allicere, etiamſi in ore vulgi confundantur.

FROD, ſapiens, *frode frauw* obſtetrix, mulier ſapiens. Gothis *frathjan* eſt ſapere, intelligere, *frodei* ſapientia, *unfrodei* inſipientia. Angloſaxonibus *gearum frod*, *wintrum frod* annis ſapiens, longo rerum uſu & experientia ſapientiam adeptus. Francis & Alamannis *fruater* gravis, prudens, *unfruater* ſtultus. Belgis *vroed* ſapiens, prudens, *vrædheit* ſapientia, prudentia. Islandis *fræda* erudire, *fræde* doctrina, informatio, *frodur* eruditus, *frodleikur* eruditio. Quibus mire conſentiunt Græca φραδὴ prudentia, φραδὴς prudens, conſultus, ἀφραδία inconſiderantia, & Lat. *prudens*, *prudentia*, obſervante JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 169.

FROMM, fortis. Senſus vocis antiquo-Saxonicus. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *fom*, *fromere*, *fromeſt*, ſtrenuus, præſtans, fortis, fortior, fortiſſimus, *fromlice* ſtrenue, *fromſcipe* fortitudo, præſtantia, robur, *fremian* valere. Chron. Konigsh. Cap. I. de Hectore: *er was der frumeſte und künneſte Heilt, der ie geboren war*, omnium qui unquam nati ſunt, fortiſſimus erat atque audaciſſimus. Hinc ſtrenui equites in monumentis ſuperiorum temporum paſſim vocantur *fromme ritter*, & vir fortis *from mann*. Isque ſignificatus diu duravit in titulis honorum, non nobilium tantum, ſed etiam Principum. Poſtea ſenſus a forti degeneravit ad temerarium. Hinc in Indice VERELII *framur* exponitur audaculus. Hodie in locum *from* ſucceſſit *veſt* & *not-veſt* eodem ſenſu.

ſenſu. Ipſum vero *from* oritur ab antiquiori & ſimpliciori *ram* validus, per Digamma Æolicum.

FROMM, confirmatus. Senſus vocis antiquo-Belgicus. KILIANUS in Etymol. Belg. *vromen* confirmare initiatos Chriſto, *vromſel* confirmatio. Vox eccleſiaſtica, & haud dubie a Lat. *firmo* per metatheſin facta. Nam ex hoc fonte Sacramentum confirmationis etiamnum dicitur *firmlung*, & confirmare initiatos in doctrina Chriſtiana *firmeln*.

FROMM, pius. Senſus vocis hodiernus, ſed novus, & priſcis ignotus. Belgis hodiernis *vroom*, Suecis *from*. Unde hic ſenſus ſit deſumptus, valde ambiguum eſt. ECCARDUS derivationem inſtituit a *faren* diſcedere, ut *from* ſit is, qui ſegregem agit vitam, & alia via quam reliqui incedit, qui ſecundum Pſalmi verba, *non ſtat in via peccatorum*, ſenſu quidem optimo, ſed difficili partu, in Cat. Theot. pag. 105. Idem ſenſus, & forte commodius naſci potuit e particula ſubſtantivata *fram*, *from*, a, ab, ex, de, quæ apud Angloſaxones ſæpe vim habet ſegregandi, ut patet ex compoſitis, *framweard* averſus, *fram-ateon* abducere, & ſimilibus apud SOMNERUM. Hinc pius videtur proprie denotare eum, qui a moribus Sæculi eſt averſus, abductus, & ſegregatus.

FROMM, probus, bonus, præſtans. BENSON. *fromra* præſtantior, *freme* benignitas. VEREL. in Ind. *fromleikr* probitas. Refer ad *frommen* prodeſſe. Quid enim viro probo utilius, melius, aut præſtantius? Convenit cum hoc ſignificatu vox Ægyptia πνεμμις bonus, apud PERIZONIUM in Originibus Ægyptiacis.

FROMMEN, prodeſſe, proficere. A *fram* pro. Utitur Luth. 1. Cor. VI. 12. Idem Angloſaxonibus *framan*, *fremian*, *fremman*, & inde *frem-full* utilis, & *frem-fulneſſe* utilitas, apud Lexicographos. Franci ex eodem fonte habent *fruma* factum utile, bonum, præſtans, imo etiam fructus, & optimum in re quavis. Teſtimonia vide apud SCHILTERUM in voce.

FROMMEN, utilitas. Francis & Alaman. *froma*, *fruma*. Gloſſ. Keron. detrimentum *unfroma*. Utitur Luth. Prov. XXXI. 18. HELVIGIUS male ducit a Lat. *præmium*, cum ſit verbum ſubſtantivatum a præcedenti *frommen*.

FRON, pulcher, venuſtus. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *ffraw*, Armoricis *frau*, teſtibus BOXHORNIO & PEZRONIO, Belgis *fraai*. Franci videntur primo dixiſſe *fron*, ab ἐυφρων lætus, ſenſu a jucundo ad lætum aſpectu translato, & poſtea *froniſc*, quod vi terminationis eſt pulchrigener. Gloſſ. Pez. nitidiores *froniſcorun*, mundiſſima *froniſcoſtun*, decor *vroniſci*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XXII. 21. 22.

Biginnet anaſcouuon
Thio fronisgon bluomon.
Incipite inſpicere
Pulchros flores.

Idem Lib. IV. Cap. I. 29. 30.

Thaz bigond er redinon
Mit fronisgen bilidon.
Hoc cœpit demonſtrare
Pulchris parabolis.

Hodie non amplius occurrit. Utile tamen eſt, ob cauſas ſæpe memoratas, etiam obſoleta noſſe.

FRON, dominicus. Vox Francis & Alamannis unice familiaris, quibus *frono* idem ſignificat. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXXV. 61. de ſepultura Domini:

Biuuuntun ſie tho ſcono
Thiaſelbun lih frono.
Tunc implicabant pulcre
Corpus illud dominicum.

Inde Francorum compoſita, *frontag* dies dominicus, apud SCHILTERUM in Gloſſ. *froncapet* oratio dominica, apud ECCARDUM in Cat. Theot. pag. 75. Cauſa appellationis, ſicut optime obſervatum STADENIO & ECCARDO, viris clariſſimis, omnino eſt a *frau* dominus, quod Francis effertur *fron*, *fro*, ut ſupra demonſtratum in loco. Hodie ſuperat apud Catholicos in

fron-leichnam, corpus dominicum.
fron- altar, altare dominicum.

FRON, illuſtris, magnificus, cultu & ſplendore Domino ſimilis. Francis & Alamannis *froniſc*, a *fron* dominicus, quaſi dominicalis. Hinc in Epinicio Ludovico Regi dicto comitatus Procerum & Vaſallorum Regni vocatur *froniſc githigini* illuſtre famulitium, interprete SCHILTERO.

FRON, præſtans, eximius. Rurſus a præcellentia ejus qui ſupra inferiores eminet. Gloſſ. Pez. meliores *froniſcorun*. Sic honor eximius OTFRIDO dicitur *froniſgo era*, Lib. IV. Cap. IV. 42. vinum generoſum *froniſgo uuine*, Lib. II. Cap. IX. 188. Hodie quoque omne præſtans & eximium dicitur *herrlich*, ab *herr* dominus.

FRON, fiſcalis. Dicitur de villis, prædiis, aliisque rebus ad fiſcum dominicum ſpectantibus, ut *domania* a *domino*. Gloſſ. Pez. fiſcalia *ze vrono hove*. Hodie eodem ſenſu dicimus *fron-hof*. STILERUS in Theſ. L. Germ. *fron-hof* curtis, cui operæ præſtantur.

FRON, publicus. Utique a Domino, qui cum ſit perſona publica, eandem appellationem ſuis quoque rebus & officialibus communicat. Gloſſ. Pez. publico pondere *vrono uuago*. Inde compoſita,

vron-ambaht, officium publicum, quod extat in Jure veteri Argentinenſi apud SCHILTERUM in notis ad Epinic.
fron-bote, apparitor, citator publicus, quod extat in Jure prov. Alam. Cap. 13. & 109.
frone, *fronte*, & *fronerei* cuſtodia publica.

FRON,

FRON, ſacer. LOBWASSER Pſal. XCIX. 8. *auf dem berg Sion, ſeiner wonung fron.* Cum perſona Domini ſit ſacra apud omnes gentes, & rebus ſuis ſanctimoniam communicet, unde *ſacer ſenatus*, & *ſacrum conſiſtorium*, & *comites ſacri conſiſtorii* in novella THEODOSII: hinc ſenſus paulatim a rebus dominicis, ad res & perſonas ſacras translatus eſt. Inde *boto frono* nuncius ſacer, quod dicitur de angelo Gabriele apud OTFRIDUM Lib I. Cap. V. 66. *giſcribe frono* ſcripturæ ſacræ, apud eundem Lib. II. Cap. XI. 114. *fuazi frono* pedes ſacri, quod dicitur de pedibus domini apud eundem Lib. IV. Cap. II. 35. Huc etiam ſpectat *lioth frono* canticum ſacrum, cujus mentio fit in Epinicio R. Ludovici:

Ther kunig reit kuono,
Sang lioth frono.

Quod melius vertitur canticum ſacrum, quam publicum aut dominicum. Rex enim, ſicut optime animadverſum SCHILTERO, cantabat *Litaniam*, quæ tum temporis erat claſſicum ſacrum Germanorum, quo animos pugnaturorum more patrio accendebant, plane ut priores Germani *barditu*, quod erat carmen militare ante chriſtiana tempora, teſte TACITO de M. G. Cap. 3. Dicitur etiam de locis ſacris. Inde nomen oppido FRANECKER, quod *agrum ſacrum* denotare, recte vidit MENSO ALTINGIUS.

FRON, judex, prætor, in LL. Friſ. I. 29. *dis tredda deys aeghſe di* FRANA *oen den werf to bringhen*, tertio die debet eam Prætor ſiſtere coram judicio. Verba Legis citat & interpretatur JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 273. Subſtantivum ab adject. orum, quia Judex eſt perſona publica, dominica, imo etiam ſacra, & reliqua.

FRON-DIENSTE, ſervitia dominis præſtanda, ruſtica, venatica, curſoria, manuaria &c.

FRONEN, *frönen*, ſervire, operas domino præſtare, ſive gratuitas ſive coactas. Utitur Luth. Exod. I. 14. Inde *fron-geiſt* angelus, quia ſervus Dei.

FRONEN, *frönen*, publicare. Gloſſ. Pez. domus publicabuntur *hiviuſci givronit uuerdent*.

FRONKNUSS, *frunckniſs* dominatio. Ante trecentos annos erat nomen dignitatis & titulus honoris, dominis proprius, plane ut hodie *herrlichkeit*. Vocem ex charta Ludovici Bavari ſiſtit & explicat cel. ECCARDUS in Cat. Theot. pag. 175.

FROSCH, rana. Anglolaxon. *frocca*, *frogga*, *frocx*, *frox*, Franc. *froſk*, Belg. *vorſch*, Angl. *frog*, Island. *freja*, Dan. *froë*, Suec. *fröda*. Gloſſ. Pez. ranunculus *froſk*. Si Græcas origines ſequamur, cantor ille ab incondito clamore, quo paludes & lacus tempore verno implet, ſic nominatus videtur, de quo vere dixeris, quod de peſſimo Poëta dixit non nemo: *Semper ego canto, & nemo mea carmina laudat*. Græcis enim βράχω eſt ſtrepo, reſono, βρέξας rana parva viridis, βρεκεκέξ vox ranarum. Quibus affine *brocka*, quod in veteri ſermone Islandico eſt ruſtico more inclamare, unde fragor & ſonus moleſtus Suecis etiamnum *brak*, Gallis *fracas* dicitur. Alii ranam ſic dictam cenſent a *frieſen* gelare, tanquam animal frigidiſſimum. Voces Septemtrionalium *froë*, *freja*, *fröda*, a reliquis abludunt, & videntur alium ſenſum exigere. Cum enim rana ſit animal, quod ſemen copioſe effundit, manifeſto derivantur a *fræa* ſeminare, & hoc a *fræ* ſemen. VEREL. in Ind. *freja* rana, *fræa* ſeminare, *fræ* ſemen, *fræ korn* ſementis.

FROSCH-LAICH, ſperma ranarum. V. *laich* ſemen.

FROST, gelu, pruina. Angloſax. *froſt*, *forſt*, Franc. *froſt*, Scandis & Anglis *froſt*, Belgis *vorſt*. Gloſſ. Pez. gelu *frogt*. Gloſſ. Ælf. gelu *forſt*. OLAUS WORMIUS in Lit. Run. Cap. 19. *naktaun kiaeler i froſti*, nudus frigore algeat. Refer ad *frieſen* algere. Galli ex eodem fonte habent *froid* frigus.

FROSTIG, gelidus. Gloſſ. Boxh. *froſtage* algentes. Angloſaxones dicunt *froſtig* & *forſtlic*, Angli *froſty*.

FRUCHT, fructus, ſenſu latiſſimo. Cambris *ffrwyth*. Vox Britannica eſt origine Latina, judice JUNIO in Obſ. ad Will. pag. 286. Quidni & Germanica? Quamvis enim hodie ingentem ducat familiam, nova tamen ſunt omnia, & priſcis ignota, qui talibus nec delectabantur, nec indigebant. Nam fructum tam terræ quam ventris appellabant *wucher*, *wæſtm*, *wahsmo*, *berde* &c. fœcundum *berend*, ſterilem *unberend*.

FRUE, *früe*, mane, diluculo. Gr. πρωί, Camb. *bore*, Francis *fruo*, *vruo*, Belg. *vroeg*. Gloſſ. Lipſ. *fruo* mane. Gloſſ. Pez. primo mane *vruom morgan*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *bore* mane, tempus matutinum, *boreddydd* matuta, *borefwyd* jentaculum. Vocem omnibus Dialectis communem vide in *morgen*, eam quæ Gothis & Saxonibus propria eſt, in *er* mane. Quemadmodum autem *er* eſt ab *er* ante, prius: ita πρωί, *bore*, *fruo*, *frue*, ſunt ab adverb. temporis πρὸ, *vor*, *für*, ante, prius. Poſtea denotavit *mature*, tandemque etiam *præcociter*, tropo ab hora matutina deſumpto. Hodie ſcribunt *frühe*, contra antiquitatem & etymologiam.

FRUELING, *früeling*, ver, tempus vernum, tropice ſic dictum, quod ſit velut tempus matutinum totius anni. Vox recens & nuper addita: antiquam vide in *lenz*.

FRUMEN, mittere. V. *fram*.

FRUTIG, gnavus & gnaviter, impiger & impigre, *unfrutig* piger & pigre. Neſcio, an uſu ſint recepta, ſiſtuntur tamen ab HENISCHIO & STILERO. Ille derivat a Lat. *frunitus*, hic a *frühe* mane, vel *froden* ſapere. Mihi a notione celeritatis non videtur recedendum, eoque minus, quod Celtica lingua *brys* ſit feſtinatio, acceleratio, interprete BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Nam hinc fieri poterat *bryſig* celer, & alia Dialecto

lecto *frutig*. Sic ab *eil* feſtinatio fit *eilig* feſtinus.

FUCHS, *fux*, vulpes. Goth. *fauh*, plur. *fauhons* Matth. VIII. 20. Franc. *foh*, plur. *fohun*, in Harm. Evang. Tatian. Cap. LI. 2. Angloſaxon. & Angl. *fox*, Belg. & Sax. inf. *voſs*. Vocem obſcuram diverſimode expediunt Critici. HELVIGIUS arceſſit a *βασσαρες*, quod Cyrenæis pro vulpe: HENISCHIUS ab *ἀλώπηξ* vulpes, per aphæreſin: MARESCHALLUS a *Φῶκαι*, quod apud HESYCHIUM exponitur per *ἀλώπεκες* vulpes: MARTINIUS a *fucus*: Alii aliunde. Neſcio an peregrina origine opus ſit. Nam *fahen* ſæpe eſt dolo capere, & *foxa* decipere. VEREL. in Ind. *foxa* decipere, *ved vox*, *kaup fox* falſa & fraudulenta venditio. Ab alterutro fieri poterat *fox* deceptor. Et hæc etymologia convenit homini & animali, vulpioni & vulpeculæ. Quando idem nomen tribuitur equo, tunc reſpicitur ad rutilum colorem, quo vulpi aſſimilatur. Præcipuum compoſitum eſt *fuchs-ſchwanz* cauda vulpina, & metaphorice adulatio.

FUCHTEL, gladius. Refer ad *fechten* pugnare.

FUCKEN, mercaturam exercere, *ein reicher fucker* magnarius, negotiator in ſolidum vendens. STILERUS, qui has voces tanquam uſitatas Theſauro ſuo inſeruit, exiſtimat, eas derivari a *focke* artemon, velum ad proram, & proprie dici de mercatura, quæ per mare navibus exercetur. Hoc illi condonandum, ut centum alia, quia ſcripſit quod potuit, doctus quidem & induſtrius, ſed literaturæ Antiquo-Germanicæ ignarus. Gothis *bugjan* eſt emere, *frabugjan* vendere, Angloſaxonibus *bycgean* emere & vendere, *bycgene* emptio & venditio, teſte SOMNERO & BENSONIO. Hinc verba Evangeliſtæ Luc. XIX. 45. *Et ingreſſus in Templum cæpit ejicere vendentes & ementes*: ab interprete Gothico redduntur: *jah galeithands in alh dugann ufwairpan thans frabugjandans jah bugjandans*. Et ab interprete Angloſaxonico: *tha ongan he of tham temple ut-drifan tha ſyllendan and tha bicgendan*. Inde Anglis relictum *to buy*, quod nimia brevitate laborat, & a reliquis eſt abſciſſum. Gallis *biguer* eſt *permutare*, quod probe notandum. Hoc MENAGIUS in Originibus Gallicis doctiſſime & veriſſime derivat a Lat. *vices* (Germani dicunt *fach*, Cambri *ffaig*) per *vicare* & *bicare*. Quid enim eſt permutare, niſi rem pro re, vicem pro vice reddere? Hic primus & antiquiſſimus verbi Gothici & Saxonici ſenſus (quis enim neſcit, permutationem auro & argento ſignato longe antiquiorem eſſe?) qui poſtea invaleſcente pecuniæ uſu a permutatione ad emptionem & venditionem translatus eſt. Vide plura huc ſpectantia in *gelt* & *kaufen*.

FUDER, menſura vecturæ maxima, vini, fœni, lignorum, lapidum &c. Angloſaxon. *fother*, *fothur* eſt veches, interprete SOMNERO & BENSONIO. STILERUS derivat a *füren* vehere, contra analogiam, & nulla literæ D. ratione habita. HENISCHIUS a Lat. *plauſtrum*, quod deterius, & vix præter boum huc trahi poteſt. Certe per *fuder* vulgo omnes concipimus, quantum, una quadriga, hoc eſt, uno curru quatuor rotarum & quatuor equis juncto vehi poteſt. Ergo erit a *fidur* quatuor, quod ſæpe occurrit in Evangelio Gothico. Tales appellationes in re vehiculari a numero rotarum vel equorum petitæ, apud Antiquos reperiuntur plures. Hujusmodi eſt *petoritum*, de quo FESTUS: *Petoritum & Gallicum vehiculum eſſe, & nomen ejus dictum exiſtimant a numero quatuor rotarum*. Recte. Nam Celtica lingua *pedwar* eſt quatuor, ut Gothica *fidur* & *fidwor*. Vide plura in *vier*.

FUER, *fur*, pabulum, cibus, eſca. A *futer* per ſyncopen Francis familiarem. Gloſſ. Pez. uter *voerpalch*. Id eſt, ſaccus frumentarius. Dicitur autem antiquitus de cibo tam hominum quam animalium, ut ex veteri Pſalmorum interpretatione patet. NOTKERUS Pſal. CX. 5. *kab fuora dien ſih furhtenten*, dedit eſcam timentibus ſe. Pſal. CXLV. 7. *kibet hungergen fuora*, dat eſcam eſurientibus. Pſal. CXLVI. 9. *der ſtarchemo ſehe gibet ſine fuora*, qui dat jumentis eſcam ipſorum. Hoc plebs ignava, quæ ſyncopen habet in deliciis, imitatur in omnibus pene Dialectis. A *fuer* rurſus fit *fueren*, *füren*, alere, paſcere, nutrire, de quo infra.

FUERWERK, prædium. V. *vorwerk*.

FUFZIG, quinquaginta. Angloſaxon. *fiftig* Luc. XVI. 6. *nim thine ſethere, and ſite hrathe, and writ fiftig*, accipe pennam tuam, & ſede cito, & ſcribe quinquaginta. Proprie eſt quinquies dena, a *fif* quinque, & *tig* decem, ut demonſtravi in *zehen* bis quinque. Dicitur etiam *fünfzig* quod vide in *fünf*.

FUG, quatenus eſt verbale a *fügen* quadrare, convenire, congruere, ſignificat (1.) convenientiam & decentiam. Inde *fug* decus, *unfug* dedecus, indecentia. (2.) opportunitatem. Inde *füglich* opportunus, *zu füglicher zeit* tempore opportuno. (3.) quadraturam juris. Inde formula *mit allem fug* optimo jure, *befuget ſeyn* in jure eſſe, *befugniß* jus, fas, æquum.

FUG, quatenus eſt verbale a *fügen* aptare, combinare, conjungere, ſignificat (1.) aptitudinem rei ad rem. Inde *füglich* apte, *unfüglich* inepte. TATIANUS Cap. LI. 4. *gifuohlih Gotes ribhe*, aptus regno Dei. Gloſſ. Æliſ. pag. ult. inaptus *ungefege*. (2.) junctura, commiſſura, & combinationem unius rei cum altera. SOMNER. in Dict. AS. *fog* conjunctio, connexio, *gefog* commiſſura. Gloſſ. Boxh. *gbifuog* copulæ, conjunctioni. Quibus videntur convenire Latina *compago* & *compages*. (3.) nexum cauſarum. Inde Proverbium: *der fug macht und bricht den krug*, nexus cauſarum fingit & deſtruit urceum.

FUGEN, *fügen*, quadrare, congruere, convenire. SOMNER. loc. cit. *gefegan* quadrare. Hic prin-

princeps verbi ſignificatus, neſcio unde oriundus, certe non a πήγω vel *pago*. Nam hæc verba ad ſequentem ſcalam ſpectant.

FUGEN, *fügen*, aptare, combinare, conjungere, facere ut quadret, congruat, conveniat. Verbum faceſſens ex præcedenti. BENSONIUS in Voc. AS. *gefegan* jungere, componere, *gefeged* junctus, aptus. OTFRIDUS Lib. I. Cap. I. 31.

Iſt iz gifuagit al in ein
Selb ſo helphantes bein.

Vertit SCHILTERUS:

Id omne combinatum in unum
Ut Elephanti oſſa.

WILLERAMUS Cap. IV. 4. *alſo der hals zeſamene vogat daz hoibit unte den lichamen*, ſicut collum conjungit caput & corpus. Hiſce conſentiunt πάγω & *pago*, compingo, compono, unde *Naupego* & *Bibliopego* nomen apud Græcos & Latinos. Cum vero hunc ſignificatum alius, a quo pendet, præcedat, palam eſt, hæc verba ad harmoniam quidem, minime vero ad etymologiam referri poſſe.

FUGEN, *fügen*, accommodare. Angloſax. ut ſupra, apud SOMNER. & BENSON. Inde *ſich fügen* accommodare ſe rebus & perſonis, *einem fügen* gratificari per accommodationem, *gefug* commoditas, *gefüglich* commodus & commode, *ungefüglich*, *ungefügſam* incommodus. Senſus a commiſſura rerum naturalium aut arte factarum ad vitæ ſocialis officia translatus, in qua uniuscujusque aptitudo eo major eſt, quo magis ſe aliorum ingeniis aut precibus, tempori aut loco, accommodare poteſt.

FUGEN, *fügen*, adplicare, *hinzufügen* addere. Gloſſ. Pez. applicuerunt *zuogivoctun*.

FUGEN, *fügen*, facere, *ſchaden zufügen* damnum inferre. Hic ſenſus oritur a *fug*, quatenus nexum cauſarum ſignificat. Quid enim eſt facere, niſi cauſas diſponere, ut inde ſequatur effectus? Græcis πήγνυμι eſt fio & facio, forte ex eodem fonte. Nam a nexu cauſarum pendent tam ea quæ fiunt, quam quæ facimus ipſi. Cauſa trudit cauſam, privata ac publica longus ordo rerum trahit.

FUGEN, *fügen*, opportune fieri, *es fügte ſich* opportune contigit, accidit, factum eſt, *fügung* caſus improviſus, ſed opportunus. A *fug* opportunitas.

FUHR, *führen*. V. *fur*, *füren*.

FULEN, *fülen*, tangere, palpare, contrectare. Angloſaxon. *felan*, *gefelan*, Franc. *fuelen*, Belg. *voelen*, Angl. *feele*. Gloſſ. Boxh. *kifualazzit* attrectaverit. Aſſentior MARTINIO, qui hoc verbum declinat a Lat. *vola*. Quid enim eſt tangere, niſi manu contrectare? Sed recordari debemus, quod *vola* ſit a *larv* manus, de quo infra.

FULEN, *fülen*, ſentire. Antiquis & reliquis ut ſupra. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XVII. 52. *fualen uuir iz harto*, valde hoc ſentimus. Proprie eſt *tangi*, & per metonymiam antecedentis pro conſequente *tactu percipere*, quia perceptio rei tangentis naturaliter ſequitur tactionem in omnibus animatis. Poſtea more loquendi ab iis quæ tactu percipiuntur, ad omnia ſenſibilia pervenit, quia omnes ſenſus in tactu conveniunt. Inde Angloſaxonibus *felnes* ſenſûs, noſtris *gefül*. Hoc Belgæ ad mentem uſque extendunt, idque eleganter. Unde *gevoel* ſententia, opinio.

FULLE, *fulle*, quatenus eſt verbale a *füllen*, ſignificat quantum poteſt. Gothis *fullo* eſt ſupplementum veſtis Matth. IX. 16. Francis *folli* plenitudo, integritas, perfectio apud OTFRIDUM Lib. IV. Cap. XXIX. 96. Alamannis *fullii* ſatietas, in Gloſſ. Keron. Islandis *fullo* ſupplementum in Ind. VERELII, LUTHERO *fülle* plenitudo, copia, ubertas Joh. I. 16. Et in proverbio *hülle und fülle* eſt amictus & victus. A *fülle* eſt diminutivum *füllſel* farctura, in re coquinaria.

FULLEN, *füllen*, implere. Græc. βυλλὼν apud MARTINIUM in Cadmo, Gothis *fulljan*, Angloſaxon. *fyllan*, Francis *fullen*, Belg. *vullen*, Angl. *to fill*, Suec. & Island. *fylla*. Evang. Goth. Matth. XXVII. 48. *nam ſwamm fulljands akeitis*, accepit ſpongiam implens aceto. TATIANUS Cap. XLV. 5. *fullet thiu faz mit uuazzaru*, implete hydrias aqua. Et mox: *inti ſie fultun ſiu unzan enti*, & impleverunt eas uſque ad ſummum. Refer ad *voll* plenus, confertus.

FULLIN, *füllein*, *füllen*, hinnulus equinus vel aſininus. Græc. πῶλος, πωλίον. Lat. *pullus*, Cambris & Armor. *ebol*, *ebewl*, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Gothis *fula* Marc. XI. 2. Angloſaxon. *fola* ibid. Francis *fulin*, Alaman. recentioribus *vole*, Angl. *fole*, Suec. & Island. *fola*, Belg. *veulen*, Gall. *poulain*. Gloſſ.Ælf. in nom. ferarum: poledrus *fola*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. IV. 20. *ioh bringat oub thaz fulin far*, & adducite etiam pullum ocyus. WINSBECKIUS ad fil. §. 43. *ein vol von einer wilden ſtut*. Cuncta ejusd. originis, non Græcæ, aut Lat. quia vox iſtis Linguis accommodari non poteſt ſine multis nugis, ſed Barbaræ, Scythicæ vel Celticæ. Scythica Lingua denotare poteſt partum novellum cujuscunque quadrupedis, ſi derivatio, ut par eſt, inſtituatur a *fallen* naſci. Idemque Cambris denotabit *ebol*, ſi derivetur ab *eppilio* generare. ECCARDUS in notis ad Leg. Sal. pag. 77. exiſtimat, *füllin* proprie eſſe confectaneum matris ſuæ, a *folgen* ſequi. Malim duxiſſet a Suecico *fölia* ſequi, quod conciliandis tot Linguarum vocibus magis idoneum eſt. Nos noſtræ derivationi inhæremus. Vox barbara *poledrus*, qua utitur ÆLFRICUS in Gloſſa, eſt diminutiv. ab AS. *fola*, eodem modo factum, ut *pullaſter*, *pullitra*, *porcetra*, apud Latinos. Germani hoc diminutivum imitantur in voce *folter*, quia equuleus antiquus fuit machina pullo equino vel aſinino ſimilis.

FUND, inventum. VEREL. in Ind. *fynt* inventum. Verbale a *finden* invenire. Gallis *feinte* eſt callidum inventum, quia ſcil. ſolent voces noſtras in detcriorem aut viliorem ſenſum detorquere.

FUNF, *fünf*, quinque. Æol. πέμπε, Armor. *pemp*, Camb. *pump*, Gothis *fimf* Luc. XIV. 19 Angloſaxon. *fif*, Franc. & Alam. *finf*, *fimf*, *finevi*, Procop. *fynf*, Angl. *five*, Belg. *vyf*. Cunctorum originem videntur cuſtodire Cambro-Britanni in Celtica voce *pob* omnis. Nam ſecundum primævam & antiquiſſimam computandi rationem quinque eſt manus oſtenſa digitis omnibus exertis. Græci vocant πέντε, haud dubie a πάντα, quia quinque digiti ſunt omnes. Confer dicta in *hund* centum, & *elf* undecim. Inde

fünfte, quintus. Gloſſ. Keron. quintus *funfto*. Idem Angloſax. *fift*.

fünfzehen, quindecim. Goth. *fimftaihun* Joh. XI. 18. Angloſax. *fiftyn*.

fünfzehend, decimus quintus. Goth. *fimftaihund* Luc. III. 1. Angloſax. *fifteotha*, Francis *finfzehent* in Harm. Evang. Tatian. Cap. XIII. 1.

fünfzig, quinquaginta. Goth. *fimftig* Luc. XVI. 6. Angloſax. *fiftig*. Francis *finfzug*, apud OTFRIDUM Lib. III. Cap. XVIII. 110. De terminatione numerali ejusque valore vide *zehen* decem.

fünfzigſte, quinquageſimus. Gloſſ. Keron. quinquageſimus *finfzugoſto*.

FUNK, *funke*, ſcintilla. Belg. *vonk*. HELVIGIUS derivat a Φέγγος ſplendor, fulgor, jubar, quia ſcil. arcana linguæ noſtræ ignoravit. Nam propric non eſt ſplendor, ſed igniculus ſive parvus ignis, & diminutivum a *fon* ignis, quod extat in Codice Arg. Marc. IX. 44. *fon ni afhwapnith*, ignis non extinguitur. Luc. XVII. 29. *rignida fwibla jah funin us himina*, pluit ſulphur & ignem de cœlo. Cum Gothica Dialecto conſentit vetus Islandica. VEREL. in Ind. *fun*, *fon* ignis. STIERNHIELM. in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 48. *fune* ignis apud Islandos, *eg ſa framan i fialſins lyd funa hafan brenna*, ego vidi in montis declivitate ignem altum ardere. Hoc ille derivat a Φαείνω (Φαίνω) luceo. Interim a *funke* habemus *funkeln* ſcintillare, micare, igniculos ſpargere, cui ſimile Gr. Φέγγειν radiare, ſplendere, lucere.

FUR, & *vor*, modo confundimus, modo diſtinguimus, tanquam *vor* ſit temporis, non loci, nec cauſæ, *für* loci & cauſæ, non temporis. Sed hujus diſtinctionis nulla eſt apud nos conſtantia, nullumque in Antiquitate veſtigium. Nam Gothi dicunt *faur*, *faura*, Angloſaxones *for*, *fore*, *fyr*, *fyre*, Franci & Alamanni *fora*, *furi*, Belgæ *vor*, Angli *for*, Succi *för*, per omnes ſignificatus. In oratione duplici fungitur officio, præpoſitionis & adverbii, plane ut πρὸ & *pro* apud Græcos & Latinos, quæ certe non differunt a *für* & *vor*, niſi mutatis labialibus & transpoſita canina.

FUR, *für*, pro. Dicitur (1.) de bono quod propter aliquem fit. Evang. Goth. Joh. X. 15. *faiwala meina lagja faura tho lamba*, animam meam pono pro ovibus. Evang. Angloſaxon. Luc. IX. 50. *ſe the nys ongean eow, ſe is for eow*, qui non eſt adverſum vos, is eſt pro vobis. TATIANUS Cap. CLXXVIII. 1. *ih bittu furi ſie*, *nalles furi uueralt*, rogo pro iis, non pro mundo. LUTHERUS ubique habet *für*. (2.) de commutatione & ſubſtitutione in alterius locum. Evang. Angloſaxon. Matth. II. 22. *rixode forè Herodem*, regnaret pro Herode. Matth. XVI. 26. *hwylc gewrixl ſylth ſe man for hys ſawle*, quam commutationem dabit homo pro anima ſua. TATIANUS Cap. XXXI. 1. *ouga furi ouga*, *zan furi zan*, oculum pro oculo, dentem pro dente. Luth. Gen. IV. 25. *einen andern ſamen für Habel*. Hiob XXXI. 40. *diſteln für weitzen*, *dornen für gerſten*. 2. Sam. XVIII. 33. *wolt Gott ich müſte für dich ſterben*. Prov. XXI. 18. *der gottloſe für den gerechten*, *der verächter für die frommen*.

FUR, *für*, ante. Dicitur (1.) de loco. TATIANUS Cap. XXVII. 1. *forlaz thina geba fora themo altare*, relinque munus tuum ante altare. Luth. Exod. XXX. 6. *für den fürhang*, *für der laden*, *für dem gnadenſtul*. Lev. I. 5. *für der thür*. Jer. XXIV. 1. *für dem tempel*. (2.) de conſpectu, & tunc idem valet quod coram. Luth. Matth. VI. 2. *poſaunen laſſen für dir*. Ubi interpres Gothicus habet *faura thus*, Angloſaxonicus *beforan the*, Francicus *fora thir*, in Harm. Evang. Tatian. Cap. XXXIII. 2. (3.) de tempore. Antiqui rurſus habent *for*. Quod cum etiamnum cuſtodiamus, lectorem ad particulam *vor* remitto.

FÜR, *für*, præ, quatenus eſt particula cauſalis ſignificans *propter*. Verſio Angloſax. Matth. XIV. 26. *for tham ege*, præ timore. Joh. XXI. 6. *for thæra fixa mænigeo*, præ multitudine piſcium. NOTKERUS Pſalm. CXVIII. 28. *fore urdruzedo* præ tædio. Luth. Pſal. LXXXVIII. 10. *meine geſtalt iſt jämmerlich für elende*.

FUR, *für*, præ, quatenus eſt particula comparativa ſignificans *plus*. NOTKERUS Pſal. XLIV. 3. *ſcone fore allen menniſcon*, ſpecioſus præ filiis hominum. Pſal. LXXXVIII. 28. *purlichen fore allen chuningen dero erdo*, excelſum præ omnibus regibus terræ. Luth. Luc. XIII. 2. *meinet ihr*, *daß dieſe Galileer für allen Galileern ſünder geweſen ſind?* Ubi verſio Angloſaxonica habet *toforan eallum Galileiſcum* præ omnibus Galilæis.

FUR, *für*, præ, quatenus eſt particula ordinis ſignificans prioritatem. VEREL. in Ind. *firi* præ, *vera firi* præeſſe, præſidere, ducere, *firiganga* præire. Gloſſ. Keron. prævalere *furimagan*, præponere *furiſezzen*, præpoſitus *furikiſazter*. Significat autem nonſolum prioritatem temporis & loci, qui minutus hujus particulæ ſenſiculus eſt, ſed etiam dignitatis, poteſtatis, & præſtantiæ, ut poſtea oſtendam in ſuperlativo *fürſt*.

FUR,

FUR, *fúr*, trans, ultra, de loco. WILLERAMUS Merulæ pag. 33. *ther regan is fure*, imber tranſiit. Gloſſ. Keron. tranſeat *furifare*. Gloſſ. Pez. effluxerat *furivuor*. Evang. Angloſax. Luc. XXIV. 28. *he dyde ſwylce he fyr-faran wolde*, ipſe finxit velut ire vellet longius. Hodie utimur compoſitis, *fúrbas* longius, plus ultra, quaſi amplius de loco, *fúrbei* & *fúrüber*, item *vorbei* & *vorüber*, quod tranſiit, effluxit, præteriit, ſive res ſit, ſive tempus.

FUR, *fúr*, porro, quatenus eſt adverb. temporis fluentis, *fúr und fúr* perpetim, *hinfúr* in poſterum. Senſus a loco ulteriore ad tempus continuum translatus, ob manifeſtam utriusque ſimilitudinem. Græcis quoque πόῤῥω & Latinis *porro* de tempore continuando dicitur. Et hactenus inter ſe & cum noſtris conveniunt.

FUR, quatenus eſt verbale a *fúren* vehere, ſignificat quantum poteſt. Angloſaxonibus *fore* eſt vehiculum, noſtris *fur* veles, vectura, aurigatio. Compoſita vide apud Lexicographos.

FURCH, furca. Cambris *ffwrch*, Armor. *forch*, Angloſax. Angl. & Hibern. *forc*, Belg. *vork*, Gall. *fourche*. Omnium judicio eſt vox Latina. Si quis tamen argutari veller, poſſet omnium originem reducere ad *brechen* rumpere, quia furca eſt ferrum biſulcum aut triſulcum, adeoque in fronte ruptum.

FURCH, ſulcus. Angloſax. *furh*. Utrumque a Latino *porca*, & hoc vel omnia ſimul a *brechen* rumpere terram. Nam ſulcus eſt terra rupta, & *bruch* atque *furch* ipſo audito ſunt cognata. In reliquis Dialectis extat *fore*, quod ex genuino vitiatum, & perperam derivatur a *forare*.

FURCHT, *forcht*, formido. Angloſax. *forht* in comp. *forht-leas* intrepidus, impavidus, Franc. & Alam. *forht*, *foraht*, Belg. *vorcht*, *vrucht*, Angl. *fright*, Suec. *fruchtan*. Gloſſ. Keron. metum *forahtun*, timorem *forahtun*, non ſine formidine *nalles ano furahtun*. TATIANUS Cap. VI. 1. *in mihhelero forhtu*, magno timore. Cap. 217. 4. *thuruh ſina forhta*, præ timore ejus. An a Φρίκη horror? Malim a *faren* timere, ut primo fuerit *far*, *fear*, quo hodie utuntur Angli, poſtea *fart*, *furt*, & per metathesin *frit*, *frut*, quibus affinia Gr. Φρίσσω horrere, & Belg. *vreeſen* timere, denique *furcht* & *vrucht* per epenthesin gutturalis. Hanc enim vulgus habere ſolet in deliciis, ut oſtendi in *Prolegom.* Sect. IV.

FURCHTEN, *fürchten*, timere. Goth. *faurhtan*, Angloſax. *forhtian*, Franc. & Alam. *forhtan*, *forahtan*, *furihtan*, Belg. *vorchten*, *vruchten*, Suec. *fruchta*. Gloſſ. Keron. timere *furihtan*, timiens *forahtanti*, timentes *furahtante*, tremendo judicio *dero forahtlihhun ſuano*. TATIANUS loc. cit. verſ. 5. *ni curet ju forhtan*, nolite vos timere. Refer ad ſubſtantivum.

FURCHTEN, *fürchten*, revereri. Gloſſ. Boxh. *furihtet* reverimini. Hodie utimur comp. *erfurcht* reverentia, affectus quo quis alterius honorem lædere veretur.

FURDER, *fürder*, longius, ulterius. Luc. XXIV. 28. Angloſax. *forthor*, Franc. *furdir*, Angl. *further*, Gr. προφάτερον. Comparativi a poſitivo *fort* inde, porro, ultra. OTFRIDUS Lib. V. Cap. X. 11.

Uuis mit uns hinaht,
Uuanta furdir thu ni maht.

Vertit SCHILTERUS:

Eſto nobiſcum hac nocte,
Nec enim ulterius poteris.

FUREN, *füren*, vel ejusdem proſapiæ eſt ut *faren* ire, moveri, proficiſci, vehi &c. vel ab illo ortum, tanquam verbum faceſſens. Quid enim eſt *füren*, niſi facere ut eat, moveatur, proficiſcatur, vehatur &c.

FUREN, *füren*, movere, jactare, agitare. OTFRIDUS Lib. III. Cap. VIII. 25.

Ther uuint thaz ſcif fuar jagonti,
Thie undon bluenti.
Ventus navim jactabat impellendo,
Undæ verberando.

FUREN, *füren*, portare. SOMNER. in Dict. AS. *feran* ferre, portare, geſtare. Gloſſ. Boxh. *arfuarret* aſportate. Convenit ſono & ſignificatu cum Græc. Φέρω, Lat. *ferre*, & Germ. *bæren*. Dicitur metaphorice de iis, qui negotium aliquod gerunt, quia portantibus ſimiles ſunt, & hactenus convenit cum *faren* agere, peragere, expedire. Inde *krieg füren* bellum gerere, *waren füren* aliquo genere mercium negotiari, *buchfüren* bibliopola, *ausfüren* cœpta perficere &c.

FUREN, *füren*, vehere, portare in vehiculo, vel alio ſublimi. Angloſax. *ferian*, apud SOMNER. & BENSON. Francis *fuaren*, ut ſupra. OTFRIDUS Lib. II. Cap. I. 69.

So uuaz ſo himil fuarit.
Quicquid cœlum vehit.

FUREN, *füren*, ducere. NOTKERUS Pſal. CXXXV. 11. *der Iſrahelen fuorta uzer in mitten*, qui Iſrahel eduxit de medio eorum. Senſus Francis proprius, ſed bonus, & reliquis cognatus. Nam qui ducit, facit ut eat. Metaphorice dicitur (1.) de inſtitutione, quia doctrina eſt dux vitæ, (2.) de conſuetudine, quia conſuetudo eſt mos introductus. Ad primam claſſem ſpectant, *anfüren* inſtituere, *verfüren* ſeducere, *überfüren* convincere, doctrina ſuperare. Ad ſecundam, *einfüren* novum morem inducere.

FUREN, *füren*, comitari, ducere euntem. Gloſſ. Pez. comitari *givuorit uuerdan*.

FUREN, *fueren*, paſcere, nutrire, alimenta præbere. NOTKERUS Pſal. XXXVI. 3. *pue an dero erdo, unde ſo uuirdeſt du gefuorot in ſinen otuualon*, inhiabita terram, & paſceris in divitiis ejus. Jus prov. Alam. Cap. 342. *wer die gevangen füren ſule*, quis captivo de alimentis proſpicere debeat. Verbum a ſubſt. *fuer* factum, quo Franci pabulum &

omnem cibum deſignant. Galli inde habent *fourrier* proviſor pabuli vel ſtramenti, *fourrage* pabulum, *fourragier* pabulator, niſi malis hæc derivata ad ſubſtantivum referre.

FURIER, qui manſionibus præeſt, & ſuum cuique hoſpitium adſignat, advenis in conventibus publicis, militibus in hibernis. A *fuer* nutrimentum, quaſi nutrimentarius. Inde *furier-zettel* deſcriptio & deſignatio hoſpitiorum, *einfurieren* collocare per diverſoria. Poſtea vox transferri cœpit ad metatorem in expeditione bellica, quia ſuum cuique locum in caſtris adſignat. Uterque differt a *fodrario* Francorum, qui, cum eſſet proviſor annonæ, menſuram nominis magis implet. De eo vide plura in *futer*.

FURSPRECHEN, *fürſprechen*, verba facere, cauſam dicere pro aliquo, *fürſprech*, *fürſprecher* advocatus, patronus cauſæ. Gloſſ. Pez. defendere *furiſprechun*. Refer ad *für* pro, & *ſprechen* dicere.

FURST, *fürſt*, adjective *ſummum*, ſubſtantive *principem* & *culmen* ſignificat. Oritur a *für* præ, quatenus eſt particula ordinis. Nam hinc fit primo comparativus *furira* prior, potior, in monumentis Francorum ſatis frequens. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIV. 61.

Furira, uuan ih, thu ni biſt,
Thanne unſer fater Jacob iſt.
Potior, arbitror, non es,
Quam noſter pater Jacob.

TATIANUS Cap. XXXVIII. 1. *ia iſt thas ferah furira thanne thas muos*, nonne anima potior eſt nutrimento? Deinde ſuperlativus *furiſt*, & contracte *fürſt*, eo quo dixi ſignificatu.

FURST, *fürſt*, ſummus, primus, ſupremus. Gloſſ. Pez. primi *furiſtun*. Gloſſ. Keron. ſumma *furiſtun*, ſummam *furiſta*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. IX. 53. de Apoſtolis:

Sint ſie untar mennigon
Afteꝛ Gote furiſton.
Sunt illi inter homines
Poſt Deum primi.

Idem Lib. IV. Cap. XIX. 85.

Ufynſckrikta harto
Ther furiſto Euuarto.
Subſiliit valde
Summus Sacerdos.

Dicitur autem antiquitus nonſolum de hominibus, ſed etiam de omni eo, quod in genere ſuo præſtantiſſimum. NOTKERUS Pſal. LIII. 9. *daz forſta guot*, ſummum bonum. Gloſſ. Keron. cum ſumma gravitate *mit dera furiſtun fruati*, cum ſumma feſtinatione *mit dera furiſtun ilungu*. Hodie ſuperat apud Anglos & Suecos, quibus *firſt* & *förſta* eſt primus, princeps, prior. Germanis obſoleſcit: oſtendi tamen illis debuit, quia Principis nomen inde dependet, qui cum ſit vir ſummus in Rep. merito vocatur *fürſt*, adjectivo in ſubſtantivum verſo.

FURST, *fürſt*, princeps. Vox ſpectatæ antiquitatis, ſed inter Francos tantum, & qui eos imitantur. Gloſſ. Boxh. *furiſtun* proceres. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XX. 108. *ring thero furiſtono*, circulus procerum. Lib. IV. Cap. V. 78. *frides furiſta*, princeps pacis. NOTKERUS Pſal. XXXII. 10. *rata dero furſton*, conſilia principum. Pſal. XLVI. 10. *furſton dero liuto*, principes populorum. Pſal. LXXIV. 13. *bohmuotigi dero furſton*, ſpiritus ſuperbus principum. Pſal. LXXXI. 7. *einer dero furſton*, unus ex principibus. VEREL. in Ind. *foruſta* præſes, caput, *foruſtalaus* absque capite & defenſione. Belgæ dicunt *vorſt*, Sueci *furſte*. Non a πρώτιστος primus, nec a προεστὼς præſes, nec a *füren* ducere, nec a *fürſtehen* præeſſe, nec a *fürderſt* qui ante omnes eſt. Quamvis enim hæ etymologiæ ordini, officio, & dignitati Principum conveniant: falſæ tamen ſunt, quia verum ex falſo fonte hauriunt. Cujus rei cauſa nulla alia eſt, quam quod adjectivum, unde ſubſtantivum factum, vulgo ignoratur. Præcipua compoſita ſunt, *Churfürſt* electoꝛ, princeps qui Cæſarem legit, *Vier-fürſt* tetrarcha, princeps qui quartam regni partem moderatur. Vocem Gothicam & Saxonicam vide in *reich* princeps.

FURST, *fürſt*, culmen. HENISCHIUS in Theſ. L. German. pag. 1307. *fürſt*, *gipfel*, culmen, faſtigium, *ein gefürſtets tach* tectum faſtigiatum, *des hauſes fürſte teil*, *der fordere gibel am haus*, frontiſpicium, faſtigium anterius domus in acumen ſurgens pyramidale. SOMNER. in Dict. AS. *fyrſt* tigillum, laquear. Gloſſa Latino-Theotiſca apud Lindenb. culmen *firſt*. Cuncta ab edito ſitu, adeoque a *fürſt* ſummus, per ſubſtantivationem. Inde compoſita antiqua, in Lege Boiorum, *firſt-falli* ruina vel dejectio culminis, *firſtful* columna qua culmen ſuſtentatur, Tit. IX. 3. 6.

FURSTEN, *fürſten*, creare principem, dignitatem Principis conferre, *gefürſtet* in numerum Principum lectus, adſcitus, elevatus. Novum, ſed legitimum.

FURSTEHEN, *fürſtehen*, præeſſe, *fürſteher* præſes, aſſertor, vindex. Gr. eodem ſenſu dicunt προϊστάναι & προεστὼς. *Stehen* nonſolum eſt erecto corpore, ſed etiam erecto & attento animo eſſe.

FURT, varie uſurpatur in Dialectis. Cambris *ffoꝛd* eſt via, iter. Angloſaxonibus *ford* trajectus, noſtris *furt* vadum, via per undas, locus ubi flumen equo aut curru tranſiri poteſt, *anfurt* littus, quo naves appelli poſſunt. Cuncta legitime facta a *faren* ire, tranſire, transfretare. Conſer voces ſororias *fære* & *fart*. Ad Saxonicum ſignificatum ſpectant, FRANKFURT trajectus Francorum, ERFURT trajectus Geræ, & alia vetuſtiora apud PTOLEMÆUM, ut ſunt, LUPFURDUM & TULIFURDUM, de quibus vide conjecturas MENSONIS ALTINGII in Expoſ. Tab. Ptol.

FUR-

FURTREFLICH, *fürtreflich*, præcellens. Gloſſ. Pez. præcellenti *vuritrefuantemo*. Quo ſenſu, vide in ſimplici.

FURWITZ, *fürwiz*, curioſitas, *fürwitzig* curioſus. Gloſſ. Pez. curioſus *viriuuiz*. Gloſſ. Boxh. *friuicikem* de curioſis. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XVIII. 7.

Ziu ſint thie iuuo uuizzi
Thes fulih firuuuizzi?
Cur ſunt veſtri ſenſus
Horum adeo curioſi?

Vi compoſitionis a *für* & *witz*, eſt *præſcientia futuri*, & aliquando fuit in honore, cum divinationes & auguria adhuc omnium animos faſcinarent. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *for-witig* præſcius, *for-witigneſſe* præſcientia, *for-witegan* vaticinari. Poſtea fraude Sacerdotum detecta, quod inprimis Chriſtianæ Religionis ope factum, cœpit vituperari & de *intempeſtiva ſciendi cupiditate* (etiamſi cupiditatis nullum in voce veſtigium ſit) uſurpari. Hinc vulgo dicitur de iis, qui vel aliena & ad ſe non ſpectantia, vel ſcitu inutilia, vel quæ ſcire nefas & tutius ignorantur, vel quæ omnino ſciri non poſſunt, ſcire tamen deſiderant.

FUSS, pars corporis infima, qua ambulamus. Græcis πούς, Lat. *pes*, Cambris & Armor. *pedd*, Gothis *fotus* Marc. IX. 45. Angloſax. *fot*, Franc. & Alaman. *fuaz*, *fuoz*, Belg. *voet*, Angl. & Suec. *foot*, Island. *fot*. Gloſſ. Keron. pede *fuazze*, pedibus *fuazzum*. TATIANUS Cap. IV. 18. *zi girihtenne unſera fuozza in uuog ſibba*, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis. Vox antiquiſſima, & humano generi pene coæva, quod vel hinc patet, quia in vetuſtiſſimis Linguis verba *eundi* & *calcandi* a pede formata ſunt, ut inferius oſtendi in *pedden*. Tanta vetuſtas in ſe & originem ſuam inquiri vetat. Si quis tamen argutari vellet, inveniret quod diceret. STIERNHIELMIUS derivat a *feſta* firmare. Poterat etiam derivare a *fyſa* feſtinare, quod vide in *fix*. Ipſe aliquando deduxi a *beren* ferre, quia pes (qui haud dubie baſis & columna totius corporis) Laconica Lingua dicitur πέρ, quod in nulla re differre videtur a πούς, niſi literarum R. & S. permutatione, in Dialectis ubique obvia. Præcipua Veterum compoſita ſunt,

bifotúns, *anafotuns*, compedes, in Cod. Arg. Marc. V. 4.
fot-adle, pedum dolor, Dial. Angloſax.
fuotſcamel, ſcabellum, in Gloſſ. Lipſ.
fuozſubti, podagra, in Gloſſ. Pez.
fuoztrubi, compedes, apud TATIANUM Cap. LIII. 4.
ſcorfuazzo, quadrupes, in Gloſſ. Keron.
einfuoziu, unipes, apud NOTKER. Pſ. XXXV. 12. interprete SCHILTERO in Gloſſ.

Metaphorice dicitur de ſitu infimo, de ſtatu rerum, de fulcris artefactorum, de menſuris varii generis &c.

FUSS, adjective pedeſtris, ſubſtantive pedes & ſervus a pedibus. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *peddyd* pedites. SOMNERUS in in Dict. Angloſax. *fet* pedes, *fetha* phalanx, *fethe-men* pedites, *fethena* idem, *fethe-here* peditatus. Anglis *foot* etiamnum peditem & pedeſtrem ſignificat. Cuncta manifeſta imitatione ſive Græci vocabuli πεζός pedes, pedeſtris, ſive Latini *pedes*. Hodie occurrit in compoſitis, *fuß-volk* copiæ pedeſtres, *fuß-knecht* miles a pedibus. Quæ certe rationem nominis non habent a *fuß* pes, niſi quis forte exiſtimet, equites non habere pedes. In reliquis Dialectis Saxonicum *fet* mutatur in *fent*, per epentheſin, figuram in ore vulgi valde familiarem. Inde Islandis *fant* famulus, fatelles, apud VEREL. in Ind. Italis *fante* ſervus & ſerva, puta a pedibus, Francis *fendeo* phalanx, in Gloſſis R. Mauri apud Diecman. Et hinc porro noſtris *infanterie* peditatus.

FUSS, quatenus ſignificat pedem montis, appellationem ſuam communicat quibusdam locis, cujusmodi ſunt, FUESSEN, FAUCES, FAUCENA, ad pedes Alpium Juliarum, FUSSACH, caſtrum FAUCIACUM in Auſtria, a fluvio quo alluitur, & pedibus Alpium, quibus adjacet, ſic dictum, judice GOLDASTO Tom. I. Rer. Alam. pag. 107. ſeq.

FUSSEN, niti, inſiſtere re aliqua tanquam fundamento, a *fuß* quatenus fulcrum ſeu fundamentum ſignificat. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. V. 114. eodem ſenſu dixit *fuazzen*; ſed locus a librariis afflictus eſt, & hoc modo reſtituendus:

Uuir mugun thero uuerko
Ioh fuazzen thero githanko.

Hoc eſt: *Poſſumus horum operibus horumque meditationibus inniti.* Loquitur de viris divinis, Prophetis & Apoſtolis, qui aliquid literarum poſteris reliquerunt.

FUTER, victus, tam hominum quam animalium, ſaltim uſu antiquo, & favente radice. Eſt enim verbale a *futern* alere. BENSON. in Voc. Angloſax. *fodor* edulium hominum, *fodre* pabulum, *fother*, *fothur* alimentum. Franci utuntur duobus vocabulis, *fouter* & *four*, quorum illud genuinum, alterum ſegnitie pronunciantium media litera privatum. Gloſſ. R. Mauri apud Diecman. alimentum *fotar*. Gloſſ. Pez. pabulum *fouter*. NOTKERUS Pſal. LXXVII. 18. *daz ſie iro ſelon fuoro batin*, ut peterent eſcas animabus ſuis. De hac voce vide plura in *fuer*. Latino-Barbaris *fodrum* eſt annona militaris, frumentum, & quicquid ad victum militum præbetur & equorum. Iisdem *fodrárii* vocantur, quos Reges profecturi parandæ annonæ, & pabulis ſtramentisque equorum procurandis, itineri præmittebant. Teſtimonia qui volet, inveniet apud SPELMANNUM & CANGIUM. Hodie *futer* eſt pabulum, & cibus equórum tantum, non quod ſic oporteat, ſed quia uſus ſic voluit.

FU-

FUTERN, alere, paſcere, nutrire. Frequentativ. a ſimpliciori *foden* nutrire. TATIANUS Cap. XXXVIII. 2. de volatilibus cœli: *juar fater ther himilifco fuotirit ſie*, pater veſter cœleſtis paſcit illa. Cap CCXXXVIII. 1. 2. *fuotri miniu lembir*, paſce oves meas. Dicitur & *furen* per ſyncopen, quod vide.

FUTTERN, futtern, tegere, munire panno, pellibus, corio, vel alia quacunque materia, Latino-Barbaris *foderare* apud CASANOVAM, Italis *fodrare*, Belg. *voederen*, Gallis *fourrer*, quod imitantur Angli in *to furr*. Dicitur in derivatis de operimento *externo* & *interno*. Ad priorem claſſem ſpectat vox Gothica *fodr* vagina, in Cod. Arg. Joh. XVIII. 11. unde Italis *fodro della ſpada* eodem ſenſu: Angloſaxonica *fodder* theca, apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 164. Germanica *futter* theca, capſa, *bogen-futter* pharetra, *fluſchen-futter*, *lauten-futter*, & alia ſatis nota, *futteral* theca, forulus, loculamentum. Ad ſecundam claſſem ſpectant rurſus Germanica *futter* pannus veſtis interior, & quicquid voce panni adhibetur, *unterfutter* ſubtegmen. Unde Latino-Barbaris *fodratura* pellitium, quo veſtis ornatur, apud CANGIUM. Arborem & ramos video, radicem non video. Poſſit tamen *futern* idem eſſe quod *fendere* munire, tueri, defendere, expulſo N. Vel idem quod *opertare* frequenter operire, quod habet FESTUS. Gallica *fourrer* & *fourreau* ſunt e Germanico fonte, & manifeſta ſyncope laborant.

FY, interjectio abominantis. V. *fi*.

G.

GABE, donum. Angloſax. *gefe*, *gyfe*, Franc. & Alam. *geba*, *kaba*, *kepa*. Gloſſ. Keron. donum *kaba*. Gloſſ. Boxh. *kepa* munia. Lex. Run. *gafa*. VEREL. in Ind. *gioſ*. Refer ad *geben* dare.

GABE, eleganter transfertur ad bona tam animi quam fortunæ, quia revera ſunt dotes & largitiones divinitus conceſſæ. VEREL. in Ind. *giæfa* bona fortuna, felicitas, *kongs giæfa* fortuna regia, *giafalaus* infortunatus. Et huc etiam ſpectat ex Evangelio Gothico *manna gabigs* homo dives Matth. XXVII. 57. & *filu gabeigs* valde dives Luc. XVIII. 23. id eſt, dotatus, fortunatus, bonis fortunæ præditus, non quod debeat eſſe liberalis, ut non nemo nugatur.

GABEL, tributum, & quævis exactio ſummæ poteſtatis, quæ cum antiquitus minutatim fere pendebatur, dicta eſt *gabel*, a *gabe* donum, quaſi parvum munuſculum. Nam L. finale diminutivi nota eſt, ut ſæpe alias. Poſtea vox ad omnes reditus & ſolutiones extenſa eſt, præcipue apud Angloſaxones, quibus *gafol*, *gaful* eſt tributum, cenſus, Marc. XII. 14. Luc. XX. 22. item fœnus Matth. XXV. 27. *gafol-gyld* ſolutio cenſus, uſura, *gafol-gyldan* cenſum tribuere, *gafol-land* terra cenſualis, item *land-gable* cenſus terræ, apud SPELMAN in Gloſſ. Latino-Barbari inde habent *gablum* & *gabellas* ſuas, cujusmodi ſunt *gabella ſalis* & *gabella vini* apud CANGIUM. Hodie ſuperat in compoſito *gafel-recht*, jus vectigalis exigendi, de quo vide SCHOTTELIUM.

GABEL, creagra, fuſcinula, inſtrumentum biceps, quo cibus capitur. Fortaſſe a *capio*, ut conjectat MARTINIUS, quamvis etiam Belgis *kippen* ſit capere. Dicitur præterea de furca & quavis pertica bicipiti, qua aliquid capitur, & ob ſimilitudinem etiam de ligno ſupplicii bifurcato. Inde Latino-Barbaris *gabalus* patibulum.

GABELN, dividere, partiri. Anglis *gavel* eſt merges, forte a κεφαλαιῶν in unum colligere. Hinc *gabeln* proprie eſt mergites facere, ſeu, quod idem eſt, fruges meſſas in manipulos dividere. Idque poſtea ad res omnes, quæ ſub partitionem cadunt, traductum videtur. Inde Anglis *gavelkind* partitio bonorum inter filios, præpoſtera compoſitione pro *kindgavel*, quem vocis ſenſum contra SOMNERUM proſixe defendit GULIELM. CLARKE in Præfatione ad *Leges Wallicas* WOTTONI: Germanis *goblung* ſortitio mercium. Alii hoc verbum cum præcedenti *gabel* connectunt, tanquam a perticis, quibus tentoria mercatorum ſuſtentantur, factum ſit. Vide SCHOTTELIUM in voce. De voce Anglica *gavel*, quatenus mergitem ſignificat, vide aliam conjecturam in *ſchaub*.

GACH, *jach*, *gæch*, *gæh*, dicitur de eo quod *præceps* eſt, in tempore, & loco, & animo, veriſimiliter a *jagen* impellere. Inde *gæhtod* mors ſubita, *gæher ſels* petra abrupta, *gæhzorn* ira præceps, *gæhlich* ſubito, repente, *allzujach* (quo utitur Luth. Prov. XXI. 5.) præproperus, nimium feſtinans, de quo extat feſtivum proverbium apud WINSBECKIUM in Paræneſi ad Fil. verſ. 31. *an mute al ze geher man vil tregen eſel riten ſol*, homo præcipitis animi aſino pigro vectari debet. Forte ut cunctationem ab illo diſcat. Similia habent Saxones & Franci. SOMNER. in Dict. Angloſax. *geoc*, *geocre*, *geocroſt*, præceps, temerarius. Gloſſ. Boxh. *cahun* extimplo, *chai* ſubitacio. Gloſſ. Lipſ. *galico* ſubito. Gloſſ. Pez. de repente *irgahun*, præcipitationis *gahi*, temerarius *kaher*, præpropero *kaheru*, abrupta *gahin*, præpropera *zi uilo gahiu*. Cambris *gwg* iram & indignationem notat, nonnulla fortaſſe cum reliquis adfinitate.

GADE, contignatio, pars ædificii ſuperior. Vox Suevis a Francis & Alam. relicta, ſed hactenus obſcura. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. IX. 23.

Ther man biſuorgeta thaz,
Ioh leh thaz gadun garauuaz.

Homo

Homo procurabat illud,
Et commodabat cœnaculum præparatum.

GADEREN, *vergaderen*, congregare, Dial. Belgica. Forte a Græc. ἀθρὸν ejusd. signif. per proſtheſ. literæ G.

GÆHE, præceps. V. *gach.*

GÆNEN, oſcitare. V. *gienen.*

GÆNGE, uſualis. V. *genge.*

GÆREN, *gören*, fermenteſcere. Quod fit, quando per calorem naturalem feculenta ejiciuntur. HELVIGIO eſt ab *egerere*, quoniam *geren* proprie dicitur de muſto vel cereviſia recens coƈta, quatenus fecem egerit. Mihi, qui Celticas origines inveſtigare ſoleo, videtur potius derivari a *gor* ſupra, quod ſiſtit BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *gor*, præpoſitio in compoſitione ſignificans ſupra, ſuper, ſuperius, *gorthir* regio ſuperior, *gorddwr* aqua ſuperior, *goror* ora ſuperior. A *gor* igitur eſt *gören* efferveſcere, h. e. feces ſurſum trudere. Quamvis autem hoc verbum vix ſemel literis proditum ſit, vetuſtiſſimum tamen eſſe ſuadent derivata. Nam a *gören* rurſus ſit *germ* fermentum, ejeƈtamentum: apud Cambros *gor* pus, ſanies, quia per vulnera ejicitur, & apud Angloſaxones atque Islandos *gor* ſimus, excrementum. Et huc etiam ſpeƈtant nonſolum ejeƈtorum, ſed etiam ejiciendum nomina. Cujusmodi eſt *cwrw*, *curwf* cereviſia, apud LEIBNITIUM in Gloſſario Celtico. Quod cum non aliunde reƈtius quam ab egerendis fecibus ſic dicatur, ſimul originem Latinæ vocis eleganter pandit. Operæ pretium eſt, ipſum audire illuſtrem Gloſſatorem. CEREVISIA, inquit, *quibusdam apud Plinium* CERIA. *Cereviſiam a vi Cereris derivare, hominum eſt neſcientium, Latina plurima a Celtico eſſe petenda, & maxime in rebus, quæ erant apud Celtas. Hinc vidiculæ ſunt plurimæ Varronis, Iſidori, & ſimilium etymologiæ.* Et mox: *Itaque Pontanus non inepte Ceriam derivat a geren, ſeu a fermentando.*

GÆRTNER, *gærtener*, hortulanus. Gloſſ. Pez. hortulanus *gartinari.* Haud dubie a *garten* hortus. Inde Latino-Barbaris *gardinarius*, & Gall. *jardinier.* Angloſaxones eundem hominem vocant *wyrt-weard*, Joh XX. 15. a cura plantarum. Monumentum Gothicum hic deficit.

GÆSATÆ, milites mercenarii. V. *geſum.*

GÆST, *jæſt*, ſpuma ex fermentatione, præcipue ſpuma cereviſiæ recentis. Hæc enim Angloſaxonibus apud Lexicographos vocatur *gyſt*, Angl. *yeaſt*, Belg. *geſt*, & inde *geſten* vel *giſten* ſpumare. HELVIGIO *gæſt* eſt res *egeſta*, ſicut *geren* ab *egerere.* Sed multo probabilius eſt, vocem a Celtis oriundam eſſe. Nam a *jas* fervor, ebullitio, quod ex veteri Lingua Britannica hodie ſuperat apud Cambros, Germani condiderunt verbum *jæſen* efferveſcere, quo utitur Codex Willerami Scriverianus Cap. VIII. 2. *jeſente muſt*, muſtum bulliens. Merula habet *geſende moſt*, quod idem. Nam G. & I. permutantur. A *jæſen*, quod Helvetiis etiamnum familiare, deinceps faƈtum eſt *jæſt*, eo quo dixi ſenſu. Quod poſtea imitati ſunt Latino-Barbari, quibus *geſtum* eſt flos novæ cereviſiæ, quo piſtores panes conficiunt, interprete SPELMANNO.

GÆSUS, telum Celticum. V. *geſum.*

GAFELKIND. V. *gabeln* dividere.

GAFELRECHT. V. *gabel* tributum.

GAFFEN, os pandere, hiare. Angloſaxon. *geapan*, Belg. *gaapen*, Scand. *gapa.* Fortaſſe a *kaw* cavus, ut proprie ſit diduƈtis labris cavum facere. In derivatis dicitur de omnibus rebus, quæ aperturam patiuntur. Inde Angloſaxonibus *geaſlas* fauces, Islandis *gap* hiatus, foramen, Gallis *gouffre* gurges, Cambris *gwefl* labrum, labium, Suevis *waffel* riƈtus, & ſtilo agreſti os.

GAFFEN, adſpeƈtare, avide intueri. Francis *chapfen* & *kapfen*, Belg. *gaapen*, Island. *gapa*, apud VEREL. in Ind. Senſus videtur ab hiando deſumtus, quoniam ii, qui rem aut exitum rei avide intuentur aut præſtolantur, plerumque hiſcentes id faciunt. Verum, quia hiatus oris per ſe nihil adſpicit, præſtat derivare a *waffe* vultus, aſpeƈtus, quod Celticum eſſe vidimus. Hic interim aſpeƈtandi modus ſemper eſt cum hiatu conjunƈtus. Hoc ſenſu dixit OTFRIDUS de diſcipulis Domini, qui adſcenſum Domini in cœlum oculis defixis & ore patulo ſequebantur, Lib. V. Cap. XVII. circa fin.

Kapfetun ſe lango
Uuas uuuntar ſie thero thingo.
Adſpiciebant diu hiſcentes,
Admiratione rerum capti.

Inde Belgis *gaaper* ſpeƈtator defixus, qui ſpeƈtandi aviditatem oris hiatu prodit. Hodie in contemptum abit, & dicitur tantum de pueris & ſtultis, qui res omnes, etiam futiles, & nullo hiatu dignas admirantur. Aliud eſt *gapen*, de quo infra. Illud intuentis, hoc illudentis eſt.

GAIL, vide *geil.*

GALB, pinguis. Vox Celtica apud PEZRON. in Antiq. Celt. pag. 430. Imperatorem GALBAM nomen inde tuliſſe, jam multis obſervatum, de quo diſerte SUETONIUS Cap. 3. *Nonnulli quod præpinguis fuerit viſus, quem Galli* GALBAM *vocant.* Cum voce Celtica conſentit Hebræa *chelebh* pinguedo. Item, quod reſina quædam Hebræis dicitur *chelbenah*, Græc. χαλβάνη, Lat. *galbanum*, Germ. *galban*, quam a pinguedine ſic appellari docet MARTINIUS. Pinguis enim eſt, & cum accenditur, flammam nutrit. An Germani præter galbanum aliquid habeant, quod ad cognationem vocis ſpeƈtet, dubito. Referri tamen huc video, *gail* pinguis, *gaile erde* terra pinguis, auƈtore LEIBNITIO in Gloſſ. Celt. pag. 120.

GALDER, cantator, muſicus, poëta. VEREL. in Ind. *skalld* poeta, *skalldskapr* poeſis,

skalldmær poëtria. Litera S. in voce Islandica non eſt radicalis, ſed adjectitia tantum, ut ſæpe alias. Oritur enim, non a *ſchellen* ſonare, ſed a *gala*, quod in eodem Indice exponitur *canere, carmen canere*, unde recte fit *galld* & præfixo ſibilo *ſgalld* vel *skalldr* cantator, quæ propria vocis notio. Sane SCALDRI & SCALDI apud Septentrionales erant *Cantatores Regum* in comitatu aulico, *qui bella aliaque quæ contingebant memoranda, linguæ vernaculæ rithmis & carminibus comprehendebant, ac populo decantanda, & longe lateque diſſeminanda exhibebant*, ut verba ſonant OL. WORMII Lib. I. Faſt. Dan. Cap. 6. Veritatem etymi evincit, quod *gal* absque ſibilo & absque terminatione, nobis etiamnum cantatorem ſignificat in compoſito *nachtigal* luſcinia, cantor nocturnus.

GALDER, incantator. Vox per omnes veterum Dialectos diffuſa. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *galan* incantare, *galdere* incantator, *galdor* incantatio, *galdor-creſi* incantandi ars, *galdorleoth* incantamentum. Gloſſ. Lipſ. *galenderi* incantatis. VEREL. in Indice *gala* canere, carmen canere, incantare, *hon gol galldra* incantationes demurmuravit, *galldur, galdrar* incantationes, *galldramadur* magus, *galdraliſt* ars magica, *galldrameiſtari* arte magica excellentiſſimus. Senſum a genere ad ſpeciem, h. e. a cantu ad incantationem translatum eſſe patet.

GALGEN, furca putealis, *galg-brunn* puteus cum furca, *brunn-galgen* jugum putei. Uſus priſcus patet ex charta vetere apud CANGIUM in *Putiatorio*, ubi dicitur: *Dedit tertiam partem de putiatorio, quod vulgo dicitur* GALGO. Et rurſus: *tertiam partem de putiatorio ibidem conceſſit, quod barbarice dicitur* GALGO. Barbarice, id eſt, Theotiſce. Cum furca putealis nihil aliud ſit quam arbor ſupra puteum ſuſpenſa, unde amphora vicinum ſuſpenditur, hinc ſuſpicor illam a ſuſpenſione nomen accepiſſe, & *galgen* olim idem denotaſſe quod *henken*, hoc eſt, ſuſpendere. Favet huic conjecturæ ſermo Hiſpanicus, in quo *colgar* eſt ſuſpendere, & *colgado* ſuſpenſus, quas voces Hiſpaniam a Gothis, Vandalis, aut Suevis accepiſſe, nullus dubito.

GALGEN, furca patibularis. Gothis, Angloſaxonibus, & omnibus Septentrionalibus *galga*. De uſu Francorum hactenus nullum occurrit teſtimonium. Nam lignum illud, in quo Chriſtus pependit, ſemper vocant *kruz* vel *cruce*, nec tantum lignum Chriſti, ſed etiam lignum latronum. JUNIUS, qui multa monumenta, aliis non viſa, perluſtravit, tribuit Alamannis has voces, *galge* & *kalgo*, in Gloſſ. Goth. pag. 112. quas illum ex ingenio confinxiſſe minime veroſimile eſt, etiamſi non appareat, unde hauſtæ ſint. VOSSIUS in Etymologico nomen Germanicum deducit, a Latino *Gabalus*, MARTINIUS a *golgatha*. Sed neuter perſuadet. Nam *gabalus* eſt a *gabel* furca, & tribui cœpit patibulo ob ſimilitudinem. Similiter & *galgen*, quod prius deſignavit lignum putei poſtea ob manifeſtam ſimilitudinem ad lignum ſupplicii translatum eſt. Saxones, ne lignum cum ligno confundant, ſæpe utuntur compoſito *rod-galgan*, quo illis crucem & patibulum ſignificat. Germanis hoc lignum jam Auguſti ævo notum fuiſſe, ex DIONE Lib. LIV. pag. 535. apparet: *Sicambri, Uſipetæ, & Tencteri, primum quosdam in ſuo territorio deprehenſos Romanorum in crucem egerant.*

GALL, caſtratus. Græcis γάλλος eſt evirtus, & fortaſſe a κέω feco. Hodie ſuperat in *wallach* ſpado.

GALL, ſterilis, quia caſtrato ſimilis. VEREL. in Ind. ad Herraudi Sagam: *gall* infœcundum, *gallvid* arbor fructum non ferens, *gallko, gallfær, gallgett*, vacca, ovis, capra, non fœtificantes, *gallſtrand* littus ſterile & fabuloſum.

GALL, inſanus, furens. Islandis *gall*, Suec. *galen*. Vox Phrygia. VEREL. in Ind. *gall* inſanus. Idem in Herraudi Saga pag. 22. „*gall, galin, galning* inſanus, *gainas* inſaniare, *galenskap* inſania. GALLUM fluvium in „Phrygia memorat Strabo Lib. 12. Geogr. „Cujus aquæ hauſtu bibentes inſanos red„di OVIDIUS Lib. 4. Faſtorum ait:

„Cur igitur GALLOS, qui ſe exſcidere vocamus?
„Cum tantum a Phrygia Gallica diſtet humus?
„Inter, ait, viridem Cybelen, altasque Celenas
„Amnis it inſana, nomine GALLUS, aqua.

„*Qui bibit inde, furit* - - .

„Et Sext. Pomp. Feſtus Lib. VII. *Galli qui „vocantur Matris magnæ corniteſ, dicti ſunt a „flumine, cui nomen eſt Gallo: quia qui ex eo „biberint, in hoc furere incipiunt, ut ſe privent virilitatis parte.* Gratulabundum humano generi fuerit, ſi in ſola Phrygia inſanus hic liquor flueret. Sed aut inde in „omnem terræ partem ſe effudit, aut ſuos „quælibet orbis regio inſaniæ fontes habet. „Illud autem Auctorum iſtorum verba efficere volunt, & exſectos & inſanos GALLOS dici, & quidem a flumine GALLO. „Sed ſcire velim a magnis iſtis viris, unde fluvio iſti hoc nomen GALLUS? Qui „bibit inde, furit, ajunt. Propter furorem igitur fluvius iſte dicitur GALLUS &c. Hactenus VERELIUS, docte & eleganter. Unde recte concluditur, *Gall* vocem Phrygiam eſſe, utpote Phrygio fluvio, & Matris Phrygiæ Sacerdotibus propriam propter furorem, & hanc vocem ex Phrygia in Septemtrionem uſque migraſſe, ubi priſtino viget ſignificatu. Potuit autem oriri ab Attico γολᾶν furere, vel Atticum ab illo. Cognata vocabula vide in *koller*.

GALL

GALL, ſplendor, *waſſergall* ſplendor pluvius, quod dicitur de repercuſſione iridis in nubibus, quæ novam pluviam minatur. BENSON. in Voc. AS. *gyl* ſplendit. Islandis *gloa* eſt ſplendere. Græcis γέλα ſplendor, γελάω ſplendeo apud MARTINIUM in Cadmo. Cambris *goleu* lux, lumen, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Cuncta inter ſe cognata.

GALL, amarus, *gallapfel* nux amara. Luth. Deut. XXXII. 32. *ibre drauben ſind gall*, botri eorum ſunt amari. Heb. *meroroth*. NOTKERUS Pſal. LXXIII. 18. *Samariam* interpretatur *Gellunburg*, h. e. caſtrum amarum. Locum obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario, & egregie illuſtravit S. HIERONYMI verbis in Nom. prop. Hebr. *Semron, maron, cuſtos amari mœroris*. Quæ NOTKERUM ante oculos habuiſſe, valde opinabile eſt. Cur amarum dicatur *gall*, ratio hæc eſſe videtur, quod amarum ſit calidæ & urentis naturæ. Ergo a καλῶ uro, per medium derivandi *L.*

GALLAPFEL, nux ilicis, quam præter glandem gignit. Angloſaxon. *gealla* & *galluc*, apud SOMNER. & BENSON. Latinis *galla*. Proprie eſt pomum acerbum & amarum, a *gall* amarus, quem ſignificatum paulo ante ſtabilivi. PLINIUS Lib. XVI. Cap. 7. de galla: *aperris amara inanitas eſt*. Dicitur autem pomum ob rotunditatem.

GALLE, amaritudo. Videtur eo ſenſu occurrere in compoſito Angloſax. *eorth-gealla* centaurium. PLINIUS Lib. XXV. Cap. 6. de centaurio: *Noſtri fel terræ vocant, propter amaritudinem ſummam*. Dicitur allegorice de acerbitate animi, quia amaritudini ſimilis eſt. Inde *vergallt* exacerbatus.

GALLE, bilis, tam flava quam atra. Angloſaxon. *gealla*, Franc. *galla*, Belg. & Angl. *gall*, Suec. *galla*, Hiſp. *hiel*. Græc. χολή, unde Lat. *fel*, mutato *ch.* in *f.* GloſſR. Mauri de part. hum. corp. fel, id eſt *galla*. Verſio Angloſaxon. Matth. XXVII. 34. *and hig fealdon hym win drincan with geallan gemenged*, & dederunt ei vinum bibere, cum felle mixtum. Similia habet interpres TATIANI Cap. CCII. 3. & OTFRIDUS in eleganti columbæ, quæ felle caret, deſcriptione Lib. I. Cap. XXV. Nomen bili ab amaritudine quæſitum eſſe, ex antecedentibus patet. Metaphorice ſumitur pro ira, quia experientia teſtatur, eos, qui atra bile abundant, cæteris facilius irritari & excandeſcere. Inde Græcis χολὰν iraſci, Latinis *bilioſus* ad iram propenſus. Imo etiam Chaldæis *chalatb* eſt iraſci, niſi me fallat HENISCHIUS.

GALLI, nomen quondam commune omnium populorum, qui vaſtiſſimum illud terræ ſpatium, quod eſt inter Rhenum & Oceanum, Pyrenæos & Alpes, incoluerunt. Dicti autem ſunt *Galli* a Romanis & *Galatæ* a Græcis, non a ſe ipſis. Utrumque nomen *Celtico* recentius. PAUSANIAS Attic. Cap. 3. *Sero uſus obtinuit, ut Galatæ* (& Galli) *appellarentur. Celtas enim cum ipſi ſe, tum alii eos nominarunt*. Idemque memoriæ prodidit CÆSAR Lib. I. de B. G. ab init. *Ipſorum Lingua Celtæ, noſtra Galli appellantur*. CLUVERIUS exiſtimat, *Gallos* tunc primum ſic dictos eſſe, quum exundans domi multitudo, patria relicta, exteras petere regiones cœpiſſet, parte eorum in Italiam, parte in Illyricum atque inde in Græciam & Aſiam, parte in Germaniam delata; idque nomen a re ipſa accepiſſe, nempe a *gallen* vel *wallen* iter facere, quaſi *peregrinatores*. Lib. I. Germ. Ant. Cap. 9. Alia etymologia, nec minus ſpecioſa, nomen Gallicum derivat a verbo Celtico *gallu* poſſe, valere, unde Armoricis *gallius* & *galluog* potens, validus, & *gallout* potentia, quod etiam extat apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Rurſus ex re deſumpto vocabulo, quia *fuit antea tempus, quum Germanos Galli virtute ſuperarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agrique inopiam, trans Rhenum colonias mitterent*, ut ſummus auctorum JUL. CÆSAR ſcribit Lib. 6. de B. G. Ita ſentire videtur PEZRONIUS, Galliæ ſuæ decus, in Antiq. Celt. pag. 370. Suſpicor Celtas tunc primum *Gallos* a Romanis appellatos eſſe, cum partem Italiæ, Romanis ſubjectam, occupaſſent, non quod *migrationibus* delectarentur aut *potentia* ſua Romanis incumberent, etiamſi utrumque verum ſit; ſed quod moribus & lingua eſſent alieni, & in ſolo alieno ſedem collocaſſent. Nam *al* Celtica Lingua eſt alienus, peregrinus, inimicus, ut prolixe demonſtravi in vocula *el*. Ab *al* vero fit primo *wale* per proſthefin, & mox W. in G. converſo *gale* eodem ſenſu. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *alon* inimici, alieni, *galon* inimici, alieni. Hinc *alli* & *galli* antiquitus dicuntur omnes populi, qui in ſolo, quod occuparunt, non ſunt indigenæ, ſed vel aliunde adducti, vel armis nova ſede potiti. Sic coloni quidam vocantur ALLOBROGES, quod ex alio loco in Galliam Narbonenſem eſſent translati, apud veterem Scholiaſtem ad Sat. 8. Juvenalis. Similiter & Belgæ a Celtis dicti ſunt WALLI vel WALI, h. e. alieni, alienigenæ, cum Rheno trajecto Galliam Belgicam vi occupaſſent. A quibus pars Flandrorum etiamnum vocantur WALEN, WALLONS, WALLONES. Imo etiam Cambri non aliam ob cauſam videntur appellari WALLI, Anglice *Wales*, Gallice *Gales*, quam quod ab initio hoſpites eſſent in illo terræ angulo, ſive bello Saxonico eo pulſi, ſive e proximo Galliæ littore in Britanniam transvecti.

GALM, ſonus, tinnitus, clangor. A *gellen* ſonare, per medium derivandi M. GloſſKeron. ſonitu *calme*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XIX. 49.

Thaz iſt ouh dag hornes
loh engilliches galmes.

Vertit SCHILTERUS:

Hic quoque eſt dies tubæ
Et angelici clangoris.

GALMEI, lapis æroſus. Nomen vitiatum ex *Cadmia*.

GALOP, curſus equi concitatior. Vox Gallica, a Græc. καλπάζω equum ad curſum concitare. Vide MENAGIUM in voce *galoper*.

GEMANEN, dicimur quando alterius rei ſimilis vel recordamur vel admonemur. Ergo vel idem eſt quod *manen* monere, vel verbum faceſſens a *minnen* reminiſci.

GAMPEN. V. *gumpen*.

GAN, ire, vadere, incedere. Angloſaxon. Francis & Belg. *gan*, Præcop. *gέεn*, Alam. *kan*, Græc. κάω, Angl. *goe*, Suec. *gæ*. Gloſſ. Keron. eunt *kant*, circumeam *umbicun*, obviaverit *kakanganne*, incedunt *anakant*. TATIAN. Cap. CLXVI. 4. *games hina*, eamus hinc. Idem Cap. CCXLII. 2. *get in alle uueralt*, ite in univerſum mundum. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XXII. 37.

Er giduit, thaz thu uueiſt,
Thaz thu nakot ni geiſt.

Vertit SCHILTERUS:

Ipſe facit, ut tu ſcis,
Quod nudus non ambules.

Forma verbi Celtica eſt *ja* vel *ya*, Armoricis uſitata, teſte PEZRONIO in Antiq. Celt. pag. 392. unde eodem judice Latinis *eo*. Confer *gen* ad.

GANERBEN, hæredes mutui & fœderati, *ganerbſchaft* ſocietas nobilium mutuæ Succeſſionis legibus inita. Lat. Barb. *ganerbii* & *ganerbiatus*. Originem inſtituto dedit ſtudium tutandi ſui contra latrocinia, ſub ſtatu Germaniæ turbulentiſſimo, ut docet SPELMANNUS in voce, & ex illo CANGIUS. Cur ita dicantur, ex *Theſauro Beſoldiano Adaucto* oſtendam, ubi verba ſic fluunt pag. 290. "Sane vox *Ganerben* omnino „Germanica eſt & compoſita, cujus pars poſterior *erben* absque dubio hæredes denotat: Prior vero compoſitionis pars vel ſyllaba *gan*, quid ſibi velit, haud omnibus „patet. Quidam deducunt a *geben* ire, proficiſci, ut *ganerben* quaſi ſint *gangerben*, „quod ſecundum certa ſua pacta contra Jus „commune ad mutuam hæreditatem transeant: nam & antiqui pro *gebn* dicebant „*gahn*, ſicuti pro *ſtehn*, *ſtahn*; quod idioma „adhucdum multis in locis eſt in uſu. Alii „a *gæh*, quod feſtinum, properum ſignifi„cat, quaſi *Ganerbii* ſint, ad quos hæredi„tas cito & feſtinanter, per plures gradus, „& quaſi ſaltum tranſit. Hænonius deni„que deduci putat a verbo *gönnen*, ut *ganer„ben* ſint quaſi *gönerben: weil ſie ihren mit„erben gönnen fried und einigkeit:* vel ſi conjectura hæc placet, *weil ſie einander das „erbe gönnen*. Sed communior & receptior „eſt ſententia, quod dicantur *ganerben*, „quaſi *gemeine erben*. *Gahn* namque ſumitur pro *gemeine* in compoſitis pro com„muni, ut *Gahnbach*: quod etiam innuitur „in Imperii conſtitutionibus &c. Hactenus *Theſaurus Beſoldianus*. Miror Jurisconſultos tantopere ineptire in vocibus ſuis, cum ſenſus manifeſto deſumptus ſit a *gan* vel *gen* re, retro, quatenus eſt adverb. viciſſitudinis & particula retributiva, quæ vicem pro vice, hæreditatem pro hæreditate reddit. Hodie dixeris *gegen-erben* eodem & legitimo ſenſu. Vide, quæ de particula *gen*, ejusque uſu & vetuſtate notavi infra. Aliud ſunt *ganerben* jure Francico & Saxonico, de quibus mox erit agendi locus.

GANERBEN, cohæredes. NOTKERUS Pſal. XXXVI. 22. *unde uuerdent ſine cohæredes* (*canherben*) (*chanerben*). LOCUM obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario, ſed quid ſit illud *gan*, indictum reliquit. Alterius certe naturæ eſt, quam in vocabulo præcedenti. Ibi enim eſt particula retributiva, hic conjunctiva. Interim *ganerbe* recte exponitur *cohæres*. Nam proprie eſt hæres collateralis, ſive hæres a latere, a particula Celtica *gan*, *gen* apud, juxta, quam vide.

GANG, oritur a *gan* ire, per medium derivandi G. & ſignificat quantum poteſt, actionem eundi ſeu inceſſum, & locum eundi ſeu ambulacrum, ſive locus ille ſit ſupra terram, ut pergulæ, via, plateæ &c. ſive infra terram, ut venæ, meatus, cuniculi, latrinæ &c. VEREL. in Ind. *gengi* itio, inceſſus. Evang. Goth. Marc. VI. 56. *lugidedun ſiukans ana gagga* (quod pronunciandum ut *ganga*), poſuerunt infirmos in plateis. Id eſt, in via, in ambulacris publicis. Compoſita in Gloſſis Keronianis: *zuakanc* aditus, *inganc* ingreſſus, *umbicanc* circuitus, *framkanc* proceſſus, *ſedalkang* occaſus: ad locum & itum referri poſſunt. Quibuscum ſono & ſignificatu conveniunt Angloſaxonica *togang*, *ingang*, *ymbgang* &c.

GANG, metaphorice dicitur de uſu, ob manifeſtam ejus cum curſu publico & via trita ſimilitudinem. Inde *genge*, *gengig*, *gangbar* uſualis, quod dicitur de mercibus & moneta, non quatenus per manus hominum eunt, ſed quatenus uſu probantur. Poſtea ſenſus ad homines quoque extenſus eſt, ut dixi in *genge* validus.

GANGEN, ire, vadere, ambulare. Omnibus antiquis, Goth. Angloſaxon. Franc. & Alam. magno conſenſu *gangan*, Island. *ganga*. Gloſſ. Keron. ambulantes *kangante*, vadunt *kangant*, eas *kangees*. VEREL. in Ind. *ganga* ire. Cuncta a *gang* itus. Hodie cuſtodiunt Suevi & Helvetii. A *gangen* fit *gænger* in compoſitis *fuſsgænger*, *müſsgænger*, *fürgænger*, *koſtgænger*, & aliis innumeris, noti ſignificatus.

GANGEN, migrare, proficiſci. Inde nomen viatoribus & peregrinis apud veteres. Gloſſ. Keron. peregrinorum *gangararo*, peregrinis *kankararum*. SOMNER. in Dict. AS.

AS. *weald-genga* latro, graſſator in ſylvis, *wer-genga* advena. Et huc etiam ſpectant *warengangi* Longobardorum, de quibus infra in W.

GANG-FISCH, albula, piſcis albus. A candore ut anſer. Litera N. ſæpe poſt ſe trahit G. nonſolum in ore Gallico, ſed etiam Germanico. Exempla vide in *Proleg.* Sect. 3.

GANS, anſer. Memoriæ proditum eſt, hunc alitem a candore nomen accepiſſe. PLINIUS Lib. X. Hiſt. Nat. Cap. 22. CANDIDI *anſeres in Germania, verum minores,* GANZÆ *vocantur.* Auctor vitæ S. Waldeberti §. 5. *Anſeres agreſtes, quos a* CANDORE *& ſonitu vocis* GANTAS *vocamus.* Germanis hodie radix excidit: ſuperat tamen apud Cambros & Armoricos, quibus *can* albus & candidus dicitur. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cann* albus, candidus. Sic Arm. *caened* canus. PEZRON. in Antiq. Celt. pag. 381. *Canus* venit de Celtico *can* & *cain*, quod ſignificat *albus:* unde porro prodierunt *candidus, candor,* & *canities.* Quibus addo, quod *γανὸν* apud HESYCHIUM exponitur *λευκαῖνον* dealbare, album reddere. Unde, niſi a Celtica radice *can?* Ab hoc igitur primitivo anſer, tanquam avis candore notabilis, in multis Linguis admirando vocum concentu denominationem accipit, ita ut Græcis dicatur *χὴν*, Dorice *χὰν*, Latinis *anſer* per aphæreſin quaſi *canſer*, Armoricis *ganz* apud Pezronium, Germanis priſcis & hodiernis *ganz, gant, gans*, Hiſpanis *ganſa* & *ganſo*, Latino-Barbaris *ganſa* & *ganta.* Lex Boior. Tit. XX. 2. *De eo (accipitre) qui dicitur* GANSHAPICH, *qui anſeres capit, cum III. Sol. componat.* A *gans* oritur

ganſer, maſculus inter anſeres, Angloſax. *gandra*, Angl. *gander.*

genſerich, idem, proprie ductor anſerini generis, ut dixi in *reich.*

gänſichen, anſerculus. Gr. *γηνίσκον.*

In reliquis Dial. anſer vocatur *gas, gos, goas, gaus.* Gloſſ. Æſſ. in nom. avium: auca *gos,* aucarius *gos-hafuc.* VEREL. in Ind. *gas* anſer. CLOD. in Lex. Turc. anſer *kas*, anſerinus *kasli.* Armoricis anſerem promiſcue appellari *ganz* & *goaz*, teſtis PEZRONIUS in Ant. Celt. pag. 428. Et ab hac varietate ne PLINIUS quidem liber eſt. Nam ubi veteres Editiones legunt *ganſas*, ibi Harduini editio exhibet *gaſas.* Utraque vox candore ſe tuetur. Aliis enim albus vocatur *can*, ut Celtis, aliis *car*, ut Scythis. Teſtis PLINIUS, qui *Caucaſum* interpretatur *nive candidum* Lib. VI. Cap. 17. In quo compoſito *cas* Scythis album denotaſſe, haud abs re judicat ISIDORUS Lib. XIV. Originum Cap. 8. Perſæ quidem hodierni *Caucaſum* appellant *cau-caf*, hoc eſt, *montem Caſ*, a *cau* mons, ut me docuit RELANDUS; Sed Perſicam vocem ex Pliniana & vetuſtiore *Caucas* mons albus, depravatam eſſe, probabile eſt; non quod omnia Perſarum nomina terminentur in ſigma, ut ſcribit HERODOTUS Lib. I. Cap. 139. ſed quod optimus compoſiti ſenſus vitium admiſſum arguat. Qui negant, oſtendant nobis quid ſit *Caf* in voce Perſica. Quicunque ergo anſerem vocant *gans*, illi cum Celtis, qui vero *gas*, cum Scythis loqui videntur. VERELIUS in Ind. videtur *gas* derivare a *gaſa* curſitare: ſed invita vetuſtate, quæ anſerem a candore denominari tradidit.

GANT, auctio publica, *ganten, verganten* ſubhaſtare bona, per præconem vendere. Voces Suevis & Helvetiis uſitatæ, quas etiam adtingit *Theſaurus Beſoldianus*, ſed non explicat. Novæ ſint, an vetuſtæ, non liquet. Si prius, derivari poſſunt a Gall. *vente* venditio: ſi poſterius, a Gr. *αἴσιον* malus, haſta, quia publicatio bonorum fieri ſolet ad haſtam in medio foro erectam. Alii, qui Latinas origines amant, derivant a *cantu* præconis, vel a *quanto* licitationis.

GANZ, totus, cujus nulla pars deeſt, *die ganze welt* totus mundus. Belgæ eodem ſenſu dicunt *ganſch*, Sorabi *konez*, Galli *entier* per aphæreſin. Sed apud Antiquos non occurrit, qui ſolent dicere *all* in omnibus Dialectis. Evang. Gothic. Joh. I X. 34. *in frawaurhtim thu gabaurans warſt alls*, in peccatis natus es totus. Evang. Angloſax. Matth. XX. 6. *hwi ſtande ge her ealne dæg idele*, quid ſtatis hic tota die otioſi? Matth. XXII. 37. *lufa Dryhten thinne God on eallun thinum mode*, diliges Dominum Deum tuum ex toto animo tuo. Marc. VIII. 36. *hwæt fremath men theah he ealne middan-eard geſtryne*, quid proderit homini, ſi totum mundum lucretur? TATIANUS Cap. XXXVI. 3. *al thin lihhamo iſt ſinſtar*, totum corpus tuum eſt tenebroſum. LUTHERUS ubique habet *ganz.* Quod certe novum eſt, & a Francis veriſimiliter formatum a Lat. *cunctus.* Nam illi ſoli utuntur hac voce, quamvis perraro, dum apud Gothos, Angloſaxones, & Septentrionales plane exulat. *Cunctus* Latinis ſæpe eſt pro toto.

GANZ, integer, illæſus. Gloſſ. Pez. illæſam *kanza.* Senſus a toto ad integritatem partium translatus. Similem translationem vide in *all.*

GANZ, ſanus. Apud OTFRIDUM *ganzer* eſt ſanus. Lib. III. Cap. II. 64. & mox *ganzida* ſanitas: ſenſu ab integritate partium ad ſanitatem translato, ſed hodie deſito.

GÆNZEN, *ergænzen*, quatenus derivatur a *ganz*, ſignificat quantum poteſt, vel ſupplere quæ deſunt, vel reparare & in integrum reſtituere.

GAPEN, *gapſen, gaffen.* Vide reliqua in poſtremo.

GAPEN, illudere, ludificari, decipere, ſive doloſe, ſive per jocum. Prior ſignificatus Angloſaxonibus, poſterior Islandis proprius. SOMNER. in Dict. Angloſax. *geap* fraudulentus, fallax, ſubdolus, *geapice* ſubdole, *geapſcipe* fraus. VEREL. in Ind. *gabba* irri-

dere, illudere, *gabbandi* illudens, irridens, *gabb* illuſio, ludibrium. Inde Italis *gabbo* ludus, jocus, *gabbare* deludere, decipere, quæ FERRARIUS a *captare* deducit, ſed fruſtra, judice VERELIO. Similiter Arvernis *chapeto* dicitur, qui alios lepide vexat, interprete CANGIO. Hinc quidam exiſtimant, Hugonem Franciæ R. dictum CAPETUM, quod, dum juvenis eſſet, capucia ſolebat auferre per ludum. Aliam etymologiam vide in *kappe* ſagum. Si Græcus eſſem, cuncta derivarem a σκώπτω illudere, per ſyncopen. Nam *gapen* interdum effertur *ſkapen*. Hinc vulgo vexatio illuſoria vocatur *ſchabernack*, & in Lexico Runico *daruskapur* exponitur *ſarcaſmus*.

GAR, corium. V. *kür*.

GAR, telum. V. *ger*.

GAR, totus, totum, & totaliter. Forte ab ἀγείρω congrego, colligo, vel ab Heb. *agar* ejusd. ſignificatus. Nam totum eſt ens collectivum, quod integritatem ſuam habet a partibus congregatis. Gloſſ. Pez. penitus *karo*. Luth. Sir. XLIII. 29. *er iſts gar*, ipſe eſt totum, h. e. unus & omnia. VEREL. in Ind. *giorvalt* plenaria poteſtas. Inde Longobardis *garathinx* plenaria donatio, ut dixi in verbo *dingen*.

GAR, adverb. intendendi, *gar oft* ſæpiſſime, *gar gut* optime, *gar recht* rectiſſime. SOMNER. in Dict. Angloſaxonico *geara* bene, valde, ſatis, *geara cennan* bene ſcire vel noſcere. Similiter & in nominibus propriis auget ſignificatum. Inde

GERTRAUT, valde dilecta.
GERBERT, valde clarus.
GERHART, valde acer.
GARIFUSIUS, valde promptus. Nam *fus* celerem & promptum denotare, jam ſupra demonſtravi in *fix*. Nomen exhibet GOLDASTUS in Cat. nom. proprior. Curienſi, pag. 106.

Itali imitantur vocem Germanicam in *guari* multum, quod Scriptores ultramontani male derivant a Lat. *valde*, vel *aliqua re*.

GAR, paratus, perfectus in ſuo genere. A *garen* parare. Gloſſ. Lipſ. *garo*, *garu* paratus. Hodie eodem ſenſu ſæpe utimur. Sic vulgo dicimus, *der kol iſt gar* olus paratum eſt, h. e. quantum ſatis eſt coctum. Utimur etiam compoſitis, *gar-küche* culina parata, *gar-koch* coquus qui paratos vendit cibos. Belgæ eodem ſenſu dicunt *gaar*. Poſtea ſenſus a parato ad promptum translatus eſt, quia prompti ſunt ad agendum parati. Inde vox Petri apud TATIANUM Cap. CLXI. 3. *garo bin mina ſela ſezzan furi thih*, paratus ſum animam meam ponere pro te. Bonus ſenſus, ſed uſu deſtitutus.

GAREN, parare, præparare. Saltim antiquis. Gloſſ. Keron. præparavit *karota*, præparata eſt *kekaroter*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. II. 13.

Tho zemo abande ſar
Garetun ſie ſin muas thar.

Tunc circa veſperam mox
Præparabant illi cœnam.

NOTKERUS Pſal. XXXIV. 8. *den tod kareton ſie mir*, mortem mihi parabant. Inde Francis *garo* adjective paratum, ſubſtantive paratorem ſignificat. Gloſſ. Boxh. *keroe* auctor. Id eſt, parator, præparator. Origo verbi eſt a *gar* totus & totum. Nam parare & præparare non eſt facere ſimpliciter, ſed perficere, & ad perfectionem exiſtendi perducere. Ab eodem primitivo deſcendit *garawen*, *garwen* parare, præparare, unde nobis remanſit *gerben* eodem ſenſu.

GARANTIEREN, ſecuritatem præſtare. V. *waren* cavere.

GARBE, merges, collectio ſpicarum. Vox a Francis relicta, quæ Belgis effertur *garf*, *garve*, *korn-gerve*. Gloſſ. Lipſ. *garivon* manipulos. Nos *gerven* inquit LIPSIUS. Gloſſ. Boxh. *criga karbono* acervus manipulorum. Inde Lat. Barb. *garba*, & Gallis *gerbe*. Leges EDOUARDI Confeſſ. Cap. 8. *De omni annona decima* GARBA *Deo debita eſt*. Græciſſantes ducunt, alii a κάρφη ſtramen, alii a καρπὸς fructus. At STADENIUS refert ad *garwen*, *gerben*, præparare, quia merges eſt faſciculus e frugibus præparatus, in Voc. Bibl. pag. 231. Neſcio an magis appoſite. Nam *garbe*, ut ex Gloſſis manifeſtum, proprie eſt *manipulus*, h. e. tantum ſpicarum, quantum manibus attolli, & ſub brachio portari poteſt. Hinc manipulus Angloſax. dicitur *gripe*, quo vocabulo hodie Angli nonſolum manipulum, ſed etiam mergitem deſignant, a *gripan* capere. A *gripe* autem per metaplaſmum vulgo valde familiarem in vocibus ſæpe proferendis, fieri potuit *garbe*. Et hanc etymologiam firmat, quod *garba* in Latinitate medii ævi nonſolum frugum, ſed etiam aliarum rerum faſciculus tribuitur. Sic in Statutis ROBERTI I. Regis Siciliæ *garba ſagittarum* dicitur conſtare 24. ſagittis, obſervante CANGIO in voce. Vox Saxonica *ſchaub* perfecte convenit cum hoc ſenſu.

GARD, vox antiquiſſima, & ab ultimis temporibus, quantum ex conſenſu Punicæ, Parthicæ, Celticæ, Sarmaticæ, Græcæ, Latinæ, aliarumque Linguarum conjicere licet, ad nos usque profecta, quæ proprie *locum ſeptum* ſeu *fundum ſepimento munitum* ſignificat, ſive fundus ille ſit domus, area, hortus, ſive prædium, aula, palatium &c. Radicem vocis Suecos in hunc usque diem cuſtodire, infra oſtendi in verbo *gürten* ſepire, ſepimento circumdare. Inde

Latinis *cors*, *cortis*, area ante villam parietibus cincta, apud VARRONEM, imo etiam *hortus*.

Cambris *gardd* hortus.

Gothis *gards* domus Luc. XIX. 46. *anagards* atrium, aula ante domum Marc. XV. 16. *gardawaldands* paterfamilias Matth. X. 25. *aurtigards* hortus Joh. XVIII. 1.

Angle-

Angloſaxonibus *geard* area, *grene geardas* vireta, viridaria, *win-geard* vinea.
Francis *gardo* hortus, *gartari* hortulanus.
Latino-Barbaris *curtis* domus ruſtica, villa, prædium, imo etiam aula & palatium, quod Reges in villis ſæpe reſiderent.
Islandis *gard* fundus ruſticus, ædificiis neceſſariis circumſeptus, aula, interprete VERELIO in Indice.
Sorabis *brodz*, Polonis *grodz*, ſtabulum, caula, interprete FRENZELIO in Orig. Sorab. pag. 285.
Italis *corte* aula, palatium.
Gallis *court* prædium, & pagus, cui majus aliquod prædium originem dedit, in permultis locorum nominibus apud VREDIUM.

Poſtea eadem vox a fundis ſeptis ad urbes & regna, & totum denique orbem terrarum translata eſt, quia ſicut urbs mœnibus & foſſis, ita regnum montibus & fluviis, & orbis terrarum cœlo cingitur. Quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

GARD, munitio, locus munitus, urbs, oppidum, caſtrum, burgum. VEREL. in Ind. *gard* civitas, urbs, *gardshondi* civis urbanus. Inde nomina propria urbium apud Pœnos, Parthos, Slavones, & Germanicos populos quæſita, cujusmodi ſunt,

CARTHAGO, urbs munita. Niſi ſit vitiatum a Gr. καρχηδὼν (quo pacto ſpectabit ad *kar* civitas, quod vide in *kerl*), vel potius a Punico *Karthada*, quod *Neapolim* ſignificare dicitur.
DADOCERTA.
TIGRANOCERTA, urbs Armeniæ, proprie *Tigranopolis*, utpote a Rege Tigrane condita. HESYCHIUS: Κέρτα, πόλις ὑπὸ Ἀρμενίων, *Kerta Armeniis urbs eſt*. Imo & Syris *kerta*, *karta*, unde etiam *Carthago* a Tyriis nominata eſt in Africa. Ita CELLARIUS in præſtantiſſimo Opere Geographiæ Antiquæ Lib. III. Cap. XI.
VOLOGESOCERTA, urbs Babyloniæ, a Vologeſo Rege Parthorum condita, teſte PLINIO Lib. V. Cap. 26.
CZARIGRAD, Conſtantinopolis, quaſi dicas *urbs regia*, a *czar* rex, princeps. Turcas Europæos, qui Lingua Slavonica utuntur, ita appellare Conſtantinopolim, ex BOXHORNIO demonſtrat FRENZELIUS in Orig. Sorab. pag. 379. Litera R. mobilitate ſua facit, ut eadem vox in Dialectis jam *grad* jam *gard* enuncietur.
NOVOGROD, caſtrum novum, Lat. *Novogardia*, a Slavon. *nowy* novus, ex interpretatione FRENZELII in Orig. Sorab. pag. 381.
BELGRAD, *Bilygradz* caſtrum album, a Slav. *bily* albus, oppidum nobiliſſimum ad Savi & Danubii confluentes, caput Raſciæ vel Serviæ, vulgo *Alba Græca*. Dicitur autem *Græca* a Slav. *graz* caſtrum. Unde ridiculus error natus, ut idem Caſtrum Germanis *Griechiſch-Weiſſenburg* appellaretur. Idem pag. 376.

STARGARD, antiqua civitas, a Slav. *ſtar* vetus, eodem interprete pag. 377. Germanice dixeris *Altenburg*. Chronicon Saxon. apud SCHILTERUM in Gloſſ. pag. 98. *Oldenborch iſt geheten na Wendeſcher tungen Stargarde*.
ASGARD, civitas Dei, patria Odini, unde in Germaniam profectus dicitur. Ab *as* Deus, de quo ſupra. Vulgo *Trojam* interpretantur. Sed cum Troja dudum deſtructa eſſet, ſitum *Asgardii* in Scythia quærendum eſſe non procul ab oſtio, ubi Tanais in paludem Mœotidem defertur, docet ULRICUS VONLINGEN vir doctiſſimus, in Obſervatione quadam Germanice ſcripta *de Origine Poeſeos in Germania & Septemtrione*. Nam in illa regione *Aſpurgianos* habitaſſe, teſtes excitat STRABONEM & STEPHANUM Byzantinum. Et cum *Asburg* & *Asgard* idem ſignificent, unum pro altero poſitum eſſe contendit. Hæc conjectura, ſi ad mentem STRABONIS emendetur, qui *Aſpurgianos* non ad Tanaim, ſed circa Sindicam inter Boſporanos collocat, verſimilitudine non caret, & ab omnibus eruditis recipi meretur, donec pateat contrarium. Poſt mortem Odini *Asgard* dici cœpit ſedes beatorum, & aula Odini in alio orbe.
MYCKLEGARD, magna civitas, Germanica interpretatione *Meckleburg*. Conſtantinopolim Septemtrionalibus ſic dictam eſſe, ex OPITIO obſervat WORMIUS Lib. 2. Monum. Dan. pag. 133. Differt a *Michailograd* caſtrum Michaelis, apud FRENZELIUM loc. cit. pag. 381. Illud a *michel* magnus ſic dicitur, hoc a *Michaele* vel angelo vel conditore.
STUTGARD, urbs princeps Würtembergiæ, haud dubie ab *equariis* Alamannorum, gentis ex equo mirifice pugnantis, & equeſtri laude inprimis claræ, antiquitus nomen nacta. V. *Stut* equus admiſſarius.

GARD, nominibus Regum, populorum aut plagarum Mundi junctum, regnum & regionem ſignificat. Uſus Gothorum patet ex Matth. VI. 13. ubi Regnum dicitur *thiudangard*, a *thiudans* rex. Uſum Danorum conſignavit HELMOLDUS in Chronico Slavorum Lib. I. Cap. I. his verbis: *Ruſſia autem vocatur a Danis* OSTROGARD, *eo quod in Oriente poſitus, omnibus abundet bonis. Hæc etiam* CHUNIGARD *dicitur, eo quod ibi ſedes Hunnorum primo fuerit.*

GARD, mundus, orbis terrarum. BENSON. in Voc. Angloſax. *geard* terra, mundus, *geardlic* mundanus. Inde compoſitum *mitten-gard* vel *mittel-gard* mundus, orbis, quo nihil frequentius apud antiquos. ULFILAS Luc. II. 1. *urrann gagrefis gameljan allana midjungard*, prodiit edictum ut deſcriberetur univerſus orbis. TATIANUS Cap. XVI. 1. *ſenu Gotes lamp, ſenu ther nimit ſunta mittiligartes*, ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Extat & Angloſaxonicum

middan-

middan-geard eodem ſenſu uſurpatum, apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 254. Proprie denotat regionem in univerſo mediam. JUNIUS loc. cit. *Gothi orbem habitabilem dixerunt midjungard, quaſi dicas, illud totius univerſi medium quod incolunt homines.* Idem de reliquis cenſendum. Nimirum priſcis illis, Gothis inquam, Francis, Alamannis, & Saxonibus perſuaſum fuit, nos in centro univerſi habitare, & hinc orbi terrarum a ſitu medio nomen impoſuerunt. Placuit hæc fuſius proſequi, quia cel. PALTHENIUS, auctor alias in aperiendis veterum vocabulorum ſecretis oculatiſſimus & dexterrimus, in ſuis ad Tatianum Animadverſionibus pag. 337. ſcribit, *quod, quem ſignificatum* GART *proprie quondam habuerit, nondum liqueat.*

GARDE, cuſtodia. V. *warte.*

GARDINGUS, ſignificat quantum poteſt, vel optimatem palatii ſi derivatio inſtituatur a *gard* aula, palatium, & hoc ſenſu occurrit in Legibus Wiſogothicis Lib. II. Tit. I. 1. ubi ſeniores palatii vocantur *gardingi:* vel cuſtodem corporis, ſi derivetur a *garde* cuſtodia: vel præfectum urbis, ſi denominatio fiat a *gard* urbs. *Gardingos* & *Guardingos* ſicut nomine & officio, ita etiam origine diſtinguit VERELIUS in Ind. ad Herraudi Sagam pag. 85.

GAREN, parare, præparare. Vide poſt *gar.*

GARN, laqui quibus aves vel feræ capiuntur. Ab Angloſaxonico *grine* per metatheſin, & hoc a Græco ἀγρεύω, rete, per aphæreſin. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *grine, gryne* decipulum, laqueus, *Judas hine ſylfne on grine abeng*, Judas ſeipſum laqueo ſuſpendit. Hodie *grinne* ſuperat apud Anglos eodem ſignificatu.

GARN, linum netum, lana neta, filamenta ex quacunque materia, vili vel pretioſa. Angloſax. *gearn*, Franc. *garno*, Belg. *garen*, Angl. *yarne.* BENSON. *gearn* penſa, ſtamen, *gearn-windel* rhombus. OTFRIDUS Lib. I. Cap. V. 22. de B. Virgine: *uuerk uuirkendo diurero garno*, opus texens ex filis pretioſis. Senſus a laqueo ad filum translatus, ob manifeſtam utriusque ſimilitudinem.

GARNISON, milites præſidiarii. V. *warnen* munire.

GARSTIG, ſordidus, *garſtige hænde* manus ſpurcæ. Oritur, non a γάστηρ venter, ſed a *gaſtig* immundus, inſerto R. Synecdochice dicitur de putido & putri. Inde Belgis *garſtig ſpek* lardum rancidum, *garſtig vleeſch* caro fœtida, *garſtigheit* ſqualor ex corruptione. Poſtea ſenſus a rancido ad omne fœdum translatus eſt a Germanis. Inde *garſtige zoten* verba obſcœna, *garſtig anzuſehen* fœdum aſpectu &c.

GARTEN, locus plantis & arboribus conſitus. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *gardd*, Latinis *hortus*, elemento G. in H. converſo, Francis & Alamannis *garto*, *carto*, Anglis *garden*, Islandis *gardur.* Gloſſ. Keron. horto *cartin.* TATIANUS Cap CLXXXVIII. 5. *eno ni giſah ih thih in themo garte mit imo*, nonne ego te vidi in horto cum illo? VEREL. in Ind. *gardr* hortus, *trægardr* hortus arboribus conſitus, *grasgardr* viridarium. Proprie eſt locus ſepimento cinctus, a *gürten* ſepire, de cujus familia actum ſupra in *gard.* Reliquæ Dialecti in hoc ſenſu exprimendo prolixiores ſunt Germanis, Cambris, & reliquis. Nam hortus Gothis dicitur *aurtigards* Joh. XVIII. 1. quaſi *waurtigards*, h. e. area vel munitio plantarum, a *gard* area, munitio, & *aurt*, *waurt* radix. Angloſaxonibus *ort-geard* apud BENSONIUM, & alibi *wyrt-gyrd* & *wyrt-tun*, nempe Joh. XVIII. 1. 26. Sic etiam Suecis *örtagerd* eſt hortus, a *gærd* area, munitio, & *ört* planta. Cætera Saxonica, cujusmodi ſunt *orceard* & *orcyrd* vel ex antecedentibus ſunt vitiata, vel originem referunt ad Gr. ὄρχος, ὀρχαῖος, hortus. Idem ſtatuendum de voce Anglica *orchard.* Galli hortum vocant *jardin*, Picardi *gardien*, Itali *giardino*, Hiſpani *jardin*, Germanos, uti patet, in dicendo ſecuti.

GARTEN, hortus Veneris, arvum genitale mulieris. Francis *gart*, *gard*, in nominibus mulierum propriis. Inde

HILDEGARD, hortus infantum aut bellatorum. Conjux Caroli M. apud EGINHARD. in vit. Car. Cap. 18.

LUIDGARD, hortus militum, matrix ex qua fortes proceruntur. Priorem compoſiti partem vide in *leute* milites. Altera Caroli conjux, apud eund.

MATHALGARD, hortus conjugalis, unde ſocii & comites procreantur, ſi *mathal* ſit diminutiv. a *mat* ſocius, quod hodie cuſtodiunt Angli & Belgæ. Concubina Caroli M. Ibid.

IRMENGARD, hortus fortium. Ab *Irmen* fortis conflictu. Conjux Ludovici Pii.

GÆRTNER, hortulanus. Vide ſupra in loco.

GASSE, platea. Gothis *gatwo* Luc. XIV. 21. Francis *gaza*, *gazzo*, Scandis *gata*. Gloſſ. Pez. *vicis gazun.* WILLERAMUS Cap. III. f. *ibuuil in ſuochan after dero burgi in gazzon unde in ſtrazzon*, quæram illum infra caſtellum in plateis & vicis. Proprie eſt via publica, & ſic dicitur quaſi curriculum vel curſus publicus, a verbo Scandico *gaſa* curſitare. VEREL. in Ind. *gaſa* curſitare, *gata* plateæ, via. Alii Hebræas origines commendant. Et HELVIGIUS quidem derivat a *chouz* foris, CLODIUS a *Jue* platea, per anaſtrophen. Alias platea Gothis dicitur *fauradaurja* Luc. X. 10. quaſi dicas (optime interpretante JUNIO) locus ante ædium fores: Angloſaxonibus *ſtræte* ibidem, quod vide infra in *ſtraſſe.*

GAST, potens. Oritur a *giſen* poſſe, valere, quod tempus ut alia multa delevit. GASTO apud Italos & Gallos etiamnum eſt nomen proprium, nec aliud quam validum & potentem deſignans. Eodem ſenſu manifeſto

feſto ſatis occurrit in multis compoſitis veterum, cujusmodi ſunt,

SEGESTES, victoria potens, a *ſieg* victoria. Princeps Cheruſcorum, Arminii ſocer, de cujus rebus geſtis prolixe agit TACITUS Lib. I. Annalium Cap. 55. & ſequentibus. Scribendum fuiſſet *Seggeſtes*, niſi Tacitus auctoritatem Strabonis, quam pronunciationem Cheruſcam ſequi maluiſſet.

HALIDEGASTES, vel *hildegaſtes*, bellipotens, ab *hild*, quod apud BENSON. in Voc. Poet. exponitur *prælium*. Nomen Germani nobilis, Franci, Marcomanni, aut alterius, apud VOPISCUM in Aurel. Cap. 11.

ARBOGASTES, armipotens, ab *arf* telum, ſagitta. Nobilis Francus, & Dux belli in exercitu Gratiani & Valentiniani II. imperatorum.

NEVOGASTES, vel *nebogaſtus*, dominus potens, a Celtico *naf* dominus. Rex Chamavorum, rebus cum Juliano Imp. geſtis clarus, apud EUNAPIUM & PETRUM PATRIC. in Excerpt. Legat.

HENGISTUS, majoribus potens, a Celtico *hyn* majores, progenitores. Dux & auctor imperii Saxonici in Britannia, e familia, quæ Deos & Reges Saxonibus dedit, oriundus, de cujus natalibus ita ſcribit BEDA Lib. I. Hiſt. Eccl. Cap. 15. *Duces fuiſſe perhibentur eorum primi duo fratres*, HENGISTUS *&* HORSUS, *e quibus Horſus poſtea occiſus in bello a Britonibus, hactenus in orientalibus Cantii partibus monumentum habet ſuo nomine inſigne. Erant autem ut filii* WETGISI, *cujus Pater* VECTA, *cujus Pater* VODEN, *de cujus ſtirpe multarum provinciarum regium genus originem duxit.* Solent autem Heroës magnis parentibus orti a ſtirpe ſua appellari potentes. VIRGILIUS Æn. VII. 56. *Turnus avis atavisque potens.* Aliud etymon, ſed tanto Principe indignum, vide in *hengſt* equus.

Scio, de his aliisque nominibus aliter judicare celeberrimos Legum Salicarum interpretes, qui illis vel præfectos locorum, vel incolas regionum denotari putant. Sic WENDELINO Nebiogaſtes eſt *præfectus Noveſii*. ECCARDO Segeſtes *maritimus provincialis*. Sed vereor, ne hæ interpretationes majoribus noſtris ineptias affingant. Quid enim ineptius, quam pueris recens natis a præfectura aut ſolo natali nomen imponere? Quam aliena hæc ſint a genio & uſu Germanorum, ſexcentis hactenus exemplis patuit, quibus veteres in excogitandis puerorum ſuorum nominibus ad virtutem & claritatem unice reſpexiſſe docemur.

GAST, dux, princeps, unus ex potentioribus, qui cæteris præeſt, & in compoſitis præfectus ejus loci, cui annectitur, alias toparcha. Inde nomina appellativa (nam propria ignorantur) Procerum Francorum in Prologo Legis Salicæ,

WISOGAST, dux pagi inter Amaſim & Viſurgim.

BODOGAST, dux Batavіæ.

SALOGAST, dux pagi Salici.

Confer dicta in *Sal-gaſt* & *Sal-gow*.

GAST, hoſpes, peregrinus, conviva. Vox Celtica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *gweſtai* hoſpes, conviva, *gweſtfa* hoſpitium, invitamentum. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *geſt* hoſpes, *gieſt-hus* diverſorium. Gothis *gaſt* eſt advena, peregrinus Matth. XXVII. 7. Francis & Alamannis *gaſt* hoſpes, conviva. Gloſſ. Keron. hoſpite *haſtu*, hoſpites *keſti*, hoſpitum *keſteo*, pro hoſpite *furi caſt*, cellam hoſpitum *chamara diro keſteo*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. VIII. 9. de nuptiis in Cana:

Ni uuard io in uuorolt zitin
Thiu ziſamano gihtin,
Thaz ſih geſto guati
Sulihhero ruamti.

Vertit SCHILTERUS:

Non contigit in mundi ſeculis
His qui ſe ſibi deſponderunt,
Ut convivis bonis (illuſtribus)
Talibus gloriarentur.

JUNIUS vocem ducit a Græc. ἑστιᾶν epulas præbere, convivio excipere. STIERNHIELMIO placet omnino idem eſſe, quod Latinis *hoſtis*, h. e. peregrinus. Nam *hoſtis*, inquit CICERO, *apud majores noſtros is dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus*, Lib. I. de Offic. Cap. 12. Alibi tamen videtur eandem vocem derivare ab Island. *geſta* cibum capere. Vide Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 67. & 102. Alius *gaſt* componit ex *gau* & *iſt*, quod interpretatur pagenſem ſive eum qui ex eadem provincia eſt, nec ſenſu commodo, nec ſtructura idonea. Forte *gaſt* antiquitus ſic dictus eſt quaſi ſanctus & honoratus, cujus jura violare nefas, a verbo Gothico *ga-aiſtan* honorare, revereri, quod extat in Evangelio Gentis Marc. XII. 6. Nam hoſpitis perſona apud noſtros quondam erat ſacra & venerabilis, quam non licebat arcere tecto, & multo minus in contubernio occidere. Teſtis luculentus CÆSAR de Bello Gall. Lib. VI. Cap. 23. *Hoſpites violare fas non putant, quos quacunque de cauſa ad eos venerunt, ab injuria prohibent*, SANCTO*sque habent, iis omnium domus patent, victusque communicatur.* Confer TACITUM de moribus Germanorum Cap. XXI. & Legem Salicam Tit. XLVI. Favet huic originationi, quod in Linguis Septemtrionalibus, plane ut in Cambrica, nomen hoſpitis biſyllabum aut triſyllabum eſt, efferturque Islandis *gieſtur* apud Verel. in Ind. & Ol. Worm. in Lit. Run. Suecis *gieſt*, Danis *gieſt*. Ab hoc ſubſtantivo oritur Scandis *gæſta* hoſpitio excipere, & hoſpitio excipi, quod Islandis effertur *giſta*. VEREL. in Ind. *giſta Odin* Odini hoſpitio excipi, *giſting* hoſpitum receptio. Germani non agnoſcunt ho-

die hoc verbum, utuntur tamen derivatis, cujusmodi ſunt,

gaſtieren convivia celebrare,

gaſtung convivium,

köſte eadem notione, Dialecto inferioris Saxoniæ.

gaſt-frei dapſilis, munificus in excipiendis hoſpitibus, cujus domus & menſa omnibus advenis patet, a *frei* liberalis.

gaſt-gebot convivium, proprie invitatio convivalis, a *bieten* invitare.

gaſtmal convivium quo hoſpites excipiuntur. Hinc nullus in voce pleonaſmus, etiamſi *mal* per ſe convivium notet. Opponitur enim iis conviviis, quæ ex conjectis pecuniis convivantium parantur, & vulgo vocantur *gelach* & *collation*.

Ex eodem fonte Latino-Barbari habent *giſtum* jus domini divertendi in domo vaſalli, quod poſtea ad omnes comeſtiones & paſtus, etiam eos, qui canibus venaticis præbentur, translatum eſt. Inde nobis remanſit *gaſt-geb* epulo, tabernarius, qui cibum & potum præbet hoſpitibus, eorumque animalibus. Nam hoc compoſitum non eſt a *gaſt* hoſpes, ſed a *giſte* prandium, cœnaticum, vel certe a *koſt* victus. De voce Latino-Barbara vide pluribus CANGIUM in Gloſſario.

GASTALDUS, rector loci, ſive locus ille ſit curtis regia, ſive civitas aut caſtrum. Nam *Gaſtaldorum* munus & officium varium fuiſſe ac diverſum pro temporum & principum ratione, ex Legibus Longobardicis & Scriptoribus medii ævi obſervat CANGIUS in voce. Proprie eſt conſtitutus vel auctoratus. SOMNER. in Dict. Angloſax. *geſtealdt* conſtitutus. A *ſtellen* conſtituere, vel *ſtallen* auctorare. GROTIUS in Ind. nom. appellativ. Scriptoribus Gothicis præfixo: „GASTALDUS exponitur qui curtim gubernat, „proprie *poſitus*, qui vicem gerat, *ga* & *ge* „augmenta pro dialectis variant. Alii *ca* pro „eodem ponunt, unde *Caſtaldus*. Hæc ille. SPELMANNUS & AMERBACHIUS derivationem inſtituunt a *gaſt* hoſpes, aliqua tamen differentia. Ille *gaſtaldium* interpretatur hoſpitum famulum, ab *aldius* ſervus: hic hoſpitum receptorem, ab *halten* tenere. Uterque erronee, quia officium ejus non fuit, peregrinos excipere, ſed prædium Regis curare, & ſubjectis jus dicere. Nominis Longobardici adhuc ſervantes ſunt Itali, quamvis in infimo ſignificatu, quibus *gaſtaldo* eſt villicus, qui domus curam gerit abſente domino. Quod ex *caſticium* villa, & *aldius* verna, more ſuo componit FERRARIUS.

GASTIG, turpis, ſordidus, ſpurcus. Forte ab ἀγοστὸν immundum eſſe, aut, ſi novum ſit, a Gallico *gaſter* maculare, fœdare. Hodie utuntur Suevi, dum Belgæ & reliqui Germani vitioſe dicunt *garſtig*.

GASTRIG, idem quod *garſtig*. Vitiatum a vitiato, & non a γαστὴρ venter.

GATT, foramen. VEREL. in Ind. *gatt*, *gætter*, foramen. Idem Belgis *gat*, & hinc *sleutel-gat* foramen feræ vel claviculæ, *kous-gat* foramen in tibialibus. Cuncta veriſimiliter a Lat. *hiatus*, mutato H. in G. ut primo fuerit hiſcentis rei foramen, poſtea omnis apertura. Belgæ inde formant *gaten* vel *gaaten* perforare, *die paarlen zyn niet gegaat* margaritæ nondum ſunt perforatæ.

GATT, oſtium, janua, porta. Angloſaxonibus *gat*, *geat*, & hinc *geat-weard* oſtiarius Joh. X. 3. *ceaſtre gate* portæ civitatis Luc. VII. 12. VEREL. in Ind. *gatt*, *gætter* oſtium, janua, *gatter-tre* poſtes. Senſus a foramine ad fores & portas translatus ob manifeſtam ſimilitudinem. Quid enim ſunt portæ ſive privatæ ſive publicæ, niſi foramina per quæ tranſitur? Similem translationem vide infra in *thür* janua. Hodie ſuperat apud Anglos, quibus *a gate* janua, porta.

GATTEN, conjungere, conſociare, *ſich gatten* conjungi, *ſich begatten* conjugari, quod dicitur de animalibus, & inprimis de columbis. Antiquitatem verbi cognoſcimus, cum ex Hebræo *chathan* affinitate junxit, tum ex nominibus ſociorum, quæ inde formari ſolent ab omnibus pene Dialectis. Hinc ſcil. Angloſaxonibus *gada* complex apud BENSON. Belgis *gade* ſocius turturis: Islandis *kongadur* uxoratus, apud VEREL. in Ind. Germanis *égatten* conjuges, ſocii thori.

GATTER, ſeptum, cancelli, clathri. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cader* ſeptum, caſtrum, locus munitus, *cadw* ſervare, cuſtodire. VEREL. in Ind. *gor-kietta* locus ſeptus, cui abacta pecora a fure includuntur, a *gor* pecus. Vox antiquiſſima, nec orientalibus ignota. Hebræis *gadar* eſt ſepivit, *gadher* ſepes. Punica quoque lingua *gadir* ſepem ſignificare, teſtis PLINIUS Lib. IV. Cap. 22. Differt a *gitter* tranſenna.

GATTUNC, genus, forma, qualitas, modus exiſtendi pluribus communis, ſic dictus quaſi *affinitas*, a *gatten* conjungere. Olim etiam ſimilitudinem ſignificavit, quia ſimilia ſunt cognata. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *geddung* ſimilitudo. Eundem ſenſum vox hodierna recipere poteſt.

GAU, *gow*, pagus, regio, certus terræ tractus, arbitrio Principis vel populi definitus, & pro natura loci major vel minor. Nam diviſio regnorum in provincias, provinciarum in minores tractus omnium gentium inſtitutum fuit. Et ſicut Ægyptus in *Nomos*, ita vetus Germania in *Pagos* dividebatur. Semnones apud TACITUM *centum pagis habitant*, Cap. XXXIX. de M.G. Apud eundem Principes *jura per pagos vicosque reddunt*, Cap. XII. Vocem veteribus Gallis haud ignotam fuiſſe, dudum viri doctiſſimi ex nominibus ANDEGAVI & GERGOVIA, Cæſari memoratis, collegerunt. Idem affirmare licet de Britannis. Cambris regio, patria, provincia, rus, dicitur *gwlad*. Quæ vox compoſita videtur, ex *gw* terra, regio, & *llad* menſura, ſic ut *gwlad* ſit regio

gio menſurata,& certo ſpatio concluſa. Sed nullibi vocis frequentior uſus, quam apud Goth. & Franc. Gothis *gauje* eſt regio, *in gauja* in regionem, Matth. VIII. 28. *and allans gaujans* in omnes regiones, Luc. III. 3. OTFRIDO Galilæa, pagus Chriſti, dicitur *geuui*, Lib. II. Cap. XIV. 3. & pagus Herodis *geuuimez*, Lib. I. Cap. XX. 15. Et Gloſſarium quoddam antiquo-Theotiſcum apud JUNIUM *pagum* exponit *gauuimez*. Quæ vox Cambricæ adeo ſimilis eſt quoad ſenſum, ut videatur ad imaginem ejus formata. Manifeſto enim definitum terræ ſpatium ſignificat, componiturque ex *gauui* terra, regio, & *mez* menſura. Francos a ſimplici pagos ſuos denominaſſe, res notiſſima eſt. Quorum nomina, tam defueta, quam ea, quæ hodienum urbibus quibusdam & regionibus Germaniæ adhærent, exhibent Viri doctiſſimi, PFEFFINGER in Vitriario illuſtrato, JUNCKER in Geographia medii ævi, & noviſſime ac copioſiſſime illuſtris Abbas Gotwicenſis GODEFRIDUS, novum Germaniæ & Ordinis ſui decus, in *Chronico Gotwicenſi* Tom. I. Lib. 4. per totum. Vocem agnoſcunt quoque Belgæ & Friſii, haud dubie a Francis relictam, quoniam in Dialecto Angloſaxonica, quæ mater ſermonis Belgici & Friſici eſt, non reperitur. Belgis *gaw*, *gew*, *goy*, *goo*, *gouwe*, pagus eſt, Friſiis *gæ* vicus, teſte JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 126. Eodem obſervante, qui apud Friſios veteris Linguæ tenaces ſunt, incolam ejusdem vici vocant *gæ-man*, & adoleſcentem ejusdem vici *gæ-feynt*. Cunctis reſpondet Græc. γῆ, γέα, γαῖα terra. Nam hinc primo fit, *gæ*, *go*, *gau*, poſtea *gaw*, *gew*, *gow* per paragogen. Quidam Latino-Barbari dicunt *gobia*, quia ſcil. W. facile mutatur in B. Præcipua hodie compoſita ſunt, *Gowgref* & *Gow-gericht*, ſed Weſtfalis tantum uſitata, quorum illud præſidem territorii, hoc judicium territoriale ſignificat. De *Gograviis* vide plura apud CANGIUM in voce.

GAU, gaw, celer, agilis, pernix, Dial. Belg. Forte ab ἀκύς per apocopen & anaſtrophen. Inde creduntur componi, *gaudieb* artifex furandi, a ſolertia ſic dictus, & *gaugraf* quidam judex, qui poteſtatem habet in caſibus repentinis absque cauſæ cognitione judicandi. Alii tamen hæc compoſita maluerunt ad pagum referre. Omnium opinioni favet amphibolia, quæ eſt in voce *gau*.

GAUCH, *geck*, cuculus. Cambris *cog*, Angloſaxon. *gæc*, & *geac*, Angl. *gawk*, Græc. κόκκυξ. Hodie ita diſtinguimus, ut *guguk* ſit cuculus major, *gauch* & *geck* minor & inplumis. Uterque nomen meruit a cantu quem profitetur. Utimur etiam per contemtum & in conviciis. Inde *gauch* juvenis imberbis, *gauchhare* prima lanugo, *gauchmat* mœchus, id eſt, ſocius cuculi, qui fœtum ſupponit in alieno nido, quod de cuculo ſcribit PLINIUS Lib. X. Cap. 9. *Maat* pro ſocio eſt vox Belgica, ſicut oſtendi in *maz*.

GAUCH, ſtultus. Vox Celtica. Cambris *coeg* eſt fatuus, inſulſus, putidus, inanis. Francis *gouch* ſtolidus. Vocem obſervavit SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 401. unde ſequentia NOTKERI teſtimonia depromo. Pſal. XLVIII. 11. *der unuuiſo unde der gouh uuerdent ſament ferloren*, ſimul inſipiens & ſtultus peribunt. Pſal. XCIII. 8. *fermement unuuizige under liuten, unde ir goucha ferſtant iub eteuuenne*, intelligite inſipientes in populo, & ſtulti aliquando ſapite. Alamanni poſteriores habent *göch*. Walther von der Vogelweide apud GOLDASTUM in Parænetici pag. 420. ſæculi ſui mores ita perſtringit:

Wer zieret nu der eren Sal?
Der jungen Ritter zuht iſt ſmal.
So pflegent die knehte gar unböveſcher dinge
Mit worten und mit werken öch;
Swer zuht hat der iſt ir Göch.

Belgæ dicunt *geck*, & recentiores Germani cum illis. Utitur tamen antiquo *gauch* ejusque diminutivo *geuchlin* LUTHERUS in Tomis Jenenſibus, apud STADENIUM in Voc. Bibl. pag. 233. Radix videtur eſſe *kaw* vacuus, inanis, iners. Quid enim ſtulto inanius?

GAUCH, hiſtrio, ludio, circulator, præſtigiator. Senſus a ſtultitia naturali ad perſonatam, venalem, & ludificantem translatus. CAPITULARIA *cociones* vocant apud Baluz. Tom. I. pag. 518. *Ut mangones & cociones & nudi homines, qui cum ferro vadunt, non ſinantur vagari, & deceptiones hominibus agere.* Non a Lat. *cocio* propola, ut CANGIO viſum, ſed a *gauch*, ſtultus, quia ejusmodi homines ſunt moriones plebis, & ſtultos ſimulant decipiendi cauſa. Nam *gauch* eſt homo in dictis fatuus, in geſtibus ludio, in factis præſtigiator. Et hæ qualitates ſæpe in una ſede morantur. Ab hoc ſenſu multa deſcendunt derivata, quæ mox ſequentur.

GAUCKEL, illuſio, præſtigiæ, & omne ludicrum & ludificum. Verbale a *gauckelen* circulatorem agere. NOTKERUS Pſal. LXV. 3. *diſiu zeichen tout er mit coukele*, hæc ſigna facit in Beelzebub. WINSBEK ad Filium Stroph. 2.

Nu ſich der welte göchel an,
Wie ſi ir volger triegen kan.
Adſpice mundi hiſtrioniam,
Ut ſectatores ſuos ludificet.

Inde compoſita, *gauckeltum*, *gauckel-werk*, *gauckelei*, *gauckel-ſpil*, deluſio, ſive naturalis ſive magica. Gloſſ. Pez. magicis (artibus) *gouccalzuomun*. Luth. Sap. XVII. 7. *das gauckel-werck der ſchwartzen kunſt lag auch darnieder.*

GAUCKELEN, & alia Dial. *jöcklen*, circulatorem, morionem, aut illuſorem agere. A

gauch hiſtrio, ludio, circulator, per diminutivum *gauchel*. Belgæ eodem ſenſu dicunt *guichelen* & *gochelen*, Angli *jugle*, Galli *jongler*, per epentheſin. Quibus affinia videntur Græc. γαγγαλίζειν riſum movere, & Lat. *joculari*. Confer verbum ſororium *gicheln*.

GAUCKELER, hiſtrio, præſtigiator. Gloſſ. Pez. ſcenicis *coucalarr*. Judas apud OTFRIDUM Lib. IV. Cap. XVI. 65. de Chriſto:

Sin kraft ouh thi uns giſcriban iſt,
Theiz uuari gougulares liſt.

Ubi SCHILTERUS ultimo loco pro *iſt* (quod extat in Editione Flaciana) recte ſubſtituit *liſt* ars. Id enim intentioni dicentis conforme eſt, qui voluit Chriſtum tanquam præſtigiatorem calumniari. Inde Latino-Barbaris *cauculatores* & *coclearii*, eodem ſenſu. Angloſaxones mitius dicunt *geogelere*. Cuncta a verbo præcedenti *gauckeln*.

GAUCKELER, funambulo. Senſus vocis hodiernus, & forte iis temporibus natus, quo vulgus ſe a temerariis illis faſcinari credidit. Nam *gauckelen* (unde *gauckeler*) tot recipit ſignificatus a diminutivo *gauchel*, quot poteſt, eosdemque in derivata transmittit, quod hic monendum fuerat, quia ſupra neglexeram.

GAUL, in genere pecus. Ita SCHILTERUS in Gloſſ. Teut. pag. 348. Et defendi poteſt, ſi derivetur ab ἄλγων. Nam ob eandem cauſam equi & boves apud Arcades vocantur *μωρίαι*, ut oſtendi in *mar* equus. Sed vercor, ne virum ſummum deceperit Hortlederiani Codicis *urgawl* verres. Nam *urgawl* pro verre eſt vox nihili. Vide Cl. SCHERZII notas ad Jus Prov. Alam. Cap. CXCIX. 2.

GAUL, equus, onerarius vel operarius. Gr. καβάλλης, Lat. *caballus*, Gall. *cheval*, a Dorico καβάλλεω pro καταβάλλεω, quod onera ei injiciantur, multorum Eruditorum judicio. Germani utuntur voce contracta *gaul*, nec illi tantum, ſed etiam Cambri, quibus *gwil* equa. Sed hanc contractionem oportet valde antiquam eſſe, quod vel hinc conjicere licet, quia Græcis γαῦλος ſæpe eſt σκάφος. Unde, niſi quia nomina equorum ad navigia transferri ſolent? Confer *nache* linter.

GAUM, palatum, fauces. Angloſaxon. & Islandis in indice Verel. *goma*. Forte a γέω guſto, quia palatum eſt ſedes guſtus. Græcis ſane γεῦμα eſt guſtus, a γέω guſto. Olim habuit multa derivata apud Alamannos, quæ nunc periere, cujusmodi ſunt, *caumon* prandere, *cauma* prandium, *abantcauma* cœna, quæ vide apud KERONEM in Gloſſis. Reſtant tamen Hiſpanis, *comer* prandere, & *comida* prandium, a Suevis (ut videtur) relicta. Græcis κῶμος eſt comeſſatio, item Deus conviviorum & comeſſationum apud Philoſtratum, κωμαστὴς comeſſator. Et fortaſſe κωμασιαι CLEMENTIS ALEX. Strom. 5. nihil aliud ſunt, quam convivia ſacra Ægyptiorum.

GE, præfixum. V. *Proleg.* Sect. V.

GEBÆLGE, jurgium. V. *balgen* jurgari.

GEBÆRD, geſtus vel habitus corporis, decens vel indecens. Gloſſ. Pez. lætiores habitu *frourun giparida*. Idem Angloſaxonibus *gebære* apud SOMNERUM & BENSONIUM. Litera D. ſalvo & integro ſenſu abeſſe & adeſſe poteſt, ſicut & præfixum *ge*. Nam ante ducentos annos ſimpliciter dicebant *bærd* vel *berd*. Oritur a *baren*, *gebaren* oſtendere, oſtentare, facere ut appareat. Geſtus enim quid ſunt, niſi motus corporis, quibus animus & perſona cujusque demonſtratur & oſtenditur? SENECA Epiſt. 52. *Omnia rerum omnium, ſi obſerventur, indicia ſunt: & argumentum morum ex minimis quoque licet capere. Impudicum & inceſſus oſtendit, & manus mota, & unum interdum reſponſum, & relatus ad caput digitus, & flexus oculorum. Improbum riſus, inſanum vultus habitusque demonſtrat* &c.

GEBÆRDEN, *ſich gebærden*, geſticulari, geſtum facere. Verbum a ſubſt. præc. factum.

GEBÆREN, parere, edere partum, olim etiam gignere & procreare, ut demonſtravi in ſimplici.

GEBAREN, oſtentare, vultu vel geſtibus præ ſe ferre. Angloſaxon. *gebæran* apud BENSON. Alamannis recentioribus *gebæren*. WINSBEKIA ad Matrem Stroph. XII.

Und lere mich nach eren leben,
Gebaren und ſprechen eben.

Ubi *gebaren eben* eſt edere decentes corporis motus, non a *bæren* portare, etiamſi Latini dicant *gerere ſe*, ſed potius a *baren* oſtendere, facere ut appareat. Nam geſtus non ſunt ſimpliciter res geſtæ, ſed morum indices & oſtenſiones.

GEBAUER, vicinus. Angloſax. *gebur*, *gebure*, Francis *giburo*, Alam. *kepuro*. Gloſſ. Keron. vicinis *kepurun*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. IV. 80.

Jo birun uuir in uuara
Iu eigene gibura.
Imo ſumus revera
Veſtri proprii vicini.

Sic autem loquitur Angelus, quia Angeli deſtinatione divina ſunt proxime circa homines, tanquam eorum vicini, prout optime obſervat Cl. SCHERZIUS in notis. Proprie ſignificat eum, qui in loco contiguo habitat. Nam præfixum *ge* proximitatem notat, *bauer* vero incolam communis loci. Gothi hoc præfixo utuntur eodem ſenſu, quando vicinos vocant *garaznans*, a *razn* domus, quaſi in proxima domo habitantes. Hodie delectamur compoſito *nach-bauer*, quod ſenſum clarius exprimit. Belgæ cum antiquis adhuc dicunt *gebuur*, & per aphæreſin *buur*.

GEBAUER, colonus, & incola cujuscunque loci communis. SOMNERUS: *gebur* colonus,

colonus, paganus, villanus, villicus. Gloſſ. Pez. municeps *gipuro*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIV. 215.

Thaz fruma thie gibura
Fuaren in thia ſciura.
Ut primitias coloni
Vehant in horreum.

Jus prov. Alam. Cap. II. 4. *geburen die fri ſint*, incolæ qui ſunt liberi. Cuncta a ſimplici *bur* vel *bauer*, per præfixum *ge*, quod hic abundat. Hodie ſuperat in nomine gentili Viri Clariſſimi mihique amiciſſimi D. GEORGII CHRISTIANI GEBAUERI, Prof. Juris Feud. apud Lipſienſes meritiſſimi, qui patrias literas nonſolum ipſe colit, & Romana ornat eloquentia, ſed & conatibus meis hoc otium, quo fruor, benevole conciliavit. Quod cum ad poſteritatem ſpectet, non debuit hic reticeri.

GEBEN, dare. Gothis *giban*, Angloſax. *gifan*, Franc. *geban*, Alam. *keban*, *kepan*. Gloſſ. Keron. dare, præbere *keban*, da *kib*, tribuatur *ſi kekeban*, offerat *kebe*, erogavit *kap*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXIV. 13.

So uuer ſo oub muaz eigi,
Gebe themo ni eigi,
Thaz mit minnu gidua,
Joh gib thaz drinkan tharzua.
Quicunque habet eſculentum,
Det ei qui non habet,
Faciat hoc cum caritate,
Et det una potulentum.

Damus autem manibus. Hinc illa actio, qua aliquid damus, ab ipſa manu denominari potuit, quæ Hebræis vocatur *kaph*. Similiter & accipiendi verba a manu formantur, quia manu damus & accipimus. V. *kommen* accipere, & confer *leihen* & *liefern*.

GEBET, oratio ad Deum. Evang. Angloſax. Luc. XX. 47. de Scribis: *biwigende lang gebed*, ſimulantes longam orationem. Conſenſum Francorum & Alam. vide in *beten* orare.

GEBIETEN, mandare. A ſimplici *bieten* ejusdem ſignificatus. Gloſſ. Keron. jubere *kepeotan*, jubetur *iſt kepotan*, præcipit *kipuit*, mandavit *kepot*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIX. 29.

Iuan fiand minnot,
So gibiutit Druhtin Got.
Inimicum veſtrum diligite,
Sic præcipit Dominus Deus.

Idem Lib. IV. Cap. IV. 9. *giſtuant er tho gibiatan*, ſtabat ibi mandans. Gothi utuntur compoſito *anabiudan*, Angloſax. *bebeodan*.

GEBIETEN, citare, convocare, indicere. BENSONIUS: *gebeodan* indicere. Jus prov. Alam. Cap. III. 1. de apparitore: *der ſol daz vogtdink gebieten*, hic convocabit judicium. Refer ad ſimplex.

GEBIETEN, invitare. Veſtigium ſui reliquit in compoſito *gaſt-gebot* invitatio convivalis. Vide ſimplex.

GEBOT, mandatum. Gothis *anabuſns*, Angloſax. *bod*, *bebod*, *gebod*, Francis *gibot*, *bibot*, Alam. *kepot*, *kipot*, *pibot*. Gloſſ. Keron. juſſio, præceptum *kipot*, imperio *kepote*, mandatum, præceptum *pibot*, præceptorum *piboto*, imperatum *kipotan*, imperata *kepotaniu*, imperiis *kipotum*. TATIANUS Cap. CLXVIII. 1. *thaz iſt min bibot*, *thaz ir juwih minnot untarzwisgen*, hoc eſt præceptum meum, ut vos diligatis invicem.

GEBOT, licitatio. Refer ad *bieten* offerre.

GEBRECHEN, deficere. Utitur Luth. Joh. II. 3. Cauſam ſignificatus vide in ſimplici. Hodie ſubſtantivatur. Inde *gebrechen* defectus, indigentia, imo etiam vitia & manes quos quisque patitur.

GEBRECHEN, ægrotare, defectum valetudinis pati. Vetuſtas inde formavit morborum, inprimis pituitæ & epilepſiæ nomina. Gloſſ. Pez. pituita *gibrec*. BENSON. *gebræc* rheuma, *gebreoc-ſeoc* epilepticus, *gebræc-ſeocneſſe* morbus comitialis. Hodie *gebrechen* eſt quævis infirmitas, & *gebrechlich* infirmus, debilis, morbidus. Confer ſimplex.

GEBRESTEN, deeſſe, deſtitui. Gloſſ. Lipſ. *gibreſti* deſit. Willeramus IV. 14. *dir ne gebreſtent*, non deſunt tibi. PICTORIUS in Lex. Helvetico: *es gebriſt* defit, *es hat im anfangs muts gebroſten*, deſuit ei animus ab initio. Dicitur & *breſten* ſimpliciter, & hoc a *breſt* defectus, non vice verſa.

GEBUNDEN TAGE, dies feriati. Proprie ligati, ob vinculum religionis, quo libertas agendi civilis quodammodo reſtringitur. Vide Jus prov. Alam. Cap. 96. cujus inſcriptio: *von den gebunden tagen*, de diebus feriatis. Vocantur etiam *gebannen tage*, quia jus dicere aut juramentum præſtare illis diebus ab Eccleſia interdictum. Illud a *binden* ligare, hoc a *bannen* interdicere.

GEBUREN, *gebüren*, decere, oportere, *gebüret* convenit, decet, debet, *gebür* officium, decus, debitum, fas, juſtum, *gebürlich* decenter, *ungebürlich* indecenter. SOMNER. in Dict. AS. *gebyrian* pertinere, *gebyrath* pertinet, oportet, decet. VEREL. in Ind. *byriar* decet, oportet, *ſem konge byriar oc hans tign* ut regem ejusque celſitudinem decet, *ſem kongs barni byriar* ut regis filium decet. Quemadmodum apud Latinos *urbanitas* ab urbe, *civilitas* a civitate, & *aſtutia* (quæ civilitatis nomen fuit, antequam ob callida civium ingenia in malam partem ſumeretur) ab ἄστυ civitas, appellationes ſuas acceperunt: Ita apud Saxones quicquid in vita ſociali decenter fieri poteſt ac debet, dicitur *gebüren*, vel a *bur* civitas, vel a *gebure* incola, quas voces ſupra produxi in *bauer* & *gebauer*. Ut adeo *gebüren* proprie nihil aliud ſit, quam ita debere, ut incolam civitatis, pagi, villæ, & cujuscunque loci communis decet. Hæc nomenclatura ſupponit ideam boni civis, & ex illa tanquam re-

gula cuncta civilis vitæ officia deducit. Nescio quid pulcrius dici queat.

GEBUREN, gebüren, contingere. SOMNER. in Dict. Angloſax. *gebyreth* fit, accidit, uſuvenit. Keron. contingit *kepurit*. Gloſſ. Boxh. *kipurgen* accidere, *kipuri* fortuito. Hodie ſuperat in Belgio, ubi *gebeuren* eſt contingere, *t'gebeurt dikwils* ſæpe contingit, *het is my gebeurt* contigit mihi. Quid mihi videatur de ortu hujus verbi, jam dixi in *faren* contingere.

GEBURG, *gebürg*, alpes, montes continui. Gloſſ. Pez. montana *kapirgi*. Præfix. *ge* eſt nota collectivi. Cætera vide in *berg* mons. Multorum judicio rectius ſcribitur *gebirg*. Vide Doctiſſ. FRISCHIUM in Bœdikero notis illuſtrato pag. 32.

GEBURT, varios habet ſignificatus, quorum alii a *bæren* parere, alii a *bæren* gignere producuntur.

GEBURT, partus, actus parturiendi, *ſchwere geburt* partus difficilis.

GEBURT, nativitas, actus naſcendi, *geburts-tag* dies natalis. Gothis *gabaurthai* eſt nativitas, *us gabaurthai* a nativitate, Joh. IX. 1. *mela gabaurthais* tempus natalitii, Marc. VI. 21. Similiter & Angloſaxonibus *gebyrde* eſt origo natalis, *gebyrd-tide* tempus natale.

GEBURT, natura, ortus, *von geburt* a natura, ab ortu. Gloſſ. Pez. ortus *gipurti*, naturam *kapurt*. Similiter & Angloſaxonibus *gebyrde* eſt origo.

GEBURT, genus, *hohe geburt* genus excelſum, *nidrige geburt* genus humile. Gothis *gabaurthai horinondein* eſt genus adulterum, Marc. VIII. 38. *gabaurthai Sauraiſiniska* genere Syrophœniſſa, Marc. VII. 26. Angloſaxonibus *gebyrdo* eſt ſtatus, ſive qualitas nativa.

GEBURT, fœtus, *unzeitige geburt* embryo, *misgeburt* fœtus monſtroſus, *aftergeburt* ſecundinæ.

GEBURT, gens, natio, nati natorum. NOTKERUS Pſalm. LXXII. 15. *ih habo ferchoren die geburt dinero chindo*, reprobavi nationem filiorum tuorum.

GEBURT, locus naſcendi, ſolum natale, patria, & omnis regio minor. A ſimplici *burt* ejusdem ſignificatus quod vide. Utitur Codex Argent. Marc. VII. 4. *niſt praueſtus unſwers niba in gabaurthai ſeinai*, non eſt prophetа ſine honore niſi in patria ſua. Idem Francis *gebiurda*. NOTKERUS Pſal. XLIX. 8. regiones provinciæ *die gebiureda purglos*. Idem Pſal. CVI. 2. *Provincia (ſicut Alemannia) iſt diu Lantſcaft, regio (ſicut Tiuregouue) iſt diu gebiurda, manige regiones mugen ſin in einero provincia*. SCHILTERUS, qui utrumque Notkeri locum Gloſſario ſuo inſeruit pag. 149. Francicam vocem retulit ad *bauen* habitare: duriter nimis, & litera R. in medio vocis repugnante.

GEBÜRTIG, *gebürtig*, patria oriundus, cujus vocis ſenſus ex modo dictis cognoſcitur. Confer ſimplex *bürtig*.

GECK, culculus minor & inplumis, alias *gauch*, quod vide. Inde *geck-har*, *gauchhar* lanugo, prima juvenis barba.

GECK, ſtultus. V. *gauch* ejusdem ſignificatus.

GEDÆCHTNUS, memoria. Novum, ſed idoneum, ab imperf. verbi *denken* reminiſci, quod in omnibus priſcorum Dialectis habet *dachs*. Vetuſtas ſubſtantivum ſuum formavit ab *bugan* meminiſſe. Gloſſ. Keron. meminerit *kebucke*, memoria *kibucti*. Confer *hug* animus.

GEDANK, cogitatus & appetitus. Refer ad *denken* cogitare & velle.

GEDEIHEN, creſcere, vigere, proficere, *das gedeihen* incrementum, *es gedeihet* creſcit, viget, *angedeihen* accreſcere, *angedeihen laſſen* precibus concedere, verboterus ſinere ut accreſcat. Vide ſimplex.

GEDEIHEN, ſuccedere, *das gedeihen* ſucceſſus, *übel gedihen* ſucceſſu fruſtratum. Ratio translationis eſt, quia ſucceſſus incremento ſimilis eſt.

GEDEIHEN, prodeſſe, *gedeihlich* utilis, conducibilis. Vide ſimplex.

GEDIEGEN, in re metallica ſignificat quantum poteſt, *nativum* & *perfectum*. Illud a *deihen* creſcere, hoc a *deihen* perficere. Inde *gediegen gold* aurum nativum & perfectum.

GEDING, ſpes, fiducia, *gedingen* ſperare, confidere. NOTKERUS Pſ. XV. 2. *kehalt mih Truhten, uuanda ih kedingo an dih*, conſerva me Domine, quoniam in te ſpero. Idem Pſalm. XXI. 10. *ſid minero muoter bruſten uuare du min gedingi*, ſpes mea ab uberibus matris meæ. Plura hujus commatis ubertim ex WILLERAMO collegit JUNIUS in Obſerv. pag. 80. ſed etymologiam nec ipſe, nec alius quisquam tetigit. Nos indicium Græcæ originis ſat manifeſtum dedimus in ſimplici *ding* ſpes, quod vide. Hodie ſubſtantivum cuſtoditur ab Eccleſia in quodam Hymno, ubi verba:

Mein joch iſt ſüß, mein bürd iſt gring,
Wer mirs nachtrægt in dem GEDING,
Der hell wird er entweichen.
Jugum meum dulce, & onus meum leve,
Qui hoc portabit in hac fiducia
Effugiet gehennam.

GEDING, quatenus eſt verbum forenſe, easdem habet notiones, ut ſimplex, & ſignificat (1.) conditionem. Gloſſ. Pez. conditioni *gidingun*. (2.) conventionem, pactum, transactionem. Gloſſ. Pez. conventione *gidingun*. Inde *leib-geding* pacta dotalitia. (3.) conductionem. Jus prov. Alam. Cap. 198. *von ebaften gedinge*, de legitima conductione. (4.) forum, ubi transigitur. Inde Angloſaxonibus *gething* concilium, *gethinges wyrcan* efficere Senatum, apud SOMNER. & BENSON. (5.) jurisdictionem. Compoſita vide in ſimplici.

GEDREUSCH, ſtrepitus. V. *dreuſchen*.

GEDULT, patientia, *gedultig* patiens. V. *dulden* pati.

GEEL,

GEEL, flavus. V. *gel.*

GEFÆRDE, fraus, dolus, inſidiæ. V. *faren* inſidiari.

GEFÆSS, quatenus eſt a *faſſen* capere, ſignificat id quod capit & capitur: *vas*, quia vas eſt capedo, quæ ambitu ſuo aliquid capit: *capulum*, quia ea parte gladius capi poteſt.

GEFALLEN, placere. Vid. ſimplex ejusdem ſignificatus.

GEFANG, toga, amictus. Vetus Francicum, a *fangen* circumdare, quod vide.

GEFANGEN, *gefangner*, captivus. Recte factum a *fangen* comprehendere, vi capere, quamvis novum, & priſcis ignotum, qui aliis vtuntur vocabulis ad hunc miſerum deſignandum. Teſtis famoſus ille captivus Barrabas Matth. XXVII. 16. qui interpreti Gothico dicitur *bandja*, a vinculis, Anglo-ſaxonico *geheft*, a captura, Tatiano Franco *nothaft*, a violenta detentione Cap. CXCIX. 2. omnibus diverſo ſono, eodem tamen ſenſu.

GEFÆNGNUS, quatenus eſt ab eodem fonte, ſignificat quantum poteſt, ſtatum captivi, locum captivitatis ſive carcerem, & ipſum captivandi actum. SOMNER. in Dict. Angloſax. *gefon* capere, captare, prænendere, *gefangen* apprehenſus, *gefangeneſſe* apprehenſio. Simplicius eſt *vanknuz* captivitas, quod extat in Jure prov. Alam. Cap. 310.

GEFAR, periculum, *gefærlich* periculoſus. A ſimplici *far* ejusdem ſignificatus, quod vide.

GEFERTE, *gefærte*, comes, ſocius itineris, & deinceps ſodalis cujuscunque operis. Angloſax. *gefera* Luc. V. 7. Franc. *giferto*. Gloſſ. Pez. comitibus *givertun*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. X. 77. 80.

Bigan do Druhtin redinon
Then lieben giferton.
Tunc cœpit Dominus dicere
Dilectis comitibus.

Litera T. quæ in voce Francica & hodierna eſt medium derivandi, in Saxonica non magnopere deſideratur, quia a *faren* ire, abire, proficiſci, tam hæc quam illa legitime producitur. Præfix. *ge* hoc loco non eſt otioſum, ſed vim habet aggregandi, ut Latinum *con*, & participem ejus rei, cui annectitur, ſignificat. Exempla vide in *geſell* ſocius.

GEFIDER. V. *feder* & *fidern.*

GEFILDE, campeſtria, planities inter duos montes. A *feld* campus, auctoribus Francis. NOTKERUS Pſal. XXXV. 7. *an die berga ſcinet diu ſunna ze eriſt, aba in chumet ſi nider an das kefilde*, ſol primum illuminat montes, ab his venit deorſum in campeſtria. Locum obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario. *Ge* vel *ke* eſt nota collectivi.

GEFLUGEL, *gefluͤgel*, volatilia. Collectivum a *fluͤgel* ales.

GEGEN, contra, adverſus. Franc. & Alam. *gagan*, *kagan*, *gagen*. NOTKERUS Pſalm. XXVI. 3. *heue ſih uuig gagen mir, nob danne gedingo ih an in*, ſi bellum exſurgat contra me, tamen ſperabo in eo. Cuncta a ſimpliciori *gen*, per præfixum *ge*. Inde *gegner* hoſtis, adverſarius, *gegenteil* pars adverſa, *gegenwurf* objectio, & alia innumera.

GEGEN, ex adverſo. Gloſſ. Pez. e regione *dara in gegini*. Inde *gegne*, *gegend* regio, a ſitu oppoſito ſic dicta, ut Latino-Barbaris *contrada* a contra, *begegnen* obviare, obviam venire, *zugegen* præſens, e regione poſitus.

GEGEN, erga, verſus, *gegen Gott* erga Deum, *gegen den nehſten* verſus proximum. Inde *begegnen* comiter vel duriter aliquem recipere, proprie gerere ſe erga aliquem. Dicitur etiam de tempore. Inde *gegen mittag* verſus meridiem, *gegen abend* circa veſperam.

GEGENWART, præſentia, *gegenwærtig* præſens. Gloſſ. Pez. conſpectu *gaganuuarti*. Gloſſ. Keron. præſentem *kakanuuartan*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XII. 121.

Eriſt gah er in thaz guat,
Thar er in geginiuuertig ſtuant.

Vertit SCHILTERUS:

Primum dabat eis hoc donum,
Quum eis præſens ſtaret.

Cuncta a ſimplici *wart* præſentia, quod vide.

GEH, præceps, *gehlich* ſubito. V. *gach.*

GEHABEN, in formula *gehab dich wol*, Latiniſmum ſapit. V. *haben* valere.

GEHÆGE, quatenus eſt collectivum ab *hag* nemus, pratum, ſepes &c. ſignificat quantum poteſt, indaginem, lignetum, paſcuum, & quemvis locum ſylveſtrem aut campeſtrem ſepibus cinctum. Apud SOMNERUM & BENSONIUM *geheige* exponitur *pratum*. Sed vi originis nonſolum pratum, ſed etiam reliqua ſignificat.

GEHEIM, arcanus, ſecretus, occultus. Ab *heimen* occultare. Vocem novam & nuper additam eſſe oportet. Nam quo longius retroſpicio, eo minus veſtigium ejus invenio. Quid ſit ſecretus in ſermone Veterum, colligo ex dictis in *tögen* celare.

GEHEIMNUS, myſterium, arcanum, ſecretum, res non propalanda nec evulganda. Subſtantivum ab adj. factum, ſed novum & priſcis inſuetum, non quod veteres Germani nulla haberent myſteria (habebant enim *Literarum ſecreta*, quamvis vulgo ignorata, teſte TACITO Cap. XIX. de M. G. ut Sacrorum ſecreta nunc omittam) ſed quod aliis vocibus in hoc negotio uterentur, quas vide in *tögen* celare, & *rune* myſterium.

GEHELLEN, conſonare. V. *ballen* ſonare.

GEHEN, ire. Olim videntur pronunciaſſe *gechen*. Nam hæc verbi forma cognoſcitur

tur ex compoſito *ſonnengicht*, de quo infra. Ipſum vero *gechen* videtur longitudinem ſuam a ſimpliciori *gan* vel χάσκω, per epentheſin accepiſſe. Allegorice dicitur de rebus, quæ etiamſi pedes non habeant, ire tamen videntur. Sic ire nobis dicuntur, quæ ſuccedunt bene vel male, quæ fiunt, quæ fieri poſſunt, quæ contingunt, quæ ad nos ſpectant, quæ pereunt, & quæ non? Teſtes formulæ, *wie gehts* quomodo ſuccedit negotium, *wie geht das zu* qui fit, *das geht an* hoc fieri poteſt, *es geht im wie des Æſopi hund* accidit illi quod cani Æſopico, *das geht uns an* noſtra refert, &c. Ad primam formulam ſpectant verba CICERONIS ad Atticum Lib. XIV. Epiſt. 17. *Incipit res melius ire quam putaram.* Ex quo loco, quem JUNIO in Appendice debeo, patet, nec Latinos hunc loquendi modum refugiſſe. Ad ſecundam, quod in Evangelio Gothico Marc. XI. 23. dicitur: *thathei quithith gagangit*, quicquid dixerit fiet. Ad quartam, quod Græcis quoque συμβαίνω eſt contingo, a βαίνειν ire. Sed de his aliisque qui ordine exponere, & cum ornamento antiquitatis conſenſum Linguarum ſingulis adjicere vellet, næ ille non uno vel altero die, ſed annuo ſolis circuitu opus haberet, nec tamen propoſitum perficeret.

GEHEUEN, vexare, ludificare. Originem & antiquitatem vide in interjectione ridentis *ha*. Vulgus in Suevia dicit *keüen*, per contractionem.

GEHIRN, cerebrum. Idem quod *hirn*. *Ge* eſt nota collectivi.

GEHNEN, oſcitare. V. *gienen*.

GEHOR, *gehör*, quatenus derivatur ab *hören*, ſignificat quantum poteſt, auditum, auſcultationem, obedientiam.

GEHOREN, *gehören*, pertinere, ſpectare ad aliquem. A ſimplici ejusdem ſignificatus.

GEHORCHEN, obedire. V. *horchen*.

GEHORSAM, obediens, & obedientia. Angloſaxonice *gehyrſum* & *gehyrſumneſſe*. Alamanni utuntur ſimplicioribus. Gloſſ. Keron. obedientes *horſamen*, obedientia *hoorſamii*. Cuncta ab *hören* obedire.

GEIER. V. *geir*.

GEIFER, ſaliva, ſpuma ex ore fluens, *geifern* ſpumare, ſalivam emittere. Græcis ἀφρὸς eſt ſpuma, nec alio etymo opus eſſe videtur. In Indice VERELIANO *gyfra* exponitur *altercari*. Idque ſignificare poteſt per metonymiam adjuncti, quia altercantes plerumque ſunt ſpumantes, & virus cum verbis evomunt.

GEIGE, fides, fidicula. Angl. *gig*, *jig*, Dan. *gige*, Island. *gigia*, Ital. *gigia*. VEREL. in Ind. *gigia* chelys. Sunt, qui derivant a γιγγρᾶν vel *gingrire* ſtridulum canere, quod faciunt anſeres, unde Latinis *gingriator* tibicen apud ARNOBIUM. Sed hi tibiam & fidiculam confundunt. Nam γίγγρας Punica lingua eſt fiſtula. Et fiſtula inflatur. Fides autem eſt inſtrumentum quod plectro fricatur, & hinc nomen ejus commode arceſſi poteſt a *geigen* vel *jucken* fricare. *Geigen* & *jucken* in multis Dialectis pari paſſu ambulant, & revera non niſi literis convertibilibus differunt. Inde eſt, quod Anglis *gig* & *jig* promiſcue dicitur pro fidicula, apud SKINNERUM.

GEIL, libidinoſus, luxurioſus, in venerem pronus. Angloſax. *gal*, Belg. *geil*. SOMNER. in Dict. AS. *gal* libidinoſus, venereus, ſalax, mœchus, petulcus, *gal-fullice* luxurioſe, *gal-neſſe* luxuria, petulantia, *gælſa* luxus. VEREL. in Ind. *giælmadur* ſcortator. Plerique vocem origine Græcam exiſtimant. REIZIUS in Belga Græciſſante derivat a γάλως caſtratus, quia ſecundum TERENTIUM *Eunuchi amatores mulierum maximi*. Alius ab ἀγάλλομαι lætor, exulto. Rurſus alius a γαλιᾶν libidinoſum & incontinentem eſſe, quod probarem, ſi verbum illud uſpiam occurreret. Flandris *lack* eſt libidinoſus, a *laichen* ſalire, laſcivire, ſcortari. Atqui *lak* & *gal* ſe mutuo producunt per anaſtrophen. Neſcio an alia etymologia opus ſit ad vocem intelligendam. Interim BESOLDUS ad cognationem Germanicæ vocis refert *gaillard*, alii etiam *gallum* gallinaceum ob falaciam.

GEIL, immoderatus, modum excedens, quia laſcivienti ſimilis eſt. Tales ſunt (1.) res naturales, quæ vel creſcendo luxuriant, vel nimia dulcedine nauſeam movent. (2.) affectus animi vehementiores. Inde KERONI *keilo* elatus, *keilii* elatio, & ISIDORO *geili* ſuperbia Cap. V. 7. Hunc ſenſum ab intemperie libidinis ad omnes animi cupiditates modum excedentes translatum eſſe, recte judicat PALTHENIUS in not. ad Iſid. pag. 410.

GEIL, luxurians, *geil erdrich* ager herbis luxurians, *geil reben die zu vil holz hat* vitis luxuriantes dente pecoris depaſcere, apud HENISCHIUM in Theſ. L. Germ. Sic & VIRGILIUS Georg. I. II2. *Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba*. LEIBNITIUS in Gloſſ. Celt. hunc ſignificatum derivat a *galb* pinguis. Sed præſtat eum ad reliquorum cognationem referre, quia luxurians eſt modum excedens.

GEIL, faſtidium movens. Dicitur de eſculentis, quæ in ſapore ſuavitatis modum excedunt. Ergo a *geil* immoderatus, per ſynecdochen generis. Inde Angloſax. *gælneſſe* tædium.

GEIL, fœtidus, *geil riechen* hircum olere. A *geil* laſcivus, per metonymiam adjuncti.

GEIL, teſticulus, receptaculum ſeminis & ſedes libidinis. Græc. κολεός, Camb. & Armor. *caill*, Gall. *couillon*. Inde *bibergeil* caſtorium, teſticulus caſtoris, *geil ausſchneiden* caſtrare, interprete HENISCHIO. Reliquis cognatum eſſe poteſt per ſubſtantivationem adjectivi *geil* laſcivus.

GEILEN, quatenus derivatur ab adj. *geil*, ſignificat quantum poteſt, (1.) laſcivire, in venerem ruere &c. (2.) allicere. VEREL. in Ind. *gaula*, *gæla* allicere, *gilia* amoribus irre-

irretire, *gælingar* illecebræ. (3.) importune & impudenter poſcere. Hinc preces intempeſtivæ & inverecundæ amici vocantur *unverſchæmtes geilen* Luc. XI. 8.

GEIR, vultur, non *geier* ut vulgo. Gloſſ. Pez. vulturem *kir.* VEREL. in Ind. *geir* vultur, *geir-fugel* idem. Opinor ab avida natura. Nam *geren* eſt cupere, & *ger* cupidus, quod facile mutatur in *kir* & *geir*. Cupidus autem eſt, non prædæ ut accipiter, ſed cadaveris, & inprimis humani.

ENNIUS:

Vulturis in ſylvis miſerum mandebat homonem.

JUVENALIS Sat. XIII.

Vultur jumento, & canibus, crucibusque relictis
Ad fœtus properat, partemque cadaveris adfert.
Hic eſt ergo cibus magni quoque vulturis - .

Creditur ova ſua non omnia excludere, ſed unum vel alterum tantum, reliquis e nido ejectis, ne aviditati naturali in tanta ſobolis multitudine aliquando cadaver deficiat. Ipſe interim præda alterius volucris, ex accipitrum genere, quem Germani *geirfalk*, Græci inferiores ad modulum Germanicæ vocis ἱερόφαλκων vocant, quod vulturem appetat. Galli quoque vocem noſtram imitantur in *gerfau*, ſed vitioſe, ut plerumque.

GEIS, capra, olim etiam hœdus & hircus. Evang. Goth. Luc. XV. 29. *niaiw gaitein atgaſt mis*, nunquam hœdum dediſti mihi. Gloſſ. Ælf. in nom. ferar. capra ægida (lege caprarius) *gat-buccan hyrde*, ibix *firing-gat*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *gat* caper, hircus, *gata hus* caprile, *gata-hiord* caprarius. NOTKERUS Pſal. XLVII. 12. *du geſcidoſt ſchaf ſone geizzin*, ſeparabis oves ab hœdis. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *gitten* hœdus. VEREL. in Ind. *geit* capra, *geitahirdir* cuſtos caprarum, *geitarhus* caprile. Conſenſum Linguæ Sorabicæ vide in *küz*. Quidam hanc vocem in campis Sinear natam exiſtimant, cum & Hebræis *es* ſit capra, *gedi* hœdus, Græcis αἴξ, αἰγὸς caper & capra, Phrygibus *attagos* hircus, teſte MACROBIO Lib. V. adverſ. Gentes. Quæ, ſi (ut illi volunt) ex primitiva hominum lingua tanquam ex communi fonte orta ſunt, tanta vetuſtas in ſe inquiri vetabit. Sed mittamus pauliſper hunc terrorem, & videamus, quid vox illa denotare poſſit, ſi Scythicæ vel Celticæ originis ſit. Angloſaxonibus *gytſian* eſt cupere, concupiſcere, a *gyt* adhuc, magis, quia cupido eſt affectus immoderatus & plus ſemper appetens. A *gytſian* fieri poterat *gitz*, *geiz*, animal avidum, & dici de capra, quia appetit non appetenda, frondes inquam & virgulta, nec hoc tantum, ſed & palmites vitium, & furculos atque cortices arborum. Ejusdem noxæ reus eſt ſalax capræ maritus, & univerſa ejus familia. Hinc caper Baccho quondam erat in ſacrificiis, ut maleficum vineis animal, capra vero Palladi, propter oleam & palmam. Uterque in pœnam gulæ. Ob eandem cauſam capras alere, in plerisque Germaniæ locis interdictum.

GEISEL, flagrum, flagellum. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XI. 18. *eina geislum thar giſtaht*, tunc plexuit flagellum. NOTKERUS Pſal. XXXI. 10. *brittil ouh keifila*, frenum & flagella. STADENIUS vocem Francicam derivat a Scandica *geisl*, quæ in Indice Vereliano exponitur ſcipio. Secundum hanc etymologiam flagrum accipiet nomen ab ea parte qua tenetur. Mihi vero videtur denominari ab ea parte qua plagas infligit, & ſic dici quaſi *cæſula*, a *cædo*, quia eſt inſtrumentum verberandi, unde etiam Cambris *cis* ictus, verber, plaga. Nam ob eandem cauſam aliis nominibus vocatur *peitſche*, *wippe* & *ſchwippe*.

GEISEL, teſtis. PAPIAS citante Lindenbrogio: *giſil* teſtis. Inde *giſiles* teſtes in Lege Longobardica Lib. II. Tit. XV. 1. interprete SPELMANNO. Suſpicor *giſen* olim invaluiſſe pro *affirmare*. Nam *giſe* vel *gyſe* eſt particula affirmativa, & in Verſione Angloſaxonica ſignificat *imo*, *etiam*, *maxime* Matth. XVII. 24. 25. *eower lareow ne gylt he gaſol? Tha cwæth he, gyſe, he deth*, magiſter veſter ſolvitne tributum? reſpondit, imo, ſolvit. Cymræi eodem ſenſu dicunt *ys*, Angli *yes*, quod JUNIUS contrahit ex *yea is*, in Gloſſ. Goth. pag. 176. A *giſe* autem fieri poterat *giſen* affirmare, ſicut a *jah jahen*, & hinc porro *giſel* teſtis, qui ſe aliquid vidiſſe vel audiviſſe affirmat.

GEISEL, ſponſor, fidejuſſor. OTFRIDUS Lib. II. Cap. 197.

Er iſt gizal uberal,
Io ſo edil thegan ſcal.
Ipſe eſt fidejuſſor ubique,
Ut nobilem militem decet.

Loquitur de populo Francico, cujus gratia totus ille panegyricus conſcriptus. Hunc ſecuritatis ſponſorem vocat, quia tunc Franci multarum gentium erant arbitri. STADENIUS, qui ſponſorem in verbis OTFRIDI primus animadvertit, hoc encomium ad Regem Ludovicum trahit, fed violenter nimis, & contra ſeriem orationis. Verum ſive rex ſponſor dicatur, ſive populus, ſenſus ex eodem fonte, ut nomen teſtis, deſumi potuit, nempe ab obſoleto *giſen* affirmare. Nam in omni ſponſione eſt ſacra affirmatio, & qui verbis aliquid promittit, id ſe facturum affirmat. Ex nominibus propriis huc referri poteſt nomen Regis Burgundiæ GODEGISIL, quod SPELMANNO *bonum teſtem*, GROTIO *bonum comitem* & principi ſuo fidum, mihi *ſponſorem felicitatis* ſignificat, a *gut*, *god* res bona, ſors bona, proſperitas. Nec non FREDEGISEL, ſponſor pacis, ſponſor ſecuritatis, nomen ſpatharii in Lege Burgundica Tit. LII.

GEISEL, obſes. Gloſſ. Lat. Theot. apud LINDENBROGIUM: obſes *kiſal*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *gyſel, giſel, gisle* obſes, *gisldu*, , *gyslbad* obſidatus, obſidum datio, *fryth-gyslas* obſides. VEREL. in Ind. *gisl, gisling* obſes, *gisla* obſides accipere. Vulgo ducitur a *geiſel* flagellum, quod obſide pars ſua ab hoſte quaſi flagelletur & compellatur ad fidem ſervandam. Contra STADENIUS derivat a *ſelen, ſellen* tradere, quod obſes ſit perſona ſecuritatis gratia hoſti tradita: reapſe nullo incommodo, niſi vinculo affinitatis cum anteecedenti rupto, quod ſalvum eſſe mallem. Quid enim eſt obſes, niſi *ſponſor* partis ſuæ, qui corporis ſui oppignoratione hoſti de periculo cavet? Et quamvis non ſemper ſua voluntate ſit obſes, ſed ejus qui imperium tenet, ſponſor tamen dici poteſt, quia revera pactionis publicæ pignus eſt.

GEIST, ſpiritus. Angloſax. *gaſt* Joh. III. 6. Franc. & Alam. *geiſt*, Belg. *geeſt*, Angl. *ghoſt*. Gloſſ. Keron. ſpiritus *keiſt*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. IV. 77.

Er ferit fora Chriſte
Mit ſelbomo geiſte.
Præcedet Chriſtum
Eodem ſpiritu.

NOTKERUS Pſal. LXXVII. 39. *hinæ farenter geiſt unde ne ruuuendenter*, ſpiritus vadens & non rediens. Quo ſenſu, valde obſcurum. SOMNERUS ſpiritum ſic dictum exiſtimat, quaſi hoſpitem in corpore, a *gaſt* hoſpes. Quod minime contemnendum. Nam animas ſortium immortales eſſe, majoribus noſtris fuit perſuaſum. Hinc *giſta Odin* in Indice VERELII exponitur *Odini hoſpitio excipi*, & dicitur de interfectis in prælio. De hoc hoſpitio vide plura in *hall*. Cum hac ſpiritus appellatione convenit etiam appellatio corporis, qua domicilium ſpiritus dicitur, quam vide in *leichnam*. Alii a rebus corporeis initium appellationis deſumunt. Ita SKINNERUS vocem Anglicam derivat a *guſt* ventus, & rationem addit, quia nomen ſpiritus in omnibus fere linguis primo flatum, vaporem, halitum, & univerſe id quod eſt ſubtiliſſimum in corporibus, & aciem oculorum fugiens, poſtea vero ſubſtantiam incorpoream ob ſimilitudinem tenuiſſimi, denotavit. Et hanc translationem jure merito a Theologis factam exiſtimat. Contra LEIBNITIUS non a tenuiſſimo, ſed a ferventiſſimo nomen petit, tamquam eſſet e tribu *gæren* effervescere, ut *gæſt* ebullitio, in notis ad Myl. pag. 70. & in Gloſſ. Celt. pag. 129. STADENIUS *geiſt* derivat a *giſſen* imaginari, conjectare. Id enim proprie ſignificat, ut diximus in loco. Vel a *geyſa* concitari, quod ſiſtit VEREL. in Ind. *geyſa* concitari, *geyſt till ſtandskap* ad hoſtilia concitatum, *geyſtr* concitatus. Quibus conſentit *geiſten* concitare, impellere, movere, quod ſæpe occurrit in Scriptis THEOPHRASTI PARACELSI. Utrumque convenit animæ humanæ, illud, quia eſt ſubſtantia cogitans, hoc, quia ad bonum conſequendum & malum fugiendum a natura acerrime incitatur. Poſſit etiam derivari a verbo obſoleto *giſen* poſſe, valere, quia per ſpiritum omnes intelligunt ſubſtantiam, inſita vi ſe ipſam movendi prædítam. Nam hoc principium, quod ex ſe movetur, & omnium actionum vitalium fons eſt, videntur etiam ante oculos habuiſſe ii, qui primi nomen *ſeele* ſpiritui impoſuerunt, ut in loco oſtendi. HELVIGIUS, qui remotas & peregrinas origines amat, derivat ab Heb. *chajah* vivere, ſpirare.

GEITZ, concupiſcentia, nimia & inſatiabilis cupiditas. Gloſſ. Pez. voracitas *gitigi*. Gloſſ. Boxh. *kitiki* aviditas. Idem Angloſaxonibus *gytſung*, quod eſt a *gytſian* cupere, concupiſcere, & hoc a *gyt* adhuc, magis, judice JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 87. quia experientia teſtatur, cupiditatem natura inexplebilem eſſe, & fortuna non ſatiari, ſed magis irritari, ad plus ſemper concupiſcendum. Hodie utimur compoſitis, *ebrgeitz* nimia gloriæ cupiditas, *gelt-geitz* nimium pecuniæ ſtudium. A Francico *kitiki* Hiſpani habent *codicia* concupiſcentia.

GEITZ, avaritia, nimia & inexplebilis habendi cupiditas. Angloſaxon. *gitſung*, *gytſung*, Marc. VII. 22. Luc. XII. 15. Dictio ſynecdochica, qua genus ponitur pro ſpecie. Recentiores Dialecti habent *gitigkeit*, a *gitig* avarus. Vocabulum Gothicum & Francicum vide in *fricken* concupiſcere. HELVIGIO *geiz* venit a Perſico *gaza* theſaurus, derivatione prorſus inſolita.

GEITZHALS, avarus. Proprie avaritiæ tenax, ab *halten* tenere. Quamvis etiam gulam inſatiabilem denotare poſſit, ſi totum pro parte nominetur, collum pro gula.

GEL, flavus, fulvus, luteus. Angloſaxon. *geolu*, Belg. *geel*, Suec. *gæl*, Island. *gulur*, Ital. *giallo*. Judice MARTINIO eſt a γελάω ſplendere, quia flavum ſplendori ſolis, qui Gr. γέλα, ſimile eſt. Hodie utuntur Suevi, quos imitatur LUTHERUS in ſacra Verſione, dum reliqui Germani dicunt *gelb*. Unde ſit hæc mutatio, ibidem notavi. A *gel* eſt *gel-ſucht* aurigo, non Suevis tantum, ſed etiam antiquis. Gloſſ. Pez. elephantico morbo *mit gelaſubti*.

GELAG, *gelach*, compotatio. Proprie eſt collatio, vel ſymbolum convivale, quod quisque comeſſantium pro rata confert, a *legen* offerre, conferre, prorſus ut *gilde a gelten* offerre. Ridiculi ſunt, qui hanc vocem a riſu compotantium deducunt. Nam ſenſus a collata pecunia ad compotationem translatus eſt. *Ge* eſt nota collectivi, quia unus ſolus non facit collectam nec ſympoſium.

GELÆCHTER, riſus. Belgæ habent *gelach*. Reliqui omnes tam veteres quam recentiores utuntur ſimplici, Hebræi *laag*, Angloſaxon. *hleahtor*, Franc. & Alam. *lahter*,

ter, *blahter*, Angli *laughter*, Islandi *hlatur*, Sueci *löye*, quod ſyncope laborat. Gloſſ. Keron. riſus *blahter*, riſui *blahtre*, in riſu *in labtere*. Confer ad *lachen* ridere.

GELANGEN, pervenire, *gelangen laſſen* facere ut perveniat, *zu eren gelangen* pervenire ad honores. A *langen* tangere, per metaphoram in loco expoſitam. Præfixum *ge* proximitatem notat, ut paſſim alibi. Hinc totum compoſitum ſignificat *proximе pertingere*.

GELASS, V. *laſſen* locare.

GELAUT, ſonus, quocunque modo editus, ſive murmurando aut clamando, ſive pulſando, clangendo &c. Angloſaxon. *geblyd*, Matth. XXVII. 14. *tha geſeah Pilatus, thai hyt naht ne fremode, ac gewurde mare geblyd*, videns autem Pilatus quod nihil proficeret, ſed tumultus major fieret. A ſimplici *lut* ejusd. ſignificatus.

GELB, flavus, fulvus, luteus. SOMNER. in Dict. AS. *geolewe* flavus, *geolufe adl* ictерus, aurigo. Gloſſ. Pez. fulvum *elcauuaz*, lege *ge lauuaz*, aurigine *giliuui*. Convenit Lat. *gilvus*, *galbus*, & *galbeus*. Cuncta ab antiquiori *gel*, quod poſtea dici cœpit *gelu*. Quo ſemel admiſſo, U. paulatim mutatum eſt in literas cognatas W. F. B.

GELDE, caſtratus. Angloſaxon. *gylte*, Sueciſ *gæld*, Angl. *gelt*, *gelded*. VEREL. in Ind. *gielt-fie* verveces. Id eſt, arietes caſtrati. Hodie utimur compoſito *gelde-vieh* pecus caſtratum. Radicem cuſtodiunt Sueci in verbo *gælla* caſtrare, quod eſt a *gall* caſtratus. Quid enim eſt caſtrare niſi caſtratum facere?

GELDE, ſterilis, infœcundus, *gelde-vieh* pecus ſterile. Cauſa translationis eſt, quia ſterilis caſtrato ſimilis eſt. Dicitur autem nonſolum de ſterili, ſed etiam de novello, quod nondum fœtificavit, quia hactenus infœcundo ſimile eſt. Inde *gelde kuh* taura, vacca novella.

GELDEN, & frequentative *gelzen*, caſtrare. Islandis *gælda*, Anglis *to geld*. Proprie eſt caſtratum facere, a *gelde* caſtratus. Angli inde habent *gelding* caſtratio, *geldingng* cantherius, equus caſtratus, Germani *gelze*, *golze*, ſus majalis, porca caſtrata.

GELEBERT, idem quod *gelifert*. Refer ad *liefern* coagulari.

GELEGEN, prope ſitus. Gloſſ. Pez. propior *gileganero*. Proximitas eſt a præfixo *ge*, de cujus virtute actum in PROLEG. ſitus a *ligen* jacere. Poſtea ſenſus ad commodum & opportunum translatus eſt, quia commodum proxime ſito ſimile eſt. Et hic quoque ſenſus eſſe poteſt Latinæ vocis *opportunus*, ſi ducatur a Barbaro *ort* locus. Inde *gelegenheit* locus commodus & opportunus, diverſorium, manſio, latrina, & ſimilia.

GELEGEN, propinquus, cognatione proximus. NOTKERUS Pſal. XXXVII. 12. *mine friunt und mine gelegenen nahton ſih uuider mir*, amici mei & proximi mei appropinquarunt adverſus me. Senſus a proximitate loci ad propinquitatem ſanguinis translatus, ſed hodie inuſitatus. Alia Francorum vocabula & æque obſoleta, vide in *langen* tangere.

GELEGEN, quod noſtra refert, parvi vel magni. Metaphoram, quæ ſubeſt, vide in *ligen* jacere.

GELEGENHEIT, quatenus *occaſionem* notat, proprie eſt caſus fortuito oblatus, & dicitur non de loco, ſed de tempore, die, & hora, ſponte provenientibus, ut *tempeſtivitas* a *tempus*. Refer ergo ad *legen* offerre.

GELEHRT, ſenſu forenſi eſt ſolemnis, *mit gelehrten worten* verbis ſolemnibus. Tales ſunt omnes formulæ a doctis inventæ & præſcriptæ, & hinc illis appellatio.

GELEIBTES, reſiduum cibi ab heſterno die. Vide *leiben* relinqui.

GELEIT, comitatus, *das geleit geben* comitari. Refer ad verbum ſuum.

GELEIT, conductus, comitatus publicus & manu armata factus. Occurrit eo ſenſu in Jure Prov. Alam. Cap. CLXXXIX. quod inſcribitur *von gelait*, de conductu.

GELEIT, diſceſſus, *ſicher geleit* ſalvus diſceſſus. Vulgo *ſalvum conductum* interpretantur. Dubitari poteſt, an recte? Nam accedere ſemper tuto licet, non vero diſcedere. Et fides publica, quoties violatur, acceſſum permittit, diſceſſum cohibet. Cum igitur omnis violatio ſalvi conductus in hoc conſiſtat, ne ſalvus diſcedat, qui ſalvus acceſſit, aliud remedium vocabulo Germanico inveniendum eſt. Præſentiſſimum autem exhibet Lingua Gothica & Alamannica, in qua *galeitan* eſt ire, abire, diſcedere; unde recte fit *geleit* abitus, & *ſicher geleit* ſalvus diſceſſus, ſecurus abitus. De verbo Gothico & Alamannico vide plura in *leiten* diſcedere.

GELEITEN, ducere, conducere, comitari. Gloſſ. Keron. deduxit *keleitta*. Similiter & Angloſaxonibus *gelædan* eſt ducere, *gelæd*, *gelæded* deductus, apud BENSON. Refer ad ſimplex.

GELENDE, incola ejusdem pagi vel regionis, vulgo conterraneus. Vetus Francicum. Gloſſ. Lipſ. *gelende* accola. Forte legendum incola. A *land* regio. Plura ejusdem indolis compoſita vide in *geſell* ſocius.

GELENDER, reclinatorium. Refer ad *lenen* inniti, reclinare.

GELENK, adjective verſatilis, ſubſtantive vertebra. A *lenken* flectere, vertere.

GELIND. V. ſimplex.

GELINGEN, ſuccedere bene vel male, *mislingen*, *übel gelingen* male ſuccedere. Non occurrit niſi apud Francos. NOTKERUS Pſal. CXVIII. 125. *mir gelang ubelo an diu, daz ih min frio uuolta ſin, nals din ſcalch*, male mihi ſucceſſit in eo, quod liber eſſe vellem, & non ſervus tuus. Oritur a ſimplici *lingen* ejusdem ſignificatus, quod, etiamſi raro occurrat, cognoſcitur tamen ex derivato

Francorum *limiſo* proſperitas, quod extat apud NOTKERUM Pſal. LXXXIX. 11. *der limiſo dero tumbon iſt iro ſelbero ferlorni*, proſperitas ſtultorum eſt perditio illorum. Ipſum vero *lingen* eſt a Suecico *lycka* fortuna, per epenthefin. Hinc etiam vulgo *gelimgen* & *gelücken* promiſcue uſurpamus.

GELLEN, ſonare, tinnire. Utitur Luth. 1. Sam. III. 11. Proprie eſt verberare aërem, factumque auctoribus Francis a Lat. *cello* percutio. Nam verba ſonandi apud nos ſunt metonymica, & cauſam plerumque ponunt pro effectu, ut multis exemplis oſtendi in *brauſen*. Gloſſ. Pez. tinnient *gellent*. Lex. Run. *gall* reſonavit. Dicitur etiam *ballen*, & præpoſito ſibilo *ſchallen*. Sed a *gellen* derivamus & componimus, *galm* ſonus, tinnitus, *widergellen* repercutere vocem.

GELOBEN, promittere, *gelübde* votum. Quo ſenſu, jam dixi in ſimplici *loben* ſpondere. Præfixum *ge* ſenſum intendit.

GELT, vices, & quælibet res quæ cum alia commutatur. Hic ſenſus, quamvis nuſquam obvius, videtur tamen cæteris antiquior, cum quia naturaliter oritur a *gelten* permutare, tum quia primævus Germaniæ ſtatus, utpote pecuniæ ignarus, rem quamcunque aliam pro alia reddebat, quæ res non potuit carere vocabulo. De hoc ſtatu videndus eſt TACITUS in Germania Cap. 5. Poſtquam enim dixerat, Germanos præter fruges & armenta nullas habere opes, non aurum, non argentum, exceptis Rheno proximis, qui ob uſum commeriorum hæc metalla in pretio habere ſolent, mox ſubjungit, *interiores ſimplicius & antiquius permutatione mercium uti*. Permutatio autem tunc dicitur, quando res rebus, merces mercibus mutantur, eſtque proprie commercium rerum per *vices*, cujusmodi commercium hodie vocatur *tauſch*, *umſchlag*, *verkerung*.

GELT, pecunia, aurum & argentum ſignatum. Senſus ex priori ortus. Poſtquam enim pecuniæ uſus Germanis probari cœpit, hæſit huic metallo antiquum vocabulum *gelt* vices, quod rerum omnium vicem redderet. Et hunc verum vocis ſenſum eſſe, vidit ante omnes PALTHENIUS in Animadv. ad Tatian. pag. 355. Primis temporibus aurum & argentum in pretio erant ob ſplendorem & perpetuitatem naturæ, apud omnes Gentes, exceptis tamen Germanis, de quibus TACITUS loc. cit. *Eſt videre apud illos argentea vaſa, Legatis & Principibus eorum muneri data, non in alia vilitate quam quæ humo finguntur*. Poſtea neceſſitas id, quod in ornamentis erat præſtantiſſimum & fideribus ſimile, commerciis adhibere cœpit. Quod graphice deſcribit PAULUS Jurisconſultus l. 1. ff. de contrah. empt. his verbis: *Olim non erat nummus, neque aliud merx, aliud pretium vocabatur: ſed unusquisque ſecundum neceſſitatem temporum ac rerum utilibus utilia permutabat, quando plerumque evenit, ut, quod alteri ſupereſt, alteri deſit. Sed quia non ſemper nec facile concurrebat, ut, cum tu haberes quod ego deſiderarem, invicem haberem, quod tu accipere velles, electa materia eſt, cujus publica & perpetua æſtimatio æqualitate quantitatis ſubveniret. Eaque materia forma publica percuſſa uſum dominiumque non tam ex ſubſtantia præbet, quam ex quantitate, nec ultra merx utrumque, ſed alterum pretium vocatur*. Quamvis autem *gelt* pro pecunia, vox antiqua ſit, raro tamen aut nunquam occurrit in veterum Monumentis, ne quidem apud ſacros interpretes, qui alias ſolent cum vulgo loqui. Nam argentum ſignatum, de quo ſermo Luc. IX. 3. Gothus vocat *skatt*, Saxo *feoh*, Tatianus Francus *ſcaz*, in Harm. Evang. Cap. XLIV. 6.

GELT, compenſatio damni aut furti pecuniaria. Vox in foro antiquo-Germanico ubique obvia, quamvis non ab omnibus eodem modo pronunciata. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *geld* compenſatio, *agilde* ſine compenſatione. In Lege Salica *chalt* ubique eſt compenſatio per ſolidos, ſive animalis furtivi, ſive alterius rei damno aut læſione affectæ. Inde compoſita,

rhannechalt, compenſatio furti in porcello de tertia rhanne commiſſi per 15. Solidos, Tit. II. 2. Coitum feroſæ *rhanne* appellari, a *rennen* coire, & porcellos primi & ſecundi partus vilius æſtimari, quam porcellos tertii, primus obſervavit ECCARDUS.

ſoniſchalt, compenſatio furti in grege porcorum commiſſi per 67. Solidos, Tit. II. 11. Vide dicta in *ſen* grex.

changichald, compenſatio ſtupri violenti per 200. Solidos, Tit. XIV. 10.

turnichalt, compenſatio ſpolii in ſepulchro commiſſi per 100. Solidos, Tit. XVII. 2. 2 *thurn* tumulus, quod vide.

Alia nunc mitto, quæ more ſuo docte explicuit, tum & integritati reſtituit ECCARDUS, noviſſimus & ingenioſiſſimus Legum Salicarum interpres. Unde ſit, facilius elicitur, quam definitur. Nam compenſatio duobus modis concipi poteſt, vel ut æquivalens, vel ut pœna vel mulcta. Priori modo conſiderata oritur a *gelten* reddere valorem pro damno, poſteriori a *gelten* luere. Antiquiſſimis temporibus, ante pecuniæ uſum, *gelt* erat compenſatio judicialis absque pecunia. TACITUS *ſatisfactionem* vocat, moremque deſcribit Cap. XXI. de M. G. *Iuitur homicidium certo armentorum ac pecorum numero, recipitque ſatisfactionem univerſa domus.*

GELT, donum, oblatio. Hinc idololatria Angloſaxonibus dicitur *deofolgeld*, *deofolgyld*, quia idololatria eſt aliquid quod Dæmoni offertur, cultus, oblatio, ſacrificium. Refer ad *gelten* dare, offerre. Ab AS. *geld* rurſus fit *geldan* ſacrificiis colere, & inde Francis & Alam. *gelſtar* ſacrificium, oblatio. Utriusque mentionem facit ISIDORUS Cap. III. 3. & Cap. V. 6.

GELT,

GELT, retributio. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXV. 95. *gelt filu follon*, retributionem valde plenam. Refer ad *gelten* retribuere. Hodie dicimus *entgelt*. Inde formula *one entgelt* gratis, absque retributione.

GELT, solutio. Gloss. Pez. pensio *gelt*. Idem Anglosax. *gild*. Refer ad *gelten* solvere.

GELT, debitum. Jus Prov. Alam. Cap. 226. *der von gelt dinkfliihtig uuirt*, de eo qui ob debita judicio se subtrahit. VEREL. in Ind. *giald* & *giæld* in LL. passim est debitum sponte contractum. Refer ad *gelten* mutuo dare. Quid enim est debitum, nisi æs alienum, h. e. mutuo datum acceptumque? A *gelt* porro est *gelter* & *geltmann* debitor. Posterius extat apud HENISCHIUM in Thes. L. Germ. prius apud SCHILTERUM in Gloss. Teut.

GELT, interjectio. V. *gelten* respondere.

GELTE, genus vasis. Vide post *gelter*.

GELTEN, dare, offerre, exhibere. SOMNER. in Dict. Anglosax. *geldan*, *gildan*, *gyldan* præbere, exhibere. Videtur sumptum ab ἀλθω alio, aliorsum, per prosthesin literæ G. Quid enim est dare, nisi alienare suum, & alteri tradere? Reliqui significatus sunt a synecdoche generis, quod propter sequentia probe notandum.

GELTEN, mutuo dare. Cognoscitur ex derivatis, cujusmodi sunt *gelt* debitum, creditum, *gelter* creditor, qui pecuniam mutuo dedit. Hoc sensu *gelter* occurrit in Jure Prov. Alam. Cap. 226. §. 3. 4. Ubi clariss. SCHERZIUS in notis: *Gelter interdum debitorem, interdum creditorem significat.* Id quod ibidem conductis ex Jure Solodur. & Bernensi testimoniis demonstrat.

GELTEN, tribuere, præstanda præstare. Anglosaxonibus ut supra. Occurrit & *geldare* eadem notione apud CANGIUM in Glossario. Ab hoc verbi sensu nomina accipiunt Tributa & præstationes, quæ vel summæ potestati, vel inferioribus Dominis exhibentur. Exempla vide in *gilde* tributum.

GELTEN, reddere, restituere. Gloss. Keron. reddere *keltan*. SOMNER. loc. cit. *ageldan* reddere, restituere, *agеald* redditus.

GELTEN, respondere, reddere rationem vel responsionem. TATIANUS Cap. LXII. 12. *geldent reda fon jogeuuelih unnuz uuort in tuomes tage*, reddent rationem de omni verbo otioso in die judicii. Inde *gelt* nonne, nunquid? Interjectio interrogantis & ad responsionem provocantis, ab imperativo *gelt* respondе.

GELTEN, reddere rem pro re, alias permutare. Sensus antiquissimus, a regina pecunia abolitus, & de scala significationum dejectus. Cum illo manifesto convenit Gr. ἀλλάσσω muto, permuto. Confer *gelt* vices.

GELTEN, reddere par pari, beneficium pro beneficio, maleficium pro maleficio, præmium pro meritis, mercedem pro labore, alias *rependere*, *retribuere*, *compensare*. Gothi utuntur composito *usgildan* Luc. XIV. 14. Anglosaxones *forgyldan* ibidem, Franci & Germani hodierni *vergelten*. Gloss. Boxh. *farkeltan* rependere. Gloss. Pez. compensabo *vergilto*.

GELTEN, reddere debitum, solvere creditum, solutionem præstare. Solvere Anglosaxonibus dicitur *geldan*, *gildan*, *gyldan*, Francis *geltan*, *keltan*, Island. *gialda*. VERELIUS in Ind. *gialda* debitum solvere, *giald-dag* dies solutionis. TATIANUS Cap. XXVII. 3. *ni ges thu thanan uz, er thanne thu giltis then jungistun scaz*, non exies inde, donec reddas novissimum quadrantem. Reddas, i. e. solvas. Jus Prov. Alam. Cap. VII. *suuer erbet der sol auch gelten*, hæres qui est, debita quoque solvat. Cap. X. *uuer niht erb der gelt auch niht*, qui hæres non est, nec debita solvere tenetur. LOBWASSER Psal. CXVI. 8. *gelübd gelten* vota solvere. Promissa cadunt in debitum.

GELTEN, reddere valorem pro damno, alias reparare, compensare, componere, redimere, sensu forensi accepta. Cod. Arg. Luc. XIX. 8. *jabai hwis hwa afholoda, fidurfalth fragilda*, si cui quid per fraudem eripui, quadruplum reddo. VEREL. in Ind. *gilda* æquifacere, *ordagilding* verborum injuriosorum æquivalens compensatio, *gilldr* æquivalens.

GELTEN, *gilten*, reddere pœnam Legibus, luere delictum. TATIANUS Cap. XXX. 1. *ni furfuueri thih, uuanta geltis Gote thina meineida*, non pejerabis, nam lues Domino perjuria tua. Sic enim verba Tatiani vertenda sunt, quæ certe non agunt de juramentis præstandis, sed de perjurio vitando. Jus Prov. Alam. Cap. CXCIII. *der mit der hut giltet, der sol nit mer*, qui corpore luit, non amplius tenetur. Dicitur autem antiquitus nonsolum de pœna corporali, sed etiam de mulcta, qua pœna redimitur. Inde *gilt* mulcta, quod vide.

GELTEN, reddere pœnam pro delicto alterius, luere pro altero. VEREL. in Ind. *gialda* pati aliquid mali propter alium, *han galt hans at* propter illum malo affectus est. Hodie dicimus composite *entgelten*.

GELTEN, valere pretio, pecunia æstimari. Jus Prov. Alam. Cap. XX. 5. *ez git der friherr smem uuibe daz uuol hundert mark giltet*, liber Dominus uxori suæ forte dat quod centum marcas valet. Inde formula licitationis *was gilts* quanti constat, quanti æstimatur, & provocationis ad sponsionem *was sols gelten?* Hic sensus oritur a *gelt* pecunia, quæ cum rerum omnium valorem reddat, omnium quoque æstimationum norma est. A *gelten* est *giltig* valens, probus.

GELTEN, pollere gratia apud potentiorem. Sensus a rerum vendibilium valore ad qualitates personarum translatus. Nam & illis certum pretium statuit vulgus, quod omnia ex utilitate æstimat.

GELTER, debitor & creditor. V. *gelt* debitum, & *gelten* mutuo dare.

GELTE, genus vaſis ventroſi, *milchgelte, melkgelte* mulctrum paſtorale, vaſculum in quo lac expreſſum excipitur, *waſſer-gelte* vas aquarium. SOMNER. in Dict. Angloſax. *gellet* alveus, orca, trulla, poculum majus, cantharus. Vox Saxonica ita formata eſt tanquam eſſet diminutiv. a *kelle* alveolus, de quo infra. Sed præſtat cuncta reducere ad notionem ventris. Nam venter lingua Gothica dicitur *kiltho* Luc. I. 31. & gremium Islandica *kiolta*, apud VEREL. in Ind. A ventre igitur ad vas ventroſum ob manifeſtam ſimilitudinem facta eſt translatio. Hujus generis translationes plures ad labra aliaque vaſa concava vide in *bauch* venter, & *keſſel* lebes. Latino-Barbaris apud CANGIUM *galo, galetus, galetta* eſt menſura vinaria & frumentaria, ex eodem fonte.

GELUBD, *gelübd*, votum. V. *geloben*. Dicitur etiam de pacto, in Jure prov. Alam. Cap. 302.

GELUSTEN, *geluſten*, concupiſcere. V. ſimplex.

GELZE, porca caſtrata, *gelzen* caſtrare. V. *gelden*.

GEMACH, conclave, locus in ædibus ad manendum, dormiendum, vel alios uſus factus. A Gr. μυχὸς penetrale, receſſus, quod eſt a μύω claudo.

GEMACH, quatenus oritur a *machen* aptare, accommodare, ſignificat quantum poteſt, ſubſtantive omnes vitæ commoditates, inprimis otium, adverbialiter aptum & pro re accommodatum agendi modum, qui moderamine motus definitur. Hinc porro quicquid aptitudinem habet ad nos, adjective vocatur *gemæchlich*, & ipſa rerum aptitudo, qua naturæ convenienter vivere poſſumus, *gemæchlichkeit*. Vide plura in radice.

GEMÆCHT, genitalia. Originem & antiquitatem vide in *machen* gignere, procreare.

GEMÆCHT, factura, creatura. Refer ad *machen* facere. Utitur Eccleſia in quodam hymno.

GEMÆL, *gemæld*, pictura. Refer ad *malen* pingere.

GEMAL, *gemalin*, conjux, uxor deſponſata. Novum, ſed legitime factum a *malen* pacifci. Francicam vocem vide ibidem, Saxonicam in *mag* conjux. Vox hodierna ad illuſtres tantum fœminas ſpectat, non ad plebem, ut voces antiquæ. Non, quod fic oporteat, ſed quia uſus ſic voluit.

GEMEIN, publicus, pluribus communis. Angloſax. *gemæne*, Franc. *gimein*, Belg. & Suec. *gemeen*. Evang. Angloſax. Matth. VIII. 29. *hwæt is the and us gemæne*, quid eſt tibi & nobis commune? Hinc ſalus & felicitas publica OTFRIDO vocatur *ſalida gimeini*, in Præf. ad R. Lud. verſ. 10. & paſſim. Loca SCHILTERO obſervata vide in ejus Gloſſario. Oritur per præfixum *ge*, quod vim aggregandi habet, a ſimpliciori *mæne* communis, quod exhibet BENSON. in Voc. Angloſaxonico. Ipſum vero *mæne* originem ſuam refert ad indeclinabile *man* plures. Vox Latina *communis*, quæ Linguæ Latinæ ægre accommodari poteſt, non videtur aliunde manaſſe. Hinc aſſentiri non poſſum HELVIGIO, qui vocem noſtram a Latina deſtectit. Sed nec alterius Viri docti etymologiam probare poſſum, qui *gemein* derivat a *mein* meus, ut proprie ſit id quod omnes pro ſuo agnoſcunt. Nam quod ad omnes pertinet, ut aër & aqua, id ſane eſt nullius. Ab hoc adj. oritur *gemein machen* publicare, *gemein haben* participare, *allgemein* univerſalis, *gemeinde* locus publicus, campus communis.

GEMEIN, generalis, qui multis ſpeciebus communis, *ins gemein* in genere. Gloſſ. Pez. generaliter *gimeinlihho*.

GEMEIN, vulgaris, qui de multis prædicari poteſt, & plures habet ſui ſimiles, *gemeine arbeit* opus vulgare, *gemeiner man* homo plebejus, *gemeiner ſoldat* miles gregarius.

GEMEIN, vilis, *gemein werden* vilefcere, *ſich gemein machen* nimia familiaritate uti cum vilioribus. Quam facilis ſit a vulgari ad vilem tranſitus, non eget demonſtratione.

GEMEIN, profanus, ab uſu communi & vulgari non ſegregatus, & ampliata ſignificatione immundus. Hoc ſenſu manus illota in novo Fœdere vocatur *manus communis* Marc. VII. 2. interpreti Gothico *handus gamainjai*, Luthero *gemeine hand*. Gothi inde formarunt verbum *gamainjan* coinquinare, polluere, ibidem verſ. 15. Quod LUTHERO eſt *gemein machen*.

GEMEIN, quatenus ſignificat id quod pluribus commune eſt, ſubſtantivatur, & tunc ſignificat ſocium & ſocietatem: *ſocium*, quia cum aliis, quibuscum jungitur, communem habet ſortem & utilitatem: *ſocietatem*, quia fundamentum omnis ſocietatis eſt quædam communio, ſive dogmatum & ſtudiorum, ſive laborum & utilitatum, ſive privilegiorum, poſſeſſionum &c.

GEMEINE, ſocius, particeps, conſors. In Evang. Goth. ſocii Petri vocantur *gamanai* Luc. V. 7. Et in Evang. Rhythmico OTFRIDI Lib. III. Cap. XVIII. 32. Jeſus negat, Diabolum eſſe ſuum *gimeino*, id eſt, ſocium, ſicut optime vertit meritiſſimus SCHILTERUS. Hodie dicimus *gemeinder* a *gemeinde* ſocietas. Sed ab obſoleto *gemeine* habemus adhuc *gemeinſam* comis, ſocialis, congrediens.

GEMEINE, ſocietas, conſortium. Vox Saxonica eſt *gemana* apud SOMNER. & BENSON. Francica *gamane* apud OTFRIDUM in Præfatione ad Salomon. verſ. 62. ubi videtur Capitulum denotare. Hodie latius patet quam antiquitus, & dicitur de omni multitudine conjuncta, ſacra & civili, Eccleſia & Republica.

GEMEINIGLICH, communiter, plerumque. BENSON. in Voc. AS. *mænelice, gemænelice* communiter. Adverb. numeri, quod

quod dicitur de ſorte, eventu, & modo utendi, pluribus actibus communi.

GEMEINSAM, communis. Gloſſ. Keron. communis *kamanſam*, communia *camainſamon*. Factum a ſimpliciori *gemein* ejusdem ſignificatus per terminationem *ſam*, de cujus virtute in compoſitis actum in PROLEG. Inde Angloſaxonibus *mænſuman*, *gemænſumian* communicare, *gemænſumiend* communicans, *gemænſummyſſe* communio, apud BENSONIUM.

GEMEINSAME, communio. Gloſſ. Keron. communio *kemeinſamii*. Subſtantiv. ab adject. præcedenti ortum. Hodie eſt communicipium, & dicitur de minoribus ſodalitiis, ut ſunt villarum & ruſticorum, qui communia habent paſcua.

GEMEINSCHAFT, communio rerum & perſonarum. SOMNER. in Dict. AS. *gemænſcipe* communio, contubernium. BENSON. in Voc. AS. *gemenſcipe* paſcua communia. Interdum præfixum *ge*, ut ſæpe alias, ita etiam in hoc compoſito omittitur ab antiquis, ſalvo & integro ſignificatu. Inde *menſchip ther helgene* communio fidelium, in Paraphraſi Vetuſta Symboli Apoſtolici Boxhorniana.

GEMS, rupicapra, capra montana. Gall. *chamois*, Ital. *camuzza*. Græcis κεμὰς eſt cerva & himulus cervæ. Hoc noſtri a genere cervino traduxerunt ad caprinum, more antiquis perquam familiari, quo ſpecies animalium confundere ſolent, quod multis exemplis oſtendi in *bær* animal. MARTINIUS eandem etymologiam tradit in voce *Dama*, & addit: *Vicinæ & ſimiles res ſæpe confunduntur a vulgo, cujus conſuetudinem etiam eruditi vel inviti ſequuntur*. Addere poterat, quod idem animal noſtris vocatur *dam-hirſch*, etiamſi non ſit cervus, & quod Suecis *gumſe* eſt vervex ſeu aries caſtratus, nova & incredibili confuſione. FERRARIUS, qui originem vocis ignotam eſſe ſcribit, ad ingenium vulgi non adtendit.

GEMULM, *gemülm*, pulvis, res contrita. Collectivum a ſimpliciori *malm* ejusd. ſignificatus.

GEMURMEL, murmur. V. *murmeln*.

GEMUSE, *gemüſe*. V. *mus* cibus.

GEMUT, *gemüt*, animus, & omnes animi facultates & inclinationes, bonæ vel malæ. Collectivum a ſimplici & priſcis unice uſitato *mut* animus.

GEMUT, *gemüt*, animatus, bene vel male affectus. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXV. 103.

Sie uuirkent thiz gimuati
Thuruh thio iro guati.
Hoc faciunt animati
Per ſuam ipſorum bonitatem.

WINSBECK in Præneſi ad fil. §. 1. *ob dich ein frömbder ziehen ſol, du weiſt nihs wie er iſt gemüt*. Idem §. 37. *bis gegen den vienden hoh gemüt*, eſto excelſi animi erga inimicos. Inde *wolgemut* hilaris, *übelgemut* triſtis. Cuncta a *muten* animatum eſſe.

GEMUT, *gemüt*, afflictus. V. *mühen* affligere.

GEN, apud. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *gan* apud, *gan gath* apud ſolem. Jus Prov. Alam. Cap. LXII. *wie man buz verdient gen dem Ribter*, quot modis quis mulctam incurrat apud judicem.

GEN, ad, verſus, cum motu ad locum. Utitur Luth. Act. XVI. 1. & hodienum utuntur Suevi. Inde fortaſſe verbum antiquum *gan* ire, tendere ad locum.

GEN, adverſus; contra. VEREL. in Ind. *gen* contra, *gen hans vilia* contra voluntatem ejus, *genværia* defendere. SOMNER. in Dict. AS. *gean-bæran* juri repugnare, *gean-cyme* occurſus. Inde compoſita antiqua *ingan* & *ongan* contra. Gloſſ. Pez. e regione *ingan einandremo*. Evang. Angloſax. Joh. XIII. 18. *abefth hys ho ongean me*, levabit calcaneum ſuum contra me. Extat & *agen* in eadem Verſione Marc. XIV. 55. Hodie dicimus *gegen*, per proſthesin.

GEN, re, retro. VEREL. loc. cit. *gen* retro, iterum. SOMNER. loc. cit. *ongean-cyrran* redire, *ongean-fær* reditus.

GENACHT, *genæchter tag*, dies conductus & conſtitutus, dies judicialis, apud HENISCHIUM in Theſ. L. German. Inde cognoſcimus, quod *næchten* aliquando fuerit in uſu, idemque denotaverit ut *tagen* & *antagen* ſtatuere diem, de quibus infra prolixe. Quemadmodum autem *tagen* eſt a *tag* dies definitus, ita *næchten* haud dubie formatum eſt a *nacht* dies civilis, & ſenſu forenſi definitus.

GENAU, parcus & parce. Originem & antiquitatem vide in *nauwen* conſtringere.

GENEM, gratus, acceptus, jucundus. A *nemen* acceptare. Vocabula antiqua vide in *angenem*.

GENESEN, ſervari. Evang. Goth. Marc. X. 26. *hwas mag ganiſan*, quis poteſt ſalvus fieri? Matth. IX. 22. *jah ganas ſo quino*, & ſanata eſt mulier. Gloſſ. Pez. vivere *ginesan*, convaluerit *ginisit*. Refer ad ſimplex.

GENG, *genge*, *gengig*, validus. Utitur Luth. Gen. XXIII. 16. Proprie eſt uſualis, vel uſu probatus, a *gang* uſus, & hodie dicitur de mercibus & moneta tantum. Sed vetuſtas videtur hunc ſenſum ampliaſſe, & a valore monetæ ad omnes promiſcue res validas, & perſonas quoque gratia pollentes (nam homines valent ut nummi) traduxiſſe. BENSON. in Voc. AS. *genga beon* multum poſſe, *ungænge don*, irritum (invalidum) facere. Hunc ſenſum pluribus proſequitur JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 104.

GENGELN, ductare, facere ut ambulet. A *gang* quatenus actum eundi denotat. Dicitur de parvulis tantum, qui nondum pedibus uti ſciunt.

GENICK, occiput cum ſuis vertebris. Collectivum a ſimplici *nacke* cervix.

GENIESSEN, frui. V. ſimplex.

GENIST, quisquiliæ, & omnia contrita, Dialecto Suevica. Dicitur etiam *ungeniſt*. Sed utrumque vitioſe. Vera vocis forma eſt *kniſt*, a notione conterendi deſumpta.

Nam

Nam *knuſſen* in omnibus veterum Dialectis, Gothica, Saxonica, Francica & Alamannica, ſignificat allidere, contundere, conterere. SOMNER. in Dict. AS. *cnyſan, cnyſſan* contundere, *gecnyſed* contuſus, *forgnidednyſſe* contritio. ISIDORUS Cap. III. 3. *errimo portun ih firchnuſſu*, portas æreas conteram. TATIANUS Cap. LXIX. 9. *rora giknuſita ni bibribbit*, arundinem quaſſatam non confringet. Omitto Gothica & Alamannica teſtimonia, quoniam ex his uſus verbi antiquus jam ſatis manifeſtus eſt. Hodie ſuperat apud Suecos, quibus *gnyda* terere.

GENOSS, ſocius. Gloſſ. Pez. collegam *ginoz*. Gloſſ. Boxh. *ganozon* ſodales. TATIANUS Cap. XIX. 7. *inti boubnitun iro ginozzon*, & annuebant ſociis ſuis. Puta iis, qui erant in altera navi, & communis capturæ cauſa cum illis in mare deſcenderant. Qui vero communem habent utilitatem, qui ſe mutuo juvant, & ſe mutuo utuntur, recte vocantur *genoſſen*, a *nutz* utilitas. Nam utilitas communis ſecundum omnes Philoſophos eſt vinculum naturale, quo homo hominis ſodalis efficitur, & in ſodalitate continetur. Et utilitatum communio, obſervante GROTIO, ita naturalis eſt ſocietati, ut ſine ea nequeat ſocietas conſiſtere. Lib. II. de jure B. & P. Cap. XII. §. 24. num. 3. Reliqua Francorum, Gothorum, & Saxonum vocabula, eodem modo a ſubſtantivis facta per præfixum *ge*, vide in *Geſell*. Hodie multa habemus compoſita, quorum præcipua ſunt, *eid-genoſſen* conjurati, *bunds-genoſſen* confœderati, *eh-genoſſen* conjuges, *glaubens-genoſſen* ejusd. religionis homines.

GENOSS, par, æqualis. Hinc inferioris & diſparis conditionis homines vocantur *ungenozzen*, in Jure Prov. Alam. Cap. 320.

GENOSSENSCHAFT, ſocietas, conſortium, mutuæ conſervationis gratia initum. KERO in Gloſſis: conſortio *kinozſcaffi*.

GENUG, ſat, ſatis, ſufficienter. Goth. *ganah*, *ganoh*, Angloſax. *genog*, *genoh*, *genih*, Francis *ginuagi*, Alamannis *kanuht* in compoſitis, Belg. *genoeg*, Angl. *enough*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. IX. 109. *zalt in thes ginuagi*, expoſuit illis abunde. Cuncta a ſimpliciori & antiquiori *nog*, quo Sueci & Saxones infer. etiamnum utuntur. Hoc HELVIGIUS deducit ab Heb. *anag* delectari, oblectari: JUNIUS a γανύω voluptate afficere. Cur non potius (ſi Græca origine opus ſit) ab ἱκανὸς ſatis, affatim? Nam capite & fine truncatis reſtat κανὸς, unde per anaſtrophen fit *nak* ſatis. In compoſitis contrahi ſolet in *gnug*. Inde *gnugthun*, *vergnügen* ſatisfacere, & alia per ſe clara.

GENUGEN, *genügen*, ſufficere, *genüge* copia, abundantia, *genüglich*, *genugſam* ſufficiens & ſufficienter, *mir genüget* mihi ſufficit, *ſich begnügen laſſen* contentum eſſe. Gloſſ. Keron. ſufficere *kenuacan*, ſufficit *kenuakit*, ſufficiat *kanuage*, ſufficienter *kinuhtlihho*. Gloſſ. Lipſ. *genuhte* abundantia. SOMNER. in Dict. AS. *genihtſum* uber, abundans.

GENUSS, *genieß*, dicitur de uſufructu & fruitione, hoc eſt, de juvantibus & jucundis: illum ſignificatum habet a *nutzen* uti, hunc a *nieſſen* frui.

GEPRÆNGE. V. *prangen*.

GER, telum miſſile. Res & nomen Celticum. Gallis antiquis *gæs*, ut demonſtravi in *Geſum*. Angloſaxonibus *gar*. SOMNERUS in Dict. Gentis: *gar* jaculum, telum, arma, *gar-berend* armiger, telifer, miles, *ategar* vel *ætgare* framea, falarica, *naſe-gar* terebra, quaſi telum cavatorium. R & S in Dialectis continuo permutantur. Hinc eadem res Septemtrionalibus dicitur *gerr* & *kes*. VERELIUS in Ind. *geir* lancea, haſta, *keſia* geſum, pilum. Rhythmus de Bello Hiſpanico id genus armorum vocat *gar*, & Fragmentum de Bello Saracenico *ger*. Extat & compoſitum *ethger* in eodem Fragmento, de quo ſententiam dixi feorſim. SCHILTERUS, cujus obſervationi hæc poſtrema debemus, *ger* interpretatur *gladium*. Sed jaculum fuiſſe, non gladium, ex antecedentibus ſatis manifeſtum. Ab hoc teli genere oriuntur *Nomina* quædam *propria* in Indicibus GOLDASTI Alamannicis, quorum præcipuum eſt

GERMAN, piliger, geſiger, homo jaculis armatus.

Cui ſimile nomen gentile GERMANORUM. Nam qui primi hanc appellationem promeruerunt, non aliam ob cauſam rectius cenſentur ſic dicti, quam quod eſſent homines jaculis armati, & fiduciam omnem in teliscollocaſſent. De jaculis *Germanorum* vide TACITUM Cap. 6. de M. G. Sed de hoc nomine toto orbe celeberrimo pluribus agam deinceps. Forte ad conſenſum Linguarum ſpectat, quod Perſis & Græcis quevis arma vocantur γέρρα. (MARTINIUS in voce *Gerra:* Suidas γέρρον exponit ὅπλα. Harpocration ait, γέρρα eſſe quædam Perſica ὅπλα, id eſt arma).

GER, bellum. BOCHARTUS in Orig. Gallicis pag. 19. GER *pro bello uſurparunt Galli veteres, ut* WAR *Saxones & Angli, & nos* GUERRAM. Et mox: GER *eſt ab Hebræo* GERA, *quod Græci interpretes reddunt συνάψεων πόλεμον, Hieronymus inire prælium, committere prælium, provocare ad bellum*. Hinc GERMANOS eos, qui primi Rhenum transgreſſi priſcos incolas ſedibus ſuis pepulerunt, ſic dictos eſſe quaſi *homines belli, gens d'armes*, a Gallico *ger*, ibidem ſuſpicatur Vir doctus. Sed Gallicum illud *ger* vel *guerre* non videtur tantæ vetuſtatis, ut nomen Germanicum inde duci poſſit, cum medio demum ævo auditum ſit. Sane *guerra* eſt novæ Latinitatis vox, & omnium Eruditorum judicio originem trahit a Germanico *werr* bellum, ne FERRARIO quidem refragante, qui alias Germanicos natales in vocibus Italicis

licis ſolet eludere. Addit quidem, *wer* natum ſibi videri a Lat. *bellum*, B. in W. & liquida in aſperam mutata. Sed his mutationibus minime opus habemus. Nam *wer* eſt verbale a *weren* defendere. Interim a *ger*, quod ab ore antiquo etiam *gar* & *char* pronuntiatur, formari potuerunt, & haud dubie formata ſunt nomina propria

CHARIBERTUS, bello clarus. R. Francorum, Chlotarii filius.

CARARICUS, bellipotens. Regulus Francorum, a Chlodoveo captus & occiſus.

GERRICH, idem quod *Cararicus*.

GERBERT, idem quod *Charibertus*.

GERHART, bello ferox.

GER, ultro, ſponte, libenter, amanter, gratanter, ex animo. Gallis *gré*. Illud eſt a Græc. χαίρω lætor, bono ſum animo, hoc a *ger* per metatheſin. A *ger* porro eſt *gern* ultro, *gierig* promptus, *geren* cupere, ultro appetere. A *geren* rurſus fit & *gern* cupidus & cupide, *gier* cupiditas.

GER, cupidus, & cupide, ſtudioſus & diligenter. Verbale a *geren* cupere, ſtudere. Utuntur præcipue Franci. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXVIII. 39. *Oba thu es ouh ſo gero biſt*, ſi ſciendi cupidus es, quo ſcil. Pſalmo ſors tunicæ prædicta ſit. Rhythmus de S. Annone verſ. 127. de Nino: *des lobis was her vili ger*, gloriæ erat valde cupidus. Sic & in Lexico Runico *ger* exponitur cupidus. Hodie dicimus *gern*, quod Saxonicum. Apud Francos & Alamannos nomina pueris a ſtudio & diligentia imponebant, qualia ſunt apud GOLDASTUM in Indicibus:

GERO, ſtudioſus, diligens, intentus. Præſidem quendam limitis Saxonici hoc nomine innotuiſſe, dixi in *Mark-graf*.

KERO, eadem notione ut *Gero*, & ſecundum SCHILTERUM idem qui Latinis *Deſiderius*. Nomen Monachi S. Galli, qui imperante Pipino Regulam S. Benedicti, Fratribus oblatam, Alamannice interpretatus eſt, cujus Gloſſas paſſim laudamus.

NOTGER, vel *Notker*, neceſſaria deſiderans. EKKEHARDUS in vita Notkeri Cap. 2. *Etymologiam vero ſui nominis per vices temporum adimplens cum Apoſtolo neceſſario deſiderans eſſe cum Chriſto.* Proprie ſignificat *periculorum avidum*. Sed quia hæc interpretatio militi magis quam monacho conveniebat, idcirco altera ab encomiaſte illi prælata.

FRIDUGER, pacis ſtudioſus.

GERAD, rectilineus, *gerad-zu* recta, *gerader ſtrich* linea recta, quæ nec ad dextram declinat neque ad ſiniſtram. VEREL. in Ind. *rad* directus, *bradur* in rectum porrectus. Opponitur *curvo*, *gibboſo* & *inæquali*. Hinc aſpera viarum in Evangelio Angloſaxon. vocantur *ungerydu*, Luc. III. 5. *Ge* eſt præfixum inutile, ut ſæpe alias, *rad* ab ὀρθός rectus, per metatheſin. R. eſt litera deſultoria in ore Germanico, & nativi loci pene impatiens. Utimur autem nonſolum de quantitate continua, ſed etiam diſcreta, ut mox patebit.

GERAD, par, *gerade zal* numerus par, *ungerade zal* numerus impar. Senſus ab æqualitate continui ad æqualitatem numeri translatus, quia numerus par ſimilis eſt rebus æqualibus, & in æqualia dividi poteſt, dum impar inæqualitatem refert, & in æqualia dividi nequit. Hoc certe malo, quam cum STADENIO nomen ducere a Goth. *rathjo* numerus. Nam *ungerad* non definit eſſe numerus, etiamſi ſit numerus impar. Hactenus apud Veteres non occurrit.

GERADE, ſupellex uxoria. Vox Miſnica, ſed antiqua. Priſci tamen magis delectantur ſimplici *rade*. Hinc ornamenta muliebria, ut ſunt monilia, inaures, veſtes, armillæ, in Legibus Angliorum & Warinorum vocantur *rhedo*, Tit. VII. 3. *Qui ornamenta muliebria, quod* RHEDO *dicunt, furto abſtulerit, in triplum componat.* Origo commode referri poteſt ad *raten* conſtituere, unde Gothis conſtitutum dicitur *garaid*, & ultra conſtitutum *uſar garaid*, Luc. III. 13. Cui ſimile eſt Angloſaxonicum *ræde* conditio, pactum, lex, & *geræd niſſe* conſtitutio. Cum ergo Leges Saxonicæ impenſe faverent ſexui ſequiori, hinc totus mundus muliebris videtur dictus *gerade*, quaſi conſtitutum juris Saxonici. LINDENBROGIUS *gerade* & *geræte* confundit, quem ſequuntur alii.

GERÆTE, utenſilia quæcunque, domeſtica, nautica, militaria &c. Proprie eſt utenſilium *apparatus*, a collectivo *ge*, & *reiten* parare, præparare. Utuntur hoc compoſito etiam Angloſaxones. SOMNERUS in Dictionario Gentis: *gereda* apparatus, *geredu* apluſtra, *geræ dian* parare, apparare. Belgæ inſtrumentorum apparatum vocant *gereeds-kap*: Islandi *redi*, *reidi*, ſimplicius & antiquius, apud VEREL. in Ind.

GERATEN, proſpere ſuccedere. Dicitur de rebus fortuitis, quarum eventus ſpei noſtræ reſpondet. Quæ vero contra ſpem & expectationem eveniunt, dicuntur *übel geraten*, male ſuccedere, non a *rat* conſilium ut STADENIO viſum, ſed a *rat* bonus eventus, felix ſucceſſus, vocabulo Scytho-Scandico. VEREL. in Indice: *rad* fortuna, ſalus, incolumitas, *radbyri* ventus ſecundus. Atque hinc jam patet, quid ſit *ungeraten*, quatenus ad mores refertur, nempe degener, cujus mores ſpei de ſe conceptæ non reſpondent. Sic maritus malis moribus & facultatum uxoriarum prodigus in Jure prov. Alam. dicitur *ungerauten man*, Cap. 58. Sic puerum, cujus mores non reſpondent educationi & voto parentum, etiamnum appellamus *ungeraten kind*, a bona ſed infecili educatione. Id quod per particulam *un*, quæ eſt nota defectus in ſucceſſu, pulcre exprimitur.

GERATEN, factus. Præteritum verbi infolentis *raten*, ῥάδιο, facere, quod vide.

GERATEN, incidere in aliquid caſu vel improviſo. Proprie eſt incurrere, a *raden* currere, quod vide.

GERBEN, parare, præparare. Quod Dialecto Angloſaxon. efferur *gearwian*, *gegearwian*, Francica *garuuen*, *garauuen*, Alamannica *karauuen*, Franco-Saxonica *geruuon*. Gloſſ. Lipſ. *geruuon* parare, *thu geruuidos* paraſti, *geruuon ſal* parabit &c. Gloſſ. Keron. parat *karauuit*, paret ſe *karauue ſih*, parati *caruue*, parandum eſt *karauuenne iſt*, præparanda ſunt *ze karauuenne ſint*. TATIANUS Cap. II. 7. *garuuen truhtine thuruhtigan folc*, parare Domino plebem perfectam. Evang. Angloſaxon. Luc. III. 4. *gegearwiath Drihtnes weg*, parate viam Domini. Poſteritas W. ut ſæpe alias, mutavit in B. & ex *garwen* formavit *gerben*. Sed prioris literæ adhuc retinentes ſunt Saxones inferiores, quando (obſervante PALTHENIO) locum Templi interiorem, ubi cultus Sacerdotalis adſervatur, vocant *garwe-camer*, ſive ab ipſis veſtimentis, quæ Francis *garauui*, ſive a Sacerdotis paratu. Cuncta a *gar* totus, totalis. Nam præparare eſt rem ita perficere, ut tota in ſuo genere exiſtat. Et hinc primo fit *garwen* per medium derivandi *wen*, & poſtea *gerben*, mutato W. in B. Hodie *gerben* Germanis & Belgis non niſi de præparatione corii & lini dicitur.

GERBEN, ſubigere pelles. Proprie præparare, prætereaque nihil.

GERBER, coriarius, *weiſs-gerber* alutarius. Proprie præparator pellis.

GERECHT, juſtus. Compoſitum Gothicum. Nam reliquæ Dialecti utuntur ſimplici, & juſtum vocant *riht*, ut Saxones, vel *reht*, ut Franci & Alamanni. Gothi vero dicunt *garaihts*, Luc. II. 25. & nos cum illis *gerecht*. Quo ſenſu, jam dixi in ſimplici *recht*, juſtus.

GERECHT, conformis, *in alle ſættel gerecht* omnium ingeniis accommodus, *ſchuhe die gerecht ſind* calcei pedibus apti. Senſus novus, ſed bonus. Nam principium dirigens cujusque rei dicitur *recht*, ut demonſtravi infra in loco, & inde *gerecht* quod normæ conforme.

GERECHTIGKEIT, juſtitia. Gothi habent *garaihteins*, Matth. V. 20. & *garaihtitha*, Joh. XVI. 8. reliqui *reht*, *riht*, *gerihte*. Unde compoſiti noſtri novitas apparet. Defendi tamen poteſt, ſi ſcribamus, ſicut pronunciamus, *gerechtikeit*. Tunc enim derivari poterit a *gerecht* juſtus, quia juſtitia eſt qualitas perſonalis ejus quem juſtum vocamus.

GERECHTIGKEIT, jus, *kran-gerechtigkeit* jus geranii, *ſchank-gerechtigkeit* jus cænopolii, *malz-gerechtigkeit* jus polenti, faciendi vel vendendi &c. Cuncta ab uſu recentioris ævi. Antiqua vide in *recht* jus.

GERECHTSAME, jus. Ab adject. inuſitato *rechtſam* juſtus, juſto ſimilis. Simile derivatum vide in *gewarſame*.

GEREN, cupere, deſiderare. Francis & Alam. *geron*, *keron*. Gloſſ. Keron. cupis *keros*, cupit *keroot*, deſiderant *keroont*, deſiderare *keron*. JUNIUS in Obſ. ad Will. pag. 63. deduxit ab ἐράω-ᾶσθαι concupiſcere, appetere, rejecta tantum prima Græci verbi litera, atque R. (quo nihil frequentius) transpoſito. Sed veriſimilius eſt, verbum noſtrum oriri a *ger* ſponte. Quid enim eſt cupere, niſi motu ſpontaneo & naturali appetere? A *geren* naſcuntur verbalia *ger* & *gier*, cupidus & cupiditas, quæ ſua rurſus habent derivata.

GEREN, ſinus veſtis. Belgis *geer*. Utitur LUTHERUS Ezech. XVI. 8. PONTANUS in Gloſſ. Celtico *gheeren* limbos veſtium & inſtitas interpretatur. Hiſpanis *giron* eſt lacinia veſtis, Italis *gheroni* inſtitæ ſive limbi veſtimentorum, a *gyro*, quod in gyrum ambiant, judice FERRARIO. Cogimur hanc vocem, tanquam cognationis apud nos expertem, exteris relinquere. Nec me movet auctoritas PONTANI, ut Celticam eſſe credam. Nam quæ ille Celtica vocat, idoneo plerumque teſtimonio deſtituuntur. Viguit avorum noſtrorum memoria, hodie obſoleſcit.

GEREN, fermenteſcere. V. *gæren*.

GERFALK, falco major & fortior. Latino-Barbaris *gyro-falcus*, Belg. *giervalk*, Angl. *jerfalcon*, Gall. *gerfaut*. Vox Latina ita concepta eſt, acſi eſſet a *gyro faciendo*: Belgica, acſi *vulturem* & falconem una conjungeret: Anglica, acſi *hierum*, h. e. ſacrum falconem denotaret, quam etymologiam proponit Imp. FRIDERICUS II. Lib. 2. *de arte venandi* Cap. 4. Veroſimilius eſt, omnes ex eodem fonte hauſtas eſſe nempe ab Antiquo-Britannico *cur* verberatio, ictus, vel *curo* tundere, pulſare, verberare. Nam hic falco alias vocatur *ſtoſs-falk* a trudendo, quia majores aves impetu ſuo deprimit.

GERHABER, tutor pupilli, Dial. Auſtriaca. Proprie eſt curator, ſive is qui alterius curam habet, a *kur* cura, trito apud veteres vocabulo, ut oſtendi in loco. Poſtea pronuntiatione vulgi in vocem ſcommati ſimilem tranſiit. Quæ res anſam dedit joco MAXIMILIANI I. Imp. *gerhaber ſind gernhaber*, h. e. habendi cupidi, quia tutores ſæpe impuberum facultates abſumunt.

GEREUSCH. V. *rauſchen*.

GERICH, ultio, vindicta. Gloſſæ Notkerianæ apud SCHILTERUM in Gloſſ. Teut. pag. 670. *geriche* vindicta, *ſune geriche* ex vindicta, *ze gericche* ad vindictam, *Got des keriches* Deus ultionum, *kricchis* ultionis. Refer ad *rechen* ulciſci. Poſteritas videtur inde formaſſe nomen belli *krieg*, ſenſu a vindicta privata ad publicam, quæ bello definitur, translato. Ita Francis *acht* primo perſecutionem, poſtea etiam bellum denotavit, ut oſtendi in loco.

GERICHT, jus, juſtitia, æquitas. NOTKERUS Pſal. CV. 3. *Salige die gerihtes huotent unde reht tuont in allen ziten*, beati qui cuſtodi-

ſtodiunt judicium & faciunt juſtitiam in omni tempore. Idem Angloſaxonibus *geriht*, Gothis *garaihtitha*, noſtris *gerechtigkeit*. Cuncta a ſimpliciſſimo *recht* ejusdem ſignificatus.

GERICHT, jurisdictio, poteſtas judicandi. Rurſus a ſimplici *recht* ejusdem ſignificatus. Francicam vocem vide in *ding* jurisdictio forenſis. Particula *tum*, quæ hodie multis compoſitis jurisdictionem communicat, olim extra compoſitionem idem denotavit, ſuitque vocabulum Francis & Saxonibus commune, ut demonſtravi in PROLEG. Sect. VI.

GERICHT, quatenus derivatur a *richten* judicare, jus dicere, ſignificat quantum poteſt, judicium ſive actum judicandi, forum ſive locum in quo judicia exercentur, & Senatum ſive concilium judicantium. Cuncta ex nupera impoſitione. Verba vetera ſunt *dome*, *duomo*, *ding*, *ſtuona*, & alia, quæ paſſim explicamus.

GERICHT, quatenus derivatur a *richten* punire, ſignificat quantum poteſt, pœnam, vindictam, judicium criminale, & noviſſime locum ſupplicii. Gloſſ. Keron. vindictæ *kerehti*, vindictam *kirihte*. Si quis tamen hæc malit a *ræchen* ulciſci derivare, haud incongruenter id faciet. Nam Franci non aliunde, habent *gerih* & *girih*, quam ex hoc fonte. Gloſſ. Pez. judicium *girih*. Puta judicium vindicativum.

GERICHT, ferculum. Proprie cibus paratus, a *richten* diſponere, ordinare.

GERING, tenuis, vilis, exilis. V. *ring* ejusdem ſignificatus.

GERINNEN, coagulari. V. *rinnen* in ſe fluere.

GERIPP, ſceleton. Collectivum a *ribbe* coſta.

GERM, fermentum. A *gören* efferveſcere. Simile derivatum vide in *berm* fæx.

GERMANI, princeps terrarum populus, & omnium bellicoſiſſimus, qui virtute ſua Imperium Romanum evertit, Galliam, Britanniam, Italiam, Hiſpaniam armis occupavit, populisque devictis Reges, Leges, imo etiam Linguam ſuam impoſuit. De hoc nomine primus ſententiam dixit STRABO Lib. 7. ab init. *Statim ergo trans Rhenum poſt Celticos populos, Orientem verſus ſita loca* GERMANI *incolunt, a Gallis parum differentes, ſi feritatis, corporum magnitudinis, & fulvi coloris excellentiam ſpectes: Sed & forma & victu & moribus adſimiles ſunt Gallorum. Itaque recte mihi videntur Romani hoc nomen eis indidiſſe, cum eos Fratres eſſe Gallorum vellent oſtendere.* Verum ex CÆSARE & TACITO, ſi conferantur, nimis manifeſtum eſt, hoc nomen recens & nuper additum eſſe; non a Romanis, ſed a Gallis expulſis; non Genti univerſæ, quæ nunquam fuit anonyma, & tunc *Tutiſca*, h.e. terrigena vocabatur; ſed quinque tantum Gentis Nationibus, *Eburonibus* inquam, *Condruſiis*, *Segnis*, *Cæreſis*, & *Pæmanis*, qui tunc Rhenum transgreſſi Gallorum agros occupaverant; non aliquo fraternitatis affectu, quod Gallis ſimiles eſſent, aut conſanguinitate juncti; ſed metu victoris, ſive populi ſive Ducis; poſtea vero hoc nomen, quamvis ſerius & paulatim, ad totam Gentem Transrhenanam perveniſſe, puta ab Eburonibus & reliquis Quinque-Pagorum populis, de quibus videndus CÆSAR Lib. 2. de B.G. Cap. 4. & Lib. 6. Cap. 32. Hi populi trajecto Rheno veteres colonos ſedibus ſuis expulerunt, teſte CÆSARE. Qua re perculſi Galli, cum priores Germani, quotquot Rhenum tranſierant ante illos populos, neminem expuliſſent, ſed vacua tantum cultoribus loca occupaſſent, prædonibus illis Germanicum nomen indiderunt, vel a cupiditate occupandi (nam *ger* habendi cupidum ſignificat) vel quod omnibus magis probatur, a metu belli & armorum, quod etiam TACITUS videtur indicare Cap. 2. de M.G. his verbis: *Ceterum Germaniæ vocabulum recens & nuper additum: quoniam qui primi Rhenum transgreſſi Gallos expulerint, ac nunc Tungri, tunc Germani vocati ſint. Ita Nationis nomen, non Gentis evaluiſſe paulatim, ut omnes primum a victore ob metum, mox a ſeipſis invento nomine* GERMANI *vocarentur.* Locum a librariis affictum eſſe, non credo. Quocunque modo legatur aut reſtituatur, illud aperte ſatis declarat, non affectum fraternum, ſed metum quendam cauſam nominis fuiſſe. Nihil autem *bello* & *jaculis* terribilius, præſertim inter inermes, quales tunc Galli fuiſſe videntur. Illud antiquis vocatur *wer*, hoc *ger*. Utrumque demonſtravi in loco. Hinc *ger* cum annexo *man* denotare poteſt vel *bellatorem*, vel *jaculo armatum*. Utrumque nomen terribile eſt, & primis illis Gallorum expulſoribus conveniebat, fiducia belli & ferri metuendis. De jaculis veterum Germanorum vide TACITUM Cap. VI. Non puto autem Gallos hoc nomen inveniſſe, ſed a nomine Ducis Quinque-Pagenſium, quem TACITUS *victorem* vocat, arripuiſſe, & a Duce ad populum tranſtuliſſe, quod idem nomen omnibus convenire videbatur. Nam GERMAN, quod & partes compoſiti, & Indices Goldaſti demonſtrant, ab omni retro memoria fuit nomen proprium viri in Germania. Factum autem eſt *gentile* auctoribus Gallis, ut paulo ante oſtenſum. Et primo quidem aliquandiu in Quinque-Pagenſibus ſubſtitit, poſtea & paulatim univerſæ Genti Trans-rhenanæ tribui cœpit, cum ob eundem metum, tum quod Gallis videretur imperium Galliarum affectare. Nam *ger*, ut jam ſemel monui, antiquitus etiam cupidum ſignificavit. Et hanc Germanorum cupiditatem graphice deſcribit CEREALIS in Oratione ad Treveros apud TACITUM Lib. IV. Hiſt. Cap. 73. *Eadem ſemper cauſa Germanis tranſeundi in Gallias, libido atque avaritia, & mutandæ ſedis amor: ut relictis paludibus & ſolitudinibus ſuis, fecun-*

diſſimum hoc ſolum, voſque ipſos poſſiderent. PEZRONIUS in Antiq. Celt. pag. 326. *Germanos* & CARMANOS tanquam ejusdem ſtudii homines inducit. Hæc duo nomina, inquit, *homines belli* ſignificant. Nam *carrman* Celtis idem ſonat quod *gerre-man* Germanis. Sed quit ſit *carm*, non docet. In Lexico Antiquo-Britannico BOXHORN. *garm* exponitur clamor, vociferatio, & *garmwyn* milites, equites. Nos, donec melius conſtet, quid proprie lingua Celtarum ſit *garm*, aſſenſum noſtrum ſuſpendimus. De nomine Germanico vide plura huc ſpectantia in *ger* telum, & *ger* bellum.

GERN, ſponte, ultro, libenter, motu proprio, non alieno. Gloſſ. Boxh. *kerno* ultro. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXIX. 66. *thaz deta ſie Kriſte gerno*, hoc fecit Chriſto libenter. A ſimpliciori *ger* ejusdem ſignificatus.

GERN, cupidus & cupide, diligens & diligenter. SOMNER. in Dict. Angloſax. *georn* ſtudioſus, ſedulus, *frith-georn* pacificus, *lof-georn* ambitioſus, laudis cupidus &c. Idem quod ſimplex *ger* cupidus, & eodem partu cum illo editum a *geren* cupere. Hodie obſoleſcit; olim vero magnam habuit progeniem. Inde

Gothis *gairnan* cupere, deſiderare Luc. XVII. 22.

Angloſaxonibus *gyrnan*, *geornian* ſatagere, cupere, ſtudere.

Alamannis *kernlibbo* diligenter, *kernii* diligentia, *kernilſa* devotio, apud KERONEM in Gloſſis.

Nec mirum videri debet, ſtudium, diligentiam, & devotionem a cupiendo denominari. Natura enim hæc duo conjunxit, ut gnaviter & pro virili facias, quæ maxime cupis, ſegniter vero & negligenter, quæ parum appetis.

GERSTE, hordeum. Gloſſ. Pez. hordeum *gerſta*. Idem Angloſaxonibus *gerſt*, Belgis *gort*, Græc. κριθή. Vox Belgica (& fortaſſe etiam Græca) videtur deſcendere a verbo Gothico *krotan* comminuere, conquaſſare, & hordeo tribui, quia facile in fruſta confringitur. Proruſus ut Latinis *triticum* a *terendo* dicitur. Reliquæ voces laborant epentheſi. De verbo Gothico vide plura in *grut* ſcobs.

GERTE, proprie eſt *ferula*, five id quo feritur, & ortum ducit a verbo Celtico *curo* verberare, quod ſiſtit BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Hinc antiquitus non ſolum de virga caſtigatoria, ſed etiam de ſtimulo & baculo dicitur. Gloſſ. Keron. virga *kertu*. Gloſſ. Pez. ſtimulus *gart*. Evang. Angloſaxon. Luc. IX. 3. *ne nime ge nan thing on wege, ne gyrde, ne codd, ne hlaf, ne ſcob*, non tuleritis in via, neque baculum, neque peram, neque panem, neque pecuniam. Poſtea vox ob ſimilitudinem a virgis ad virgulta, & a baculo ad ſceptrum translata eſt. Gloſſa antiqua apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 50. *rebakerta* propago, palmes. ISIDORUS Cap. IX. 3. *gardea ſona Jeſſes uuurzun*, virga de radice Jeſſe. Gloſſ. Ælf. pag. 56. ſceptrum *cyne-gerd*. Id eſt, virga vel baculus regius. STADENIUS, qui Germanicas voces ad Scandicas origines reducere ſolet, *gerte* derivat a Sueo-Gothico *gærda* cingere, ob uſum quem baculi & virgulta præbent in ſepiendo. Alius a κυρτόω flecto, curvo.

GERUCH, odor & odoratus. V. *ruch*.

GERUCHT, *gerücht*, fama, rumor. V. *rücht*.

GERUHEN, curare, velle cum aliqua cura, ſtylo palatii dignari, non adſpernari. Verbum ſuppliciter precantibus proprium, de cujus origine actum in *ruch* cura.

GERUMPEL, *gerümpel*. V. *rumplen*.

GERUST, *gerüſt*. V. *rüſt* & *rüſten*.

GESAMT. V. *ſamt*.

GESANG. V. *ſang*.

GESCHÆFT, ſignificat quantum poteſt. V. *ſchaffen* per totum.

GESCHEHEN, fieri, contingere. BENSON. in Voc. Poet. *ſcio* factus ſum. Rhythm. de S. Annon. §. XI. *in den cidin iz geſcach*, in his temporibus factum eſt. Gloſſæ WILLERAMI apud JUNIUM in Obſervatis ad hunc Scriptorem: *hiz geskiede* factum eſt, *hiz geſcagh* eodem ſenſu, *ine thes geſchieuſque* dum fiat, *thu uuundereſt thich thero genathan thiu mir geſchehan is* eſt tibi admirationi gratia quæ mihi facta eſt, *nu thenke uuanman thaz geſchehan ſi* nunc cogita unde hoc acciderit. Hactenus JUNIUS loc. cit. pag. 113. Vera & primitiva verbi forma videtur eſſe *skieden* vel *ſchieden*. Dicitur plerumque de contingentibus, ſive de iis quæ fortuito fiunt, vel ut Latini loquuntur *accidunt*. Hinc plane perſuaſus ſum, illud a primis inventoribus formatum eſſe a Lat. *cadere*, præfixo ſchin. Et a quibus, niſi a Belgis? His enim peculiare eſt, ita loqui, *geſchieden* fieri, contingere, *t' geſchied ſomtyds* interdum contingit, *ik hoop dat zulks geſchieden zal* ſpero futurum vel eventurum, *geſchiedenis* hiſtoria, & centum alia, quæ coram audivi in Belgio. Cætera e Belgico ſunt depravata, primo per ſyncopen, poſtea aliis modis.

GESCHEID, ſolers. Non *geſcheut*, uthodierni Linguæ & orthographiæ Germanicæ adulteratores pingunt. Oritur enim non a *ſcheuen* vereri, formidare, ſed a *ſcheiden* diſcernere, & proprie diſcernendi peritum ſignificat.

GESCHENK. V. *ſchenken*.

GESCHICHT, res geſta, & rerum geſtarum narratio, ſive hiſtoria. A *geſchehen* fieri, contingere. Novum a novo. Utrumque priſcis ignotum. Vetera vocabula, tam Saxonum quam Francorum, vide in *rache* narratio.

GESCHICK, aptitudo. V. *ſchick*.

GESCHICKT, quatenus eſt a *ſchicken* aptare, ordinare, duo ſignificat, idoneum & diſpoſitum ad agendum. Aliud eſt *geſchickt* miſſus, quod eſt a *ſchicken* mittere.

GESCHIRR,

GESCHIRR, omnis generis vaſa. In Colloquio Chriſti cum Samaritana occurrit *kiſcirr* pro vaſe, quod STADENIUS in notis deduxit a *ſcheuren* mundare. Revera autem eſt collectivum a Scandico vel Islandico *kær*, *kier* vas, & hoc a Gr. χωρέω capio, ut *faß* a *faſſen*. Sibilus vocibus aliunde acceptis ſæpiſſime præfigitur. VEREL. in Ind. *kier* vaſculum, *ſkapkiær* pocula. Hodie ad omnia inſtrumenta, ruſtica, nautica, vehicularia &c. extenditur, mira translatione, ſed in omnibus linguis obvia. Utimur etiam ſimplici *ſchirr* in compoſitis. Inde *ſchirrmeiſter* præfectus inſtrumentorum quæ ad curſum publicum, aurigationem, navigationem ſpectant, *ſchirrhaus* locus ubi talia inſtrumenta adſervantur.

GESCHLACHT, mitis, lenis, tractabilis, *ungeſchlacht*, *unſchlachtig* immitis, intractabilis. A ſimplici *ſchlecht* ejusdem ſignificatus.

GESCHLACHT, naturalis, nativus, a natura factus vel formatus. Vide *ſchlachten* primæ ſignificationis.

GESCHLACHT, probus, ſimilis, *ungeſchlacht* degener, diſſimilis. V. *ſchlachten* ſecundæ ſignificationis.

GESCHLECHT, gens, genus, proſapia. A ſimplici *ſchlacht* ejusdem ſignificatus quod habent Antiqui. Lector eo remittendus erat, quia non poterat avelli a ſuis derivatis.

GESCHLECHTER, patritius. Proprie eſt generoſus, vel ex bona & antiqua familia oriundus, a *geſchlecht* gens, genus, familia. Hodie diſtinguitur a nobili; ſed vi radicis etiam nobilem ſignificare poteſt. Hinc Poloni nobilem vocant *ſlachtiz*, *ſlachtſchiz*, quod judice STADENIO eſt ex Germanico fonte. Fides ſit penes auctorem.

GESCHMACK, guſtus & ſapor. V. ſimplex.

GESCHMEIDE, metallum molle. Verbale a *ſchmiden* mulcere. Utitur WILLERAMUS Cap. III. 10. *daz gold iſt turer danne dechein ander geſmide.* Verto: aurum pretioſius eſt quovis metallo molli. Dicitur etiam *ſmide* ſimpliciter, absque præfixo *ge:* & inde *ſmidezierede* & *ſmutheſcirethe* monile. Quo rurſus utitur WILLERAMUS Cap. I. 10. *din hals iſt ſamo ſmidezierida*, collum tuum ſimile eſt monili. Quod in editione MERULÆ male interpungitur *ſmithe-ſcirethe*, quia *ſciren* pro *zieren* nunquam invaluit. Proprie autem eſt ornamentum ex metallo molli, ductili, & flexibili, arte fabricatum. Quod vel hinc patet, quia apud eundem auctorem verſ. 13. murænulæ aureæ vocantur *uuahe goldketenun*, h. e. molles catenæ aureæ.

GESCHMEIDE, monile. Dictio metonymica, qua materia ponitur pro forma, metallum molle pro monili ex metallo molli arte fabricato. Non occurrit apud WILLERAMUM, videtur tamen ſæculum ejus longiſſime excedere. Quamvis enim Majoribus noſtris vaſa aurea & argentea in eadem pene vilitate eſſent, quam quæ humo finguntur, teſte TACITO Cap. 5. de M. G. Poſtera tamen ætas alios tulit homines, qui aurum & cælati operis artifices in pretio habuerunt. Hinc aurifici jam cavetur in Lege Salica Tit. XI. 6. & hunc Gloſſæ veteres vocant *gold-ſmid*, h. e. aurifabrum, nomine hodieque perennante.

GESCHMEIDIG, mollis, tractabilis, *hart eiſen geſchmeidig machen* ferrum igne mulcere, ut malleo vel alio inſtrumento tractari poſſit. Adjectivum a ſubſtantiv. *geſchmeide* factum, quatenus metallum molle ſignificat. Metaphorice dicitur de homine, qui de ferocia ſua, duritie, & obſtinatione, non nihil remittit, & hactenus metallo molli, flexili, & tractabili ſimilis eſt.

GESCHMEIDIG, tenuis, ſubtilis, non craſſus. Quia tactui cedit, tanquam mollis & tractabilis, a quo nomen ob ſimilem qualitatem accipit.

GESCHMEISS, proprie eſt omne ſpurcum, quod ſqualorem ſuum aliis rebus communicat, a *ſchmeiſſen* contaminare. Hinc dicitur nonſolum de *infectis*, quæ ſordes ſuas plantis illiniunt, ſed etiam de *rubigine*, quæ ſegetes & plantas macula rubra inficit. Utitur hoc ſenſu Luth. Joel. I. 4.

GESCHOPF, *geſchöpf*. V. *ſchuffen* & *ſchöpfen*.

GESCHOSS, omnis generis miſſilia, *tædtlich geſchoß* tela mortifera, Pſal. VII. 14. Gloſſ. Pez. romphæas *giſcoz*. Gloſſ.Ælf. in nom. armorum: clava, cateia, teutona *anes cynnes geſceot*. Hoc eſt, ejusdem generis jacula. NOTKERUS Pſal. LIV. 23. *diu geſcoz ne brutten dih, uuirf an Got dina ſorgun*, jacula ne turbent te, jacta in Deum curam tuam. VEREL. in Ind. *ſkot* telum, jaculum, ſagitta, *handskot* pilum vel quodcunque telum quod manibus in hoſtem conjicitur. Refer ad *ſchieſſen* jaculari.

GESCHOSS, tributum. Proprie pecunia in medium conjecta, a *ſchieſſen* conjicere. Vide plura in ſimplici.

GESCHOSS, germen. Refer ad *ſchieſſen* emitti. Nam quod a natura protruditur, id recte dicitur emitti. Utimur etiam ſimplici *ſchoß*. Inde *reb-ſchoß* palmes. Dicitur autem nonſolum de ſurculis, ſed etiam de quavis arborum excreſcentia. Inde *waſſer-geſchoſs* ſtolo, coliculus ſuperfluus & inutilis ex radice arboris aut ſtirpe ſuccreſcens, interprete HENISCHIO.

GESCHOSS, contignatio domus, tabulatum primæ, ſecundæ, & tertiæ altitudinis, *haus von ſieben geſchoſs* ſeptizonium. Forte primi nominis architecti zonas illas conſiderarunt ut totidem *præcipitia*, ſive loca e quibus aliquid præcipitari poteſt. Quo pacto referri poterit ad *ſchieſſen* præcipitari.

GESCHREI, clamor, & per analogiam rumor & fama. Refer ad *ſchreien* clamare, & confer *ruff* & *rum*, ejusdem indolis vocabula.

GESCHUCHT, *geſchuhet*, calceatus. Utitur Luth. Marc. VI. 9. ductoribus Antiquis. Nam verſio Gothica habet *gaskobai*, Angloſaxonica *geſceode*; Et in Gloſſis KERONIS *calciatis* exponitur *keſcuahte*. Refer ad *ſchuh* calceus.

GESCHUTZ, *geſchütz*, machina jaculatoria. Quamvis *geſchoſs* & *geſchütz* eodem partu edita ſint a *ſchieſſen* jaculari; hodie tamen ita diſtinguimus, ut *geſchoſs* ſit ipſum telum, *geſchütz* vero machina qua telum exploditur. Dicitur autem de fundis Judith. IX. 8. de catapultis 2. Macc. XII. 27. & noviſſime de tormentis bellicis, quæ globos ferreos aut ignivomos ejiciunt.

GESCHWADER. V. ſimplex.

GESCHWÆR. V. ſimplex.

GESCHWÆTZ, nugæ. Refer ad *ſchwatzen*.

GESCHWEI, *geſchweihe*, ſoror mariti, uxor fratris, & cujuscunque agnati. Novum & obſcurum. Germanis antiquis *ſchwæ*, *ſwe* affinem denotaſſe, conjectat SKINNERUS in voce *ſiſter*. Admittamus hanc divinationem, ne ſubſidium nobis deſit in tenebris. Quæritur, unde ſit illud *ſwe*? Forte eſt peregrini & abortivi generis a Sorabico *ſwezu* conjungere, copulare, quod ſiſtit FRENZEL. in Orig. Sor. pag. 932. Quo pacto *geſchwei* ſignificabit *affinitate junctam*, & ratio tam latæ appellationis in ipſo nomine erit comprehenſa. Hac clavicula, quam nobis Lingua Sorabica ſuppeditat, alias quoque voces, tam veterum quam recentiorum, referare poſſumus, ſi peregrina auxilia non adſpernemur. Nam ex eodem fonte formari potuit

Gothicum *ſwes* proprius & proprium, quod extat in Cod. Arg. Joh. X. 12. Luc. XV. 30. quia propria nobis ſunt connexa.

Francicum *ſuaſo* domeſticus, quo utitur TATIANUS Cap. XLIV. 17. quia domeſtici nobis ſunt conjuncti.

Germanicum *anſchweiſſen* ferruminare, metallum cum metallo combinare.

GESCHWIND, celer & celeriter. Belg. *gezwint*. V. ſimplex.

GESCHWISTER, fratres & ſorores iisdem parentibus geniti. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXIV. 109.

Thar ſtuantun thio geſueſter
Saman ueueinotun thaz fer.
Hic ſtabant ſorores (Lazari)
Una deplorantes dolorem.

Etymon vide in *ſchweſter*. Hinc porro fratrueles & conſobrini, h. e. fratrum & ſororum liberi Angloſaxonibus vocantur *geſuſterenu-bearn* in Gloſſis ÆLFRICI, hodie *geſchwiſter-kind*. In quibusdam Dial. *geſchwiſter* recipit augmenta finalia, ſalvo tamen & integro ſignificatu. Hujusmodi ſunt *geſchwiſtert*, *geſchwiſterig*, & *geſchwiſtergid*. Ultimum extat in Jure prov. Alam. Cap. 6. & Cap. 139.

GESCHWULST, tumor. Gloſſ. Pez. livor *giſuulſt*. Refer ad *ſchwellen* tumere. Ex eodem fonte tumor & apoſtema Angloſaxonibus ſimpliciſſime dicitur *ſwil*, *ſwile*, *ſwyle*.

GESCHWUR, *geſchwür*, ulcus. A ſimpliciori *ſchwer*, quod vide.

GESELL, ſocius, primo quidem manſionis, poſtea etiam itineris, laborum, ſtudiorum & omnium univerſe negotiorum, qua pace qua bello gerendorum. Gloſſ. Pez. collega *giſello*. Epinic. R. Ludov. ex editione & interpretatione cel. SCHILTERI verſ. 63. *troſtet hiu geſellion*, bono eſtote animo commilitones. OTFRIDUS Lib. V. Cap. IX. 7. *giſellon zuene guate*, comites duo boni. Ibid. Cap. XIII. 8. *mit ſehs giſellon ſinen*, cum ſex ſociis ſuis. Quidam deducunt a *ſelb*, ut ſit quaſi *geſelb*, alter ego. Quod, opinor, iis ſolis placere poteſt, qui antiquitate vel ſpreta vel ignorata arbitrarias nugas ſectantur. STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 261. videtur exiſtimare, vocem primo natam eſſe inter eos, qui communia ſtipendia merentur, a *ſelen* tradere. Alii confundunt cum *geiſel* obſes, quaſi vox ab initio iis tantum fuerit propria, quos ſtatus & conditio obſidum conjunxit. Mihi videtur proprie *ſocium domeſticum*, ſive eum denotare ſocium, qui eadem domo, & eadem manſione nobiſcum utitur, a *ſal* domus, manſio. Ratio, cur ita ſentiam, hæc eſt, quia particula *ge* in nominibus Sociorum apud veteres, ſemper ſignificat participem ejus rei, cui præfigitur, ſive res illa ſit domus, ſive victus, ſive utilitas, ſive ſors, ſive iter, ſive ludus, ſive aliquid ſimile. Id quod per inductionem facile demonſtro. Ita

Gothis *gadaila* eſt ſocius, a *teil* ſors, velut conſors: *gamana* ſocius, a *mein* commune: *gablaibai* condiſcipuli, a *blaib* panis, velut convictores.

Angloſaxonibus *geſith* comes, a *ſith* iter: *geſera* comes, a *ſera* iter: *gebuſan* domeſtici, ab *huſe* domus.

Francis & Alam. *ginoz* conſors, a *nutz* utilitas: *gelende* pagenſis, incola ejusdem pagi, a *land* pagus.

Omitto exempla recentiora, *geſpan*, *geſpil*, &c. in quibus præfixum *ge* eodem ſenſu dominatur: & hoc tantum addo, quod ſimile compoſitum ſit σύζυγος apud Græcos, *conſors* apud Latinos, & *combenno* apud veteres Gallos. Quemadmodum autem a domibus initium eſt omnis ſocietatis civilis: ita a ſociis domeſticis, qui omnium ſociorum vetuſtiſſimi, vox paulatim traducta eſt ad omnes ſocios, quos vitæ communis ratio, ſive in agro, ſive in curia, ſive in caſtris, ſive alibi locorum conjunxit, ut dixi ab initio. Amat autem conjungi cum aliis vocibus, tanquam & ipſa ſocietatis appetens eſſet, & priſcæ ſolitudinis pertæſa. Inde *ſtuben geſell*, *ſpieſs-geſell*, *handwerks-geſell*, & ſimi-

&i ſimilia, quorum ſignificatio in vulgus nota.

GESETZ, lex. Proprie ſtatutum, conſtitutio, diſpoſitio & ordinatio, qua mores hominum a ſuperioribus in ordinem rediguntur, a *ſetzen*, ponere, conſtituere, diſponere, ordinare. Gloſſ. Keron. ſtatuta *keſazta*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *goſod* ſtatutum, conſtitutio. Hanc vocem videntur Britanni a Germanis, qui radicem ejus etiamnum cuſtodiunt, accepiſſe. Quidam inferioris ævi Scriptores Legem vocant *geſezt*, cum terminatione participiali, quorum verba legi poſſunt apud VORSTIUM in eleganti ſpecimine de L. Vernacula Cap. 4. Eodem obſervante Leges Draconis apud Athenienſes vocabantur *οἱ τῷ Δράκοντος θεσμοὶ*, teſte ÆLIANO Lib. VIII. Variar. Cap. 10. a *θέω* pono. Quibus addere poterat vetus Saxonicum *lage* lex, eodem ſenſu factum a *legen* ponere, conſtituere. Reliqua Veterum nomina vide in *Ehe* lex, nec non in *wetten* obligare.

GESETZ-GEBER, legislator. Voces Angloſaxonicæ apud BENSON. ſunt *æ-lætend* & *æ-ſyllend*, id eſt, lator & traditor Legis, forte iis temporibus inventæ, cum Leges adhuc viva voce traderentur. Poſtquam autem in literas referri cœperunt, tunc Legislatores dicti ſunt *æ-writeras*, hoc eſt, Scriptores Legis. In Gloſſis LIPSII Franco-Saxonicis *Legislator* vocatur *euenlari*, i. e. doctor Legis, quia primi Legislatores populum agreſtem & vivendi ignarum præceptis erudiebant, ut ſolent doctores diſcipulos. Talis erat *Saturnus*, de quo DIODORUS Lib. V. Cap. 66. *Saturnus multas orbis regiones acceſſit, & ſingulos ad juſtitiam animoque ſimplicitatem adhortatus eſt.* Quod quidem non pro fictione Poëtica, ſed pro vero habendum eſſe, monet LACTANTIUS Lib. V. Cap. 5. ab init. Talis quoque fuit Philoſophus DICÆNEUS, de quo aliquid dixi in voce *Bellagines*, & plura dicere potuiſſem ex STRABONE, a quo JORNANDES Dicæneum ſuum mutuavit, & a Getis ad Gothos traduxit.

GESETZT, poſitus, conſtitutus. Goth. *gaſatids* Luc. VII. 8. Angloſaxon. *geſett*, *geſetted*, Alam. *keſazt* & *keſezzit*. Gloſſ. Keron. conſtituere *keſezzan*, conſtituit *keſazta*, conſtituitur *ſi keſezzit*, ordinatus *kiſazter*. Malem ſcribere *geſezt*, ne tanta conſonantium congeries vocem alioqui jam ſatis duram, magis exaſperet.

GESICHT, quatenus derivatur a *ſehen* (*ſechen*) ſpicere, ſignificat quantum poteſt, actionem & potentiam videndi, rem viſam & conſpicuam, vultum, & faciem hominis vultuoſi. SOMNER. in Dict. AS. *geſihtbe* viſio, viſus, viſum, conſpectus. Gloſſ. Ker. aſpectibus *kaſihtim*, conſpectibus *keſihtim*. Vide plura in ſimplici.

GESIMS, projectura. Collectivum ab inuſitato *ſims*, quod eſt a voce Vitruviana *cymatium*. Apud SUIDAM *κυμάτιον* exponitur *ὑπεροχὴ* quod verti poteſt *prominentia*.

GESIND, comitatus. Codex Arg. Luc. II. 44. *hugjandona in gaſinthjam ina wiſan*, exiſtimantes in comitatu eum eſſe. Gloſſ. Pez. comitatu *giſinde*. Ab initio erat ſocius itineris, ut patet ex Angloſax. *geſith* comes. Comes autem ſic dicitur a *ſind* iter, per medium præfixi *ge*, quod ſignificat participem ejus rei cui præfigitur, ut in aliis multis ſociorum nominibus, de quibus aſſatim egi in voce *geſell*. Gloſſ. Keron. itinera *ſinda*, itinere *ſinde*. Poſtea collective accipi cœpit pro univerſo comitatu. Angloſaxones iter vocant *ſith*, rectius & antiquius. Eſt enim a Græc. *ὁδὸς* via, iter, profectio, ſpiritu aſpero, ut ſæpe alias, in ſibilum mutato. Sed hic ſibilus non ab omnibus admittitur. Cambri enim viam & iter vocant *hynt*, aperte ſatis ab *ὁδὸς*, quamvis epentheſi utantur ad formandam vocem, ut Gothi & Franci.

GESIND, famulitium. Lat. Barb. *gaſindium*. Primo quidem erat famulus, & dicitur de uno ſolo apud OTFRIDUM Lib. IV. Cap. XII. 83. ubi de Juda proditore:

Uzgiang ſar tho lindo
Ther diuſeles giſindo.

SCHILTER. cujus obſervationi hunc locum debeo, vertit: *egreſſus illico humiliter Diaboli miniſter.* Poſtea collective accipi cœpit pro toto famulitio. Et hoc ſenſu etiamnum utimur, qui certe non aliunde deſumptus eſt ab Antiquis, quam a comitatu, quod ſcil. ſervi & ancillæ eſſent familiarum comites, & dominos ſuos ubique comitarentur, præſertim in migrationibus, & frequenti illorum temporum ſedium mutatione. Et tametſi hallucinari mihi videantur omnes, qui ſecus de hac voce ſtatuunt, opiniones tamen eorum, aliis fortaſſe placituras, recenſebo. HELVIGIUS in Orig. Dict. Germ. „*geſind* dicuntur, qui in una domo verſan„tur pariter, quaſi *σύνοικες* conſice, a *συνοικεῖν* „ſimul eſſe, convenire, una vivere. CLUVE„RIUS Lib. I. Germ. Ant. Cap. 8. Britanni, „qui vulgo Walli vocantur, hodieque *famulos conductitios* vocant *gueſſin:* & Ger„mani noſtri omnem familiam, ſeu omne „conductitiorum corpus *das geſinde*. EC„CARDUS in not. ad Leg. Sal. pag. 16. *Son* „proprie eſt congregatio, a *ſamen* colligere. „Hinc *ſende*, *geſinde* etiam pro familia do„minica. Similia habet WENDELINUS in „voce *ſoneſti*.

GESPAN, ſocius, ſodalis, jugalis. A *ſpan* vinculum, vel jugum, per medium præfixi *ge*, quod in nominibus ſociorum ſemper participem ejus rei cui præfigitur, ſignificat, ut multis exemplis docui in voce *geſell*. Ita Gr. a *ζυγὸς* jugum fit *σύζυγος* compar, jugalis, ejusd. jugi ſocius. Utraque vox videtur primum inter eos nata, quos ſtatus & conditio ſervilis conjunxit. Quemadmodum autem apud Græcos *σύζυγος* etiam de marito dicitur,

tur, ſenſu a jugo ad conjugium translato; ita vox Germanica paulatim nobilitari cœpit, & de omnibus ſociis uſurpari, etiam iis, qui nullam unquam ſervitutem ſervierunt. Inde Hungaris *geſpan* comes, qui perſonam regis comitatur, & hinc porro *geſpanſchaft* comitatus, territorium comitis. HILLERUS in Onomaſtico Sacro *ſpan* & *geſpan* pro Celticis vocibus venditat, ſed absque auctore, ut ferunt mores noſtrorum, qui, ubi in vocem non intellectam incidunt, ſtatim Celticam eſſe clamant.

GESPAN, præterea denotare poteſt *collactaneum*, ſi derivetur a *ſpan* uber. An hic ſenſus unquam fuerit ab uſu receptus, ignoro.

GESPENST, oritur a *ſpenen* trahere ſuadendo, alliciendo, ſeducendo, & vi ortus ſui ſignificat quantum poteſt, ſuaſionem, perſuaſionem, ſuggeſtionem, ſeductionem, incitamentum ad peccandum &c. Gloſſ. Keron. ſuaſione *keſpanſt*, ſuaſionibus *keſpenſtim*. Gloſſ. Boxh. *kiſpenſti* ſollicitationes. Viguit adhuc ante trecentos annos. In Confeſſione Friderici II. Elect. Brand. legun-tur hæc verba: *und widerſprich aller teufliſchen liſt und geſpenſt*, & abrenuncio omnibus artibus & ſuggeſtionibus diabolicis.

GESPENST, ſpectrum. PALTHENIUS Animadverſ. in Tatian. pag. 387. hunc ſignificatum cum præcedenti connectit: *Inde*, inquit, *noſtrum geſpenſt ſpectrum, qua de re quid Majores noſtri cenſuerint, vel ex nomine, quod eidem indidere, patet*. Neſcio, quid his verbis ſignificare voluerit, an quod ſpectra ſint meræ perſuaſiones a metu factæ? an quod ſint ſeductiones diabolicæ, & illices ad peccandum? Illud falſum, hoc veram imaginem ſupponit. Utrum Majoribus noſtris ſe probaverit, ex ipſo nomine nequaquam pateſcit. Confer *ſpok*.

GESPERR. V. *ſperren*.

GESPIL, ſocius, *geſpilin* ſocia. Proprie ludi, a *ſpil* ludus. Similia compoſita vide in *geſell*.

GESPILD, jus congrui, in Auctuario Theſauri Beſoldiani. Rectius *jus damni*. Nam proprie eſt jus recuperandi partes avulſas bonorum, & ſic vocatur, quia fundo imminutionem paſſo adhæret ex inſtitutione majorum. Et Angloſaxonibus *ſpildan* eſt perdere, Islandis *ſpilla* perdere, corrumpere, imminuere, & inde *ſpill*, *ſpiell*, *ſpiall* in compoſitis damnum, detrimentum, apud VEREL. in Ind. Dicitur autem *jus congrui*, quia congruum eſt, ut familiæ in priſtino ſtatu conſerventur.

GESPRÆCH, quatenus eſt a *ſprechen* loqui, ſubſtantive ſignificat *confabulationem*, adjective *affabilem* & *diſertum*. Gloſſ. Pez. facetiæ *giſprahhi*, diſertus *giſprahher*. Gloſſ. Boxh. *kiſprachiſto* diſertiſſimus. In his compoſitis *ge*, *gi*, *ki*, ſignificant *una*, ut dixi in PROLEG.

GEST, flos cereviſiæ. V. *geſt*.

GESTAD, ripa. V. *ſtat* ſtatio.

GESTALT, conſtitutus. Angloſaxon. *geſtealt*. A *ſtellen* conſtituere. Inde formula, *bei ſo geſtalten ſachen* rebus ſic conſtitutis. Dicitur antiquitus etiam de perſonis in officio aliquo conſtitutis. Inde Longobardis *gaſtaldus*, rector loci conſtitutus, de quo ſupra.

GESTALT, ratio, *ſolchergeſtalt* hac ratione. Pro quo NOTKERUS habet *dien geſtalten*, apud SCHILTERUM in Gloſſario. Proprie eſt conſtitutio & diſpoſitio rei, ex eodem fonte.

GESTALT, forma, diſpoſitio vultus, aptæ partium conjunctio, magis vel minus ſpecioſa. Hanc vocem non invenio apud WILLERAMUM in Cant. V. & VI. etiamſi ibidem multa habeat de forma.

GESTANK. V. *ſtank*.

GESTATTEN, permittere, concedere. Proprie eſt locum dare, ſive petitioni, ſive alteri rei, cœptæ vel incipiendæ, a *ſtat* locus. V. plura in *ſtatten*.

GESTEHEN, contrahi, coagulari. Utitur Luth. Hiob. XXXVIII. 30. Proprie eſt conſiſtere, a *ſtehen* ſtare, & dicitur de oleo, lacte, aqua &c. quia ſtagnando condenſantur.

GESTEHEN, adſentiri. Id eſt, una ſentire. Nam *ſtehen* eſt ſentire, & *ge* ſignificat una, ſimul, pariter, in multis compoſitis. Vide plura in *verſtehen*.

GESTEHEN, fateri. Dictio metonymica, qua antecedens ponitur pro conſequente, aſſenſus pro confeſſione, quæ aſſenſum ſequitur.

GESTEIN, lapilli, *edel-geſtein* gemmæ. Gloſſ. Pez. monilia *giſteini*. Collectivum a *ſtein* lapis.

GESTELLE. Vide ſimplex.

GESTERN, heri. Angloſaxonibus *giſtra* & *gyrſta* in compoſitis *giſtrondæg* & *gyrſtandæg*, Francis *geſtre*, Belg. *giſteren*, Angl. *yeſterday*. Gloſſ. Pez. perindie *ergeſtre*. JUNIUS longo rudente deflectit a Græc. χθὲς heri, unde per transpoſitionem fieri poterat χεθ & *geſt*: SKINNERUS recta a Lat. *heſternus*, quod etiam placet STIERNHIELMIO. Gothis *giſtradagis* eſt eras, Matth. VI. 30. Quod miratur JUNIUS, nec ulla ſe conjectura aſſequi potuiſſe ſcribit, cur Gothi ita loquantur, in Gloſſ. Goth. pag. 132. Id quod etiam cum illo miratur STIERNHIELMIUS, in Gloſſ. Goth. pag. 73. Sed facilis eſt ſolutio. Quemadmodum enim Saxonibus ab *heſternus* per aliquam transpoſitionem fit *gyrſta*: ita Gothis ex *craſtinus* eadem via fit *giſtra*.

GESTIRN, conſtellatio. Gloſſ. Pez. militiam (cœlorum) *giſtirni*. RUODEPERTUS Mag. S. Galli Epiſt. 7. *uuanda des keſtirnis chraft ſergat unde virlouſit in ſo langero viriſte ſo man emin ſtupf ketuon mag*, quia virtus conſtellationis in ictu pungentis eſt. Collectivum a *ſtern* ſidus.

GESTRENG,

GESTRENG, fortis, ſtrenuus. A ſimplici *ſtreng* ejusdem ſignificatus quod vide. Ab hoc compoſito Antiquitas formavit *geſtrangen* & *geſtrengiſon* confortare, quod hodie ceſſat. SOMNER. in Dict. AS. *geſtrangod* corroboratus. Verba Piſtoris in Colloquio Monachico apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 196. *ic heortan mannes geſtrangie*, ego cor hominis confirmo. TATIANUS Cap. IV. 19. *ther knecht uuohs inti uuard giſtrengiſot geiſte*, puer creſcebat & confortabatur ſpiritu. Hodie *geſtreng* eſt titulus nobilium, qui totum illud decus, quod nobilitas vocatur, a ſua vel majorum virtute militari acceperunt.

GESTREUCH. V. *ſtrauch.*

GESTREUSS. V. *ſtrauſs* cremium.

GESUCH, uſura. Occurrit eo ſenſu in Jure prov. Alam. Cap. 351. 1. *ez verbiutet Got und der Kaiſer Karl und der Babeſt Leo, daz dehain criſtanmenſche uon dem andern geſuch neme.* Vertit Cel. SCHERZIUS: Deus & imperator Carolus ut & Papa Leo prohibent, ne quis Chriſtianorum ab altero uſuras accipiat. An quia uſura eſt fructus ex ære quæſitus, a *ſuchen* quærere acquirendi cauſa?

GESUM, vel *geſus*, telum Celticum & vetuſtiſſimum, quod Chaldæis dicitur *giſa* 2. Sam. XVIII. 14. Sept. Interp. *geſon* Jol. VIII. 18. Islandis *keſia*. Gloſſ. Iſid. *geſum*, aſta, jaculum, βολίς. VEREL. in Ind. *keſia* geſum, pilum, *keſian Skroggs naut* pilum quo uſus eſt Skroggus, *skytr han keſiani at Ajaxe* pilum vel jaculum in Ajacem conjicit. CÆSARI quoque *geſa* ſunt miſſilia in vallum conjecta Lib. III. de Bell. Gall. Cap. 4. & HESYCHIO γαισὸς exponitur ἐμβόλιον ὀλοσίδηρον jaculum totum ex ferro. Quos ſequitur CLUVERIUS in Germ. Ant. pag. 298. niſi quod totum ferro conſtitiſſe negat. Singulos bina aut plura geſtaſſe in bello vel itinere, ibidem ex *Varrone*, *Livio*, *Virgilio* demonſtrat. Romanos Gæſorum uſum ab Hiſpanis didiciſſe, aſſerit ATHENÆUS. Contra VIRGILIUS *geſa alpina* Æn. 8. vocat, tanquam a Gallis Cis-alpinis ad Romanos veniſſent. Quicquid ſit, Celticum certe inventum fuit, Romanisque ſive a Gallis, ſive a Celtiberis Hiſpaniæ communicatum. Nonſolum autem Gallis, ſed etiam Germanis hoc teli genus uſitatum fuiſſe, recte colligit CLUVERIUS ex his TACITI Cap. VI. de M. G. verbis: *Pedites & miſſilia ſpargunt, pluraque ſinguli, atque in immenſum vibrant.* Et argumento eſt, vetuſtiſſimum nomen *ger* telum miſſile, de quo ſupra. Nam *ger* & *gæs* nomina haud diverſa eſſe, ab æquis æſtimatoribus facile impetrabo, ſi conſiderâverint, S. & R. in Dialectis continuo permutari. Cæterum ab hoc telo omnes olim copiæ militares, qui Gæſis ſtipendia merebantur, dicti ſunt GÆSATI, ut a pilis *pilati*, ab haſtis *haſtati*. Hinc nomen *Geſatorum* & *Gæſatarum* non eſt nomen Gentis, etiamſi Reges & Duces illis tribuantur, ſed exercitus conductitii, quamvis vox ipſa aliud ſignificet. Diſerte OROSIUS Lib. IV. Cap 13. *Gæſatorum nomen non gentis, ſed mercenariorum Gallorum eſt.* Quanta fuerit horum auxiliorum in Bellis Senonum & Gallorum Inſubrium adverſus Romanos geſtis celebritas, ex *Polybio*, *Strabone*, *Livio*, *Plutarcho*, aliisque manifeſtum eſt. Quos inter POLYBIUS non tam in re, quam in voce errat, dum Lib. II. Hiſt. Cap. 22. ſcribit: *Gæſati e re dicti, quod æra bellando mereri ſoliti, id enim vox illa proprie ſignificat.* Nam vi vocis *Gæſati* ſunt *Geſigeri*, non ſtipendiarii, etiamſi ſtipendia meruiſſe certum ſit. Unde porro patet, quid de etymologia Cluveriana cenſendum ſit, quæ Gæſatos interpretatur *famulos conductitios*, tanquam nomen factum ſit a Cambrico *gweſyn* ſervulus, vel a Germanico *geſind* famulitium.

GESUND, ſoſpes, vegetus. Gloſſ. Pez. bene valemus *giſunti piromes*, incolumitate *giſunti*. Reliquæ Dialecti utuntur ſimplici, quod vide.

GESUS, vir fortis. Vox antiquo-Gallica, quam cuſtodivit SERVIUS in 8. Æn. GESA *haſtas viriles*, *nam etiam viros fortes Galli* GESOS *vocant*. Oritur a *giſen* poſſe, valere, quod viris fortibus maxime proprium. Placuit hoc nomen Germanis antiquis, quamvis a labio eorum alienum, in multis NOMINIBUS PROPRIIS, ut fere ſolent peregrina apud omnes Gentes. De qua re memorabilis eſt locus JORNANDIS Cap. IX. de Reb. Get. *Nemo eſt, qui neſciat, animadverti, uſu pleraque nomina gentes amplecti, ut Romani Macedonum, Græci Romanorum, Sarmatæ Germanorum, Gothi Hunnorum.* Addo ut, Germani Gallorum. Idque nomen eo libentius amplectabantur noſtri, quod illud ex verbo Germanico apud Gallos natum intellexerant. In compoſitis nunc adjective nunc ſubſtantive ponitur. Talia ſunt ex vetuſtiſſimis

ARIOGÆSUS, prælio fortis. Nomen Regis Quadorum apud DIONEM, & pure Celticum, ab *aer* prælium, pugna, conflictus. Similia compoſita vide in *wer* bellum.

ARIGIS, eadem notione. R. Longobardorum apud P. DIACONUM.

LANIOGAISUS, gladio fortis. Nomen nobilis Franci apud MARCELLINUM, & pure Celticum, a *llain* gladius. Latini ex eodem fonte habent *laniſta* gladiator, vel præfectus gladiatorum, & non a *laniando*, ut vulgo nugantur.

RADAGAISUS, immenſi exercitus dux tor, & repentinus Italiæ terror. Gothus fuerit, an Vandalus, incertum. Germanicæ nationis fuiſſe, nomen oſtendit, quod *celerem Geſum* denotat. *Rad* etiamnum eſt celer, in quibusdam Dialectis. De Expeditione Radagaiſi vide Hiſtoriam Germaniæ Maſcovianam pag. 343. ſq. in not.

GISERICUS, Geſus potens. Nomen genuinum Regis Vandalorum in Africa. *Gizericus* JORNANDI, *Gaiſericus* IDATIO. Utrinque eodem ſenſu. GROTIO eſt *viris fortibus pollens*, ſenſu minus commodo, quia laudem fortitudinis detrahit Regi, tribuit aliis.

GENSERICUS, idem nomen & ejusdem Regis, ſed per epentheſin vitiatum. AVENTINO eſt *ganz-reich* totus dives, vel integrum regnum. Inepte. GROTIO *plane pollens*. Hoc interim ſuppoſito, uni viro duplex nomen diverſæ interpretationis adhæriſſe, quod minime opinabile, & a conſuetudine priſcorum alienum.

WETGISUS, acer geſus, geſus bellicoſus. Dux Saxonum, Hengiſti & Horſi pater, Odini nepos, apud BEDAM in Hiſt. Eccleſ. SOMNER. in Dict. AS. *hwæt*, *hwate* alacer, fortis, bellicoſus. Confer *wetzen* incitare.

VITIGIS, eadem notione. R. Gothorum apud PROCOPIUM. GROTIUS exponit *ſapiens & fortis*, contra morem veterum, qui non ſolent duo adjectiva in eadem voce cumulare. Nummi hujus Regis habent DN. WITICES REX, errore monetariorum iſtius temporis, qui ſolent etiam ſculpere AUCUSTUS pro *Auguſtus*.

WITTIGISUS, eadem notione.

ILDIGES, nobilis geſus. Recurrit in *alt* nobilis, cum aliis ejusdem compoſitionis.

HILDEGIS, eadem notione.

ADALGIS, eadem notione, ab *edel* nobilis. Nomen Alamannicum in Indice GOLDASTI.

GISELICUS, fortibus par, cum fortibus conferendus. A *lic* ſimilis, par, æqualis. R. Alarici ex concubina filius, apud PROCOP. GROTIUS interpretatur *ſocialem*, ſatis frigide.

GISULPHUS, Geſus juvans. Dux Venetiarum, Alboini R. Longobard. nepos, apud P. DIACONUM.

Præter compoſita occurrit etiam ſimplex in nom. prop. & tribuitur nonſolum viris, ut GISO in Ind. Gold. ſed etiam fœminis. Inde GISA mulier fortis, nomen Amazonicum Reginæ Rugiorum ab Odoacro captæ.

Hactenus *Ges* fuit in honore. Poſtea (ut ſunt vocabulorum fata) cœpit vileſcere, & a viris fortibus transferri ad quoscunque viros, a viris ad famulos, & a famulis ad viliſſimum quemque. Inde Cambris *gwas* vir, famulus, de quo ſignificatu mox erit agendum, & Gallis hodiernis *gueux* mendicus, *gueuſerie* mendicitas. In qua voce explicanda ſplendide nugantur, qui illam quaſi e ſemine Latino prognatam, vel a *manganus*, vel a *quæſtus*, vel a *vagus* arceſſunt, vim rebus & auribus ſimul facientes.

GESUS, vir. Vox Britannica, quæ omnis ordinis & conditionis liberæ viris tribuitur. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *gwas* antiquis ſignificabat juvenem, adoleſcentem, virum, *gwas gwych* vir fortis, ſtrenuus. CAMBDENUS in Brit. *gwas dewr* vir fortis. Sed hiſce adjicialibus non opus erat olim, cum *gwas* adhuc ſe ſolo virum fortem denotaret.

GESUS, famulus. BOXHORN. loc. cit.

gwas, ſervus, famulus. Sic Armorici plur. *gwaiz* ſervi.

gwas yſtafell, camerarius, cubicularius, lecti-ſternitor.

gwaſtrawd, tenſarius, agaſo, equiſo, ſtrator.

gweſyn, ſervulus, dimin. a *gwas*.

gwaſanaeth, ſervitium, miniſterium. Sic Arm.

Hic ſignificatus apud Gallos & Wallones in eam prolapſus eſt vilitatem, ut *geus*, *geux* non amplius ſervum, ſed hominem vilem & mendicum ſignificet. Isque ſignificatus non tunc demum vulgatus eſt, cum nobiles Belgii ab initio motuum civilium, habitu pauperum adſumpto fundamenta conjurationis ponerent, quaſi ex vituperio gloriam captantes, ſed multis ſæculis ante. Quam facilis autem fuerit vocis a ſervo ad hominem vilem translatio, omnes vident.

GETOS, *getös*, tumultus, ſtrepitus, fragor. V. *döſen* ſtrepitum edere.

GETREID, omnis generis frumenta. Collectivum ab inuſitato *treid* frumentum, quod multorum judicio eſt a Lat. *triticum*. Quamvis etiam a *treten* calcare deduci poſſit, ut proprie ſit id, quod a bove ex manipulis calcando excutitur. Vide Antiquitates trituræ in verbo *dreſchen*.

GETREUW, fidus, fidelis. OTFRIDUS Lib. I. Cap. III. 89. *thaz uuil ih hiar gizellen gidriuuen ſinen allen*, hoc nunc volo enarrare omnibus fidelibus ejus. Idem Angloſaxon. *getrywe* Luc. XII. 42. Vide plura in ſimplici.

GETROST, confiſus & confidenter. A ſimpliciori *troſt* ejusdem ſignificatus.

GETUMMEL, *getümmel*, ſtrepitus. Proprie qui ſaltando vel equos circumagendo excitatur, poſtea omnis ſtrepitus, ut patet ex radice *tummeln*.

GEU. V. *gau*.

GEVATTER, pater luſtricus. Gloſſ. Pez. commatrem ſpiritualem *givatarun*. Quidam Vir doctus deduxit a Lat. *votor*, qui reſpondet Deo pro infante, quum per baptiſmum inauguratur. Quod acceptari poſſet, niſi ſuſceptor infantis Angloſaxonibus & hodie Anglis diceretur *godſæder*, velut pater dius, vel pater bonus. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *god-fæder* patrinus, parens myſticus, *god-moder* matrina, parens myſtica, *god-ſuna* filius luſtricus. Ergo vel vitium eſt in voce Francica & hodierna, ab oſcitantia pronunciantium commiſſum, vel præfixum *ge* erit nota ſimultanei, & ſignificabit eum, qui juxta patrem eſt, ut Gallis *compere*.

GEUDEN, largiri. V. *vergeuden*.

GEUS, mendicus. V. *geſus*.

GEW, pagus. V. *gau*.

GEWAD, veſtitus. V. *wad*.

GEWÆCHS. V. *wachſen*.

GEWÆR,

GEWÆR, cautio. V. *gewer*.

GEWÆREN, facere, præſtare. Gloſſ. Pez. facere *giuueran*, fecit *geuuerata*. NOTKERUS Pſal. XI. 7. *er geuueret alſo er geheizet, unde ſendet ſinen ſun*, fecit ut promiſit, & miſit filium ſuum. A *faren* facere, mutato F. in W. Hoc compoſitum noſtris temporibus eſt aliquanto aut penitus inſuetum.

GEWÆREN, gratificari, voti compotem reddere, *geweeret* voti compos factus, *gewærig, gewierig* facilis ad gratificandum. WILLERAMUS Cap. VIII. 1. *uuer ueeret mih des, daz ih dih bruoder min ſehe*, quis me voti compotem reddet, ut te mi frater videam? Formula loquendi ſynecdochica, qua genus ponitur pro ſpecie, *geweren* facere, pro *optata facere*.

GEWÆRIG. V. verb. antecedens.

GEWÆRTIG, exſpectans. Refer ad *warten* exſpectare.

GEWÆRTIG, in formula jurandi, *trew und gewertig ſeyn*, ſignificat fidelem & obſervantem eſſe; oriturque a *warten* obſervare, non quidem immediate, ſed per ſubſt. *giwurti* obſervantia, quo paſſim utitur OTFRIDUS, Scriptor obſcuriſſimus, ſed inter manus conſultiſſimi SCHERZII in multis ſplendidior factus. Vide Gloſſarium Schilterianum pag. 388.

GEWÆSCH. V. *waſchen* nugari.

GEWALT, vis, potentia, poteſtas, imperium, latiſſimo ſenſu. TATIANUS Cap. CCXLII. 1. *al giuualt in himile inti in erdu*, omnis poteſtas in cœlo & in terra. Dicitur & *walt* ſimpliciter. Utrumque a *walten* poſſe, regere. Hinc porro *gewaltig* potens, poteſtatem habens, Armorice *galluog*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXIII. 73. in reſponſione Domini ad Pilatum:

Ioh bin ih ouh giuueltig
Ubar ellu thinu thing.
Et poteſtatem quoque habeo
Super omnes res tuas.

GEWALTIGEN, quatenus formatur ab adjectivo *gewaltig*, valet quantum poteſt, (1.) cogere. (2.) in poteſtatem redigere. (3.) poteſtatem alterius nomine exercere. Inde *gewaltiger* in bello duo valde diverſa ſignificat, *judicem caſtrenſem*, quia Ducis nomine jurisdictionem in cauſis capitalibus exercet, *latruncularium* & *carnificem*, quia judicis ſententiam exequitur.

GEWAND. V. *wand*.

GEWAR, videns, animadvertens, *gewar werden* conſpicere, viſu vel alio ſenſu cognoſcere. Refer ad *waren* cernere.

GEWAR, *gewarſam*, cautus & curioſus, *ungewarſam* incautus & incurioſus. Refer ad *waren* curare, cavere, & confer *wer* cautio.

GEWARSAME, cautio, ſecuritas, cuſtodia. Subſtantivum ab adj. *gewarſam*.

GEWARR. V. *wirre*.

GEWARTEN, præſtolari, ſpe vel metu, *gewærtig ſeyn* opperientem eſſe. Refer ad *warten* exſpectare.

GEWEB. V. ſimplex.

GEWEHNEN. V. *gewönen*.

GEWEID, inteſtina. Collectivum a ſimplici *weid*.

GEWEIHE, cornua cervi, ſtylo venatorio. Significare poteſt, vel munimentum capitis, vel aliquid Diis ſacrum. VEREL. in Ind. *vige* munimentum. Gloſſ. Ker. ſacrum *uuihe*. SYMMACHUS Lib. V. Epiſt. 68. *Honori numinum datur cornua ſacrare cervorum, & aprinos dentes liminibus affigere*. VIRGILIUS Ecl. VII. 29. *Setoſi caput hoc apri tibi, Delia, parvus Et ramoſa Mycon vivacis cornua cervi*. Id eſt, tibi Diana dedicat more venatorio. OVIDIUS Met. XII. 266. *in alta Quæ fuerant pinu votivi cornua cervi*. Id eſt, Dianæ devota & in pinu fixa, qualia etiamnum multa viſuntur in ſylvis Germaniæ.

GEWER, arma. Collectivum a ſimpliciori & antiquiori *wer*.

GEWER, defenſio. V. ſimplex.

GEWER, cautio, *gewer leiſten* cautionem præſtare, pignore, ſponſione, vel alio modo. Gloſſ. Pez. cautela *geuueri*. Dicitur & *wer* ſimpliciter. Utrumque a *waren* cavere.

GEWER, poſſeſſio. Jus prov. Alam. Cap. CCIV. 1. *ſuuer geuuer hat iar und tag aun reht uuiderſprach, der hat reht geuuer daran*, qui per annum & diem ſine ullius contradictione probabili in poſſeſſione alicujus rei eſt, ille habet poſſeſſionem juſtam. Hic ſenſus, ſi quid video, oritur ab *eren*, αἴρειν, capere, occupare, per proſthefin Literæ W. Nam poſſidere quid eſt niſi occupare & capta tenere?

GEWERB, negotium. V. *werben* negotiari.

GEWERB, commercium. Proprie eſt verſura rerum, quæ commutatione & permutatione definitur, a *werben* mutare, permutare. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *gehwearfe* mutatio, *gehwyrfe* translatio, commutatio, converſio. Vocem ab antiquiſſimo Germaniæ ſtatu, quo res rebus mutabantur, teſte TACITO Cap. 5. de M. G. ad nos uſque perveniſſe, & poſtea cognito & recepto pecuniæ uſu, mercaturæ adhibitam eſſe, credibile eſt.

GEWERF, ſymbolum, collatio. Gloſſ. Pez. ſymbola *giuuerf*, collatione *giuuerfe*. Proprie eſt conjectaneum quid, a *werfen, gewerfen* conjicere. Eadem vis Græci vocabuli σύμβολον. Vide plura in ſimplici.

GEWICHT, pondus, gravitas. Angloſaxon. *gewiht*, apud BENSON. A *wegen* movere, ob rationes dictas in ſimplici *wucht*.

GEWICHT, pondo, menſura gravitatis. Gloſſ. Ælf. pag. 67. pondus vel pondo *gewyht*, dipondius *twegra pundra gewiht*. Rurſus a *wegen* movere, quia motus gravitatis eſt menſura ponderis.

GEWIERIG. V. *gewæren* gratificari.

GEWIMMEL. V. *wimmeln* ſcatere.

GEWINN, quæſtus, lucrum. Angloſaxon. *gewinne* apud SOMNER. & BENSON. Verbale

bale a *winnen*, *gewinnen* lucrari. Plures veterum ſignificatus vide in ſimplici.

GEWINST, lucrum. Derivativum a *winnen*.

GEWISS, certus. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XII. 65. *the iſt giuuis io ſo dag*, hoc certum eſt ſicut dies. Proprie eſt id, quod oculis vel mente videmus, vel aliis ſenſibus percipimus, ut nulla dubitandi cauſa ſuperſit, a *wiſſen* cernere, ſcire, cognoſcere. Nam ab his teſtibus pendet omnis certitudo. Hinc etiam Latinis *certus* a cernendo dicitur. Vide plura in ſimplici *weiß* certus.

GEWISSEN, conſcientia. Duplex eſt, alia, quæ bene vel male factorum ſibi conſcia eſt, alia, quæ dictat quid faciendum aut omittendum ſit. Illa ſic dicitur a *wiſſen* ſcire, conſcire: hæc a *wiſen*, *weiſen*, indicare, monſtrare. Utraque eſt dos animæ rationalis a primordio rerum, & in omnibus ſe exerit eodem modo, qui vel facta ſua vel prima naturæ ſcrutantur. Utraque eſt teſtis & judex in cauſa ſua, & prout a nobis tractatæ ſunt, ita nos viciſſim tractant.

GEWISSEN, religio, *ſich ein gewiſſen machen* religioni ducere. Proprie eſt ipſum dictamen faciendorum aut omittendorum, & dicitur religio, quatenus cum metu gravandi conſcientiam conjunctum eſt. Inde *gewiſſenhaft* religioſus, qui conſcientiam dictantem offendere metuit.

GEWITTER, tempeſtas, *ungewitter* intempeſtas. V. *wetter*.

GEWOGEN, bene vel male affectus, *wolgewogen* propenſus, *übelgewogen* male affectus, *gewogenheit* favor, benevolentia. Nova, ſed legitime facta a motu animi. V. *wegen* facere ut velit.

GEWOLB, *gewölb*, opus fornicatum. SOMNER. in Dict. Angloſax. *hwalf* convexus, *hwalfian* camerare, fornicare. Hoc a Lat. *volvere*, quia fornix eſt arcus qui per flexionem in ſe verti videtur. Ita Italis a *volutare* fit *volta* teſtudo, concameratio.

GEWONEN, ſueſcere, conſueſcere, in more & uſu habere, *gewont* ſuetus, aſſuetus, *gewönlich* ſolitus & rite, *ungewönlich* inſolitus, inuſitatus, *gewonheit* conſuetudo, mos agendi vel utendi. Originem vide in *wonen*. Quam pulcre verba vetera cum his compoſitis conſentiant, patebit ex ſequentibus Gloſſis. SOMNER. in Dict. Angloſax. *gewunian* aſſueſcere, exercere, *gewunod* conſuetus, ſolitus, *gewuna* conſuetudo, mos, uſus, ritus, *gewunelice* ſolitus, aſſuetus, conſuetus, adverb. rite. Gloſſ. Keron. ſolent *kiuuonent*, ſolito *kiuuonin*, more ſolito *ſitiu keuuonamenu*, conſuetudinem *kiuuonaheite*, ex conſuetudine *ſona keuuonaheit*. Gloſſ. Boxh. *unkiuuon* inuſitatum. In Codice Argent. conſuetudo vocatur *biuhti* Joh. XVIII. 39. *biuhti izwis iſt*, conſuetudo vobis eſt. Et ſic paſſim. Quo ſenſu, vide in *achten* obſervare.

GEWONEN, *gewönen*, aſſuefacere, facere ut conſueſcat, *ſich gewönen* aſſuefieri, *an ſich gewönen* allicere. Verbum faceſſens ex præcedenti. Vide plura in ſimplici.

GEWURBIG, *gewürbig*. v. *werben* negotiari.

GEYER. V. *geir*.

GEZIEMEN, decere, convenire, *geziemend* decens, conveniens, *es geziemet* decet, convenit. Codex Arg. Luc. V. 36. *ni gatimid thamma fairnjin*, non convenit veteri. Nova ſcil. commiſſura veſtimento. Gloſſ. Pez. convenit *gizam*, convenerit *gizeme*. Belgæ dicunt *het betaemt* decet. Angli *it beſeemeth*. Quo ſenſu, vide in ſimplici. Præcipuum Francorum compoſitum, & elegantia ſua commendabile, eſt *ungizunfti* indecentia, quo utitur OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXIII. 217.

Uuir hirun zi ummeze,
Hiar enmizen mit hazze,
In ſuntono ſunftin,
Mit grozen ungizunftin.
Vertit SCHILTERUS:
Nos ſumus immodice
Hic perpetim cum odio
In peccatorum palude
Cum magna confuſione.

Malim, *cum magna indecentia*. Quid enim naturæ humanæ probroſius, quam illa vitiorum ſentina? Hodie dicimus *ungebin*, quam optime. Sed nihil obſtat, quo minus etiam dicamus *ungezunft*, in tanta vocabulorum indigentia.

GEZUCHT, *gezücht*, fœtus, progenies. V. *zucht*.

GIBEL, faſtigium ædificii. Vox Gothica, quæ extat in Cod. Arg. Luc. IV. 9. *gaſtoda ina ana giblin alhs*, ſtatuit eum ſuper pinnaculum templi. Idem Belgis *gevel*, Danis *gafft*, Suecis *gafwel*. Hujus vocis tres afferri ſolent origines, Hebræa, Græca, Germanica. Germanicæ auctor eſt KILIANUS in Etymol. Belg. ubi *gevel* deducit ab *heben* levare, ſurſum tollere, ſic ut proprie ſit *gehevel* elevatio, prominentia. JUNIUS vocem Gothicam deſumptam putat a κεφαλὴ caput, quia cacumina ædium idem ſunt quod caput in humano corpore. HELVIGIO eſt ipſa vox Hebræa *gaph* ſummitas, eminentia, pinnaculum, vel a *gabal* limitavit, terminavit. Namque extrema, inquit, domum claudunt faſtigia.

GICHELN, ſcurram agere, cachinnari, & alios ad cachinnum movere. Anglis *to gigle*, Græc. κιχλίζειν. Dicitur etiam *gauckeln*. Utrumque ſpectat ad familiam *des gauch* ſtultus & ludio.

GICHEN, confiteri. Gloſſ. Keron. confiteri *gehan*, confitebitur *gihit*, confitemini *gehat*. Jus prov. Alam. Cap. CCXIX. 2. *und giht, er habe ſinen ſchub*, ſi confiteatur ſe habere in quem culpam transferat. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIII. 9. *ih gihu thaz ir hortut*, confiteor quod audiſtis. NOTKERUS Pſal. XXXI. 5. *ih iehe Gote mines unrehtes*, confitebor Domino injuſtitias meas. Originem vide in verbo ſororio *jehen*.

GICHT,

GICHT, confeſſio, *urgicht* confeſſio judicialis, *gichtig ſeyn* confitentem eſſe. Cuncta legitime facta a *gichen* confiteri. A *gicht* antiquitas formavit *bigicht* confeſſio, quod poſteritas contraxit in *beicht*.

GICHT, dolor artuum vel inteſtinorum, *darm-gicht* paſſio iliaca, *gicht an hænden* chiragra, *gicht an füſſen* podagra, *lauffende gicht* dolor vagus, *gichtbrüchig* qui morbo articulari contabeſcit, a *brechen* tabeſcere. Forte a Gr. ἄχθος dolor, cruciatus, moleſtia, per proſthefin literæ G.

GICHTEN, cruciare, dolore vel moleſtia afficere. Gr. ἀχθῶν. In foro dicitur de cruciatu, quo reus ad confitendum adigitur. Inde *gichten* torquere, quæſtioni admovere, *gichter* tortor, carnifex, apud HENISCHIUM in Theſ. L. Germ.

GIENEN, *gænen*, *jænen*, hiſcere, hiare. Angloſaxonibus *cinan*, *geonan*, *genian*, Francis *ginon*, *geinon*, Island. *gina*, Græc. χαίνω. Gloſſ. Pez. oſcitavit *geinota*. NOTKERUS Pſal. XXI. 14. *ſie gineton gagen mir alſo der leuuo ſo er zucchet*, aperuerunt ſuper me os ſuum ut leo rapiens. SOMNERUS verbum Saxonicum recte derivat a *gyn* rictus, quod Gothicum vocat. Vocem cum ſua familia exhibet VERELIUS in Ind. *gin* rictus, *gina* rictum expandere, *ginandi* rictum expandens. Quemadmodum igitur Latinis ab *os* fit *oſcitare*, ita noſtris a *gin* rictus, quod Islandicum eſſe vidimus, *gienen* hiſcere, rictum expandere. Rictus autem ſic dicitur a χάω hio.

GIER, cupidus. Idem quod *ger*.

GIER, cupiditas, aviditas. A *geren* cupere. Dicitur ſenſu latiſſimo de quovis appetitu, rationali, concupiſcibili, ſenſitivo, iraſcibili. Gloſſ. Pez. aviditate *geri*. VERELIUS in Ind. *gior* ingluvies, *giri* avaritia. Hodie utimur compoſitis *begier* cupiditas, *rach-gier* vindictæ cupiditas.

GIERDE, cupiditas, aviditas. A *gier* cupidus, per medium derivandi *de*. Gloſſ. Keron. concupiſcentia *kirida*. Inde Francis *girdinon* cupere, deſiderare, quo utitur TATIANUS Cap. LXXIV. 8. *manage uuizagon inti rehte girdinoton giſehan*, *thiu ir giſehit*, multi prophetæ & juſti cupierunt videre, quæ vos videtis.

GIERIG, promptus. A *ger* ultro, ſponte. NOTKERUS Pſal. LXVII. 11. *demo durftigemo habeſt du gegareuuet kirigin uuillon kuotiu uuerch ze tuonne*, egenti paraſti promptam voluntatem ad faciendum opus bonum.

GIERIG, cupidus & cupide. NOTKERUS Pſal. XLI. 3. *mina ſela iſt durſteg, daz chit, ſi iſt kereg ze demo lebenden Gote*, anima mea eſt ſitiens, h. e. cupida ad Deum viventem. Locum obſervavit SCHILTERUS in Gloſſ. Hinc fortaſſe *Bellona* Angloſaxonibus dicitur *wæl-cyrig*, quaſi cædis avida. Nam *wæl* eadem Dialecto eſt cædes, clades, ſtrages. Dicitur autem de omnibus vehementi aliqua cupiditate affectis. Inde Suecis *girigh* avarus, *girigheet* avarities & fames. Cuncta a *gier* cupiditas, per terminationem *ig*, quæ ex cupiditate facit cupiditate præditum.

GIERLICH, cupide. Gloſſ. Boxh. *kirilicho* avide. Hodie *begierlich* eſt appetibilis.

GIESSEN, ante denotavit *fluere* quam *fundere*. Isque ſignificatus cognoſcitur ex quam plurimis derivatis tam veterum quam recentiorum, cujusmodi ſunt,

uſargutana mitadi, menſura ſupereffluens, in Evang. Goth. Luc. VI. 38. Vox a JUNIO omiſſa, a STIERNHIELMIO tacta, ſed non explicata. Interpres TATIANI vertit *ubarfluzentaz mez* ſupereffluentem menſuram, Cap. XXXIX. 4. LUTH. *überflüſſig*, quod idem.

irgiuzan, redundare, quod Francicum. Gloſſ. Pez. redundans *irgiozantiu*, redundet *irgiuzit*. Redundare autem eſt ſuperfluere, non ſuperfundere.

giozo, fluvius. Interpreti TATIANI eſt fretum Cap. L. 3. & Cap. LIII. 1. forte quia fretum, dum æſtuat, fluere & refluere videtur.

guſu, flumina, apud eundem Cap. XLIII. 1.

cuſſi, adluvio, in Gloſſ. Boxh.

cuſſa, inundatio, in Gloſſa antiqua apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 117.

weter-geote, aquagium, in Gloſſario ÆLFRICI.

gota, canalis, tubus, per quem aqua decurrit, inter voces Latino-Barbaras apud CANGIUM.

gutta, fluxio, catarrhus, apud eundem.

Et huc etiam ſpectant ex hod. Dial. *goſſe* colluvies, item canalis, ubi aqua confluit, *guß* fluor, inundatio, & fortaſſe etiam alia.

GIESSEN, fundere, effundere. Goth. *giutan* Marc. II. 22. Angloſax. *geotan*, Franc. *giezen*, *giozen*, Belg. *gieten*, Scand. *giuta*, Græc. χύσαι, & inde χύσις fuſio. TATIANUS Cap. CLX. 2. *this iſt min bluot thas furi juuih ergozzan uuirdet*, hic eſt ſanguis meus qui pro vobis effundetur. Verbum faceſſens ex præcedenti. Quid enim eſt fundere, niſi facere ut fluat?

GIESSEN, conflare. Gloſſ. Pez. confletur *gigozan uurti*. Gloſſæ Junianæ in Obſ. ad Will. pag. 117. *gegozzen* fuſile, *kicozzenaz za ſamane* conflatilem. Inde *gieſſer* conflator metalli, cujus ſpecies ſunt *ſtück-gieſſer*, *rot-gieſſer*, *zinn-gieſſer* &c.

GIESS-FASS, gutturnium. Gloſſ. Pez. infuſoria *guzvaz*.

GIFT, donum, ſenſu optimo & antiquo, a *geben* dare. Angloſax. Franc. Alam. Belg. & Angl. *gift*. Inde *Gotes gift* donum Dei, in Colloquio Chriſti cum Samaritana apud OTFRIDUM Lib. II. Cap. XIV. 46. Hodie occurrit in *mit-gift* dos, & *begiften* donare, dotare.

GIFT, venenum, donum ſenſu peſſimo, ſed novo & priſcis ignoto. Quid mirum? cum res ipſa diu fuerit ignorata. Hinc Adgandeſtrius Cattorum princeps mortem Armi-

nii Romanis promittit, *ſi patrandæ necî venenum Roma mitteretur*, memorante TACITO Annal. II. Cap. ult.

GILDE, in multis ſignificationibus convenit apud veteres cum *gelt* & *gilt*, ejusdem proſapiæ vocibus, prout fidem faciet adſpectus. Interim diverſa vocis ſcriptura moleſtiam nobis impoſuit, ut ſingula fuerint expendenda.

GILDE, pretium, valor, æſtimatio, a *gelten* valere. SOMNER. in Dict. Angloſax. *orf-gyld* rei pretium, *ceap-gyld* rei furto ablatæ pretium, *hyd-gyld* cutis vel corii pretium, puta ne vapulet.

GILDE, reparatio damni. Archæologiam, etymologiam, & magnum compoſitorum proventum invenies in *gilt* mulcta.

GILDE, tributum imperatum, cenſus, vectigal, & ſimilia, principi vel reip. ſolvenda, a *gelten* tribuere, præſtare. Inde Gothis *gild giban* tributum dare Luc. XX. 22. *kaiſaragild* tributum Cæſari debitum Marc. XII. 14. *gilſtrameleins* (lege *gildameleins*) deſcriptio cenſus Luc. II. 2. Angloſaxones eodem ſenſu dicunt *gild* apud SOMNER. & BENSON. Latino-Barbari *geldum* & *gildum*. Horum varia genera recenſet SPELMANNUS, hinc inde diſperſa in Gloſſ. Arch. ut ſunt, *Danegyld* tributum Anglis indictum ob pacandos Danos vel arcendos, *wodegild* tributum de nemoribus, *ſenegild* tributum de armentis, *hornegild* tributum de animalibus cornutis, *ſorgild* tributum de fumariis, a *ſot* fuligo. Quibus addere licet ex Indice VERELIANO *nefgildi* ſolutio pro cujusque naſo. Ejusdem proſapiæ eſt *gilt* reditus, quod vide.

GILDE, tributum voluntarium, oblatio, collecta. Inde *godgild* & *deofol-gild* quod Deo vel Diabolo offertur, in Præf. LL. R. Alvredi. A *gelten* dare, offerre. Quod propter ſequentia obſervandum, quamvis a conſuetudine dicendi abductum ſit.

GILDE, ſocietas, ſodalitas, fraternitas, quacunque de cauſa inita. Angloſax. *gild* apud SOMNER. & BENSONIUM. Latino-Barbaris *gelda*, *gilda*, *geldonia*, *gildonia* apud CANGIUM. Primus ſenſus haud dubie a pecunia deſumptus eſt, quam inituri ſocietatem in communes uſus conferebant. Refer ergo ad *gelten* dare, offerre. Poſtea de omnibus dici ſocietatibus cœpit. Inde

diobol-gelde, diaboli ſocietas, in Abrenunciatione antiqua apud ECCARDUM in Cat. Theot. pag. 78.

fryth-gyld, fœderatorum ſodalitium, apud SOMNER. & BENSON.

caland-gilde, ſocietas Calendariorum, apud KEYSLERUM in Ant. Sept. pag. 359.

GILDE, compotatio, ſocietas convivantium. Unde, niſi a ſymbolis, quas in commune conferre ſolent, qui conviuantur? VEREL. in Ind. *gilldi* conventus convivales tam ſacrorum cauſa quam genio indulgendi. Cur ſacrorum cauſa? Quia Septemtrionalibus ſolemne erat quotannis *convivia Julia*, h. e. comeſſationes publicas ob reditum Solis celebrare, facta ab omnibus cibi & cereviſiæ in communem uſum collatione. Inde Cambris remanſit *gildio* compotationum expenſas ſolvere.

GILDE, collegium mercatorum, artificum, opificum. Senſus vocis hodiernus, a collectis vel compotationibus deſumptus.

GILT, donum. Habuimus ſupra *gelt* eodem ſenſu, ſi conferatur cum *gelten* dare, offerre, unde vocis initium. Hinc interpretationem accipit vox difficilis Longobardica *launechild*, quæ in Legibus ejus gentis paſſim occurrit, cujus vim Gloſſographi nondum adſecuti ſunt, excepto tamen CANGIO, qui *donum reciprocum* rectiſſime interpretatur. Sed hoc donum non eſt *compenſatio rei donatæ*, ut videtur exiſtimare SOMNER. in voce *lean*, ad quem CANGIUS nos remittit, & multo minus donum æquivalens; ſed grati animi ſignificatio, cujusmodi retributio lingua Gothica dicitur *laun* Luc. VI. 32. *aththan jabai frijod thans frijondans izwis*, *hwa izwis laune iſt*, & ſi diligitis eos, qui vos diligunt, quæ vobis eſt gratia? Ubi interpres Angloſaxonicus habet *thanc*, LUTHERUS *danck*, h. e. gratiarum actio. Ergo *launechild* eſt donum quidem reciprocum, ſed eucharifticum tantum, quo alterius donationem gratam nobis eſſe teſtamur. Et absque tali munuſculo nulla donatio valida erat moribus Longobardicis, quia invito non datur beneficium.

GILT, reditus ex fundo. VEREL. in Ind. *gild* tributum, *aakergiæld*, *ængagiæld* quod domino pro uſu fructu agri & prati a colono ſolvitur. Proprie eſt tributum, præſtatio, cenſus, penſio, a *gelten* tribuere, præſtare. Inde *giltbrief* literæ redituum, *giltbør acker* ager vectigalis. Hodie annuæ præſtationes ruſticorum etiamnum vocantur *gilten* apud Suevos. Sororium eſt *gilde* tributum imperatum, quod vide.

GILT, mulcta. VEREL. in Ind. *gild* mulcta, *gield*, *giald* debitum ob delictum a Judice impoſitum nomine mulctæ. Idem Angloſaxonibus *gild* in compoſitis, Latino-Barbaris *geldum*, *gildum*. Salicam vocem vide ſupra in *gelt* compenſatio. Etymologia varia eſſe poteſt, pro diverſa mulctæ conſideratione. Enim vero ſi reum ſpectes, mulcta eſt pœna a *gelten* luere: ſi læſum, compenſatio a *gelten* reddere valorem pro damno: ſi æſtimationem a Lege vel Judice factam, pretium hominis occiſi, animalis furtivi, & cujusque læſionis aut damni, a *gelten* pecunia æſtimari. Nam hæc omnia in notione mulctæ conveniunt, quæ certe, ſi forum antiquo-Germanicum ſpectes, nihil aliud eſt, quam pœna pecuniaria, qua damnum cogitur compenſare is, qui damnum fecit, ſecundum æſtimationem a Lege vel Judice factam. Hujus mulctæ variæ erant ſpecies apud Antiquos, ut ex compoſitis patet, cujusmodi ſunt,

twergelt,

wergelt, pretium hominis occiſi. V. vocem in loco.

wergelt, compenſatio damni. V. vocem in loco.

widrigilſ, *wedrigeld*, mulcta ſolvenda ſecundum pretium, quo damnum æſtimatur, ſive damnum factum ſit in fama, ſive in corpore, ſive in bonis &c. Vox Longobardica, in qua *widri* vel *wedri* transpoſitum eſt ex *wirdi*, *werde*, *wert* pretium, ſecundum opinionem præſtantiſſimi interpretis VERELII in Indice pag. 288. Hoc certe malo, quam *widri* deducere a *wider* contra, adverſus, quod facit ECCARDUS in not. ad Leg. Sal. pag. 97. Nam hæc particula hoc loco non poteſt eſſe adverſativa, & multo minus retributiva. Et longe veroſimilius eſt, Longobardos eam vocem a pretio damni formaſſe.

eynegild, ſatisfactio quam recipit univerſa domus occiſi ab interfectore, a *eyn* genus, cognatio. Vide SPELMANNUM in *cenegild*.

thegengillidi, portio mulctæ regi debita propter cædem liberi hominis, interprete VERELIO in Ind. V. *degen*.

all-gilldi, totius damni reparatio, *half-gilldi* dimidiæ partis reparatio, eodem interprete.

angildum, compenſatio ſimplex, in Legibus Inæ & Alvredi Regum, apud SPELMANNUM.

twigildum, compenſatio dupla, apud eundem.

trigildum, compenſatio tripla, in Lege Burgund. Tit. LXIII. 7.

octogildum, compenſatio octupla, in Legibus Alamannorum & Longobardorum.

novigildum, compenſatio nonaria, in Lege Burgund. Tit. IX.

triniumgildum, triplum novigildum, mulcta ter novies ſolvenda, a *niun*, *neun* novem, in Lege Bajuvar. Tit. XIII. 2.

Germani hodie nulla (præter *wergelt*) agnoſcunt compoſita. Reſtat tamen ſimplex apud Sicambros, quibus *gilten* ſunt mulctæ, ut ſæpe coram audivi.

GILT, debitum ſponte contractum. Jus prov. Alam. Cap. 300. *wen man umb gilt vaben ſol*, quis ob debita poſſit in captivitatem redigi. Scribitur & *gült* ibidem §. 10. Unde mihi videatur eſſe, jam dixi in *gelt* debitum.

GILT, delictum. Evang. Angloſax. Matth. VI. 12. *and forgyf us ure gyltas*, & remitte nobis debita noſtra. Id eſt, delicta. SOMNER. in Dict. Angloſax. *gilt*, *gylt* delictum, noxa, reatus. Hodie Anglis *guilt*. Senſus a debito ad delictum translatus, quia delicta omnium gentium conſenſu habentur pro debitis, & delinquentes pro debitoribus, qui Legibus pœnas debent. Vel delictum ſic dicitur quaſi piaculum, a *gelten* luere. A *gylt* antiquitas Saxonica formavit *gyltan*, *agyltan* delinquere, item reum facere, *gyltend* delinquens, *gyltig* reus, & alia apud SOMNER. & BENSON. unde Anglis remanſit *guilty* pro ſonte vel reo.

GILTEN, tribuere, præſtanda præſtare. V. *gelten* ejusdem ſignificatus.

GILTEN, luere. V. *gelten* ejusdem ſignificatus.

GILTIG. V. *gelten* valere.

GIMPEL. V. *gümpel*.

GINNEN, incipere. BENSON. in Voc. Angloſax. *gynnan* inchoare. TATIANUS Cap. CLV. 2. *gonda thuuahan fuozzi*, cœpit lavare pedes. Contractum ex *ge-innen*, quod eſt a ſimpliciori *innen*, & hoc ab *an* principium. VEREL. in Ind. *inna* ſermonem ingredi vel ordiri. De particula *an* vide plura in loco. Hodie utimur compoſito *beginnen*, & inde *anbeginn* initium.

GIPFEL, in nulla re differt a *gibel*, niſi quod (uſu ita volente) paulo latius pateat, & nonſolum de cacumine domus, ſed etiam turris, montis, honoris &c. dicatur. Differunt autem *gipfel* & *wipfel*, etiamſi G. & W. ſæpe permutentur. *Wipfel* eſt cacumen mobile, *gipfel* immobile.

GIPS, gypſus, γύψος. Exoticum.

GIRREN, gemere. Uritur Luth. de gemitu columbæ Eſa. XXXVIII. 14. Recurrit in *kirren*, quod vide.

GISEN, poſſe, valere. Verbum antiquiſſimum, ſed a nulla, quod ſciam, Dialecto, niſi Islandica cuſtoditum. VEREL. in Ind. *geta*, *gita* poſſe, valere, *gieta* valere. Gloſſ. Reenhielm. *geta* poſſe. Inde *gaſt* potens, & *geſus* adjective fortis, ſubſtantive vir fortis, quæ vide ſuis locis. Græca ἰσχύω valeo & ἰσχὺς robur videntur reliquis cognata.

GISEN, prævalere, obtinere, adipiſci. Angloſax. *getan*, *gytan*, apud SOMNER. & BENSON. Inde Anglis remanſit *to get* nanciſci, & *to get above* vincere, ſuperare.

GISSEN, proprie eſt imaginari, & originem ſuam refert ad Scythicum *gied* animus, quod habet VERELIUS in Ind. Vel certe abſciſſum eſt a Græc. εἰκάζω imaginari, quod eſt ab εἰκὼν imago. Hoc ſenſu etiamnum ſuperat in compoſito antiquo *vergeſſen* obliviſci, id eſt, non amplius imaginari.

GISSEN, conjicere, conjecturam facere. Angloſaxonibus *getan*, Island. *gieta*, Suec. *giſſa*, Angl. *to gueſs*, Belg. *giſſen*. BENSON. in Voc. Poët. *getan* conjecturam facere. VEREL. in Ind. *gieta* conjicere, *gata* conjectura. Rurſus a *gied* animus. Quemadmodum enim ab *anda* ſpiritus fit *anden* ominari, a *mut* animus *vermuten* augurari; ita a *gied* animus immediate oriri poterat *giſſen* imaginari & *giſſen* conjicere. A *giſſen* conjicere, conjectura Belgis dicitur *gis*, *giſſing*, Suec. *gisning*, Island. *gata*.

GISSEN, quatenus ſignificat *conjicere*, dicitur antiquitus nonſolum de conjecturis & ſuſpicionibus, ſed etiam de auguriis, divinationibus, & præſagiis futurorum, quia ſcientia eorum non eſt evidens, ſed conjecturalis tantum. VEREL. in Ind. *geta* memorare, *fauragatan* prædicere, *gata* conjectura,

ctura, præſagium, ænigma. Hinc GISALA, quatenus eſt nomen fœmineo generi proprium, videtur denotare Druydem, mulierem fatidicam, & futuri præſciam, reliſtumque ab iis temporibus, quibus ſanctum aliquid & providum ineſſe fœminis vulgo creditum eſt, de qua perſuaſione agit TACITUS Cap. VIII. de M. G.

GITTER, tranſenna, feneſtra reticulata, & hinc fortaſſe nomen e Gr. διϛυο rete, per metatheſin. Nam ſimiles feneſtræ Græcis vocantur διϛυωλαι. Differt a *gatter* ſeptum, quod non proſpiciendi, ſed cuſtodiendi & muniendi cauſa factum eſt.

GLÆR, cæſius, glaucus, *gleræugig* glaucos oculos habens, *eyer-glar* album ovi, proprie glaucum. Vox Celtica, ſed e genuina *glas* glaucus, lividus, cæruleus, qua etiamnum utuntur Cambri, corrupta, elemento S. in R. mutato. Inde Angloſaxonibus *gleſen eage* oculus cæſius, non a *glas* vitrum, ſed a *glas* glaucus. Nec aliunde Græcis γλαυξ noctua, quam ab oculis cæſiis. A *glas* porro eſt *llaſar* cæruleus apud Cambros, noſtris *laſur*, unde Latinis *lazulus* lapis ejusdem coloris.

GLANZ, ſplendor, *glænzen* ſplendere. Utrumque per epentheſin ex antiquiori *gleiſſen*, *glitzen* ſplendere, auctoribus Francis. NOTKERUS Pſal. XXXV. 10. *klanzlieht ſone gelanze liehte*, lumen ſplendens de lumine ſplendido. Gloſſ. Pez. nitidus *glanzara*.

GLAS, vitrum. Angloſax. *gles*, Francis & Armor. *glas*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *gles* vitrum, *gleſen* vitreus, *gles-fæt* calix vitreus. WILLERAMUS Cap. VIII. 6. *daz lieht in demo glaſeuazze*, lumen in vaſe vitreo. Refer ad *gleiſſen*, *glitzen* ſplendere, quia vitrum eſt ſubſtantia ſplendida & pellucida. Et hujus quoque originis eſt *glaſſo*, quod Lithuanis & vet. Pruſſis vitrum ſignificat. In quibusdam Dialectis obtinet *gler*, quia ſcil. S. & R. continuo permutantur. VEREL. in Ind. *gler* quod nitet, ſplendet, & lævum eſt, ut vitrum, cryſtallum, *gler* vitrum, *glerpott* olla vitrea, *glerhimin* cœlum cryſtallinum, *glergluga* feneſtra vitrea. Sed *glas* antiquius eſt, & origini propinquius. A *glas* eſt *glaſur* encauſtum vitreum.

GLAST, ſplendor. Utitur Eccleſia in Hymno pentecoſtali ad Spiritum S. *o herr durch deines liechtes glaſt, zu dem glauben verſamlet haſt* &c. Refer ad eundem fontem. A *glaſt* rurſus fit *gliſter* micare, coruſcare, apud Anglos, unde Belgis *glimſteren* per epenth. eodem ſenſu.

GLAST, *gleſt*, omnis materia, quæ igne colliquata nitorem lævoremque fictilibus ſuperinducit. Ejusdem originis.

GLAST, ſtatis, herba cujus ſuccus cæruleum efficit colorem. Vox antiquo-Gallica vel Britannica, quæ Latinis effertur *glaſtum*. CÆSAR Lib. V. de B. G. Cap. 14. *Omnes ſe Britanni glaſto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem.* PLINIUS Lib. XXII. Cap. 1. *Simile plantagini glaſtum in Gallia vocatur, quo Britannorum conjuges nuruſque toto corpore oblitæ, quibusdam in Sacris & nudæ incedunt, Æthiopum colorem imitantes.* MARTINIUS vocem Britannicam confundit cum Germanica *glaſt* ſplendor, ſed perperam. Non omnis enim ſplendor eſt cæruleus, & aliunde ſatis conſtat, quod Celtica Lingua *glas* ſit cæruleus. Hoc ſenſu ſuperat apud Cambros, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. A *glas* autem recte fit *glaſt* ſtatis. Nam T. ex adjectivis facit ſubſtantiva. Vide *Proleg.* Sect. VI. & confer *glær*.

GLASUR. V. *glas* vitrum.

GLAT, ſplendidus, coruſcus, fulgidus. Gr. ἀγλαὸς. Utitur OTFRIDUS Lib. II. Cap. I. 25.

Er mano rihti thia nabt,
Joh uuurti ouh ſunna ſo glat.

Vertit SCHILTERUS:

Antequam Luna rexit noctem,
Et factus eſt Sol tam ſplendidus.

Hic primus vocis ſenſus, a *glitzen* ſplendere oriundus, qui poſtea ad omnia ſplendore inſignia, cujusmodi ſunt *lubrica*, *polita*, *glabra*, translatus eſt. Cum Francica voce convenit Cambrica *llathr* eodem ſignificatu.

GLAT, lubricus. Angloſax. Franc. & Angl. *glid*. Gloſſ. Lipſ. *glidir* lubricum. Idem Græcis γλοιὸς, γλοιώδης, & γλίχρος. MARTINIUS in voce *lubricus:* Videmur, inquit, *glatt* feciſſe a *gelatus*. At quam multa ſunt lubrica, quæ non ſunt *gelata?* Magis ex re eſt, ut ſenſum a coruſco ad lubricum translatum credamus. Nec *glacies* aliud eſſe videtur quam *glat-eis*. Verba ab hoc adjectivo oriunda vide in *gleiten* & *glitſchen*.

GLAT, lævis, politus, *gletten* polire, lævigare, *glette* lævor, planities fulgida.

GLAT, glaber, *glatze* calvitium. ARISTOTELES Lib. III. Hiſt. anim. Cap. II. *Capitis lævitatem calvitium nuncupamus.*

GLAT, hilaris, *eine glatte hur* ſcortum hilare. Gloſſ. Keron. hilarem (animum) *clatan muatan*. Idem Angloſax. *glade*, *gład*, *gład-mod*. Similia extant in Lingua Anglica, Islandica, Suecica. Cuncta a Lat. *lætus* per proſtheſin.

GLAUBE, *gelaube*, fides, fiducia, aſſenſus. Gothis *galaubei*, & in accuſandi caſu *galaubein* Matth. VIII. 10. Angloſax. *geleaſa* ibidem, Francis & Alam. *geluua*, *giloubo*, *kelauba* &c. Belg. *geloof*. Gloſſ. Keron. fide *kelauba*, fidei *kilauba*. Gloſſ. Lipſ. *geluvi* conſenſu. TATIANUS Cap. XLVII. 6. *ni fand ih ſo mihilan giloubon in Iſrael*, non inveni tantam fidem in Iſrael. Subſtantivum a verbo ortum, non vice verſa.

GLAUBEN, *gelauben*, credere, fidem & aſſenſum præbere. Gothis *galaubjan* Joh. XII. 39. Angloſax. *gelyfan* ibidem, Franc. & Alam. *gilouban*, *kelauban* &c. Belg. *gelooven*. Gloſſ. Keron. credimus *kilaubames*, credamus *kelaubpames*, creditur *iſt kelaubit*. TATIANUS Cap. CCXLII. 4. *ther thar*

thar giloubit inti gitoufit uuirdit, ther uuirdit heil, ther thar aber ni giloubit, ther uuirdit forniderit, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit, qui vero non crediderit, condemnabitur. Oritur, non a *lauben* concedere, permittere, quod in negotio religionis & fiduciæ nimis frigidum; ſed a *laub* credere, fidem adhibere, quod eſt a *law* manus, quia fides omnium Theologorum conſenſu eſt manus, quæ Deum & res divinas apprehendit. Vide plura in *law* & *lauben*.

GLEF, haſta, lancea, fariſſa. Suec. *glafwen*, Lat. Barb. *gleva*, *glavea*. Utitur Verſio Tigurina Nahum. III. 3. *da erglaſtend und glitzend die ſchwerter und gleſen*. Ubi Luth. *mit glæntzenden ſchwerdten und blitzenden ſpieſſen*. STADENIUS, qui hunc locum adduxit, exiſtimat, *gleſ* nihil aliud denotare quam lignum fiſſum a *klöben*, *klöfen* findere, in Voc. Bibl. pag. 357. Sed fallitur vir eximius. Nam *glaif* Cambro-Britannis eſt falx, & *glaive* Gallis & Anglis gladius. Ergo vel alia radice opus eſt, quæ ſingulis ſignificatibus reſpondeat: Qualis poſſit eſſe γλύφειν polire, quia omne telum eſt ferrum ſplendens & politum, nec aliter acui poteſt, niſi lævigando: Vel, ſi priori inhærendum, *gleſ* potius telum findens, quam lignum fiſſum denotabit. Scribitur antiquitus *glev* & *glevie*, quod multis teſtimoniis e Bibliis Lubecenſibus & aliunde depromptis oſtendit Vir Clariſſ. a SEELEN in Sel. Lit. pag. 235. A *glev* porro eſt *glevener* lancearius, qui cum antiquitus eſſet eques quatuor peditibus ſtipatus, novæ notationi anſam dedit, ut quinque milites *una glæva* dicerentur, per metonymiam ſigni pro ſignato.

GLEICH, *geleich*, ſimilis. Gothis *galeiks* Joh. VIII. 55. Angloſaxon. *gelic* ibidem, Franc. & Alam. *gilih*, *kalih* &c. TATIANUS Cap. LXXIII. 1. *uuemo iſt gilih Gotes ribbi? inti uuemo uuanu ih thaz iz gilih ſi?* cui ſimile eſt regnum Dei? & cui ſimile eſſe æſtimo illud? Cuncta a ſimpliciori *lich*, quod vide in *leich*. A ſimilibus eleganter transfertur ad æquales, ab æqualibus ad ea, quæ ſuperficiem habent æqualem, ut plana, vel in partes æquales dividi poſſunt, ut numeri pares, vel aliis rebus commenſurantur, ut tempus. Atque hinc jam patet, quem ſenſum habeat, quando dicimus *gleich* par, æqualis, *gleich* planus, *gleiche zal* numerus par, *zu gleicher zeit* eodem tempore, *gleich* ſtatim. Allegorice eſt rectum, æquum, & juſtum, ſenſu a plano deſumpto, & Belgice effertur *gelyk*. Contrarium vide in *ungleich*.

GLEICH, articulus, junctura, commiſſura. Forte a *gleichen* ſimilare, congruere, convenire, quia juncturæ conſtant ex partibus ſimilibus, quæ ſibi invicem aptari poſſunt. Niſi malis contractum opinari ex *gelench*, *gelenk* ejusdem ſignificatus.

GLEICHEN, quatenus derivatur ab adj. *gleich* ſimilis, ſignificat (1.) ſimilare, ſimilem eſſe, aſſimilari, convenire, congruere &c.

• Evang. Goth. Matth. VI. 8. *ni galeikoth thaim*, ne ſimiles eſtote illis. (2.) aſſimilare, comparare, æquare &c. Evang. Goth. Matth. VII. 24. *galeiko ina waira frodamma*, aſſimilabo eum viro ſapienti. Compoſita & derivata, cum extra omnem difficultatem poſita ſint, & ab imperitis quoque intelligi queant, non debent me morari.

GLEICHEN, placere. Gothis *leikan*, *galeikan*, Angloſaxon. *lician*, *gelician*, Francis & Alam. *licon*, *lichan*, *kalihan* &c. Angl. *to lik*, Island. *lika*. Gloſſ. Lipſ. *licont* placent, *licon ſal* placebit, *geiicoda* complacuerit. VEREL. in Ind. *lika* placere, *mier likar* placet mihi, *mislika* diſplicere. Codex Arg. Joh. VIII. 29. *ik tauja thatei imma leikaith*, facio quæ placita ſunt ei. Verſio Angloſaxon. Matth. XIV. 6. *tumbude, and hit licode Herode*, ſaltavit, & placuit Herodi. NOTKERUS Pſal. LV. 15. *daz ih fore Gote lichee*, ut placeam coram Deo. Optime & philoſophice factum a *gleich* vel *lich* ſimilis. Nam ſimile ſimili gaudet, & ingenium humanum a natura ita comparatum eſt, ut ſimilia & congrua amorem & beneplacitum, diſſimilia & diſcrepantia naturaliter odium & diſplicentiam ingenerent. Hodie utimur derivato *ungleich* pro eo quod ingratum eſt, & minus placet. Sic vulgo dicunt, *einem nichts ungleiches widerfaren laſſen* facere ne quid ingratum illi accidat. Nec aliunde nobis *glück* fortunam proſperam notat, quam quia placet.

GLEICHNUS, quatenus derivatur a *gleichen* ſimilare, ſimilitudinem exprimere, ſignificat quantum poteſt, (1.) ſimilitudinem, (2.) parabolam, (3.) ſimulacrum. Extat eo ſenſu apud NOTKERUM Pſal. CXV. 4. *aber gentium gelihniſſe, ſilberniu, guldiniu, menniſcon hantuuerch, habent munt unde ne ſprechent, habent ougen unde ne geſehent, oren unde ne gehorent, naſa unde ne ſtinchent, hende unde ne greiffont, fuoze unde ne gant*, ſimulacra gentium argentum & aurum opera manuum hominum, os habent & non loquentur, oculos habent & non videbunt, aures habent & non audient, nares habent & non odorabunt, manus habent & non palpabunt, pedes habent & non ambulabunt.

GLEICHSEN, *gleichzen*, ſimulare. Obſoletum. Dicitur de ſimilitudine ficta tantum. TATIANUS Cap. CCXXVIII. 1. *inti her lichizeta ſih rumor faran*, & ipſe finxit longius ire. Inde Francis *lihhizaru* hypocritæ, apud eundem Cap. XXXIII. 2. *ni tuo trumbun ſingan fora thir, ſo thie lihhizaru tuont*, noli tuba canere ante te, ſicut hypocritæ faciunt.

GLEICHSAM, quaſi, acſi, ſimiliter. Novum, & redundans, quia *gleich*, & *ſam* faciunt pleonaſmum. Gothi dicunt *famaleiko* Marc. XII. 21. alio compoſitionis ordine, ſed eodem pleonaſmo. Niſi forte *ſam* hoc loco *una* ſignificet. Quo pacto totum compoſitum idem erit, acſi dixeris *una ſimiliter*.

GLEICHWIE, ſicut. Novum, & eodem vitio laborans, quia *wie* per ſe jam eſt adverb. ſimilitudinis.

GLEIS, orbita, ſulcus decurrentis in via rotæ. Id eſt, *geleis*, a ſimplici *leis*, quod vide.

GLEISSEN, ſplendere, fulgere. Gr. γλαύσσειν. Baruch VI. 23. *das gold gleiſſet nicht, wenn man den roſt nicht abwiſchet*, aurum non fulget, niſi quis æruginem abſtergat. Vel idem eſt quod *glitzen*, mutis in liquidas mutatis; Vel ſi ſit diverſum, oritur a ſimplici & Suecis familiari *lyſa* lucere, ſplendere, micare. Hodie plerumque utimur in malam partem de ſplendore fićto & ementito.

GLEISSNER, hypocrita. Oritur, vel a *gleiſſen* ſplendere, quatenus vituperatur, vel a *laſſen* ſimulare, vel a *leiſen* imitari. Vide ſingula ſuis locis.

GLEITEN, labi. SOMNER. in Dić. Anglo-ſax. *glidan*, labi, *glade* lapſus. Utitur Luth. Pſal. LVI. 14. Proprie eſt labi ex lubricitate, fallente pedem veſtigio, a *glat* lubricus. Hodie non amplius eſt labi, ſed labaſcere, h. e. inchoative labi. Aliud eſt *gleiten*, *geleiten* comitari. Nam hoc eſt a *leiten* ducere, quia comites ducunt abeuntem.

GLESS, ſuccinum, electrum. Primi ſuccini collectores, quantum literis proditum eſt, fuerunt Gothi, gens Germanica, qui ſuccino pro ligno utebantur ad ignem, & Teutonis id vendebant, prout in Præf. ad Germ. §. 45. oſtendi. Gothis ad Mœotidem profectis in eodem Maris litore ſucceſſerunt Æſtii. Hos ſuccinum legiſſe TACITI ævo, & *Gleſſum* appellaſſe, ipſe teſtatur Cap. 45. de M.G. *Sed & mare ſcrutantur, ac ſoli omnium Succinum, quod ipſi Gleſſum vocant, inter vada atque in ipſo littore legunt.* Gothi videntur illud appellaſſe *glits*, Æſtii poſtea *Gleſs*: ſed nullo in ipſa notatione diſcrimine. Nam *glitzen* & *gleiſſen* eſt fulgere. Et nomen a ſplendore & pellucíditate quæſitum eſſe res ipſa indicat. Angloſaxones ſuccinum vocant *glære*, tanquam eſſet a γλαυρὸς clarus, ſplendidus. Sed revera *gleſs* & *glær* non differunt origine, non magis ac *colos* & *color*, *honos* & *honor*, & ſimilia, in omnibus linguis obvia. Æſtiorum tamen vocabulum antiquius eſſe Saxonico, & origini conformius, probant præter etymologiam veruſtiſſimi rerum Germanicarum apud Romanos Scriptores, PLINIUS & TACITUS, qui *gleſſum* & *Gleſſarias Inſulas* commemorant. De erroribus veterum circa ſuccinum & inſulas ſuccini vide CLUVERIUM in Germ. Ant. pag. 690 ſeq.

GLETT, purgamentum æris, fæx, ſpuma, ſcoria, *ſilber glett* ſpuma argenti. Græci λιθάργυρον vocant, velut lapidem argenti. Qua ratione? viderint rei metallicæ periti. Noſtros imitatione Græcorum eandem rem a λίθος lapis appellaſſe *glet* per proſtheſin, ſatis manifeſtum.

GLEVE, lancea. V. *gleſ*.

GLID, *gelid*, membrum. Compoſitum recens & nuper additum. Vocem uſu veterum probatam vide in ſimplici *lid*.

GLIDMAS, artus. Belg. *lidmaat*, Suec. *ledamoot*. Vi compoſiti eſt apta membri compages, a mutuo concurſu in vinculis & junćturis ſic dićta. Nam occurrere, convenire, coire, Gothis vocatur *motjan* Luc. XIV. 31. Angloſaxon. *gemetan*, Suec. *möta*, Angl. *to meet*. Et dicitur primo de perſonis. Inde Islandis *mot* occurſus, Angloſaxonibus *mot*, *gemot* comitium. Poſtea etiam de aliis rebus, quæ invicem coëunt, ut hoc loco de partibus artuum. Cunćta a primitivo *mod* contra, adverſus, quo hodie utuntur Dani, Sueci, & Islandi in multis compoſitis apud VEREL. in Ind.

GLIMMEN, gliſcère, rutilare, ſcintillare. Belg. *glimmen*, Suec. *glimma*. Forte ab ἐκλάμπω luceo, reluceo, per aphæreſin. Ad familiam verbi ſpećtare videntur, *glommung* crepuſculum, apud SOMNER. & BENSON. *glimmer* heſperus, apud STILERUM, *glimpſe* lux dubia apud Anglos.

GLIMMERN, micare, ſublucere. Anglis *to glimmer*. Frequentativ. ex præcedenti.

GLIMPF, decens agendi modus, *unglimpf*, *ungelimpf* indecens agendi modus, *glimpflich* congruus & congrue, *unglimpflich* incongruus & incongrue, *verunglimpfen* indecenter tractare. Cunćta a Francis & Alam. relićta. Gloſſ. Boxh. *kilimflih* competens. Gloſſ. Keron. congruam *kalimflihchan*, abſurdum *ungalimflih*, incompetentibus *unkalimfantem*. Refer ad *glimpfen* competere.

GLIMPFEN, pertinere, ſpećtare ad aliquem. Senſus verbi Saxonicus & primitivus. SOMNER. in Dić. AS. *limpian* pertinere, *belympan* pertinere, ſpećtare, attinere. Verſio AS. Marc. IV. 38. *ne belimpth to the thæt we forwurthath*, non pertinet ad te quia perimus? Rećtius ſcribitur & pronunciatur *blympian* vel *clympian*. Eſt enim, ſi quid video, a Gr. κλύω audio, unde Gothis *kliuman* audire. Ratio cur ita ſentiam, hæc eſt, quia quæcunque ad nos pertinent, Latinis dicuntur *ſpećtare*, Germanis *audire*, ut oſtendi in *hören*.

GLIMPFEN, competere, convenire, condecere. Senſus verbi Francicus & Alamannicus, ſed a priori petitus, & a pertinentibus ad convenientia translatus, quod ad nos vel alios pertineant ſub ratione congrui & decentis. Gloſſ. Keron. competere *kalimfan*, convenit *kelimfit*, condecet *kelimfit*. Hodie non amplius auditur. Utimur tamen imperſonali, *es glimpfet nicht*, non congruit, non decet.

GLITSCHEN, quatenus derivatur a *glat* lubricus, ſignificat per glaciem ferri, & Belgis effertur *glyden*: Quatenus vero eſt frequentativum a *gleiten*, ſignificat labi vel labare ex lubricitate. Galli utroque ſenſu dicunt *gliſſer*.

GLITZEN,

GLITZEN, ſplendere, coruſcare, fulgere. Gothis *glitmunjan* Marc. IX. 3. Angloſaxon. *glitinian* ibidem, Franc. & Alam. *glizan*, *clizan*, Danis *glieſe*. Gloſſ. Boxh. *glizantiu* nitidus, *clizeanti* emicans. Ex his omnium ſimpliciſſimum & primitivum eſt Danicum *gliſe*, unde Islandis *glys* ſplendor, *glyslegr* ſplendidus, *glysmangarar* inanium rerum ſed tamen ſplendidarum venditores, *glæſt*, *glæſt*, *glæſtur* præfulgidus, ſuperlative, apud VEREL. in Ind. Antiquiſſimi Germanorum inde habent *gleſs* ſuccinum, *glas* vitrum, *glat* coruſcus, *glaſt* ſplendor, & alia per epentheſin facta, ut *glanz* & *glænzen*. Nec aliunde Francis *gliz* pro linteo, quam a nitore. LUPUS Abbas apud CANGIUM in voce *glizzum : Lintea quæ Germanice Glizza vocantur*. Inde Latino-Barbaris *glizinus* linteus. Hinc Camiſia CAROLI M. quam Eginhardus *lineam* vocat, Werimberto in vita ejusdem Caroli appellatur *camiſia glizzina*, obſervante PALTHENIO in not. ad Tat. pag. 328. Poſtea ſenſus a materia ad formam quoque translatus eſt, auctoribus Alamannis. Hinc KERO *caligas* interpretatur *kalizium*. Caligæ autem Monachorum in Reg. S. Bened. Cap. 55. ſunt indumenta pedum, haud dubie lintea, & a linteo ſic dicta, qua figura in appellationibus rerum nihil frequentius. Gallos inde habere *caleçon*, veroſimile eſt. Alias *glitzen* dicitur etiam *gleiſſen*. Cum illo convenit Græc. ἀγλαΐζομαι, cum hoc γλαύσσω.

GLITZERN, frequentativum ex præcedenti, & ejusd. notionis. VEREL. in Ind. *glittra* ſplendere, *med glitrandi ſverdi* cum gladio ſplendente. Idem Anglis *to glitter*, & inde *glittering* coruſcus & coruſcatio.

GLOCK, campana. V. *klock*.

GLOSS, gloſſa. A γλῶσσα lingua, interpretatio.

GLUCHSEN, ſingultire. V. *gluxen*.

GLUCK, *glück*, fortuna, ſed proſpera tantum, *unglück* infortunium, caſus adverſus. Miſſis veterum monumentis, in quibus vocem fruſtra requiro, ad natales ejus me converto. Fortuna Suecis dicitur *lycka*, Anglis *luck*, Sax. inf. *lück*. HELVIGIO judice a λάχος ſors. Quod acceptari poſſet, niſi vox Germ. bonam tantum ſortem, & felicem eventum denotaret. Ducamus igitur a *gleichen* placere, ut *glück* proprie ſit id, quod ex contingentibus quam maxime placet. Hoc ſane primum & præcipuum eſt in rebus ſecundis, ut nobis placeant. Quid enim refert, qualis ſit ſtatus noſter, ſi nobis videtur malus? A *glück* eſt *glücken* ſuccedere, *glücklich* proſperus & proſpere, & alia ſatis manifeſta. Voces Francis uſitatas vide in *gelingen*, Celticas in *happen*.

GLUCK, vox naturæ, qua gallina pullos ſuos convocat: Quam imitari ſolent ii, qui gallinas alunt.

GLUCKEN, ſonum edere, qualis eſt prima verbi ſyllaba. Græc. κλώζειν, Lat. *glocire*, Angloſaxon. *cloccan*. Proprie eſt Gallinæ matris. Inde *gluckhenne* gallina glocitans.

GLUEN, *gliuen*, fulgere, ſplendere. VEREL. in Ind. *gloa* reſplendere. Latino-Barbari inde fecerunt *cluere* ſplendere, & hinc porro *præclues* valde clarus, quod extat apud ISIDORUM in Gloſſis. MARTINIUS in Cadmo Græco-Phœnice tribuit Chaldæis *gelah*, & Gr. γελᾶν eodem ſenſu.

GLUEN, *gliuen*, candere, fulgere ab igni. Dicitur de rebus ignitis tantum, & Angloſaxonibus effertur *glowan*, Francis *cluon*, Belg. *gloeyen*, Angl. *glow*. Gloſſ. Pez. candentis *cluontes*. NOTKERUS Pſal. CXVIII. 140. *din uuort cluoit unde zundit hurto*, eloquium tuum eſt ignitum & urit valde. Derivatum vide in *glut*.

GLUM, turbidus. Utitur Luth. Ezech. XXXII. 2. *du macheſt ſeine ſtröme glum*. Anglis *gloomy* eſt obſcurus, *gloomy weather* tempeſtas nubila, *gloominess* obſcuritas. Apud SOMNER. & BENSON. *glommung* exponitur crepuſculum, *morgen-glommung* crepuſculum matutinum, *æfen glommung* crepuſculum veſpertinum. Haud dubie a *glimmen* fublucere, obſcure lucere. Poſtea ſenſus ab obſcuro ad turbidum translatus eſt ob ſimilitudinem naturæ.

GLUPEN, oculos vultumque demittere, *gluper* qui neminem erecto vultu adſpicere audet. VEREL. in Ind. *glupnaſt* vultum demittere, *gliupur* triſtis vel vultu nubilo. Gr. κλέπτω, καλύπτω eſt lateo, occulto, & κλόπιος ſubdolus. Quæ forte reliquis ſunt cognata.

GLUT, pruna, carbo ignitus. Cambris *glo*, Angloſax. *gled* Joh. XVIII. 18. Franc. *gluot*, *cluat*, Belg. *gloed*, Suec. *glöd*. TATIANUS Cap. CLXXXVI. 5. *thie ſcalca inti ambahta ſtuntun zi ther gluoti*, ſervi & miniſtri ſtabant ad prunas. Gloſſ. Boxh. *cluatfanna* aula. Refer ad *glüen* candere. Gr. κήλος eſt ardens.

GLUXEN, *gluchſen*, ſingultire. Græc. λύγξ eſt ſingultus, λύζειν ſingultire.

GNACK, equus. V. *nack*.

GNAD, *genad*, gratia, favor, benevolentia. Gloſſ. Pez. humanitatis *ginado*. Gloſſ. Ker. pietas (clementia Dei) *gnada*, kyrieeleiſon (domine miſerere) *Truhtin kinade uns*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. X. 21.

Nu uuilit er ginadon
Then unſen alt magon.
Nunc miſericordiam faciet
Majoribus noſtris.

Certe a ſimpliciori *nad*, per præfix. *ge*. WILLERAMUS Merulæ ubique habet *natha*, & totus Septemtrio gratiam vocat vel *næd* ut Sueci, vel *naad* ut Islandi. Inquirendum igitur quid aut unde ſit *nad* pro gratia? Quidam derivant ab Heb. *chen* favor, vel *chanan* gratificari. Quos refellit STILERUS; ipſe originem repetens a *naben* appropinquare, tam animo quam corpore. Si metaphora opus ſit (ut certe opus eſſe videtur), malim ab *inclinatione*, quæ etiam vulgo profa-

vore eſt, quam ab adproximatione ſenſum dicti arceſſere. Ducam igitur a Gr. νένω inclinari, pronum eſſe, per medium derivandi D. ut proprie ſit propenſio vel animus propenſus, ſeu, ut vulgo vocant, *inclinatio.*

GNÆZE, ſcabies. Utitur Luth. Lev. XIV. 55. Græcis κνήθω eſt ſcalpo, κνήθομαι prurio, κνίζω frico.

GOCKEL-HAN, gallus criſtatus. Vide *kogel.*

GODE, *göde*, longurio. Vox Suevis a Juthungis aut Alamannis relicta. *Jæt* vocabulum Gothicum eſt, quod gigantem ſignificat, teſte WORMIO in Monum. Dan. pag. 523. VEREL. in Indice: *jotun* gigas, *jætte* homines monſtroſæ ſtaturæ, cæteros mortales ſupergredientes. Suecis *jæt* vel *giætte* etiamnum Gigantem denotat. Veroſimile eſt, GOTHICUM nomen, toto orbe celeberrimum, a vaſtitate corporum deſumptum eſſe, etiamſi Verelio hoc etymon in Spelmanno diſpliceat. Gothorum magna corpora notavit PROCOPIUS de Bell. Vand. Lib. I. Cap. 2. *Cutis omnibus candida, flava cæſaries,* CORPUS PROCERUM. Loquitur de Gothis, Vandalis & Gepidis. Eadem ratio nominis JUTARUM (qui Angloſaxonibus *geatas* vocantur, quaſi longuriones) & forte etiam JUTHUNGORUM. Vide plura in Gothi.

GOLD, aurum. Gothis *gulth*, ut patet ex comp. *figgragulth* annulus, quod extat Luc. XV. 22. Angloſaxon. *gold* aurum, *golden* aureus, *gold-finger* digitus annularis, *gold-hord* theſaurus, *gold-ſmid* aurifaber. Francis & Alam. *gold*, *cold* Gloſſ. Keron. aurum *cold.* Gloſſ. Pez. artifex (lege aurifex) *goldſmid*, aurificibus *goldſmidun.* Idem metallum Præcopenſibus dicitur *goltz*, Belgis *goud* per ſyncopen, Septemtrionalibus *gull* per apocopen. VEREL. in Ind. *gull* aurum, *gullring* annulus aureus, *gullſtof* aurea litera. Sed hæc & talia vitioſa ſunt. Nam L. & D. ad originem vocis ſpectant, & a vetuſtioribus Dialectis conſtanter cuſtodiuntur. HELVIGIO aurum ſic dicitur, quaſi fulgens & ſplendidum, a Græco ἀυγλη ſplendor. Malim a γελάω ſplendere, ſi Græca origine opus ſit. Forte tamen eſt compoſitum & a primis inventoribus ſic dictum quaſi *fulva ſubſtantia*, a *gel* & *od*, quibus in unum contractis fit *gold.* Ita *ſilber* ab albo colore ſic dicitur. Cambri utuntur biſyllabo, & divitias vocant *golud*, quod ab initio videtur nomen ipſius auri fuiſſe. Nam aurum quid eſt, niſi facultas in compendio?

GOLDSCHMID, aurifaber. Vide antecedentia, & confer *geſchmeide* monilia.

GOL, *gül*, ſterilis. V. *gall* & *gelde.*

GOLZE. V. *gelden.*

GONNEN, *gönnen*, favere. V. *gunnen.*

GOREN, *gören*, fermenteſcere. V. *gæren.*

GORK, cortex ſuberis. Angl. *cork*, Belgis *kork*, Hiſp. *corcho.* Cuncta a Lat. *cortex.* JUNIUS more criticorum, qui nihil magnificum putant niſi quod difficile eſt, & longe petitum, deflectit a Gr. καρκαρυγή ſtrepitus, quia ſcil. ſuber crepidis ſuppoſitum aures crepero ſono lædit. Ita SKINNERUS in Etymol. Anglicano. Poſtea ſenſu a cortice ad crepidas translatus eſt, quia crepidæ ſolent tabulis e ſubere muniri. Inde *gorken-macher* apud Berolinenſes eſt ſutor crepidarius.

GOS, *gös*, mendicus. V. *geſus.*

GOSCHE, rictus. Vox Suevis & Helvetiis familiaris, quæ forte depravata ex Gall. *goſier*, guttur. Vox Latina *guttur* in ore Italico facile liqueſcit in *goſſo*, unde porro *gozzo* & *goſier.* Hodie dicitur de ore per contemptum tantum.

GOSSE, canalis, ubi aqua confluit. Belg. *goot*, Gall. *goutiere*, & *egout.* A *gieſſen* fluere, quod vide ſupra cum univerſa cognatione.

GOTHI, gens Vandalica. Hujus nominis tanta eſt obſcuritas, quanta celebritas. SALMASIUS in Helleniſtica exiſtimat, *Scythas* primo vocatos eſſe, qui poſtea detracto ſibilo *Getæ*, & deleto Getarum nomine *Gothi* dicti ſint. Quid aliis videatur, verbis eorum declarabo. CORN. AGRIPPA Lib. III. de occult. Phil. Cap. 35. *Nec alia ratione* GOTHI *nuncupati ſunt, quam quod ſummum Deum eorum lingua nuncupabant* GOTTUM. Similia habet LUTHERUS in libello de Nom. prop. Germ. pag. 6. Ubi obſervari meretur, quod verba Lutheri: *nam Goti fuerunt Germani*: omiſſa ſint in verſione WEGENERI, conſilio an oſcitantia, incertum. SPELMANNUS in Gloſſ. Arch. pag. 271. *Guti* iidem ſunt qui *Gotti*, *Gothi* & *Goti*: quibusdam *Jutæ* & *Jutones*: Romanis *Getæ*, Angloſaxonibus *Geatas*: a priſco vocabulo Gothico *Jæt*, quod Gigantem ſignificat. Hæc ille: idque nomen Gothis, genti fortiſſimæ & robuſtiſſimæ maxime convenire judicat pag. 344. GROTIUS in Ind. *Goten*, i. e. boni, id nomen a vicinis accepere ob hoſpitalitatem, ut a contrariis moribus ſuum *Quadi.* Confer *göde* longurio.

GOTT, Deus. Gothis *goth*, Angloſaxon. *god*, Francis *got*, Alamannis, qui duriore utuntur pronuntiatione, *cot*, Island. *god*, Perſis *choda.* Gloſſ. Keron. Deus *cot*, Dei *cotes*, Deum *cotan.* Tatianus Cap. I. I. *thas uuort uuas mit Gote*, *inti Got ſelbo uuas thas uuort*, verbum erat Deus, & Deus ipſe erat verbum. Omnino a *gut* bonus. Quid enim Deo melius aut beneficentius? Probat hanc nomenclaturam ſuffragio ſuo Dominus, tanquam Deo propriam, Matth. XIX. 17. Marc. X. 18. Probant & eloquia ſapientum. PLATO ejusque familia Deum IPSUM BONUM vocant, & virum bonum imaginem Dei. Similiter & Stoici. Et in Lingua Angloſaxonica nomen DEI & BONI ne literis quidem diſcernitur. Hinc verba domini apud Lucam Cap. XVIII. 19. *nemo bonus niſi unus Deus:* in Evangelio Angloſaxon. ita transferuntur: *nys nan man* GOD, *buton* GOD *ana.* Quæ cum ita ſint, & res ipſa naturæ

Divinæ

Divinæ perfecte conveniat, omnino adſentior JUNIO, Deum a bonitate ſic dictum cenſenti. Id quod etiam videtur exiſtimaſſe NOTKERUS in notula ad Pſal. LIII. 9. *din namo iſt huot unde darz forſta guot*, nomen tuum eſt bonum & ſummum bonum. Adjectiva ſubſtantivari, quid magis obvium? Hæc etymologia longe verior longeque ſanior eſt illa, quæ venerandum Dei nomen ex WODANI nomine detruncat, quod faciunt ex recentioribus *Cluverius*, *Voſſius*, & alii. Quis enim credat, primos Chriſtianiſmi in gente noſtra Doctores, voluiſſe nomen idolo proprium, quod ex hominum memoria delendum fuerat, ad deſignationem veri Dei adhibere? Aut in ore omnium ferre vocabulum, quibus ne quidem conceſſum erat WODANUM nominare, niſi renunciandi cauſa? Quod cum paucis aut nullis hactenus animadverſum fuerit, formulam abrenunciationis ex Synodo Liftinenſi an. 743. habita, hic ſubjungam. Sic autem ſonat apud ECCARDUM in Monumentis Catecheticis pag. 78. *end ec forſacho allom Diabolesuuercum end* WORDUM, *thuna erende*, WODEN *end* SAXN-OTF, *ende allem unholdum*, *the hira genotas ſint*: & ego renuncio omnibus Diaboli operibus & VERBIS, lucorum cultoribus, WODANO & ODINO SAXONICO, & omnibus dæmonibus, qui horum conſortes ſunt. Vides hic initiandos nonſolum *operibus*, ſed etiam *verbis* paganiſmi renunciare. Fieri ergo non poteſt, ut nomen Dei GOTT a cultu *Wodani* nobis relictum ſit, etiamſi ſummis viris ita videatur. Longe veriſimilius eſt, majores noſtros ab omni retro memoria ali quam de ſummi Entis bonitate notitiam habuiſſe. Enim vero ſi Mundum judicarunt eſſe Deum, quod totus bonis refertus eſſet; ſi ſolem, ignem & terram, quod ab illis aperte juvarentur; ſi heroes, quod beneficia quædam ab illis accepiſſent: quanto magis omnium bonorum fontem, auctorem & parentem univerſi, quem facile invenire poterant cogitatu, & Deum eſſe, & præ cæteris verendum, ex magnitudine beneficiorum intelligebant? Scribit quidem CÆSAR Lib. 6. *Germanos Deorum numero eos ſolos ducere, quos cernant, & quorum opibus aperte juventur, Solem, & Vulcanum, & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperiſſe.* Sed TACITUS, qui literas poſt Cæſarem reliquit, cum jam notior eſſet Romanis Germanorum gens & religio, conſulta quaſi opera teſtimonium Cæſaris, quod parum exploratum videbatur, refellit, vel potius corrigit his verbis: *Nec cohiberi parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilari, ex magnitudine cæleſtium arbitrantur: lucos ac nemora conſecrant, deorumque nominibus adpellant ſecretum illud, quod ſola reverentia vident.* De M. G. Cap. IX. Hoc SECRETUM, quod nec imagine exprimi, nec parietibus includi, ſed ſola mente & reverentia cerni poteſt, quid aliud eſt, niſi ſummus Deus? Nam ſol, ignis, & terra cernuntur coram, non ſola reverentia, nec appellari poſſunt *ſecreta*; cum per ſe conſpicua ſint, & minime occulta. Placuit autem hoc Secretum *Deorum nominibus* appellare, hoc eſt, *Solem* vocare quando lucet, *Ignem* quando fovet, *Terram* quando fruges profert &c. non quod ſic oporteat, ſed quod SECRETUM Dei aliis nominibus, quam earum rerum, quibus immenſa ejus bonitas manifeſtatur, & nos aperte juvamur, ſtupidi illi exprimere non poterant. Male interim ex eo, quod Germani SECRETUM illud *Deorum nominibus* appellant, concluditur, *Germanos Deorum numero eos ſolos ducere quos cernant.* Nam in Theologia Germanorum unus eſt Deus, qui nec cerni nec nominari poteſt, cætera vero Deorum nomina ſunt ejusdem a beneficiis petitæ appellationes. Hunc verborum TACITI ſenſum eſſe, ex alia deſcriptione, quam de religione Judæorum iisdem pene verbis concepit, manifeſtum eſſe puto. *Judæi mente ſola, unumque numen intelligunt. Profanos, qui Deum imagines, mortalibus materiis, in ſpecies hominum effingunt. Summum illud & æternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla ſimulacra urbibus ſuis, nedum templis ſunt.* Hiſt. Lib. V. Cap. 5. Quis hic non videt, quanta ſit ſecundum TACITUM inter Judæos & Germanos in cultu convenientia? Idem utrinque horror imaginum, idem adorationis ſecretum, & ſola mente conceptum nomen, niſi quod Judæi purius colant, nec Deorum nominibus appellent, ut Germani. Hoc uno excepto, cætera ſunt ſimilia. Nam quod Germani nemora conſecrant, Judæi templum, conſenſum in religione non tollit, ſed confirmat. Conſtat enim uſum lucorum in ſacris ante fuiſſe quam templorum apud omnes Gentes, etiam cultiores, & a ſuperſtitione alienas. Gen. XXI. 33. *Abrahamus autem nemus apud Berſabam ſevit & ibi Jovæ Dei nomen immortalis invocavit.* PLINIUS Lib. XII. Cap. I. de arboribus: *Hæ fuere numinum templa.* Puta antiquiſſima. Dubium ergo non eſt, Germanos præter Mundum & Heroas ſummum aliquod numen coluiſſe, illudque a ſumma bonitate appellaſſe GOTT. Quamvis etiam minoribus Diis idem nomen ob ſingularia beneficia communicaverint, ut patet ex compoſitis antiquis Angloſaxonum, *god-ſpræce* oraculum, *fyre-god* Vulcanus, *win-god* Liber pater, *up-godas* ſuperi &c. Syſtema JULIANI Imp. de Deo & univerſo adeo ſimile eſt antiquo Germanico, ut pene idem eſſe videatur. Vide Orationem ejus IV.

ULPHILÆ reverentius viſum eſt, in ſcribendo nomine abbreviatura ϝ uti, quamvis non ſemper nec ubique. Extant enim loca, ubi integre ſcribitur. Vide Luc. XVIII. 19. Joh. VIII. 40. 42. 47. Interim hoc Gothis proprium, quod illis a *Goth* Deus, ſacerdos vocatur *gudji*, *gudja*, quaſi divi-

nus, Luc. I. 5. Marc. XIV. 61. & cultu divino vacare *gudjinon* Luc. I. 8. Quod ſi ſciviſſent ii, qui ante duo ſæcula *Gothos* & *Guttones* a cultu Dei ſic dictos tradiderunt, quos non ſibi plauſus excitaſſent, aut recepiſſent ab aliis? Præcipua veterum compoſita ſunt,

Apud Gothos:

Gudbus, templum, domus Dei. Joh. XVIII. 20.

Gudafaurbts, pius, Deum timens. Luc. II. 25.

Apud Angloſaxones:

God-bearn, puer luſtricus. Quaſi puer Dei.

God-borge, qui de re aliqua Deo præſtanda pro altero fide juſſerit.

God-bote, mulcta ex delictis in Deum admiſſis obveniens, mulcta eccleſiaſtica.

God-cunde, divinus. Quaſi divini generis, a *kund*, quod in omnibus veterum Dial. nativum ſignificat.

God-cunde lareow, theologus.

God-cundnyſſe, divinitas.

God-gelde, ſacrificium Deo oblatum, ceremoniæ.

God-ſuna, filius luſtricus, &c.

Apud Francos & Alamannos:

Cotchundiu, divinus. Kero in Gloſſ.

Coteforaht, pius, Deum timens. Tatian. VII. 4.

Abgotir, excelſa. Gloſſ. Pez.

Apkutio bus, fanum. Gloſſ. Pez.

Gotauorabtaler, timoratus. Gloſſ. Pez. *Timoratus* Latino-Barbaris eſt Deum valde colens, apud Cangium. Eadem vis vocabuli Francici, quod eſt ab *abton* magnificere. Præfixum *vor* ſignificatum auget, ut hodie in *vorachtbar*, præ cæteris æſtimandus.

Gotniſſi, divinitas. Otfrid. Lib. II. Cap. IX. 162. Reliqua vide apud Schilterum in voce GOT.

Apud Islandos:

Gudgar, deaſtri.

Gudgærare, magis pius.

Gudleyſi, atheiſmus.

Gudmaugn, potentia Deorum.

Gudnidingar, blasphemi. Cuncta apud VEREL. in Indice.

GOTS-AKER, cœmeterium. Quaſi ager Dei, quia corpora defunctorum fidelium comparantur ſemini, 1. Cor. XV. 36. obſervante KEYSLERO in Antiq. Septentr. pag. 109.

GOTZE, *götze*, idolum. Helvigio derivatur ab Hebr. *geſah* truncus. Res ipſa reſpondet vocabulo. Quid enim ſunt idola, niſi picti ludibria trunci? Sed aliunde manifeſtum, nomen a *Got* per ludibrium formatum eſſe, ſicut *Deaſter* a *Deus*. Medium derivandi SE vide in Prolegom. Sect. 6. Præcipuum compoſitum eſt *El-götze* idolum peregrinum.

GOW, pagus, regio. V. *gau*.

GRAB, fovea, locus e terra effoſſus. Idem quod *grube*, de quo infra. Refer ad *graben* fodere.

GRAB, ſepulcrum, fovea in qua mortui ſepeliuntur. Angloſax. *græfe* & *ſlapi-graua*, Franc. & Alam. *grap*, *krap*, Belg. *graf*, Anglis *grave*. Gloſſ. Boxh. qui buſtum. Gloſſ. Pez. tumbas *crepirr...* Gloſſ. Lipſ. *ſlapigravi* ſepulcrum. Addit LIPSIUS, quaſi dormitorium. Convenit Heb. *keber* ſepulcrum, *kaphurah* ſepultura. R. loco mobile eſt in omnibus linguis.

GRABEN, foſſa, ejusque agger. Utrumque a terra egeſta & fit & denominatur. Gloſſ. Pez. agger *grapo*, aggerum *grapono*. VEREL in Ind. *groftur* foſſa. Idem Suecis *graf* & *grift*, Belgis *gracht*. Omnia a *graben* fodere, quamvis diverſis derivandi modis.

GRABEN, fodere, foveam facere. Omnibus antiquis (exceptis Angloſaxonibus) *graban*, quod imitantur Belgæ in *graven*, Septemtrionales in *grafa*. Evang. Goth. Luc. XVI. 3. *Graban ni mag*, fodere non valeo. Luc. VI. 48. *grob gadiupida*, fodit in profundum. TATIAN. Cap. XXXVI. 1. *Triſiuuet ju treſo in himele, thar thioba ni grabent*, theſaurizate vobis theſauros in cœlo, ubi fures non effodiunt. Omnia ab Heb. *chaphar* fodit, judice HELVIGIO.

GRABEN, ſculpere, ſcalpere, radere. Cambris *craſu*, Angloſax. *græfan*, Francis *graban*, Angl. *to grave*, Gall. *graver*, Hiſp. *gravar*. Gloſſ. Pez. ſcalpſit *cruop*, ſculperent *kruopin*, in ſculptilibus *in gagrapanem*. Ubique ſenſus a fodientibus ad ſculpentes transfertur ob manifeſtam utriusque actionis ſimilitudinem. Nam qui fodit, rumpit & eruit terram, & qui ſculpit aut ſcalpit, ſimile quid facit in marmore, ebore, metallo. Inde Angloſax. *græfere* ſculptor, *græf* ſcalpellum, *græft* ſculptile, Francis *grephti* ſcalptura, in Gloſſis Pez. Germanis *griffel* & *grab-ſtichel* inſtrumentum ſculptorium, Latinis conſono vocabulo *graphium*

GRABEN, ſcribere, exarare. Græcis γράφειν. Et hinc ſcriptura Græc. γραφή, Latino-Barbaris *graphia*, Gothis *gagrefts*, Luc. II. 1. Gallis vero *greffier* ſcriba. Senſus a ſculptura ad ſcripturam translatus, quia prima literarum ætas exaranda ſua tabulis ligneis incidebat, quod de Legibus Solonis apud Athenienſes teſtatur GELLIUS Lib. II. Cap. 12. Et ex verbis HORATII: *Oppida moliri, Leges incidere ligno:* pulcre confirmat LOCCENIUS in Antiq. Sueo-Goth. Lib. II. Cap. 2. Poſtea ſtilo ferreo in cera exarabant, uſu mutato, manente vocabulo. EUSTATHIUS ab aſpera ſcribendi ratione (quæ vel ligno vel lapidi literas incidebat) verbum Græcum per onomatopœium effictum putat. Sed hoc verbi a ſcala reliquorum avelli non poſſe, res ipſa loquitur.

GRAB-MAL, ſignificat quantum poteſt, (1.) monumentum ſepulcrale, opere ſculptili aut pictorio exornatum. (2.) inſcriptio-

ptionem ſepulcralem, ſive ſermonem defuncti ad poſteros e ſepulcro. (3.) ſilicernium ſive cœnam exſequialem. Nam *mal* de ſigno, loquela, & convivio æqualiter dicitur.

GRÆMEN, ſignificatus ſuos accipit a *gram* mœror; & hinc potiſſimum duo ſignificat, *mœrere*, & *mœrore afficere*.

GRÆMEN, mœrere, *grœmlich* triſtis, moroſus, *ingrœmiſch* qui iram latentem in mœrorem vertit. Et huc etiam ſpectat ex Lingua Italica *gramo* triſtis.

GRÆMEN, mœrore afficere, *ſich grœmen* mœrore confici, *das grœmet mich* hoc me triſtitia afficit.

GRÆMEN, irritare, exaſperare, provocare ad iram. SOMNER. in Dict. Angloſax. *gramian*, *gremian*, *grymman* irritare, exaſperare, laceſcere. Gloſſ. Keron. iritatus *kecremiter*. NOTKERUS Pſal. CV. 7. *unſere fatera gramdon in, do ſie fuoren in den roten mere*, patres noſtri irritaverunt eum, cum tranſirent per mare rubrum. Refer ad *grimm* ira.

GRÆNZE. V. *grenze*.

GRÆTEN, varicari. V. *greten*.

GRÆTEN, ejulare. V. *kreide* fletus.

GRÆTIG, clamoſus. Dicitur de infantibus vagientibus apud Suevos hodiernos & Scandos priores. VEREL. in Ind. *grœttingr* infans in cunis vagiens.

GRÆTZ, corbis. V. *krœt*.

GRAF, comes, ſocius, unus ex nobilioribus, qui principem vel regem ubique comitatur. Senſus vocis antiquiſſimus, unde reliquis initium. Vix ulla vox eſt in univerſa lingua Germanica, quæ ingenia veterum & recentiorum magis exercuerit, & minore cum fructu veritatis. In Legibus EDOARDI R. Angliæ §. 35. proponitur hæc etymologia prorſus ridicula: *Videtur quibusdam* GREVE *vocabulum eſſe nomen compoſitum ex Anglico* GRITH, *& væ Latino.* GRITH *enim pax eſt; væ miſeria, ipſo Domino atteſtante, qui dicit, væ tibi Beiſſaida, væ tibi Corazain.* GREVE *igitur ideo dicitur, quod jure debebat* GRITH, *id eſt, pacem ex illis facere, qui Patriæ inferunt* VÆ, *id eſt, miſeriam vel malum.* LIPSIUS, VREDIUS, & WENDELINUS, ſono verbi capti, *Graphiones* a γράφειν deducunt, quod Græcis eſt ſcribere, quaſi Grafiones priſcis temporibus fuerint ſoli literarum potentes. SPELMANNUS a *reafian*, quod Angloſaxonibus eſt rapere, & prædonibus magis quam viris illuſtribus convenit. HEIGIUS a *graben*, quod ille limitem interpretatur, cum proprie foſſam ſignificet. SCREICKIUS a *gaerhaeff* exactor, quod fictitium eſt, ut cætera hujus viri Celtica. Alius a *ragen* quod Germanis eſt eminere; Rurſus aliusa *gerecan*, quod lingua Angloſaxonica dicitur regere. Communior ſententia eſt, *Graviones* ſic appellari quaſi Seniores populi, ab adj. *grau* canus, vetus. Nos miſſis aliorum opinionibus, quæ vel minus probabiles, vel contumelioſæ, vel incommodæ & duræ nobis videntur, noſtram breviter exponemus. Comes Angloſaxonibus dicitur *gereſa*. Inde Francorum *gravo* per contractionem, quod omnibus manifeſtum eſſe reor. Sed unde inquies *gereſa?* Reſpondeo per metatheſin literarum ex *gefera*, ejusdem idiomatis & ſignificatus. *Gefera* enim teſte SOMNERO in Dict. Angloſaxonico comitem, ſocium, & ſodalem ſignificat, haud dubie a *fera* iter, & præfixo *ge*, quod participem ejus rei, cui præfigitur, ſignificat. Id quod ex aliis multis ſociorum nominibus copioſe oſtendi in *geſell*. Hoc ſenſu occurrit in Evang. Angloſax. Luc. V. 7. *and hig bicnodon heora geferan*, & ipſi annuebant ſociis ſuis. Itaque ſive *gefera* dicas, ſive per anagramma *gereſa*, ſemper comitem dicis, ſocium, atque ſodalem, prætereaque nihil. Tales autem erant primi illi & vetuſtiſſimi comites, nempe ſocii & ſodales Principum, non domi tantum, ſed etiam in expeditionibus & profectionibus bellicis, cujus rei imaginem jam habemus in moribus Germanorum apud TACITUM Cap. XIII. *Nec rubor inter comites adſpici. Gradus quin etiam & ipſe comitatus habet, judicio ejus quem ſectantur. Magnaque eſt Comitum æmulatio, quibus primus apud Principem ſuum locus: & Principum, cui plurimi & acerrimi comites. Hæc dignitas, hæ vires, magno ſemper electorum juvenum globo circumdari, in pace decus, in bello præſidium.* Eadem vis Latini vocabuli. Comites enim dicuntur, quod Regem aut principem ubique comitentur. Simile compoſitum eſt apud Angloſaxones *geſith* comes, ſocius, a *ſith* iter. Quod poſtea traductum ad Satrapas, plane ut *gereſa*, quia Satrapæ & præfecti a prima origine erant ſocii Principum, & e comitatu regio negotiis publicis admovebantur.

GRÄF, dux, ſatrapa, conſul, præſes & præfectus provinciæ, oppidi, palatii, vel alterius rei. Eſt enim nomen generale, & omnes præfecturas ambitu ſuo complectitur. Gloſſ. Æſc. conſul *gereſa*, proconſul *undergereſa*. Sic etiam præſides Syriæ & Palæſtinæ CYRENIUS & PILATUS ab interprete TATIANI vocantur *grævon*. Cap. V. 11. *thas giſcrib zi criſten uuard gitan in Siria fon themo Graven Cyrine*, hæc deſcriptio primum facta eſt in Syria a Præſide Cyrinio. Cap. CXCII. 3. *inti leittun inan gibuntanan in fritthoff, inti ſaltun themo Pontiſgen Pilato gravon*, & adduxerunt eum vinctum in prætorium, & tradiderunt Pontio Pilato præſidi. Et in vetuſtiſſima verſione Evangeliorum Cottoniana *numiſma cenſus* vocatur *mot thæs graefa*, quaſi tributum Præſidis, citante JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 260. Senſus a comitibus ad præfectos translatus, quia præfecti antiquitus e comitatu principum lecti. CAPITOLINUS in VERO: *Confecto bello regna regibus, provincias vero Comitibus ſuis regendas dedit.* Qua re paulatim factum eſt, ut *Comitis* appellatio omnibus

bus officiis, palatinis, civilibus, militaribus adhæreret. Hinc in *Notitia Imperii* omnium dignitatum apparent Comites, *Comes ſacrarum largitionum*, *Comes riparum*, *Comes limitis*, *Comes rei militaris*, *Comes palatii*, *Comes ſtabuli*, & alii innumeri. Idque noſtri videntur imitati, poſtquam apud illos quoque ſummi officiales e comitatu Regis legi cœperunt. Inde compoſita *Pfalzgraf*, *Mark-graf*, *Land-graf*, *Burg-graf*, & alia quæ paſſim explicamus.

GRAF, judex provincialis, comes Ducis vel rectoris provinciæ, & inde nomen a comitatu. *Comites* apud Germanos vocat TACITUS, qui comitabantur Principes, jura per agros vicoſque reddentes, Cap. XII. de M. G. Comites legere vel accipere negotiorum in provincia gerendorum, prorſus Romanum eſt, multisque exemplis probatum a doctiſſimo BRUMMERO in Tract. de Scabinis pag. 283. Hinc *Comites* Latinis appellati, qui Præſides in provinciam euntes comitabantur. Similiter & Franci imitatione majorum vel Romanorum duos præcipuos magiſtratus ad regendas provincias mittebant, alterum *Ducem*, alterum *Comitem Ducis*: quorum ille rem militarem, hic cauſas forenſes tractabat. Hoc ſenſu occurrit *Grafio* in Lege Salica Tit. LIII. 3. Tit. LIV. 1. 2. Et hoc ſenſu judex territorii etiamnum Weſtfalis dicitur *gow-gref*. Angloſaxones eundem *ſcire-gereſa* vocant, quaſi comitem pagenſem, a *ſcire* pagus, unde Anglis remanſit *sherif* per contractionem. Dicitur & *Vice-comes*, quia Duci vel Comiti erat a vice. Hinc nomen *Comitis* & *Grafionis* æquivocum eſſe, non abs re monuit SPELMANNUS in Gloſſ. Archæol. pag. 266. Certe in Lege Ripuar. Tit. LXXXVIII. *Comes* a *Grafione* diſtinguitur.

GRAF, exactor pecuniæ tam publicæ quam privatæ. Publicæ apud Francos. Nam Grafionis officium erat nonſolum jus dicere, ſed & mulctas exigere. Hinc Grafio in Lege Ripuar. Tit. LIII. *judex fiſcalis*, alibi vero & paſſim *exactor* dicitur, quia fiſco debita exigebat. Utriusque apud Angloſaxones. His enim *gereſa* latiſſime patet, & nonſolum exactores regios, parvos & magnos, ſed etiam rei familiaris diſpenſatores complectitur. Extat eo ſenſu in Evang. Angloſaxon. Matth. XX. 8. *tha ſæde ſe wingeardes hlaford hys gereſan*, tunc dicebat dominus vineæ procuratori ſuo. Et rurſus Luc. XVI. 1. *ſum welig man wæs, ſe hæfde ſumne gereſan*, homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Inde compoſita,

tun-gereſa, villicus, Luc. XVI. 8. Gloſſ. Ælf. villicus, actor, curator, procurator vel rector *tun-gereſa*. A *tun* villa.

wic-gereſa, villæ præpoſitus, telonarius. A *wic* vicus.

feh-gereſa, diſpenſator. A *feh* pecunia.

Hic ſenſus oritur a poſtulando, quod exactorum proprium. Nam poſtulare, inſtanter petere Cambro-Britannis dicitur *creſu*, Angloſaxon. *craſian*, Angl. *to crave*, Latino-Barbaris *cravare* apud CANGIUM. Et hinc exactionum miniſter, parvus vel magnus, Angloſaxonibus vocatur *gereſa*, Francis *gravo*, Suecis *kræfwiare*, Latino-Barbaris *grafio*, *gravator*, *gravaringus*. Nec mirum, ejusmodi miniſtros *poſtulatores* appellari, cum ipſæ exactiones *rogæ* & *precariæ* (Germ. *bede*) nominentur.

GRAF, artifex, opifex. Cognoſcitur ex compoſito Angloſaxonico *wæn-gereſa* carpentarius. SOMNER. in Gloſſa Anglicana confundit cum auriga. Sed carpentarius proprie eſt faber, qui carpentum (quod Angloſaxonibus *wæn*) ex ligno facit, & LAMPRIDIO *artifex carpentarius*, Gallis *charpentier* dicitur. Hic ſenſus oriri potuit a *garwen*, *gerben* parare, præparare.

GRAF, comes hæreditarius. Nomen dignitatis, certum nobilitatis gradum, inter Principes & Barones medium, ſignificans. Senſus vocis hodiernus. Ab initio fuit dignitas mobilis. Poſtea indultu *Caroli Calvi* filius patri in dignitate ſucceſſit. Cætera Comitum incrementa, præcipue in Gallia, vide apud R. P. DANIELEM Lib. II. de Militia Francorum pag. 53. ſeq. Quo pacto Comites in Germania facti ſint hæreditarii ſub *Othonibus*, diſſerit SPELMANNUS in Gloſſ. Archæol. pag. 141. Confer dicta in *herzog*.

GRAFSCHAFT, comitatus. Franc. *graffſceffi*, Lat. Barb. *graphia*. Olim fuit pagus Comitis, nunc eſt territorium Comitis hæreditarium.

GRAM, mœror. HELVIGIUS deduxit a Lat. *gemere*. Credo eum verum ſcripſiſſe, ſed divinando tantum. Nam priſcis Saxonibus *geomrian* eſt gemere, *geomrung* gemitus, *geomor-mod* gemens, mœſtus apud SOMNER. & BENSON. Hinc, quod ab initio fuit *geomor*, poſtea mutato caninæ ſitu pronunciari cœpit *georm*, & noviſſime *gram*. Anglis *groan* eſt ſuſpirium, & *to groan* ingemiſcere, quæ cæteris ſunt cognata, quamvis ex illis vitiata. Vox *geomor* perfecte convenit cum *jammer* luctus.

GRAM, quatenus eſt verbale a *grimmen* exaſperare, *iram* & *iratum* ſignificat.

GRAM, ira, odium, rancor. SOMNER. in Dict. AS. *gram* furor, *grambære* iracundus, *gramſcipe*, ira, iracundia. Hoc ultimum imitantur Belgæ in *gramſkap*.

GRAM, iratus, irritatus. Perſis *garm*, Belg. *gram*, Island. *gramur*. Utitur Luth. 2. Sam. XIII. 15. Inde *gram werden* amorem in odium vertere, *gram ſein* infenſum eſſe, quod extat in Evang. Angloſaxon. Marc. XIV. 6. *hwi ſyndon ge hyre grame*, cur illi moleſti (infenſi) eſtis? Italis *gramo* eſt miſer, quia fortunæ ſuæ iratus, quod FERRARIUS male ducit a Lat. *gremia* oculorum pituita, cum ad cognationem reliquorum ſpectet. Similia nomina, quæ vicem ſubſtantivi & adjectivi

jectivi ſimul obeunt, a genio Linguæ admittuntur plura, & pene innumera.

GRAN, pili in facie, ſive ſupra oculos, ut ſupercilia, ſive infra nares, ut myſtaces, ſive circa mentum, ut barba. Cambris *crann* eſt cilium, palpebra teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. In Legibus Friſionum *granones* ſunt myſtaces, judice SICAMA in notis. Et hunc ſenſum tribuit quoque CANGIUS *Granis Gothorum*, ISIDORO memoratis. Belgas myſtacem vocare *graenen*, nec myſtacem tantum, ſed etiam pilos felis circa os, notat KILIANUS. VERELIO in Indice *graun* & *gran* multa ſignificant, & præcipue barbam. Hinc illi Odinus vocatur *hrosharsgrani*, quod barbam haberet rigidam veluti e pilis caudæ equinæ. Cuncta videntur deſumpta a Lat. *crinis*. De APOLLINE GRANNO, qui huc non ſpectat, videbimus in *ſonne* ſol.

GRAPPEN, palpare, contrectare. Vetus Saxonicum. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *grapan*, *grapian* palpare, *gropig* palpo. Convenit cum *greiſſen* palpare, quia P. & F. permutantur; ſed differt a *krappen* prenſare, & multo magis a *krabben* fricare. Hodie utimur frequentativo *grappeln*, quod differt a *krappeln* reptare.

GRAS, gramen, herba, fœnum. Gr. χόρτος, γρασίς & κράσις. Gothis *gras*, Marc. IV. 28. Angloſaxonibus *gers*, *græs*, & plur. *græðas*. Francis *gras* & *graſſ*. Scandis *græs*. Anglis *graſſe*. Belg. *gras*, *gars*, *gers*. Cuncta inter ſe cognata, & ex eodem fonte, ut *kraut* herba.

GRÄT, ſpina piſcis. Belg. *graat*. Cum ſpina ſit officulum in acutum deſinens, cenſeri ſic dicta poteſt quaſi *grant*, per ſyncopen & metatheſin a Græc. κέντρον cuſpis, ſpiculum, quod eſt a κεντέω pungo R. eſt litera mobilis, & N. in Græcis dictionibus ſæpe elidi-tur. Ita a κεντέω Islandis fit *gadda* pungere, & inde Suecis *gaad* aculeus. Præcipuum compoſitum eſt *rückgrat* ſpina dorſi, haud dubie a radiis acutis ſic dicta. R. MAURUS in Gloſſariolo de part. hum. Corp. *Spina eſt junctura doſi, dicta eo quod habeat radiculos acutos & juncturas coſtarum inter ſe.*

GRÄTLEN, divaricari crura, h. e. tibiis nimium divaricatis ſtare, ſedere, incedere. Verbum Suevis uſitatum, & frequentativum a ſimpliciori *greten* ejusdem ſignificatus.

GRATULIEREN, & *condolieren* ſunt verba novitia & exotica. Illud Gothice dicitur *mithfaginon*, Luc. I. 58. Angloſaxonice *efen-bliſſan* & *efen-gefean*, quaſi ſimul & una gaudere: hoc Alamannice *ebandolen*, quaſi compati. Quæ certe non carent elegantia. Quid enim eſt gratulatio, niſi lætitia ob bonum alienum? Et condolere, niſi una pati?

GRAU, ſubſtantive nix, adjective albus. Idlud dialecto Scythica, hoc Perſica. De Scythis luculentum eſt PLINII teſtimonium Lib. VI. Cap. 17. *Scythæ* CAUCASUM *montem appellavere* GRAUCASUM, *h. e. nive candidum.* Scythis *cas* candidum denotaſſe, præter PLINIUM teſtatur ISIDORUS Lib. XIV. Orig. Cap. 8. Reſtat ergo ut *grau* ſit nix. *Car* pro albo, Perſis antiquis tribuitur a RELANDO in Diſſ. de Vet. L. Perſ. De voce Scythica *cas* vide plura in *gans* anſer.

GRAU, canus, albicans, color albo ſimilis. Angloſaxon. *græg* & *greig*, Francis *grauu*, Belg. *grauw*, Angl. *gray*, Gloſſ. Pez. ad canos *zi grauvinun*. Utimur præcipue de pilis & capillis, qui dicuntur caneſcere, quando albeſcunt, h. e. quando color albus ſerpit per nigredinem. Latinis quoque *canus* eſt a *can* albus, quod Celticum eſſe vidimus ſupra in *gans*.

GRAU, vetus. Armoricis *greç*, *groec*, *grai*, teſte PEZRONIO in Ant. Celt. pag. 347. Senſus a canitie ad ſenectam translatus, quia vetuſta & annoſa ſolent caneſcere. Inde Gr. γραμμαι ſeneſco, γραικὸς anilis, γραῖα vetula &c. Ex eodem fonte veteres Græciæ colonos dictos eſſe GRAIOS & GRÆCOS, quaſi antiquos, ut poſſent a novis advenis diſtingui, obſervat doctiſſimus Abbas PEZRONIUS in Antiquitatibus ſæpe laudatis.

GRAU, ſanguis, præcipue effuſus. Vox antiquiſſima, Latinis *cruor*, Cambris *crau*, Sorabis *krei*, Bohemis *krew*, & inde *krwawy* cruentus, apud FRENZELIUM in Orig. Sorab. pag. 312. Hinc ſanguineus ſive ſanguinis effuſi appetens Latinis dicitur *crudelis*, Germanis *grauſam* & *greulich*.

GRAUPE, alica, globulus hordeaceus. Vox Sorabica. FRENZEL. in Orig. Sorab. pag. 975. *krupa* ptiſana, alica, & particula triticea aut hordeacea, metaphorice grando."

GRAUS, horror, *greslich* terribilis, horrendus, *grauſen* horrere. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *gryre* horror, *grislic*, *gryrelic*, *gryſenlic* horridus, horrendus. Gloſſ. Pez. abhorreſcant *ırgruiſon*. Gloſſ. Schilt. *griuſigemo einote* in loco terroris. Proprie in horrida eremo. Cum horror & terror ſit metus in animo, & frigus in corpore, quod pilos erigit, ſanguinem ſiſtit, calorem reprimit, membra obſtupefacit; hinc plane perſuaſus ſum, quod *graus* & *grys* ſint a Græc. κρύος frigus.

GRAUSAM, ſignificat quantum poteſt, vel ſanguineum, crudelem & immanem, ſi derivetur a *grau* ſanguis, vel horrendum & execrandum, ſi derivetur a *grauwen* horrere.

GRAUWEN, horrere. Danis *jeg grue* horreo. Utrumque per metatheſin a Græc. φρύγω rigeo, obſtupeſco. Nam horrere proprie eſt eorum, qui præ timore frigent & rigent. Hinc porro exiſtit *greuwel* horror & abominatio, unde rurſus fit *greuwlich* horribilis & abominabilis.

GREIFF, avis Hyperborea, equis infeſta. Vox Scythica, Græc. γρὺψ, γρυπὸς, Lat. *gryps*, *gryphus*, Gall. *grifon*. Gloſſ. Pez. gryphem *grif*. Vetus diſtichon Runicum: *mikil er greip a hauki*, gryphus major accipi-

tre. Nomen ab Hyperboreis ad Græcos & reliquos manaſſe, dubio caret. Nam Scythice avem rapacem deſignat, a *greiffen* rapere.

GREIFFEN, ſignificatus ſuos accipit ab obſoleto *greif* manus. VEREL. in Ind. *greip* ſinus digitorum & ipſa manus. Plura verba ab officio manus deſumpta vide in *kommen* capere.

GREIFFEN, palpare. Gloſſ. Pez. manu tentans *creiffonter*. WILLERAMUS Cap. V. 1. *min uuamba erbibeneta ze ſinemo anagriffe*, venter meus contremuit ad contactum ejus. Inde *griff* contrectatio, *handgreiflich* palpabilis, *abgreiffen* contactu deterere, *begreiffen* contrectare.

GREIFFEN, capere, prenſare, prehendere. Goth. *greipan*, Angloſaxon. *gripan*, Alam. *creiffen*, Belg. *grypen*, Suec. *grypa*, Angl. *gripe*. Gloſſ. Keron. arripiunt *kecriffant*, arripuerit *kechriffe*. Hujus verbi magna eſt domi forisque cognatio. Inde Angloſaxonibus *gripe* manipulus, quantum quis una manu prehendere poteſt. Islandis *grip* apprehenſio, apud VEREL. in Indice. Germanis *griff* prenſatio, manipulus & manubrium, *degen-griff* capulus gladii, *handgriff*, *kunſt-griff* dexteritas in capiendo. Gr. γρυπὸς eſt rete, γρυπίζειν piſces capere. Quæ reliquis nonſolum aſſonare, ſed etiam conſentire videntur. A *greiffen* formantur compoſita, *ergreiffen* arripere, *vergreiffen* errorem in capiendo committere, allegorice delinquere. Utimur etiam compoſito *begreiffen*, concipere, comprehendere, quod a manu transfertur ad intellectum, ob manifeſtam utriusque ſimilitudinem.

GREIFFEN, invadere, *angreiffen* aggredi, impreſſionem facere, *angriff* inſultus, invaſio, *eingriff* turbatio juris. In Lege Bojorum *borgrift* eſt injectio manus in fœminam libidinis explendæ cauſa, Tit. VII. 3. *Si quis propter libidinem liberæ manum injecerit, aut virgini vel uxori alterius, quod Bajuvarii* HORGRIFT *vocant, cum VI. Sol. componat*. Niſi forte hic locus ad ſimplicem palpationem ſpectet. In Lege Longobardica Lib. I. Tit. XXXI. 1. *anagriph* eſt turbatio patriæ poteſtatis per veneris anticipationem. Quem ſenſum Gloſſographi non aſſequuntur, etiamſi ſatis clarus ſit. Sic enim ſonant verba Legis: *Si puella aut mulier libera voluntarie fornicata fuerit cum libero homine, poteſtatem habeant parentes ejus in eam dare vindictam. Et ſi forte ambabus partibus ſteterit, ut ille qui fornicatus fuerit, eam tollat uxorem, componat pro culpa, id eſt,* ANAGRIPH. Duplex autem culpa eſt, primo quod præſumpſit non præſumenda; ſecundo quod contra voluntatem parentum aut tutorum præſumpſit, in quo invaſio alieni juris maxime conſiſtit. Qualis culpa hodie dicitur *eingriff*. Gallis *griefs* ſunt gravamina, a jure violato ſic dicta, niſi forte cauſa dictionis a Lat. *gravis*.

GREIFFEN, rapere, vi vel dolo capere. Inde Hyperboreis *greif* gryphus, ob rapacitatem. Cambris *cribddail* rapina, *cribddeiliar* raptor. Belgis *grypvogel* avis rapax, *grypende wolven* lupi rapaces. Gallis *griper* furtim auferre. Germanis quoque *griff* interdum vituperatur. Hinc *griffe* ſæpe ſunt technæ, & *diebs-griffe* artes furandi. Confer *krappen*.

GREINEN, os torquere, ſive plorandi ſive cachinnandi cauſa. Nam de ſletu & riſu æqualiter dicitur in Dialectis. Nec inepte: cum neſcio qua naturæ ambiguitate multorum vultus ita ſint compoſiti, ut ridentibus an plorantibus ſimiliores ſint, fere neſcias. Belgis *grynen* eſt flere, & dicitur præcipue de pueris. At Septemtrionalibus *grina* eſt ridere, teſte VEREL. in Ind. Quos imitantur Itali in *ſgrinare*. Quod ſane dici non poſſet, niſi ambo ſignificatus in uno tertio convenirent. In quonam vero niſi in contorſione oris? Hinc ſuſpicor *greinen* nihil aliud eſſe quam os torquere. Quam conjecturam firmat BENSON. in Voc. Angloſaxon. ubi *grenian*, *grinian* exponitur ringere, & *grennung* rictus. Ringere autem eſt os torquere. Et hinc porro ſuſpicor, *grinen* eſſe a *ringen* torquere, per literarum trajectionem.

GREIS, ſenex. A *grau* vetus, annoſus, per medium derivandi S. Græcis γεραὸς eſt ſenex, γραῦς vetula, manifeſto conſenſu. A *greis* eſt *greiſen* ſeneſcere, caneſcere.

GREIS, canus. Belg. *grys*, Armor. & Gall. *gris*, Ital. *griſo*, Lat. Barb. *griſeus*. Proprie eſt ſeneſcens, a *greiſen* ſeneſcere, & dicitur de cano, quia ſeneſcenti ſimilis eſt. Seneſcentes enim ſolent caneſcere, & cum ætate colorem mutare.

GRELL, ſplendens, *allzugrell* nimium ſplendens, oculos ſplendore perſtringens, *grelle augen* oculi fulgurantes. Forte a Græc. γλαυρὸς ſplendidus, per metath. Hodie utuntur Suevi.

GRENDEL, peſſulus. V. *grindel*.

GRENZE, *grænze* finis vel limes agri, tam publici quam privati. Belgis *grenſe*, Latino-Barbaris *granicies* apud CANGIUM. Vox incertis parentibus nata, & forte novitia, quia veruſtiſſima ejus mentio Sæculum XV. non excedit, nec alibi occurrit niſi in infima Latinitate. STADENIUS, qui eam ſibi explicandam propoſuit, duas adfert etymologias, probabilitate ſua commendabiles. Primam petit ex Septemtrione, a verbo Islandico *greina* diſtinguere. Familiam verbi exhibet VEREL. in Ind. *greina* diſtinguere, *grein* diſtinctio, differentia, *haufud greiner kriſtelig lærdoms* articuli fidei, capitalia diſcrimina doctrinæ chriſtianæ. Secundum hanc etymologiam *grænze* erit terra limitanea, ſive diſcrimen inter duos vicinos. Alteram petit a Francis, quibus *riman* eſt tangere, contrectare. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXIII. 104.

Thiu akus harto gislimit
Themo then ſi rinit.
Securis celeriter conficit
Eum quem tangit.

Atque iterum Lib. III. Cap. IX. 17. ubi *rinan* ponitur pro *biruoran* adtingere. Ab hoc verbo derivat ſubſtantivum *rain*, quo in quibusdam Germaniæ locis ſpatium illud intermedium agrorum denotatur, quod non arari, ſed ut limes aut ſemita liberum relinqui debet, ſic dictum, quod extremitate ſua utrumque agrum adtingat. Ab hoc ſubſtantivo format porro inediante præfixo *ge* compoſitum *grenze*, hoc eſt, confinia quæ ſe mutuo tangunt. Vide Celeberrimi Auctoris voces Biblicas pag. 278. De medio derivandi ſollicitus non fuit STADENIUS, quod ego non ſoleo contemnere. Illud vero eſt particula SE, quam aſpera & Germanis auribus gratiſſima pronunciatio mutavit in ze, & novatores in *tze*. De verbo Francico *rinan* vide plura in *reinen*.

GRESLICH, horrendus, viſu teter & averſabilis. BENSON. in Voc Angloſaxon. *griſlic, gryſenlic, gryrelic* horridus. VEREL. in Ind. *greslegur* formidabilis. Anglis *grisly*. Sic dicitur quaſi *greüslich*, a *graus* horror.

GRETEN, *graeten*, varicari cruribus. Utitur Luth. Ezech. XVI. 25. Commentatores vocum Biblicarum nihil hic afferunt, quod operæ pretium ſit Latine reddi. Videtur autem factum a Lat. *criſare, criſſare*, lumbos & femora obſcœne movere. Suevi utuntur frequentativo *gratlen*. Iisdem *gritlings* eſt divaricatis cruribus.

GREUEL, abominatio. Vide *grauwen* horrere.

GREULICH, ſignificat quantum poteſt, vel ſanguinarium, ſi derivetur a *grau* cruor, vel abominabilem, ſi a *grauwen* horrere.

GRIES, calculus, arena, ſabulum. Cambris *gro* apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Francis *griez* in Gloſſis Florentinis, Belgis *gruis*. A *grüſen* comminuere, ob rationes in voce *ſand* allegatas.

GRIES, lapis. Vox Celtica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *grut* lapis quidam arenoſus. VEREL. in Ind. *griot* ſaxum, lapis, *griotſlug* lapidum in hoſtes conjectorum nimbus, *griotog jord* ager fabuloſus, *griota* lapidibus obruere, *gryta* lapidare. Gallis *grez* ſilex. Francos & Saxones ſimili vocabulo lapidem deſignaſſe, colligitur ex nomine unionis. Gloſſ. Florent. unio *merigriez*. Harm. Evang. Tatian. Cap. XXXIX. 8. *ni ſentet juwara merigrozza fora ſuin*, nolite mittere margaritas veſtras ante porcos. Evang. Angloſaxon. Matth. XIII. 45. *eft is heofona rice gelic tham mangere the ſohte thaet gode meregrot*, rurſum ſimile eſt regnum cœlorum negotiatori qui quærit bonam unionem. Quo ſenſu, ſatis manifeſtum. Nam vis compoſiti ubique eadem eſt, notatque *lapidem marinum*. Habes hic fontem, unde Romanæ deliciæ *margaritarum* nomen hauſerunt, quod origine Barbarum eſſe, auctoritate PLINII demonſtravi in *Perl.* Hodie *gries* eſt lapis contritus, ut paulo ante diximus. Sed nihil obſtat, quo minus active ſenſu lapidem ſignificet. Quid enim non conterit lapis duritie ſua?

GRIESBEREN, ceraſa, Dial. Suevica. A lapide vel officulo intra baccam. Et ab illis officulis arbor ipſa Francis vocatur *griesbaum*. Gloſſ. Pez. ceraſus *chrieſboum*. Confer tamen *kirſche*.

GRIFF, varios habet ſignificatus, quos vide in familia verbi *greiffen*.

GRIFFEL, ſcalpellum, radula. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *crafel*, Angloſax. *græf*, Græc. γραφίον, Lat. *graphium*. Cuncta a *graben* ſculpere, ſcalpere.

GRILLEN, ſpecies mentis falſæ, inanes, & ſæpe inquietæ, *grillen-fænger* homo cerebroſus, qui inanibus ſtudiis diſtrahitur. Senſus a picturis ridiculis, quæ Latinis *grylli*, ad fatuas mentis imagines translatus, quia mens illas pingere videtur, ut pictor chimæras. PLINIUS Lib. XXXV. Cap. 10. de Antiphilo: *Idem jocoſo nomine Gryllum ridiculi habitus pinxit. Unde hoc genus picturæ* GRYLLI *vocantur*. Auctor etymologiæ eſt MARTINIUS. De pictoria mentis facultate vide POIRETUM libro de ſuperficiaria eruditione Art. 5. ſeq.

GRIMM, rigor, aſperitas, acerbitas. BEDA Lib. III. Hiſt. Eccl. Cap. 19. *winter grim and ceald mit iſe gebunden*, hyemis rigor & frigus glacie conſtrictum. Quemadmodum Latinis *rigor* eſt a ῥίγόω frigeo, ſenſu a rigore frigoris ad omnem rigorem traducto: ita Saxonibus *grim* eſt rigor, a κρυμός frigus, vel κρυμόω frigeo, quia rigor eſt aſperitas naturalis frigori vehementi & conſtringenti ſimilis.

GRIMM, rigidus, vehemens, intenſus. Ex eodem fonte. Inde Cambris *crimprew* gelu acuminatum, & Suevis in Algovia *grimmkælte* gelu intenſum.

GRIMM, fævus, atrox, & ſimilia. Gloſſ. Keron. dirum *crimmiu*. Gloſſ. Boxh. *crimmi* effera, fæva, *crimmirun* ferociora. Gloſſ. Pez. effera *grimmaz*, ferociſſimæ *crimmiſtun*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *grim* atrox, crudelis, *grimman* fævire. VEREL. in Ind. *grima grimmur* trux, fævus. Boreales, qui inclementiam cœli præ cæteris ſentiunt, vocem ab hiberno & intenſo frigore ad aſperitatem animi ſignificandam transtuliſſe, recte judicat JUNIUS in Obſ. ad Will. pag. 127. Gallos & Italos a *grim* habere ſuum *grimace* vultus tetricus, & *grimazzo* ſpecies terribilis, JUNIO & VEREL. aſſentior.

GRIMM, ira, furor, fævitia. VEREL. in Ind. *grimd* fævitia. Gloſſ. Pez. rabiem *uuotkrimmi*. WILLERAMUS Cap. IV. 8. *mit liſſe unte mit grimme*, aſtutia & fævitia. Proprie eſt rigor (*hærte, ſtrenge*), translatumque ab intenſo frigore ad omnem animi aſperitatem, præcipue iram & fævitiam.

GRIMMEN, eſt a ſubſt. *grimm* ira, furor, fævitia, non vice verſa, & ſignificat quantum poteſt, *iraſci, irritare, ſævire, fremere.* Varie autem effertur in Dialectis, ut ex inductione patebit.

GRIMMEN, iraſci, *ergrimmen* acerbe iraſci.

GRIMMEN, irritare, exaſperare, provocare adiram. V. *græmen.*

GRIMMEN, fævire. Hoc ſenſu Angloſaxones dicunt *grimman*, & fortaſſe etiam Franci. Nam verba OTFRIDI de columba Lib. I. Cap. XXV. 56. *mit fuazin ni krimmit*, cel. SCHILTERUS vertit, *nec pedibus ſævit.* Hodie *grimmen* eſt imperſonale, ſignificans *cruciare, moleſtia afficere.* Sic vulgo dicunt, *es grimmet mich im bauch*, quando cruciatum in inteſtinis ſentiunt. Et hinc porro tormina ventris vocantur *bauch-grimmen* cruciatus iliaci. Quamvis etiam furores iliacos denotare poſſit. LUTHERUS ſcribit *krimmen* Apoc. X. 9.

GRIMMEN, fremere, *grisgrimmen* dentibus colliſis fremere. De hoc comp. vide plura in *grisgrammen.*

GRIMMIG, fævus, atrox, *grimmig thier* belua, fæva beſtia. A *grimm* furor, quaſi furore præditus, ob terminationem *ig*, quam vide in PROLEGOM. Compoſitum rite factum, ſed novum. Veteres utuntur ſimplici *grimm.* Et Suecis fævus etiamnum *grym* dicitur.

GRIND, achor. HELVIGIO eſt ab Heb. *garad* ſcalpſit, per epentheſin. Aliis a *crudus.* Aliis a *rinde* cortex, quaſi *gerinde* collective, quia morbus ille caput cruſta obducit. Forte nihil aliud eſt quam ſanies capitis. Nam *gor* Cambris eſt pus, ſanies, & *goryn* puſtula, papula, interprete BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Unde fieri poterat *grind* per paragogen. Cur Celticæ origines aliis præferendæ ſint, jam ſæpe expoſui. Dicitur etiam de capite non morbido, ſed per contemptum tantum.

GRINDEL, peſſulus. Angloſaxonibus *grindle* eſt obex, repagulum, *greate grindlas* magna vincula, apud SOMNER. in Dict. Scriptoribus Francis *iſene grindila* ſunt vectes ferrei, & *fergrindelon* vectibus munire, apud SCHILTERUM in Gloſſ. pag. 406. Hodie ſuperat apud Belgas & Helvetios, quibus *grendel* eſt peſſulus, *grendelen* peſſulo obſerare. Unde, niſi a Gr. κλεῖθρον transpoſitis literis?

GRINSEN, corrugari. A transalpino *grinza* ruga. Inde Belgis *grynzing* vultus tetricus, frons rugis arata. Unde Italis ſit *grinza*, collige ex dictis in *runzel.* Aliis *grinſen* eſt *lacrymari*, & frequentativum a *greinen.*

GRISGRAMMEN, fremere, dentibus frendere. Verbum a Francis relictum. NOTKERUS Pſal. XXXVI. 12. *der ſundigo huotet des rehten, unde griſcramot in ana*, peccator obſervat juſtum, & fremit dentes ſuos ſupereum. Pro quo LUTHERUS: *und beiſſet ſeine zæne zuſamen über ihn*, Pſal. XXXVII. 12. Dicitur etiam *grisgrimmen.* Gloſſ. Pez. ſtridebo *griscrimmon*, ſtrident *cruscrimmunt.* Quod non de quovis ſtridore, ſed eo tantum, qui dentibus colliſis editur, accipiendum eſt. Componitur enim a *grimmen* fremere, & *griſt* (per apocopen *gris*) ſtridor, vocabulo a Gothis oriundo, quibus *kriuſtan* eſt collidere, & *kruſts* ſtridor ex colliſione. Utrumque dicitur de colliſione & ſtridore dentium. Marc. IX. 18. *jah kriuſtith tunthuns ſeinans.*, & collidit dentes ſuos. Matth. VIII. 12. *grets jah kruſts tunthiwe*, fletus & ſtridor dentium. Subſtantivum Gothicum agnoſcit quoque interpretatio Angloſaxonica, quæ in priori loco habet *griſtbitath*, in poſteriori *griſtbitung*, quorum compoſitio manifeſta eſt a *griſt* ſtridor, colliſio, & *bitan* mordere.

GRIT, pax, ſecuritas. A *frith, fried*, mutato F. in G. Vox Saxonica. SOMNER. in Dict. Angloſax. *grith* pax, *grith-bryce* pacis violatio, *handgryth* pax manu data, *grithian* pacificare. VEREL. in Ind. *grid* fides & ſecuritas publica, *gridbrek* pacis publicæ & privatæ fractio, *gridhote* mulcta regi debita a violatore pacis publicæ.

GRIT, pugna. Vox Celtica, quam hodie cuſtodiunt Cambri apud Britannos, Celticæ linguæ in nobili illa orbis parte hæredes. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *gryd* prælium, conflictus, pugna. Græcis κρότος eſt pulſus, a κρούω pulſo, percutio. Et prælium quid eſt, niſi certamen, ſe mutuo pulſantium? Poſtea ſenſus a pugna ad omnes contentiones, conflictibus ſimiles, translatus eſt. Inde *grit* jurgium, rixa, lis, *griteln* rixari, *gritler* rixator, *gritlich* rixoſus, contentioſus, *griz-kopf* vitilitigator, caput litigioſum.

GRITMAN, judex, prætor. MARCINIUS in Lex. Philol. *Gritmannus, grietman, præfectus pagorum, prætor ruſticus. Friſicum vocabulum griet, contractum ex gerichts judicium.* Sed hac contractione minime opus eſt. Malim *gritmannum* vocare a *grit* contentio forenſis, cauſa ligitioſa, vel a *grit* pax. Nam utramque perſonam ſuſtinet judex, & *præfecti cauſarum*, & *præfecti compoſitionum.* Cætera vide in *man*, quatenus eſt nomen dignitatis.

GRIZWARTEL, arbitri pugnæ in ludis equeſtribus, quos torneamenta vocant, & inde nomen a *grit* pugna, conflictus, & *wartel* obſervator, præſes, inſpector. WEHNERO ſunt diſtributores præmiorum: quod merito refellit SCHILTERUS, quia talis diſtributio penes fœminas erat. Iidem vocantur etiam *grieswertel*, a *gries* arena, quaſi præfecti arenæ equeſtris. Utramque vocem exhibet *Gloſſarium Schilterianum*, ſed non explicat.

GRITLINGEN, *gritlings*, divaricatis cruribus. A *greten* divaricari crura, vel ejus frequentativo *gratlen*, quo hodie utuntur Suevi.

GRIZKOPF. V. *grit* pugna.

GROB, craſſus, ſpiſſus, denſus. Belgis & Suecis *grof*. Proprie eſt palpabilis, a *grappen* palpare, contrectare. Nam adjectiva, quæ denſitatem & ſpiſſitudinem conceptu ſuo involvunt, ſolent denominari a tactu, quia, quo ſpiſſior unaquæque res eſt, eo tactu facilior. Exempla vide in *dick* & *dicht*. Metaphorice dicitur de agreſti, inculto, & minime ſubtili, qui incivilibus dictis & factis alios offendit. Item de errore, qui ex ingenii ſtupiditate naſcitur.

GROB, gravis, ponderoſus, *grob geſchütz* tormenta maximi ponderis, *grob gelt* moneta gravis. Senſus a craſſo ad grave translatus, quia craſſa ſolent eſſe gravia. Metaphorice dicitur de gravioribus delictis, quia graviter offendunt, & graves pœnas luunt. Cum utroque ſenſu convenit Lat. *gravis*.

GROLL, rancor, ira latens. Verbale a *grollen* ſecreto indignari, murmurare, Anglis *to growl*, & hoc ni fallor tranſpoſitum e Gr. χολερὸν cholericum agere.

GROLZEN, *grölzen*, ructare, eructare ſputum vel tetrum odorem. Factum per metathef. a Suecico *rakla* ſcreare, quod eſt ab Islandico *rak* ſputum, ejectamentum, & hoc a *recken* ejicere. Græcis quoque ἐρεύγεσθαι eſt eructare.

GROSCH, moneta minor Germaniæ. Ab initio erat monetæ aureæ ſpecies, quam Latino-Barbari *groſſum aureum*, *groſſum regalem*, *auguſtalem* & *auguſtarium* appellabant, a *groſſus* craſſus, quod craſſa eſſet, & ex ſolido auro conflata; Vel potius a *croſs*, crux, quod cruce ſignata eſſet. Nam crux in multis Dialectis vocatur *croſs*, præcipue Anglica, Hibernica, & Islandica. VEREL. in Ind. *kroſs* crux, *kroſsmark* ſignum crucis. Meminit hujus monetæ Charta Friderici II. Imp. an. 1232. apud CANGIUM in Gloſſario: *Et poſitis aureos groſſos & denarios monetare*. Poſtea, vergente ad finem Sæculo, idem nomen communicari cœpit denariis, quamvis levioribus & ex lamina argentea factis, ſive quod craſſiores eſſent prioris ævi bracteolis, ſive quod cruce ſignati. Horum antiquiſſimi ſunt *Groſſi Turonenſes*, quorum imaginem ſiſtit BLANCUS in Monetis Franciæ, & qui illis proxime ſucceſſerunt *Pragenſes*, primi Bohemiæ, ſed ordine ſecundi, quia Wenceslaus Ludovicum S. imitari potuit, non Ludovicus Wenceslaum. Ille regnum depoſuit an. 1270. hic in humeros ſuſcepit an. 1283. Saxonia varios vidit groſſos, *fürſten-groſchen*, *hertige groſchen*, *judengroſchen*, *ſchwerdt-groſchen* &c. quorum explicationem dedit cel. MASCOVIUS in Diſſert. *de jure circa rem monetariam in Saxonia*.

GRÖSS, craſſus, ſubtili oppoſitus. Alamannis *groz*, Gall. *gros*, Angl. *groſs*, Latino-Barb. *groſſus*. Gloſſ. Keron. groſſitudine *grozzii*. Quod dicitur de groſſitudine veſtimentorum in Reg. S. Benedict. Cap. 55. Cuncta a Lat. *craſſus*. *Groſſus* pro craſſus auctoritate Vulgatæ Verſionis invaluit. Allegorice eſt rudis, ruſticus, incultus, etiam Latino-Barbaris apud CANGIUM. Inde Gallis *groſſier* eodem ſenſu. Germani hodie dicunt *grob*, ſed ex alio fonte.

GROSS, magnus, parvo oppoſitus. Angloſaxonibus & Anglis *great*, Francis *groz*, Belgis *groot*, Gallis *gros*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XVI. 41.

Sume ouh thie ginoza
Druogun ſtangun groza.

Vertit SCHILTERUS:
Quidam etiam conſortes
Portarunt perticas magnas.

JUNIUS vetuſtioribus Cimbris tribuit *gres*, & hoc deducit ex Ionico κρέσσων pro κρείσσων melior, potentior, in Obſerv. ad Will. pag. 187. Reliqui omnes arceſſunt a *craſſus*, vel *groſſus*. Nec id forſan inepte. Nam ſenſus potuit ampliari, & a denſo & ſpiſſo ad omnes dimenſiones transferri. Rarius occurrit apud Antiquos. Uſitatius & omnibus veterum Dialectis commune vocabulum vide in *michel*.

GROTTE, antrum, ſpecus, caverna. Gall. *grotte*, Ital. *grotta*, Lat. Barb. *crota*. A *gruft* per ſyncopen, auctore SPELMANNO.

GRUBE, fovea, caverna, latrina: Goth. *grobs*, plur. *grobos* Matth. VIII. 20. Angloſax. *græf*, *græp*, *græpe*, Franc. *gruobo*, *kruopo*, Island. *grifia*. Gloſſ. Pez. caveas *kruopa*, *bolir*. TATIANUS Cap. LXIX. 6. *oba iz bifellit in gruoba*, ſi ceciderit in foveam. Quibus conſentit Æolicum χηραβὸς antrum, luſtrum ferarum, Latinum *ſcrobs* foſſa, & Gallicum *creux* cavum profundum. Cuncta a *graben* fodere. Quid enim eſt fovea, niſi foramen e terra effoſſum?

GRUBELN, *grübeln*, ſcrutari, rimari, inveſtigare. Utitur hoc ſenſu OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXV. 127. ubi tamen vitioſe & metri cauſa *grubilo* ponitur pro *grubilot*, inveſtigat. Sic enim vertit SCHILTERUS. Primus & proprius verbi ſenſus eſt fodere. Gloſſ. Pez. fodit *grupilot*. Transferri autem cœpit per metaphoram ad profundum ſcrutinium, quia curioſi indagatores ſimiles ſunt foſſoribus, qui aurum vel ſimile quid in viſceribus terræ fodiendo quærunt.

GRUBEN, recumbere, in herba vel menſa &c. *grube ein wenig* recumbe parumper. Utuntur hodie Suevi & in ultima Thule Islandi. VEREL. in Ind. *gruſa*, *liggia a gruva* pronus jacere, *gruſde hun ofan i hals hanum* prona cervici ejus incubuit. Oritur haud dubie a Lat. *cubare*, transpoſitis literis. Anglis hoc verbum excidit: Sed ab illo habent *groveling* pronus, quod SKINNERUS male arceſſit a ſitu fodientium, tanquam eſſet a *graben* fodere. Miror HENISCHIUM Suevum hoc verbum in Theſauro ſuo omiſiſſe.

GRUFT, antrum, ſpecus, caverna. Græc. κρύπτη, Lat. *crypta*, Angloſax. *cruft*. A κρύπτω abſcondo.

GRUME, mica, panis vel ſalis. Angloſax. *cruma*, Belg. *kruim*, Angl. *crum*. SOMNER. in Dict. AS. *cruma* mica, *acruman*, *acrymman*

man friare, in micas frangere. Duci ſolet a Lat. *grumus*, ſenſu a glebis terræ concretis ob ſimilitudinem ad micas panis translato. Ita videntur ſentire MARTINIUS & SKINNERUS. JUNIUS, qui Græcas origines præferre ſolet Latinis, hic iterum Græca inculcat, in Append. ad Gloſſ. Goth. pag. 420. *Omnia*, inquit, *manifeſto ſunt affinia Græco τρίμμα, quicquid in minutas partes ac veluti micas comminutum contritumque eſt. Heſychio quoque θρύμματα ſunt κλάσματα τῦ ἄρτυ, fragmina panis.* Literam vero T. ejusque aſpiratam TH. ſæpe tranſire in C. exemplis aliquot Latinis probat. De permutatione literarum T. & K. vide *Proleg.* Sect. III. Faver conjecturæ analogia, quia micæ alias vocantur *broſamen*, a *bros* fragilis, & fragmina *brocken*, a *brecben* frangere. At HELVIGIUS ad Hebræos usque adſcendit, & *grumos* derivat ab Heb. *garam* grumulos fecit, in fruſta comminuit.

GRUMMET, *gronmat*, fœnum autumnale. Utitur Luth. Amos VII. 1. Vocem vitiatam eſſe ex *grobmat* fœnum cordum, haud abs re judicat STILERUS. Nam *mat*, quatenus eſt a *mayen* ſecare, fœnum denotare poſſe, nemo inficiari poteſt. *Grob* vero eſt craſſus; Et hujus generis eſt fœnum illud, quod in autumno demetitur. Verum, cum idem fœnum alia Dialecto dicatur *na-mat*, *na-graſi*, hoc eſt, fœnum ſerotinum, a *na*, *nach* poſt: hinc ſuſpicor, id, quod hodie dicitur *gronmat*, ab initio appellatum fuiſſe *maigron*, a Gr. μεϑαχρόνιον ſerum, ſerotinum.

GRUMPE, cumulus a talpa excitatus. Gr. θρόμβος, Lat. *grumus*. Ab utroque naſci potuit *grumpe*. Similem transmutationem vide in *grume*.

GRUN, *grün*, quatenus eſt verbale a *grünen* virere, quod docendi cauſa ſuppono, adjective viridem & virentem, ſubſtantive virorem & viretum ſignificat. SOMNER. in Dict. Angloſax. *grene* viridis, virens, frondens, *æl-græne* perviridis, *græs-groen* herbeus, gramineus. Gloſſ. Pez. gramina *gruoni*, virente planitie *kruonera epani*. Gloſſ. Boxh. *gruanti* virens, *gruan* vireta. Hiſce conſentire videtur Heb. *ragnan* viridis, transpoſitis literis.

GRUNEN, *grünen*, virere, creſcere cum virore. Hujus verbi triplex fuit facies ab antiquo, *grunen*, *gruen*, *growan*. *Prima* & *ſecunda* viguit apud Francos. WILLERAMUS Schilteri Cap. IV. 12. *alſo in demo garten allerſlahio krut gruonent*, ſicut in horto omnis generis herbæ virent. Ubi WILLERAMUS Merulæ habet *gruoient*, absque littera N. in medio verbi. Belgis *græyen* etiamnum eſt virere. Et ab hac verbi forma accepimus *kraut* herba. *Tertia* Saxonicis Dialectis propria eſt. SOMNER. loc. cit. *growan* virere, germinare, frondere, *growneſſe* viror, viriditas, germen. Inde Anglis remanſit *to grow* creſcendi ſignificatu. Quænam ex tot formis fuerit primigenia, cum omnes ex ſe mutuo naſci potuerint, ignoramus. Illa, qua hodie utimur ex traditione Francorum, judice HELVIGIO eſt a Gr. χρωννύω colorare, per adjectivum *grün*. Quod neſcio an ſit probandum. Suſpicor, Græcis κερνᾶν idem denotaſſe quod Francis & Germanis *grunen*. Idque colligo ex derivato κορύνησις, quod apud HESYCHIUM exponitur βλάστησις, h. e. germinatio. Quæ vox mire convenit cum Saxonica *growneſſe*.

GRUND, fundus, *erbgrund* fundus hæreditarius, *grundherr* dominus fundi, *grundzins* cenſus pro fundo, *grund-rur-recht* jus in bona naufragorum, quæ littus attingunt. SOMNERUS in Dict. Angloſaxonico *grund* fundus, terra plana, ſolum. VEREL. in Ind. *grund* fundus, ſolum. Hic primus & antiquiſſimus vocis ſignificatus, quem JUNIUS derivat ab AS. *growan* virescere, per participium *growend* virens, ut proprie ſit terra viridis. Mihi videtur convenire cum Græc. χωρίον fundus, ager, campus.

GRUND, fundamentum, *grund legen* fundamentum jacere. Senſus a ſolo ad fundamentum translatus, quia fundamentum eſt ſolum ædificii. SERVIUS in 5. Æn. *Unicuique rei quod ſubjacet, ſolum eſt ei, cui ſubjacet.* Cambri, Angloſaxones, & hodie Sueci utuntur compoſito *grwndwal*, *grund-weall*, *grund-wal*, pro fundamento. Vocem Cambricam exhibet BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. Angloſaxonicam Verſio ſacra Luc. VI. 48. Ubi Codex Argent. habet *grundiwaddjau*, ſed judice STIERNHIELMIO vitioſe, qui mallet hanc vocem ad ſimilitudinem reliquarum refingere, quod in medio relinquo. Proprie autem eſt fundamentum murale, a *wall* murus.

GRUND, quatenus fundamentum notat, per metaphoram transferri ſolet (1.) ad principium & initium rerum. NOTKERUS Pſal. LXVII. 14. *rakke, dar die federa crunt eigen*, dorſum ubi pennæ radicem habent. Pſal. LXXII. 44. *ſoubten crunt laccha uuazzero*, quærebant ſcaturigines aquarum. Utrumque locum obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario. Nos inde habemus *grundſprache* lingua matrix, in qua aliæ ſunt radicatæ, *grund-bös* ab origine malus. (2.) ad cauſam & rationem, cui opinio aliqua ſuperſtruitur. Inde *grund* cauſa, ratio, *genugſamer grund* cauſa ſufficiens, & hinc porro *ergründen* cognoſcere per cauſas, *unergründlich* quod a mente humana inveſtigari nequit.

GRUND, fundum, ſive infimum rei, *grund-ſuppe* fæx, ſedimentum in fundo. Senſus a fundamento ad fundum translatus, quia ſicut fundament. eſt infimum ædificii, ita fundum eſt infimum cujuscunq; rei aliquid continentis.

GRUND, quatenus infimum rei notat, transfertur ad omnia, quæ procul ſunt a ſuperficie, præcipue ad profundum & intimum rei. Inde *grund* profundum vel profunditas maris, ſtagni &c. Utitur interpres Angloſax. Luc. VIII. 31. *tha bædon hig hyne, thæt he hym ne bude, thæt hi on grund ni biſcutun*, tunc rogaverunt illum, ne impera-

peraret illis, ut in profundum præcipites irent. Ubi LUTHERUS habet *tieffe*. Præcipua compoſita ſunt, *ſees-grund* fundus maris Dial. AS. *abgrund*, de cujus duplici ſenſu actum in A. *herzens-grund* intima cogitatio, intimus affectus. Latinis dicere licet *imus*, etiamſi proprie ſit infimus.

GRUNDEL, *gründling*, piſciculus, fundo aquæ adhærens, & inde ducta appellatio, ſicut Latinis *fundulus* a *fundum*.

GRUNDEN, *gründen*, quatenus derivatur a ſubſt. ſignificat quantum poteſt, fundare, ſi derivetur a *grund* fundamentum, ſcrutari profundum, ſi derivetur a *grund* fundum.

GRUNZEN, grunnire, γρυλίζειν, Angloſax. *grennian*, Angl. *to grunt*, Gall. *groigner*. Dicitur de voce naturali porcorum, ſive per imitationem ſoni, quam onomatopœiam vocant; ſive a nomine Celtico roſtri, quod Armoricis, Hibernis, & Gallis vocatur *groin*, Italis *grugno*. Puto a Græc. ῥύγχος roſtrum ſuis, tranſpoſitis literis.

GRUSCHE, *grüſche*, furfur. Angloſax. *gretta*, Ital. *cruſca*. Duobus modis conſideràri poteſt, vel ut purgamentum farinæ, tunc videri poteſt ſic dictum quaſi *cretum*, a *cernere*, *ſecernere*, *excernere*; vel ut ſcobs frumenti, quæ molendo deteritur, & tunc erit a *grüſen* comminuere. Prior etymologia eſt FERRARII in Orig. L. Italicæ, poſterior MARTINII in Lexico Philologico.

GRUSEN, *grüſen*, conterere, comminuere, redigere in rudus. Extat apud HENISCHIUM in Theſ. L. Germ. pag. 1760. De hoc verbo antiquiſſimo vide plura in *grut* ſcobs.

GRUSSEN, *grüſſen*, ſalutare, ſalutem dicere. Senſus verbi Saxonicus a Lat. *gratia* vel Gr. χάρις oriundus. Evang. Angloſax. Marc. XV. 18. *and ongunnon hyne thus gretan*, *hal wæs thu Judea cyning*, & cœperunt eum ſalutare hoc modo, ſalve rex Judæorum. BEDA in Præf. ad Hiſt. Eccl. *ic Beda Criſtes theow*, *meſſepreoſt ſende gretan*, ego Beda ſervus Chriſti & Presbyter mitto ſalutem. Idem Belgis *groeten*, Anglis *to greet*. Franci hoc ſenſu dicunt *heilizen*, ab *heil* ſalus. TATIANUS Cap. IV. L *ingieng tho in hus Zachariaſes*, *inti heilizita Heliſabeth*, & intravit in domum Zachariæ, & ſalutavit Eliſabeth. De verbo Gothico *goljan*, vidimus alibi.

GRUSSEN, *grüſſen*, compellare, alloqui. Senſus verbi Francicus. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XX. 139.

Joh uuorton unſuazen
Bigondun inan gruazen.
Vertit SCHILTERUS:
Et verbis acerbis
Cœperunt eum compellare.

Hodie utimur compoſito *begrüſſen* comiter compellare. Plures Francorum ſignificatus, ſed hodie extinctos, cujusmodi ſunt, *vocare*, *provocare*, *concitare*, *irritare*, vide apud JUNIUM in Obſerv. ad Willeram. pag. 288. & noviſſime apud SCHILTERUM in Gloſſario pag. 407.

GRUT, ſcobs. Angloſax. *greot*, Belg. *grut*, Angl. *grit*, Gr. γρῦ, γρύτη, Latinis præfixo ſibilo *ſcrutum*. Proprie eſt pars minima ex attritu. Nam comminuere, conterere, & in minutas partes confringere Gothis dicitur *krotan*, Suecis *kroſſa*, Anglis *to crush*, Belgis *gruiſen*, Germ. quibusdam *grüſen*. Evang. Goth. Luc. XX. 18. *hwazuh ſaei driuſith ana thana ſtain*, *gakrotuda*, omnis qui ceciderit ſuper illum lapidem, conquaſſabitur. Gallos inde habere *écraſſer*, ſatis manifeſtum. Omnibus conſentit Heb. *garaſch* contudit, trivit.

GRÜTSE, *grütze*, far comminutum, fruſta farris hordeacei, grana hordei contrita. Angloſax. *grut*, *gryt*, Belg. *grutte*. Rurſus a notione conterendi. Differt a *kritſe* quod ſcalpendo abraditur. Nam hoc eſt a *kratzen* radere.

GUCKÆNE, ultimus & remotiſſimus avorum Dial. Suevica. Id eſt, dux avus, vel ductor avorum, a Gr. ἀγωγός, & dicitur de avo remotiſſimo, quia ſeriem avorum ducit, ceu totius familiæ patriarcha. Cætera vide in *æne*.

GUCKEN, *kucken*, ſpectare, proſpectare. Belg. *kyken*, Sax. inf. *gyken*. Utitur Luth. Joh. XX. 11. Cant. II. 9. & paſſim. Vel contractum eſt ex *ge-augen*, ut *gunnen* ex *geunnen*: Vel ductum *ämſigs* ab *aug* oculus. Similia verba ab oculo per prosthesin formata vide in *ſehen*, *ſchauwen*, *ſuchen*, *lugen*. Præcipuum compoſitum eſt *ſtern-gucker* aſtronomus, contemplator ſyderum.

GUGUCK, avis ex accipitrum, ut ferunt, genere. Gr. κόκκυξ, Lat. *cuculus*. Haud dubie a cantu repetito *ku*, *ku*, a quo carmen ineptum etiammum *carmen cuculi* dicitur. Operæ pretium eſt, hoc loco de *Onomatopœia*, quæ in fingendis nominibus non rationem, ſed aurem ſequitur, aliquid dicere. Onomatopœia eſt, quando impoſitio nominis imitatur ſonum rei. Hoc principium in omnibus linguis innumera peperit vocabula. In regno animali multæ voces ita ſunt comparatæ, ut videri poſſint omnibus nationibus ab ipſa ſuggeſtæ natura. Græcis balatus ovium dicitur βᾶ, βαᾶ, & per epenthesin βλακή, micatus caprarum μηκή, a ſono quam edunt iſta animalia. Hinc porro invaluerunt verba apud omnes Gentes clamores animalium imitantia, cujusmodi ſunt apud Græcos βληχάομαι, μηκάω, κρώζω, πιπίζω, κοκκύζω, ὀλολύζω, & ſimilia. Latini habent *balare* ab ovibus, *micare* a capris, *glocire* a gallinis, *mugire* a bubus, *coaxare* a ranunculis, *crocire* a corvis, *ululare* a lupis & bubonibus, *pipire* ab avium pullis. Germanis ex eadem ſchola prodiit *mekern*, *pipen*, *bleken*, *heulen*, & plura alia, quæ Naturæ accepta referre fas eſt, cujus vox apud omnes Gentes, quamvis moribus & linguis diſcordes, eadem eſt, & omnibus Gentium inter ſe commerciis antiquior. Hujus concentus tam admirabilis atque jucundi documenta proſtant quoque in ipſis animalium nominibus, ſi non omnium, certe

certe non nullorum. Hinc idem animal Græcis vocatur βοῦς, Latinis *bos*, Cambris *bu*, a mugitu, quorum poſtremum hodie ſuperat in lingua puerili apud Suevos. Græci non ſemper naturam dicentem voce ſequuntur, crebrius Latini & Germani. Hinc monſtrum illud noctis, quod noctua vocatur, Latinis per imitationem dicitur *bubo, cucuba*, Germanis *ubu*. Unde, niſi a clamore lugubri? Eſt enim bubo avis, ut PLINIUS ait, funebris, *nec cantu aliquo vocalis, ſed gemitu*. Lib. X. Cap. 12. Multitudo nominum oritur vel a multitudine generum hujus volucris, vel a diverſa aurium perceptione. Sunt enim, quibus bubo non bubare, aut huare, ſed ututare videtur. PLAUTUS:

Tu iſtbic, inquam, vin' afferri noctuam,
Quæ, tu, tu, usque dicat tibi.

Prorſus ut Hiſpanis culculus non cuculare, ſed tucare videtur. Et hinc fortaſſe *tucus* pro culculo apud ISIDORUM Lib. XII. Cap. 7. *Tucos, quos Hiſpani culculos vocant, a propria voce conſtat nominatos*. Præ cæteris vero lingua Germanica in formandis volatilium nominibus felix & fertilis eſt. Sic fringillam ſolent vocare *fink*, a cantu *bink, bink*, quem Latini per epenthesin literæ caninæ vitiant magis quam imitantur: Gallinam matrem *gluck-henne*, ab anxia voce *gluck, gluck*, unde Latinis *glocitare:* Graculum *heher*, ab incondito clamore *he, he*. Omitto *pipi*, quod eſt nomen avis in Lingua puerili inferioris Saxoniæ, & *gagack* anſeris, in eadem Lingua Sueviæ. Quæ, quamvis parvula ſint, non debent a curioſis contemni. Ad hanc igitur claſſem referri quoque debet nomen *gugguck*, quod omnino ab archetypa voce petitum. Nomen Celticum vide in *gauch* culculus.

GULDEN, aureus. Angloſax. *golden, gylden*, Franc. *guldin, chuldin*. Gloſſ. Boxh. *pleb guldbiniu* bracteas, laminas aureas, *effeli chuldine* mala aurea. A *gold* aurum.

GULDEN, nummus aureus. Quamdiu ſtetit imperium Græcorum, magnus fuit aureorum imperialium, qui *Byzantini* inde vocabantur, in Germania uſus. Sed tamen & Reges populorum Germanicorum, Francorum præſertim & Burgundionum, jam diu monetam auream, & ſua quidem imagine ſignaverant, ut adverſus PROCOPII auctoritatem probavit HADRIAN. VALESIUS. Ex aureis Imperatorum Germanicorum celebres maxime ſunt auguſtales FRIDERICI II. anno 1231. cuſi, qui ab uno latere caput hominis cum media facie, in altero aquilam repræſentant. Qualis in opulentiſſimo Magnifici SENATUS LIPSIENSIS Muſeo aſſervatur. MASCOV. in Diſſ. *de jure circa rem monetariam in Saxonia.*

GULDEN, nummus argenteus, alias *florenus*, forte ſic dictus, quod ad imitationem aureorum Florentin. conflatus, & inauratus fuerit. Inauratum ipſe habui, & in Theſauro Numismatum Brandenburgico depoſui. Saxones inter *gulden* & *gülden* diſtinguunt. Et illi quidem minorem, huic majorem valorem tribuunt. Interim vox tam æquivoca, quæ de utraque moneta, aurea & argentea, & diverſimode dicitur, ſæpe dubiam reddit veterum tabularum interpretationem. Vide *Diſſertationem* paulo ante laudatam.

GUMPEL, *gimpel*, procus. A Gr. γαμέω nubere.

GUMPEN, *gampen*, pedibus humum plodere, ut ſolent pueri petulantes, & equi laſcivientes. Græcis κομπεῖν eſt ſtrepitum edere jactu pedum, forte aliqua affinitate.

GUN, vir. Vox Islandica, & forte a *kenen* poſſe, valere, orta. VERELIUS in Ind. *gunni* viri, homines, *gunfani* dominus virorum, rex, princeps, dux, *gunmunder* populi tutor ſive rex. Hic ſignificatus ideo erat recentandus, quia lucem præbet nomina propria inveſtigantibus. Quædam maſculina vide in *bald* audax. Ad fœminina ſpectat GUNTRUDA viro chara vel fida.

GUND, vira, virago. A *Gun*, vir, ut *ſwintha* puella a *ſwein* puer. Alii *gund* interpretantur *vulvam*, duce NOTKERO in Valeſianis pag. 74. *Quædam mulier nomine* GUNDA, *femora denudare, crura divaricare, & pudenda proprio nomini cognomina cœpit oſtentare*. Patet inde, inquit KEYSLERUS, quid ſentiendum de nomine proprio *Cunigundæ*. Imo non patet. Plane enim indecorum & verecundiæ antiquæ contrarium eſt, ut nomina puellarum a *canno* effingantur. Neque huic opinioni favet NOTKERUS. Nam mulier illa GUNDA, de qua agit Notkerus, certe non *cunnum*, ſed *viraginem* denotat, etiamſi ad *cunnum* alluſionem faciat Notkerus, aut neſcio quis alius, cui verba citata tribuuntur. Et hinc interpretationem quoque capiunt compoſita, cujusmodi ſunt,

ADELGUNDA, virago nobilis.
CUNIGUNDA, virago regia.
GUNDABERGA, virago ſoſpita. A *bergen* ſervare. Nomen Reginæ Longobardorum apud Paul. Diaconum.
FREDEGUNDA, virago tutrix. Regina Francorum apud Gregor. Turon. A *frieden* tueri.

GUND, bellum, prœlium. Vox Francica & Vandalica, ſed paulum deflectens ab Angloſaxonica *gud* ejusdem ſignificatus. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *guth* bellum, *guth-herge* legio, turma militaris, *guth-lac* belli munus, militia, *guth-ſpell* belli nuntium, prœlii narratio. Celtas eodem ſenſu dicere *cat*, ſupra demonſtravi in loco. A Celtico *cat* igitur eſt Saxonicum *guth*, a *guth* Francicum *gund* per epenthesin, a *gund*, Islandicum *gunn* per apocopen. Nam hoc vitium paſſa eſt vox Francica apud Septentrionales. VEREL. in Ind. *gunn* prœlium. Intereſt rei etymologicæ has mutationes noſſe, quia his niſi probe cognitis & perſpectis de nomi-

nominibus propriis antiquorum judicium ferri nequit. De nominibus a *cat* oriundis, jam vidimus ſupra in voce. Reſtat, ut ea, quæ a *guth* & *gund* oriuntur, perpendamus. Hujusmodi ſunt,

GONTHARIS, *Guntharis, Günther*, pugnax, bellicoſus. Godigiſeli Vandalorum Regis filius, apud Procopium.

GUNDERICUS, bellipotens. Rex Vandalorum in Hiſpania, apud Iſidorum in Chronico.

GUNDEMUNDUS, vir bellicoſus. Rex Vandalorum in Africa, Giſerichi magni nepos, apud Procopium. A *mund* vir.

GUNTRAMNUS, bello validus. V. *ram*. Rex Francorum apud P. Diac.

GUNDOBALDUS, bello ferox. Recurrit in *bald* audax.

GROTIUS, quoties *gund* offendit in nominibus propriis, *benevolum* aut *benevolentiam* interpretatur. Quod minime feciſſet, ſi rerum vocis ſignificatum, qui nunc primum in lucem prodit, cognitum habuiſſet. A Saxonico *guth* eſt CUTHBERTUS, bello clarus. Quo nomine claruit quidam Sanctus.

GUNDFANE, labarum, vexillum militare. A *gund* bellum, & *fane* vexillum. SOMNER. loco citato: *guth-fana* labarum. Gloſſa antiq. apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 34. *chundfano, heripauchan*, vexilla victoriæ. OTFRIDUS Lib. V. Cap. II. 17.

Drag thu, giloubi thu mir,
Then Gundfanon anan thir.

Vertit SCHILTERUS:

Portato, crede mihi,
Hoc vexillum in te.

Ubi ſignaculum crucis vocatur vexillum ob ſimilitudinem cum labaro. EPINIC. R. Ludov. v. 53.

Tho nam her Godes urlub,
Huob her Gundfanon uf.

Vertit SCHILTERUS:

Tunc cepit is Dei veniam,
Suſtulit vexillum claſſicum.

VERELIUS in Ind. *gunfana* militum vexillum. Vocem Scandicam imitantur priores Galli in *gonfanon*, Itali in *gonfanone*. SCHILTERUS priorem compoſiti partem (nam poſterior nullam habet difficultatem) derivat a *kunden* indicare, denunciare, ſignum dare, ut vexillum illud ſit velut index belli. Quod tolerari poteſt, etiamſi ſatis manifeſtum ſit, ſignum belli pro ipſo bello male ſubſtitui in voce. MENAGIO *gon* in voce Gallica eſt particula *con*, nullo aut inepto ſenſu. Dicitur autem *vexillum belli*, ut diſtinguatur, cum ab Eccleſiarum vexillis, quæ & ipſa in præliis & bellis præferri ſolebant, tum a vexillis, quæ auctoritate judicis in prædiis erigebantur, de qua conſuetudine agit CANGIUS in voce *wifa*. A *gund-fane* Latino-Barbaris eſt *gonfanarius* & *guntfanonarius* vexillifer, apud eundem.

GUNKEL, colus. V. *kunkel*.

GUNNEN, *gönnen*, favere. Componitur a præfixo *ge*, & ſimplici *unnen* ejusdem ſignificatus. VEREL. in Ind. *unna* favere, ſtudere alicui, cupere. Islandis *unna* etiamnum eſt favere, *eg ann* faveo. Idemque Græcis *ἐυνοέω* & *ἐυνοεῖν*. Quod nobis pro etymo eſſe poteſt. Francis *unnen* eſt verbum medium, ſignificans bene & male cupere. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XV. 28. *mir unnis alles guates*. Ubi tamen vitioſe legitur *runnis*. NOTKERUS Pſal. XXXIV. 4. *die mir ubeles unnen*. Hodie quoque *gönnen* & *gunnen* in utramque partem uſurpantur. Sic vulgo ajunt: *er gönnet ihm nicht viel gutes*. Item: *unglück hat mehr gönner als mitleyder* &c.

GUNNEN, *gönnen, vergünnen*, concedere ex favore. Senſus verbi metonymicus, ab affectu ad effectum translatus. Rurſus ab antiquiori *unnen*, ejusdem ſignificatus. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *unnan* dare, donare, concedere, indulgere, *unne* licentia, venia, libertas, conceſſio, permiſſio, *geunnan* concedere, donare. NOTKERUS Pſal. XIX. 5. *unne er dir nach dinemo uuillen*, tribuat tibi ſecundum cor tuum. Apud OTFRIDUM Lib. III. Cap. XXII. 57. occurrit *giunſta* dedit, conceſſit; cui loco inſigniter vitiato medicinam attulit SCHERZIUS in notis. SOMNERUS originem hujus verbi ducit a Lat. *annuere*. Quod, etiamſi Septemtrio voces ſuas non ſoleat a Romanis accipere, facile admitterem, niſi alius ſignificatus præcederet.

GUNST, gratia, favor, benevolentia. A *gunnen* favere. Compoſitum a compoſito, quo utitur etiam ISIDORUS Cap. V. 7. *beit dhazs ir ſih auur dhurah hreuun mahti chigarauuan zi chienſti*, expectans ut ſe iterum per pœnitentiam præpararet ad gratiam. Ubi vulgo male legitur *chiniſti*, cum legendum ſit *chienſti*, quod eſt a ſimplici *enſt* vel *anſt*, quo omnes veterum idiotiſmi (excepto Saxonico) uſi ſunt, & hoc ab *unnen* favere. Evang. Goth. Luc. II. 40. *anſts Goths was ana imma*, gratia Dei erat ſuper eum. Gloſſ. Keron. gratia *anſt*, gratiæ *enſti*, divinæ gratiæ *gotchundiu enſti*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. V. 35.

Farauua ni uuenti,
Fol biſtu Gotes enſti.
Noli mutare colorem,
Plena es gratia Dei.

Ubi apud FLACIUM male legitur *enſti*. Præcipuum compoſitum eſt *abgunſt* invidia, quod vide.

GUNST, conceſſio, permiſſio, venia. Angloſaxon. *unne*, ab *unnan*, concedere. Inde *gunſt-brief* literæ a domino feudi pro alienatione impetratæ, *mit gunſt* ſalva venia.

GUR, vir. Vox Celtica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *gwr* vir, mas, *gwerin* viri, *gwra*

nubere, *gwrach* anus, *gwraig* mulier, fœmina, uxor, *gwreng* homo plebejus. A *gur* proveniunt apud Latinos *augur* virjecoris, apud Gallos *loup-garou* lycanthropos, *garce* virago, per vituperium meretrix, *garçon* puer, juvenis, virunculus, *garçailleur* homo mulierosus. Cognata vocabula sunt *ur* & *wer* vir, quæ vide.

GURGEL, guttur, gula, jugulum, meatus cibi & animæ. Diminutivum a Francico *querca*. Gloss. R. Mauri de part. hum. corp. gurgulio *querca*, *chela*. Vox Francica est a Lat. *gurges* per metaphoram. Quemadmodum enim *gurges* est locus in flumine profundus, qui omnia gyrando ad se trahit: ita gula est quædam cavitas & profunditas colli omnia devorans. Hinc bona consumere heluando vulgo dicitur *durch die gurgel jagen*. Galli ex eodem fonte habent *gorge*, Itali *gorgia*. Latini eadem metaphora utuntur, quando hominem abdomini suo natum *gurgitem* vocant. Germani latius vocem extendunt, & nonsolum gulonem, sed etiam omnem eum, qui gulæ instar voracissimæ, rei alicui inhiat, eodem nomine designant. Inde */pil-gurgel* & *kriegs-gurgel* ludendi & bellandi cupidus.

GURGELN, fauces colluere. Arab. *gargara*, Græc. γαργαρίζειν, Lat. *gargarizare*, Ital. *gorgoliare*. Omnes hoc verbum derivant a substantivo, excepto RELANDO in Dissert. de American. pag. 148. ubi illud a sono, quem motus reciprocus in gutture excitat, effingit.

GURK, suber. V. *gork*,

GURKE, cucumis. V. *kurke*.

GURR, *gorr*, equus. VEREL. in Ind. *jor* equus, *jor-ræikr* fumus pulvureus equorum cursu excitatus. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *gorwydd* equus, caballus. Hodie apud Suevos *gurr* est equa, non quævis, sed vilis & macilenta tantum. Incertum quo sensu.

GURT, zona, cinctura. Hodie est cinctura equorum, olim etiam virorum. Hinc zona pellicea Johannis Baptistæ interpreti Gothico vocatur *gairda filleina* Marc. I. 6. Gothi, qui Græcos in multis vocibus imitantur, videntur eam accepisse a Gr. κίρκος circulus, & vinculo rotundo aptasse per synecdochen generis. Mutatio K. in T. neminem debet alienum reddere, cum jus commeatus habeat in omnibus & vetustissimis Linguis. Postea idem nomen, & ab iisdem Marc. VI. 8. communicari cœpit marsupio, quod antiquitus a cinctura penderet. Cujus moris perspicuus index est *crumena*, a κρεμᾶν suspendere sic dicta.

GURTEL, *gürtel*, cingulum. Anglosaxon. *gyrdel*, *gyrdl*, Franc. & Alam. *gurdel*, *curtil*. Gloss. Keron. cingulis *curtilon*. VEREL. in Ind. *gyrdil* balteus, cingulum. Diminutivum a *gurt*.

GURTEN, *gürten*, cingere, cingulo circumdare. Gothis *gaurdan*, *bigaurdan* Luc. XVII. 8. Anglosaxon. *gyrdan*, *begyrdan*, Francis & Alamannis *gurten*, *bicurten*, Suecis *giorda*, Belgis *gorden*, Angl. *to gird*, Island. *gyrda*. Gloss. Pez. accingentes *gurtenta*. Gloss. Keron. cincti *picurte*, succinctus *picurte*. VEREL. in Ind. *gyrda* cingere, *han gyrdi sig saxinu goda*, præstantissimo gladio se cinxit, *girdur fuerdi* gladio accinctus. An a Græc. γυρὸν in gyrum colligere? Unde ergo litera T. in medio vocis, ab omnibus Dialectis agnita & custodita? Certe non aliunde quam a subst. *gurt* cingulum. Nam huic soli verbum ab usu dicatum est.

GURTEN, *gürten*, sepire, septo circumdare. An quia septum cingulo simile? Dubito. Potius est a Græc. χόρτος septum. Vocem Græcam imitantur Septemtrionales. LOCCEN. in Lex. Jur. Sueo-Goth. *girde* septum, sepimentum. VEREL. in Ind. *gard* in Leg. passim notat sepem. Addit, *ab gerda sepire*. Sed fallitur vir doctus. Nam *gard* pro sepe est Græcæ originis, & ab illo ortum est *gærda* sepimento cingere. Verbum ejusque sensum hodie custodiunt Sueci, & quod sciam soli. Illis enim *gærda* est sepire, *gærdat* septus. Ab hoc verbo antiquissimo loca omnia septis munita nomen capere, pluribus ostendi in *gard*.

GUSS, quatenus est verbale a *giessen* fundere, effundere, significat quantum potest, *fusionem* seu fundendi actum, & *fusile* seu opus conflatum. Ad priorem significatum spectat, quando sanguinis effusio Anglosaxonibus dicitur *blodes-gyte* & *blod-geote*.

GUSS, quatenus est verbale a *giessen* fluere, significat *fluvium*, *fluorem*, & *inundationem*. SOMNER. in Dict. Anglosaxon. *gyte* inundatio. Gloss. antiq. apud JUNIUM in Obs. ad Will. pag. 117. *cussa* inundatio. TATIAS. Cap. XLIII. 1. *nidarsteic regan inti quamun gusu*, descendit pluvia, & venerunt flumina. Hodie utimur composito *wasser-guss*, sed de eluvione per imbrem tantum. Olim vero omnibus aquis fluentibus annectebatur. Inde nomina fluviorum antiquissima, *Visurgis*, *Ilargus*, *Itargus*, *Isargus*.

GUST. *güst*, sterilis, infœcundus, *güste kuh* vacca sterilis. Forte a Græc. ἀκοίτις concubitus expers.

GUT, bonus. Goth. *god*, *gods*, *goda*, Anglosaxon. *god*, Franc. *guat*, *guot*, Alam. *cuat*. Gloss. Keron. bonus *cuater*, bonum *cuat*, *cuates*, bonorum *cuatero*, bonos & malos *cuatiu indi ubiliu*, bonus sermo *cuataz uuort*, bonis actibus *cuateem tatim*. Inde Gothis *god falt* bonum sal Luc. XIV. 34. *goda bardeis* bonus pastor Joh. X. 14. Anglosaxonibus *god treow* bona arbor Luc. VI 43. *god weorc* bonum opus Marc. XIV. 6. Convenit Arab. *gad* bonus, & *giada* bonus fuit. Convenit & Græc. ἀγαθὸς & γαθός. Nam Theocritus Idyll. α. pro ὦ ἀγαθὲ posuit ὦ γαθέ, o bone. STIERNHIELMIUS cunctorum originem ducit ab Heb. *chadah* gaudere, unde Græcis γηθέω & Lat. *gaudeo*. Secundum hanc etymologiam bonum erit id, quo

quo quis frui cum gaudio & voluptate poteſt. Dicitur autem ſenſu latiſſimo, non ſolum de delectabili, ſed etiam de probo, de pio, de utili & juvante, de pulcro & honeſto, de integro & præſtanti, & de omni eo, quod ſecundum naturam eſt. Quæ ſi quis vellet in ordinem redigere ſingula, non unius horulæ, ſed integri anni ſpatio opus haberet.

GUT, res bona, bonum factum, ſors bona; & omne bonum corporis vel animi, quo quis melior aut beatior redditur. OTFRIDUS in Præf. ad R. Ludov. v. 11. *Drubtin hoh imo thaz guat*, dominus augeat ei hæc commoda, ſortem, felicitatem.

GUT, ſubſtantia, prædium, fundus, & quævis poſſeſſio, mobilis & immobilis, quæ, cum ſpectet ad bona fortunæ, merito ſic dicitur. BENSON. in Voc. Angloſax. *god* bona, *godleas* infauſtus.

GUT, benignus, benevolus, qui bonum alterius deſiderat, *güte* benignitas, *gütig* beneficus, *gütlich* amicus & amice, *gutheit* benevolentia, *begüten*, *begütigen* placare.

GUT, emenda & emendator. Gloſſ. Pez. ſatisfactionem *giuth*. Inde *gut thun* ſatisfacere, *vergüten* damnum factum aliquo commodo compenſare, *ich bin gut davor* cautor ſum. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *godian* reſtaurare, reſarcire. Ab hoc verbo cætera ſunt derivanda. Ipſum vero oritur a *gut*, quatenus notionem *integri* involvit. Bonum quippe verum eſt res ſalva & integra, cui nihil deeſt, quod ad perfectionem ejus requiritur.

GUT, nobilis. Huc ſpectat ex Evangelio Gothico *guds ragineis* nobilis decurio, quod dicitur de Joſepho ab Arimathæa Marc. XV. 43. & *manna godakunds* homo nobilis, quod dicitur de regulo Luc. XIX. 12. Sic autem vocatur, quod bono & præſtanti genere natus ſit, vel, ut alii exiſtimant, quod habeat amplas poſſeſſiones. Hinc *nobiles* a Scriptoribus medii ævi ſæpe vocantur *boni homines*. LEVOLDUS de Northof in Chron. Comit. de Marca an. 1262. pag. 389. *Capti ſunt uſque ad numerum XXC. bonorum hominum vel circiter militarium.* Ubi MEIBOMIUS, Levoldi editor, obſervat, *Gudemans* majoribus noſtris nominatos equeſtris ordinis viros, quaſi ἐνάνδρους. Quam viri doctiſſimi conjecturam ad certitudinem provexit SCHILTERUS, cum EPINICION Ludovico R. dictum publicaret, ubi rhythmus 31. ſic fluit:

Nam ſine vaſton,
Sidd uuarth her guotman.
Latrunculus cepit caſtra regis,
Ab eo tempore factus eſt nobilis.

GUTE, *güte*, ſignificat quantum poteſt, bonitatem, probitatem, præſtantiam, benevolentiam &c. Franci hoc ſenſu dicunt *guati*, *guoti*.

GÜTSCHE, carpentum cameratum. Vide *kutſche*.

GUTTER, baucalium, vitrum anguſto collo. A ſono *gutt*, quem inter bibendum edit, plaſmatum credidit STILERUS. Forte ſicut forma, ita etiam nomine *guttur* imitatur. Quamvis etiam a Gr. χυτρα, quod eſt a χέω fundo, eſſe poſſit.

H.

HA, interjectio alte clamantis, Lat. *eho*, naturalis magis quam inſtituta, quia ſpiritus clamantium in altum protruſus naturaliter hunc ſonum aut ſimilem producit.

HA, altus. & alte. Dicitur (1.) de voce. Inde *ha-ruffen* alte clamare. VEREL. in Ind. *ha-meltur* qui altam habet vocem, *ha-reyſti* vociferatio ebriorum aut concitatæ plebis. (2.) de rebus altis. Inde *ha* altus, & *ha* alta, apud eundem in Indice.

HA, interjectio ridentis. Latinis & Saxonibus *ha*, *ha*, *he*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *ha ha*, *he he*, interjectio riſus. Sonus ridentium naturalis, unde Francis *hue* & *huahe* ludibrium, & *huoen*, *huohon* illudere. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXII. 49.

Fialun tho in iro knio,
Zi hue habetun nan io.
Tunc prociderunt in genua ſua,
Et habuerunt eum ludibrio.

Cap. XXX. 5.

Thar ſtuantun tho ginuage,
Inti habetun nan zi huahe.
Tunc ſtabant ibi multi,
Qui habebant eum ludibrio.

NOTKERUS Pſal. XXIV. 2. *noh mine fienda ne huoen min*, neque irrideant me inimici mei. Pſal. XII. 5. *nie der tiefel huhondo ne chede*, ne Diabolus illudens dicat. Utrumque locum, & plura alia conſignavit SCHILTERUS in Gloſſario. Ab *huoen* porro deſcendit *hon* contumelia, & ab *hon* rurſus fit *hönen* contumelia afficere. Suevi ex eodem fonte habent *gehetien* illudere.

HAAR, crinis. V. *har*.

HABE, opes, poſſeſſio, *farende habe* poſſeſſio mobilis, *ligende habe* poſſeſſio immobilis. Idem Angloſaxonibus *hæfe* in multis compoſitis, cujusmodi ſunt apud Lexicographos, *hæfen-leas* inops, *hafen-leaſte* inopia, a *læſte* defectus, *hæfig* habens, poſſidens, *næfig* non habens, egenus. Belgæ apud KILIANUM eodem ſenſu dicunt *have*. Inde *haveloos* inops, *halve have* dimidium bonorum. Cuncta ab *haben* poſſidere.

HABE, terra bello capta, occupata, acquiſita, ab *heben* capere. Huc ſpectat ex Dialectis antiquis *haib*, quod extat in compoſitis

ANTHAIB,
BATHAIB,
BURGUNDAIB,

terra Antarum, Gepidarum, & Burgundionum in Sarmatia. P. DIACONUS, qui hæc nomina consignavit Lib. I. de Gest. Long. Cap. 13. addit: *Quæ nos arbitrari possumus esse vocabula* PAGORUM, *seu quorumcunque locorum.* Puta occupatorum. Cur pagus Gepidarum dicatur *Bathaib*, id vide in *beiten* manere, relinqui. Cuncta primus explicuit ECCARDUS in not. ad *Origines Francorum Leibnitianas*, pag. 253.

HABEN, habere, præditum esse, sensu latissimo. Goth. *haban*, Anglosax. *habban*, *hæbban*, Franc. & Alam. *haben*, Belg. *hebben*, Angl. *have*, Island. *hafa*, Suec. *hafwa*. Gloss. Ker. habere *haben*, habet *habit*. Evang. Goth. Matth. IX. 6. *sunus mans habaith waldufni*, filius hominis habet potestatem. Evang. Anglosaxon. Matth. VIII. 9. *ic hæbbe thegnas under me*, habeo milites sub me. TATIANUS Cap. CLXXIV. 6. *nu habet ir gitruobnessi*, nunc tristitiam habetis. Convenit lingua Pamphyliorum, qua teste PHAVORINO & HESYCHIO ἀβεις est habes, quod notavit JUNIUS, & ante illum MARTINIUS. Convenit & Lat. *habere*.

HABEN, uti, frui, *habhaft*, *habfelig* compos, *anhaben* participare, quod dicitur etiam de rebus ingratis. Inde Gothis *anahabaidans* sunt morbo vel dæmonio afflicti.

HABEN, possidere, habere in bonis. Gloss. Keron. possidet *habet*. Evang. Goth. Luc. VIII. 18. *saei habaith*, *gibada imma*, qui habet, dabitur illi. Evang. Anglosaxon. Luc. XVIII. 24. *tha the feoh habbath*, qui pecunias habent. Id est, possident.

HABEN, tenere. Hodie dicimus *heben* eodem sensu. Sed antiqui habent *haben*, ut ibidem demonstravi, & recte omnino. Nam sensus ab habentibus desumptus est, quia tenentes videntur habere & occupare. Græcis ἀφάω est contracto, quod sono magis quam sensu convenit.

HABEN, servare, custodire. Extat in Evang. Goth. Marc. VII. 8. *habaith thatei anafulhun mannans*, servatis quod tradiderunt homines. Sensus a tenentibus petitus, quia servantes & custodientes videntur tenere. Hodie superat in composito *handhaben* servare, asserere, manu armata defendere.

HABEN, valere, bene vel male, *gehabe dich wol* vale bene. TATIANUS Cap. CCXLIII. 4. *obar suhtige legent sie benti*, *inti sie habent uuola*, super ægros manus imponent, & bene habebunt. Inde languentes Gothis dicuntur *ubilhabandans* Matth. VIII. 16. Francis *ubilhabente*, quasi male habentes, in Harm. Evang. Tatiani Cap. L. 1. Quod judice PALTHENIO est Latinissimus, in Animadverf. ad Tatian. pag. 348.

HABER, avena. Belg. *haver*, Suec. *hafre*. Videtur esse ab *aben* deficere, quia avena est vitium frumenti, teste PLINIO Lib. XVIII. Cap. 17. *Primum omnium frumenti vitium avena est: & hordeum in eam degenerat: sicut ipsa frumenti fit instar: quippe cum Germaniæ populi ferant, neque alia pulte vivant.* Eodem fonte vox Latina commodius derivatur, quam ab *aveo*, quod eam pecudes edere aveant. Ab *haber* est *haversac* saccus pabulatorius, qua voce tota hodie Gallia utitur.

HABICH, *habicht*, accipiter. Vox Celtica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *hebog* accipiter, *hebogyd* auceps. SOMNER. in Dict. Anglosaxon. *hafoc*, *hafuc* accipiter, falco, *gorhafoc* accipiter (proprie accipiter anserinus, vel aucarius ab auca), *spær-hafoc* accipiter fringillarius, *guth-hafoc* milvus (proprie accipiter rapax, a *guth* bellum, quia avibus domesticis insidiatur). Gloss. Pez. accipitrem *hapoh*. In Lege Bojor. Tit. XX. 2. 3. dicitur *ganshapich* qui anseres, & *anethapich* qui antes capit. Nomen habere videtur a tenendo, ut accipiter ab accipiendo. Nam *haben* vel *heben* est tenere. Tenet autem prædam unguibus aduncis tanquam tenaculis. Et hinc illi nomen *hapich*, tanquam raptori tenaciter tenenti. VOSSIUS tamen vocem Belgicam *havik* deflectit ab *happen* arripere, optimo sensu, quem facile præferrem alteri, si antiquitas hujus verbi ex idoneis monumentis doceri posset.

HABICH, dicitur etiam de canibus, si non in omnibus, certe in quibusdam Dialectis, nec invita radice. Nam *heben* & *happen*, eo quo dixi significatu, cani & volucri conveniunt. Lex Bojor. Tit. XIX. 6. *De eo cane, qui dicitur* HAPICHHUNT, *pari sententiæ subjaceat.* Hunc canem Lex Frision. Tit. IV. 3. vocat *canem acceptoricium*, quod potestatem Boicæ vocis exacte exprimit.

HACKEN, cædere secando vel dividendo, quocunque modo id fiat. Sic ligna cæduntur findendo, vineæ pastinando & fodiendo, carnes concidendo, alia aliis modis. BENSON. in Voc. Anglosaxon. *baccan* dissecare. Hinc *hacke* significat quantum potest, securiculam, & pro vario usu etiam farculum. Illa Francis dicitur *acus*, hoc *hacco*. Gloss. Pez. rafter *hacco*. TATIANUS Cap. XIII. 15. *giu ist acus gefezzit zi uuorzulum therobuomo*, jam securis posita est ad radicem arborum. Gallica *hache* & *hacher*, & Hispanica *hoce*, *hacha*, ad Germanicum fontem reduci possunt. Ab *hacken* descendit *hæxel* & *heckerling* palea concisa, *hack-spæne* segmenta ligni, *hack-bret*, *hack-block* asser vel truncus sectilium, & alia satis nota. Originem verbi vide in *hauwen* cædere.

HACKEN, cædere pulsando, *hacke-bret* plectrum. Gloss. Pez. percussus *gihacter*. Convenit Lat. *icere*, *ictum*. Inde *hacke* calx pedis, a recalcitratione ni fallor, prisci Saxonibus *hoch*, & corrupte *ho*. Gloss. Ælf. pag. 71. calx *hoh-spor*. Evang. Anglosaxon. Joh. XIII. 18. *se the yt hlaf mid me*, *ahefth hys ho ongean me*, qui manducat panem mecum, levat calcaneum suum contra me.

HACKEN, teneri, *an einander hacken* teneri mutuo. Proprie est adhamari invicem, ab *hake* uncus.

HADER,

HADER, pannuciæ, pannus laceratus. Videtur venire a *kutten* ſcindere, K. in H. ut ſæpe alias transformato. Metaphorice dicitur de jurgio, quia altercantes ſimiles ſunt eorum qui ſe mutuo lacerant & diſcerpunt. Hinc apud VIRGILIUM *ſciſſa diſcordia palla* inducitur, quia veſtis lacera eſt ſymbolum contentionis & diſcordiæ. Inde *hader-katze* cauſa litigii. Ab *hader* porro eſt *hadern* altercari, quod fruſtra fingitur contractum ex *hart-reden* duriter loqui.

HÆGEN, fovere, ſervare. Dicitur de iis qui domo & tecto ſuſcipiuntur, ut pateat eſſe ab *hag* domus. Recurrit in *hegen*.

HÆL, *heel*, lubricus. Gloſſ. Pez. lubricum *hali*. Suecis *haal*. Convenit per anaſtrophen Gr. λεῖος, & Lat. *lævis*. Utrumque eſt politus. Hic ſenſus videtur aliquid habere commune cum *hell* lucidus, quia lubrica & lævia ſplendent. Hinc STIERNHIELMIUS tam lucidi quam lubrici appellationem deſumit a *glüen* ſplendere. Sed non oſtendit, qua via hic partus a matre venerit. Vide Gloſſarium ejus Ulphila-Gothic. pag. 73.

HÆMISCH, ſubdolus. Vide *heimen* occultare.

HÆNFLING. V. *hanf*.

HÆS, veſtimenta. Vox antiqua, quam hodie cuſtodiunt Suevi. SOMNER. in Dict. Angloſax. *hæt* mitra, *hæſel* galerus, *hæteron* veſtitus. Extat & *heus* pro caligis in Catholico Armorico apud CANGIUM in voce *oſa*. Videtur autem convenire cum *hut* & *hoſen* in notione tegendi.

HÆSCHER, *V. haſchen*.

HÆXEL. V. *hacken* cædere ſecando.

HAF, mare. Vox Scytho-Scandica. VEREL. in Ind. *haf* mare, *haf-færandi ſkip* navis patiens maris, vel quæ mari ſe committere poteſt, *kringlu-haf* oceanus omnia ambiens. Suecis *haaf* etiamnum eſt mare, & inde *haaffurd* fretum, *haafſtrand* littus, *haaffwyn* delphinus, & alia. Videtur autem ſic dictum ab elevatione, quia in medio tumet, ſive ab *hau* altus, ſive ab *heben* levare. De rotunditate aquæ vide PLINIUM Lib. II. Cap. 65.

HAFEN, portus. Heb. *hoph*, Camb. *aber*, *hafn*, Dan. *hafn*, *haffn*, Belg. & Angl. *haven*, Gall. *havre*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *aber* caſus fluvii, oſtium fluvii, portus, *hafn* portus. VEREL. in Ind. *hafn* portus. An ab *haf* mare? Dubito. Nam ab initio non portum, ſed oſtium ſeu caſum fluvii videtur denotaſſe, ab *aben* cadere, quia oſtium eſt, ubi aqua in aquam cadit. Poſtea ſenſus ab oſtiis ad portus videtur translatus, quia *oſtia fluminum ſunt portus naturales*, ut ſcite LEIBNITIUS in Gloſſ. Celt. qui primus hanc etymologiam ſuppeditavit in voce *aber*. Suecis portus eſt *hampne*, quia F. mutari ſolet in M. & P. attrahi ab M.

HAFEN, olla, *hafner* figulus. Gloſſ. Pez. olla *havan*, plaſtes *havanari*, figuli *hauanares*. Referri poteſt ad verbum Angloſax. *hiwan*, *hiwian* fingere, formare, quia olla eſt vas fictile, e luto formatum.

HAFT, *adjective*.

HAFT, habens, præditus. Ab *haben* habere, præditum eſſe. Utimur tantum in compoſitis. Exempla tam vetera quam nova vide in PROLEG. Sect. VI.

HAFT, prægnans, in utero habens. Vetus Francicum. OTFRIDUS Lib. I. Cap. VIII. 3.

Uuæ imo harto ungimah,
Tho er ſia hafta giſah.
Erat illi valde ingratum,
Cum eam cerneret prægnantem.

Angloſaxonibus *hæbban on innothe* eſt prægnantem eſſe, in utero habere, & dicitur de beata virgine Matth. I. 23. Ergo *haft* eſt ellipticum, & ponitur pro utero prædita.

HAFT, tenax, ſervans, cuſtodiens. Ab *haben* ſervare, cuſtodire. Utimur tantum in compoſitis. Exempla vide in PROLEG. loc. cit.

HAFT, captus, *behaft* occupatus. Gloſſ. Keron. occupatus *pehafter*. Refer ad *heben* capere.

HAFT, detentus, impeditus, *mit krankheit behaft* morbo detentus. Refer ad *heben* tenere.

HAFT, *ſubſtantive*.

HAFT, uſucapio. VEREL. in Ind. *hæfd* uſucapio. Oritur vel ab *heben* capere, vel ab *haben* uti, frui.

HAFT, poſſeſſio. Ab *haben* poſſidere. Gloſſ. Pez. proprietates *eiganhafti*. Ab *eigen* proprius, quaſi propriæ poſſeſſiones.

HAFT, vinculum. Angloſax. *hæft*. Ab *heben* tenere, quia tenet. Hodie dicitur de vinculis veſtium. Inde *hafien* fibulæ, uncinuli, quibus veſtes conſtringuntur.

HAFT, ſenſu forenſi eſt pignus, quia pignus eſt vinculum civile, quod dantem & accipientem obligat. Dicitur etiam de ſtipulatione, quia fides data obſtringit eum qui dedit.

HAFT, detentio, impedimentum. Ex eodem fonte. Inde *ehaften* legitima impedimenta, ab *ehe* lex.

HAFT, captura. Ab *heben* prehendere. Gloſſ. Lipſ. *hafta* captivitas. Inde *haftesman* captivus, apud OTFRIDUM Lib. V. Cap. XXI. 22.

HAFTEN, uſurpare. Ab *haft* uſurpatio. VEREL. in Ind. *hæfda* uſurpare, uſucapere.

HAFTEN, hærere, adhærere, connecti. Ab *haft* vinculum. Gloſſa antiqua apud JUNIUM in Will. pag. 115. *haftentan* hærentem. NOTKERUS Pſal. XLIII. 25. *unſer buh haftet zuo dero erdo*, venter noſter adhæret terræ. Differt ab *heften* figere, ut ſenſus paſſivus ab activo.

HAFTEN, obligari, *haftung* obligatio. A vinculo legis.

HAFTEN, fidejubere. A vinculo ſponſionis. Inde formula, *ich hafte davor* ſponſor ſum, in totum me obligo.

HAFTEN, capere, prehendere, vincire, *verhaft* captivus, domi vel alibi in cuſtodia detentus, *inhaftieren* in carcerem conjicere. Ab *haft* captivitas. BENSONIUS in Voc. Angloſax. *hæftan* capere, *hæfted* captivatus

vatus, *hæftling* captivus, *hæft-nyde* captivitas. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXII. 33.

Tho haft er nan ſo er uuolta,
Joh er nan ſelbo filta.

Vertit SCHILTERUS:

Tunc apprehendit ipſum ſicut volebat,
Et eum ipſe flagellabat.

HAFTIG, terminatio, quam vide in PROLEG.

HAG, verbale ab *hagen* ſepire, eſt vox latiſſimi valoris, & vi originis ſignificat quantum poteſt, *ſepimentum*, & *locum ſeptum*, qualiscunque ille ſit.

HAG, ſepes. BENSON. in Voc. AS. *hæg* ſepes, *hage* ſeptum, *heg-were* contextura ſepis. Idem Belgis *haag* & *haegh*, Latino-Barbaris *haga* & *haja*, Gallis *haye*. Germanis *hag* pene obſoleſcit, exceptis tamen Suevis & Helvetiis, quibus *hag* etiamnum ſepem ſignificat.

HAG, domus, manſio. BENSON. loc. cit. *haga* manſio. Proprie eſt domus ſepta vel ſepimento cincta, non a Gr. ἕκος, nec ab *hag* ſepes, quaſi domus cratitia, & ex viminibus complicatis ſepis inſtar conſtructa: ſed ab *hagen* ſepire, quaſi locus ſeptus habitandi cauſa. Poſtea vox ab uſu ad omnes manſiones extenſa eſt. Dicitur antiquitus (1.) de domo vili & agreſti. Inde Latino-Barbaris *haga* & *haja*, & in compoſitis *hai* & *he* domus agreſtis. Hinc ruſtici, qui manſiones ſuas habent in prædiis Dominorum, Latino-Barbaris vocantur *Huiſtaldi* & *Heſtaldi*, quaſi in domibus Domini poſiti, a participio verbi *ſtellen* collocare. In qua appellatione primus nomen domus animadvertit CANGIUS. (2.) de domo urbica. Charta Ethelredi Regis Angl. an. 996. apud CANGIUM: *Cum novem præfatæ Civitatis habitaculis, quæ patria lingua* HAGAN *appellari ſolent.* Et huc etiam ſpectat illuſtris locus GRAVENHAGEN, a domicilio Principum ſic dictus, Lat. Barb. *Haga comitum.* (3.) de re familiari intra domum. VEREL. in Ind. *hag-ſpeki* rei œconomicæ ſcientia, *hag-ferni* rei familiaris profectus, *hag-ræda* de re familiari conſultare, *hagur* ſtatus rei domeſticæ. Germanis *hag* pro domo obſoleſcit: Superat tamen in derivato *hægen*, domo & tecto recipere, ſervare, fovere, quod omnino ſic dicitur ab *hag* domus.

HAG, mallus, locus judicii ſeptis clauſus. Huc refert Cel. SCHILTERUS *Grafen-hage*, quæ illi eſt Mallus Comitum Hollandiæ. Et hinc forſaſſe poſteris remanſit formula *gericht hegen*, judicium in loco ſepto tenere.

HAG, ager. Primo ſeptus, poſtea omnis ager. BENSON. loc. cit. *haga* agellus.

HAG, pratum ſeptum. VEREL. in Ind. *hage* locus paſcuus, ab *hag* ſepimento rudi, quo includitur. Saxones antiqui utuntur collectivo *geheige* pro prato, apud SOMNER. & BENSON. Sed a ſimplici *hag* componitur & derivatur, *heyward* rei paſcuæ curator, apud SPELMANNUM. Quod cum cæteris obſoletum.

HAG, nemus, indago, & quælibet pars ſilvæ ſepimento cincta, ſive feris includendis, ſive alios ad uſus. Latino-Barbaris *haja* apud CANGIUM. Hodie utimur collectivo *gehæge*. Aliud eſt *hecke* ſilva cædua, quod vide in loco.

HAG, vallum militare, agger palis & ſtipitibus munitus. Lat. Barb. *haia*. Capit. Caroli Calvi Tit. XXXI. *Quicunque iſtis temporibus caſtella, & firmitates, & haias ſine noſtro verbo fecerint.* Ubi *haia* ſumitur pro vallo militari, quod ex palis (quos hodie *paliſaden* vocant) conficitur, interprete CANGIO.

HAG, pagus, circulus vel Diſtrictus terræ, arboribus conſitis, ſepimentis, ſtipitibus, foſſis, & aggeribus munitæ. Lat. Barb. *haga*. Quem ſignificatum ex Monacho Sangallenſi, qui de rebus Caroli M. ſcripſit, probat CANGIUS in voce. *Hag* pro pago videtur occurrere in nominibus locorum SALECHAGINE, BODECHAGINE, WIDOCHAGINE, quæ extant in Prologo Legis Sal. apud BALUZIUM. Sic enim cenſet Cel. SCHILTERUS Præf. ad L. Sal. §. 6. ubi hæc nomina eleganter explicat hoc modo, ut BODOHAGIN ſit pagus Bataviæ, SALOHAGIN provincia inter Salam & Amaſim, WIDOHAGIN tractus inter Amaſim & Viſurgim.

HAGEL, grando. Gloſſ.Ælf. grando *hagol.* NOTKERUS Pſal. XVII. 13. *hagel unde gluot*, grando & carbones ignis. Hodie Anglis *hail.* A Gr. χάλαζα ejusdem ſignificatus, judice CASAUBONO. Confer *ſchloſſe.*

HAGEN, ſepire, ſepto circumdare. Anglo-ſax. *hegian* apud SOMNER. & BENSON. Angl. *to hedge.* Helvetiis *hagen* & *verhagen* idem eſt quod *zeunen* ſepimento cingere, interprete PICTORIO. Galli priores eodem ſenſu dixerunt *hayer*, per ſyncopen, Latino-Barbari *hayare* & *hawyare* apud CANGIUM. Duci poteſt ab *hege*, *hegge*, *becke*, quod primo fuit frutex ſenticoſus, poſtea ſepes ex fruticibus ſenticoſis, denique omnis ſepes. Ab *hagen* rurſus fit *hag* ſeptum & locus ſeptus, ampliſſimo ſignificatu, ut vidimus paulo ante.

HAGEN, behagen, placere, *behæglich* commodus, gratus, *unbehæglich* incommodus, ingratus, moleſtus. HELVIGIO eſt ab ἀρέσκω placere, quod neſcio an eo ſenſu reperiatur. STADENIO ab *hug* animus. Atqui non omnia placent animo. Ex adverſo animus ita factus eſt a primordio, ut nihil illi placere poſſit niſi bonum & pulchrum. Belgis vero *hoog* eſt pulcher. Idque metonymice ponitur pro *grato*, quia pulcher omnibus gratus charusque eſt. Et hinc, opinor, exiſtit *hagen* placere, gratum eſſe. Plura ejusdem indolis verba ab objecto producta vide in *danken* & *fallen* placere. Ab *hagen* rurſus oritur *hag* commodus, quia commo-

da

da maxime placent. Gloſſ. Reenhielm. *hæg ſæng* commodus lectus. Hoc ſenſu *hag* ſæpiſſime occurrit in compoſitis apud VEREL. in Ind.

HAGESTOLZ, *hageſtolt*, cælebs. Gloſſ. R. Mauri: celeps *hagueſtult*. Angloſaxonibus varie ſcribitur, *hæg ſteald*, *hægeſteald*, *heghſtald*, *hehſtald*, & vario uſurpatur ſignificatu, præcipue *virginis* & *cælibis*, apud SOMNER. & BENSON. Vix operæ pretium eſt, opiniones eorum, qui interpretationem vocis ex Lingua hodierna aggreſſi ſunt, adducere, nedum refellere. JUNIUS, STADENIUS & DIECMANNUS, meliores in hoc argumento arbitri, & Linguæ antiquo-Germanicæ peritiſſimi, quamvis inter ſe diſſentiant, in eo tamen conveniunt, poſteriorem compoſiti partem *ſtolt*, eſſe a participio verbi *ſtellen*, ſtatuere, collocare, & ſtatum hominis indicare, non ſuperbiam ut *Schottelio*, nec fulcrum ut *Beyero* viſum. Sed prior compoſiti pars, cum ſit ambigua, & multis ſenſibus obnoxia, doctiſſimos viros in diſcrepantes ſententias diſtraxit. Videamus primo de *Virgine*. In Codice Cottoniano, quem citat *Junius* in Gloſſ. Goth. pag. 241. B. Virgo dicitur *behſtald*, Matth. I. 23. *heonu behſtald in hrif ſceal habba*, ecce virgo in utero habebit. Et virginitas Hannæ prophetiſſæ *behſtaldhaide*, Luc. II. 36. Apud *Benſonium* vero nomen Virginis diverſimode ſcribitur, & totidem modis, quot ſupra commemoravi. Cum ergo *heh* Angloſaxonibus ſit altus, & virginitatis tanta quondam fuerit æſtimatio, ut non veritus ſit *D. Hieronymus* in Serm. de Aſſumpt. affirmare: *In carne præter carnem vivere, non terrena vita eſt, ſed cœleſtis:* Hinc arbitratur *Junius*, nomen Virginis Saxonicum ab excelſo & Angelico animo deſumptum eſſe, nihilque aliud denotare, quam in ſublimi conſtitutam. Idem cenſet de cælibe, qui in Cod. Rusworthiano appellatur *behſtald man*. Et hæc etymologia robur accipit a Lat. *cælebs*, quod Saxones videntur imitati, de quo ita legitur apud FESTUM: CÆLIBEM *dictum exiſtimant, quod vitam cælo dignam agat*. Quaſi cœlitem. Hinc cælibes in ſacris literis cœlitibus comparantur Matth. XXII 30. Nec eſt, quod quis exiſtimet, hæc a religione *Feſti* aliena eſſe, & ex ſiglina interpolatoris *Pauli*, hominis Longobardi & Monachi, prodiiſſe. Nam apud Gentiles non minor erat Virginitatis, quam apud Chriſtianos admiratio, usque adeo ut nonſolum cœleſtem agere vitam, ſed & *Numina videre* putarentur, qui uſum Veneris ignoraſſent, ſicut nos docet *Servius* ad Sextum Æneidos verſ. 602. & appoſite obſervat *Junius*. Sed *Diecmannus*, cui laudes virginitatis ſuſpectæ ſunt, tanquam res ad diſciplinam Eccleſiæ Rom. ſpectantes, nomen virginis arceſſit ab *hag* domus, ſic ut Virgo Saxonibus proprie ſit *domiſeda*, quæ ædibus matrimonii cauſa non egreditur, quæ virorum aſpectibus ſe ſubducit, quæ domi latet tanquam in conditivo, & mortem ſuam viva anteceſſit. Quod, etiamſi ad virtutes virgineas ſpectet, & a vocabulo haud alienum videatur, multum tamen de pretio virginitatis detrahit, quod potius in illa ſublimitate, quæ puritate mentis & corporis definitur, quam in vitæ latentis torpore conſiſtit. Atque hæc hactenus de Virgine. *Stadenius* videtur *Cælibem* a virgine diſtinguere. Hinc illi cælebs ſic dicitur ab *hag* ſepes, non quod proprium habeat agellum (quia prædia ruſtica non facile diviſionem admittunt), ſed quod intra ſepem fratris, qui ſolus prædii poſſeſſor eſt, ſeparatim habitet, & victum quærat, ſive apes tractando, ſive operam ſuam aliis collocando, ſemper tamen ad ſepes fraternas hærendo. Hanc primam vocis acceptionem eſſe putat, quæ poſtea ad omnes cælibes, qui vel religionis cauſa, vel alias ob rationes uxorem non ducunt, cum per ætatem & valetudinem poſſent, etiam *Principum filios* translata ſit. Secundum hanc etymologiam *hag* eſt ſignum contemtus & vilitatis, non laudis aut præſtantiæ. Vide Gloſſar. *Diecmanni* pag. 60. ſeq. *Keyslerus* vitium in voce ſuſpicatur, & cœlibem rectius appellari *ain-ſtolt*, ab *ein geſtalt*, hoc eſt, ab una eademque conditione, quam retinent, qui cælibem vitam matrimonii illecebris anteponunt, opinatur, in Antiq. Septentr. pag. 488. Sed hæc etymologia, cum ab ipſa voce palam recedat, præter novitatem nihil habet quſo ſe commendet. Quid mihi videatur de hoc compoſito, paucis expoſui in *ſtolz* conſtitutus.

HAGESTOLZ, tyro. SOMNER. & BENSON. *hæg-ſteald* tyro. Suſpicor tyronem ſic dici ab *hag* pagus, quaſi pagenſem, vel in pago aliquo conſtitutum, quod ſedem fixam haberet in pago, & inde ad bellum, quoties opus erat, proficiſceretur; Vel certe eundem eſſe, quem Latino-Barbari *haiſtaldum* vocant, quaſi manſionarium, ab *hag* manſio, de quo ſupra. Nam & hi ſicut in pace *coloni*, ita in bello *milites* fuiſſe videntur, eorum puta, quorum domos incolebant.

HAGER, gracilis, macilentus. Ab Æolico ἀκιρὸς, quod apud Lexicographos exponitur per ἰσχνὸς macer, tenuis, ſtrigoſus, in longitudinem ſubtilis & gracilis. Cambris *hagr* eſt deformis, turpis, alio quidem ſenſu, ſed cognato, ob deformitatem eorum, qui nimia macie attenuantur. In Gloſſis LIPSII Pelicanus vocatur *heigero*, forte a macilentia vel deformitate. Scribit enim ÆLIANUS, Pelicanum, ſi cibus aliunde non ſuppetat, eſculenta, quæ prius devoraverat, evomere, & ad educandos pullos convertere. Quæ res non potuit non conficere corpus Pelicani. Suecis *hæger* eſt ardea. Forte rurſus a macilentia. Niſi ſit transpoſitum ex *reiger*. STILERO *hager* ſic dicitur, ab *hag* ſepes. Quid enim, inquit, macilentius ſude? Et ſic ſæpe alias, dum Græca vitamus, in nugas incidimus.

HAIN,

HAIN, ſeptum. Omnino ab *hagen* ſepire, quod, quando pronunciatur *hajen*, naturaliter producit *hain*, eo quo dixi ſignificatu. Belgæ inde derivant *heinen* ſepire, ſepimento cingere, & hinc porro *heining* ſeptum, *heinsloot* foſſa loco ſepti inter duos campos.

HAIN, locus ſeptus, & per ſynecdochen generis *lucus*, quia lucus eſt nemus ſacrum, religionis cauſa ſepimento cinctum, utique ab *hagen*, *hajen*, ſepire, & non ab ἄγιον, etiamſi lucus ſit ethnicæ religionis ſacrarium. Simile eſt, quando lucus vocatur *horg*, ab ἕρκος ſeptum. Alia Dialecto dicitur *hagn*, manifeſto ejus, quam dixi originis, indicio. Hinc idolum nemorale, quod LUTHERO eſt *hayn-götze* 2. Reg. XXI. 7. in Bibl. Lubec. 1533. vocatur *hagen-affgodt*. Priſcos Latinos vocabulum *hain* haud ignoraſſe, quoniam pro *Fano* ſæpe ſcripſerint *Hanum*, & pro parvo Fano *Hanulum*, ſuſpicatur PEISKERUS. Apud nos præcipue occurrit in appellationibus locorum, cujusmodi ſunt, GROSSEN-HAIN in Saxonia, HEIDENHAIN ad Almonam fluvium, quæ ipſo nomine videntur teſtari, fuiſſe quondam iis locis Sylvam, auguriis patrum & priſca formidine ſacram. Nam majores noſtros nemora & ſylvas conſecraſſe, & Deorum nominibus appellaſſe, certiſſimum eſt. In his Lucis erant ſub cuſtodia Sacerdotum ſigna & vehicula Deorum, candidi & nullo mortali opere contacti equi, & auſpiciorum gratia publice nutriti, ſigna militaria, vel bello capta Diisque ſuſpenſa, vel in prælium ferenda, quod adeſſe Deos bellantibus crederent, formæ aprorum, urſorum, luporum, aliæque ferarum exuviæ, quibus pro caſſide vel galea utebantur, quod opinio invaluerat, ejusmodi armis ſecurum præſtari Deorum cultorem, etiam inter hoſtes. Auctor TACITUS de moribus Germanorum Cap. VII. IX. X. XXXIX. XL.

HAK, cuſpis incurva. Græc. ὄγκος, vel ὄγκινος, Lat. *uncus*, Angloſax. & Angl. *hoc*, Francis *hacco*, Belg. & Scand. *hak*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *hoce* hamus, uncus. Gloſſ. Pez. uncinus *hacco*, uncinum *haccun*. VEREL. in Ind. *hake* uncus. SKINNERUS omnia derivat a Lat. *uncus*, extrito tantum propter euphoniam N. & addito ſpiritu Alius derivationem inſtituit ab Heb. *hakah*, quod interpretatur *hamus*. Synecdochice dicitur de omnibus inſtrumentis incurvis. Inde Angloſaxonibus *weod-hoc* ſarculum, marra, Islandis *hake* conto, Germanis *hak* furca hamata, & inde *feurhak* harpago, *doppel-hak* ſclopetum majus, a duplici furca qua ſuſtinetur, *haken-ſchütz* ſclopetarius, qui ob gravitatem machinæ fulcro opus habet ad jaculandum.

HAK, genus accipitris, columbis infeſtum, Suevis hoc nomine notum. Angl. *hawk*, Suec. *höök*, Island. *hauk*. Diſtich. Run. apud OL. WORMIUM:

Mikiler greip a hauki,
Gryphus major accipitre.

Volucrum prima diſtinctio, ut bene digerit PLINIUS, pedibus máxime conſtat. Aut enim aduncos ungues habent, aut digitos, aut palmipedum in genere ſunt. Ad primum genus, quod plerumque carnivorum eſt, & reliquarum captura ſaturatur, ſpectant omnes accipitres, & inprimis is, quem *hak* vocant, quaſi aduncum, a roſtro & unguibus uncis, quibus tanquam hamis prædam arripit & diſcerpit. Hinc columba, quæ hamis iſtis privatur, interpreti Gothico dicitur *ahaks* Luc. III. 22. non quaſi ἄκανος minime mala, ſed quaſi minime hamata. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXV. 55. de columba:

Mit ſnabulu ni uuinnit,
Ouh fuazin ni krimmit.
Roſtro non dimicat,
Nec pedibus inuncat.

HAKSCH, verres, porcus non caſtratus. Multi ſe offerunt fontes conſideranti, *hacken* cædere, quia dentibus ferit, *hocken* incubare, quia ſalit, item ὑπὸς, quia ad ſuem ſpectat. Poſſit etiam idem nomen formari a ſue, ceu conjuge verris. Nam ſus, porcus Cambris dicitur *hwch*, Anglis *hog*.

HALB, pars, *meinthalben* pro parte mea. VEREL. in Ind. *halva* pars, *a thera halvum* pro eorum parte, *gange barn til bettre half* ſervi & ingenuæ, ingenui & ſervæ ſoboles ſequatur meliorem partem, ſeu conditionem. HELVIGIUS effingit per converſionem ab Heb. *phelech* fruſtum, quod eſt a *phalach* diſcidit. Si peregrina origine opus ſit, mallem derivare a κολοβὸν truncare, quia K. ſubinde mutatur in H. Interim hic primus vocis ſenſus, unde reliqui in ſerie & ordine proficiſcuntur per ſynecdochen generis.

HALB, plaga, pars cœli vel terræ. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *healf* ora, tractus, *eaſt-healf* plaga orientalis. Gloſſ. Boxh. *nord-halba* aquilonem, ſeptentrionem, *ſundhalba* auſtrum, meridiem. VEREL. in Ind. *halfva*, *halfa heimſins* plaga orbis. Hodie occurrit in *allenthalben* ubique.

HALB, latus, pars hominis dextra vel ſiniſtra. Gloſſ. Pez. latere *halpo*. VEREL. in Ind. *halva* latus. ISIDORUS Cap. III. 6 *ſitzi arx zeſuun halp min*, ſede a dextris meis. Id eſt, ad dextrum latus meum. Evang. Angloſax. Matth. XXVII. 38. *tha wæron ahangen mid hym twegen ſceathan, an on tha ſwithran healfe, and other on tha wynſtran*, tunc crucifixi ſunt cum eo duo latrones, unus a latere dextro, alter a ſiniſtro. Inde *halb-ritter* equites Hieroſolymis creati, ſic dicti, quod illis in lævo tantum ſcuti latere inſignibus uti liceret. V. Gloſſarium HUNDII in voce *ritter*.

HALB, dimidius, dimidium, & dimidiatim. Proprie eſt pars totius in duo æqualia diviſi. Quo ſenſu ab omnibus veterum Dialectis uſurpatur. Sic dimidium regni Gothis dicitur *halba thiudangardja* Marc. VI. 23.

Anglo-

Angloſaxonibus *healf rice* ibidem. Iisdem *healfe ehta* eſt dimidium bonorum Luc. XIX. 8. OTFRIDUS Lib. III. Cap. VI. ab init.

Tho thiu uuecha, ſo Got gibot,
Uuas halba gifirot.
Cum ſeptimana, ut Deus præcepit,
Eſſet ad dimidium feriata.

VEREL. in Ind. *half* dimidius, dimidiatus, *half ær af dryckiu* ſemi inſanus ab ebrietate, *halfvirdi* dimidia pretii pars, *halfgilldi* læſi, vel damno aut morte affecti æſtimationis vel pretii pars dimidia.

HALB, ſubfixum. V. *Proleg.* Sect. VI.

HALBEN, dividere, in duo æqualia partiri. Verbum a ſubſt. vel adj. præcedenti factum, quamvis obſoletum. Inde eſt, quod dimidium bonorum & cujuscunque rei Gothis dicitur *halbata* Luc. XIX. 8. Germanis *helfte*. Hodie non amplius dicimus *halben*, ſed *halbieren*.

HALBEN, latera cingere, circumdare, vallare. Veterus Francicum. Gloſſ. Boxh. *umbihalboton* vallaverunt. Refer ad *halb* latus.

HALBEN, propter, *ſeinthalben* ejus gratia, *alters halben* per ætatem, *ſterbens halben* mortis cauſa. Conjunctio cauſalis, haud absque ratione facta a ſubſt. *halb* pars, quia pars, cujus gratia aliquid fit, ſemper eſt cauſa moralis effectus.

HALB-FISCH, paſſer marinus, piſcis planus & latus. Quaſi ſemipiſcis, vel piſcis καλοῦς, mutilus, truncatus, quia illi aliquid deeſt, nempe craſſities. Nam ab hac planitie dicitur etiam *ſcholl* & *plateis*.

HALDE, declivitas montis, Dial. Suevica. Hiſpanis *halda de monte*, forte a Suevis antiquis relictum. Idem Græcis κλιτὺς, a κλίνω inclino, declino. Et hujus quoque parentelæ poſſit eſſe *halde*, levi unius literæ in aliam ſui generis mutatione, & alterius tranſpoſitione. Sed nihil definio, quia, ut res ipſa docet, commodius & ſine ulla mutatione derivari poteſt ab *hill* mons. Cambris *allt* & *galt* eſt aſcenſus montis, forte quia per declivia in montem aſcendimus.

HALDEN, cujuscunque ſit notationis, oritur a declivitate *halde*, per metaphoram. Duo autem ſignificat, *inclinare*, & *inclinari*, *vergere* & *facere ut vergat*.

HALDEN, vergere, propendere, inclinari. Gloſſ. Pez. vergebat *baldeta*. Gloſſ. Boxh. *haldentes* vergentes. Ab hoc verbo multa extant derivata apud Antiquos, quamvis cum parente ſuo hodie extincta.

Angloſaxonibus *bald*, *halde* cernuus, acclivis, incumbens, penduloſus, *beald* devexus, inclinatus, incurvatus, *forth-beald* pronus, incurvus, apud SOMNER. in Dict.

Francis & Alam. *haldo* eadem notione. Gloſſ. Boxh. *haldo* preceps. Gloſſ. Keron. pronus *frambalde*. Hinc porro *unhald* apud OTFRIDUM eſt declivitatis expers, quod dicitur de ſphæra Cœli ſuprema, quæ, cum ſit immenſa, concava quidem eſt, ſed non convexa. Verba Otfridi dedi infra in *ring* ſphæra.

HALDEN, inclinare, declinare, facere ut vergat deorſum. TATIANUS Cap. CCXVIII. 3. *mitthiu ſio tho forhtun, inti helditun iro annuzi in erda*, cum timerent autem, & declinarent vultum in terram. NOTKERUS Pſal. CXLIII. 5. *helde Truhten dina himela, unde fara hara nider*, inclina Domine cœlos tuos, & deſcende. Hodie dicimus *hellen* per ſyncopen. PALTHENIUS tribuit vulgo Suevorum *heldelen* capite in latus inclinato incedere, quod mihi, quamvis Suevo, ignotum.

HALDEN, Celtica lingua eſt ſuccutere. Fides ſit penes JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 186. ubi *baldian*, inquit, Cymræis eſt ſuccutere, *bald* succuſſio. An hic ſenſus reliquis ſit cognatus, aut a noſtris unquam uſurpatus, dubito. Hactenus enim nulla veſtigia invenio.

HALEN, laxare, demittere. Vox nautica, quæ Latinis effertur *chalare*, Græcis χαλᾶν. Dicitur de funibus, quibus antenna laxatur. V. MARTINIUM in voce *chalo*.

HALFTER, capiſtrum. Gloſſ. Pez. capiſtra *halfiro*. SOMNER. in Dict. AS. *hælftre* laqueus, reſtis, capiſtrum. Olim deduxi ab uſu ambidextro, adeoque ab *halb*, *half* latus, ut ſit quaſi funis lateralis. Nunc autem ſuſpicor, vocem per epentheſin corruptam eſſe e ſimpliciori *halter*, qua utuntur Angli, ſive ab *halten* tenere, quoniam hac parte tenetur equus a ſeſſore, ſive a Gr. κλητὴν equum regere, quod elegantius. H. & K. ſunt literæ permutabiles.

HALL, ſalina. Gloſſæ Cyrilli: ἅλαι ſalinæ. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *halen* ſal, *heli* ſalſugo, *heledd* ſalina. Inde HALA SALICA, & alia Germaniæ loca a fontibus aut fodinis ſalis nomen adepta.

HALL, lapis, calculus, ſilex. Gall. *caillou*, Lat. Barb. *hallus*. Lex Salica Lindenbrog. Tit. XLIII. 5. *Si vero (interfectum) in puteum aut ſub aquam miſerit, aut de hallis vel de ramis eum cooperuerit* &c. Puta homicidii occultandi cauſa. Ubi ECCARDUS *hallos* recte interpretatur *ſilices*, *calculos*. Eſt enim a Gr. χαλὸξ ejusdem ſignificatus apud SUIDAM. Inde Cambris *calleſtr* ſilex, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit.

HALL, domus, ſtructura ad manſionem vel inhabitationem facta. Græc. ἀυλὴ, Lat. Barb. *halla*. Proprie locus conrectus *hallis*, id eſt, ramalibus ſiccis, inquit CANGIUS. Atqui *halli* in Lege Salica ſunt lapides, non rami, ſicut paulo ante oſtenſum. Reſtat ergo ut proprie ſit locus tecto munitus, qui receptos viciſſim tegit, ab *hüllen* tegere, operire. Et in hac notione conveniunt etiam reliqui ſignificatus, quos uſus antiquus a domo accepit, & magnis ædificiis aptavit, ut mox videbimus. Ita *ſal* ante domum privatam

tam quam publicam denotavit, quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

HALL, domus ampla & ſpatioſa, palatium, templum &c. Græcis Διὸς αὐλὴ eſt ædes Jovis: Latinis *aula* domus principis vel domus regia: Gothis *alh* (transpoſitis literis pro *hal*) templum, *in alh* in templo, *faurhah alhs* velum templi, Matth. XXVII. 5. 51. Similia occurrunt in aliis Dialectis, & æque veteſtis. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *healle* aula, palatium, *alh-ſtede, ealh-ſtede* palatium, ædes vel ſedes regia, *heallic* palatinus, aulicus. VEREL. in Ind. *hall, haull, holl*, ubivis in Scriptis pro palatio & principum ædificiis magnificentiſſimis. Quibus addi poteſt Gallorum *hale*, quod illis nonſolum locum ubi merces exponuntur, ſed etiam magnum ædificium ubi ſecure deponuntur, ſignificat, teſtibus SPELMANNO & CANGIO.

HALL, porticus. Utitur Luth. 1. Reg. VI. 3. Dubium eſt, an ſit e genere præcedentium. Nam porticus nonſolum eſt locus tectus contra ardores ſolis, ſed etiam locus perflabilis ante magnas ædes. Et talis locus Græcis dicitur αὐλὴ, ab ἄω flo, ſpiro, judice MARTINIO in Cadmo.

HALL, area ante magnas ædes, ſpatioſa & aperta. Anglis ni fallor *hall*. Hic locus, cum minime tectus ſit, ſed apertus, ſubdialis, & ſoli expoſitus, aliam etymologiam exigit. Puto autem eum ſic vocari a verbo Celtico *heulo* apricari, ſoli exponere, quod eſt ab *haul* ſol. Utramque vocem fiſtit BOXHORN. in Lex. Ant. Brit.

HALL, forum rerum venalium, *fleiſch-hall* macellum. Etymon pendet a circumſtantiis. In quibusdam locis eſt area ſub dio, in aliis locus tectus.

HALL, ſedes manium beatorum. Vox Scandica, & a paganiſmo relicta. VEREL. in Ind. *valholl* orcus, Odini aula. Dicitur etiam *valhallar*, & proprie eſt *aula cæſorum*, ſive in bello fortiter occumbentium. Hos enim credebant ſtatim a morte in vitam revocari, & Odini hoſpitio excipi in altero Orbe, quem *aulam cæſorum* vocabant, prout KEYSLERUS, qui de *Antiquitatibus Septentrionalibus* optime meruit, ex monumentis Islandicis pulchre oſtendit, in ejusdem tituli & argumenti Opere pag. 127. & paſſim. Plura ejusdem indolis compoſita vide in *walſtat*. VERELIUS male vocat *Orcum*. Nam veteres hanc immortalium ſedem non in inferis, ſed in alia neſcio qua Mundi parte, collocabant. Quod etiam feciſſe videntur Druidæ, apud LUCANUM Pharſal. Lib. I.

\- - *Vobis autoribus umbræ*
Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna petunt: regit idem ſpiritus artus
ORBE ALIO: *Longæ* (*canitis ſi cognita*) *vitæ*
Mors media eſt.

Hinc MARTINUS negat, Gallos Plutonem coluiſſe, *parce qu'il n'y a nulle apparence, que les Gaulois ſe ſoient fort empreſſez d' honorer un Dieu, avec lequel ils croyient qu'ils n'auroient jamais à faire*. Quæ ratio, ſi valida eſt, *Mercurium* quoque excludet, quem tamen in locum Plutonis mox ſubſtituit. V. *Rel. Gall.* Lib. II. pag. 325. & pag. 332. An Germani Deos inferos coluerint, & quare, non liquet. Illud tamen videtur colligi poſſe ex compoſito Angloſaxonico *hel-god* Pluto, hoc ex propenſione ad artes magicas & infernales, ab *Indiculo paganiarum* art. 12. *de incantationibus*, prohibitas.

HALL, ſonus, *wider-hall* echo, ſonus repercuſſus, *poſaunen-hall* clangor tubarum, *halljahr* annus jubilæus Hebræorum, a clangore tubarum ſic dictus, quo utitur Luth. Lev. XXV. 11. Proprie eſt ſonus ex aëre verberato, & verbale ab *hallen*.

HALLEN, ſonare. Francis *hellen*, *hillen*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. I. 75. 76. *thaz Gotes uuizzod ſcono helle*. Vertit SCHILTERUS: *ut verbum Dei pulchre clangat*. Scilicet in idiomate Francico. Idem Lib. V. Cap. XXIII. 373. ex emendatione Cel. SCHERZII: *thir al thar ſcono hillit*, tibi omne ibi pulcre reſonat. Quod ſcil. Muſica cœleſtis cantat. Proprie eſt verberare aërem, a Lat. *cello* percutio. Nam C. & H. ſunt literæ permutabiles, & verba ſonandi apud Germanos plerumque ſunt metonymica, & cauſam ponunt pro effectu, quod multis exemplis oſtendi in *brauſen* ſonare. Inde genus ducunt

bell, ſonorus, canorus, argutus, *belle ſtimm* vox acuta, *belle cymbaln* cymbala ſonantia, Pſal. CL. 5. quod differt ab *bell* clarus, lucidus, origine & ſignificatu.

bellig, ſonans, *einbellig* conſonans, figurate concors, *misbellig* diſſonans, figurate diſcors.

gebellen, conſonare, figurate conſentire. Gloſſ. Pez. congruunt *gibellent*, conoinens *gibellenter*. Hodie rarius auditur. Extat tamen apud HENISCHIUM in Theſ. L. Germ. ubi *gebellen* exponitur *conſentire, probare, comprobare, dare conſenſum, ratum habere*. Præfixum *ge* eſt adverb. congregandi, ut *una, ſimul, pariter* apud Latinos, quorum vim exacte exprimit.

gebell, conſonans, conſentiens. Gloſſ. Pez. conſonans *gibel*.

misbellen, diſſonare, diſſentire. Gloſſ. Pez. diſſidere *miſſibellan*.

enthellen, eadem notione. Gloſſ. Boxh. *entbellan* diſcrepare, diſſonare. In quo compoſito *ent* idem valet quod *and, ant* contra. Hodie obſoleſcit.

Schall, & *ſchallen* in nulla re differunt ab *hall* & *hallen* niſi præfixo ſchin. Chaldæis *kal* eſt vox, & Græcis καλεῖν vocare, neſcio an quadam cum reliquis affinitate.

HALM,

HALM, arundo frumenti. Græc. καλάμη, Lat. *calamus*, *culmus*, Angloſaxon. *hælme*, Franc. Alam. Belg. & Suec. *halm*. Gloſſ. Pez. culmus *halm*. Gloſſ. Keron. feſtuca *halm*. VEREL. in Ind. *halm* ſtramen ſegetis. Cuncta a notione cavitatis, adeoque ab *holen* cavare, per medium derivandi M. Hoc malo, quam cum HELVIGIO præter neceſſitatem derivare ab Heb. *makel* arundo.

HALS, collum. Perſis *halli*, Gothis, Angloſaxon. Franc. Alam. Belg. & Scand. magno conſenſu *hals*. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. collum *hals*. Gloſſ. Ker. colla *halſa*, amplecti *kihalſit wuefan*. Gloſſ. Boxh. *halspauch* torques. VEREL. in Ind. *hals* collum, cervix, *halsbiorge* collare calybeum, *hals skamur* cui breve collum. JUNIO videtur idem quod vertebra, ab ἑλίσσω volvere, verſare; Sed in ſententia STIERNHIELMII collum eſt fulcrum, quod ſuſtinet caput, ab *halten* tenere. Ab *hals* eſt *hals-ſtarrig* cervicoſus, tropice contumax, *umbhalſen* amplecti, & alia ſatis manifeſta. Alias collum Gothis præter *hals*, quod extat Luc. XV. 20. dicitur etiam *halſagg* Marc. IX. 42. & Angloſaxonibus *ſwura* ibidem.

HALS, pronus ad audendum. VEREL. loc. cit. *halſar* viri ſtrenui, qui collum periculis ſubjicere non reformidant, *gangi nu vil fram goder halſar* audacter jam in prœlium procedite milites ſtrenui. Hodie viget in compoſito *wag-hals* audaculus. Proprie eſt homo contra pericula obfirmatus, & dicitur *hals*, quia collum erectum, rigidum & extenſum eſt ſymbolum audaciæ. Vide Job. XV. 26.

HALS-BERG, lorica. Vide in *bergen* tegere.

HALS-GERICHT, jurisdictio criminalis, præcipue jus gladii & laquei, quod, cum circa collum & jugulum hominis maxime verſetur, ab objecto nomenclaturam accepit. Hiſpani eodem ſenſu dicunt *cada halſo*. Quorum illud a Mauris, hoc a Gothis aut Suevis haud dubie illis relictum.

HALS-SACHE, eadem notione, Latino-Barbaris *alſacia*, quod vide in *ſache* jus cognoſcendi.

HALS-SACHE, delictum capitale. A *ſache* delictum, quod vide.

HALT, particula vaga & incerti ſignificatus apud Suevos. Olim erat adverb. comparandi, ſignificans *potius*. TATIANUS Cap. XXVII. 3. *bitherbi iſt thir*, *thas furuuerde ein thinero lido halt*, *thanne al thin lihhamo gange in hella fuir*, utilius tibi eſt, ut pereat unum membrorum tuorum potius, quam totum corpus tuum eat in Gehennam.

HALTEN, tenere. SOMNER. in Dict. AS. *healdan* tenere. VEREL. in Ind. *halda* tenere. Cum L. & N. ſæpe convertantur in omnibus Dialectis, origo verbi commodiſſime referri poteſt ad *hand* manus, quia manus eſt primum & naturale tenaculum humani corporis, quo aliquid tenemus. Tenet autem nonſolum *manus*, qui primus ac princeps verbi ſignificatus, unde reliquis initium; ſed etiam ad ſimilitudinem *manus* intellectus, memoria, cupiditas, ſtudium, cura, cuſtodia, fides, imo etiam locus, ſpatium, capedo, duratio, impedimentum &c. & quicquid *manum tenentem* imitatur. Inde eſt, quod *halten* metaphorice ſignificat *ſervare*, *conſervare*, *obſervare*, *cuſtodire*, *alere*, *paſcere*, *ſuſtentare*, *continere*, *obtinere*, *retinere*, *commorari*, *fiſtere*, *apprehendere*, *capere*, *defendere*, *ſtudere*, *æſtimare*, *exiſtimare* &c. De quibus, ſi quis ordine exponere, eorumque ſimilitudinem cum *manu tenente* oſtendere vellet, næ ille non uno vel altero die, ſed totidem menſibus opus haberet, nec tamen propoſitum abſolveret. Videmus interim, quanti fuerint in arte Symbolica artifices majores noſtri, quanta in verbis eorum ſapientia, quibusque mediis Linguæ ſuæ ſimplicitatem ad tantam provexerint ſenſuum abundantiam, ut nulla pene diligentia exhauriri poſſit. Quam vis autem hoc verbum non æque late pateat apud omnes, omnibus tamen eodem pene modo effertur, Gothis *haldan*, Angloſaxon. *healdan*, Francis & Alam. *haltan*, Island. *halda*, Angl. *hold*, Suec. *hælla*, Belg. *houden* per ſyncopen. Nos hoc loco potiores & antiquiores tantum ſignificatus delibabimus, reliquis aliorum induſtriæ relictis.

HALTEN, ſervare, conſervare. Gloſſ. Keron. ſervare *haltan*, *kehaltan*, ſervetur *ſi kehaltan*, ſalventur *kihaltan ſin*, ſervatam *kihaltan*, ſalvus *kehaltaner*. Inde Francis *haltar* ſalvator, ſervator, in Confeſſione Fidei NOTKERI Balbuli apud ECCARDUM in Cat. Theot. pag. 80. Hodie dicimus *erhalten* & *erhalter*.

HALTEN, obſervare, imperata ſervare. Gloſſ. Keron. obſervare *kihaltan*, obſervabit *pihealt*, obſervantia *kihaltidu*.

HALTEN, ſtare promiſſis, ſervare promiſſa. Inde ritus dandi ſive tenendi manum ejus, cui aliquid ſervandum promittimus. Hoc enim ſigno tacite profitemur, nos velle ſervare promiſſa, *man wolle das verſprechen halten*, *wie man die hand halte*. Notum VIRGILII illud: *En dextra fidesque*. Verba ſunt ECCARDI in Cat. Theot. pag. 140.

HALTEN, cuſtodire. Gloſſ. Keron. cuſtodire *haltan*, cuſtodiat *kehalte*, cuſtodiam *kehalte*, *kihaltida*.

HALTEN, alere, paſcere. Hoc ſenſu paſcere porcos Gothis dicitur *ſweina haldan*, Angloſaxon. *ſwyn heoldan* Luc. XV. 15.

HALTEN, ſiſtere, moram & impedimentum injicere. Sic vulgo dicimus, *haltſtill* ſiſte gradum. Quod imitantur Galli in *faire halte*, & Itali in *fare alto*. Hinc claudi & omnes ſive manibus ſive pedibus impediti, Gothis vocantur *haltai* Matth. XI. 5. Angloſax. *healte* ibidem, Francis *halze* apud TATIANUM in Harm. Evang. Cap. LXIV. 3. Islandis *hallter*, Suecis & Anglis *halte*. VEREL. in Ind. *handhaltur* manibus claudus. Id eſt, impeditus. Ab *hælt* rurſus formari

cœpit *halten* claudicare, quod Angloſaxonibus effertur *healtan*, Anglis *to halt*.

HALTEN, improbe tenere, ut ſolent avari, qui ſunt omnium mortalium tenaciſſimi. Inde Francis *gihaltig* avarus, & *gihaltigi* avaritia, parcitas, in Gloſſis Pezianis. Et huc etiam ſpectat ex hodierno ſermone *geitzhals* avarus, avaritiæ tenax.

HALTEN, judicare, ſentire, exiſtimare. De ſimilitudine intellectus cum manu tenente vide *vernemen* percipere.

HALTER, *helter*, vivarium. Utitur Luth. Jeſ. XIX. 10. Proprie eſt lacus, ubi piſces ſervantur. Hodie dicunt *kelter*, manifeſta ſpiritus in K. mutatione. Anglis *halter* eſt capiſtrum, omnino a notione tenendi.

HAMBOTT, bacca roſæ ſylveſtris. Vide *butt*.

HAME, hamus, uncus quo piſces capiuntur. Utrumque a Celtico *camm* curvus, vel *cammu* curvare, quas voces exhibet BOXHORN. in Lex. Ant. Brit.

HAME, aliud piſcandi inſtrumentum, compoſite *fiſch-hame*. Hoc inſtrumentum pendet à pertica, eſtque circulus ligneus, cui rete viciſſim appenſum. Hinc dubia redditur etymologia, quia duobus modis objicitur intellectui. Enim vero ſi ad circulum attendas, ejusdem originis erit cum præcedenti, ſi ad rete, conveniet cum Græc. ἄμμα macula retis, quod eſt ab ἅπτω necto, judice MARTINIO.

HAMM, convenit cum Græco κόμμα, quod eſt a κόπτειν cædere, ſecare, incidere. Hinc Græcis κόμμα duo inprimis ſignificat *inciſionem* & *incile*. Incilia autem ſunt foſſæ, ad hoc inventæ, ut aquæ aut in campos arvales admitti poſſint, aut intra alveum contineri. Veteres a κόμμα formaſſe *hammen* cædere, inciſionem & diviſionem facere, ex innumeris derivatis, quæ vel ſuperſunt, vel in via perierunt, nec aliorſum referri poſſunt, colligitur. DIECMANNUS quidem conatur hæc derivata revocare ad *hemmen* impedire; ſed minus proſpero ſucceſſu, ut ex ſingulorum conſideratione deinceps patebit.

HAMM, quatenus eſt verbale ab *hammen* cædere, ſecare, incidere, præcidere, ſuccidere, excidere, ſignificat quantum poteſt.

HAMM, pratum. Angloſaxon. *ham* apud BENSON. in Voc. AS. Prata autem ſunt loca irrigua incilibus foſſis interſecta, ad deducendam vel immittendam aquam. Vocem adhuc ſuperſtitem eſſe, docet STADENIUS, in Specimine Gloſſarii apud DIECMANNUM pag. 30. ubi verba: *Paſcua & prata pinguia Oſterſtadienſibus noſtris dicuntur hamm, & plur. hæmme, quia cujusque prata, licet pluribus ſugeribus conſtent, in extremis lateribus foſſis ſunt majoribus ſepta & munita, ne boves tranſilire in vicina poſſint.* Ejusmodi foſſæ Græcis, ut paulo ante oſtenſum, vocantur κόμματα, quia ſunt *inciſiones*. Et ab his inciſionibus, & non ab ulla munitione, prata ipſa Saxonibus appellari *hamm*, ex dictis manifeſtum.

HAMM, fluentum. Tale eſt nomen fluvii Ducatus Bremenſis HAMME, ſe in Wummam & poſtea in Viſurgim exonerantis, obſervante DIECMANNO. Nec dubito, quin plures ejusdem nominis fluvii in Germania vel alibi reperiantur. Ita vero dicuntur, non quod terram muniant aut diſtinguant; ſed quod eam fecent eundo, & alveum ſibi faciant ſecando.

HAMM, ſylva cædua. Non ſylva in genere, nec ſylva ſepibus munita, & multo minus lucus. Nam lucus eſt nemus ſacrum, ubi lignum cædere nefas. Fieri tamen poterat, ut ſenſus a ſylva cædua paulatim ad ſylvam in genere perveniret. Inde fortaſſe eſt, quod omnes auctores a R. D. DIECMANNO laudati in ſignificatu *ſylvæ* conveniant. Quidam ex his auctoribus nobilis Emporii HAMBURGI nomen inde deducunt, quamvis etiam *Burgum pratenſe* denotare poſſit. Si quis tamen ſylvæ inhærendum cenſeat, mallem *Civitatem e ſylva exciſam*, quam *ſylveſtrem*, in nomine agnoſcere. Optimus divinator is demum erit, qui Annalium fide ſe tueri poterit. Nam extra Annales *ham* eſt vox vagæ ſignificationis, & pluribus rebus communis. Aliam & a prioribus longe diverſam nominis rationem exhibet conjectura ADRIANI JUNII, qui Hamburgum *Gambriviorum Burgum* interpretatur, quod priſcus ille Germaniæ populus eam regionem olim inſediſſet.

HAMM, domus diviſa & diſcreta, & poſtea omnis domus, ſive per translationem, ſive ex alia cauſa, quam poſtea inveſtigabimus in voce *heim*. Prior tamen ſignificatio antiquior eſt, & Veterum habitationibus accommodatior. TACITUS Cap. XVI. de M. G. *Nullas Germanorum populis urbes habitari, ſatis notum eſt, ne pati quidem inter ſe juncta ſedes. Colunt diſcreti ac diverſi, ut fons, ut campus, ut nemus placuit. Vicos locant non in noſtrum morem, connexis & cohærentibus ædificiis: ſuam quisque domum ſpatio circumdat, ſive adverſus caſus ignis remedium, ſive inſcitia ædificandi.* Interim Angloſaxonibus *ham* quamvis domum denotaſſe, teſtes locupletiſſimi omnes, qui de Lingua Antiquo-Saxonica vel Lexica vel Commentarios ediderunt. SOMNER. cauſam appellationis quærit in verbo *beymen* tegere, ut proprie ſit tectum: STADENIUS in verbo *hemmen* claudere, ut proprie ſit locus clauſus. Utrumque etymon convenit domiciliis tam cohærentibus quam ſeparatis, noſtrum vero ſeparatis tantum & primævis.

HAMM, villa, vicus. Angloſaxon. *ham*. Veſtigium vocis repræſentant adhuc nomina propria locorum in Germania, HAM in Comitatu Marchiæ, HAMELEN in principatu Calenbergenſi, quæ certe præter *vicum* & *viculum* nihil ſignificant, etiamſi hodie ſint urbes amplæ & ſpatioſæ. Apud Anglos annectitur nominibus locorum, cujusmodi ſunt,

ſunt, NOTTINGHAM, BUCKINGHAM, WALSINGHAM &c. omnium eruditorum judicio eadem notione. Pro omnibus verba faciat CANGIUS: Interdum *Ham* ſignificat, vicum, villam: unde apud Germanos &, Anglos villæ & urbes ſua nomina in *ham*, deſinentia paſſim habent. Et mox: *Hamellum*, diminut. ab *ham*, villula a vico majori dependens &c. Hucuſque CANGIUS in Gloſſario. SPELMAN. exiſtimat, cohabitantes vocabulum ſingularis habitationis multitudini tribuiſſe. Sed quo minus huic translationi aſſentiar, facit innumerabilium villarum & vicorum in Germania ex ſylvis & arboribus exciſis origo, quam ex notitia medii Ævi hic ſuppono. Exempla vide in *markſteck* & *rode*. Hoc remedio Germania indigebat, ſylvis immenſis ab antiquo horrida. Hinc ipſius rei indicio ducor ad opinandum, *ham* quatenus apud nos villis & vicis tribuitur, proprie denotare *locum habitandi e ſylva exciſum*. Qua in re differt ab *heim*, quod eſt locus habitandi communis, non exciſus. Verum cum hic quoque locus Angloſaxonibus *ham* dicatur, & ob eandem cauſam, hinc univerſe affirmari non poteſt, omnem locum in *ham* deſinentem, e ſylva exciſum eſſe.

HAMM, ager, terræ portio. CANGIUS in Gloſſario: *hamma*, *hamme* portio & modus agri, *hamarium* modus agri, vel manſionale ab *ham* Germ. manſio. SPELMANNUS in Gloſſario: *ham* etiam dicitur de campi portione, ſive quod genu vel poplitis præferat ſimilitudinem, ſive alia ſui ſitus de cauſa. DIECMANNUS ſubintelligit agrum ab aliis ſeparatum, ſuisque limitibus circumſcriptum. Quod, ſi recte exponatur, cæteris conjecturis eſt præferendum. Solent enim ejusmodi agelli ſulcis, foſſis, marginibus, aut arborum inciſionibus a toto ſeparari, & hinc revera ſunt *partes diviſæ*, etiamſi cum toto cohæreant. Prifci Septemtrionales talem agellum vocant *bumpe*, quod idem. VEREL. in Ind. *bump* portiuncula ſoli vel agri.

HAMM, fruſtum, ſegmentum cujuscunque rei. Hodie dicimus *bumpe* quod idem.

HAMM, ſegmentum cibi, *butter-hamm* fruſtum panis butyro illitum. Similiter & Belgis prioribus *hamme* erat pars abſciſſa rei cibariæ, teſte KILIANO in Etymol.

HAMM, poples, ſuffrago. Angloſax. *ham*, plur. *hamma*, Angl. *the hamme of the leg*. Scilicet natura provida plicandi & vertendi pedis cauſa in medio cruris fracturam fecit, quam Græci a flexu καμπὴν, Latini a frangendo *ſuffraginem*, Saxones ab incidendo *ſectionem* vel *inciſum* vocant. Confer *knieu* genu, & *keule* ſuffrago. Confer etiam, quæ de reliquis corporis partibus a ſectione denominatis, diſſerui in *lid* membrum, *kam* manus, *bruſt* pectus, *ſcharte* ſcapula, *brechen* rumpere.

HAMM, petaſo, perna, Dial. Belgica. Secundum antecedentia eſt vel ſuffrago ſuis, vel pars ſuis abſciſſa. Sic & Latinis *ſuccidia* a ſuccidendo dicitur.

HAMM, mutilatus, truncatus. Utitur hoc adjectivo OTFRIDUS Lib. III. Cap. IV. 16. ubi *ſieches inti hammes* dicitur de *ægrotis & mancis*, quibus Porticus erant repletæ. Omnino ab *hammen* cædere, ſecare, ut reliqua. Inde (1.) vox Salica *chuc-cham* verres caſtratus, quam in Codice Guelferbytano obſervavit & ab obſcuritate liberavit feliciſſimus nodorum & ænigmatum Juris interpres ECCARDUS in notis pag. 119. (2.) Vox Gothica *hanhamma* manu truncatus Marc. IX. 43. quam confirmationis cauſa hic addo, vindicias ejus poſtea daturus in *han* manus.

HAMMEL, *hamel*, vervex, aries caſtratus. Verbale ab *hammeln* mutilare, reſecare, præcidere. Vetus anonymi Vocabularius: muto *hemling*. Vocabularius Saxonicus MStus: caſtrinus *eyn bætling*, *eyn hamel*. Teutoniſta: *hamel eyn gelubt ſcaip* muto, berbix, berbicus. Utitur his teſtimoniis ECCARDUS in not. ad Leg. Sal. pag. 119. ut vocis qualemcunque antiquitatem oſtenderet. Addo ex Gemma gemmarum: muto *ein hamel ader ſchaff*, *quia obmuteſcit in occiſione*. Conſentiunt in voce Belgæ, ſed præter Belgas nemo recentiorum, imo nec antiquiorum, ſi Teutoniſtam & reliquos excipias. Nolim tamen ideo novitatis notam voci affricare, cum quia per ſe proba & idonea eſt, tum quia vetuſta eſſe poteſt, etiamſi nullis literis prodita ſit. Olim deduxi ab *hemmen* impedire. Sed nunc vervex mihi rectius ad mutilatos quam impeditos referri videtur, quia impediri multis commune, caſtrari verveci proprium. Præcipuum compoſitum eſt *bell-hammel*, quod vide in *bellen* tinnire.

HAMMELN, mutilare, reſecare, præcidere, excidere. Frequentativ. a ſimpliciori *hammen*, de quo paulo poſt. Dicitur ſenſu latiſſimo de mutilatione univerſe, inprimis membrorum, & per ſynecdochen generis poplitum. SOMNER. in Dict. AS. *hamelan* poplites vel ſuffragines ſcindere, poplitibus & ſuffraginibus ſciſſis mutilare. CHAUCERUS eodem citante: *hameled* præciſus, reſectus. LOCCEN. in Lex. Jur. Sueo-Goth. *hamla* ita cædere aliquem ut mutiletur vel ei membrum amputetur. VEREL. in Ind. *hamla ad handum eda fotum* manibus pedibusve truncare, *hamlan* talis læſio vel mutilatio. Lex. Run. *hamladr* manibus pedibusque truncatus. Francos eodem verbo uſos eſſe, inde colligitur, quod *Calvaria* ab interprete TATIANI Cap. CCII. 2. vocatur *hamal-ſtat*, hoc eſt, locus excidii, ubi malefici truncantur & obtruncantur. Hodie ſuperat in derivatis *bümpler* mutilator, quod dicitur de ſartoribus, qui pannos mutilant, aut veſtes ſecando perdunt, *hammel* aries cui teſtes exciſi, & fortaſſe etiam *himmel* cœlum, ob rationes in ſede vocis allegatas.

HAMMELN, impedire. VEREL. in Ind. *hamla* impedire Sirac. Cap. 22. Addit: In „Legibus paſſim *hamla* eſt membri alicujus „læſione vel mutilatione alium impedire quo „minus facultatem habeat quod velit effici„endi. Hæc ille. Ergo vel metonymia eſt in voce, qua cauſa ponitur pro effectu, mutilatio pro impedimento; vel *hamla* eſt frequentativum ab *hemmen* impedire. Belgæ a frequentativo habent *hompelig* impeditus, quod dicitur de via inæquali & ſalebroſa, *hompel-voet* claudipes, pes impeditus.

HAMMEN, cædere, ſecare, incidere, præcidere, ſuccidere, excidere. Radix deleta, vera tamen, & fœcunditate inſignis. Indicium priſtini uſus præbet (1.) adjectivum *hamm* mutilatus, truncatus. (2.) frequentativum *hammeln* cum ſuis derivatis. (3.) ſubſtantivum *hamm*, quod decem habet ſignificatus, qui omnes in notione cædendi & dividendi conveniunt. (4.) adjectivum *ſkamm* brevis, id eſt, curtus, cui aliquid præciſum, cum ſuis cognatis, *ſkemmen* abbreviare, decurtare, *ſkemmi* brevitas: Quæ etiamſi cum radice ſua extincta ſint, vera tamen ſunt, & minime conficta. Gloſſ. Keron. brevis *ſkammér*, parviſſimo *ſkemmiſtun*, brevitatem *ſkemmi*, breviter *ſkemlicho*, *ſkamlihcho*, breviandum *ze ſkemmane*. Lex. Run. *ſkam* brevis, parvus, *ſkam taladr* pauciloquus. VEREL. in Ind. *ſkammur* brevis, *ſkamhendur* qui breves habet manus, *ſkamrifia* qui breves habet coſtas, *hals-ſkamur* cui breve collum &c. Nimirum ſibilus ſæpe præfigitur, ubi minime neceſſarius. Interim ab his initiis fit Longobardis *ſcematio* mutilatio corporis Lib. II. Tit. LV. 16. cujus vocis origo omnes hactenus interpretes latuit, Italis *ſcemare* mancare, diminuere, quod a FERRARIO male derivatur a Lat. *eximere*, & a noſtris adhuc pejus a *ſchemen* pudere. Reſtat, ut de ortu verbi *hammen*, quod tam numeroſam habet progeniem, aliquid addam. Hunc certe malo repetere a Gr. κόμμα inciſio, quod eſt a κόπτω cædo, quam contra analogiam legitimæ derivationis ab *hauen* cædere. A κόμμα autem recte fit *hammen*, *chammen*, *ſkammen*, inciſionem & diviſionem facere.

HAMMER, malleus. Gloſſ. Pez. malleus *hamar*. Conveniunt in voce omnes pene Dialecti, Angloſaxonica, Anglica, Belgica, Danica, Islandica, Suecica. Suſpicor, majores noſtros, cum adhuc Linguæ Græcæ ſtudioſi eſſent, ex aliquo Græcorum verbo hoc nomen more ſuo formaſſe, ſive a κάμνω fabrico, ſive a κόπτω tundo, pulſo, percutio. Nam hinc Græcis fit κόμμα percuſſio. Cur non etiam *hammer* percuſſor? K. & H. ſunt literæ convertibiles.

HAMPELMAN, icuncula habitu virili ad ludendum facta. VEREL. in Ind. *hampa oc leyka* ulnis ſublatis geſtire. In quibusdam locis *ampeln* etiamnum dicuntur pueri, quando puppa vel ſimili re ſubito oſtenſa gaudium vel deſiderium motu corporis teſtantur.

HAMSTER, mus agreſtis. Forte ab *hamm* ager, ut *feld-maus* a *feld* campus.

HAN, habere, *hant* habent. Utuntur hodie Suevi cum Alamannis Speculi Suevici conditoribus. Quod, etiamſi factum ſit per ſyncopen ex *haben*, mire tamen placuit omnibus Germanis, dignumque imitatione viſum eſt. Nam tota hodie Germania in tertia præſentis dicit *hat*, & in prima imperfecti *hatte*. Unde, niſi ab infinitivo Suevico *han* habere? Nam alias dicendum eſſet *habet* & *habete*, prout dixerunt antiqui. Gloſſ. Keron. habet *habit*. TATIANUS Cap. XIII. 11. *Johannes habeta*, Johannes habebat.

HAN, gallus gallinaceus. Gothis, Angloſaxonibus, Francis & Alam. magno conſenſu *han* vel *hana*. Vox a Gallo-Græcis, ut videtur, profecta, & a χανόω clamo, deducta. Hinc Gallus in Lege Salica Tit. VII. 5. dicitur *chana*, quaſi vociferator, quod ad vocem Græcam propius accedit. Latini cantorem vocant, fed auribus haud propitiis. Diem enim venientem non cantu, ut reliquæ aves, ſed clamore nunciat, & poſt coitum aut victoriam non canit, ſed clamat.

HAN, epiſtomium. Ob conformitatem cum collo & capite criſtato Galli gallinacei, ut Anglis *cock* ob eandem cauſam, Belgis *kraen* a grue, Hiſpanis *pico del jarro* a pico martio, obſervante JUNIO in not. ad Will. pag. 197. Ob eandem cauſam ad alias quoque res translatio facta eſt. Inde *han auf der bixen* clavus ſclopi.

HAN, maſculus in genere avium, *henne* fœmina in eodem genere. Hæc nomina non ſunt a Gallo gallinaceo, ſed a pronominibus Septemtrionalium petita. STIERNHIELMIUS in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 85. Omnis, inquit, avis maſcula dicitur *hana* ab *han* ille, & fœmina *hona* ab *hon* illa. Hactenus bene. Verum ſi hæc etymologia ad Gallum usque gallinaceum ejusque fœminam extendatur, quod tam ipſe quam LOCCENIUS in Lexico Juris-Sueo-Gothici facere videntur, non aſſentimur.

HAN, manus, Dialecto Danica, & quadam Saxonica antiqua. Cujus rei documentum præbet *Paraphraſis vetuſta Symboli Apoſtolici Boxhorniana* hiſce verbis: *ik kelave that he thar nu ſeteth eth erwirtheren han ſines vaders*, credo quod ibi nunc ſedeat ad dignioremanum patris ſui. Saxonibus jungere poſſumus Gothos. Nam in Codice Argent. occurrit *hanhamma*, manu truncatus Marc. IX. 43. Vulgo quidem legitur *hanfamma*; ſed vitio manifeſto. Nam *famma* eſt vox nihili, & *hamma* omnibus antiquis ſignificat mancum, mutilum, truncatum, ut demonſtravi in loco. Et talem quoque hic ſignificat. Agitur enim de manu amputanda ob regnum cœlorum. Reſtat ergo ut *han* ſit ipſa manus. Et hoc ſenſu reperitur etiam *hun*, in compoſito Gothico

thico *hunsle* ſacrificium Marc. IX. 49. quod certe oblationem manus ſignificat, ut oſtendi in *ſal* traditio. In Lege Salica occurrit *cham* pro manu Tit. XXIII. 1. Hoc arripit ECCARDUS in notis, & ex illo tanquam genuino derivat *han* & *hand*. An recte, dubito. Quamvis enim certum ſit, hæc tria *han*, *hand*, *kam*, antiquis manum denotaſſe, incertum tamen eſt, an ex ultimo reliqua prodierint? Mihi videntur alio naſcendi ordine facta, vel potius notionibus diſcreta. Nam *kam* eſt manus fiſſa, *hand* manus capiens, *han* manus tractans. LOCCEN. in Lex. Jur. Sueo-Goth. *hanna* verſare aut tractare manibus, vel attrectare. In precatione S. Birgittæ ad Chriſtum: *annor qwinnon hannade tins klædisfald, och ward helbrægda*, alia fœmina attrectabat oram veſtis tuæ & ſanabatur.

HAND, manus. Gothis *handus* Luc. I. 66. in comp. *hand*, Angloſax. *hand*, *hond*, Francis & Alam. *hant*, Procop. *handa*, Island. *hand*, *haund*. Gloſſ. Keron. manu *henti*, manuum *henteo*, manibus *hantum*. Gloſſ. Pez. chirographum *hantgiſcrip*. Gloſſ. Junian. in Obſ. ad Will. pag. 146. *hant tuele* manutergium. Recentiores, quorum conſenſus nemini non notus, omitto. Commodiſſime referri poteſt ad verbum vetuſtiſſimum multisque linguis (ut infra docebitur) commune *henden* capere, quia manus in corpore humano eſt naturale & unicum capiendi inſtrumentum.

HAND, plures habet ſignificatus, quorum alii ſunt *metonymici*, alii *ſynecdochici*, alii *metaphorici*, & ex Philoſophia imaginum petiti. Nam manus omnibus temporibus fuit ſymbolum *poteſtatis*, *juris* & *juriſdictionis*, *voluntatis*, *fidei*, *promiſſi*, *auxilii*, *violentiæ*, *cognationis*, imo etiam *ſcientiæ*, *artis*, & *dexteritatis* &c. Hinc tot ſenſus elegantes nati, quot conſideratio manus ſymbolica admittebat, inprimis apud noſtros, qui in amplificandis verborum pomœriis mire delectantur figurato dicendi genere, tam in vita communi, quam in foro. Horum præcipuos nunc eruam, reliquis, qui ſenſiculos tantum minutos & facile inveſtigabiles continent, prætermiſſis.

HAND, per metonymiam cauſæ eſt res manu facta, ſcriptura, pictura, opus manuarium, imo etiam facinus, furtum, homicidium, & quicquid manu perpetratur aut delinquitur. Hinc interpretationem capit vox veterum Jurisconſultorum *handthat* commiſſio delicti, delictum flagrans, in qua manus ponitur pro ipſo facinore. Jus Prov. Alam. Cap. LXXXII. 3. *ſuuen man mit der hantgetat begriffet, den ſol man für geriht füren*, quicunque in commiſſione delicti deprehenditur, ille debet duci in judicium. Cap. CCCXI. *diu hantgetat iſt, ſuua man einen begriffet an der hantgetat*, delictum illud eſt *hantgetat*, in quo quis, dum id committit, deprehenditur. Utrumque ex verſione cel. SCHERZII. Hinc porro *hand-dæda* homicida, & auctor cujuscunque facinoris, in Legibus R. Edmundi apud SOMNERUM: & *handhabenda* latro in flagranti deprehenſus, dum rem furtivam adhuc in manibus habet, in Legibus R. Adelſtani apud CANGIUM. Utimur etiam extra forum, & ſenſu minime facinoroſo. Inde *handlon* manuprecium, precium quod pro opere manuario ſolvitur.

HAND, per metonymiam ſigni eſt promiſſum manu data, tanquam ſigno & ſymbolo fidei, factum. Inde compoſita, *handſal* obligatio quæ data dextra firmatur, interprete VERELIO in Ind. *handfried* cautio manu data de non offendendo, *handſchrift* literæ ſponſoriæ & omnis ſcriptura vim obligandi habens, *handgelt* arrha, pecunia promiſſum confirmans. Quibus addi poſſunt ex infra dicendis, *handſchlag* ſtipulatio manu facta, *handmal* forum manu data compromiſſum.

HAND, per eandem metonymiam eſt conſenſus, quia manu, tanquam ſigno & ſymbolo voluntatis, annuimus. De more manu annuendi omnibus gentibus recepto, vide plura in *lauben* permittere. Jus Feud. Alam. Cap. XXVI. citante SCHILTERO: *on des herrn hant*, ſine conſenſu Domini feudum oppignorare.

HAND, per metonymiam adjuncti eſt juramentum, quia, dum ſacra verba proferimus, Deumque ultorem invocamus, manum ejusque digitos attollimus. Exempla uſus forenſis vide apud SCHILTERUM in Gloſſ. Teut.

HAND, per ſynecdochen partis eſt ipſe homo. Inde formulæ, *von hand zu hand* viritim, de homine ad hominem, de traditore ad traditorem, de vendente ad ementem, *mit der ſiebenden hand ſchweren* veritatem facti ſeptem conjuratoribus confirmare.

HAND, poteſtas, *freie hand* libera poteſtas, *mit geſamter hand* conjunctis viribus, *in die hænde geraten* in poteſtatem venire, *über hand nemen* prævalere &c. Metaphora a manu ducta, quatenus eſt inſtrumentum agendi. Senſu forenſi eſt *juriſdictio*, *dominium* &c. Hinc deditio antiquitus dicitur *handgang*, velut tranſitus in alienam poteſtatem. SOMNER. in Dict. AS. *handgang* deditio. VEREL. in Ind. *handganga* deditio, ſubmiſſio, *handgengur* qui fidem & obſequium ſuperiori, Regi puta, addixit, de civibus eminentioribus accipitur.

HAND, poſſeſſio, opes, facultas. VEREL. in Ind. *handhave* qui eſt in poſſeſſione vel poſſeſſorio, *handvam* damnum rei alienæ illatum. Metaphora a manu ducta, quatenus eſt inſtrumentum tenendi. Nec obſtat, quod res mobiles manibus, immobiles pedibus occupamus. Nam quocunque modo res in noſtram poteſtatem venerit, ipſa certe poſſeſſio eſt actus manui ſimilis, quæ res captas non tenet tantum, ſed etiam digitis ſtringit. Quod etiam cogitaſſe videntur ii, qui medio ævo omnes poſſeſſiones, etiam terras & prædia *tenementa*, eorum-

rumque poſſeſſores *tenentes* appellare inſtituerunt. Hic ſignificatus, quamvis Juriſconſultis nondum animadverſus, probe debet notari, quia opera ejus diſcimus, quid proprie ſit *todte hand* manus mortua, de qua infra prolixe.

HAND, jus, *geſamte hand* jus ſimultaneum, jus ſuccedendi in bona feudalia proximi cognati. Dicitur jus a *manu tangente*, quæ certe eſt ſymbolum juris. Nam tangere dicuntur, quorum extrema ſunt contigua & conjuncta, tropice vero ea, quæ ſub aliqua ratione ad nos ſpectant. Ergo dum manus cognati vexillum, quod a Principe vaſallo traditur, una tangit, hoc ipſo in communionem juris recipitur. Unde videmus, quam ſapienter hic ritus a majoribus ſit inſtitutus, & quam nihil absque *Juriſprudentia Symbolica* in foro Veterum intelligi poſſit. Cur hæc diſciplina jaceat neglecta, cauſam eſſe puto, quod pauci eo ingenio naſcantur, ut has elegantias attingere poſſint. Dicitur autem *geſamt*, a ſimultanea inveſtitura.

HAND, vis, *hand anlegen* vim inferre, *oberhand* vis major, victoria, *gewaffnete hand* manus militaris. VEREL. in Ind. *veria hendur ſinar* irruentem hoſtem a ſe repellere. Ducta ſimilitudo a manu, quatenus eſt inſtrumentum cogendi. Huc ſpectat ex foro antiquo *baiſterahandi*, quod extat in Lege Alam. Tit. X. *Si quis in curtem Epiſcopi armatus contra Legem intraverit, quod Alamanni baiſterahandi dicunt.* Id eſt, vim ſubitam & repentinam. Rationem interpretationis collige ex dictis in *haſt* feſtinus.

HAND, opera, auxilium, *handleiſtung* opitulatio, *handlanger* auxiliator, qui operam ſuam alteri porrigit. A manu, quatenus eſt juvandi inſtrumentum, vel ſymbolum promptæ voluntatis.

HAND, cognatio, *geſamte hand* univerſa cognatio. Extat & *gehænd*, quod a SOMNERO & BENSONIO, celeberrimis Linguæ Angloſaxonicæ interpretibus, exponitur *proximus* & *propinquus*. Apud Francos & Alamannos, qui computum cognationis a capite inchoabant, & in ungue digiti medii finiebant, manus erat ſymbolum cognationis remotæ; apud Saxones vero antiquos proximæ. Nec id ſine cauſa. Nam manus eſt oſſea compages, quæ deſinit in digitos, ut ſtirps in ramos, & horum digitorum articuli, alii aliis ſunt remotiores a manu, alii propius conjuncti. Quæ res anſam dedit ingenio humano, ut eam ſimilitudinem ad ſanguinis conjunctionem transferret. Unde ruſus videmus, qua elegantia *hand* ponatur pro cognatione, & *gehænd* pro cognato. De computo Francorum & Alam. actum in *nagelmagen* & *ſippzal*.

HAND, ſtatus, conditio, *ærgere hand* deterior conditio. Dicitur de infante ex inæquali matrimonio prognato, cujus ſtatus ratione parentum eſt quaſi ambidexter, melior aut deterior. Confer dicta in *ærger*.

HAND, ars, præcipue manuaria, *handwerk* artificium, ſcientia alicujus operis faciendi, *handgriff* tractandi dexteritas. Senſus a manu, quatenus eſt capiendi inſtrumentum, ad ſcientiam operis faciendi translatus, quia ſcientia & comprehenſio ſimilis eſt *iis rebus quæ manu prenderentur*, ut ſapienter ZENO apud CICER. in Quæſt. Acad. Omnes ſane concipiunt, intellectum menti eſſe inſtar manus. Hinc etiam vulgo in negotio intellectus utimur verbis ab officio manus deſumptis, cujusmodi ſunt *begreiffen* comprehendere, *begriff* comprehenſio, *vernemen* intelligere, *vernunft* intellectus &c. Imo etiam Latinis *comprehendere* primo eſt manu capere, deinde intellectu. Unde videmus, quam facilis fuerit manus ad ipſam ſcientiam translatio. Hoc videntur etiam Gothi cogitaſſe, dum ſapientiam vocant *handugei* Matth. XI. 19. & paſſim. Hinc fortaſſe non errabimus, ſi cum celeberrimis interpretibus, JUNIO & STIERNHIELMIO, hanc ſapientiæ denominationem ad manum referamus, etiamſi haud liquido conſtet, an *handig* Gothis fuerit ſciens, ſapiens, prudens, aut *hand* ſcientia.

HAND, dexteritas in agendo. Cognoſcitur ex derivatis, cujusmodi ſunt, *behændig* dexter, ſolers, *behændigkeit* ſolertia, quibus etiam Sueci utuntur. Sic apud Latinos quoque a *dextra* fit *dexteritas*. Dicitur autem præcipue de iis, qui manibus & ingenio (nam ſenſus ex potentia agendi & intelligendi mixtus eſt) ſubtiliter uti poſſunt, vel ad producendum humanæ vitæ utile inventum, ut artifices, vel ad faciendum ludicræ ſpectaculum, ut hiſtriones. Hinc quædam *manuum philoſophia* celebratur apud veteres. Pantomimi certe eam ob cauſam Græcis dicti ſunt χειροσόφοι, h. e. manibus ſapientes, quod tanto artificio res geſtas, quamvis tacito corporis motu, oculis objicerent, ut viderentur manibus loqui. Quanto majori jure artifices noſtros, qui opera utilia conficiunt, ſic appellabimus? Hiſce conſiderationem manus finire conſtitui, non quod non plures habeat ſignificatus, ſed quod hæc reliquis inveniendis ſufficere poſſint. Addam tamen adhuc quædam derivata & compoſita.

HAND, ſubfix. V. PROLEG. Sect. VI.

HANDEL, verbale ab *handeln* ſignificat quantum poteſt, emptionem, venditionem, permutationem, transactionem, & omnia hominum negotia, cauſas & facta, tam bona, quam mala.

HANDELN, quatenus derivatur ab *hand* manus, ſignificat manu tractare, *ſynecdochice* emere, vendere, mercari, permutare; *metaphorice* tranſigere, paciſci, exponere de re aliqua &c. Gloſſ. Pez. tractaverunt *hantalotun*. BENSON. in Voc. AS. *handlian* tractare.

HANDELN, quatenus derivatur ab *hand* opus, ſignificat agere, facere, & hinc porro *miſhandeln* delinquere.

HAN-

HANDELN, quatenus derivatur ab *hand*vis, ſignificat manum immittere. Inde priſcis Bajuvariis *hantelode* manus immiſſio, in Decreto Taſſilonis de popularibus Legibus Cap. XV. *Qui manus immiſſionem reſiſterit, quod hantelod dicunt, XL. Sol. ſolvat in publico, & ipſam rem quærenti reddat.*

HANDHABEN, auxilio vel manu forti defendere, ab *haben* ſervare.

HANDHEBE, anſa. Refer ad *heben* tenere.

HANDIEREN, manu tractare. Dicitur de mercatura, opificio, & omnibus negotiis, præcipue manuariis. Inde Gallis *hanſer les armes* arma tractare, & *bienhanſez d'armes* in armis probe exercitati, apud CANGIUM in voce *hanſatus*. STADENIUS ſcribit *handthieren*, componitque ab *hand* manus, & *teren* gerere, quod tribuit Belgis. Malim ἀμέτρως & citra compoſitionem a manu derivare.

HÆNDIGEN, tradere in manus. V. *henden* tradere.

HANDMAL, ſponſalia. ECCARDUS in not. ad Leg. Sal. pag. 59. "*Hantmahl* cer„te hoc ſenſu uſurpatum occurrit in ve„tuſtiſſima Evangeliorum Harmonia Cot„toniana, qua Hickeſius uſus eſt, cu„jusque aliud exemplar nuper Herbipoli „una cum aliis quibusdam MStis inventum „fuiſſe mihi conſtat. Scribitur ibi: *thar „uuas thes helites handmahal endi oc theru „helagen thiernum marium thera guodun.* „Hoc eſt: *Ibi erant ſponſalia herois ac etiam „ſanctæ Virginis Mariæ illius bonæ.* Huc uſque ECCARDUS. Proprie eſt ſponſio dextris junctis facta. Similia compoſita vide in *mal* ſponſio.

HANDMAL, forum juratum aut compromiſſum. V. *mal* forum.

HANDMAL, præterea ſignificare poteſt ſignum in manu, ſignum poſſeſſionis, ſignum judicii & jurisdictionis, ſi *mal* referatur ad ſignum.

HANDSCHLAG, colaphus. TATIANUS Cap. CLXXXVII. 4. *mit thiu her quad, ein aſtantenti thero ambahto gab hantslac themo Heilante*, cum hæc diciſſet, unus ex aſſiſtentibus miniſtris dedit alapam Servatori. Gothi eundem ictum inverſo compoſitionis ordine vocant *ſlahlofa* Joh. XVIII. 22. a *ſlahan* percutere, & *lofa* vola manus. Quod in Verſione Angloſaxonica ubique circumſcribitur, neſcio qua de cauſa. Nam alapæ non caruerunt voce apud Saxones antiquos, ſed vocantur *hond-dyntas* & *hond-ſmellas* apud SOMNER. & BENSON. Hodie dicimus *backenſtreich*, *halsſchlag*, *maulſchelle*, ab objecto quod percutitur. Apud veteres occurrit quidam colaphus, qui non vindictæ cauſa, ſed ſignificandi cauſa infligitur, & hoc ſymbolum diverſos habet juris effectus. Nam ex tyrone facit militem, ex ſervo manumiſſum, ex libero ſervum, ex non poſſidente poſſidentem, docente CANGIO in voce *alapa*. At quo pacto hæc recte intelligi poſſint absque *Jurisprudentiæ Symbolicæ* cognitione, non magis video, quam ipſam diſciplinam, quæ nobis hæc ordine & decenter tradat.

HANDSCHLAG, manus ſtipulata. Proprie ſponſio manu plaudente facta, ab *hand* ſtipulatio, & *ſchlagen* plodere, collidere. Nam ab antiquo omnes ſtipulationes, donationes, & contractus junctis vel complosis dextris firmabantur. Unde natæ formulæ, *frieden anſloſſen, kaufſchlagen*, & plures aliæ, quæ bonos habent authores, & a conjunctione vel complosione manuum ſunt deſumptæ. Et huc etiam ſpectare videtur vetus formula: *dono tibi rem meam per feſtucam & andilaginem*: quam CANGIUS ex charta Sæculi IX. producit. Ipſe exiſtimat, hanc vocem *quidpiam corporale* ſonare, ut eſt feſtuca. Aliis actionem manus denotat. Scribitur autem duobus modis, *andilagus* & *andilangus*. Priorem vocem coincidere cum *handislagus*, judicat ECCARDUS in not. ad Leg. Sal. pag. 59. Poſteriorem explicat WENDELINUS per *traditionem in manus* vel *mancipationem*, quia *handlangen* eſt tradere in manus.

HANDTHIEREN, negotiari. Utitur Luth. 2. Pet. II. 3. V. *handieren*.

HANDWERK, opus manu factum. NOTKERUS Pſal. CXXXIV. 15. *uuaz ſint iro Gota? Gold unde ſilber menniſcon hantuuerch*, idola gentium aurum & argentum quid ſunt niſi opera manuum hominum? Idem Angloſaxonibus *hand-weorc* & *hand-geweorc*. Vetuſtas inde formavit verbum. Hinc Templum *manufactum* Marc. XIV. 58. interpreti Gothico dicitur *handuwaurhto*, Angloſaxonico *hand-worhte*.

HANDWERK, ars manuaria. Quo ſenſu, vide in *hand* ars. Differt ab opere mechanico, ut per ſe manifeſtum.

HANF, cannabis, κάνναβις, κανναβὶς. Angloſaxon. *hænep*, Dan. & Belg. *kennep*, Suec. *hampa*, Gall. *chanvre*, Hiſp. *cannamon* &c. Vox omnibus Europæ linguis communis, quamvis literis ſubinde mutatis. Cauſa concentus eſt, vel imitatio Græcæ aut Latinæ vocis, vel omnium origo a notione longitudinis & cavitatis. Nam propter has dotes cannabis potiſſimum ſeritur. Vide dicta in *kan*. Ab *hanf* eſt *hænfing* avis linaria, ab appetitu ſeminis hujus plantæ ſic dicta, ut oſtendi in Subfixo *ling* inter *Prolegomena* Sectionis VI.

HANGEN, pendere. Verſio Angloſaxon. Luc. XXIII. 39. *an of tham ſceathum the mid him hangode*, unus ex latronibus qui cum illo pendebat. TATIANUS Cap. CCV. 4. *ein ſon then thie thar hangetun*, unus de his qui pendebant. WILLERAMUS Cap. IV. 4. *duſſent skilte hangent an dero uuere*, mille clypei pendent in propugnaculo. Quamvis *pendere* & *ſuſpendere* ſint actus valde diverſi, quoniam qui pendet, hæret in alto, & qui ſuſpendit, facit ut pendeat: Hoc tamen non obſtante, *hangen* & *hengen* videntur verba ſororia, ab

una & communi ſtirpe ὄγκος *uncus* oriunda, & primo quidem connotare *pendere & ſuſpendere ab unco*, poſtea *pendere & ſuſpendere in genere*.

HANGEN, metaphorice dicitur (1.) de nexu cauſarum, ducta ſimilitudine a pendentibus, qui ea parte qua pendent, cum loco cohærent. Inde *abhangen* dependere, *abhang* dependentia, *abhenglich* dependenter. (2.) de nexu partium. Inde *hangen* hærere, *anhangen* adhærere, *zuſam̃enhangen* cohærere. (3.) de propenſione, quia propenſi ſimiles ſunt pendentium, qui naturali pondere deorſum vergunt. NOTKERUS Pſal. LI. *er hangta ſinero geluſte, hengen do ſtuont er*, indulgebat ſuis voluptatibus pronus (in infernum) ſtabat. Ita locum interpretatur SCHILTERUS, in Gloſſ. Teut pag. 450. Hodie utimur compoſito *nach hengen*, indulgere dolori vel voluptati. (4.) de conſenſu, quia conſentientes prona ſunt voluntate erga eos, quibus conſentiunt OTFRIDUS Lib. II. Cap. XXIII. 38. *ioh iz Goti hengit*, nec Deus id permittit. Gloſſ. Keron. conſenſerit *kihenkit*. Hodie dicimus *verhengen*.

HANREI, maritus qui mœchum patitur Notum convicium, ſed ignoti ſignificatus Vulgo dicunt, *einen zum hanreien machen*, hoc eſt, facere aliquem hanræum. Ergo maritus aliquid fit, quod ante non fuit, tam uxoris quam rivalis culpa. Quæritur ergo, quid fiat? Diſſentiunt hic illuſtres in re etymologica Duumviri LEIBNITIUS & ECCARDUS. Ille maritum *Gallum* fieri *caſtratum*, hic *defatigatum* & *impotentem* contendit. Nam in idea *Galli* ambo conveniunt Audiamus eorum verba. LEIBNITIUS in Epiſt. ad Ludolf. an. 1698. *Dum paſſim deliberatur de Rep. nos quoque de graviſſimis argumentis tractamus, unde ſcil. dicti Bernhuter & Habnreh; magna utique diffuſione ſua nomina, & cura noſtra digna.* Et paulo poſt: *Nunc venio ad etymon Habnreatus, id eſt, ut Gallice balbutiam Cocuatus; quo ego ſcil. invento glorior, ut Archimedes ſphæræ & cylindri comparatione; valdeque indignor, eam mihi eripi tuo illo diſſenſu. Si dixiſſes: non liquet; valde me turbaſſes, quid nunc futurum putas, ubi dixiſti, non placet? nigrumque ſententiæ meæ theta præfixiſti, pro qua ego tanquam pro aris & focis depugnare conſtitui.* Hactenus quidem jocatur vir ſummus, ſed mox paulo ſerius agit in ſequentibus: *In notationibus vocum cavendum mones merito, ne &c. Id putabam, me pulchre caviſſe; neque enim hic ſimilitudo literarum, ſed binæ integræ voces; neque incongruitas in compoſitione; neque quærenda affinitas, ubi res ipſa eſt. Nam habn-ree eſt capo; quia habn eſt gallus, & ree (runa Islandis) caſtratus. Prius patet; poſterius probo, ex uſu vulgi etiam in his terris, ubi ree cantherius. Sea tu velles, ree generaliter ſumi pro caſtrato quovis. Id vero iniquum eſt poſtulatum; quid uſitatius quam ſynecdoche ex permutatione generis & ſpeciei? Nonne recordaris, quid Italis il caſtrato? Nempe illis eo nomine κατ' ἐξοχὴν venit aries exſectus. Eodem modo ree vocabulum commune caſtrati olim (originem veriſimiliter habens ab impotentia) in equis remanſit, & ſi recte conjeci, etiam in gallis,* &c. ECCARDUS in Præfat. ad Collect. Etymol. pag. 53. hæc ſibi non penitus ſatisfacere ſcribit, laudatque Theſaurum STILERI, in quo *rehe* exponitur *laſſus, deſeſſus, defatigatus*. Hunc ſignificatum applicat gallo, & deinceps marito. *Hinc itaque, inquit, deſumta eſt locutio Hanreh vel Habnrey, que vi originis ſuæ hac ratione denotat maritum a mœcho defatigatum, maceratum vel devictum inſtar galli, a rivali ſpectantibus gallinis ſuperati.* Hæc fateor, jucundiſſime dici poſſe, ſi quæſtio inſtituatur inter pocula; minime vero, ſi res ſerio agatur. Tunc enim aliquid, quod veriſimilius ſit, proferendum erit. Quid falſius, quam maritum ab uxore infideli caſtrari? aut eum ex impotentia uxorem relinquere robuſtiori, tanquam victum victori? Hoc potius dicere voluerunt primi vocabuli inventores, uxorem & mœchum ex marito facere *ludibrium vulgi*. Nam publicata pudicitia & ſuppoſitio ſobolis, ſunt ampliſſima ridendi materies apud vulgus. Idque vox ſignificare poteſt, ſi contrahatur ex alia & vetuſtiori *haner-ry*. BENSON. in Vocabulario Angloſaxon. *beanra* vulgus. ÆLFRICUS in Gloſſario pag. 56. col. 2. vulgus vel plebs *beanra*, *burb-wered*. VEREL. in Ind. Linguæ veteris Scytho-Scandicæ: *ria* illudere, contumelia afficere. Gallice dixeris *riſée publique*. Hinc etiam vulgo *corniger* vocatur, quia creditur aliquid ignominioſi geſtare, quod ſe geſtare non putat. Galli hunc cornigerum vocant *cocu*, ſed & *cornue*. Quod ideo monendum duxi, quia hinc quoque oriri poterat primo *horny*, & poſtea *honry* transpoſitis literis, ſi cornibus opus ſit. Nam hoc ſcomma valde antiquum eſt, ut ex Onirocritico Artemidori alibi oſtendo. Sed mitto vocabulum inſanum, cum res ipſa parum ſana ſit. Quid enim indignius, quam virum probum convicium pati a crimine non ſuo, ſed alieno?

HANS, nom. prop. noviſſime factum per aphæreſin ex *Johannes*, ut *Klaus* ex Nicolaus, *Thrina* ex Catharina, & alia multa capite truncata. Cave, ne illud confundas cum ſequentibus.

HANS, ſocius, ſodalis. Significatum agnoſcunt KILIANUS & HADRIAN. JUNIUS, Linguæ Belgicæ interpretes; ſed neuter etymon adtingit. Significat autem proprie *participem*, ut dixi in *henden* capere. Inde nomina propria Alamannorum aliorumque apud GOLDASTUM in Indicibus:

ANSBERTUS, ſocius clarus. Similia compoſita vide in *brecht*.

ANSERAMUS, ſocius robuſtus. Plura ejusdem generis vide in *ram*.

ANS-

ANSBALDUS, ſocius audax. Plura ſimiliter facta vide in *bald*.

ANSEGISUS, ſocius fortis. Congenera vide in *geſus*. GROTIUS exponit *manu fortis*, quia forte alicubi legerat *Andagiſus*. Hadr. JUNIUS *obſes ſociorum*, quod appellativum magis quam proprium. SCHILTERUS *primas virorum fortium*.

ANSERICUS, ſocius potens.

Nonſolum autem Alamannis, ſed etiam Longobardis familiare fuit, ejusmodi nominibus uti. Inde ANSA ſocia, ultimi Longobardorum Regis Defiderii uxor, ANSBRAND ſocius clarus &c.

HANS, primas, ſocius per excellentiam, qui reliquis fortuna major, *groſſe hanſen* magnates, *freie hanſen* primi ordinis liberi. Veſtigia ſignificatus inde a Domitiani ævo exhibet JORNANDES de rebus Get. Cap. XIII. ubi de Gothis: *Jam proceres ſuos, quaſi qui fortuna vincebant, non puros homines, ſed ſemideos, id eſt*, ANSES *vocabant*.

HANSE, ſocietas, multitudo conjuncta. Vox antiquiſſima, & ab *hans* ſocius oriunda, quæ proprie ſignificat *ſocietatem participantium*. Dicitur (1.) de ſocietate civili. Inde nomina propria Alamannorum aliorumque in Indicibus Goldaſtinis:

ANSFRID, defenſor ſocietatis. Similia vide in *frieden* tueri.

ANSHELM, protector ſocietatis. Similia vide in *helm*.

ANSWALD, rector ſocietatis. Similia vide in *walt* præfectus.

(2.) de ſocietate belligerantium. Codex Arg. Marc. XV. 16. *jah gahaihaitun alla hanſa*, & convocant totam cohortem. Joh. XVIII. 3. *ith Judas nam hanſa*, at Judas accepit cohortem. Et mox verſ. 12. *hanſa jah thufundiſaths jah andbahtos*, cohors & tribunus & miniſtri. TATIANUS Cap. CC. 1. *giſamanotun zi imo alla thia hanſa*, congregaverunt ad eum univerſam cohortem. (3.) de ſocietate mercantium. Inde Anglis *a hanſe* ſocietas mercatorum, & Latino-Barbaris *Hansgravius* præfectus nundinarum, quem negotiantes eligere poterant ex privilegio Friderici II. Imp. apud CANGIUM: item *hanſatus* in collegium mercatorum receptus, apud eundem. (4.) de ſocietate fœderatorum. Huc ſpectat celebris illa confœderatio præcipuarum Germaniæ Urbium a ſinu Finnico uſque ad Rheni oſtia, quæ Belgis *de duydſche Hanſe*, Gallis *Hanſe Teutonique*, Latinis HANSA TEUTONICA dicitur, de qua videndus BERTIUS, PONTANUS, alii. (5.) de ſocietate conſultantium. Hinc in veteri quadam Evangeliorum Verſione *concilium* vertitur *hanza*, memorante BERTIO Lib. III. Rer. Germ. Cap. 4. (6.) de ſocietate privilegiatorum. Inde Gallis prioribus *hanſer* aſſociare aliquem privilegiis alicujus collegii, & *marchand hanſé* vel *anſé* mercator privilegiatus, vel in numerum privilegiatorum receptus. (7.) de ſocietate opificum. Ab hoc ſignificatu reſtat nobis verbum *hænſelen*, quod dicitur primo de iis, qui ritu peculiari inter ſodales ejusdem opificii initiantur, poſtea etiam de aliis, qui delectamenti cauſa in numerum ſociorum, ſive itineris, ſive alterius rei communis, recipiuntur. (8.) de ſocietate quacunque. Galli videntur inde formaſſe *hanter* frequentare, *hanter des honneſtes gens* familiariter uti congreſſu honeſtorum, *hantiſe* converſatio. Quæ, cum ſint actus ſociales, rectius ad cognationem reliquorum, quam ad Lat. *habitare* (quod voluit MENAGIUS) referuntur. An huc ſpectet Angloſaxonicum *hyndene*, quod a Lexicographis exponitur *ſocietas*, dubito. Nam hoc videtur eſſe ab *hund* centum, ut patet ex compoſitis *twy-hynd-mon*, *fix-hynd-mon*, *twelf-hynd-mon*, quibus denotantur homines ejusdem claſſis (Latino-Barbari *Hindēnos* vocant), quorum ſinguli valent 200. vel 600. vel 1200. ſolidos, ſecundum taxam Saxonicis moribus receptam, qua omnem hominem certo pretio æſtimabant. De hoc inſtituto vide verba SOMNERI apud CANGIUM in voce *hindeni*.

HANSE, turba, multitudo non conjuncta. Codex Arg. Luc. VI. 17. *Gaſloth ana ſtada ibnamma, jah hanſa mikila manageins*, ſtetit in loco campeſtri, & multitudo copioſa plebis (cum illo). Dictio ſynecdochica, qua ſpecies ponitur pro genere, multitudo conjuncta pro multitudine in genere.

HANSE, reditus ex quacunque re. Ab *henden* capere. Capit autem haud dubie, qui fructum rei percipit. Et fructus quid eſt niſi perceptio ex re? Cognoſcitur ex derivatis, cujusmodi ſunt, apud Anglos *hanſel* primus rei uſus, quod SKINNERUS male confundit cum *honſel* ſtrena, donum manu datum; apud Latinos inferiores *hanſa* vectigal, penſitatio ex mercibus, interprete CANGIO; apud Alamannos Sæculi XIII. *anslehn* feudum emphyteuticum, ea lege conceſſum, ut annua penſio ad dominum fundi redeat. Vocem ex GOLDASTO ſiſtit & explicat SCHILTERUS in Gloſſ. Teut.

HANSESTÆDTE, civitates Hanſeaticæ. Sunt, qui *maritimas* interpretantur, ab *anſee*, h. e. a ſitu *ad mare*. Quod GROTIO diſplicet merito. Is in Indice rerum & Verborum Scriptoribus Gothicis adjecto ſcribit, *quod a vocabulo Gothico* ANSES *aptior etymologia peti queat nominis Anſeaticarum Civitatium, quam a nonnullis magnis viris factum ſit*. Sed mentem non explicat. Videtur autem exiſtimaſſe, *Anſeaticas* dici, quod cæteris fortuna, opibus, nobilitate præcellerent. JUNIUS, poſtquam e Codice Argenteo oſtendiſſet, quod *hanſa* Luc. VI. 17. accipiatur pro multitudine, ſubjungit: *Quem locum eo libentius adſcripſi, quod mihi ſuſpicionem injecerit celeberrimis Germaniæ urbibus ab hoc vocabulo, propter inhabitantium frequentiam, Hanſeaticarum olim nomen inditum: prorſus ut Angliæ celeberri-*

berrimum emporium] GUIL. SOMNERUS *ob ſimilem rationem* LONDINIUM *putat denominatum, a Cambrobritannico llawn frequens, plenus, & dyn homo: ut llawndyn tantundem ſit ac ſi dicas Urbs frequens & hominibus refertiſſima.* Communior & verior ſententia eſt, quæ *Hanſeaticas* interpretatur *ſocias, fœderatas.* Tales enim Civitates Anglis etiam nunc vocantur *hanſe-downs;* non quod *hanſe* proprie ſit fœdus, quem voci ſignificatum multi perperam affingunt; ſed quod in linguis nihil magis obvium ſit, quam genus & ſpeciem permutari. Vide num. (4.) in *hanſe* ſocietas.

HAP, *haps*, fruſtum, *hepchen* fruſtulum. VEREL. in Ind. *hap* agri vel prati portiuncula. Videtur ab initio ſegmentum denotaſſe, factumque per literam convertibilem a *kappen* ſcindere, ſecare, præcidere.

HAPPEN, avide arripere. Belgis *happen*, Gallis *haper*. Et illis quidem *happig* eſt avide arripiens, avarus, guloſus, his vero *hape-ſoie* avis quædam marina, quæ jecora piſcium appetit. MENAGIUS veriſimiliter derivat a Lat. *capere*. An vetus ſit, dubito, quia hactenus non occurrit.

HAPPEN, contingere, accidere, bene vel male ſuccedere. Verbum mediæ ſignificationis, & ad omnes fortunæ caſus, proſperos & inproſperos deſignandos factum, cujus ratio idonea adhuc ignoratur. Hodie cuſtodiunt Angli.

HAPPEN, proſpere ſuccedere. Senſus verbi Scythicus & Celticus, ex compoſitis & derivatis manifeſtus. VEREL. in Ind. *happ* inſperata felicitas, *happ-frodur* præter aliorum exſpectationem eruditus & ſapiens, *happlauſt* ſine ſpe, deſperato, *happenverk* negotium feliciter geſtum. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *happus* felix. Addit SKINNERUS e Cambrica Dialecto: *anhappus* infelix, *anhap* infelicitas. Anglis *happy* etiamnum eſt felix, & *to make happy* beare.

HAPPEN, male ſuccedere, hærere, impedimentum pati. Hodie cum Belgis utimur frequentativo *happeren*, dum cætera nobis obſoleſcunt.

HAR, *haar*, crinis, capillus. Angloſaxon. *hær*, *heare*, Franc. *har*, Belg. & Angl. *hair*. TATIANUS Cap. XLIV. 21. *juuares houbites har alle girimitu ſint*, omnes capitis veſtri capilli numerati ſunt. Inde priſcis Danis *harfagr* pulcricomus, cognomen Haraldi primi Norvagiæ Monarchæ, apud Ol. WORMIUM in Lit. Run. pag. 217. & *hærulangur* qui longos alit crines, apud VEREL. in Ind. CASAUBONUS deduxit a κείρω tonſura, verbi κείρω tondeo: quamvis contra mores veterum Germanorum, qui comas non tondebant, ſed *uſque ad canitiem horrentem capillum in ipſo vertice religabant*, teſte TACITO Cap. 38. Hunc nodum capillarem videntur appellaſſe *har*, ſive ab ἔιρω necto, ſive ab ἔρη cauda. Poſtea, quod ab initio fuit crinis ſubſtrictus, ceſſante in vertice nodo, omnibus capillis adhæſit. Quamvis etiam *har* ab *horreo* formari potuerit, quod capilli ſetarum inſtar erigantur: Quo pacto *hirtus* & *hirſutus* erunt affinia.

HAR, pilus, *hæren*, *harig*, *hæricht* piloſus, hirſutus. Gloſſ. Pez. pilos *havir*. Evang. Angloſaxon. Marc. I. 6. *and Johannes was gefcrydd mit oluendes hærum*, & Johannes erat veſtitus pilis camelorum. Quem locum interpres TATIANI Cap. XIII. 11. ita reddit: *habeta giuuati fon harriron olbentono*, habebat veſtimentum ex pilis camelorum. Inde nomen cilicio, ſago, & omnibus ex pilis animalium confectis veſtimentis, Gloſſ. Lipſ. *hera* cilicio, *heren* cilicium. Hinc pœnitentia in cilicio & cinere, de qua Luc. X. 13. interpreti Angloſaxonico dicitur *breoſungeon hæran and on axan*. Et interpreti Francico: *riuua in haru inti in aſcun*, in Harm. Evang. Tat. LXV. 2. (Gothus vertit: *in ſakkeim jah azgon*. Quem ſequitur Luth. *im ſack und in der aſchen.*) Galli inde habent *haire*, eodem ſenſu, dum vox Germanis obſoleſcit. Cunctis affine Gr. ἔριον, lana.

HAREN, vocare, clamare. Verbum Francis & Alamannis proprium, ſed hodie obſoletum. Gloſſ. Keron. clamat *hareet*, clamamus *haremees*. Gloſſ. Pez. clamet *haret*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. VIII. 49.

Sie tho luto irharetun
Thuruh thia fuerun forahtun.
Tunc alte exclamabant
Præ gravi timore.

Proprie eſt alte vociferare, ab *her* altus, quod nonſolum de rebus ſublimibus & exceſſis, ſed etiam de voce intenſa dicitur. Ad familiam verbi ſpectant,

haro, clamor, & interjectio exclamandi apud Normannos, de qua infra.
fora-haro, præco. Vox Franco-Theotiſca apud BOXHORN. in Gloſſis.

HARFE, *harpfe*, inſtrumentum lyricum, fidibus tenſum. Angloſaxonibus *hearpe* lyra, cithara, *hearpare* citharœdus, fidicen, *hearpian* citharizare, harpa canere. Cuncta apud SOMNERUM. Extat & in Evang. Angloſax. Luc. VII. 32. *we ſungon eow be hearpan, and ge ne ſaltudun*, cantavimus vobis ad lyram, & non ſaltaſtis. Eadem vox Francis notiſſima. OTFRIDUS inter oblectamenta vitæ cœleſtis, quibus ſpiritualibus modis fruemur, refert organa muſica, *lira, fidala, fuegala, harpha, rotta*, Lib. V. Cap. XXIII. 395. ſeq. In Gloſſis Pezianis extat compoſitum, *ſalmharipha* pſalteria. Et conſentiunt Septemtrionales apud VERELIUM in Indice, ubi *harpa, haurpa* lyra, *ſla harpu* pulſare fides, *harpare* lyriſta, & ſimilia. Idem Belgis & Anglis *harp*, Suec. *harpa*. Tranſiit ex Germanico idiomate in Latinum medii ævi. Inde *harpa* inſtrumentum muſicum a lyra diverſum, apud VENANTIUM FORTUNATUM Lib. VII. Carm. 8. & hinc porro *harpare* fidibus canere, & *harpator* citharœdus. Galli a Francis habent

bent *harpe*, Itali a Gothis vel Longobardis *arpa*. Alias tamen origines, quam Germanicas, pro more ſectatur FERRARIUS, Papiam laudans, qui a gente *Arporum*, quos inſtrumenti hujus inventores vocat, nomenclaturam petit. Ibidem alios memorat, qui a Gr. ἁρπὴ, quod in extrema parte incurvetur, falcatum dixerunt. STADENIO eſt ab *haren* clamare, in Voc. Bibl. pag. 290. Aliis ab *horchen* auſcultare. Rectius, opinor, ducitur ab ἁραϱίσϰειν reſonare, ſonum edere, quia harpa non clamat, nec auſcultat, ſed reſonat. Hodie eſt trigonum inſtar Deltæ, & digitis pulſatur, non plectro. Olim vero omne inſtrumentum fidibus tenſum videtur denotaſſe. Nam *harpare* etiam dicitur is, qui *circulum* tractat. Lex Anglorum & Werinorum Tit. V. 20. *Qui harpatorem, qui cum* CIRCULO *harpare poteſt, in manum percuſſerit, componat illum quarta parte majori compoſitione, quam alteri ejuſdem conditionis homini.* De hoc *circulo* vide quædam in *ſpilrad*. Interim rem & nomen rei noſtris non nuper demum, ſed remotiſſimis ſæculis innotuiſſe, ex allegatis & origine Græca patet.

HARKE, vaſtrum, inſtrumentum hortenſe, *harken* ſarrire, farculo corradere. Dubium eſt, an ſit a Lat. *farculum*, mutato S. in H. an vero ab Anglosax. *raca* ejusdem ſignificatus, per aliquam metatheſin. V. *Rechen*. Gallis idem aut ſimile inſtrumentum appellatur *herce*, quod rectius derivatur a Germ. *harke*, quam a Lat. *irpex*.

HARM, damnum, injuria, cujuscunque generis. Angloſax. *hearm* detrimentum, damnum, *hearman* lædere, nocere, *hearmcwedan* calumniari, *hearming* læſio, *hearmlic* nocivus. Cuncta apud SOMNERUM. Similia habent Franci. Gloſſ. Boxh. *harm* calumnia. TATIANUS Cap. XIII. 18. *niomannen ni bliuuet, noh harm ni tuot*, neminem concutiatis, neque calumniam faciatis. Verba Johannis ad milites. Germanis hic ſenſus obſolefcit: ſuperat autem apud Anglos, quibus *a harm* nocumentum, *to harme* lædere. Et conſentit Gr. ἄρα damnum, execratio, ἀρᾶσθαι noceo, imprecor.

HARM, dolor vel triſtitia ex damno vel injuria accepta. Senſus Francis & Septentrionalibus proprius. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XX. 25. de occiſione Infantum:

Siu zalatun ſiu io ubar dag
Thar iz in theru uuagun lag
Joh anan themo barme,
Tharu muater zi harme.

Cottidie morti tradebant
In cunis jacentes,
Et in gremio,
Matris in dolorem.

VEREL. in Ind. *harmur* luctus, mœror, *harma* lugere, ægre ferre, & alia plura. Nos inde habemus reciprocum *ſich hermen*, acerbe contriſtari, quo utitur Luth. 1. Macc. IX. 68. de Bacchide ob cladem a Judæis acceptam ægritudine affecto.

HARMISCARA, pœna arbitraria nobilibus inflicta ob res & perſonas Eccleſiæ violatas, & alia graviora delicta. Vox Latino-Barbara, vel potius Theotiſca, quæ interdum ſcribitur *harmiſcara* & *haranſcara*, quia M. & N. in ore vulgi permutantur. Favet huic ſcripturæ Epinicium Ludovico Regi dictum verſ. 27. & SCHILTERUS in notis, qui etymon ſuum ab *haru* capilli deſumptum, huic ſcripturæ ſuperſtruxit. Sed CAPITULARIA Regum Francorum apud BALUZIUM in utroque Tomo conſtanter ſcribunt *harmiſcara*. Capitulare LUDOVICI PII an. 829. can. 1. *De his qui ſine conſenſu Epiſcopi Presbyteros in Eccleſiis ſuis conſtituunt, vel de Eccleſiis ejiciunt - - - nobis placet, ut aut illum bannum perſolvant, aut* HARMISCARAM *ſuſtineant*. Capitulare CAROLI CALVI an. 877. Tit. LIII. 9. *Prævideant ne aliquis res Eccleſiaſticas vel facultates diripiat. - - - Quod ſi præſumpſerit, & ſecundum Leges humanas hoc componat, & ſecundum Leges Eccleſiaſticas inde Eccleſiæ quam læſit ſatisfaciat, & noſtram* HARMISCARAM *ſecundum modum cauſæ, & ut nobis placuerit, ſuſtineat*. Et ſic ubique & frequenter. Stylo Palatii conſentit *harmſcara* in Gloſſis Pezianis aliquoties, & *armiſcara* in Lege Longobard. Lib. V. Tit. I. 43. Et etiamſi omnium Francorum & Longobardorum monumenta eſſent vitiata, ſanari tamen vitium poſſet & deberet ex Lingua Angloſaxonica, in qua *hearm-ſceare* vindictam denotat. Vocem primus produxit SOMNERUS in Diction. Angloſaxonico, ubi ſequentia leguntur: *hearm-ſceave* (vel *ſcearu*) vindicta, pœna, animadverſio. Anglice *vengeance, punishment*. PARAPHRASIS SAXONICA, pag. 22.

Gif he brecath his gebodſcipe.
Si mandatum ejus (Dei) violaverit.
Thonne he him abolgan wurtheth.
Tunc iraſcetur ei.
Siththan bith hem ſe wela onwended.
Deinde ſubtrahetur ei beatitudo.
And wyrth hem wite gegearwod.
Et pœna ei præparabitur.
Sum heard hearm-ſcearu.
Quædam dura animadverſio.

„Ita Diabolus ſociis ſuis de Adamo tentan„do inter ſe tractantibus. Hinc tandem Le„ctor intelligat, quid ſibi velit Francorum „& Longobardorum *Harmiſcara*, de quo „Spelmannus, Voſſius, alii: quam cum eo„dem Spelmanno ab *hearm* damnum, & *ſceare* pars, portio, conflatam arbitror." Hactenus SOMNERUS. Sed hic cogor a Summis viris diſſentire. Nam *ſceare* Angloſaxonice eſt tonſura, & *harmiſcara* in primo & proprio ſignificatu eſt *tonſura ſervi ob damnum domino vel reipublicæ illatum*. Hodie dixeris *ſchaden-ſchur*. Tonſuram mox ſequebantur plagæ, & plagas ſignum

in fronte. Morem deſcripſi infra in *ſcheren* ſerviliter punire. Hunc tondendi actum & reliquos cum tonſura conjunctos, Franci & Alamanni appellabant *harmſcara*, eamque vocem nonſolum pro *tonſura*, ſed etiam pro *verberatione* & *perforatione* frontis uſurpabant, per metonymiam antecedentis pro conſequente, quia tonſuram mox excipiebant verbera, & reliqua. Gloſſ. Pez. plaga *harmſcara*, tortura *harmſcara*, percutit *haramſcarot*, tundimur *giharamſcarot uuerden*, perforatur *giharamſcarot uuirdit*. NOTKERUS Pſal. LXXII. 5. *unde ſament in ne uuerdent ſie geharinſcarat*, & cum hominibus non flagellabuntur. Poſtea vox transferri cœpta a pœna ſervili ad eam pœnam, quam ſupra deſcripſi. Et hoc certe ſenſu accipitur in Legibus Francorum & Longobardorum, & paſſim ubique. Hujus vindictæ ſpecies erant, mulcta extraordinaria, jactura bonorum & honorum, imo etiam canis & ſella. SPELMANNO *harmiſcara* non videtur pœnam corporalem complecti. Sed CANGIUM ſecus ſtatuentem abſolvit Capitulare LUDOVICI II. an. 867. Tit. IV. 10. ubi *ſella* diſerte vocatur *armiſcara*, & Epiſtola CXXXV. INNOCENTII III. Lib. 13. in qua *opprobrium portare*, h. e. canem portare, a Pontifice appellatur *harmiſcare*. Olim aliter ſtatui de hac voce, ſed nunc dicta emendo.

HARN, lotium. Gloſſ. Pez. urina *harn*. A Gr. ἧρον lotium, vel ἠρὼν mejere. Præcipuum compoſitum eſt *harnſtrenge* ſtranguria, ſtillicidium urinæ, quod certe eſt a ῥεῦγξ gutta paulatim defluens, niſi cauſa morbi ſit ab anguſtia vaſorum. Tunc enim referri poterit ad *ſtrengen* arctare.

HARNISCH, gravis armatura, tota ex ferro vel chalybe, & totum ſæpe hominem tegens, cujus partes præcipuæ ſunt *lorica*, quæ pectoris, *galea* quæ capitis, *ocreæ*, quæ crurum ſunt munimenta. VERELIUS in Ind. *herneskia* lorica, brynia. Idem Anglis *harneſt*, Belgis *harnas*. Inde Scriptoribus medii ævi *harnaſcha*, Gallis *harnois*, Italis *arneſe*. Vox iis temporibus nata, quibus Galli & Germani corpus ære tegere cœperunt. Cel. HICKESIO, qui ſcriptis ſuis ampliſſimis Literaturam Antiquo-Germanicam priſtino ſplendori reſtituit, vox Germanica in ſenſu primario eſt *Galea*, ſive munimentum capitis, vel potius cerebri, quod Gothis appellatur *hairns* (quamvis non certo conſtet, quomodo vox Gothica legenda ſit) Danis *hierne* vel *hiarne*. Quod perfecte reſpondet pileo illi ferreo, quem *Galeam* appellamus. Verum cum eadem etymologia reliquis armaturæ partibus minime conveniat, nec veroſimile ſit, totam corporis armaturam a defenſione cerebri nomen accepiſſe: hinc gloria originis illis Dialectis relinquenda, in quibus ferrum *iren* & *haiarn* dicitur, adeoque vel Angloſaxonicæ vel Cambro-Britannicæ. Nam hinc recte fit *harniſch* ferreus, & adjectivo in ſubſtantivum verſo armatura ferrea. Res ipſa, & terminatio vocis inſolita, hanc etymologiam exigunt. Nam adjectiva in *iſch* deſinentia aliquoties ſubſtantivari, multa declarant exempla in *Prolegomenis* Sect. VI. adducta, quæ certe clariora ſunt, quam ut in dubium vocari poſſint. Ab hoc ſubſtantivo formatur Gallis verbum *harnaſcher*. Germani agnoſcunt participium *geharniſcht*, cataphractus, id eſt, ferro undique tectus & munitus, quod de homine & equo dicitur. Inventum hujus armaturæ tribuitur MARTI HERACLIDES in Allegoriis ex editione Thomæ GALE pag. 451. *Mars dictus eſt* χάλκεος, *ſive æneus, quod univerſum corpus ære tegebat*.

HARO, clamor excitatus vicinis convocandis ad ſuppetias ferendas in caſu tragico. Obtinet potiſſimum in Normannia. In Codice Legum Normannicarum ab ill. Petro de LUDEWIG publicato, Cap. LVI. cujus inſcriptio: *De clamore Haro:* ſequentia leguntur. Art. I. *Non enim debet exclamari niſi in diſcrimine criminoſo: ad ignem vidicet, vel ad latrocinium, homicidium vel roberiam, vel in aliquo hujuſmodi imminens periculo, ut ſi quis arrepto gladio irruat in alium furioſe.* Art. 4. *Ad hunc autem clamorem omnes debent exire, qui illum audierint, & ſi maleficium vite vel membrorum periculoſum viderint, vel latrocinium, propter quod malefactor pœnam deberet reportare amiſſionis vite vel membrorum, ipſum debent retinere, vel clamorem ſupra dictum poſt ipſum increſcere & levare. Aliter enim tenerentur emendare Principi* &c. Hinc juriſdictio criminalis Ducum Normanniæ appellari ſolet *jus de haro*. Vocem origine Germanicam eſſe, recte judicat CASANOVA. Eſt enim ab obſoleto *haren*, clamare, verbo Francis & Alamannis admodum familiari, de cujus progenie actum ſupra. Inde *haro* clamor, & interjectio exclamantis. Idque etymon probatur etiam MENAGIO. SCHILTERO tamen in Gloſſ. pag. 455. inclamatio illa Normannica derivatur a Francico *hera*, huc. Quod nefcio an ſit præferendum. Uruntur hac interjectione etiam Normanni. Sed apud reliquos Gallos *haro* nonſolum eſt interjectio, ſed vel ipſa conclamatio ad arma, vel rumor atque fama cujusvis rei atrocis nuncia, præcipue tumultus, aut hoſtilis irruptionis. FROISSARDUS apud Caſanovam: *Quand la nouvelle & le* HARO *en vint en Landreches*. Et alibi: *Le* HARO *commencea à monter, & les villes voiſines commencerent à ſonner les cloches*. Et hic quoque ſenſus manifeſto eſt ab *haren* clamare.

HARREN, manere, morari, exſpectare. Uritur Luth. Eſa. XXVIII. 10. *harre hie, harre da, hie ein wenig, da ein wenig*. HELVIGIUS deflectit ab Heb. *achar* moram fecit, tardavit: MARTINIUS a Lat. *hærere*. Sed nec hoc, nec illo opus habemus. Quemadmodum enim Gothis ab *her* huc fit *hir-*

jan venire, accedere ad locum: ita Germanis ab *hier* hic derivatur *harren* manere, morari in loco. Metaphorice dicitur de perſeverantibus, quia manentibus ſimiles ſunt. Inde *beharren*, *verharren* perſeverare, *ausharren* edurare, perſeverare ad finem usque, *beharrlich* jugiter, conſtanter. Apud priſcos haćtenus non occurrit.

HART, durus. Goth. *hard*, Angloſax. *heard*, Franc. & Alam. *hart*, *hert*, Belg. Angl. & Island. *hard*, Suec. *hærd*. Gloſſ. Keron. dura *hertiu*, duros *herteem*, durius *hartor*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. I. 5.

Er ſe ioh himil uuurti,
Joh erda ouh ſo herti.
Antequam mare & cœlum fierent,
Et terra adeo dura.

Inde compoſita *ſtein-hart*, *eiſenhart*, & alia ſatis nota. Vocem *alienæ originationis indigam* eſſe, exiſtimat STIERNHIELM. in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 86. SKINNERUS derivat ab α priv. & ῥέω, q. d. ἄῤῥυτος, quia dura ſunt quæ non diffluunt. MARTINIUS primo ab *aridus*, mox illo dimiſſo ab *artus*, quatenus ſtrićtum & compaćtum ſignificat. Quicquid ſit, ab hac partium minimarum anguſtia proveniunt omnes duri qualitates, & inprimis ea, qua taćtui reſiſtit. Mirum tamen eſt, ſi fuerit Latinæ originis, tot ſimilia per omnes fere ſignificationum gradus in vetuſtiſſimis Linguis, *Celtica*, *Perſica*, *Græca*, reperiri. Mirum, Germanos primum tenere ſignificatum, a quo reliqui omnes incredibili copia & haud vulgari ſapientia per artem ſymbolicam formata ſunt. Nam a *duro* denominatur *difficilis*, quia durum eſt impeditum, nec tranſitum præbet aliis corporibus; *rigidus*, quia durum naturaliter riget; *firmus*, quia durum ſolidum & compaćtum; *robuſtus*, quia duro nihil robuſtius nec durabilius; *fortis*, quia durum ferro reſiſtit, nec facile cedit adverſario; *tenax*, quia durum conſtat ex partibus, quæ ſe mutuo attrahunt; *gravis*, quia durum grave & natura ponderoſum; *moleſtus*, ob eandem cauſam; *vehemens*, quia durum acre & penetrans; *offendens*, quia durum taćtu lædit; *obſtinatus*, quia durum inflexile & intraćtabile; *ſeverus*, ob eandem cauſam; *ſævus*, ob eandem cauſam &c. Quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

HART, difficilis, *hart-hörig* (Suecis *lomhærd*) ſurdaſter, difficulter audiens, *hart zu erſteigen* arduus adſcenſu, *es helt hart mit ihm* magnis difficultatibus implicatur, *du haſt ein hartes gebeten*, rem difficilem poſtulaſti, 2. Reg. II. 10. *mit harter mühe* ægre, vix, difficili opera. SOMNER. in Dić. Angloſax. *heard* durus, arduus, *heardlice* duriter, difficile, vix. VEREL. in Ind. *hardfert* arduum & difficile. Cum ſimplici convenit Lat. *arduus*.

HART, rigidus, *harte kælte* frigus atrox, glacie & ſtiriis rigens, *hærte des winters* rigor hiemis. Gloſſ. Pez. rigiditate *harti*.

HART, firmus, ſtabilis, immotus, *erhærten*, *behærten* confirmare.

HART, robuſtus, validus, vegetus, *hart machen* corroborare, *hart werden* obfirmari ad aſpera ferenda. Inde *hærte* antiqui robur. Gloſſ. Pez. robur *harti*. Similia habent Græci, cujusmodi ſunt, κάρῐος vires, robur, καρῐερὸς robuſtus, καρῐεωνυχος qui robuſtos habet ungues, καρῐερέω tolero, patienter fero, καρῐερία tolerantia, in quibus elementum K. reſpondet Barbaro H. ut ſæpe alias. Huc videtur ſpećtare nomen Regis Gepidarum apud JORNAND. de reb. Get. Cap. 38.

ARDARICUS,
robore pollens.

Quamvis etiam ad fortitudinem referri poſſit, quia credibile eſt, veteres nonſolum ab hoc adjećtivo, ſed etiam a reliquis, quæ ſequuntur, formaſſe ſubſtantiva, ejusdem cum adjećtivis indolis.

HART, fortis. Vox antiquiſſima, multorumque populorum uſu nobilitata, quæ Perſis effertur *card*, Græcis καρῐερὸς, Islandis *hardur*, Cambris per metaplaſmum *hydr*. VEREL. in Ind. *hardur* durus & fortis *hardleikr*, *hardmenska* ſtrenuitas. Perſis *card*, *carda* virile, forte, & bellicoſum ſonat, tam antiquis quam hodiernis. STRABO Lib. XV. καῤδα interpretatur per ἀνδρώδες καὶ πολεμικὸν: & HESYCHIO καῤδάκες, *cardaces*, ſunt viri bellicoſi, ut didici ex Diſſert. RELANDI de Vet. Ling. Perſ. Quibus nunc addo, quod eodem HESYCHIO teſte ἀρταῖοι Perſis ſunt heroes, & inde ARTAXERXES magnus heros. In nominibus propriis Germanorum eundem admittit ſenſum, pulcrum ſane & elegantem. Inde

HARTOMUNDUS, vir fortis. A *mund* vir. Nomen nobilis Franci aut Marcomanni a VOPISCO memoriæ proditum.

ARDABURIUS, vir fortis. A *bur*, *bauer* incola, civis, indigena. Nomen nobilis Gothi vel Alani in aula & exercitu Imper. Leonis.

BERNHARDUS, vir fortis. A *bern* vir, quod vide.

LEONHARDUS, fortis inſtar Leonis.

GERHARDUS, bello ferox. A *ger* bellum, quod vide.

HART, audax. Cambris *hydr* nonſolum fortem & ſtrenuum, ſed etiam audacem ſignificat. Et ſic in aliis quoque linguis fieri ſolet, ut fortis & audax communia habeant vocabula. Nec id præter rationem. Nam audax eſt ipſe fortis quatenus modum excedit in aggrediendis periculis. Hinc quando Galli & Itali dicunt, *hardi* & *ardito* audax, *hardiment* audaćter, *hardieſſe* audacia, *ardire* audere: hoc ex Germ. fonte habent, non ab *ardendo*, aut aliunde.

HART, tenax, *hart anhangen* tenaciter adhærere, *neidhart* invidiæ tenax, ERHART honoris & religionis tenax.

HART,

HART, vehemens, *harter ſtreit* certamen vehemens. Græcis quoque καρτερὰ μάχη de atroci pugna & duro conflictu dicitur, obſervante JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 189.

HART, graviter offendens. Dicitur præcipue de verbis. Hinc verba Domini, quæ diſcipulis aliisque erant offendiculo, interpreti Gothico vocantur *hardu waurd* Joh. VI. 60. Angloſaxonico *heard ſpræc*, LUTHERO *harte rede*, Vulgatæ *durus ſermo*, omnibus eodem ſenſu, quia durum in ſermone dicitur, quod ipſo auditu offendit. Cujusmodi qui proferunt, Latinis dicuntur *lapides loqui*, quos nemo concoquat.

HART, obſtinatus, *hartnack* durum caput, dura cervix, animus inflexibilis, *hartnæckig* contumax. VEREL. in Ind. *hardlyndur* ingenio duro. Et huc etiam ſpectat vox myſtica *durities cordis* ex Evang. Marc. X. 5. quæ Gothice vertitur *harduhairtei*, Angloſaxonice *heortan heardneſſe*, Suecice *hiertas hærdheet*, Islandice *hardleika hiærta*, Germanice *herzens hærtigkeit*, omnibus (ni fallor) præfractæ obſtinationis & indiſciplinabilis animi ſenſu.

HART, ſeverus, *harte ſtraffe* pœna ſevera. VEREL. in Ind. *hard drægur* ſeverus, *hardrietti* pœna ſevera, *hardlifi* vita dura & aſpera qualis monachorum.

HART, ſævus, immitis, inhumanus. SOMN. in Dict. AS. *heard-heorta* immiſericors. BENSON. in Voc. AS. *heardmode* immitis, durus. VEREL. in Ind. *hard drægur* ſævus, *hardidrægne* ſævitia.

HART, quatenus eſt adverbium ab adjectivo factum, ſignificat quantum poteſt, dure, difficulter &c.

HART, valde, vehementer, *hart zürnen* graviter iraſci, *hart betrüben* graviter offendere, *hart dringen* vehementer urgere. Gloſſ. Lipſ. *hardo* valde, nimis, *filohardo* vehementer. VEREL. in Ind. *hart fiarri* valde procul. OTFRIDUS habet *harto* in locis innumeris, quæ ſi vellem deſcribere, bonas horas male collocarem. Græcis quoque καρὰ ſignificat admodum, vehementer, perquam. Hiſpanis *harto* eſt ſatis, ſufficienter, cognato ſignificatu, & forte a Gothis relicto. In compoſitis auget ſignificatum. Hinc interpretationem accipiunt nomina Alamannica apud GOLDASTUM in Ind.

NIDHART, valde utilis. Hodie *Neidhart*, quod vide.
GOTHART, valde bonus.
HARTBRECHT, valde clarus. Hodie *Harprecht*, quod vitioſum.
HARTPOLD, valde audax. V. *bald* audax.
HARTWIC, valde ſtrenuus. V. *wig* bellicoſus.

HÆRTE, quatenus eſt abſtractum ab adj. *hart*, ſignificat quantum poteſt, duritiem, difficultatem, rigorem, robur &c.

HÆRTEN, quatenus derivatur ab *hart*, ſignificat quantum poteſt, durare, dureſcere, indurare, obdurare, confirmare, obfirmare, corroborare &c. Gloſſ. Keron. obdurare *faribertan*. Gloſſ. Pez. obfirmabis *pihartis*, obfirmatus eſt *pihartit uuard*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *heardian* dureſcere, indureſcere, durare, indurare. VEREL. in Ind. *herda* indurare, gravius reddere, *hertur i eitri* veneno tinctus & induratus ſcil. gladius. Græcis quoque καρτύνω eſt firmare.

HARTEMIS, Diana venatrix apud Græcos, alias ἄρτεμις. Pleraque Deorum nomina interpretationem capere a ſignis, jam aliquot exemplis oſtendi, & illam Linguam, in qua Deo & ſigno idem nomen commune, veram iſtius nominis matrem eſſe, ex Logica probabilium ſuppono. Signum autem Deæ eſt cervus. Nam in nummis antiquis vel inſidet cervo, vel curru vehitur a cervis, vel cervum habet adſtantem. Hoc ſigno duce nomen Deæ a cervo deſumptum eſſe reor. Nam cervus Lingua Angloſaxonica dicitur *heort* apud ÆLFRICUM in nominibus ferarum, Scandica *hiort*, Anglica & Belgica *hart*. Litera H. in vocibus Barbaris apud Græcos ſæpe omittitur, ut hoc loco, vel in aliam & cognatam literam, qualis eſt K. commutatur, ut alibi. Nomina Deorum Dearumque a Barbaris inventa eſſe, doctiſſimi & veteriſſimi Græcorum ultro fatentur, quod productis eorum teſtimoniis alibi oſtendo.

HARZ, reſina. Gloſſ. Boxh. *harz* bitumen, picula, reſina. Gloſſ. Pez. picis *harzolei*, pice *harzole*. HELVIGIUS in Orig. Dictionum Germ. *hartz* per anaſtr. ab Heb. זרי reſina, liquor arborum, quo liniuntur vulnerum dolores. Aliam e fonte Chaldæo & Arabico originem affert MARTINIUS in voce *reſina*. Fides ſit penes auctores. Confer *teer*.

HARZ-WALD, & per apocopen *harz*, olim erat ſylva Germaniæ immenſa, & mundo (ſi PLINIO credimus) coæva; nunc poſtquam urbes innumeræ & agri vaſtiſſimi nemoribus exſtirpatis ſucceſſerunt, hæſit nomen totius parti, ſylvis inquam & montibus in tractu Goslarienſi, exigua quidem menſura, nonnulla tamen veteris famæ gloria. Quanta ſit hujus nominis vetuſtas, & apud exteros celebritas, vel hinc colligere licet, quod Saltus HERCYNIUS, & omiſſo interdum halitu ARCYNIUS & ORCINIUS memoratur ab antiquiſſimis Scriptoribus, tam Græcis quam Latinis, manifeſta Germanicæ vocis imitatione. ARISTOTELES Lib. I. Meteorol. Cap. 13. *Plurimi fluvii ad Septemtrionem proſtluunt e Montibus Hercyniis*, ἐκ τῶν ὀρῶν τῶν Ἑρκυνίων. Et de Argonautis ſcribit APOLLONIUS RHODIUS Lib. 4. quod per paludes Celtarum iter facientes, in maximum diſcrimen incidiſſent,

Ni delapſa alto Juno Saturnia Cœlo
HERCYNIO de MONTE *Duces monuiſſet* &c.

Vero-

Veroſimile eſt, Ariſtotelem notitiam nominis accepiſſe a Germanis, qui forte Alexandro M. militaverant. Nam vetus traditio eſt, Saxones e Macedonia progreſſos in Germaniam veniſſe, revera quidem fabuloſa, ob nominis Saxonici novitatem, ſed minime improbabilis, ſi de Germanis cohortibus poſt ſervitia Macedonica in patriam reverſis intelligatur. SCHILTERUS *hart* interpretatur ſylvam, ſed nullo veterum teſtimonio inſtructus. Reliqui nomines agnoſcunt compoſitum *harz-wald*, unde vulgus jam ante bis mille annos per apocopen fecit *harz*. Et hanc ſylvæ appellationem alii a copia cervorum, alii a copia bituminis arceſſunt. COLERUS in Tac. Cap. 28. *Orciniam appellaſſe Græcos Cæſar ſcribit Lib. 6. prævius etiam quam Latini. Hi enim Germanicum* HIRTZENWALD *in ſaltum Hercinium haud dubie corrupere. Significat autem ea vox cervorum ſylvam.* SPENER. in Not. Germ. Ant. pag. 83. *Germanica vox* HARTZ *aut* HART BITUMINEAM *aut denſam fruticoſamque* SILVAM *ſonat.* Etymologiam FREHERI, ſed minus probabilem, vide infra in *rück* tractus terræ. Cæterum ab illa Silvæ parte, cui nomen totius hodienum adhæret, CHERUSCOS nomen adeptos, opinio invaluit apud omnes. Vide MENSONEM ALTINGIUM, SPENERUM, & HEINECCIUM in Diſſert. *de Crodone Harzburgico.*

HASCHE, navis piratica, ab *haſchen* celeriter capere. Vide plura in *aſche* navicula.

HASCHEN, capere cum celeritate, *erhaſchen* curſu prævertere, currendo captare. Hebræis *achan* eſt tenuit, apprehendit, Græcis ἔχειν tenere. Utrumque ex obſervatione HELVIGII. Præcipuum derivatum eſt *haſcher* lictor, qui ſontes prenſat, qui ſubito arripit.

HASE, lepus. Belg. *haas*, *haze*. Gothis *auſo* eſt auris Joh. XVIII. 10. Idem Græc. ὠς. Forte leporem *auriculam* appellare aliquando placuit. Rectius tamen vocatur *auritus* vel *auriculatus*. Et hunc ſenſum præbet vox Celtica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *ysgyfarn* auris, *ysgyfarnog* lepus, quia auritus: ſic & Græc. λαγωὸς a longis auribus. MACROBIUS Lib. VI. Saturn. Cap. 5. *Auritos lepores non Maro primus uſurpat, ſed Afranium ſequitur, qui in Prologo ex perſona Priapi ait: Nam quod vulgo prædicant auritо me parente natum, non ita eſt.* In reliquis Dialectis invenimus R. in medio vocis. Sic Angloſaxonibus lepus dicitur *hara*, Anglis *hare*, Suecis *hara*. Vel ab *har* canus, quod Angloſaxonicum; vel ab antiquiori *haſe*, ſibilo in caninam mutato. De voce Latina agit GELLIUS Lib. I. Cap. 18. nos infra in *lauffen* currere. Ab *haſe* eſt *haſelieren* leporem agere, quod dicitur de ineptientibus & ludibundis.

HASEL-STAUDE, corylus, *haſel nuſs* nux colurna. Vox Germ. *haſel* obſcura eſt, inquit MARTINIUS. Ducam autem ab *haſe* lepus, quod nucamenta ſint ceu villi pedum leporinorum. SKINNERUS derivat a Lat. *caſula*, ita ut *haslenut* proprie ſit nux *caſularis*, hoc eſt, ut interpretatur, agreſtis, non hortenſis. Sed uterque fallitur. Nam *haſel* proprie eſt galerus, & metaphorice calyx nucis, quia galero ſimilis. Et ab hoc calyce tam fructus quam arbor ipſa nomen accipit, ut conſideranti manifeſtum. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hæſel* galerus, *hæsl*, *hæsl-nuta* corylus. Gloſſ. Ælf. in nom. arb. abellanæ *hæsl* vel *hæſel-hnutu*. Gloſſ. Pez. corylus *haſal*, amygdalum *haſal*. Originem & cognationem Saxonicæ vocis *hæſel*, quatenus tegumentum denotat, jam expedivi in *hut* pileus.

HASPEL, rota qua funis aut filum attrahitur. Latini *girgillum* vocant. Quid ſit, explicat ISIDORUS in Gloſſis. *Girgillius*, *rota hauritoria*. Et rurſus: *Hauſtrum*, *rota*, *hauritorium*, *qui & Girgilius*. Si verum ſcripſit Iſidorus, primus girgilius nomen ſortiri potuit ab *heben* levare, quia hac machina laticem e puteo in altum levabant. Nam hinc recte fit *haps*, *hapſel*, *haſpel*. Vulgus has literas pro libitu transponit, & hocluſu indoctas aures ſæpe decipit. Exempla vide in *eſpe* tremulus, *heſpe* fibula, *knoſpe* gemma. Poſtea, re in alios quoque uſus converſa, vox applicari cœpit rhombis, trochleis, ſuculis, & alabris textorum & mulierum. Nam & hæc Latinis *girgilli*, noſtris *haſpel*, Italis *aſpo* vocantur. In iisdem Iſidori Gloſſis *hapſum* exponitur *vellus lanæ*. Hoc arripit MARTINIUS, & hinc deducit *haſpel* rota glomeratoria, duce KILIANO in Etymologico Belgico. Sed unde ſit *haps*, neuter exponit.

HASS, odium, averſio animi. Angloſaxon. *hete*, *hatung*, Francis *haz*, Belg. & Suec. *haat*, Island. *hatur*. NOTKERUS Pſal. CXXXVIII. 22. *in durhnotemo haze hazeta ih ſie*, perfecto odio oderam illos. Vox Latina videtur cum Germanica conſentire, quia S. & D. ſunt literæ permutabiles. MARTINIUS tamen eas e diverſis fontibus deducit: illam, ab inuſitato ὀδύω odi: hanc a χάσις, ſeparatio, quia odium eſt affectus disjunctionis. Ab *haſs* ſunt *hæſslich* fœdus, turpis, odioſus, *gehæſſig* infenſus &c.

HASSEN, odiſſe, averſari. Gothis *hatjan* Matth. V. 44. Angloſaxon. *hatian*, Francis *hazen*, *hazzon*, Belg. *haaten*, Angl. *to hate*, Suec. *hata*, Sorab. *hidzu*. NOTKERUS Pſal. CXXXVIII. 21. *ne hazeta ih die dih hazent*, nonne odio habui qui te oderunt? Videntur hic rurſus conſentire Lat. *odiſſe*, & Gr. ὀδύσσω. Quæ ni fallor ſunt verba defideriativa ab ἄτη noxa, quia in omni odio eſt voluntas deſtruendi eum quem odio habemus. MARTINIUS tamen non ab illis, ſed a χαδὼν retrocedere, cavere, devitare, verbum noſtrum deducit, quia odiſſe eſt animo recedere a re odioſa. Contra STIERNHIELMIUS cuncta unius eſſe ſtirpis exiſtimat, domeſticæ an peregrinæ, non explicat. JU-

NIUS originem quærit in Anglosaxon. *hat* calor, ardor. Sed hac etymologia odium cum ira confundit. Verbum vere Germanicum vide in *sien* odisse.

HAST, festinatio. Belg. *haast*, Angl. *hast*, Gall. *haste*, *hate*. Ab ἅσσω, ἄσσω cum impetu feror, judice MARTINIO, SCALIGERO, & aliis. Etymon valde opinabile, etiamsi Græcum. Nam hinc quoque Latini præfixo F. (quod antiquis erat pro H. & etiamnum est Hispanis) videntur formasse *festo*, *festim*, *festino* &c. SKINNERUS, qui mallet derivare ab *hase* lepus, risum movet, assensum non invenit. Anglosaxonibus *essite*, *ossite* est festinatio Luc. I. 39. & *essiend* festinans Luc. II 16. Opinor per metathesin a Lat. *festinus*.

HAST, festinus & festinanter. Belg. *haast*, Angl. *hasty*. Extat eo sensu verisimiliter in nomine Regis Longob *Ahistulfus*, *Aistulfus*, quod GROTIUS in Indice, & omnes qui ante illum de Lingua Germanica scripserunt, interpretantur *celer auxiliator*. In Catalogo Alamannico GOLDASTI est *Heistolf*, quod idem. Francos dixisse *heist*, *heister*, *heistig*, mox apparebit. Allegorice usurpatur de iracundo & vehementi.

HASTEN, festinare, celerare. Armoricis & Suecis *hasta*, Belg. *haasten*, Angl. *to hast*, Gall. *haster*, *hater*.

HASTIG, incitatus & incitate, vehemens & vehementer. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XIII. 9. 12. *mih scal man heistigo biscoltan*, accusabunt me vehementer. Belgæ & Sueci dicunt nobiscum *hastig*.

HAT, altus, excelsus. VEREL. in Ind. pag. 108. col. 2. *hat* apud Scriptores passim altus, procerus, celsus, *hatt* altum, celsum, *hed* altitudo. SOMNERUS in Dict. Anglosax. *head* sublimatus, *hetbe*, *heahtbo* culmen, altitudo, *hyhthe*, *hyhtho* exaltatio. Credo Mœso-Gothos quoque dixisse *hats* pro alto, sicut *gods* pro bono. Nam in Codice Argent. lego *hazjan* laudare Luc. XIX. 37. *hazida* laudavit Luc. XVI. 8. Quod certe non est ab ἁγιάζω, ut JUNIUS existimat; sed ab *hets* altus. Nam laudare est extollere, non sanctificare. Ita *herian*, quod in utroque loco a Versione Anglosaxonica adhibetur, est ab *her* altus. Ipsum vero *hat* est ab *höhen* exaltare, per medium derivandi T. Atque hinc jam patet, quid significet, aut significare possit, nomen Regis Gothorum THEODAHATUS, nempe vel principem excelsum, vel a populo sublimatum. Nam *theod* principem & populum denotat. Posterius se probavit GROTIO, dum hoc nomine *populo æstimatum* designari existimat, quia scil. *hat* in genere dicendi allegorico laudatum & æstimatum significare potest. Interim Galli ab *hat* habent *haut* altus & altum, quod ingentem ducit familiam in hodierna lingua. Nam ab illo derivantur *hausser*, *hautain*, *hautement*, *hauteſſe*, *hauteur*, ut composita omittam. MENAGIUS vocem, nescio qua de causa omisit.

HATSCHE, securis. Anglis diminutive *hatchet*. Utrumque vitiatum ex *hacke* ejusdem significatus. CK. sæpe mutatur in TCH. vel TSCH. & nullibi frequentius quam in ore Anglico. Cujus rei multa dare possem exempla, nisi sufficerent, *batch* & *watch*, quorum illud manifesto inclinatum est ex Germanico *hecken* ova excludere, alterum ex Anglosaxonico *wæccean* vigilare. Sensu castrensi est bipennis, sive hasta lato ferro & ex utraque parte acuto. Inde *barschier* satelles bipennifer.

HATZE, *hetse*, pica, graculus. Quid aliud, nisi avis dicax? Hoc autem significare potest, si ducatur ab Anglosaxon. *hatan*, *beton*, dicere, quod inprimis in salute dicenda obtinet, ut ostendi in *heissen*. Quam bene hoc conveniat picæ, notus indicat versiculus:

Pica loquax certa. Dominum te voce saluto.
Si me non videas, esse negabis aven.

De loquacitate hujus avis mira narrant PLINIUS & PLUTARCHUS in Libro de animalium prudentia. Latinis *Pica* idem denotare potest, si interpres Barbarus adsit. Nam *Spæcan* Anglosaxonibus est loqui, & fibulus prisci Latinis non habetur pro litera.

HAU, altus. Extat in Indice Veteliano pag. 108. col. 2. & merito refertur ad voces a natura suppeditatas. Nam altitudinis significatum habet non tam ab instituto, quam ab ipso spiritu in altum protruso. Qui, dum cum voce pergit, mox etiam producit *hau*, & *hoch*, eodem sensu.

HAUBE, crista, *vogelhaube* cirrus, *haubelerche* galerita, alauda cristata. Consentiunt Gallica *hupe* crista volucris, *hupé* cristatus, *alouette hupée* cassita. Cuncta ab *heben* levare, tollere in altum. In reliquis Dialectis, præsertim Anglosaxonica, Anglica, & Cambro-Britannica extat *cop* & *copa* eodem sensu, quia scil. C. & H. sunt literæ permutabiles. De his vocabulis conferenda sunt dicta in *kopf* apex. Hic princeps & antiquissimus significatus, qui postea a cristis & galeis volucrum ad mitras & reliqua capitis tegumenta translatus est.

HAUBE, mitra, vitta, galericulus, & omne capitis operimentum, sensu a galericulis avium petito. VERELIUS in Ind. *hufa* vitta, *hufa*, *myssa* tegmen capitis angustum, rotundum, & virile. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *hwf* cucullus. Belgæ dicunt *huif* & *kuif* promiscue, quia H. & K. permutari solent in omnibus Dialectis. Unde intelligimus, cur eadem res Gallis dicatur *coiffe*, Latino-Barbaris *cofa*, *cofia*, *cuphia*. Quæ cum sint Germanicæ originis, perperam derivantur a Gr. κῶφος textile.

HAUBT, pars summa humani corporis Lat. *caput*, Goth. *haubith* Marc. VI. 28. Anglosax. *heafod* ibidem, Francis & Alam. *houbit*, *houbit*, Island. *haufud*, *hofod*, *hufud*, Suec. *hufwud*, Belg. *hoofd*, Procop. *hoef*. Gloss. Ke-

ron

ron. capita *haubit*, capite *haubite*. TATIANUS Cap. XXX. 6. *noh ſuueres bi thenemo houbite*, neque jures per caput tuum. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXVII. 45. *Pilatus huab giſcribana ubar ſinaz houbit*, Pilatus erexit inſcriptionem ſuper caput ejus. Omnino ab *heben* levare, erigere, tollere in altum. Quid enim eſt caput, niſi pars hominis ſublimis, qua cœlum & ſydera reſpicit? OVIDIUS Lib. I. Met. de opifice rerum:

Pronaque cum ſpectent animalia cætera terram,
Os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

Translatum autem eſt ad capita animalium propter ſimilitudinem, etiamſi ſint partes extremæ magis quam erectæ. Vani ſunt, & in Linguam noſtram antiquiſſimam injurii, qui capitis appellationem a Græc. ὕπατον ſummum, vel Lat. *caput* deducunt, cum tam pulcras domi habeamus origines, ut aliunde emendicatis non opus ſit. Conſenſum Celticæ Linguæ vide in *kopf*. Nam *kopf* & *haubt* ſunt voces ſororiæ, & ex eodem ſemine prognatæ, per ſecreta literarum convertibilium. Quibus ignoratis, neceſſe eſt, in clariſſimis vocibus etiam oculatiſſimos cœcutire.

HAUBT, metaphorice dicitur duobus modis, *ſubſtantive* & *adjective*.

HAUBT, ſubſtantive acceptum ſignificat (1.) eum, *qui aliis præeſt*, ob capitis in membra ſua imperium. Ita maritus eſt uxoris ſuæ caput, centurio militum, Dux exercitus. Sic vulgo dicimus, *den feind bis aufs haubt ſchlagen*, in qua loquendi formula *haubt* ducem ſignificat, (2.) eum, *qui cæpti aut placiti alicujus auctor eſt*. Nam hic quoque ſimilis eſt capiti, a quo initium capiunt ſenſus & nervi. Hinc *behaubten* proprie eſt dicta & facta defendere, primo quidem ſua, poſtea etiam aliena. Niſi quis malit allegoriam petere a capitis membra ſua defenſandi ſtudio.

HAUBT, adjective dicitur de eo, quod in genere ſuo *primum, præcipuum*, & *princeps* eſt. Inde Angloſaxonibus *heafod-ſtol* ſedes regia, *heafod-cyric* Eccleſia primaria, *heafod-gilt* crimen capitale, *heafod-leahter* peccatum mortale, & ſimilia apud SOMNER. Nos inde habemus *haubt-ſtatt* metropolis, & alia innumera, a capitis præ cæteris membris præſtantia deſumpta. Et huc etiam ſpectat ex foro *haubt-fall* reditus capitalis. Nam *fall* eſt reditus, & dicitur capitalis, non a capitibus optimi pecoris, equi vel bovis; ſed quod ſit reditus præcipuus Domini ex hæreditate decedentis ſervi, jure manus mortuæ. Aliam vocis interpretationem exhibet GOLDASTUS in Animadv. ad Script. Parænet. pag. 457. his verbis: „Sciendum, „ſervis mortuis non filios modo filiaſve, at „ipſos etiam Dominos ſuccedere, alicubi „in ſemiſſem, multis in locis quadrantem, „plerisque trientem. Interim & veſtes au„ferunturſelectæ, vulgo *gwandfæll*: & pe„cora ſtabulis abiguntur, *hauptfæll*: illam in „bona ſucceſſionem *gleſs*, relicta *verlaſſen„ſchafft*: hanc ſpecierum exactionem *fall*, „caduca *verfallenſchafft* nuncupant.„

HAUBT, menſura, *über haubt* ſummatim, citra menſuram, *oxhaubt* menſura vinaria apud Hamburgenſes. Celtica Lingua & hodie Cambro-Britannica *hob* & *hobaid* eſt modius, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Quod uſus poſtea ab aridis ad liquida, & omnem menſuram transtulit. Oritur autem ab *hof* modus, ſenſu a modo ad menſuram translato, quia menſuræ ſunt rerum menſurabilium modi, termini, & fines. Ita Latinis a *modus* fit *modius* & *modulus*. Quid ſit *ox* in voce Hamburgica, infra expoſui in O.

HAUBTMAN, duo ſignificare poteſt, vel *virum primarium*, vel *præfectum capitum*. Cauſa duplicitatis eſt a partibus compoſiti. Nam *haubt* ſubſtantive & adjective dicitur, & *man* virum & præfectum ſignificat. Angloſaxonibus *heafod-man* eſt Dux, præſes, præfectus, *heofod-men* optimates, ſummates: nobis *haubtman* præfectus capitum, vulgo *capitaneus*, poſito capite pro milite.

HAUCH, halitus, *hauchen* ſpirare, anhelare. Forte ſunt voces naturales a ſono anhelantium factæ. Simile eſt Gr. ἄω ſpiro.

HAUEN, cædere. Hujus verbi duplex fuit facies ab antiquo: una, quæ literam W. habet in medio: altera ſine W. TATIANUS Cap. CLXXXV. 2. *inti ahahio ſin ora thaz zeſeuua*, & amputavit auriculam ejus dextram. Ergo *hion* aliquando fuit cædere. Quod certe eſt a Græc. κόπτω ſcindere, mutato K. in H. Ab *hion* manifeſto ſatis derivatur *hior* gladius, & *hiorleik* gladiorum ludus. Primam vocem exhibet VEREL. in Ind. alteram WORMIUS in Carmine Regneri Lodbrog Regis Daniæ. Hodie dicimus *hauer*. Omnibus conſentit Græc. ἄορ enſis. Ex eodem fonte ſunt *haue* ligo, Gallica *houe* farculum, & *houer* paſtinare. Alteram verbi formam cum ſuis derivatis vide in *hauwen*.

HAUF, *hauff*, cumulus, tumulus, acervus. Angloſax. *heape, hype*, Franc. *huf, huof*, Belg. *hoop*, Angl. *heap*, Sorab. *kopen*, quia H. & K. permutantur. Gloſſ. Boxh. *huffo* acervus, *hufun, huffun* aggeres, acervi, *huffon* acervatim. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XI. 29. *thaz uuarf er allaz far in houf*, hoc omne protinus conjecit in unum acervum. WILLERAMUS Cap. VII. 2. *din uuamba iſt ſama ueuizzes huffo*, venter tuus eſt ſicut acervus tritici. Quidam vir doctus deduxit a Græc. ἀπὸς altus: alius a Lat. *copia*. Uterque præter neceſſitatem. Nam ſicut *tumulus* a *tumendo* dicitur, ita *hauf* ab *heben* levare, tollere in altum, quia acervus eſt congeries elevata & ſupra locum aſſurgens. Allegorice utimur de cœtu, ſeu multitudine hominum congregata. Inde Angloſaxonibus

heape nonſolum acervum, ſed etiam cuneum, turmam & legionem ſignificat. Ab *hauf* eſt *heuffen* cumulare.

HAUS, *hauſen*, piſcis Danubianus, inſigni magnitudine. Lat. Barb. *huſo* apud CANGIUM. Creditur ſic dici, quod magnitudine *domum* æquet. Sed hoc nimis frivolum eſt, etiamſi MARTINIO ſe probaverit. Malim ab *exos*, quod oſſibus careat. Quamvis nec hoc omnino placeat. Credibilius eſt, vocem ex Ponto cum ipſo piſce ad ſuperioris Danubii accolas veniſſe. Turcis enim *uſun* eſt longus, *uſun boilu* longurio, ſtatura longus, *uſun parmak* digitus medius ſeu longus, *uſun balyk* longus piſcis, apud CLODIUM in Lex. Turc. Hoc videntur imitati Germani in *houſen* & *huſen*. Dicitur autem longus per excellentiam, quia in longitudinem XXVI. pedum excreſcit, nec longiorem habet Danubius. Inde *hausblaſe* ichthyocolla, gluten huſonis, proprie *veſica*, quia, ut GESNERUS ſcribit, fere ex huſonum tantum veſica ichthyocollam Germani habent. Fides ſit penes auctorem.

HAUS, domus, & quicquid domui ſimile, caſa, tugurium, cavea &c. Omnes antiqui habent *hus*, Gothi, Saxones, Franci, Alamanni, Cambri, & omnes Septemtrionales, dum Belgæ dicunt *huis*, Angli *houſe*. Gloſſ. Boxh. *huſom* ædes. Gloſſ. Keron. domum *hus*, tabernaculum *huſe*, in domo Dei *in huſe cotes*. Oritur, non a Lat. *caſa*, quod potius ad conſenſum ſpectat, & multo minus a Gr. οἰκία ſubſtantia; ſed ab *hüten* tegere, & proprie eſt tectum. S. & T. ſunt literæ convertibiles. Male merentur de lingua noſtra antiquiſſima, qui hanc vocem, quaſi aliunde acceptam, illi eripiunt. Inter compoſita Veterum eminent

gudhus, templum, domus Dei, in Cod. Arg. Joh. XVIII. 20.

hus-weard, paterfamilias, *hus-carl* famulus domeſticus, & alia apud SOMNER.

hwsmon, agricola, homo frugi, Dial. Cambrica, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit.

huskiſuaſe, domeſticus, in Gloſſis Theotiſcis apud eundem.

husbondi, paterfamilias, *huskona* hera, & alia apud VEREL. in Ind.

huſire, facultas diſponendi de rebus ſuis, in Jure Prov. Alam. Cap. 42.

HAUSEN, quatenus derivatur ab *haus*, ſignificat quantum poteſt, habitare, & in habitationem recipere. NOTKERUS Pſal. CIII. 17. *unde huſont in himile*, & habitant in cœlo. SOMNER. in Dict. AS. *huſian* hoſpitari. VEREL. in Ind. *hyſa* domo & hoſpitio recipere.

HAUSRAT, ſupellex. Vide *rat* inſtrumentum.

HAUSSEN. V. *auſſen*.

HAUSSUCHUNG, ſcrutinium rei furtivæ in ædibus alienis. Vetus vocabulum vide in *ſuchen* viſitare.

HAUT, cutis, pellis, corium. Angloſaxon. *hyd*, *hyde*, Franc. *hut*, Belg. *huid*, Angl. *hide*, Dan. Suec. & Island. *hud*. NOTKERUS Pſal. CIII. 2. *den himel dennende alſo hut kedenet uuirt*, extendens cœlum ſicut pellem. SOMNER. in Dict. AS. *hyd*, *hyde*, corium, cutis, pellis, tergus, dorſum, *hyd-gyld* cutis vel corii pretium, puta ne vapulet, *hyd-ſcyp* myoparo, navigium coriis contectum. VEREL. in Ind. *hud* corium, *hudfat* pera. coriacea. Cuncta ab *hüten* tegere, munire, ſervare. In Celticis Dial. hæc radix effertur *kutten*, quia ſcil. H. & K. ſolent permutari. Quod ideo obſervandum, quia hinc intelligimus, cur eadem res Græcis dicatur σκύτος, Latinis *cutis*.

HAUWEN, cædere, ſecare, quocunque inſtrumento id fiat, gladio, ſecuri, dolabra &c. Idem quod *hauen*, inſerto W. SOMNER. in Dict. AS. *hearwian* aſciare, ſecare, dolare, *aheawen* ſciſſus, *hawade* ſiſſus, *hiewete* dolatio, *heawgas* ſculptilia. Gloſſ. Pez. concidere *houuan*, ſarrientur *gibouuot uuerdent*, ſarculum *houua*. OTFRIDUS Lib. I. Cap XXIII. 117.

Joh uuanniih ſih goume,
Thaz inan thiu a kus ni houue.
Ut quilibet ſibi caveat,
Ne eum ſecuris cædat.

Evang. Angloſaxon. Matth. XXI. 8. *ſume heowun thara treowa bogas*, quidam cædebant ramos arborum. Belgæ dicunt *houwen*, Angli *hew*; Sueci vero *hugga*, quia W. mutari ſolet in G. & hoc rurſus in K. unde poſtea exiſtit *hacken* eodem ſignificatu. Et tametſi W. præter rationem inſertum ſit ab Antiquis, ſcitu tamen neceſſarium eſt. Nam W. eſt elementum multis mutationibus obnoxium, & convertibile nonſolum in G ſed etiam in B. & P. Quod niſi probe obſervetur, fruſtra laborabimus in vocibus *hieb* ictus, *hippe* ſecula, *hobel* dolabra, quæ certe deſcendunt ab *hauwen* per literam adoptivam W. qua ſublata, omnis etymologiæ via præcluditur.

HEBEN, capere, capeſſere, *gelt heben* nummos accipere, *anheben* ordiri, initium capere, *urheber* auctor, incceptor. Cuncta a Lat. *capere*.

HEBEN, levare, tollere in altum. Gothis *haſſan*, Angloſaxon. *hebban*, *heaſian*, Francis & Alam. *heffan*, *hepfan*. Gloſſ. Keron. levare *heffan*, exaltet *heffe*, exaltat vocem ſuam *heuit ſina ſtim*. ISIDORUS Cap. III. 6. *ih hepfu mina hant ubar ſie*, levabo manum meam ſuper eos. OTFRIDUS Lib. I. Cap XV. 25.

Gineig er imo ſilu fram
Joh huab inan in finan arm.
Ipſe profunde inclinatus
Levabat puerum in brachium ſuum.

Similia habent Belgæ, Angli, & omnes Septemtrionales, ut Gloſſographi pridem annotarunt. Quibus nunc addo Sorabicum *hibam*,

hibam, & Polonicum *gibam*. Cuncta vel ab altitudinis, vel levitatis notione. Illud, ſi radix ſit *hoch* altus, mutato CH. in F. vel *up* ſurſum; hoc, ſi initium verbi ſit a κεφὴς levis, mutato K. in H. Nam levare quid eſt, niſi leve facere, vel ut leve attollere? Græce κεφίζειν. Dicitur autem nonſolum de capite, voce, manu, oculis & pedibus hominis, ſed etiam de rebus extra hominem, de lectis, lapidibus, aliisque, quæ manu homitis levantur. Gothi utuntur compoſitis *ufhaſjan*, *ushaſjan*, *athaſjan*, Angloſaxones *onhebban*, *ahebban*, *upahebban*, Franci & Alam. *erheſſan*, *irheſſan*, Germ. *aufheben*, *erheben*. Sed de ſimplici adhuc obſervandum, quod magnam ducat familiam in omnibus pene Dialectis. Huc refert JUNIUS Angloſaxonicum *hofer* gibbus, & alibi *heofen* cœlum, quod majoribus noſtris fuerit perſuaſum, cœleſtem materiam levitate ſua altius evolaſſe, ac ſe ſuper omnia extuliſſe, de qua elegantet OVIDIUS:

Ignea convexi vis & ſine pondere Cæli
Emicuit, ſummaque locum ſibi legit in arce.

Nos ex eodem fonte habemus,

bebe oblatio, ab elevatione ſic dicta, quo ſæpe utitur Luth. in Sacris Hebræorum,

beb-opfer, ſacrificium elevationis,

bebel, *bebe-baum*, *beb-iſen* vectis, a vi attollendi vel elevandi,

beb-amme, obſtetrix, quaſi mater levans, quia puerum ex utero procedentem levat & attollit,

baubt, caput, quia ad cœlum erigitur, quod homini proprium,

befen fæx, quia farinæ mixta maſſam aqua ſubactam inflat & in levem tumorem extollit,

bübel collis, quia eſt terræ quædam portio turgida & editior,

hauff, acervus, quia eſt congregatum quid, quod ipſa congerie attollitur,

hopf, lupulus, quia perticæ alligatus vi inſita ſcandit in altum.

Nec hæc tantum, ſed multo plura, quamvis inventu difficiliora, cujusmodi ſunt, *gibel* faſtigium, *gipfel* culmen, *kopf* caput, vertex, *kipfe* ſummitas, extremitas: Quæ cum in notione elevationis & altitudinis manifeſto conveniant, ſatis teſtantur, ſe per varias literæ initialis mutationes, ab eodem verbo produci.

HEBEN, diſcedere, *hebe dich von mir* vade, recede a me. Utitur Luth. Matth. IV. 10. Utitur & Codex Arg. Marc. VII. 6. *hairto ize habaith ſik fairra mis*, longe abeſt (recedit) a me cor eorum. Addi poteſt WILLERAMUS Cap. I. 8. *skeide uone mir unte gehabe dih ad hereticos*, diſcede a me & vade ad hæreticos. Dicitur autem de abeuntibus, quia ſe levant, dum abeunt. Hinc etiam *auferre ſe* dicuntur. Gloſſ. Pez. vade *puri dih*. A *bæren* ferre.

HEBEN, loqui, attollere vocem. Vetus Celticum. Cambris *heb* eſt loqui, Græcis ἔπω dico, Gothis *andhof* reſpondebat, Joh. VI. 7. id eſt, vocem contra levabat, ſermonem contra attollebat.

HEBEN, tenere quocunque modo. Omnes antiqui habent *haben*, quod vide. Evang. Goth. Matth. IX. 25. *habaida handu izos*, tenuit manum ejus. Gloſſ. Keron. tenere *haben*, teneatur *ſi kihabet*, tenuit *kihebita*. Ad familiam verbi ſpectant multa hodie derivata, quorum pleraque ab Antiquis accipimus, ut ſunt, *hebe*, *habe*, & compoſite *hand-hebe*, *hand-habe* capulus, manubrium, qua parte culter vel enſis tenentur, *hebe* arrha, quia tenet & obligat, *heft* capulus, manubrium, *haft* quicquid tenet & tenetur, unde porro exiſtit *hafte* ampliſſimo ſenſu. Utriusque evolutionem habes ſupra in loco.

HEBEN, continere, abſtinere. Gloſſ. Keron. abſtineant *kehabeem*. VERELIUS in Ind. *hafna* abſtinere, temperare ſibi, *at hafna ofsdum* a vitiis abſtinere. Proprie eſt retinere vel impedire, ne vim ſuam exſerat, & dicitur de abſtinentibus & continentibus, quia ſicut illi animum retrahunt a vetitis, ita hi retinent & cohibent, ne modum excedat in licitis. Hodie dicimus *enthalten*, quia *heben* & *halten* ſunt ſynonyma.

HEBEN, tenere manus injiciendo, alias prehendere. Evang. Goth. Marc. III. 21. *uſidd-jedun gahaban ina*, exierunt tenere eum. TATIANUS Cap. CLXXXIV. 6. *tho legitun iro hant in then Heilantana*, *inti habetun inan*, tunc injecerunt manus ſuas in Jeſum & prehenderunt eum. Gloſſ. Boxh. *habunga* detentio. Quibus convenit Lat. *hibere* in *cohibere* & *inhibere*. Ab *heben* eſt *haft* captivitas, & ab *haft* rurſus fit *hafte* capere, prehendere, vincire, de quo ſupra.

HEBEN-HOLZ, hebenus. Vox exotica. VIRGILIUS Georg. 2.

Sola India nigrum Fert ebenum.

Ad quæ verba SERVIUS: *Hebenus autem arbor eſt, quæ cæſa dureſcit in lapidem.* Unde multis videtur ſic dicta ab Hebræo *eben* lapis, propter duritiem. Vide MARTINIUM in voce. STILERO *eben-baum* eſt arbor Germaniæ, ab *eben* planus, ſic nuncupata, ob inſignem ligni ejus lævitatem, glabriciem, & rectitudinem.

HECHEL, inſtrumentum dentatum, quo linum carminatur, *hecheln* linum pectere. Quod cum trahendo fiat, hinc quidam nomen duxerunt ab ἑλκύω traho. Sed perperam. Nam *hechel*, ut res ipſa docet, & cognatio vocis demonſtrat, eſt ab *hechen* pungere. Et hinc quoque eſt *igel* erinaceus, imo etiam *echinus*, quod apud Latinos commune nomen eſt tam erinacei quam hujus pectinis, haud dubie propter aculeos. Vide plura in verbo ſequenti.

HECHEN, verbum obſoletum, ſed probum, & juſta lege a Francis formatum ab *ecke*, ἀκὴ, acies, cuſpis; & hinc vi originis ſignificat quantum poteſt, *pungere*, *ſecare*, *mordere*.

dere. Gloſſ. Pez. mordeat *beche.* Hoc verbum, quamvis extinctum, hodie perennat in derivatis, *hecke* frutex ſenticoſus, *hechel* inſtrumentum aculeatum, *igel* beſtia aculeata, *hecht* lupus, piſcis mordax.

HECHT, lucius, latro piſcium. Angloſaxon. *hacod*, apud Lexicographos, Lat. Barb. *hakedus*, apud SPELMANNUM. Refer ad *hechen* mordere. Eſt enim a natura dentibus longis & acutis ad latrocinium inſtructus. HELVIGIUS deduxit ab ἰχθὺς piſcis, quod nimis generale. Alii ab *hechten* tenere, apprehendere, quod tribuitur Belgis. In aliis Dialectis aliæ occurrunt voces, ſono quidem diſcrepantes, ſed ad eundem pene ſenſum tendentes, quas ex obſervatione MARTINII hic deſcribam. Latinis dicitur *lucius*, quaſi lupus, a Græc. λύκος, ob voracitatem, Anglis *pyke*, ſive a prominentia roſtri, ſive a pungendo, Gallis *brochet*, a *brocher* pungere, figere, Belgis *ſnoek*, a *ſnoyen* cædere, devorare.

HECKE, primo fuit frutex ſenticoſus, dumus, rubus, ab *hechen* pungere, collective dumetum, fruticetum, compoſite *dornhecke*, poſtea ſepes viva ex fruticibus ſenticoſis, poſtremo omnis ſepes. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hegge* ſepes, ſeptum, *hegrewe* contextura ſepis, *hegian* ſepire.

HECKE, ſilva cædua, item ſepimentum ex cæſis implicatisque fruticibus. Hic ſenſus oritur ab *hacken* cædere. ECCARDUS confundit cum indagine, in not. ad Leg. Sal. pag. 45. CANGIUS indaginem a *conciſa* recte diſtinguit.

HECKEMUNZ, *heckemünz*, falſa moneta. Forte ab *bocced* fraus, dolus, qua voce utuntur Cambri. Sed & privatæ domus monetam denotare poteſt, ſi derivatio fiat ab *hag* domus.

HECKEN, fœtificare. Angli ſcribunt *hatch*, & pronunciant *hetſch*, quia noſtrum CK. vertere ſolent in TSCH. Dicitur de avibus tantum, & proprie ſignificat incubare ovis, vel ova excludere, ab *egge* ovum, quam etymologiam debemus SKINNERO. Hinc fortaſſe *heggeloch* eſt caverna ubi avis nidificare & fœtare ſolet, quamvis etiam nidum in dumeto ſignificare poſſit. Vocem exhibet WILLERAMUS Cap. II. 13. De nomine ovi *egge* vide plura in *ey*.

HEER, agmen, exercitus. Cum duplicatum EE. veteres ignorent, & novatores ad priſcam ſcripturam ſubinde revertantur in compoſitis *herzog*, *herberge*, *hermann* &c. quæ a familia vocis avelli non poſſunt, idcirco Lectorem ad *her* remittendum duxi.

HEFE, & alia Dial. *höfel*, fæx, fermentum. Ab *heben* ſurſum tollere, quia facit ut maſſa turgeſcat: Unde etiam Gallis *levain* a *levando* dicitur. Vox Angloſaxon. Marc. VIII. 15. *warnigeath fram Fariſea and Herodes hæfe*, cavete a Phariſæorum & Herodis fermento. Ubi ULPHILAS habet *beiſt*, quo ſenſu, non liquet. Æque obſcurum, quod fermentum KERONI in Gloſſis dicitur *deismm*, & fermentatum *githeiſmit*, apud TATIANUM Cap. LXXIV. 1. Quamvis non deſint loca circa Rhenum, ubi Francica vox adhuc auditur. Teſtis ſit MARTINIUS in voce *Fermentum*. Eſt enim nobis, inquit, *deiſſam*, „quaſi *deigſam*, a *deien*, id eſt, creſcere & „promoveri in majus ſive melius, motu quo„dam interiori. *Das brot deiet*, panis fermen„ti vi augetur, & molem ſumit majorem.„ Hæc ille; quamvis forte minus placitura. Vocem Angloſax. quoque notam uſitatamque fuiſſe, patet ex Vocabulario Gentis Benſoniano, ubi *thæſma* exponitur fermentum. Belgæ cum Germanis dicunt *heſ* & *heſſe*, Angli cum Gallis *leaven*. Plura ejusdem rei vocabula vide in *berm* & *germ*.

HEFT, manubrium. Angloſaxon. *hæft*. Refer ad *heben* tenere. Sic enim dicitur, quaſi tenaculum. Quamvis etiam oriri poſſit ab *heben* capere, ut *capulus* a *capio*. MARTINIUS deduxit ab ἅπτεσθαι tangere, capeſſere, apprehendere, præter neceſſitatem.

HEFTEN, compingere, connectere, facere ut partes ſe mutuo teneant. Ab *haft* vinculum. Gloſſ. Boxh. *heftant* nectunt. ISIDORUS Cap. III. circa fin. *hefitida* adjecit. Proprie annexuit, ut bene PALTHENIUS in not. WILLERAMUS IV. 3. *ſie heftent multitudinem auditorum in unitatem fidei*. Gloſſa Juniana in Will. pag. 115. *famahafti* compago. Addit JUNIUS: *Manifeſte ſunt ex* ἅπτω *nectо*, *annectо*, *alligo*. Quod etiamſi minus verum ſit, recte tamen verbum Græcum ad harmoniam refertur.

HEFTEN, figere, affigere. Ex eodem fonte, quia clavi ſunt inſtar ligaturæ. OTFRIDUS Lib. II. Cap. IX. 165.

Haftetun thie armon
In thes cruces hornon.

Vertit SCHILTER. Fixerunt brachia in crucis cornua. Allegorice dicitur de iis, qui ſe alteri devovent. Cod. Arg. Luc. XV. 15. *gahafiida ſik ſumamma bauryane jainis gaujis*, adhæſit uni civium illius regionis.

HEFTIG, gravis. Vitiatum ex antiquiori & genuino *hefig*, quod haud dubie eſt ab *heben* levare. Nam grave & ponderoſum in rebus libra examinandis dicitur id, quod alteram lancem attollit. Extat in Verſione Angloſaxon. Joh. XVI. 33. *ge habbath hefige byrthena on middan earde*, in mundo habebitis preſſuram. Id eſt, gravia onera, graves moleſtias. Gloſſ. Pez. graves *hepigo*. Idem Belgis *hevig*, Anglis *heavy*. Allegorice dicitur de *vehementi*, *moleſto*, & *ſevero*, plane ut *gravis* apud Latinos.

HEFTIG, vehemens & vehementer, *heftiger zorn* ira vehemens, *heftigkeit* vehementia. Ducta ſimilitudo a preſſura gravitatis. Nam grave, dum rebus incumbit, vehementer premit. Francis *hebig* dicitur moleſtus & ſeverus; uterque ſuo merito. Ille nobis gravis eſt factis aut verbis, hic geſtibus & vultu. Voces Francorum vide in Gloſſario SCHILTERIANO pag. 437.

HEGEN,

HEGEN, fovere, domo & contubernio ſuſcipere. Ab *hag* domus. STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 286. Gothis, i. e. Suionibus tribuit *hega* ſervare, ſartum tectum conſervare.

HEGEN, dicitur etiam de judicio tenendo, quod vide in *hag* mallus.

HEHER, graculus, compoſite *holz-heher*, & inſerto ſibilo *holzſchehr*. Ab incondito clamore *he*, *he*, quo ſilvas & nemora perſonat, auctore FRISCHIO in Bödik. illuſtrato pag. 218.

HEID, *heide*, in Codice Argenteo tria ſignificat, (1.) campum Matth. VI. 28. ubi flores campeſtres vocantur *blomans haithios*. (2.) agrum Luc. XVII. 7. ubi ſervus arans dicitur reverti *af haithjai* ex agro. (3.) ſylvam Marc. I. 6. ubi mel ſylveſtre vocatur *milith haithiwisk*. Haud dubie ab *haith* ſylva, quo ſenſu occurrit in Dial. Islandica & Cambrica. VEREL. in Ind. *heide* ſilva, tesqua. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *coed* ſylva. Quis primus fuerit ſignificatus, in quo reliqui conveniant, difficile dictu. Hinc operam mihi perdere videntur HELVIGIUS & GOLDASTUS, qui vocem vel ab Heb. *eden* hortus, vel ab *heiter* coruſcus derivant. Neutrum enim convenit agris, & multo minus ſylvis, ſed campis tantum, gramine & floribus nitentibus. Omnibus autem convenire videtur ſitus ſublimior. Hoc STIERNHIELMIO in mentem venit, qui vocem Gothicam ducit a radice *ha* vel *hat* altus, unde recte fit *hade*, *haithjo*, *heide* terra paluſtribus locis eminentior. LOCCENIUS Lib. II. Hiſtoriæ Suecanæ in vita Brautamundi: *Acre prælium utrinque commiſſum eſt in campis Nericiæ editioribus, quos* HOGHAHEED *vulgo vocant.* Hodie fere campum vel planitiem incultam ſignificat, ſed in compoſitis etiam reliqua. Inde *heidkraut* & per apocopen *heide* erica, *heidelkorn* panicum, *heidelbeeren* vaccinia, baccæ ſylveſtres &c. De radice *ha* & *hat* vide plura in loco.

HEID, *heide*, ericetum, campus ericis tectus. Idem ſignificatus, quamvis paulo adſtrictior. Angloſaxones utuntur compoſito *hæth-felda*, quod eſt nomen loci, & fortaſſe nunc HATFIELD in agro Eboracenſi. Utrumque nomen ericetum denotat interprete SOMNERO. Ergo *hæth* Angloſaxonibus fuit erica, non bruſcus aut ruſcus.

HEID, *heide*, nullius aut falſi Dei cultor. SOMNER. in Dict. AS. *hæthen* paganus, ethnicus, gentilis, *hæthendom* paganiſmus, ethniciſmus, gentiliſmus, *hæthen-gyld* idololatria, cultus paganicus. Gloſſ. Pez. ethnici *heidini*. ISIDORUS Cap. III. 3. *man dher heidheno abgudim gheldendo*, homo gentium idolis ſacrificans. Quod dicitur de Cyro. TATIANUS Cap. XXXII. 7. *eno ni tuont thas heidane man*, nonne & ethnici hoc faciunt? Primos Evangelii in Gente noſtra doctores vocem proſeminaſſe certum eſt, ſed unde arreptam incertum. Nam primo imitari poterant Latinos, qui ſub Chriſtianis Imperatoribus reliquias gentilium appellabant *paganos*, quod ex urbibus, ubi templa eorum erant deſtructa, in pagos ſe recepiſſent. Hoc voluit VOSSIUS, & poſt illum DIECMANNUS, dum vocem origine Germanicam, & a loco agreſti *heide* deſumptam eſſe contendunt. Vel (quod longe verisimilius) imitari poterant Sacros Scriptores, qui omnes profanos *ethnicos* Matth. XVIII. 17. & *atheos* Epheſ. II. 12. vocant. Ab utroque nomen Germanicum formari potuiſſe, ſatis manifeſtum, etiamſi de ultimo (quod cæteris præfero) nemo hactenus cogitaverit.

HEIL, ſanus. Græcis ὅλος, Gothis *hails*, & inde *hailai* & *unhailans* ſani & ægroti Luc. V. 31. Idem Angloſaxonibus *hal* & *unhale*. Similia habent Franci & Alamanni. TATIANUS Cap. LVI. 4. *ni habent notthurfti thi heilon laches*, non neceſſe habent ſani medicum. Gloſſ. Keron. debiles *uuanaheilem*. Cuncta per adſpirationem ab *all*, quod eleganti migratione ab *omni* pervenit ad *totum*, a toto ad *ſanum* & *ſalvum*. Hodie non amplius utimur nec ſimplici nec ullo compoſito (etiamſi *unheil* & *wanheil* ſint pulcherrima) quia ſcil. opes noſtras vel ignoramus vel faſtidimus. *Columis* & *incolumis* rectius derivantur a barbarico *hal*, *hail*, mutato H. in C. quam a *culmus* vel *columna*.

HEIL, ſalvus, quia ſano & incolumi ſimilis. Verſio Angloſaxon. Marc. X. 26. *hwa mæg hal beon*, quis poteſt ſalvus fieri? Verſio Theotiſca Harmoniæ Evangeliorum Cap. CCXLII. 4. *ther giloubit inti gitouft uuirdit, ther uuirdit heil*, qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit. Gloſſ. Keron. ſalvus *heiler*. VEREL. in Ind. *heill* felix, ſanus, ſoſpes. Et huc etiam ſpectat formula veterum tam ſalutandi quam propinandi *wes heil* Salvus eſto, quæ hodie meretur reſtitui. TATIANUS Cap. III. 2. *heil uuis thu gebono follu*, ave gratia plena. Quæ verba proprie ſignificant *ſalva ſis gratia plena* prout optime animadvertit PALTHENIUS in notis ad hunc locum. Eadem ſalutandi formula extat in Evangelio Angloſaxon. Luc. I. 28. Marc. XV. 18. Matth. XXVII. 29. Matth. XXVIII. 9. Similiter & in conviviis veterum conſuetudo obtinuit, ut propinans diceret *wes heil*, ſalvus ſis, & alter reſponderet *drink heil* bibe ſalutem tuam. Idque ex Hiſtoria filiæ Hengiſti, quæ Regi Britanniæ Vortigerno hac formula propinavit, idemque reſponſum a Rege per interpretem tulit, nimis manifeſtum eſt. SCHILTERUS, qui formulam *wacht heil* ſubſtituit, ex SOMNERI Dictionario in voce *wæs-hale*, & PALTHENII Animadverſionibus in Tat. pag. 296. corrigendus eſt. Eadem medicina opus quoque habet CANGIUS in voce *veſeil*.

HEIL, quatenus ſanum & ſalvum ſignificat, ſubſtantivatur, & tunc ſignificat *ſanitatem* & *ſalutem*.

HEIL,

HEIL, ſanitas. Inde Gothis *unhaili habandans* qui infirmitates habent Matth. IX. 12. Angloſaxon. *unhælo* invaletudo apud SOMNER. & BENSON. Alamannis *heilaz* debilis, ſanitatis expers, in Gloſſis Keronianis.

HEIL, ſalus. Gloſſ. Boxhornii: *heili* ſalus. Gloſſ. Keronis: ſalutis *heily*. Verſio Angloſaxonica Joh. IV. 22. *the hæl ys of Judeum*, ſalus eſt ex Judæis. Verſio Harmoniæ Tatianæ Franco-Theotiſca Cap. IV. 4. *arribta horn heili*, erexit cornu ſalutis. Inde compoſita, *unheil* pernicies, *heillos* perditus, *heilſam* ſalutaris, *heilreich* ſalutifer &c. Vox Latina *ſalus* in nulla re differt a Scythica, niſi quod ſpiritum in ſibilum convertit, & terminationem adjicit.

HEIL, ſanatus, ſanitati reſtitutus. Verbale ab *heilen* ſaneſcere, ſanari. TATIANUS Cap. LX. 9. *uuis heil ſon thinero ſuhti*, eſto ſana (ſanata) a plaga tua.

HEILAND, ſalvator, ſervator. TATIANUS Cap. VI. 2. *giboran iſt ju biutu heilant*, natus eſt vobis hodie ſalvator. Interpres Angloſaxon. Joh. IV. 42. *we witon thæt he ys ſoth middan-eardes hælend*, ſcimus quod hic eſt verus ſalvator mundi. Refer ad *heilen* ſalvare, ſervare. Solent enim priſci ex participiis verborum formare ſubſtantiva, & terminationem participialem derivatis relinquere, tanquam cuſtodem originis. Ita Gothis *nasjands* eſt ſalvator Luc. II. 11. a *nasjan* ſervare: Angloſaxonibus *bebeodend* præceptor Luc. IX. 33. 49. a *beodan* præcipere: Francis & Alam. *ſceffant* creator, a *ſceffan* creare. Neque ab hac opinione dimovere nos debet rhythmus OTFRIDI Lib. I. Cap. VIII. 53.

Er geheilit thiz lant,
Herz inan ouh heilant.
Salvat hanc terram,
Ideo voca eum Salvatorem.

Nam hæc verba alluſionem potius poëticam, quam etymologiam continent. Dicitur autem nonſolum de Chriſto, ſed etiam de aliis, a Deo excitatis, qui remp. a ſervitute liberant, vel ab hoſte defendunt. Vide Jud. III. 15. 2. Reg. XIII. 5.

HEILBAR, ſanabilis, *unheilbar* immedicabilis. Proprie eſt ſanatu facilis, ob terminationem *bar*, quam vide in *Proleg.* Sect. VI.

HEILEN, quatenus derivatur ab *heil* ſanus, ſignificat quantum poteſt, (1.) ſanum eſſe, ſed Græcis tantum, quibus ὑγιᾶ eſt valere. (2.) ſanare. Hoc ſenſu Gothi dicunt *hailjan* Marc. III. 15. Angloſax. *hælan* ibid. Franci *heilen*. Cod. Arg. Luc. IV. 23. *leiki hailei ihuk ſilban*, medice cura teipſum. TATIANUS Cap. XLIV. 5. *unmahtige heilet, tote uuechet*, infirmos curate, mortuos ſuſcitate. (3.) ſanari. Hoc ſenſu Gothi dicunt *ſik hailjan* Luc. VI. 18. (4.) ſaneſcere. Id quod Angloſaxonibus vocatur *halian*, teſte SOMNERO & BENSONIO.

HEILEN, quatenus derivatur ab *heil* ſalvus, ſignificat *ſalvare, ſervare*, ſed Francis tantum. TATIANUS Cap. CCV. 4. *heili thih ſelbon, oba thu Gotes ſun ſie*, ſalva te ipſum, ſi filius Dei es.

HEILIG, ſanus, ſaluber. Gloſſ. Keron. ſalubrius *heillihoor*, ſaniori *heilicorin*. Comparativi a poſitivo inuſitato *heilig*. Hodie dicimus *heilſam*, alia terminatione, eodem ſenſu.

HEILIG, ſanctus & ſacer. Angloſaxon. *halig, halga*, Franc. *heilig, heilag*, Belg. *heilig*, Suec. *helig*, Angl. *holy*. Qui ſenſum hujus vocis ſcrutantur, rem arduam agunt, & difficile ſaxum volvunt. CASAUBONUS deducit ab ἅγιος, duro nimis partu, & nullo literæ L. in medio vocis reſpectu. Alii ab *heil* ſalus: ſed non ſatis ſe expediunt. Rurſus alii a nominibus Deorum. Hos inter STIERUS *helig* derivat ab *ill* ignis, ob religioſum ignis cultum: BAXTERUS ab *haul* ſol. Malim a veri Dei nomine derivationem inſtituiſſe, quia veroſimile non eſt, primos Evangelii in Germania vel Britannia præcones voluiſſe vocem a ſolis cultu oriundam retinere aut chriſtianæ religioni accommodare. Germanos præter Mundum & Heroas, etiam Ens ſummum coluiſſe, & a beneficiis appellaſſe *Gott*, ſupra oſtendi. Celtica Lingua Deus vocatur *Celi*. Nomen & cauſam produxi in *helen* occultare. Germani porerant vocare *Hel*, vel a Celtico *celi*, vel a Belgico *heel* totum, univerſum. Nam τὸ, quod Græcis idem ſignificat, ſapientum judicio nonſolum eſt univerſum, ſed etiam Mens divina per univerſum diffuſa. Vide Sir. XLIII. 29. & confer JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 155. Turci vocabulo haud diſſimili Deum vocant *allah*. Et inter nomina Dei Hebræa celebratur *el*. Plura non addo, quia ex his veriſimiliter ſupponi poteſt, *hal, hel, heil*, fuiſſe apud veteres Germanos nomen ipſius veri ac ſummi Dei. Id quod in verbo *helen* pluribus oſtendam. Itaque *heilig*, quatenus derivatur ab *heil* Deus, proprie eſt *divinus*. DIVINUM autem eſt & cenſetur, nonſolum id quod ad naturam divinam ſpectat, ſed etiam id, quod exrebus creatis naturæ divinæ particeps, & Deo dicatum eſt. Inde *heilig* ſanctus, quia Deo ſimilis, & ſpiritu Dei agitur, & *heilig* ſacer, quia ab uſu vulgari ſeparatus, & Deo nuncupatus eſt.

HEILIG, ſanctus, divinis virtutibus præditus. Verſio Angloſaxon. Marc. VI. 20. de Johanne Baptiſta: *wiſſe thæt he wes rihtwis and halig*, ſciebat quod eſſet juſtus & ſanctus. TATIANUS Cap. IV. 15. de Prophetis: *ſo her ſprah thuruh mund heilagero*, ſicut locutus eſt per os ſanctorum.

HEILIG, ſacer, ab uſu vulgari ſeparatus, & Deo conſecratus. NOTKERUS Pſal. XVII. 7. *er geborta ſone finemo heiligen hus*, exaudivit de templo ſancto ſuo. Proprie eſt *ſacer*, non *ſanctus*, etiamſi Latini confundant. Poſſit tamen *ſacer* etiam dici *ſanctus*, quatenus Deo

Deo aut rebus divinis *sancitus* eſt, ut ſunt tempora & loca & conſimilia, modo ſanctitatem externam ab interna diſtinguamus. Eodem nomine gaudent etiam res omnes quæ circa ſacras verſantur, & uſibus ſacris inſerviunt, imo etiam ii qui ſacris præſunt & ſacra adminiſtrant.

HEILIG, venerabilis, inviolabilis, arcanus. Cum res ſacræ & Diis nuncupatæ apud omnes gentes in ſumma veneratione ſint, adeo ut nec violare eas, nec profanis communicare fas ſit; hinc paulatim res omnes *venerabiles*, *inviolabiles*, & *arcanæ*, in ſocietatem nominis ſuſceptæ ſunt, quod ſacris ſimiles eſſent. Idque loquendi genus, cum in omnibus pene Linguis obtineat, non opus eſt hic longius proſequi, ne videar Lectoris judicio diffidere.

HEILIG, voto damnatus. Dicitur de rebus profanis, ſed ad uſus religioſos devotis. Et hinc idem eſt quod *facer* ſeu Deo nuncupatus. LUTHERUS inde formavit *heiligen* devovere, & *geheiliget* devotus, Joſ. VI. 19. Jud. XVII. 3. & paſſim.

HEILIG, diris devotus. Non per antiphraſin, quod minime facer ſit, quod loquendi genus in Lingua Germanica non habet exemplum; ſed quod voto damnatis ſimilis ſit. Sic eryſipelas vocari ſolet *das heilige feur* ſacer ignis, quia diris imprecationibus alicujus irati creditur excitatus. Synonymum eſt *verwünſcht*.

HEILIG, a rebus creatis revertitur ad Deum, & tunc tantum ſignificat, quantum majeſtas divina permittit; primo quidem *ſanctum*, h. e. puriſſima mente prædituum, in qua perfecta rectitudo intellectus cum perfecta rectitudine voluntatis conjuncta eſt: poſtea etiam *ſumme venerabilem*, & ſuper omnia verendum: denique *occultum*, & ſancto ſilentio colendum.

HEILIGEN, quatenus eſt ab adj. *heilig*, ſignificat quantum poteſt, *colere*, *purgare*, *ſanctificare*, *ſegregare ab uſu vulgari*, *conſecrare*, *dedicare*, *devovere* &c. Verſio Angloſaxon. Joh. XVII. 19. *ic halgige me ſylfne for hig, thæt hig ſyn eac gehalgode*, ſanctifico me ipſum pro eis, ut ſint & ipſi ſanctificati. Matth. XXIII. 17. *the templ the thæt gold gehalgath*, templum quod aurum ſanctificat. Joh. XI. 55. *thæt hig woldon hi ſylfe gehalgian*, ut ſanctificarent ſe ipſos. NOTKERUS Pſal. XLV. 5. *geheiligota ſina hereberga*, ſanctificavit tabernaculum ſuum. TATIANUS Cap. XXXIV. 6. *ſi giheilagot thin namo*, ſanctificetur nomen tuum. VEREL. in Ind. *hælgia* purgare, defendere ſe teſtibus.

HEIM, duo inprimis ſignificat, *tectum* & *communem habitandi locum*. Cauſa ſignificandi duplex eſt. Nam Scythica Lingua *heimen* eſt tegere, Celtica ſimul morari, ut poſtea patebit. Utrumque Angloſaxonibus dicitur *ham*, Francis *heim*.

HEIM, tegmen rei naturale, folliculus, pellis &c. Sic præcordia in antiquis Friſionum Legibus vocantur *herthamon* Tit. XXII. 28. *Si quis præcordia, id eſt*, HERTHAMON, *gladio tetigerit*. Id eſt, membranas illas, quæ ſunt circa cor, & cordi ſerviunt pro tegumento. LINDENBROGIUS reponit *hertawond*; ſed nihil hic mutandum eſſe, JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 183. ex ſimilibus Angloſaxonum compoſitis demonſtrat, quorum præcipuum *cildhama* matrix, uterus, proprie folliculus infantis.

HEIM, tectum manu factum, & ſynecdochice *locus tectus*, domus, manſio, habitatio. Gloſſ. Pez. domicilium *heima*. Verſio Angloſaxon. Matth. IX. 28. *ſothlice tha he ham com*, cum autem veniſſet domum. Joh. XI. 20. *and Maria ſæt æt ham*, Maria autem domi ſedebat. TATIANUS Cap. XII. 2. *mit thiu ſie heim ununrhun*, cum redirent domum. VEREL. in Ind. *heim* domus cujusque propria, *heimbod* invitatio domum ad epulas, *henhion* ſervi & famuli domeſtici. Inde compoſita antiquo-Saxonica,

ham-foca immunitas domus, quod vide in *fache* jus habendi vel poſſidendi.

ham-focna invaſio domus, quod vide in *fuchen* quærere infeſtandi cauſa.

Et huc etiam ſpectat ex Lingua hodierna, *daheim* domi, *heimſuchen* convenire aliquem in ædibus ſuis, *heimwerts* domum verſus, *heimholen* deducere domum, quod deſponſo domiduco dicitur, & alia innumera. Ab *heim* rurſus fit *heimen* habitare & domo recipere, de quibus poſtea.

HEIM, ſui cujusque & ſua. Gloſſ. Pez. ad ſemetipſos *heim*, in ſua *heim*. REENHIELM in Indice ad Thorſteni Sagam: *hemferd* ad ſuos reditus. Dictio metonymica, qua continens ponitur pro contento, domus pro iis quæ in domo ſunt, vel ad domum ſpectant. Inde *heimgehen*, *heimkeren*, *heimfaren* reverti ad ſuos, *heimgeben* reddere, *heimfallen* redire ad priſtinum dominum, *heimſtellen* permittere alicujus arbitrio tanquam rem ad Lares ſuos ſpectantem.

HEIM, communis habitandi locus, urbanus, campeſtris, regio, territorium, patria &c. ut ex inductione patebit.

HEIM, monaſterium, manſio communis Monachorum. Angloſaxon. *ham* apud SOMNER. & BENSON. Eundem hodieque ſignificatum obtinet, quoties nominibus *Sanctorum* aut *Fundatorum* ſubfigitur, cujusmodi eſt LAURESHEIM Monaſterium S. Laurentii, & alia bene multa, quæ longinquitate temporis ſunt vitiata. Habent hic Geographi, in quo diligentiam ſuam exerceant.

HEIM, ager, non quatenus aratur, ſed quatenus eſt communis habitationis locus. Evang. Goth. Marc. V. 14. *jah gataihun in haurg jah in haimon*, & nunciaverunt in civitatem & in agros.

HEIM, villa, vicus, prædium. Græc. κώμη. Uſus Angloſaxonicus cognoſcitur ex Dictionario SOMNERI in voce *ham*, ubi tamen ſenſus male a tegendo deducitur: Gothicus ex Evangelio Gentis Marc. VI. 56. *iddja*

in haimos, introibat in vicos. Inde diminutivum *haimothjai* prædia ruſtica, ubi plures coloni vel ſervi, rei agrariæ neceſſarii, ſimul habitant. Hunc ſenſum videtur habere vox Gothica Marc. X. 29. 30. Et huc etiam ſpectat *hameau* prædiolum, viculus, omnium locorum communium in agris minimus, vox Gallica, ſed origine Germanica. Præcipua compoſita ſunt,

Biſcophesheim, villa Epiſcopi, ex nuncupatione R. Chlodovei in Teſtamento S. Remigii.

Heimberger, prætor ruſticus, alias *dorfrichter*, in Charta quadam apud Cel. ESTOREM de Miniſterialibus pag. 218. *Centuriones qui vulgariter Heimberger vocantur.* Quaſi communitatis ruſticæ tutores, a *bergen* defendere, tueri.

HEIM, civitas, arx, caſtellum. Hujus ſignificatus plura invenimus teſtimonia apud interpretem Gothicum, cujus hæc ſunt, *us haimai Marjins*, de caſtello Mariæ Joh. XI. 1. *us allamma heimo Galeilaias*, ex omni caſtello Galilææ Luc. V. 17. *in haim Samareite*, in civitatem Samaritanorum Luc. IX. 52. & mox verſ. 56. *in anthara haim*, in aliam civitatem. Angloſaxonibus *ham* idem denotare, docet SOMNERUS in Dict. Islandi in Hiſtoria fabuloſa utuntur compoſitis *Asheim*, *Godheim* civitas Dei. Nec omittendi ſunt Phryges, qui Arcem Trojanam PERGAMUM, id eſt, ut credere fas eſt, *Perg-ham*, a ſitu montano appellarunt. Nam hinc clariſſime patet, unde ſit principium vocis, quis uſus perennis & antiquiſſimus, & quibus auctoribus ad Celticos & Scythicos populos pervenerit. De hac voce vide plura in *berg*. Inde porro eſt, quod, ut pridem Viris doctiſſimis obſervatum, apud Germanos & Anglos tot villæ & Urbes (quas vicos ante fuiſſe veroſimile eſt) nomina ſua in *heim* & *ham* exeuntia paſſim habeant. Et quamvis *hamm* etiam locum e ſylva exciſum denotet, non auſim tamen omnia locorum nomina eo referre, quia longe opinabilius eſt, plura eorum non aliunde quam a communi cohabitatione petita eſſe.

HEIM, regio, territorium, provincia, locus Reip. ampliſſimus. Evang. Goth. Luc. I. 65. *jah in allai bairgahein Judaias merida weſun alla tho waurda*, & in omnibus regionibus montanis divulgata ſunt hæc verba. Ubi haud dubie legendum *bairgahaim*. Nam hunc Codicem in multis locis afflictum eſſe a librariis, apud omnes in confeſſo eſt, & ſupra patuit exemplo in voce *han* manus. Antiquiſſimis temporibus fuit etiam vox Gallica, ut ex nomine BOJOHEMUM colligitur, quod Boji, gens Gallica, regioni ſuæ in ſylva Hercynia occupatæ impoſuerunt, teſte VELLEJO, STRABONE & TACITO; cujus memoria in nomine BOHEMIÆ, quamvis mutatis cultoribus, & tot Sæculis elapſis, hodieque perennat, quæ Germanis dicitur BOHEIM, & contracte vel potius corrupte BÖHMEN. Vi vocis eſt *regio Bojorum*.

HEIM, patria, locus natalis multis communis, *Manheim* patria virorum fortium, *einheimiſch* patrius, *heimwehe* ægritudo ex deſiderio patriæ. Hoc imitantur Galli (quamvis vitioſe ut plerumque) *in emmevé*, auctore Mareſchallo de Baſſompierre, qui primus Gallicam linguam hac voce auxit, teſte MENAGIO in Originibus Gallicis. Hinc porro repatriare ſive in patriam redire, Francis dicitur *heimon* apud SCHILTERUM in Gloſſario Teutonico. Angloſaxonibus *hamſithian* apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. nobis *heimreiſen*.

HEIM, terra univerſa, locus omnium naſcentium communis, & patria ſapientis. VEREL. in Ind. *heim* mundus, orbis, *item oc ur* in mundum & ex mundo, *heimskringla* orbis terrarum Pſal. 9. *heims-slit* finis mundi, interitus orbis univerſi.

HEIM, adjective. V. *heimen* occultare.

HEIMAT, *heimde*, *heimade*, ſignificat quantum poteſt. Græcis ἑμιάδες ſunt tuguria paſtorum, ab *heimen* tegere. Gothis *haimoth* eſt prædium, ubi plures coloni ſimul habitant, ab *heimen* cohabitare. Cambris *cwmmwd* provincia, ob eandem cauſam. Nobis ſignificat patriam, eodem jure, quia patria eſt locus naſcendi pluribus communis, ſive ſolum natale ſit vicus, ſive civitas, ſive regio.

HEIME, gryllus, cicada vocalis. Angloſaxon. *hama*. Hæc vox cum antecedentibus & ſequentibus nihil habet commune. Oritur enim non ab *heim* domus, quia vulgo in *haus und feld heimen*, hoc eſt, in gryllum domeſticum & campeſtrem dividitur; ſed a clamore lugubri, qui ploratui ſimilis eſt. VEREL. in Ind. *emia* plorare, Eſa. 16. Idem Gr. ὀμώζω.

HEIMEN, tegere. STIERNHIELMIUS tribuit Suecis *hæmma* in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 82. 88. KILIANUS Belgis *heymen* in Etymologico. Uterque tegendi ſignificatu. Quamvis autem hoc verbum in priſcorum monumentis non reperiatur, verum tamen eſſe, & antiquitus uſurpatum, multa evincunt derivata, quæ tanquam pignora parentem referunt. Hujusmodi ſunt, quod Angloſaxonibus *hamod* eſt tectus, *fleſc-hamod* incarnatus, carne tectus, *haam* ſuperpellicium, *hom* colobium, Islandis *hamur* exuviæ, Græcis ἱμάτιον pallium, Latino-Barbaris *camiſia* tunica linea, Germanis *hemd* induſium, *camiſol* ſubucula, inducula, *himmel* tectum ſuſpenſum & cœlum. Quæ, cum nuſquam aptius quam ad notionem tegendi referri poſſe videantur, verbi pereuntis imaginem in ſe tanquam in ſpeculo conſiderantibus objiciunt. Et his jam conſideratius addimus *heim* quatenus tectum & locum tectum ſignificat.

HEIMEN, occultare. Suecis & Belgis ut ſupra. Fides ſit penes auctores. Fluit hic ſignificatus ex præcedenti per manifeſtam metaphoram. Quid enim eſt occultare, niſi tegere? Inde nobis veniunt, *heim*, *heimlich*, *geheim*

geheim occultus, ſecretus, *heimtückiſch* ſubdolus, *hæmiſch* idem, *heimlichkeit* arcanum, *geheimnus* idem, & alia ſatis nota, & juſta derivationis lege facta, ſed nova. Nam apud veteres nec arborem nec ramos invenire licet. Antiquiora vide in *tögen* celare.

HEIMEN, cohabitare, ſimul morari. Veſtigia verbi extincti offerunt ſe nobis in Lingua Celtica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *chom* ſimul morari, *cymmydog* proximus, vicinus, *cymmwd*, *cymmod* provincia, regio, forte cohabitantia. Habent & Hebræi, quod huc referri poſſit. Illis enim *ham* eſt nomen multitudinis in eodem loco cohabitantis, teſte R. D. LOESCHERO in Libris doctrina haud vulgari refertis *de Couſis Linguæ Ebrææ* pag. 370. Cui ſimile Græcum ὁμάς multitudo. Et forteſſe CHAMAVI, qui Græcis Scriptoribus χάμαϐοι, olim ita ſunt appellati, quod non diſcretis & ſpatio ſeparatis domibus, ut cæteri Germani, de quibus videndus TACITUS Cap. XVI. de M. G. ſed conjunctis & cohærentibus habitarent. Nam *abo* Gothica lingua colonum ſignificat. Aliis videntur ab oppidis *Ham* & *Camen* nomen adepti; quod ægre admitti poteſt, quia primi Chamavi fuerunt Rheno proximi, docente CLUVERIO Lib. III. Germ. Ant. Cap. 14. LEIBNITIUS in Gloſſario Celtico radicem verbi Celtici quærit in particula *cum*. Cur non potius in ἅμα vel ὁμῦ, ſimul, una, communiter, ob perpetuam Linguæ Celticæ & Græcæ convenientiam? Sed undecunque ſit hoc verbi, certe ab illo habemus *heim*, quatenus communem habitandi locum ſignificat.

HEIMEN, habitare, incolere. Ab *heim* domus, ut *hauſen* ab *haus*. Ab hoc verbo, quamvis inuſitato, ædes, in quibus tranquille habitare licet, apud Miſnicos vocantur *heimlich*, quæ vero ſpectrorum apparitionibus aut tumultibus infeſtantur, *unheimlich*, hoc eſt, habitabiles & inhabitabiles.

HEIMEN, domo recipere. Suecis *hema* apud LOCCEN. in Lex. Juris Sueo-Goth. Island. *heimila* apud VEREL. in Ind. Rurſus ab *heim* domus, ut *hægen* ab *hag*.

HEIMLICH, domeſticus. Refer ad *heim* domus.

HEIMLICH, habitabilis. Vide *heimen* habitare.

HEIMLICH, ſecretus. Vide *heimen* occultare.

HEIMLICH, civilis. NOTKERUS Pſal. LXXXII. 7. 8. *nals mit heimlichemo muote, ſunder mit fremidemo*, non civili animo, ſed alieno. Locum obſervavit SCHILTERUS in Gloſſ. Factum haud dubie ab *heim* civitas, ut *burgerlich* a *burg*, & *urbanus* ab *urbs*. Nam a communibus habitandi locis optime appellantur ſocialis vitæ officia. Hodie obſoleſcit, etiamſi pulcre dictum ſit olim, cum opes Linguæ Germanicæ nondum ad eam, qua hodie laboramus, penuriam redactæ eſſent.

HEIMSUCHUNG, invaſio domus. Anglosaxon. *ham-ſocna*. Vide utrumque in *ſuchen* quærere infeſtandi cauſa.

HEIMZUCHT, *heimſucht*, eadem notione, & ex eodem fonte. Poſterius eſt genuinum, alterum ex aſpera pronuntiatione vel Belgica Scriptura, quæ Z. & S. confundit, ortum. Vide plura in fonte.

HEINT, hac nocte. Judice STADENIO corripitur ex Francico *hinaht*, quod occurrit apud OTFRIDUM. Lib. V. Cap. X. 11. *uuis mit uns hinaht*, mane nobiſcum hac nocte. Simile Gothorum compoſitum vide in *hin* nunc.

HEISCH, *heiſer*, raucus. Anglosaxon. *has*, Francis *heis*, Belg. *hees*, *heeſch*, Suec. *hees*. Island. *hes* apud VEREL. in Ind. Anglis *hoars*. NOTKERUS Pſal. LXVIII. 4. *des ruofes uuurden heis mine giumen*, raucæ factæ ſunt fauces meæ. Ubi Luth. habet *heiſch* Pſal. 69. Vox Anglica, quæ ſola literam R. in medio cuſtodit, videtur nos deducere ad primitivam *hreis*, *hreiſch*, a Lat. *raucus* factam, & poſtea variis mutationibus deformatam. Nam R. natura ſua mobile eſt, & pro vario ſitu producit *heisr* & *hoars*. Ubi vero elidit ur (quod inprimis Angloſaxonibus familiare, qui ſolent dicere *ſpæcan* pro *ſpræcan*) tunc efficit *has*, *heis*, & reliqua. Aut certe *to hoarſe* raucere, quo rurſus Angli utuntur, erit a Græc. κόρυζα pituita, & proprie eam raucedinem denotabit, quæ ex gravedine oritur. Ita videtur ſentire MARTINIUS in voce *ravis*. SKINNERUS vero, quaſi ſubductis & interceptis omnibus etymologiæ viis, vocem patriam effingit a ſono.

HEISCHEN, expetere. Græcis αἰτεῖν & αἰτεῖσθαι: Illud imitantur Galli in *ſou-haiter*, hoc Franci in *eiſcon*. Gloſſ. Pez. expetit *eiſcot*. Cambrica Lingua, quæ veteris Celticæ adhuc imaginem gerit, votum & deſiderium dicitur *eiddun*, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Poſtea idem verbum a deſiderio ad omnes petitiones tranſlatum eſt, quia in omni petitione, ſive ſit rogantis, ſive optantis, ſive poſtulantis, ſive interrogantis, ineſt deſiderium vel habendi vel reſciendi aliquid. Quod ſemel monuiſſe ſufficiat. Angli eodem & latiſſimo ſenſu dicunt *to ask*, quod viri doctiſſimi merito ex Græcitate deducunt.

HEISCHEN, petere. Vox rogantis. Utitur Luth. Pſal. II. 8. Utitur etiam Codex Argent. Luc. V. 3. *haihait ina aftiuhan*, rogavit eum reducere navim a ripa.

HEISCHEN, optare. Vox adprecantis. Significatum probat SCHILTERUS ex OTFRIDO Lib. I. Cap. IX. 9.

Tho gieisgotun thie maga
Thia Druhtines ginada.
Precabantur cognati
Domini gratiam.

HEISCHEN, repetere. Vox jure petentis. Gloſſ. Pez. repetere *eiſcon*. TATIANUS Cap. XXXI. 7. *ther thiu neme thiu thiuuſinu*,

ni eiſco ſin, qui aufert quæ tua ſunt, ne repetas. Inde Belgis *eiſch* poſtulatum juris.

HEISCHEN, poſcere. Vox cum auctoritate poſtulantis, & imperantibus propria, quæ Belgis effertur *eiſchen*. Sic vulgo dicunt, *Godt eiſcht in zyn wet* Deus præcipit in lege ſua. Inde Francis *zinſeiſca* indictio cenſus, vox Notkerianæ Verſionis Pſal. XLIX. 8. obſervante SCHILTERO in Gloſſ. & veteribus Friſiis *aisga* judex, quam infra produxi in *Schulteis*. Metaphorice utimur de quavis urgente circumſtantia, vel ut Gallice loquar *exigentia*. Sic vulgo dicimus, *die not erheiſcht* neceſſitas exigit, quia neceſſitas eſt inſtar Legis.

HEISCHEN, quærere. Vox interrogantis, quæ Angloſaxonibus effertur *axian*, *ahſian*, Francis ut ſupra. Verſio Angloſaxon. Luc. XXIII. 3. *tha ahſode Pilatus tyne*, tunc interrogavit eum Pilatus. TATIANUS Cap. VIII. 2. *eisgota ſon in*, *uuar Chriſt giboran uuari*, ſciſcitabatur ab eis, ubi Chriſtus natus eſſet.

HEISER, raucus. V. *heiſch*.

HEISS, calidus & calefactus, flagrans & æſtuans. Angloſaxon. *hat*, Francis *heiz*, Belg. *heet*, Angl. *hot*. Verbale ab *hitzen* calere & calefacere. WILLERAMUS Cap. I. 6. *diu heizza ſunna hat mir mine ſcone benoman*, ſol flagrans abſtulit mihi pulchritudinem meam. Metaphorice eſt vehemens & vehementer, ducta ſimilitudine a rebus vi ignis æſtuantibus. Gloſſæ Junianæ in Obſervatis ad Willeram. pag. 16. *heitmodi* furor, *in heizherzi* in furore, *bittet agaleizo ioh harto filu heizo* orate inſtanter & valde ardenter.

HEISSEN, dicere, fari, loqui. Verbum ab Angloſaxonibus relictum, quibus *batan* eſt dicere, & *gretan batan* ſalutem dicere, teſtibus SOMNERO & BENSONIO. Solent ſane priſci Saxonum Reges (quod multis conſtat monumentis) literas ſuas ordiri his fere verbis: *NN. kyning hated gretung*, Rex ſalutem dicit. Quod etiam extra literas uſitatum fuiſſe, nullus dubito. Nam apud nos etiamnum valent formulæ: *willkomm heiſſen* ſalve dicere venienti, *es heiſſt* dicitur, *es hat geheiſſen* dictum eſt: Quæ forte ſunt perennes & ab antiquis traditæ. Hic primus verbi latiſſime dominantis ſignificatus, & forte a Græc. ἔσσα, ἔττα vox petitus, qui poſtea per ſynecdochen generis ad omnem ſermonem quo aliquid *conſitemur*, *ſpondemus*, *jubemus*, *nuncupamus*, ab Antiquitate translatus eſt.

HEISSEN, fateri, confiteri. Codex Arg. Luc. X. 21. *andhaita thus atta*, confiteor tibi pater. Similiter Latinis a *fando* fit *fateri*.

HEISSEN, promittere, ſpondere, vovere. Gothis *gahaitan* Marc. XIV. 11. Angloſaxonibus *behatan* ibidem, & inde *behat* & *gehat* votum, promiſſum. Francis & Alam. *heizan*, *giheizan*. Gloſſ. Keron. ſpondeat *kiheizze*, promittat *kiheizze*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIV. 49.

Ein man iſt uns giheizan,
Joh ſcal uuh Chriſtus heizan.
Vir nobis promiſſus eſt,
Qui debet vocari Chriſtus.

WILLERAMUS Merulæ Cap. III. 10. *thiu divina eloquia heizent thiuſelva uuunna*, divina eloquia pollicentur idem gaudium. Gloſſ. Lipſ. *giheita* vota, *heitinga* vota. VEREL. in Ind. *heita* promittere, vovere, *heit* votum. Hodie utimur compoſitis *verheiſſen* & *verheiſſung*.

HEISSEN, juramento promittere. In compoſitis dicitur de conſpirantibus & ſeditioſis, quia conſpiratio fieri ſolet interpoſito juramento. Gloſſ. Boxh. *piheiz* conjuratio, *kipiheizzontemu* conjurante. Et huc etiam ſpectat aliud Francorum compoſitum *urheiz* ſeditio, cujus verum ſenſum infra vindicavi in U.

HEISSEN, jubere, mandare, præcipere. Gothis *haitan* Matth. XXVII. 64. Angloſaxon. *hætan*, Franc. *heizan*, Belg. *heeten*, Island. *heita* apud VEREL. in Ind. Sorabis *kaſu*, apud FRENZEL. in Orig. Sorab. pag. 619. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. III. 28. *heizan auur uſſtan*, jubere ut denuo reſurgat. Hic ſenſus neminem debet offendere. Nam & Latinis a *dicendo* fit *dictare* dictis præſcribere quid agendum aut omittendum ſit. Cum vero Gothis *haitan* etiam ſignificet *rogare* Luc. V. 3. hinc JUNIUS ſuſpicatur, hunc primum verbi ſignificatum eſſe, unde reliqui per varias translationes orti ſint. Ipſum vero verbum factum exiſtimat a Græco αἰτῶ petere, poſcere, poſtulare, quod hanc unam impetrandi rationem noverant priſci mortales æquo jure nondum fugato: at poſteaquam homines quidam, importuniſſima prædiți ſuperbia, ſe ſuper alios, exuta omni æqualitate, cœperunt extollere, preces iſtæ mutatæ ſunt in aſperrimi imperii minas. *Preces erant*, *ſed quibus contradici non poſſet*, ut loquitur Tacitus Hiſt. IV. Cap. 46. agens de poſtulatis armatæ concionis militaris. Ita ſentit JUNIUS in Obſ. ad Will. pag. 75. & in Gloſſ. Goth. pag. 184. Sed dum ita ſentit, catenam ſyſtematis rumpit, & verba totis familiis diverſa *heiſchen* & *heiſſen* confundit. Illud (niſi me omnia fallant) ſignificat *petere cum auctoritate*, & huc ſpectat elegans JUNII de precibus imperantium obſervatio; hoc *dictare* vel *dicere cum auctoritate*.

HEISSEN, vocare, nuncupare. Interpres Gothicus Joh. X. 3. *haitith bi namin*, vocat nominatim. OTFRIDUS Lib. I. Cap. VIII. 54. *heiz inan ouh heilant*, voca eum ſalvatorem. TATIANUS Cap. CLVI. 2. *ir heizzet mih meiſtar inti herro*, vocatis me magiſter & domine. VEREL. in Ind. *heita* vocare, *heite* nomen.

HEISSEN, vocari, nominari. OTFRIDUS Lib. I. Cap. IV. 60. *Johannes ſcal er heizan*, Johannes nominabitur.

HEISSEN, advocare. Interpres Goth. Marc. VIII. 34. *athaitands tho managein*, convocans turbam.

HEIT, de priſco & hodierno hujus particulæ uſu actum in *Proleg.* Sect. VI.

HEITER, ſerenus, innubilus. Gloſſ. Pez. ſerenum *heitar*. Gloſſæ Junianæ in Obſ. ad Will. pag. 76. *heidere* ſerenitas, tranquillitas, *heitarer tak* ſerenus dies, *heitarer tagaſtern* clarus lucifer, *heitarniſſa* jubar. VEREL. in Ind. *heidur* ſerenus, *himin var heidur* cœlum erat ſerenum, *heid*, *beidi* ſerenitas, *heidvidri* ſudum. Conſentiunt ἀυθρη & ἀυθριον ſerenitas & ſerenum. Proprie autem eſt ardens, ab *eiten* ardere, & dicitur de cælo & aëre ſereno, quia videntur ardere. Poſtea nova metaphora duce ſerenum uſurpari cœpit de puro, tranquillo, illuſtri, & omni eo, quod ſereno ſimile eſt, & noviſſime de fronte, quæ nullis rugis obducitur. Gloſſæ antiquæ loco citato: *heyderheid thes gelouan* ſerenitas fidei, *heitaremo mendi* claro gaudio, *heitariu muas* ſplendidas mentes, *heitareru zeſauun* præclara dextra, *heitarit pruſti* ſerenat pectora. Et huc fortaſſe etiam ſpectat Heb. *adar* illuſtris & cœli inſtar clarus.

HEITERNESSEL, urtica urens, minor & acrior, in Lex. Pharmaceut. SOMMERSHOFII. Gloſſ. Florent. urtica *heidernizila*. Refer ad *eiten* urere.

HEITZEN, calefacere, focum excitare. Ab *eit* ignis, cujus antiquitatem ſupra oſtendi. Gloſſ. Pez. ſuccenderentur *giheizit uurdi*. Hebræis *hizeth* eſt ſuccendo in forma hiphil.

HEL, totus, *der hele hauffen* totum agmen. Idem Gr. ὅλος, Germanis alias *all*.

HEL, integer, ſanus, ſalvus, quia toti ſimilis, *von heler haut* ſalva & illæſa cute.

HEL, lubricus. V. *hæl*.

HEL, occultum & occultatio. Vide *helen* celare.

HEL, nomen Dei. V. ibidem.

HELD, heros, bellator eximius, virtute & factis inſignis. Angloſaxon. *hold*, *hæleth*, Francis *helit*, Belgis *held*, Suecis *hielt*, *hiælt*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hæleth* idem ni fallor cum Belgarum *held*, i. e. heros, dux, vir excellens, fortis, ſtrenuus, princeps, divus, *æfeſt hæleth* pius heros. Idem locit. *hold* ſummus præpoſitus, tribunus militum, imperator exercitus. Rhythmus de S. Annone §. 20.

Da vant er inne helm unti brunigen,
Manigin helit gudin,
Die dere burg buddin.

Vertit SCHILTERUS:

Tunc invenit ibi galeas & loricas,
(Et) multos heroës bonos,
Qui urbem cuſtodiebant.

Suſpicor antiquis *hellen* idem fuiſſe quod *certare*, *pugnare*, *præliari*, prorſus ut Chaldæis *chel* militare, & Græcis ἑλωνίειν, quod apud HESYCHIUM exponitur σφαττέσθαι belligerare, unde HELLINES videntur ſic dicti quaſi bellatores & præliatores. Et fortaſſe etiam *duellum*, quod eſt pugna duorum. Huic conjecturæ robur accedit a derivatis, cujusmodi ſunt *hild* prælium, quod vetuſtate evanuit, & *hellebart* bipennis, cujus ſynonymum eſt *ſtreitaxt* ſecuris amazonia, a certando ſic dicta. BENSON. in Voc. Poët. *hild* prœlium. VEREL. in Ind. *hildi heya* inire prœlium, *hildr* pugna, *hildigrimur* armis acer, *hildrbard* bipennis prœlio apta. Hæc omnia videntur ſupponere verbum *hellen*, eo quo dixi ſignificatu. Nam hinc recte fit *hild* & *held* prælium & prælior. Et hunc vocis ſenſum admittit etiam Rhythmus de S. Annone, ubi *helit* malim interpretari *bellatores* quam *heroes*, etiamſi vox ſucceſſu temporis iis tantum bellatoribus fuerit dicata, qui vel exercitus ducebant, vel rerum geſtarum gloria ſupra cæteros eminebant. Similia vocabula, ab humili ſignificatu, ad ſummam æſtimationem evecta, vide in *degen*, *marſchalk* &c. Nomina propria huc ſpectantia vide in *child*.

HELDELEN. V. *halden* inclinare.

HELEN, occultare. Angloſaxon. Francis & Alam. *helan*. Gloſſ. Keron. celaverit *farhele*. Proprie eſt tegere ſilentio, ab *hüllen* tegere. Quamvis enim verbum a verbo regulariter non oriatur, ſæpe tamen fit, ut idem verbum a metaphora aliam accipiat formam, quam habuit ab initio. Celtica Lingua occultare dicitur *celu*, Latina *celare*, quia C. & H. ſunt literæ affines & permutabiles. Hinc ſicut nos ab *helen* derivamus *hel* occultum & occultatio, *heler* celator: Ita Cambri a *celu* deducunt *cel*, *celewr* & *celi* eodem ſenſu. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cel* celatio, occultatio, *celewr* celator, *celi* nomen Dei omnipotentis, fortea *celu*, quod omnium occulti ſſimus ſit. Deum nemo vidit unquam. Hæc ille totidem verbis. Hinc porro auguror, quod *hel* majoribus noſtris nonſolum occultum & occultationem, quo ſenſu occurrit Eſa. III. 9. Sir. VIII. 21. ſed ipſum quoque DEUM denotaverit. Nam primo verba tantum ſignificant quantum poſſunt. Et cum Celtica Lingua nomen Deo ab occulto quæſitum ſit, cur non etiam Germanica? Secundo, diſerte teſtatur TACITUS, optimus Theologiæ Antiquæ interpres, Germanos, quamvis lucorum cultores, Deum appellaſſe occultum illud, quod ſola mente cernitur. En verba Auctoris Cap. IX. de M. G. *Ceterum nec cohiberi parietibus Deos, neque in ullam humani oris ſpeciem adſimilari, ex magnitudine cœleſtium arbitrantur. Lucos ac nemora conſecrant, Deorumque nominibus appellant* SECRETUM *illud, quod ſola reverentia vident.* His poſitis & conceſſis ab *hel* Deus, ſecure deduco

helig, heilig divinus, Deo ſimilis, & Deo nuncupatus. Vide plura in voce.

HELFANT, elephas. Francis *helphant*, Angloſaxon. *elp, ylp*, Islandis mira transpoſitione *fil* pro *iſſ*. SOMNER. in Dict. AS. *elp, ylp* elephas, *elpen-ban, ylpen-ban* ebur, dens elephantinus. VERELIN Ind. *fil* elephas. OTFRIDUS Lib. I. Cap. I. 32.

Iz iſt giſugit al in ein,
Selb ſo helphantes bein.
Vertit SCHILTERUS:
Id omne combinatum in unum
Ut elephanti oſſa.

An a Gr. ἐλέφας? Dubito. Potius eſt nomen men generale, & omnibus belluis grandioribus commune, ab *helfen* juvare deſumptum, ut Latinis *jumentum* a *juvando*. Gloſſ. Keron. auxiliante *helfantemu*. Hoc participium, ubi tranſit in ſubſtantivum, producit beſtiam, qua homo ſive pace ſive bello juvatur. Hinc ab antiquis etiam *Camelo* tribuitur. Is enim in Codice Argenteo vocatur *ulband* Marc. I. 6. X. 25. in Verſione Angloſaxonica *olfend*, & in Harmonia Evang. TATIANI *olbent* Cap. XIII. 1. & hinc porro *dromedarii* in Gloſſis Peziani vocantur *olpentara*. Si quæratur, unde nobis ſit exteri animalis domeſtica appellatio? Reſponderi poteſt a *Celtis*, eorumque belli ſociis, *Belgis* & *Germanis*. Nam ſine horum mercenario exercitu Reges orientis nulla fere bella gerebant. Ad hos regno pulſi confugiebant, majeſtatem ſuam nuſquam tutiorem rati, quam apud illos. Itaque in auxilium a Bithyniæ Regibus vocati, regnum cum eo parta victoria diviſerunt, eamque regionem *Gallo-Græciam* cognominarunt. Hæc JUSTINUS. Cum ergo bellatores illi vidiſſent, Orientis Reges bella ſua conficere magna ex parte Dromadibus, Camelis, & Elephantis, & hos turres armatorum in dorſis gerere, proſternere acies & proterere: hinc omnes illas beſtias, ſive militantes, ſive impedimenta ferentes, lingua ſua appellarunt *helfanten, olfenten, ulbenden, elpen, ylpen*, id eſt, auxilia & præſidia belli. Differt autem *helfant* ab *elephant*, quamvis ſono conveniant. Nam hoc poſterius eſt a Gr. ἐλέφας, & hoc viciſſim ab Hebræo *alluph* bos, ut diximus alibi.

HELFEN, juvare. Gothis *hilpan*, & imperative *hilp*, Marc. IX. 22. 24. Angloſaxon. & Franc. *helpan*, Alaman. *helfan*, Belg. *helpen*, Angl. *to help*, Suec. *hielpa*, Island. *hialpa*. Gloſſ. Keron. ſubvenire *helfan*, adjuvaſti *hulfi*, auxiliante *helfantemu*. TATIANUS Cap. LXIII. 3. *quad iro thaz ſiu mir helpe*, dic illi ut me adjuvet. STIERNHIELMIUS in Gloſſ. Goth. pag. 88. JUNIUS ducit a σύλλαμβάνω. Mihi placet ab *hel, heyl*, ſalus, q. *heilpa* ſalutem afferre, ſalvare, ut *ſtiælpa* evertere, corruere, a *ſtiæl* præceps. Hæc ille: bono quidem ſenſu, ſed tamen dubio, quia F. & P. in tota Lingua Germanica nuſquam occurrunt tanquam media derivandi. Ducam ergo ab ὠφελέω juvare, per metatheſin.

HELFENBEIN, ebur. STADENIUS in Voc. Bibl. deduxit ab *alp* albus. Perperam. Nam Lingua Angloſaxonica *elp* eſt elephas, & *elpen-ban* dens elephantinus. Vide quæ paulo ante de hoc animali diximus in *helfant*.

HELFTE, dimidium rei. Evang. Goth. Luc. XIX. 8. *ſa halbata aiginis meinis*, dimidium bonorum meorum. Ab *halben* dividere, per medium derivandi T.

HELGEN, fatigare. Neſcio cujus Dialecti. Habet tamen STILERUS. Si vera eſt verbi forma, verusque ſignificatus, conveniet Græcum ἕλκω, ἑλκύω, traho, vim infero, vexo. Ætas ante Lutherum videtur inde formaſſe *helg*, & per epenthesin *hellig*, feſſus, laſſus, & hinc porro *behelgen* & *behelligen* laſſare, fatigare, quod in curia etiamnum dicitur de iis, qui principem vel miniſtros literis ſupplicibus nimis infeſtant, tanquam auxilium ex moleſtia recepturi. Sed *helgen* antiquius eſt, & inde *helgung* fatigatio, vexatio, apud SCHILTERUM in Gloſſario, quamvis absque interpretatione.

HELL, quatenus dicitur de luce, jungitur affinitate cum vetuſtiſſimis linguis. Hebræis *halal* eſt ſplenduit, *helel* lucifer. Gr. ἥλιος ſol, fons lucis diurnæ, ἐλη & ἐλάα ſplendor & calor ſolis. Gothis *uil* ſol Marc. I. 32. idemque Armoricis *haul*, Perſis *el*, teſte ISIDORO Lib. XIV. Orig. Cap. 2. ubi de Perſis: *Omnes in illis partibus ſolem colunt, qui ipſorum Lingua* EL *dicitur*. Perſis hodiernis *ila* Deum, *ala* flammam ignis ſignificare, dicit ex RELANDO in Diſſert. de vet. Lingua Perſ. Nec aliunde Latinis *ſol*, quamvis ſpiritu aſpero (quod ſæpe contingit) in ſibilum mutato. Quibus addi poteſt Sueticum *eeld*, ignis. Hinc conjicio, *hell* antiquiſſimis temporibus adjective *lucidum*, ut hodie, ſubſtantive *ſolem, ignem, ſplendorem*, & ſimilia denotaſſe, etiamſi adjectivum in nullis noſtrorum monumentis, nec Saxonicis, nec Franco-Theotiſcis, nec in recentioribus Dialectis inveniam.

HELL, ſonorus. Non certe ex eodem fonte ut antecedens, etiamſi Latini dicant *luce clara*, & *vox clara*, quod Germanis non licet. Illud refertur ad oculos, hoc ad aures Pſal. CL. 5. eſtque verbale ab *hallen* ſonare.

HELLE, infernus. V. *hölle*.

HELLEBART, bipennis. Belg. *hellebard*, Angl. *halbert*, Suec. *hillebærd*, Gall. *hallebarde*, Ital. *alabarda*. Dicitur *bart* a ſecuri, qui eſt haſta in ſecurim deſinens, punctim feriens & cæſim. Qua in re conſentiunt omnes, aut conſentire debent. Sed quid prior compoſiti pars proprie deſignet, omnes pene fugit, etiamſi vox multorum ſtudiis trita ſit. Videamus, quid de toto compoſito ſtatuant doctiores. CLUVERIO eſt *ſecuris palatina*, qua Regum nunc, Principumque ſatellites, & corporum cuſtodes arman-

armantur, ab *halle* atrium palatii. VOSSIO *ſecuris ſplendida*, coruſca, exerta, ab *hell* clarus, ſplendens, flammeus. PEISKERO *ſecuris heroica*, ab *held* heros. Sed vereor, ut omnia intempeſtive dicta ſint. Meminiſſe debemus, quod *hellen* ſit pugnare, id quod non ſine Lare demonſtravi. Ab *hellen* autem legitime fit *helle*, *hille*, pugna. Quo, ut par eſt, conceſſo, manifeſtum eſt, cur bipennis dicatur *hellebart*, quia ſcil. eſt ſecuris militaris & pugnæ apta. Ob eandem cauſam vocari ſolet *ſtreitaxt*, nempe a pugnando. Utraque nomenclatura eandem notionem exprimit, & ideo a majoribus inventa eſt, ut a ſecuri lignatorum & fabrorum, qua ligna cæduntur aut dolantur, diſtingui poſſet. SCHILTERUS vocem vitio affectam exiſtimat, ubi vitium nullum commiſſum eſt. Nam vox KILIANI *helmbard*, unde ille per corruptionem *hellebart* effingit, eſt vox nihili, ab uſu aliena, & auſim dicere bruta, cui nulla ſententia ſubjecta. Gallos & Italos a Germanis vocem accepiſſe, fatentur MENAGIUS & FERRARIUS.

HELLEN, pugnare. V. *held*.

HELLEN, ſonare. V. *hallen*.

HELLEN, inclinare, proclinare, facere ut vergat deorſum, *die tonne hellen* inclinare dolium. VEREL in Ind. *hælla* inclinare, *hælla gard nidr* inclinare ſepem ad caſum. Olim dicebant *halden*, ut demonſtravi in loco. Poſtea unius literæ amiſſione, eam, quam nunc habet, formam obtinuit. Oportet autem hanc eliſionem valde antiquam eſſe, quoniam ab illa habemus *hol* inferus, deorſum vergens, quod vide.

HELLEN, quatenus derivatur ab *hell* lucidus, duo ſignificat, clareſcere, & facere ut clareſcat. Gloſſ. Boxh. *hellemes* detegimus.

HELLER, obolus Halenſis, ab Hala Suevorum ſic dictus, cujus Civitatis etiam inſignia præ ſe fert, manum expanſam & crucem. Quamvis Goldaſto alia nominis derivatio placeat. Jam ab an. 1228. in antiquis tabulis hanc monetam obſervarunt viri docti. Horum vero ratio non ſemper & ubique eadem fuit. Olim erat nummus argenteus, hodie cupreus. Varia valoris exempla vide apud Wehner. in Obſerv. pract. voce *Gülden*, & apud Schlegel. in Num. Goth. pag. 18. Ita cel. MASCOVIUS in Diſſert. *de Jure circa rem Monetariam in Saxonia*.

HELLIG, laſſus, feſſus. Utitur Luth. Jer. II. 25. & de LUTHERO in vita ejus MATHESIUS Conc. XIII. pag. 158. *Wenn nun D. Luther ſich müde und hellig gearbeitet, war er am tiſch frölich, ließ bisweilen ein Cantorey anrichten.* FRISCHIUS retulit ad *anhelare*, præter neceſſitatem; STADENIUS ad *hellen* proclinare, ut proprie ſit pronus in terram. Nos ſupra retulimus ad *helgen* fatigare. Dicitur metonymice de ſitibundis, quia ſitis & ſiccitas ſunt comites fatigationis. Hinc *durſtig* & *hellig* in Tomis LUTHERI ſæpe conjunguntur.

HELLIG, incitatus & incitate. Vel idem eſt quod *eilig*, præpoſito halitu; Vel proprie eſt venatorum, qui poſt feras currunt, a radice Celtica *hel*, *hely* agere, venari, qua hodie utuntur Cambri apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit.

HELLIG, in compoſitis dicitur de conſenſu & diſſenſu, ducta ſimilitudine a ſono, qui poteſt eſſe conſonus vel diſſonus. Vide *hallen* ſonare.

HELM, tectum. Senſus extinctus, ſed verus & priſcus. SOMNER. in Dict. AS. *hælme* tectum, culmen. Gloſſ. Boxh. *halme* culmen. Gloſſ. R. Mauri apud Diecm. *helothelm* latibulum. VEREL. in Ind. *hialmur* tectum fœni vel ſegetum, perticis ſuſpenſum, *hialma* tuguria pro ſiccandis piſcibus. Oritur, non ab *helen* celare, ſed ab *hüllen* tegere, operire, per medium derivandi M. quod vide in PROLEG. Dicta & facta celantur, loca teguntur. Hodie ſuperat apud Helvetios. PICTORIUS in Dict. *helmhauſs, ein ſchopf oder kedekt ort, da man zuſammen kumpt ſich zeerſprachen und die leut auszerichten, præſtega*. Ab *helm* rurſus fit *helmen* tegere Dial. Islandica.

HELM, galea, tectum capitis militare, pileus ferreus vel coriaceus, ab officio tegendi ſic dictus, ut antecedens. Gloſſ. Boxh. *helm* galea. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *helm* galea, caſſis, caſſida. VEREL. in Ind. *hialmur* galea, caſſis. Gloſſ. Ælf. in nom. armorum: galea *lether helm*, caſſis *iren helm*, corona, diadema *cyne-helm*, apex, ſummitas galeæ *helmes top*, criſta *helmes camb*, conus *helmes byge*. Idem Suecis *hiælm*, Belgis *helm*. Et inde Græcis inf. ἅλμος, Latino-Barbaris *helmus*, Gallis *heaulme*, Italis *elmo*, Hiſpanis *yelmo*, fatentibus MENAGIO & FERRARIO. Pruſſis & Lithuanis *chelmo* eſt pileus, ſenſu quidem generaliori, ſed a reliquis haud alieno, nec aliunde quam a notione tegendi petito.

HELM, corona, tegmen capitis regium. Verſio Angloſaxon. Marc. XV. 17. *and hym onſetton thyrnenne helm awundenne*, & imponunt ei coronam e ſpinis plexam. Inde compoſitum *königshelm* eodem ſenſu. Gloſſ. R. Mauri apud Diecm. diadema *chuninchelm*. Verſio Angloſaxon. Joh. XIX. 5. *and ber thyrnenne cyne-helm*, & portavit coronam regiam e ſpinis. Hodie nec ſimplex nec compoſitum ab uſu admittitur, quamvis ſint optime facta. Plura coronarum nomina eodem faſtidio deleta vide in *krone*.

HELM, in nominibus propriis ſignificat *protectorem, defenſorem, aſſertorem*, ab *helmen* protegere. Inde

HELMICHIS, protector fortis, geſus vindex, non *galea fortis*, ut GROTIUS exponit in Indice. Nam hominem appellare *galeam* non decet, nec laus virtutis ex galea eſt. Plura ejusdem indolis compoſita vide in *geſus* fortis. Hujus Longobardi nomen & res geſtas literis prodidit

didit P. DIACONUS Lib. II. de Geſt. Long. Cap. 28. & 29.

ADALHELM, protector nobilis vel nobilitatis.

ANSHELM, ſociorum vindex, vel protector ſocietatis, ab *hans* ſocius & ſocietas.

FRIDEHELM, defenſor pacis & ſecuritatis, non *galea pacis* ut vulgo & inepte.

WILHELM, protector quietis, defenſor tranquillitatis. Rationem interpretationis vide in *weil* quies.

HELMEN, quatenus derivatur ab *helm* tectum, galea, ſignificat quantum poteſt, (1.) tegere, (2.) protegere. (3.) galea munire. VEREL. in Ind. *hilma* obtegere, abſcondere, *hilming* occultatio, *hialmat* galeatus.

HELTER, vivarium. V. *halter*.

HELVE, manubrium, a λαβὴ anſa, capulus, verbi λαμβάνω accipio. Ita vocem idiomatis ſui ſcribit & interpretatur HELVIGIUS. Cum illa conſentit Angloſaxon. *helf*, *hielfa*, & Angl. *helve*, eodem ſignificatu.

HEMD, induſium, interula linea. Proprie notat *tegmen*, & dicitur per ſynecdochen generis de quovis indumento, ut demonſtravi in *heimen* tegere. Inde Græcis ἱμάτιον pallium, Francis *hemida* veſtis, tunica. NOTKERUS Pſal. XXI. 19. *umbe mina hemide uuurfen ſie loz*, ſuper tunicam (veſtem) meam miſerunt ſortem. Locum obſervavit SCHILTER. in Gloſſario. Hoc imitantur Latino-Barbari in voce *camiſia*. Quam SCALIGER ad Feſtum deduxit a *cama* lectus, ut proprie ſit veſtis lectualis & nocturna. Hunc reliqui ut grues ducem ſequuntur. Verum qui aures habent literarum mutationibus aſſuetas, *camiſiam* ex *hemida* factum eſſe, dubitare non poſſunt. Quid enim magis obvium, quam H. in C. & D. in S. converti? Latino-Barbaros poſtea imitati ſunt Galli, Itali, Hiſpani, in vocibus *chemiſe*, *camice*, *camiſa*. Quidam Helleniſtæ nobis oſtendunt ἔνδυμα indumentum, & ex illo vocem Germanicam faciunt per metathesin, majori erga Græcas literas affectu, quam linguæ patriæ notitia.

HEMMEN, impedire. KERO in Expoſ. Orat. Dom. *ni leiit Got eomannan in ubilo, tho hemaz*, non ducit Deus quenquam in malum, ſed impedit illud. Lege *ioh hemaz*. Quod eſt contractum ex *ioh hemat iz*. Nam *tho* hoc loco eſt vox nihili; & *joh* in Gloſſario ejusdem Keronis exponitur *ſed*. STADENIUS hoc verbum confundit cum *heimen* tegere, & ſenſum a tegendo ad claudendum, & a claudendo ad inhibendum profert. Quem ſequitur DIECMANNUS in Spec. Gloſſ. Qua in re non poſſum aſſentiri Viris alias de lingua patria quam optime meritis. Nam *hemmen* eſt verbum riſſime occurrens, nec alio fere apud nos ſignificatu quam *impediendi*, minime vero *claudendi*. Quemadmodum autem Latinis *impedire* a *pedibus* ſic dicitur; ita noſtris *hemmen* ab *hamm* pede vel manu truncatus, quia impediti mancis ſimiles ſunt. STADENIUS quidem inverſo naſcendi ordine *hamm* deducit ab *hemmen*. Sed invito ſignificatu. Nam *hamm* proprie non eſt impeditus, ſed inciſione & mutilatione impeditus, ab *hammen* incidere, præcidere.

HENDEL, rixæ. Proprie eſt manus immiſſio, ab *handeln* manum immittere. Et hoc ſenſu etiamnum uſurpatur, quando dicimus *die ſtudenten haben hendel*. Laxior ſignificatio eſt a metonymia conſequentis præantecedente, quia inter contentioſos res ante verbis agitur quam pugnis.

HENDEN, capere. Dicitur de ſumtione violenta & non violenta. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hentan* capere, rapere, captare, *hentan æfter his agenan* jus ſuum quærere. LOCCEN. in Lex. Jur. Sueo-Goth. *handa*, *hæntia* prehendere manibus. VEREL in Ind. *hending* præhenſio. In Lege Salica occurrit inter voces Malbergicas *antiſbo* furtum, ablatio, ſurreptio, interprete ECCARDO in notis pag. 24. Omnibus conſentit Gr. χανδάνω & Lat. *hendo*, *prehendo*. Ab hoc primitivo denominationem accipit, quicquid *capit* & *capitur*. Ad priorem claſſem ſpectant, *hand* manus, *hans* ſocius, quia partem utilitatis una capit. Ad poſteriorem, *hund* præda, & *hund* captivus. Vide ſingula ſuis locis.

HENDEN, tradere. Id eſt, facere ut capiat. Ergo verbum faceſſens ex præcedenti. Hodie utimur frequentativo *hendigen*, cujus compoſito *einhendigen* tradere in manus.

HENETI, gens Sarmatica, a latrociniis, ut videtur, ſic dicta. Nam *henden* Angloſaxonibus nonſolum eſt *capere*, ſed etiam *rapere*, CHAUCERO eodem ſenſu *henten*, & inde *henters* raptores.

HENGEL, *henkel*, anſa, fibula, & omnis uncus ex quo aliquid ſuſpendi poteſt, & hinc appellatio ab *hengen*, *henken*, ſuſpendere.

HENGEN, pendere. V. *hangen*.

HENGEN, conſentire, permittere &c V. *hangen*.

HENGEN, *henken*, ſuſpendere, facere ut pendeat. NOTKERUS Pſal. CXXXVI. 2. *uffen die felenua hangton uuir unſere organa*, in ſalicibus ſuſpendimus organa noſtra. Verbum faceſſens ab *hangen* pendere, vel potius eodem partu cum illo editum ab ἔγχος *uncus*, ſic ut primo fuerit *ſuſpendere ab unco*, mox *ſuſpendere quocunque modo*. Gothi quidem dicunt *haban*, absque litera N. in medio vocis, tanquam eſſet a puncto ſublimi petitum, quod in omnibus Dialectis dicitur *hoch*. Hinc JUNIUS & STIERNHIELMIUS concludunt, quod *haban* proprie ſit extollere, exaltare, & quod *hengen* ex illo factum ſit per epenthesin. Ego malim vocem Gothicam derivare ab *hake* uncus, quia in ſuſpenſione plus notionis eſt quam in ſimplici elevatione.

HENGEN, *henken*, crucifigere, ſuſpendere de cruce vel patibulo. SOMNER. in Dict. Anglo-

Angloſaxon. *ahengan* infurcare, ſuſpendere, crucifigere, *ahangen* ſuſpenſus, crucifixus. TATIANUS Cap. CC. 4. *inti leittun inan, thaz ſien hiengin*, & duxerunt eum, ut crucifigerent. Quamvis ſenſus a ſuſpenſione qualicunque ad ſuſpendium e patibulo transferri potuerit, nolim tamen id cuiquam pro certo obtrudere. Nam & Arabibus *chanaka* ſignificat ſtrangulavit, & Græcis ἀγχω conſtringere fauces, & Turcis *bac* crux, patibulum. Gothi rurſus dicunt *haban* de ſuſpendio Judæ Matth. XXVII. 5. quod ſæpe imitantur tam Saxones quam Franci. Verſio Angloſaxon. Joh. XIX. 15. *nim hyne and hoh*, accipe illum & crucifige. TATIANUS Cap. CXCVII. 4. *nim theſan, hah, hah*, tolle hunc, crucifige, crucifige. Et mox: *intfahet in, inti hahet inan*, accipite eum, & crucifigite. Reſtat, ut de ſupplicio ipſo aliquid addam, quod certe haud novum eſt in Germania. TACITUS Cap. XII. de M.G. *Proditores & tranſfugas arboribus ſuſpendunt.* Non vivis tantum, ſed etiam dolatis. Conſtat enim aliunde, Germanos jam Auguſti ævo cruces & patibula habere cœpiſſe. Locum DIONIS vide ſupra in *galgen*. Defertores exercitus etiamnum more antiquo ſuſpendio puniuntur.

HENKER, carnifex. Id eſt, ſuſpenſor, qui patibularium laqueo ſuſpendit, & eodem laqueo gulam ejus frangit. Reſtat Hiſpanis *hincar* & *hincador*, a Suevis vel aliis populis Germanicis relictum. Quamvis etiam a Mauris relinqui potuerit, & poſtea per epentheſin mutari. Nam Turcica lingua *hac* eſt crux. Angloſax. carnificem vocant *cwellere* Marc. VI. 27. a *cwellan* occidere.

HENGST, equus. Dani, Sueci, & Islandi equum vocant *heſt*, rectius & antiquius. Nam proprie eſt *celer*, ab *haſten* celerare. Quod nomen apprime quadrat in animal natura ſua velociſſimum. Quemadmodum autem voces ſæpius proferendæ facile recipiunt diminutionem, ſi longæ, aut accretionem, ſi breves ſint; ita *heſt*, poſtquam mare Balticum tranſiit, paulatim mutari cœpit in *henſt*, & alia epentheſi (nam G. in multis vocibus attrahitur ab N.) in *hengſt*. Idque omnibus & veteſtiſſimis Germaniæ Dialectis placuiſſe, mox patebit. Dicitur (1.) de equo maſculo in genere, terreſtri & marino. Inde Angloſaxonibus *ſæ-hengeſt* hippopotamus. (2.) de equo caſtrato. Lex Salica Tit. XLI. 2. *Si quis caballum ſpathum furaverit.* MALB. CHENGISTO. Vox Salica mire torſit ECCARDUM, adeo ut verba Legis in dubium vocaret. Qua in re nihil illi obfuit, niſi vocis antiquæ ex lingua vulgari æſtimatio. Atqui *chengiſt* nonſolum Francis, ſed etiam Saxonibus ſpadonem ſignificat. SOMNER. in Dict. AS. *hengeſt* cantherius, caballus. Gloſſ. Ælf. in nom. ferarum: canterius *hengſt*. (3.) de equo admiſſario. Hoc ſenſu Belgæ nobiſcum dicunt *hengſt*. Sunt, qui primis Saxonum in Britannia Ducibus, *Hengiſto* & *Horſo*, nomen ab equis creant. Dignum agaſone etymon, non viris doctis, multo minus tantis ducibus. De voce Scandica *heſt*, vide plura in *hoſtis* exercitus.

HENKEL. V. *hengel.*

HENKEN. V. *hengen.*

HENKER. V. poſt *hengen.*

HENNE, gallina, & omnis avis fœmina. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hæn* gallina, *wilde hæn* phaſiana, *hen-fugel* volucris fœmina. BUSBEQ. in Voc. Tart. Præcop. *ano* gallina. Noli ſignificatum ſpecialem & generem confundere. Ille eſt ab *han* gallus: hic ab *han* maſculus. Cum poſteriori ſignificatu convenit, quod fœmina avis alio pronomine vocatur *ſie.*

HENNEGAU, Hannonia. Proprie eſt *pagus Solis*, non ab *Hunnis*, nec a fluv. *Hayne*, ſed ab ipſo Sole, qui Cambro-Britannis vocatur *huan*, appellationis dignitatem conſecutus. Quod vel hinc veriſimile redditur, quia memoriæ proditum legimus, priſcos Hannoniæ Dominos jactare ſolitos, ſe terramque ſuam *in ſolius Dei & Solis* poteſtate eſſe. Cujus dicti ſponſores habeo Huldericum ab EYBEN in Tractatu *de feudo ſolari* & celeberrimum D. MASCOVIUM in Diſſert. Academ. *de nexu Regni Lotharingiæ cum Imp. Rom.* Nos ejusmodi Pagos (quales præter Hannoniam & Comitatum Oldenburgenſem plures commemorantur apud Eybenium) vocare ſolemus *Sonnenlehn*, ob rationes ibi explicatas.

HENRICH, *Henricus.* Nomen multis Imperatoribus & Regibus nobilitatum, & ab initio (quod ex magnifica ejus ſignificatione colligitur) Principum filiis proprium, poſtea vulgari cœptum. Celtica Lingua ſignificare poteſt *majoribus potentem.* BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *hen* vetus, vetuſtus, antiquus, *hyn* majores, progenitores. Dubium autem non eſt, quin magnis parentibus orti ab antiquitate ſtirpis ſuæ appellari poſſint majoribus potentes. Hoc enim de Turno dixit VIRGILIUS Æn. VII. 56. *Turnus avis atavisque potens.* Videamus, quid Germanis ſignificare poſſit? VEREL. in Ind. *kynriker* ex magnifica, ſplendida, & ampla familia natus. Hoc potuit mutari in *Hynrik, Chunrik.* Nam hanc mutationem ſæpe obit litera K. & alias *kyn* & *kun* in omnibus veterum Dialectis *genus* & *cognationem* ſignificat, ut ſuo loco oſtendi. Præterea ſignificare poteſt *virtute pollentem*, quia *kün* in multis nominibus propriis ſubſtantive ponitur pro virtute & fortitudine. Et totidem interpretationes ſuſcipit quoque nomen Vandalicum HUNORICUS, quod certe ejusdem indolis eſt, vel potius idem. Nam quod in illis diſcretum videtur, tantillum eſt, ut non attendi mereatur. Qui vetera verba ex hodiernis æſtimant, *Henricum* & ſimilia nomina ita exponunt: *Henricus* dives gallinis, *Genſericus* dives anſeribus, *Fridericus* dives equis &c. Sed his carduis paſcuntur aſini, non antiquitatis periti.

HER, huc. Adverb. loci & motus ad locum, *hin und her* huc & illud, *hieher, heran, herbei* ad locum, *herauf* ſurſum, *herab, herunder, hernider* deorſum, *woher* unde, ex quo loco, *herwarts* verſus locum, *herkommen* venire huc, & ſubſtantive mos, qui ab antiquis ad nos uſque pervenit. Gothice dicitur *her*, Luc. XIX. 27. & *hidre* Luc. XIV. 21. Angloſaxonice *hyder* ibidem, & alibi *hider*, Francice *hera*. Utrum antiquius ſit, neſcio. Gloſſ. Pez. in profundum inferni *heranider in erda*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. III. 85.

Er iſt giuueltig filu fram,
Jo herà in uuorolt zi uns quam,
Uuuntarlichen thingon
Hera untar mennisgon.

Vertit SCHILTERUS:

Ille eſt potens multum valde,
Atque huc in mundum ad nos venit,
Mirabili modo,
Huc inter homines.

Differt ab *hier* hic, quod motum excludit. Hodie ſenſus a loco ad tempus transfertur. Inde *vorher* antea, ante, præ.

HER, altus, celſus, eminens. Lex. Run. *her* altus. VEREL. in Ind. *har* altus, procerus, *jaſn har* æque celſus, *hærra* altius, *hæſtur* altiſſimus, pro *harſtur*. Gloſſ. Keron. altiori *herorin*. Omnia, niſi Græca faſtidiamus, poſſint eſſe ab ἄειρω levo, attollo. Ab hoc interim adjectivo deſcendit magnus derivatorum numerus, quorum præcipua ſunt, *haren* alte vociferare, quod Francicum, *herian* laudare, quod Angloſaxonicum, quia laudantes ſolent extollere eos, quos laudibus proſequuntur, *æbra* culmen, faſtigium, quod Suecicum, *horn* cornu, quod omnibus Dialectis commune, & ante ſummitatem quam cornu denotavit. Et huc etiam ſpectant quædam compoſita. Hinc *herodius* NOTKERO dicitur *herfogel* Pſal. CIII. 17. quia omnium volatilium maximum, & aquilam ipſam vincit & devorat. Olim etiam HERULORUM nomen inde deduxi, quod *inter omnes Scanziæ Nationes nomen ſibi ob nimiam proceritatem affectent præcipuum*, ut JORNANDES de illis ſcribit Cap. 3. de rebus Geticis, quamvis alterius etymologiæ auctor Cap. 23. Nunc autem nonſolum *Herulos*, ſed etiam *Herodium*, qui Græcis ἐρωδιὸς, inde deduco, quia *ede* Celticis populis avem ſignificat. Iisdem *hir* eſt longus, prolixus, & *hrian* longurio, manifeſta cum reliquis cognatione.

HER, terribilis. Conſentit Lat. *horreo*. Utitur Luth. Pſal. CXI. 9. *heilig und hehr iſt ſein name*, ſanctum & terribile eſt nomen ejus. Idem Tom. VII. Jen. Germ. fol. 207. *das wort* TERRIBILE *heiſſe ich auf Teutſch* HEHR. Qui alium voci ſenſum affingunt, non ſunt audiendi. Extat enim *herſam* eodem ſenſu in Gloſſario Schilteriano pag. 452. Hodie & ſimplex & compoſitum obſoleſcit. Confer *Erich* mars.

HER, adjective *prior*, ſubſtantive dominus, ſed ante prior quam dominus. Ab *er* ante, prius, quod cum ſit adverb. temporis & ordinis, neceſſario hunc ſenſum generat. De *Domino* jam vidimus infra in *herr*. De priori nunc agendum. Prior Angloſaxonibus dicitur *ærra, erra*, Francis & Alam. *erro, heroro*. Gloſſ. Keron. prior *heroro*, priori *heririn*. Vi originis ſignificat quantum poteſt nonſolum priorem *tempore*, ſed etiam priorem *ordine, dignitate, poteſtate, virtute*. Ad prioritatem *temporis* ſpectat, quod Gothis *airizai* vocantur majores, antiqui, Matth. V. 21. Angloſaxonibus *ærra tid* tempora priora, *ærra geola* menſis qui natalem Domini præcedit, Lat. November, *ærra dæge* pridie, apud SOMNER. in Dictionario. KERONI in Gloſſis *heriro* & *heriſto* ſeniores. Ad prioritatem *ordinis*, quod primus in omnibus Dialectis dicitur *erſt*. Ad prioritatem *dignitatis*, quod Abbas Monaſterii in Reg. S. Bened. ab interprete KERONE ubique appellatur *heroro*, & princeps ſacerdotum *ther heroſto thero heithoſtono*, apud TATIANUM Cap. CLIII. 3. Ad prioritatem *poteſtatis*, quod Reges, Principes, & magnates, Francis vocantur *herun* & *herrun*, & concilium procerum *heroti*, & principatus *hertuom*, & dominari *heriſon*. Teſtimonia veterum vide apud SCHILTERUM in Gloſſ. pag. 451. & infra in *herr*. Ad prioritatem *virtutis*, quod præſtantiſſima unguenta vocantur *hereſte ſalbon*, apud WILLERAM. Cap. IV. 4.

HER, ſanctus, ſacer. MATHESIUS in Sarepta: *den Martins-tag heilig und hehr halten*. MARTINIUS in voce *feriæ*: Et nobis alicubi *heere zeit* eſt tempus ſacrum, ſolemne. SCHILTERUS in Gloſſ. Teut. pag. 451. *herizi* feſtivitas, in veteri Pſalmorum verſione. Cuncta ab ἱερὸς ſanctus, ſacer. Latini ex eodem fonte habent *cerus* ſanctus, & inde *cerimonia* ritus ſacer. Nos ab *her*, quod pene extinctum, componimus *herlich* ſolemnis, *herlich halten* concelebrare, *herlichkeit* celebritas.

HER, præmium victoriæ, brabeum. Gloſſ. Keron. coronam *era*. S. BENEDICTUS in Reg. Cap. 7. *Dicit Scriptura: voluptas habet pœnam, & neceſſitas parit coronam*. Quæ verba ita interpretatur KERO: *Qhuidit ſcrift: uuillo hebit uuizzi, indi notduroft krauuit era*. Gloſſ. Pez. palma *era*. Gloſſ. Lipſ. *geberides* coronaſti. Ergo *heren* priſcis erat coronare, ab *her* corona. Suecis *æbra* etiamnum eſt adorea. Opinor a Lat. *hiera*, quæ erat corona Diis ſacrata. SENECA Epiſt. 83. *Quod raro curſoribus evenit, hieram fecimus*. Ubi LIPSIUS obſervat, moris fuiſſe in certaminibus, ut, ſi victoria eſſet ambigua, corona neutri ex paribus, ſed Diis offerretur.

HER, gloria, claritas, *herlich* clarus, inſignis, illuſtris, *herliche thaten* glorioſa & illuſtria facta, *herlich machen* glorificare, *herlichkeit* gloria. Non ab *herr* dominus, ut vitiatæ Seri-

Scripturæ auctores videntur ſtatuere, nec ab *ere* honos; ſed ab Angloſaxonico *herian* laudare, laudibus extollere. Quid enim eſt gloria, niſi claritas ex laude? Vox Angloſaxonica extat in Evangelio Gentis Luc. II. 20. *heriende God on eallum thaem the hi gebyrdon and geſawon*, laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant. Et rurſus Luc. XVI. 8. *tha herede ſe hlaford thære unrihtwiſneſſe tun-gerefan*, tunc laudavit Dominus villicum iniquitatis. Unde ſit hoc verbi, jam vidimus in *her* altus. Suecis *æbra* etiamnum decus & gloriam notat. Germanis *her* pro gloria obſoleſcit: viguit tamen adhuc paulo ſupra hanc memoriam. MATHESIUS in Sarepta: *die künſtige welt wird nicht öde ſeyn, ſondern ihr hehr und ſchmuck haben*, mundus futurus non erit defertus, ſed ſuam habebit gloriam & decus. Differt autem *her* ab *ere* honos, ſicut effectus a cauſa. Nam honor eſt cultus, gloria vero decus ex aliorum cultu.

HER, agmen, multitudo conjuncta, tam hominum quam animalium. Gloſſ. Pez. agmine *heri*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. VI. 69. *ſo thaz heri tho giſaz*, cum turba conſediſſet. Proprie eſt cœtus eorum qui una aguntur, a verbo Scandico *yra, hyra* agere, agitare. Ita Latinis *agmen* ab *ago*. Ejusmodi multitudo ob ſimilem cauſam vocatur etiam *herde*, ut in loco oſtendi. De verbo Scandico vide plura in *hören* agitare. Hodie utimur hoc derivato in compoſitis, cujusmodi ſunt, *hering* halec, piſcis gregarius, *herberge* diverſorium, locus ubi multitudo recipitur, de quibus actum ſeorſim.

HER, legio, exercitus, multitudo ſub uno duce militantium, major vel minor, alias *kriegs-heer*. Gothis *harjis* eſt legio Luc. VIII. 30. Angloſaxonibus *here* exercitus, ſive juſte bellantium, ſive prædatorum. Francis *heri* exercitus. TATIANUS Cap. VI. 3. *menigi himiliſches heres* multitudo militiæ cœleſtis. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XII. 117.

Ni ſtuant thiu maht thes uuiges
In menigi thes heries.
Non ſtetit vis belli
In multitudine exercitus.

Idem Belgis *heir*, Suecis *her*, Island. *her*. Græciſſantes ducunt ab ἀείρω capere, ſubigere, expugnare, vel ab ἔιργω arcere, quod exercitus eum in finem conſcribatur, ut vel ſubigant hoſtes, vel a finibus patriæ arceant. Contra STIERNHIELMIUS *fruſtra originem quæri in alia lingua* exiſtimat, in Gloſſ. Goth. pag. 86. Nec tamen addit præterea quicquam, ſed vocem tanquam primitivam in obſcuritate relinquit, quia recordari non poterat iſtius verbi *hyra* agere, agitare, quod ipſe alibi produxit, aliud agens, quodque revera eſt parens vocis, quem quærimus. Quid enim eſt exercitus, niſi multitudo militantium, qui una aguntur a Duce? *Agmen agit magnum*, ait VIRGILIUS de ſuo duce. Ceterum vox Germanica *her*, & Latina *exercitus*, non ſemper notant juſtum exercitum apud Scriptores medii ævi, ſed numerum ſæpe exiguum. In Legibus INÆ R. Angloſaxon. ſeptem homines vocantur *fures*, ſed triginta quinque *here* exercitus. Bojoariis agmen XLII. ſcutatorum cenſebatur exercitus, ut patebit infra ex voce *heritreita*, quam vide in *reite* invaſio. Apud Longobardos quatuor homines efficiebant exercitum. Sic enim ſonant verba Legis Long. Lib. I. Tit. XVII. Cap. 1. *Si quis pro injuria ſua vindicanda, ſuper quemcunque hominem manu armata, aut cum exercitu uſque ad IV. homines, in vicum intraverit* &c. Hinc in juſto exercitu ſingulæ cohortes erant exercitus, & quot Duces tot exercitus. Cuncta ex obſervatione SPELMANNI in voce *Exercitus*. Compoſita vide ſuis locis.

HERB, ſapore immitis. Vox nova a Lat. *acerbus* facta. C. ſæpe tranſit in H. Allegorice dicitur de rebus ingratis, moleſtis, & animum exacerbantibus.

HERBANN, Latino-Barbaris *heribannus* & *aribannus*, apud Antiquos tria ſignificat, (1.) *indictionem militiæ*, convocationem & evocationem exercitus, iis præſertim temporibus, cum Germania adhuc tota eſſet militaris, & omnes, etiam non-conſcripti, tenerentur in hoſtem pergere, quam primum edicto innotuiſſet, hoſtem adeſſe. (2.) *multam* LX. ſolidorum in non-comparentes ob neglectum indictionis. (3.) *tributum bellicum* alendis copiis imperatum, a quo ne Presbyteri quidem erant immunes. Teſtimonia veterum vide apud Gloſſographos. Cauſa tam prolixæ ſignificationis eſt in voce *bann*, quæ natura ſua omnem ſummæ poteſtatis cogendi actum, cujusmodi haud dubie eſt *convocatio, punitio, exactio*, ſignificat.

HERBERG, caſtra, ſtatio munita militantium. Ab *her* exercitus, & *bergen* defendere, munire. Gloſſ. Lipſ. *hereberga* caſtra, *heribergo* caſtrorum. Similiter & Angloſaxonibus *here-berga* eſt ſtatio apud Lexicographos. Statio autem ſæpe de ſede exercitus dicitur. Inde Latino-Barbaris *hereberga*, & *heribergum* eodem ſenſu. Hodie obſoleſcit.

HERBERG, tentorium, tabernaculum. Senſus WILLERAMO familiaris, cui tabernacula Cedar vocantur *die hereberga Cedar*, in Cantico Canticorum Cap. I. 5. Id eſt, tecta caſtrenſia, a *bergen* tegere.

HERBERG, tugurium paſtorum. WILLERAMUS Cap. I. 8. *uueidene dine zikkin bi den heribergon thero hirto*, paſce capras tuas juxta tuguria paſtorum. Id eſt, juxta tecta paſtorum. Rurſus a *bergen* tegere.

HERBERG, diverſorium, & quodvis tectum ſartum, quod multitudinem hoſpitio excipit, & ab Jove frigido defendit, ab *her* agmen, & *bergen* recipere. Gloſſ. Pez. in diverſorio *in dero heripergo*. Senſus ab uſu hodier-

hodierno unice agnitus, dum reliqui obſoleſcunt.

HERBERGEN, divertere, manere in diverſorio. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *here-byrigan* manere, hoſpitari, ſtabulari. Hoc quoque imitati ſunt Latino-Barbari in *heribergare*.

HERBERGEN, hoſpitio excipere, *wel beherbergen* laute excipere, *herbergier* taberniarius, qui hoſpitio excipit. Angli quoque utroque ſenſu, tum activo quam paſſivo dicunt *to harbour*.

HERBERGER, veneficus, Dial. Helvetica. Vox antiqua. Lex Sal. Tit. LXVII. *de herburgium*, h.e. venefico, art. 1. *Si quis alterum cherwioburgium, huc eſt ſtrioportium clamaverit*. In eadem Lege *herbas dare* eſt potione venenata vitam vel mentem auferre Tit. XXII. de maleficis art. 1. Hinc ECCARDUS celebris Legum Salicarum interpres colligit, vocem Salicam, unde Helvetica, factam eſſe a Lat. *herbarius* mutato l. in G.

HERBRAND, vaſtatio, depopulatio a milite facta, proprie belli incendium. Rhythmus de S. Annone §. 25.

Her vur unz in Egypti lant,
So michil ward der herebrant.

Perrexit (Cæſar) uſque in Ægyptum, Tantum erat belli incendium.

HERBST, autumnus. Francis *herbiſt*, Belgis *herſt*, Danis *hoſt*, Suecis *höſt*. Cuncta magis vel minus corrupta ex antiquiori & genuino *harveſt*, *hærveſt*, quod Angloſaxonibus primo meſſem, & poſtea cognitis autumni bonis, etiam autumnum ſignificavit. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hærveſt* meſſis, *hærveſt-monath* September. BENSONIUS in Voc. Angloſaxon. *hærveſt* meſſis, *herfeſte* meſſis, autumnus, *harveſt-monath* September, *the herfæſtlanlic emniht* æquinoctium autumnale. Anglis *harveſt* etiamnum meſſem & frumentationem notat, *little harveſt* meſſiculam, *hay-harveſt* fœniſecium, *harveſt-man* meſſorem, *harveſt-feaſt* ferias ob collectas fruges, *to harveſt* fruges colligere: quod cum autumno fiat, hinc fruges autumnales iisdem vocantur *harveſt-fruits*, & tempus autumnale ſive autumnus *herveſt-time*. Quidam derivant a Græc. ὀπωρὴ autumnus. Sed hi nodum in voce difficili ſecant, non ſolvunt. Alii *Herthæ feſtum* vocabulo ſubeſſe opinantur, ignari interim, *feſt* pro feſto dictionem ab idiomate Angloſaxonico prorſus alienam eſſe. *Ar* certe eſt annona ſive annuus terræ proventus, ut demonſtravi in loco. Hinc ſuſpicor *feſt* derivari a *fon* capere, quod Angloſaxonicum, teſte BENSONIO, & nihil aliud denotare, quam actum capiendi. Meſſis autem quid eſt, niſi captura annonæ? Simile compoſitum eſt, quando vindemia Angloſaxonibus vocatur *win-geard-næm*, a *nemen* capere. Ubi adhuc obſervandum, quod ST. in omnibus Dialectis ſit medium formandi ſubſtantiva a verbis. Poſtea ſenſus a meſſe ad auctumnum translatus eſt. Sed hanc translationem ſerius factam a TACITO diſcimus, qui diſerte de Germanis Cap. 26. *Autumni perinde nomen ac bona ignorant*. Ab *herbſt* autumnus fit *herbſten* vindemiare, *herbſtling* fœtus autumnalis, *herbſt-obs* poma ſerotina.

HERBST-MONAT, September. Angloſaxonibus ut ſupra. Francis & Alamannis *heriuiſt-manoth* eſt November, apud GOLDASTUM in Tabula Menſium Thodiſca Tom. II. Rer. Alam. pag. 65. Sed in Nominibus Menſium Carolinis omnia ſunt turbata, quod vel ex hac appellatione, quæ huic Menſi minime convenit, colligitur.

HERD, focus, locus ubi ignis foveatur. Gothis *haurja* Joh. XVIII. 18. Angloſax. *heorth*, Angl. *hearth*, Belg. *heert*. MARTINIO idem eſt quod *erde* terra, ſed cum herbis & radicibus evulſa; quia ceſpes antiquis erat pro foco. Alii ducunt a Lat. *ardere*. Forte eſt contractum e χήφατον focus.

HERD, domus, familia, *eigen herd* domus propria. Angloſaxonibus *heorth*, *hiord*, *hired*, & inde *hiredes-fæder* paterfamilias, *heorth-pening* denarius in domos ſingulas impoſitus, apud SOMNER. in Dict. Vel idem eſt quod *gard* & *hurd* domus, vel nomen a foco accepit per ſynecdochen partis pro toto, vel originem refert ad *erden* habitare. Nam quid proprie ſit, in iſta fontium, qui ſe conſiderantibus offerunt, multitudine, dictu difficile.

HERD, area. Angloſax. *geard*, Suec. *gard* Angl. *yard*. Vox Saxonica ita concepta eſt, acſi locum ſeptum denotaret, a *gürten* ſepire. Utimur eo ſenſu in comp. *finkenherd* area aucupatoria, quæ certe eſt locus ſeptus.

HERDE, grex, Gothis *hairda* Matth. VIII. 30. Angloſaxon. *heord*, ibid. & alibi *heorod*, Anglis *heard*, VEREL. in Indice *hiord*. JUNIUS videtur referre ad *hirten* ſervare, cuſtodire. Malim ad *hurten* pellere, impellere. Ita *trift* a *treiben* & *agmen* ab *ago*. Quamvis etiam ab *hören* agere, agitare, per medium derivandi *de* formari poſſit. Tanta eſt natalium in quibusdam vocibus ambiguitas, ut in iſta fontium optimorum copia, ſæpe neſcias, quem potiſſimum amplectaris.

HERDE, cœtus, exercitus. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *heord* grex, cœtus, exercitus. VERELIUS in Ind. *herdibrogd* ſtratagemata militaria. Formula vetus in Monumentis Runicis: *herde Guden trug*, cœtui Deorum fidelis. Quod eſt elogium eorum, qui in priſca ſeu pagana religione obierunt, apud WORMIUM in Mon. Dan. pag. 180. & paſſim. Cuncta obſoleta, ſed ex eodem ſemine nata, nempe ab *hören* agere, agitare, vel *hurten* pellere, impellere. Nam cœtus & exercitus ſunt multitudines impulſæ, quæ una aguntur, vel a ſe ipſis, vel a ductore. Hinc copias militares & quamvis turbam vulgo vocamus *tropp* & *truppen*, omnino a *treiben*

treiben agere, pellere, impellere. Confer *hurd* & *her*, quatenus ſunt ſynonyma.

HEREN, vaſtare, populari, prædari. Gloſſ. Boxh. *herron* populor, prædor. Gloſſ. Pez. diripientium *heriuntero*, in direptionem *in heriunga*. VERELIUS in Ind. *heria* vaſtare, populari, prædas agere. Duci ſolet ab *her* exercitus, ut *popularia* populus, tanquam ſit perdere manu militari & immiſſo populo. Ita MARTINIUS. Nec incongrue. Nam exercitus ſolet omnia delere. Græcis tamen χῆρος eſt viduus, deſertus, & χηρεῦν vaſtare, deſolare. Quæ certe noſtris ſimilia ſunt. Quid Celtis ſignificet *her* vel *herw*, BOXHORN. in Lexico Ant. Brit. non indicavit. Dedit tamen quædam compoſita, quæ huc ſpectare videntur, *herwlong* navis piratica, *herwr* exlex, profugus, *herwr mor* pirata. Hodie non amplius dicimus *heren*, ſed compoſite *verheren*. Angli vero cuſtodiunt ſimplex in *harry* vaſtare, quod SKINNERUS perperam derivat a Gallico *harier* vexare, laceſſere.

HER-FART, expeditio militaris, profectio ad bellum. Gloſſ. Pez. expeditionem *herivart*, profectionem *herivart*. Rhythmus de S. Annone §. 8.

Ninus hiz der eriſti man,
Der ie volcwigis higan,
Her ſaminodi ſchilt unti ſper,
Des lobes was her vili ger.
Halspergin unti bruniun
Dü gart er ſic cüh ſturm,
Die helmi ſtalin heirti,
Du ſtift er heriverti.

Refer ad *fart* expeditio, profectio, & *her* exercitus.

HER-FLUCHTIG, *her-flüchtig*, deſertor exercitus, vel domini in prælio. Prior ſenſus fit ab *her* exercitus, alter ab *aer* prælium, quod Cambro-Britannicum. Occurrit in Jure prov. Alam. Cap. 40.

HERGEN, vaſtare. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *herge*, *hearge*, *herghe*, *herige* exercitus vel cœtus prædatorum, *hergian* vaſtare, ſpoliare, diripere, *hergeath* direptio, *hergeath faran* ire prædatum. Vel eſt frequentativum ab *heren* ejusdem ſignificatus, vel idem quod Græcis ὀρκέω deſtruo, unde. πολιορκητὴς urbium everſor. Hodie utuntur compoſito *verhergen* in quibusdam Dialectis.

HER-GERÆTE, ſupellex caſtrenſis, quæ ex hæreditate paterna primogenito cedit, cujusmodi ſunt, equus, galea, lorica, gladius, & ſimilia. A *geræte* apparatus. Dicitur & *her-wede*. Sed utrumque ex recentiori fabrica. Vetera vocabula tam Francica quam Angloſaxonica vide in *Heriotum*.

HER-HORN, tuba, cornu quo claſſicum canitur. Extat in Rhythmo de S. Annone §. 27. Vide plura in *horn* tuba.

HERING, gregarius, unius ex grege. Ab *her* quatenus agmen vel multitudinem conjunctam denotat. Inde compoſitum *pickel-hering* ludio, morio, unus e grege Comicorum, de quo infra.

HERING, halecula. Angloſaxon. *hæring*, Belg. *haring*, Gall. *harang*, Ital. *aringa*, Lat. Barb. *haringus*, Gloſſ. Ælf. in nom. piſcium: allec vel ſardina *hæring*. Omnino ab *her* agmen. Eſt enim piſcis gregarius, nunquam ſolus natans, ſed ſemper cum exercitu. Inde Belgis *pekel-haring* halec ſalita, a *pekel* muria.

HERINGS-NASEN, convicium in Turingos torqueri ſolitum, de quo aliquid dixi in *naſe* ludibrium.

HERIOTUM, præſtatio apparatus militaris. Ita SPELMANNUS in voce. Cum quo ſignificatu conveniunt quædam Angloſaxonica apud BENSON. ut ſunt, *here-geat* armamenta, *here-geatwa* apparatus bellicus cultior ſolito. Priorem vocem habet quoque SOMNER. nec eam ſine nota transmiſit. Putat enim ductam eſſe ab *her* exercitus, & *geot* fundo, effundo, quaſi fuerit quid in exercitum erogatum. CLODOVÆUM illud jus Alamannis impoſuiſſe, verſimiliter demonſtrat SPELMANNUS. Erat autem duplex, jus exigendi arma a ſubditis, & meliora jumenta aut veſtimenta ex hæreditate defuncti. Hinc ſuſpicor, vocem origine Francicam eſſe. Nam ſi Francicam linguam conſulamus, *heriot* manifeſto componitur ex *her* exercitus, & *ot* res, ſubſtantia, & vi compoſiti denotat rem militarem, equum, ephippia, galeas, gladios, haſtas, loricas, & ſimilia Dominis præſtanda. Quo pacto conveniet cum Saxonico *here-geat*, quod certe nihil aliud eſt quam *her-gut* ſubſtantia caſtrenſis. Vide plura in *herwede*.

HERKUL, Hercules, unus ex poſteris Titanum. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *ercol* hercules, *ercoles ſyla* herculis columnæ. Herculem in Germania fuiſſe, vetuſtiſſima fama eſt. TACITUS Cap. III. de M. G. *Fuiſſe apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt.* Eundem apud Germanos nonſolum cantu, ſed etiam ſacrificiis cultum fuiſſe, & lucum apud Cheruſcos habuiſſe, rurſus teſtatur TACITUS Cap. IX. de M. G. & Annal. II. 12. Cauſa hujus cultus ignoratur. Veroſimile tamen eſt, Herculem ex Græcia Coloniam in Germaniam duxiſſe, & ſic in numerum Deorum receptum eſſe, more antiquo Coloniarum, ductores ſuos conſecrantium. Idque de HERCULE CLAVIGERO, non alio, intelligendum eſſe, argumento eſt nomen, quod linguæ Germanicæ facile accommodatur. RUDBECKIUS illud eleganter componit ex *her* exercitus, & *kulle* caput. VEREL. in Ind. *herkolle* dux ſeu caput exercitus. Cui etymologiæ lubens ſubſcriberem, niſi ſignum Herculis ad *clavam* me revocaret. Clava autem Scythice dicitur *keule*, *kyle*, *kule*, eſtque telum ex ligno factum, quod etiam Græce vocatur κῶλον. Et hanc clavam non poſſum dimittere, quia pridem animadverti,

multa Deorum nomina ſic comparata eſſe, ut, ſi cum ſimulacris eorum, & lingua Scythica aut Celtica conferantur, nomen perfecte reſpondeat imagini, & imago nomini, & una ſit utriusque loquela. Quemadmodum igitur *Veſta* a domo, *Hermes* ab ariete, *Bacchus* a capro, *Ares* a ferro, *Artemis* a cerva, *Taranis* a fulmine, alii ab aliis attributis appellationes ſuas acceperunt: Ita ſuſpicor *Herculem* ſic dictum, quaſi *clava terribilem*, ab *her* terribilis, vel *erch* ejusdem ſignificationis, quorum illud Germanicum, hoc Britannicum eſt. Cauſa nominis eſſe potuit, quod cum Hercules in varias orbis partes, & in Germaniam quoque Colonias deduceret, terram ſine ullis armis ſolo ligno a beſtiis repurgaſſet, quo tempore homines adhuc inermes (ut DIODORUS ſcribit) a multitudine ferarum opprimebantur. Ad memoriam Herculis in Germania ſpectat adhuc (1.) quod TACITUS de columnis Herculis a Druſo in Septemtrione quæſitis, memoriæ prodidit Cap. XXXIV. de M. G. (2.) urbs antiqua Juliacenſis ERKELENS, quæ Latine ſcribentibus *Herculanum* & *Herculis caſtrum* vocatur. (3.) nomen Herculis Argentinenſis *krutzman* quod vide. Aliis Hercules eſt mercator Phœnicius, ab Hebræo *harochel* ſic dictus. Et hujus ſententiæ auctor eſt vir eruditionis gloria nulli ſecundus JOHANNES CLERICUS in Bibl. Univerſ. Tom. I. Verum, uti plures fuiſſe Herculeſ facile conceſſerim, ita *clavigerum* illum *mercatorem* fuiſſe haud veroſimile videtur, quia telum illud Heroi potius quam mercatori convenit.

HERLICH, ſolemnis. Ab *her* ſanctus, ſacer. Inde *herlichkeit* ſolemnitas, magnificentia, pompa, a ſanctimonia Ceremoniarum. Vox antiquis ignota, vel ſaltim literis non prodita. Gothi ſolemnitatem vocant *dulths* Joh. VI. 4. Franci & Alamanni *tuld*. Gloſſ. Keron. ſolemnitas *tult*, feſtivitatibus *tuldim*, ſolemniter *tultlichiu*, percelebratur *iſt duruhtuldit*. Francorum teſtimonia vide in Gloſſario Schilteriano in voce *dulten* celebrare. Inde Suevis remanſit *doll* feſtivus in cultu.

HERLICH, clarus, illuſtris, glorioſus. Ab *her* gloria. Inde *herlichkeit* gloria. Novum, ſed legitime factum. Gothi gloriam vocant *wulthus* Matth. VI. 13. Angloſaxones *wuldor*, Franci & Alamanni *tiuri*, *guotlihhi* & *gualichi*. Gloſſ. Keron. gloriam *tiurida*, *tiuridu*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XII. 45.

In himilriches hohi
Si Got guallichi.
In regni cœlorum altitudine
Sit Deo gloria.

HERLING, uva acerba. Utitur Luth. Jer. XXXI. 29. ubi Bibl. Lubec. 1533. habent: *de veder hebben ſure wyndruven gegeten*. Forte ab *herb* acerbus, per apocopen, ut Cl. FRISCHIO viſum. Quapropter etiam Latinis creduntur vocari *labruſcæ*, quod labra lædant. Quædam Dialecti habent *hertling* ab *hart* durus.

HERM, *harm*, aries. Notum per Saxoniam inf. nomen, haud dubie ab *herman* vir gregis, per apocopen factum. Idem remotiſſimæ antiquitati videtur denotaſſe HERMES, quod eſt cognomen Mercurii, & Mercurio maxime conveniens, ſi ab ariete deſumatur. Nam *primo* aries ubique comes eſt Mercurii, in nummis, lucernis, gemmis, ſtatuis, quod non poteſt ignotum eſſe iis, qui Antiquitates Græcas & Latinas perluſtrarunt. *Secundo*, aries Mercurio aditum ad nova inventa præbuit, veſtes inquam ex filamentis lanæ conficiendas. Sic enim ſcribit ALEXANDER M. in literis ad Matrem ex ore Sacerdotum Ægyptiorum apud TERTULLIANUM Cap. 3. de Pallio: *Mercurium autumant forte palpati arietis mollitie delectatum, deglubaſſe oviculam, dumque pertentat, quod materiæ facilitas ſuadebat, tracto proſequente filum eliquaſſe, & in veſtis priſtinæ modum, quam philyra tenui vinxerat, texuiſſe*. Vide ergo, annon Mercurius ab ariete dictus ſit *Hermes*, ſicut dictus eſt ἐριώλος laneus, ab ἔριον lana, vellus? Jam ſæpe animadverti, ſigna Deorum nominibus juncta, linguam loqui, quam nemo niſi Germanus intelligat.

HERMAN, aries, vir gregis. Ab *her* grex, agmen, & *man* mas, maſculus. Solent enim maſculi animalium appellari viri, dicente etiam VIRGILIO, *vir gregis ipſe caper*. Inde *hermen* hircus, & *hermlein* capella, in multis Dialectis.

HERMAN, miles, vir exercitus. Ab *her* quatenus exercitum notat. SOMNEL in Dict. Angloſaxon. *here-man* miles, bellator. An huc ſpectet nomen ARMINII Cheruſcorum ducis, poſtea videbimus in *man* vir fortis.

HERMELIN, *hærmlein*, mus ponticus Gallis *ermine*, ab *Armenia* dictus, quod inde ejusmodi murium pelles in Europam adveherentur. Nam *Harmeniam* pro *Armenia* dixere Scriptores Latini recentioris ævi. Ita CANGIUS in voce *hermellina*. LUTHERUS quoque in ſacra verſione Armeniam ſive montes Armeniæ vocat *Harmon* Amos IV. 3. de qua voce videndus BOCHARTUS in Phaleg.

HERMEN, *ſich hermen* contriſtari. Vide *harm* luctus.

HEROLD, præco, vociferator. Vox Francica & primigenia eſt *hero* vel *haro*. Gloſſ. Boxh. *forə-haro* præco. Unde hæc vox oriatur, jam dixi in *hæren* clamare. Horum Præconum officium erat, non publica tractare negotia, aut legationibus defungi, ſed in Ludis Equeſtribus clamando promulgare leges certaminis, & eum, qui viciſſet, declarare victorem. Prius cognoſcimus ex Poemate quodam MAMBRUNII a MENESTRIO in Tractatu *de Torneamentis* citato pag. 299.

Proti-

Protinus ingenti PRÆCO *ſic voce Cluentus:*
Hoc opus, hæ leges ſunto certaminis: haſta
Tres medio in curſu pura ſimul auferat orbes
Victor Eques, mox & Regi ſe ſiſtat in armis.

Poſterius ex VIRGILIO:

Tum ſatus Anchiſa, cunctis ex more vocatis,
Victorem magna PRÆCONIS *voce Cleanthum*
Declarat, viridique advelat tempora lauro.

Franci igitur veteres, qui circa originem Trojanam ultro glorioſi erant, hos ludos, & hæc certamina ludicra, ab Ænea Trojano in Latio inſtituta, frequenter imitabantur, præſertim cum are bellica vacarent: Et in his ſpectaculis eum hominem, quem deſcripſi, ab officio clamandi appellabant *haro*, id eſt, præconem vel vociferatorem. Inde vetus proverbium:

Ere iſt der tugend ſold,
Spricht der alte herold.

Ubi HENISCHIUS male ſubſtituit *erenhold*. Nam *herold* non eſt fecialis, ſed præco, qui victorem ad præmium recipiendum evocat. Horum dignitas ab initio nulla aut exigua fuit: poſtea vero a Regibus terris dotari, & *ceremoniis* atque *inſignibus* præfici cœperunt. Idque officium maxime conſpicuum fuit in ſolemnitatibus nuptiarum, coronationum, torneamentorum, & honorum militarium diſtributione &c. Ab illo tempore *præfectus ceremoniarum* dictus eſt *herold*, & Latino-Barbare *heraldus*, h. e. nobilis præco, ab *alt* nobilis: imo etiam *rex* (vulgo *wappen-König*, Gall. *roy d' armes*) imitatione Romanorum, qui florente adhuc republica *regem* dicebant, qui ſacris præeſſet ceremoniis. Inde Gallis *herault*, Italis *araldo*. De quibus vocibus mire nugantur tam Germani quam exteri, quotquot illas explicare aggreſſi ſunt. Diſcrimen, quod eſt inter præconem & fecialem, vide in *erenhold*.

HERPAUCKE, ſignum militare, ſive illud ſit vexillum, ſive ſymbolum. Gloſſæ Junianæ in Obſerv. ad Will. pag. 34. *heripauchan, chundſano*, vexilla. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *beacn, beacen* ſignum, *here-beacen* ſymbolum bellicum, *beacnian* annuere, innuere, ſignificare. Verſio AS. Luc. V. 7. *and hig bicnodon heora geferan*, & annuerunt ſociis ſuis. Franci & Alamanni eodem ſenſu dicunt *pauchan* & *pauchnan*. Gloſſ. Boxh. *kipauchonno*, adnuo, *intpauchanno* abnuo. Gloſſ. Keron. adnuatur *zukipaubnit*. TATIANUS Cap. II. 10. *inti her uuas bouhnenti in*, & ipſe erat innuens illis. Cap. IV. 12. *bouhnitun tho ſinemo fater*, innuebant tunc patri ejus. Quem verbi ſenſum uſus poſtea ad omnia ſigna, etiam militaria transtulit. Anglis *beck* etiamnum eſt ſignum capite vel manu datum. Qua notione, viderint ipſi.

HERPAUCKE, tympanum. Senſus vocis hodiernus, quem STADENIUS derivat a *pochen* pulſare, quia fuſtibus tunditur, STILERUS a *bauch* venter, quia tympanum eſt venter, prætereaque nihil. Sed prius etymon præferendum eſt poſteriori, quia idem inſtrumentum vocari ſolet *bunge*, a notione pulſandi ut demonſtravi in loco. Cum utraque voce convenit Perſica *bik* tympanum.

HERR, dominus. Angloſax. *hearra*, Francis & Alam. *heroro*, *herro*. Gloſſ. Pez. magnates *herrun*. ISIDORUS Cap. VIII. 1. *ano chuninc*, *uno herrun*, ſine rege, ſine principe. TATIANUS Cap. CLVI. 2. *ir heizzet mih meiſtar inti herro*, vos vocatis me magiſter & domine. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XI. 43.

Ih bin eigan ſcalk thin,
Thu biſt heroro min.
Ego ſum proprius ſervus tuus,
Tu es dominus meus.

Idem Lib. V. Cap. XX. 85.

Giſceident ſih in ala uuar
Herero inti thegan thar.
Tunc ibi ſeparabuntur
Dominus & ſervus.

Et ſic Otfridus ubique, in locis quam plurimis. Quibus addere licet famoſum populi Sacramentum apud NITHARDUM, in quo Imp. Ludovicus *min herro* dicitur. Quidam derivant a Græc. κύριος, alii a Lat. *herus*: ſed noſu nimis neceſſario. Nam *heroro* Francis & Alam. eſt prior. Et hic comparativus, quando abit in ſubſtantivum, naturaliter domini ſignificatum producit, quia per dominum omnes quendam ſuperiorem intelligunt. Vide quæ de comparativo antiquo pluribus diſſerui in *ber* prior. Primis temporibus fuit titulus honoris ſolis Regibus, & qui proxime circa Reges ſunt, Ducibus, Comitibus, & Dynaſtis proprius. Poſtea, ut fieri ſolet, magis magisque vulgari cœpit, uſque adeo, ut hodie non amplius ſuperiores tantum, ſed etiam inferiores, & quemlibet liberum hominem hoc honoris præfamine compellemus. Præcipua Francorum derivata ſunt *heriſon* & *hertuom* dominari & dominatus. Gloſſ. Pez. principantur *heriſont*. TATIANUS Cap. XIII. 1. *hertuom habentemo Herode*, principatum tenente Herode. Hodie dicimus *herrſchen* & *herrſchaft*.

HERRIN, domina. Gloſſ. Pez. dominatrix *herra*. Conſentit ἥρα, nomen Junonis apud Græcos, & *hera* Latinorum.

HERSCHILD, ſcutum militare. VEREL. in Ind. *herskioldur* clypeus militaris. Notæ compoſitionis, ſed incertæ antiquitatis. In Gloſſis Franco-Theotiſcis a R. P. PEZIO publicatis, multa reperiuntur ſcutorum genera,

genera, *halpſcild* pelta, *chamfscilt* clypeus &c. ſed *herefcilt* deſideratur. Occurrit tamen in Lege Longobard. Lib. I. Tit. XVII. 4. 5. vox *araſcild*, quæ certe clypeum militarem ſignificat, etiamſi ibidem metonymice ponatur ſive pro ordine militari, ſive pro invaſione manu militari facta. Et hæc eſt vetuſtiſſima hujus vocabuli mentio.

HERSCHILD, gradus & differentiæ Ordinis militaris ſive equeſtris, a Rege uſque ad militem ſive equitem gregarium, & ultra. Dictio metonymica, qua ſignum ponitur pro re ſignata. Videtur iis temporibus nata, cum Germania adhuc tota militaris eſſet, & in militia gloriam omnes unice quærerent, eccleſiaſtici & ſeculares, nobiles & ignobiles, quæ res Germanis, ob inſitam Genti feritatem, & incredibilem belli ardorem, fere propria eſt. Vanitati acceſſit conſilium, quod omnes viderentur libentius & fortius pro Rege & Regno dimicaturi, ſi rex ipſe patriæ ſuæ miles eſſet, & reliqui, quamvis diverſis gradibus, Regis commilitones. Neſcio, an ars regnandi, alias ſatis ingenioſa, unquam excogitaverit aliquid, quod membra Reip. cum capite magis compingeret, aut potentiam præſentis imperii magis ſtabiliret, quam hoc callidum inventum. *Primus* clypeus tribuitur Regi, *ſecundus* Epiſcopis & Abbatibus, *tertius* Principibus Laicis, *quartus* Liberis Dominis, *quintus* Liberis mediæ conditionis, *ſextus* miniſterialibus, *ſeptimus* cuilibet homini non-proprio & ex legitimo matrimonio nato. Ita doctrinam de Clypeis diſerte explicat Jus provinc. Alamannicum Cap. 3. & Speculum Saxonicum Lib. I. art. 3. ſed hoc paulo obſcurius. Alii *gradus nobilitatis* hiſce clypeis indicari volunt, quos clypeus ſeptimus & res ipſa ſtatim refellit.

HERSCHILD, obſequium militare erga regem, ſeu quod idem eſt, ſervitium militare, quo unus quisque ex Ordine militari vi ſcuti ſui Regi aut Regno obnoxius eſt, alias *Scutagium*. Alius vocis ſenſus, ſed metonymicus ut ante. VEREL. in Ind. *herskild* ſcutagium, ſervitium militare. Hodie *kriegsdienſt*.

HERSCHILD, bellum & quævis invaſio militaris, *mit dem herſchild gewinnen* bello expugnare. VEREL. loc. cit. *herskioldur* bellum, *herskildi fara* vaſtare, deripere, *han fær herskilldi yfer lander* totam regionem devaſtat. Gloſſa Lindenbrogiana: *araſcild* aggreſſio in vico facta. Iterum ſignum pro re ſignata.

HERSLIZ, deſertio exercitus. Leges Longobardicæ & Capitularia Caroli M. vocem ad *linguam Theotiſcam* referunt. SPELMANNUS ita legit, acſi ſcriptum eſſet *her-slit*, componitque ex *here* exercitus & *slite* fiſſura, ita ut *her-slit* ſit diruptio exercitus, plane ut *Ang-slit* Angloſaxonibus eſt diruptio & violatio Legis. Verum cum unus ſolus violare quidem legem, ſed rumpere Exercitum non poſſit, hinc etymon Spelmannianum ingenioſum magis quam verum eſt. Lego itaque *heris-liz*, & cum LINDENBROGIO a *lazen*, quod Francis & Alamannis eſt *linquere*, deduco, ſic ut *hers-liz* proprie ſit deſertio vel derelictio exercitus. Qualis olim cenſebatur, ſi quis injuſſu Principis aut Ducis ab hoſte domum reverſus eſſet, exercitu absque venia diſcedendi relicto. Litera S. in medio compoſiti eſt nota Genitivi Theotiſci *heres*, *heris*, vel *heries*, quem exteri proprietatis Linguæ noſtræ ignari ex ſequentibus teſtimoniis perdiſcere poſſunt. TATIANUS Cap. VI. 3. *menigi himiliſches heres*, multitudo militiæ cœleſtis. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XII. 17.

Ni ſtuant thiu mabt thes uuiges
In menigi thes heries.
Non ſtetit vis belli
In multitudine exercitus.

Hæc litera in plerisque compoſitis & præſenti quoque interdum omittitur. Hinc quædam Editio Capitularium Caroli M. SPELMANNO viſa & citata habet *eriliz* absque S. in medio: Verba ſunt: *Qui Eriliz fecerit, ipſe, ut reus majeſtatis, vitæ periculum incurrat, & res ejus fiſco ſocientur.* Salvo & integro ſenſu ſecundum nos, nullo ſecundum SPELMANNUM. CANGIUS etymologiam Lindenbrogianam Spelmannianæ præfert, ſed ex falſa de duplici *herſliz* legitima & illegitima opinione. De illegitima jam vidimus. De legitima, quæ nulla eſt, mox videbimus.

HERSLIZ, interdictum de non deferendo exercitu. Dictio metonymica, qua objectum ponitur pro eo quod circa objectum verſatur, deſertio exercitus pro interdicto deſertionis, ut *Amaryllis* pro carmine de Amaryllide apud VIRGILUM Ecl. 1. Lex Longobard. Lib. I. Tit. XIV. 17. *Poſtquam Comes & Pagenſes de qualibet expeditione reverſi fuerint, ex ea ſuper 40. noctes Bannum ſit reſciſſum, quod Theudiſca Lingua Herisliz, id eſt, armorum depoſitio vocatur.* In his verbis CANGIUS videtur ſibi legitimam ab exercitu diſceſſionem, quæ fit, quando omnes expleto expeditionis tempore domum revertuntur, deprehendere. An huic ſententiæ faveant verba Legis, dubito. Nam *Herisliz* hoc loco ſignificat ipſum *Bannum* ſive interdictum de non deferendo exercitu, quod dicitur reſcindi, aut haberi pro reſciſſo poſt 40. noctes a Comitis ex Caſtris reditu, quia tunc cuivis liberum erat arma deponere, & domum ſe conferre, absque metu delinquendi contra edictum *Herisliz*. Idem *Bannus* alibi vocatur *ſcafilegi* depoſitio armorum, eadem metonymia. Vide dicta in *ſcbaft* ſagitta.

HERSTALL, caſtra. Nomen proprium loci in Saxonia prope Viſurgim, a Carolo M. inditum, quod ibi cum exercitu hiemaſſet. Vi vocis eſt manſio vel ſtatio exercitus, locus caſtrorum vel caſtrametationis.

Nam

Nam *ſtall* hæc omnia ſignificat. Latino-Barbari vocant *heriſtallum*, haud dubie a Carolina voce *heriſtal* vel *heriſtelli*, quæ occurrit in Annalibus vetuſtis a LAMBECIO editis apud CANGIUM in voce.

HERSTEUR, ſtipendium militare, tributum alendo militi indictum. Gloſſ. Pez. ſtipendia *heriſtiura*.

HERSTRASSE, via regia, via militaris. Gloſſ. Pez. via publica *heriſtraza*. SOMNER. in Dict. AS. *here-ſtræt* via militaris, publica, per quam ducere licet exercitum.

HERTHE, Dea ſeptem nationum Suevicarum ad mare Balthicum. TACITUS Cap. XL. de M. G. *In commune Herthum, id eſt, Terram Matrem colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur* &c. Terra, quam Senones Suevorum antiquiſſimi tanquam Matrem & initium Gentis coluerunt, non habuit ſimulacrum, ſed vinctis tantum & proſtratis corporibus colebatur, ut ex capite præcedenti liquet. Hæc vero & ſimulacrum habuit, præter morem Germanorum, & iisdem ritibus colebatur, ut *Mater Deum* apud Romanos, quod pulchre oſtendit CLUVERIUS Lib. I. Germ. Ant. pag. 193. Nec tamen veroſimile eſt, Suevos illos ſeptempagenſes a Romanis remotiſſimos, hanc Deam ejusque cultum ab illis accepiſſe. Vide ergo annon *Hertha* fuerit Dea Phrygia, & Mater Titanum, de qua DIODORUS Lib. III. Cap. 57. ſcribit: *Titæa autem poſt fata Telluris nomen accepit.* Ratio certe nominis utrinque eadem eſt. Nam terra, quæ Germanis *berthe*, Celtica lingua vocatur *tit.* Pone vero diverſa numina fuiſſe, reſtat ut dicamus, *Hertham* fuiſſe Deam localem, & numen peculiare ac tutelare Inſulæ Rugiæ, eodem plane modo, ut poſtea *Mairæ, Nehæ, Alfæ*, &c. Pro confirmatione adduci poteſt, quod poſteritas ejusmodi locorum Dæmonia *Matres* & *Matronas* vocavit, easque rebus hominum intervenire, & ſe illis oſtendere crediderit. CATULLUS Argonaut. ſub fin. de Parcis:

Præſentes namque ante domos inviſere caſtas
Sæpius, & ſeſe mortali oſtendere cœtu
Cœlicolæ nondum ſpreta pietate ſolebant.

Illud quoque opinione invaluit apud illos Dearum localium cultores, quod tantum a miſeris cernantur. FESTUS: *Lymphæ dictæ ſunt a Nymphis: Vulgo autem memoriæ proditum eſt, quicunque ſpeciem quandam e fonte, id eſt, effigiem Nymphæ viderint, furendi non feciſſe finem, quos Græci νυμφολήπτους vocant, Latini lymphatos appellant.* Quicquid ſit, TACITUS, etiamſi nimia brevitate obſcurus ſit, recte tamen *Herthum* interpretatur *Terram*. Hodie quidem dicimus *erde* cum Gothis & Saxonibus: ſed in monumentis Francorum eadem vox more antiquo frequenter adſpiratur. Gloſſ. Pez. ſolo *herdu*. TATIANUS Cap. LXXV. 41. *thie thar in guota herda giſatuit iſt*, qui in bonam terram ſeminatus eſt. Fragmentum veteris interpretationis Matth. XII. 40. apud ECCARDUM in *Quaternione Monumentorum* pag. 42. *ſo Jonas uuas in uuales uuambu dri taga enti drio naht, ſo ſcal uueſan mannes ſunu in haerda hreuue dri taga enti drio naht:* ſicut Jonas fuit in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Eodem modo etiam aliæ voces adſpirantur. Ita legimus *habent* pro *abent* veſpera, apud NOTKER. Pſal. LIV. 18. Et in Gloſſis KERONIS *hubil* pro *ubil* malum, *hero* pro *ero* honor, *heikin* pro *eikin* proprius.

HERWACHT, ſtatio excubitoria. Gloſſa Juniana in Obſ. ad Will. pag. 34. *heriuuahta* ſtationes. Notæ compoſitionis ex *her* & *wacht*. Hodie dicimus *feldwacht*, alio ſono, eodem ſignificatu.

HERWEDE, *heergewette*, ſupellex caſtrenſis, quæ jure antiquo ex hæreditate paterna primogenito cedit, cujusmodi ſunt, equus, galea, lorica, gladius, haſta, & ſimilia. De armis nullum eſt dubium. Equi vero diſerte meminit TACITUS Cap. XXXII. de M. G. his verbis: *Inter familiam & Penates & jura ſucceſſionum Equi traduntur.* Speculum Saxonicum Lib. I. art. 19. *herwede* exponit *res expeditorias*. Quid illis jure Saxonico contineatur, fuſe enumerant antiquæ Leges Municipales Brunſuicenſes apud LEIBNITIUM Tom. III. de Script. Brunſuic. pag. 434. CANGIUS componit ex *heer* exercitus, & *gewet* pignus, quod arma bellica in belli pignus hæredi relinquantur. Alii derivant a *wad* veſtitus, ita ut *herwede* proprie ſit veſtitus militaris, hoc interim ſuppoſito, quod etiam equus ſub toga militari comprehendi poſſit, quod quam abſurdum ſit, omnes vident. Vox hodierna a Saxonibus antiquis paulo aliter ſcribitur & effertur. SOMNER. in Dict. AS. *here-geat* armamenta, apparatus bellicus. Hodie dixeris *hergut*. Francis *heriot* idem denotaſſe, colligo ex voce Latino-Barbara *heriotum*, quæ optimum habet ſenſum, & proprie *bonum caſtrenſe* denotat, ab *her* exercitus & *od* bonum. Hinc porro ſuſpicor, Saxones ſequiores, qui Speculum condiderunt, ab antiquo *heregeat* formaſſe *herwed*, G. in W. mutando.

HERZ, cor. Extat in omnibus tam veterum quam recentiorum Dialectis, & Gothis dicitur *hairto*, Angloſaxon. *heorte*, Francis & Alam. *herz*, Belg. *hert*, *hart*, Angl. *heart*, Suec. *hierta*, Island. *hiarta*. Gloſſ. Keron. cor, cordis, corda, *herza*, *herzin*, *herzun*. NOTKERUS Pſal. XXXVI. 15. *iro ſuuert kange in durh iro herzen*, gladius eorum intret in corda eorum. Græca κῆρ, κέαρ, καρδία cæteris ſunt ſimilia, ſicut & Lat. *cor*, *cordis*. Nam K. & H. ſunt literæ convertibiles. STIERNHIELMIUS ſuperiora omnia deducit a verbo Suethico *byra* movere, ob perpetuum cordis motum & agitationem.

Vide noſtrum de hoc verbo monitum in *hören* movere. Fortaſſe etiam hoc obſervatione dignum, quod ἤτορ & *heort* ſe mutuo producant per metatheſin.

HERZ, animus, cum cupiditatibus ſuis. Evang. Goth. Matth. VI. 21. *tharei iſt bazd izwar, tharuh iſt jah hairto izwar*, ubi eſt theſaurus veſter, ibi eſt & cor veſtrum. Dictio metonymica, qua continens ponitur pro contento, cor pro animo. Quemadmodum enim mens ea tenet loca, quæ ſapere homini miniſtrant, caput & cerebrum: ita animus in medio corde poſitus exiſtimatur, quia ibi intimos animi motus & inclinationes ſentimus. Inde

Gothis *haubhairtei* ſuperbia, animus elatus Marc. VII. 22. *hardubairtei* duritia cordis, animus obſtinatus & indiſciplinabilis Marc. X. 5. *armabairtei* miſericordia, animus miſerans, Luc. I. 50.

Angloſaxonibus *mild-heort* miſericors, *mild-heortneſſe* miſericordia.

Francis *rechtherze* rectus corde, *herzribti* directio cordis, apud SCHILTERUM in Gloſſ.

Alamannis *kahirzan* concordare, *ebankeherzida* concordia, *ungaherze* diſcors, *armiherzida* miſericordia, in Gloſſ. Keron.

Islandis *hiartnæmt* cordi gratum, apud VEREL. in Ind.

Germanis *von herzen* ex animo, ex intimo affectu, *herzlich* ſincerus & quaſi cordialis, *herzig* affectus, animatus, *barmherzig* miſericors, miſeratione affectus, *gutherzig* facilis, benignus, optime affectus &c.

HERZ, animus fortis, *herzhaft*, *beherzt* intrepidus. VEREL. in Ind. *hiarta* animus, fortitudo, *hiarta oc afl skal i einvige haſa, enn ecki galldra ne giorninga*, animus & robur in duello ſint oportet, non incantationes & veneficia. Senſus a corde ad fortem translatus, quia cor eſt pars hominis robuſtiſſima, & pectore tanquam muro munita, cui a natura primum moveri, vitam motibus tueri, & noviſſime mori datum. Hinc viri fortes Latinis vocantur *fortiſſima corda*. VIRGILIUS Æn. 5. *Lectos juvenes, fortiſſima corda Defer in Italiam*. Confer *beherzt*.

HERZ, pectus, *herzen* amplecti, pectora conjungere.

HERZOG, dux belli. Angloſaxon. *here-toga* Matth. II. 6. Francis & Alam. *herizobo* & *herizogo*, Lat. Barb. *heretochius*. ISIDORUS Cap. V. 6. *liudi mit dhemu zuohaldin herizohin*, populus cum duce venturo. Quod obſervandum contra eos, qui antiquitatem vocis in dubium vocant. Prior compoſiti pars nullam habet difficultatem: notat enim exercitum in omnibus Dialectis. Altera eſt a verbo antiquiſſimo & omnibus Dialectis communi *ziehen*, quod in maximo ſignificationum ambitu poſitum eſt, & uſurpatur pro *ducere, domare, nutrire, trahere*. Hinc totum compoſitum ſignificat quantum poteſt, ductorem, domitorem, nutritorem, & actorem exercitus. Ducit autem juſſu, domat diſciplina, nutrit ſtipendio, trahit exemplo. Inde eſt, quod illum unum omnes ſequuntur, & unius dicto omnes ſunt obtemperantes, quia ſcil. omnes ab uno & nutriuntur, & in fide militari continentur. Et hæc conjuncta conveniunt etiam Ducibus veterum Germanorum, quorum diſciplinam & munificentiam, & virtutem paſſim commendat TACITUS, & inprimis Cap. XII. & XIV. de M. G. Ducis Duce vere dixeris, quod dixit VIRGILIUS de ſuo:

Agmen agit magnum, magnique ab agminis inſtar.

Id quod voce Germanica, cujus ſenſus tam opulentus eſt, pulcre exprimitur. Hujusmodi compoſita in *zog* deſinentia, reperiuntur apud Antiquos plura, exempli gratia,

folc-toga, populi dux vel conductor, apud SOMNER. & BENSON.

magazogo, rector pueritiæ, in Epinicio Regi Lud. dicto verſ. 8.

leidtogn, dux itineris, apud VEREL. in Ind.

In quibusdam Dialectis nomen exercitus non præfigitur, quia *zog* per ſe jam ducem denotat. Inde Cambris & Armor. *dug* dux. Cui conſentit Græc. ταγός, & Lat. *dux*.

HERZOG, præſes vel adminiſtrator provinciæ. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XX. 34. de præſide Judææ Pilato:

Ther biſcof Kaiphas uuas thar,
Joh ther Herizogo in uuar.
Pontifex Caiphas erat ibi,
Atque Præſes revera.

Et ſic paſſim. Cauſa appellationis eſt, quod præſides Provinciarum e belli Ducibus legi ſolerent, nonſolum apud Romanos, ſed etiam apud Francos. Hi enim imitatione Romanorum duos primarios viros ad regendas provincias mittebant, alterum *Ducem*, alterum *Comitem Ducis*: quorum ille rem militarem curabat, hic jus populo dicebat. Nec alios tunc *Duces* aut *Comites* novit Germania, quo tempore Regibus Francorum paruit, quam Miniſtros ad tempus conſtitutos, & precaria poteſtate inſtructos, quam accipiebant & rurſus reddebant ad arbitrium Regis.

HERZOG, dux hæreditarius. Extincta Carolingorum ſtirpe ſtatum Germaniæ publicum mutatum eſſe, duo inprimis probant, Cæſarea dignitas ad Germanos devoluta, & Regnum Germaniæ a Regni Francici corpore penitus avulſum. Sed quo pacto *Duces* & *Comites* Germaniæ, qui antea Francorum Regum miniſtri tantum in Provinciis erant, ad præſentis fortunæ culmen excreverint, an iidem, qui Cæſarem legerunt, in priſtinam libertatem una ſe vindicaverint, ſervato tamen cum Cæſare nexu, an vero tantam poteſtatem diu poſt ob præſtita

ſtita belli ſervitia, a Cæſaribus, vel invitis Cæſaribus a turbis aut aliunde acceperint, adhuc ſub judice lis eſt.

HESPE, fibula. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *heſpen* fibula. VEREL. in Ind. *heſpa* uncus. Arbitror ab antiquiori & Angloſaxonibus uſitato *hæps*, quod eſt ab *heben* tenere. Nam fibula eſt anſula qua aliquid tenetur. S. etiamſi hoc loco ſit medium derivandi, tamen a vulgo in aliis quoque vocibus, quas paſſim annotamus, e loco nativo in anteriorem rejicitur. Vide *Proleg.* Sect. IV.

HESSLICH, turpis, deformis. A MARTINIO & STILERO refertur ad *haſs* vel *haſſen*, odium & odiſſe, ut proprie ſit odibilis vel odio dignus. Nec fortaſſe male. Noſtris enim ſolemne eſt, turpia & deformia ab affectu, quem ipſo aſpectu excitare ſolent, denominare, ut *ſcheuslich* a terrore.

HESUS, deaſter veterum Gallorum, LUCANO memoratus Pharſal. Lib. I.

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrensque feris altaribus HESUS.

Meminit & lapis Pariſienſis, anno hujus ſæculi undecimo una cum aliis multis Paganiſini Gallici ex ævo Tiberii monumentis, erutus, in quo homo robuſtus virgulam in ſummitate arboris conſpicuam, ictu petit, ramis inferioribus exciſis, cum inſcriptione ESUS. Hic lapis communem eruditorum opinionem, *Eſum* eſſe Martem Celtarum, arguit eſſe falſam & præjudicatam, quod Auctor anonymus, qui *de Religione veterum Gallorum* integro libro erudite diſſeruit, optime annotavit. Quid enim Marti cum arboribus? Sed dum pro Marte verum & ſummum Deum ſubſtituit, in eundem lapidem impingit. Qui aperte ſatis declarat, hunc *Eſum* ante fuiſſe hominem quam Deum, meruiſſe autem inter Deos referri, quod auream illam viſci virgulam, quam non ſua feminat arbos, a viſu & cognitione hominum remotam, primus oſtendiſſet. Nam hoc eſt illud inventum, quo inter ſuos unice innotuit, quodque a Druidibus tanquam donum cœleſte & omnia ſanans tantopere extollitur, & cultui ceu fundamentum ſubſternitur, apud PLINIUM Lib. XVI. Cap. ult. Et hanc ob cauſam in lapide cernitur cum ſecuricula, vel ſimili inſtrumento, ſtragem edens ramorum, & aditum ſibi parans ad viſcum in vertice arboris conſpicuum, cum titulo ESUS; manifeſto ſatis indicio iſtius meriti, quo inter rudes ſæculi ſui homines divinitatis opinionem conſecutus eſt, ut tanquam *Deus quercuum* coleretur. Nec aliunde eſt reliquorum Deorum apud Gentiles origo, quam ex hominibus. *Perſeus*, inquit CICERO, *Zenonis auditor, eos dicit habitos Deos, a quibus magna utilitas ad vitæ cultum eſſet inventa.* Lib. I. de N.D. *Hic eſt vetuſtiſſimus referendi benè merentibus gratiam mos*, inquit PLINIUS, *ut tales Numinibus adſcribantur. Quippe & omnium aliorum nomina Deorum, & quæ ſupra retuli ſyderum, ex hominum nata ſunt meritis.* Lib. II. Cap. 7. Id quod per omnes eundo Deos, innumeris auctorum, & ſanctorum quoque Patrum teſtimoniis, firmare poſſem, ſi vellem. Hæc concipi ab omnibus poſſunt & intelligi: cum ex adverſo in novo ſyſtemate Religionis Gallicæ, multa ſint male cohærentia & difficilia digeſtu. Enim vero ſi Religionis Druidicæ objectum fuit verus & ſummus Deus, cur numen ejus robori includitur, tanquam electæ ab ipſo ſedi, cum totus mundus ſecundum ſapientes ſit templum Dei? Unde religio illa circa viſcum, rem tam frivolam, cum totus mundus donis Dei ſit refertus, & longe majoribus illo a turdis cacato? Unde tam fœvæ ſuperſtitiones, & ritus Deo indigni? Cur immolare homines Deo? Cur immolatos mandere? Quo pacto hæc & ſimilia cum veri Dei idea, cultu & ſenſu, conſiſtere poſſint, me quidem fugit. Sed hæc nunc mitto, & ad etymon vocis accedo. Hoc ab eruditio Auctore petitur ex voce Armorica *heus* terror, ut adeo *Eſus* lingua Celtarum ſit *terribilis*. Neſcio quid aptius dici poſſit. Nam hæc etymologia optime convenit cum verbis Lucani, & cum ipſo idolo victimis humanis metuendo. Et tametſi etiam verus Deus in ſacris literis dicatur *terribilis*, male tamen argumentum divinitatis pro *Eſo* Gallorum inde peti, pluribus oſtendit R. Abbas MOSHEMIUS in *Syſtemate Cudworthiano* pag. 546. Reliquas Auctoris hallucinationes circa nomen *Eſus* vide in *as* Deus.

HETZE, graculus. V. *hatze*.

HETZE, venatio. Lat. Barb. *cacea*, Ital. *caccia*, Gall. *chaſſe*. Refer ad *hetzen* venari. Metaphorice eſt vexatio.

HETZEN, venari, perſequi feras. Angloſaxon. *huntian*, Angl. *to hunt*, Island *hudza*, Suec. *hiaſa*. Lat. Barb. *cacciare*, Ital. *cacciare*, Gall. *chaſſer*. VEREL. in Ind. *hudza* venari. Vox Saxonica eſt ab *hund* canis, Scandica & reliquæ, quæ literam N. non habent in medio, a Cambro-Britannico *huad* canis veneticus. Ita Græcis a κυὼ cane fit κυνηγᾶν venari. Quid enim eſt venari, niſi canis opera in perſequendis feris uti? Et nonne ab omni ævo quædam inter hominem & canem venandi fuit ſocietas? PLINIUS Lib. VIII. Cap. 40. de canibus: *Sed in venatu ſolertia & ſagacitas præcipua eſt. Scrutatur veſtigia atque perſequitur, comitantem ad feram inquiſitorem loco trahens: qua viſa, quam ſilens & occulta, quam ſignificans demonſtratio eſt, cauda primum, deinde roſtro?* Potuiſſet hiſce plura addere, & majora, ſi apros a canibus teneri, urſos diſcerpi, cervos laſſari vidiſſet. Hinc etiam præmium venatus, partem prædæ, tanquam ſocii laboris, a venatoribus accipiunt. DIANAM quoque *emeritos coronantem canes* Poëta inducit. Vox Latino-Barbara *caciare*, &re-

liquæ, e Germanica ortæ ſunt per litteras convertibiles, & non a Lat. *caſſis*. Verbum Francorum vide in *weiden*.

HETZEN, incitare ad perſequendum. VERELIN Ind. *budza* canes incitare, *heta hundar* canes incitare. Verbum faceſſens ex præcedenti. Quid enim eſt incitare, niſi facere ut perſequatur? Dicitur autem non ſolum de canibus, ſed etiam de feris, quæ vel in ſe mutuo, vel in homines incitantur. Hodie utimur compoſito *anhetzen*, cui ſimile Lat. *incitare*. Sed a ſimplici habemus *herz-garten* locus ſeptus, ubi canes in feras, aut feræ in ſe mutuo incitantur. Metaphorice eſt irritare. Veteres utuntur ſimilibus verbis de inſtigatione ad agendum, ſed extra venatum, & ex alio dicendi fonte. Verbum Saxonicum vide in *wetzen*, Francicum in *ætzen*.

HEU, fœnum. V. *heuw*.

HEUCHELN, ſimulare, *heuchler* ſimulator, hypocrita. Belgis *huichelen* & *huichelaar*, Suecis *hyckla* & *hycklare*. Nova, & ex fœmine peregrino nata, quicquid dicant MARTINIUS & STADENIUS, quorum ille originationem a Belgico *huick* pallium, hic a *gauch* ſtultus inſtituit. Gothis hypocrita dicitur *liuta* Luc. VI. 42. a *laſſen*, ſimulare. Angloſaxonibus *licceterе* Matth. VII. 5. a *licean* placere, velut aſſentator, vel a *licana* aſſimilari, velut ſimulator: Francis & Alam. *lihhizaro*, a *lihhiſon* ſimulare, quod eſt a *lih* ſimilis. Gloſſ. Keron. Sarabaitarum (id eſt, monachorum pietatem tonſura mentientium) *lihiſarro*. TATIANUS Cap. XXXIII. 2. *ſo thie lihhizaru tuont*, ſicut hypocritæ faciunt. Ad hanc analogiam præſentis quoque verbi rationem redigere debemus. Quod recte fieri non poteſt, niſi ducatur a Græc. ἴουλος, ἴουλος ſimilis, ſpiritu leni, ut ſæpe alias, in aſperum converſo. Ita Latinis *ſimulare* a *ſimilis*.

HEUFFEN, cumulare, congerere, *geheufi* cumulatus, *heuffig* cumulate. Gloſſa Juniana in Obſ. ad Will. pag. 70. *huffont* adcumulant. Gloſſ. Boxh. *ghihuffotin* coacervaſſent. Gloſſ. Pez. congeres *gihuffos*, congeſtorum *gihuffotero*. Angloſaxones dicunt *heopian*, Sorabi *kopiu*, quia H. & K. permutantur. Cuncta a ſubſt. *hauf* acervus.

HEULEN, triſte ſonare. Græc. ὀλαῦ, Lat. *ululare*, Island. *yla*. Duo ſignificare poteſt, clamorem verbo ſimilem edere, ſi vox a ſono ficta ſit; vel clamorem ſilveſtrem edere, ſi radix ſit ὕλη ſilva. Dicitur inprimis de lupis, noctuis, & canibus. VERELIN Ind. *yla* ululare, *yla ſem hunda* ululare ut canes Pſalm. 59.

HEULEN, cum clamore plorare. Heb. *jalal*, Græc. ὀλολύζειν, Lat. *ejulare*. Island. *yla*, Cambris *wylo*. Quod vel idem eſt ac antecedens, ſenſu ab ululantibus ad ejulantes translato; vel miſerabilem vocem edere ſignificat, ab ἔλεος miſerabile. VERELIN Ind. *yla upp a ſtrætum*, ululare in plateis. Eſa. 15.

HEUR, hoc anno, *heurig* hoc anno natus vel cretus. Utitur Luth. Cant. VII. 13. MARTINIUS ducit a Lat. *hornus*, & hoc ab ὥρα annus. Mallem ab *aar* annus, quo Dania & totus fere Septemtrio utitur. VERELIN Ind. *ar* annus, millies apud Scriptores reperitur.

HEURAT, familia. Angloſaxones duobus utuntur nominibus, *hyred* & *hiw-rædene*. Gloſſ. Ælf. pag. 75. familia *hyred*. Verſio AS. Luc. X. 5. *ſib ſi thiſſe hiw-rædenne*, pax ſit huic familiæ. Illud proprie cœtum domeſticum, qui alias *hurd*, hoc regimen domeſticum ſignificat. Nam domus & familia Gothis dicitur *heiwa* Marc. XIV. 14. Angloſaxon. *hiwe*, Islandis *hiu*, apud VERELIN Ind. Altera compoſiti pars eſt a *raten* regere. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hiwe* domus, familia, *rædan* regere, *rædenne* regimen, *hiw-rædenne* familia. Hic ſenſus totus Saxonicus eſt, & pridem extinctus.

HEURAT, matrimonium, conjugium. Senſus vocis Francicus, hodieque ſuperſtes. WILLERAMUS Merulæ pag. 157. *waz duo uir hiro nu, ſo ſiu hirates ſcal gegruazet werthan*, quid faciemus illi, ſi matrimonii cauſa fuerit rogata? In qua lectione nihil eſt emendandum. Nam *hirat* eſt una & indiviſa vox, & proprie ſubſtantivum a verbo ſequenti. BÖDIKERUS more ſuo ludit, dum *heirath* (ſic enim ſcribit) ab *eh* & *rath*, id eſt, a conjugio & conſilio componit.

HEURATEN, matrimonium contrahere, nubere viro, ducere uxorem. Proprie eſt domicilium aut familiam parare, vel *aufire*, ab *hyred* familia, quod Saxonicum eſſe vidimus, vel certe compoſitum ab *heiwa* domus, & *reiten* parare, præparare, & dicitur de nubentibus per metonymiam conſequentis pro antecedente, quia præcipuus matrimonii finis eſt, domum vel familiam parare. Quidam peſſime derivant ab *heuren* conducere. Quamvis enim matrimonium ſit contractus, non tamen eſt contractus locationis, nec unquam fuit apud veteres Germanos. His enim matrimonia erant unicula ſacra, nec ulla morum pars magis probata, teſte TACITO Cap. XVIII.

HEUREN, mercede conducere. Angloſaxon. *hyran*, *hyrian*, *ahyrian*, Belg. *huuren*, Angl. *to hire*. Idem verbum ſignificat etiam elocare, pretio utendum dare. Hoc ſenſu Angli rurſus dicunt *to hire*, Belgæ *verhuuren*, noſtri *verheuren*. Quod fieri non poſſet, niſi uterque ſignificatus conveniret in notione *mercedis*. Merces autem Angloſaxonibus dicitur *hyre*, Anglis *hire*, Belgis *huur*, Cambris *hur*. Quod videtur cognatum cum *ær*, æs, vel potius ab illo per adſpirationem factum. Cur pretiis rerum id nominis inditum ſit, cuivis, ut ſuo marte colligat, relinquo. Nam qui de ſingulis nimis exponit, ingenio lectoris diffidere videtur. Ab *heuren* eſt *heurling* (Angloſaxonice *hyrling*) mercenarius, & multorum judicio etiam *hur* meretrix.

HEUTE,

HEUTE, hodie. Gothis *hita*, Francis & Alam. *hiuz*, *hiutu*, Camb. *heddyw*, Belg. *huiden*, *heden*, Gall. *hui*. Gloſſ. Keron. hodie *hiutu*. TATIANUS Cap. CCV. 6. *hiutu biſtu mit mir in Paradiſo*, hodie mecum eris in Paradiſo. Depravata ex *hodie*, ut *hodie* ex *hoc die*. Olim non opus habebant hac imitatione. Nam hodie Gothice dicitur *hindag*, ab *hin* nunc, Angloſaxonice *to dæg* Matth. VI. 11. *urne deghwamlican hlaf ſyle us to dæg*, panem noſtrum quotidianum da nobis hodie. Interdum Francicam & Saxonicam vocem conjungimus, dicentes *heut zu tag* noſtro ævo.

HEUW, fœnum. Gothis *hawi* Matth. VI. 30. Francis *heuui*, *houui*, *hoi*, Belg. *hoy*, Angl. *hay*. NOTKERUS Pſal. XXXVI. 2. *ſi erdorrent ſpuotigo ſo houue*, areſcent velociter tanquam fœnum. Pſal. CIII. 14. *heuue berentiu dien rinderen*, fœnum producens jumentis. CASAUBONUS derivat ab *ëια* gramen; ſed omnium judicio propius eſt *hauwen* cædere, ſecare, demetere. Quid enim eſt fœnum, niſi gramen ſectum? In reliquis Dialectis W. convertitur in G. Hinc fœnum Angloſaxonibus dicitur *heg*, *hieg*, & Suecis *hugga* eſt abſcindere.

HEUWMONAT, Julius. Ex impoſitione Caroli M. qui hunc Menſem appellavit *heuuimanoth* a fœniſecio, quem Angloſaxones alio ſono, ſed eodem ſenſu vocant *Mede-monath* a pratis defalcandis, ut infra monui in *mæhen* ſecare. Plura ejusdem Menſis nomina qui volet, adeat SOMNERUM in voce *monath*, & OLAUM WORMIUM in Faſtis Danicis Lib. I. Cap. 14.

HEUWSCHRECKEN, locuſtæ, cicadæ. Vox Francica. TATIANUS Cap. XIII. 11. de Johanne Baptiſta: *ſin muos uuas heuuiskrekio*, eſca ejus erat locuſtæ. Cicadas a cantu maxime commendant Poëtæ, etiamſi non omnes ſint vocales, ſed quædam mutæ. Hinc PEISKERUS exiſtimat alteram compoſiti partem (nam de priori nullum dubium eſt, quin ſit ab *heuw* fœnum, vel ëια gramen) deſumptam eſſe a Græc. γρύζω clamare, & ſecus ſentientes prolixe refutat. Sed his originibus minime opus habemus. Nam locuſta ſtilo Germanico eſt ſaltatrix, a *ſchricken* ſaltare, ſubſilire (cujus antiquitatem infra oſtendo), ſicut optime animadvertit MARTINIUS, & plurium linguarum conſenſu confirmavit, quæ huic inſecto nomen a ſaltando, quod in fœno vel gramine ſaltet, impoſuerunt, cujusmodi eſt, *ſprinkhaen* apud Belgas, *grashopper* apud Anglos, *ſauterelle* apud Gallos. Quibus addi poteſt *ſprinkel*.

HEXE, incantatrix, & Diaboli concubina. Belgis *heks*, *hex*, Anglis *hag*, *hagg*. Sueci & reliqui ſub Arcto populi aliis utuntur vocibus, quæ ad harmoniam referri non poſſunt. Quid noſtra ſignificet, nondum ſatis aſſequor. Non quod eo tempore, quo miſeris imponi cœpit, non fuerim coram, ut non nemo in re ſimili jocatur; & multo minus quod ſit ſonus inanis nulla ſubjecta ſententia; ſed quod examinanti tot ſe offerant fontes, ut unde potiſſimum haurienda ſit, plane neſciam. Hoc unum me poſſe video, ut quædam ſubſtantiva ex variis Linguis ejusdem aut vicini ſignificatus, & deinde etiam verbum, unde ſimile ſubſtantivum oriri potuit, Lectori oſtendam. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hægeſſe* larva, lamia, furia. Hecate, *hægteſſe* idem, *hegtys* ſtrix. Ex his prima vox referri poteſt ad *egeſian* terrere, terrorem inferre. Nam venefica eadem Dialecto dicitur *egeſe-grimma*, velut atrox terrore. JUNIUS vocem Belgicam videtur detruncare ex *Hecate*, ἑκάτη, quod eam præſidere malis artibus exiſtimaverit olim vulgus paganorum, in Obſ. ad Will. 191. Et mulier, de qua agimus, creditur etiamnum artium infernalium magiſtra. Contra SKINNERUS vocem Anglicam deducit a Lat. *ſaga*, cum nihil vulgarius ſit, quam ſibili in ſpiritum tranſitus. Ex iisdem elementis fieri per metatheſin poterat *agſa*, & præfixo ſpiritu *hagſa*. Gothica Lingua *husjan* eſt putare Matth. V. 17. Islandica *huga*, *hyggia*, *hugſa* cogitare, conſiderare, interprete VEREL. in Ind. Utrumque ab *hyge*, *huge*, quod in omnibus veterum Dialectis mentem animumque ſignificat. Inde Islandis *forhuxadur madur* providus futuri Prov. 14. Ab hoc ſtemmate haud alienum videtur *hugſe*, *hexe* mulier ſapiens, aruna, fatidica, quod ante Chriſtianam Religionem laudari, poſtea (ut plura alia) vituperari & in deteriorem ſenſum accipi potuit. Hinc doctiſſ. KEYSLERUS idem vocabulum iis accenſet, quæ ex optima ſignificatione ad ſiniſtram fuere redacta, in Antiq. Septentr. pag. 149. Sed nihil obſtat, quo minus pravo ſenſu immediate prodierit ex iisdem fontibus. Nam vitium Sagæ in mente eſt, quæ primo male intenta & male affecta eſt erga proximum, & ſecundo ea cogitat atque imaginatur, quæ nec ſunt nec eſſe poſſunt, itinera per aërem, conſuetudinem cum Diabolo, & ſimilia. Hinc ſaga revera eſt quod dicitur, nempe peſſima cogitatrix. Hiſpanica *hechizera* ſaga, & *hechizar* incantare, faſcinare, manifeſto ſunt Saxonicæ originis, ab *hægeſſe* mulier infernalis.

HEYDE. V. *heide*.

HIE, hic, hoc loco, apud nos, *hieher* huc, ad locum. VEREL. in Ind. *hia* apud vel juxta. Colloq. Chriſti cum Samaritana: *unſer altmaga ſuchton hia genada*, noſtri progenitores petebant hic gratiam. Forte per apocopen ex antiquiori & omnibus Dialectis communi *hier*.

HIEB, ictus. Refer ad *hauwen* cædere. W. ſæpe tranſit in B.

HIER, hic. Gothis & Angloſaxon. *her* Marc. IX. 5. Francis & Alam. *hier*, *hiar*. Gloſſ. Lipſ. *hiera* hic. Gloſſ. Keron. hic *hiar*. TATIA-

NUS Cap. CLXVI. 4. *fenu zuei ſuuert bier*, ecce duo gladii hic.

HIER, huc. Idem quod *her* vel *hieher*, & ex alterutro factum.

HIESIG, noſtras, hujus regionis aut loci. Ab *hier* hic, mutato R. in S. Niſi forte ſit ab *hus* domus, quaſi domeſticus.

HILL, mons & collis, Dial. Anglica & Angloſaxonica. Haud dubie a notione altitudinis, ut omnia montium nomina apud Germanos. Nam *ha*, *hau*, *ho* in veteſtiſſimis Dialectis eſt altus, *hoya* & *heun* extollere, & L. eſt medium derivandi, ut oſtendi in *Proleg.* Sect. VI. Similia ſunt *collis* & κολώνη apud Latinos & Græcos. Sed *hill* ſimplicius eſt, & origini conformius, & ab illo nomen ducunt celebres monticolæ HILLEVIONES & HELVETII. Illi a *wonen* manere, hi a *beiten* manere.

HILLEN, ſonare, reſonare. Utitur OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXIII. 373. Edit. Schilt.

Ther altar ſcono hillit,
Thaz muſica giſingit.

Lege cum cel. SCHERZIO, *thir al thar* &c. & verte: *tibi omne ibi pulcre reſonat, quod Muſica (cæleſtis) cantat.* Dicitur etiam *hallen* & *hellen*, quæ vide.

HIMBEEREN, mora rubi. Vitiatum ex Angloſaxonico *hind-berian* uva cervæ, quod eſt ab *hinde* cerva. Idem fructus Anglis dicitur *hind-berries*, rectius & antiquius.

HIMMEL, tectum ſuſpenſum, laquear, cadurcum &c. Gloſſ. Boxh. *himila* laquearia. Gloſſ. Pez. laqueatis *gihimiloton*. Refer ad *heimen* tegere.

HIMMEL, cœlum. Gothis *himins* Luc. IV. 25. Franc. & Alam. *himil*, Island. *himin*, *himen*, Suec. *himmel*, Belg. *hemel*. Gloſſ. Ker. cœlum *himile*, de cœlis *fona himilum*, regni cœlorum *himilribbes*, cœleſtem *himiliſcun*. VEREL. in Ind. *himinthungl* aſtra, ſtellæ cœli, *glerhimin* uraniſcus, cœlum cryſtallinum, *himirikis gata* via in cœlum, *himneskr* cœleſtis. KILIANUS, SOMNERUS, & univerſe omnes, quotquot inſpexi, a notione tegendi deducunt, ſuffragium ferentibus Poëtis, quibus nihil familiarius, quam Cœlum aſſimilare tecto. OVIDIUS: *Ante mare & terras, & quod tegit omnia cœlum.* Idem: *Hac iter eſt ſuperis ad magni tecta tonantis.* Quamvis autem *heimen* pro *tegere* vox vera & minime ficta ſit, & cœlum recte dicatur tectum: fieri tamen poteſt, ut nomen Cœli ex antiquis fabulis ortum ſit, quæ Cœlum a Saturno caſtratum fingunt. Quo pacto *himmel* erit ab *hammen* vel ejus frequentativo *hammeln* excidere, præcidere, reſecare. Cauſa fabulæ hæc eſſe videtur, quia cœlum non procreat ſui ſimile (unum enim eſt cœlum, nec plura eſſe poſſunt), vel quia nobis videtur exciſum, unde etiam Latinis *cælum* a κοίλον concavum dicitur. Vide quæ de Cœlo diximus in *rachen* palatum. Vocem Angloſaxonicam invenies in *heben* levare.

HIMMELITZEN, fulgura & fulgurare. Vox Theophraſto Paracelſo familiaris, a Suecico *lyſa* corufcare.

HIN, hinc, *von hinnen* inde. Adverb. motus de loco, quod Angloſaxonibus effertur *heonan*, *heonon*, Francis *hina*, Anglis *hence*, tanquam eſſet a Lat. *hinc*. TATIANUS Cap. CLXVI. 4. *erſtantet inti games hina*, ſurgite & eamus hinc. Inde *hinfaren* abire. Gloſſ. Boxh. *hinafare* abeam.

HIN, eo, illuc. Adverb. motus ad locum. Inde *hinauf* ſurſum, *hinab* deorſum, *hinaus* foras, *hinein* intro, & alia, legitime quidem facta, ſed recentiora.

HIN, nunc. Adverb. temp. præſ. Inde Gothis *hindag* dies præſens, dies hodiernus Matth. XI. 23. XXVII. 8. Francis *hinaht* hac nocte, apud OTFRIDUM Lib. V. Cap. X. 11. Angloſaxonibus *heonon-forth* abhinc, id eſt, a modo, a nunc, & deinceps, Germanis *hinfort* & *forthin* eadem notione, *hinfür* in poſterum, *immerhin* perpetim. In quibus compoſitis particulæ *fort*, *für*, *immer*, fluxum temporis præſentis continuant.

HIN, interdum eſt adverb. ordinis, ultimum terminum rei ſignificans. Inde Angloſaxonibus *hiim-fith* exitium, Francis *hinafort* mors, quæ eſt ultima linea rerum, in Harm. Evang. Tat. Cap. IX. 3. Germanis *hinrihten* idem, *hinrichten* interficere, *er iſt hin* obiit, exſpiravit, *die zeit gehet hin* tempus perit, Sorabis *hinu*, *hinem* perire, interire.

HINDE, *hindin*, cerva. Angloſaxonibus, Anglis, Suecis, & Belgis, magno conſenſu *hind*, Francis *hint*, Cambris *hydd*. Gloſſ. Ælf. in nom. ferarum: cerva *hind*, hinnulus *hind-ceaſf*. Gloſſ. Florent. *hintchalb* dama, damula. BOXHORN. in Lex. Ant Brit. *hydd* cervus, dama. Græcis ἔνας eſt capreæ ſive capra ſilveſtris, unde fieri poterat *hind*, quamvis ſenſu mutato. Nam genera ferarum in omnibus fere linguis confundi ſolent a vulgo. Exempla vide in *her* animal, & alibi. Vox Cambrica videtur ſyncopata e Saxonica *hind*, niſi in Lingua Celtica ſit radix, quam ego ignoro. Inſcriptio Pfalmi XXII. habet *hindin*.

HINDEN, poſt, retro, a tergo. Angloſax. *hindan*, Angl. *behind*. Forte contractum Gr. ἐν νώτῳ in dorſo.

HINDER, eadem notione. Evang. Goth. Marc. VIII. 33. *gagg hindar mik ſatana*, vade retro me Satana. Gloſſ. Pez. poſt tergum *hinterrucce*, converſa retrorſum *hinter ſih pichertiu*.

HINDER, poſticus, poſterior, *hinder-theil* poſticum, *hinder-baus* partes ædium poſticæ, *hinder-haubt* occiput. VEREL. in Indice *hinderdag* primus dies a nuptiis vel poſtridie nuptiarum. In compoſitis dicitur de ultimo & extremo. Inde Gothis *hindumiſto requis* extremæ tenebræ Matth. VIII. 12. & Anglis *hindermoſt*, *hindmoſt* poſtremus.

HINDER, quatenus poſticum notat, ſive eum qui a tergo eſt, tropice eſt *perverſus*, *averſus*, *clandeſtinus*. Inde Angloſaxoni-

bus *hinderſcipe* nequitia, a perverſitate, Anglis *hinderling* degener, quia degeneres ſunt a majoribus averſi, Germanis *hinderhalt* inſidiæ, auxilium clandeſtinum, *hinderliſt* fraus, fallacia, ars tecta, occulta, & velut poſtica, *hindergehen* circumvenire occulte, *hinderbringen* denunciare clam.

HINDER, reliquus. Senſus a poſteriore petitus, quia id quod reliquum eſt, videtur a tergo relictum, & pone ſequi antecedentia. Utitur Codex Arg. Luc. IX. 13. *niſt bindar uns maizo ſimſ hlaibam*, non eſt reliquum nobis plus quam quinque panes. Hodie utimur compoſito *hinderſtellig*, quod eſt quaſi inter reſidua poſitum.

HINDER, dorſum, nates. Apocopatum ex *hinder-teil* pars poſtica, vel ſubſtantivatum ex *hinder* poſterior.

HINDERN, *verhindern*, impedire, obſtare. Angloſaxon. *hindrian*, Belg. *hinderen*, Angl. *hinder*, Suec. *hindra*. Proprie eſt officere a tergo, vel facere ut cœpta vel incipienda retro eant, ab *hinder* retro.

HINDERN, *verhindern*, decipere, circumvenire a tergo. Senſus verbi Francicus. Gloſſ. Pez. fraudari *virhintrit uuerden*, fraudavit *virhintreta*, defraudes *virhintres*. Ab *hinter* poſticus, clandeſtinus, quia fraus ſolet intentare periculum occulte & a tergo.

HINDERNUSS, *hinderniſs*, obſtaculum, olim etiam læſio & damnum. Angloſax. *hynth*, Belgis & Suecis *hinder*, Anglis *hindering* & *hindrance*. Refer ad *hindern* impedire.

HINDLEUFTE, cichorium. Vide *leufte*n.

HINDLEUFTE, ſolſequium. V. *ſonnenwende*.

HINKEN, claudicare. Gloſſ. Pez. claudicatis *hinchet*, claudicantem *hinchenten*. Conſenſum linguæ Sorabicæ exhibet FRENZELIUS pag. 34. & vocem deducit ab Heb *nekeh* claudus, loripes. Sed præſtat arceſſere ab *anke*, quatenus coxendicem denotat. Nam claudicare eſt in alterum latus pendere.

HINNEN, intro. Contractum ex *hie innen*, ſicut *hauſſen* foris ex *hie auſſen*.

HIPPE, ſecula. Utitur Luth. Apoc. XIV. 17. ſeq. Referri poteſt ad *hauwen* cædere, quia W. & P. ſunt literæ permutabiles, vel ad *kappen* ſecare, quia K. ſæpe transformatur in H.

HIRN, cerebrum. Vox e Græc. κράνιον vel Lat. *cranium* formata, & ad meduliam cranii translata per metonymiam continentis pro contento, auctoribus Gothis & Francis, quorum illi cerebrum vocant *quairn*, quod ex nomine Calvariæ colligitur Marc. XV. 22. hi vero *hirn*. Gloſſ. Pez. cerebrum *hirno*. Saxonicam vocem vide in *bregen*.

HIRS, *hirſe*, milium. Gloſſ. Pez. milium *hirſi*. Sueci utuntur compoſito *hirsgryn*, quod, ſi ducatur a *hiort* cervus, ſignificare poteſt legumen cervi, ſive quia milium eſt gratiſſimus cervorum cibus, ſive quia ſpica milii cornua cervi imitatur, quod exiſtimat FRENZELIUS in Orig. Sorab. pag. 967. Ejusdem obſervationi debemus, quod in Dialectis Linguæ Slavonicæ *jelen* & *gelen* eſt cervus, & hinc *jahly* & *gahly* milium. An ſimilia in aliis quoque Linguis reperiantur, curioſis inquirendum relinquo.

HIRSCH, cervus. Angloſaxon. *heorot*, *heort*, Francis *hirz*, Franco-Saxonibus *hiret*, Belgis & Angl. *hart*, Suec. *hiort*. Gloſſ. Ælf. in nom. ferarum: cervus vel eripes *heort*. Gloſſ. Lipſ. *hiret* cervus. NOTKERUS Pſal. XLI. 2. *alſo der hirz kerot ze demo urſpringe dero uuazzero, ſo gerot min ſela ze dir Got*, quemadmodum deſiderat cervus ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea ad te Deus. Cervum currendo per mundum, per omnes vocales tranſiiſſe, incipiendo ab *hurſch* celer, olim exiſtimavi, quia hoc nomen dotem animalis, mirandam inquam pernicitatem, perfecte exprimit. Ob eandem cauſam equus videbatur mihi Angloſax. dictus *hors*, Germanice *roſs*, quod cervum velocitate æquet. Sed nunc aliter ſentio, quia omnia nomina, quibus velociſſimus ille nemorum curſor in Linguis Occidentis deſignatur, manifeſto conveniunt in Græc. κεραὸς corniger, cornutus. Nam hinc fera illa cornuta Armoricis dicitur *caro*, *caru*, per apocopen, Latinis *cervus* per epenthesin, Germanis *heoror*, *hiret*, *hirs* &c. quia kappa mutari ſolet in ſpiritum aſperum. Quanta ſit Germanicæ vocis vetuſtas æque ac celebritas, patet ex nominibus inde deductis, cujusmodi ſunt *Artemis*, *Hartemis* Diana venatrix, *Harz-wald* & per apocopen *Harz* ſylva cervorum, vaſtiſſimum nemus Germaniæ, Latinis *Saltus Hercynius*, manifeſta Germanicæ vocis imitatione, & ab hoc ſaltu *Cheruſci*.

HIRT, cuſtos, *hirten* cuſtodire. Utrumque obſoletum. Dicitur antiquitus de militibus, pædagogis, theſaurariis, eunuchis &c. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *hyrdan* cuſtodire, *cilda-hyrd* pædagogus, *cwen-hyrd* eunuchus, *feorh-hyrde* vitæ protector. VEREL. in Ind. *hirda* ſervare, cuſtodire, *hird* cuſtodia corporis regii, ſatellitium, *hirdmadr* cuſtos corporis, ſervator, *hirdsveinar* ſatellites, *fehirdi* theſaurarius. TATIANUS Cap. CCXVII. 4. de cuſtodibus ſepulchri dominici: *erbruogite uuarun thie hirta*, exterriti ſunt cuſtodes. Milites autem erant, non paſtores.

HIRT, paſtor. Goth. *hairdeis* Joh. X. 2. Angloſaxon. *hyrde* ibidem, Franc. & Alam. *hirti*, Belg. *herder*, Island. *hyrder*, Suec. *heerd*. Gloſſ. Boxh. *hirti* opilio. Gloſſ. Keron. paſtor *hirti*, paſtoris *hirtes*. TATIANUS Cap. VI. 4. *tho ſprachun thie hirta untar in zuisgene*, tunc loquebantur paſtores ad invicem. Quod ante erat cuſtos in genere, poſtea ad cuſtodem pecudum ſive paſtorem reſtringi cœpit, ut bene hic monet JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 182. Helvetii inde habet *hirten* paſcere.

HIRTEN,

HIRTEN, ſervare, cuſtodire. Angloſax. *hyrdan*, Island. *hirda*. Græcis κοαπεῖν tenere. Ab hoc cætera deduci poſſunt.

HITZE, calor, ardor. Græc. αὖϑος, Lat. *æſtus*, Angloſax. *heat*, *hete*, *hætu*, Franc. *hizo*, Angl. *heat*, Belg. *hitte*, *hette*, Suec. *heeta*, Gloſſ. Pez. ardoris *hizo*, igne *hizo*. Rhythmus de S. Annone §. 3. *die ſterrin geberent vroſt unte hizze*, aſtra producunt frigus & calorem. Verbale ab *hitzen* æſtuare, vel ab *eiten* urere. Quando ad animum refertur, tunc ſignificat iram, furorem, & intemperiem animi. Sic ira Gothis dicitur *hatiza* Luc. III. 7. Angloſaxonibus *mod-heat* apud BENSON.

HITZEN, calere, fervere, æſtuare. Gloſſ. Pez. æſtuabat *hizota*. Idem Angloſaxonibus *hatian*. Utrumque ab *eit* ignis. Metaphorice dicitur de animo. Inde *erhitzt* iratus.

HITZEN, calefacere, facere ut caleat, *es hitzet nicht* non calefacit. Verbum facefſens ex præcedenti, vel immediate ab *eit* ignis.

HITZKE, familia. VEREL. in Ind. *hyski*, familia, domus. Utrumque corruptum ex antiquiori *hiuuiske*, quod eſt ab *hiwe* domus, & hoc ab *hirwan* formare. Gloſſ. Keron. familias *hiuuiskes*. SOMNER. in Dict. AS. *hiwe* domus, familia, *hiwiſce* familia, *hiwan* formare. Vocem primus produxit PALTHENIUS in not. ad Tatian. pag. 311. HELVIGIUS Pomeranis tribuit *hiſche*, & derivat ab Heb. *jachas* familia, tribus, agnatio.

HO, altus, *hoheit* altitudo. Idem quod *ha* vel *han*.

HOBEL, *höbel*, dolabra. Suec. *höfwel*. Unde, niſi ab uſu, quem fabris lignariis præſtat in *dolando*, quod antiquitus dicitur *hauwen*, de quo ſignificatu actum ſuperius. W. & B. ſunt literæ convertibiles, & *el* eſt medium derivandi in quam pluribus vocabulis. Ab *hobel* rurſus fit *hobelen*, & alia Dial. *hofelen*, dolare, allegorice erudire, quo utitur Luth. Hoſ. VI. 5. Inde *ungehobelt* rudis, indiſciplinatus, ſtipes, quod dicitur de homine agreſti.

HOCH, *hoh*, altus, excelſus. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *uch*, *uchel*, Gothis *hauh*, & in comp. quibusdam *auh*, Angloſaxonibus *heah*, Francis *hoh*, Belg. *hoog*, Angl. *high*, Suec. *högh*. NOTKERUS Pſal. CXIII. 5. 6. *der uffen hohen himelen ſizzet*, *ziu ne ſol der niderin ſiehen in erdo?* Qui in altis cœlis ſedet, cur non reſpiciat deorſum in terram? Derivari poteſt, vel ab Heb. *gaah* elevatus eſt, ut exiſtimat HELVIGIUS, vel a Cambrico *uchо* ſupra, vel, quod mallem, a ſimpliciſſimis initiis *ha*, *hau*, *ho*, altus & alte. Quæ certe ſunt ab auctore natura, ut in ſingulis oſtendi. Natura enim, dum ideam altitudinis conatur voce exprimere, aërem hauſtum in altum protrudit, & unam ex illis ſponte effingit.

HOCH, eminens, ordine & dignitate ſuperior. Gloſſ. Boxh. *hoh fater* pater excelſus. Inde

Cambris *uchelwr*, *uchelfaer*, & *mab uchelwr*, homo generoſus, baro, comes &c. apud WOTTONUM in Gloſſario, & BOXHORN. in Lexico Ant. Brit.

Gothis *auhumiſts weiha* ſummus ſacerdos, *hauhjan* glorificare, laudibus extollere, *hauhitha* gloria.

Angloſaxonibus *heah-engle* archangelus, *heahgereſa* ſummus præpoſitus, & alia apud SOMNERUM & BENSONIUM.

Francis *hohfater* patriarcha, & alia apud SCHILTERUM in Gloſſario.

Germanis *hohe leüte*, *hohe mannen*, *hohe dienſtmannen* vaſalli & miniſteriales ſuperioris ordinis, *hochgeboren* illuſtris, exceſſo loco natus, *hohe jagd* venatio cervorum & aprorum, ſic dicta velut *ſuperior*, quia ad regalia refertur.

HOCH, excellens, virtute eximius. Gloſſ. Boxh. *hohem* excellentes. Inde Angloſaxonibus *heah-heort* magnanimus, & Danis *hoimod* celſitas animi. WINSBEKIUS ad fil. §. 37. *bis gegen den vienden hohgemüt*, eſto magnanimus erga inimicos. Hodie non licet nobis ita loqui, etiamſi vera animi celſitas in eximia & haud vulgari virtute conſiſtat. Vox Celtica *uchel* eodem polluit ſenſu. Nam in Botanologio BOXHORNII viſcum vocatur *uchelwydd*, non certe ab altitudine (nam *altitudo viſci non excedit cubitalem*, teſte PLINIO Lib. XVI. Cap. ult.) ſed ab inſigni virtute, quam PLINIUS prolixe commendat ex mente Druidum Lib. XXIV. Cap. 4. Totum igitur compoſitum ſignificabit *virgulam excellentem*. Nam *gwydd* Celtica Lingua eſt germen, ſurculus, arbor. De virtute viſci vide plura in *miſtel*.

HOCH, ſenſum intendit & amplificat in compoſitis. Inde *hochgelert* valde doctus, *hochweis* valde ſapiens, *hoch-mögend* præpotens, prævalidus &c.

HOCH, quatenus refertur ad animum, ſæpe vituperatur, & dicitur de ſuperbis, quia ſe ſupra alios inaniter efferunt, nimia & ſtulta meritorum ſuorum æſtimatione. Inde

Gothis *hauhhairtei* ſuperbia Marc. VII. 22.

Angloſaxonibus *heah-mod* ſuperbus.

Francis *homudiger* tumidus, elatus, apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 191.

Germanis *hochmut* ſuperbia, *hochmütig* ſuperbus, *hoher geiſt* animus elatus, ſublimia ſpirans, humilia faſtidiens.

HOCH, dicitur etiam de cogitatione. Inde *hohe gedanken* cogitationes ſublimes, *das iſt mir zu hoch* hoc captum meum tranſcendit.

HOCHZEIT, feſtum, feſtivitas. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *heah-tide* tempus ſolenne,

ne, dies feſtus vel ſolemnis. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXII. 3. de Encæniis Judæorum:

Thioſelbun hoho ziti
Firotun thie liuti.

Vertit SCHILTERUS:

Hoc feſtum tempus
Feriabantur homines.

Jus prov. Alam. Cap. CCCLIII. 3. *ain ieglich uertag, den man nit dem bann gebiuet, der hat daz ſelbe reht als der ſunnentag und drie hohzit, Wihennaht, Oſtern und Pfingſten.* Vertit cel. SCHERZIUS: Circa quamlibet diem feriatam, quæ publice indicitur, id juris obtinet, quod viget circa Dies Dominicas & tria hæc feſta, Natalitiorum ſcilicet, Paſchatis & Pentecoſtes. Hic ſenſus, quam vis Germanis elapſus, ſuperat tamen hodie apud Suecos, quibus *hogtyd* feſtum, *hogtyds dag* dies feſtus. Et fortaſſe etiam apud Anglos. Nam *hock tide*, quod Lexicographi vulgares, SPELMANNUM ſecuti, *fugalia* interpretantur, tanquam eſſet tempus, ob Danos Anglia ejectos feriatum, idonea derivatione deſtituitur, & potius ſignificat *hilaria*. Ideoque a doctiſſimis viris SOMNERO atque SKINNERO rectius ad conſenſum cum reliquis refertur. Compoſitum vero antiquum nihil aliud denotare videtur, quam vel tempus ſacrum, ſi *hoch* truncetur ab ἅγιος ſanctus, vel tempus lætum & diem genialem, ſi *hoch* derivetur ab *högen* gaudere, quod inprimis placuit STADENIO in Voc. Bibl. pag. 313. Dicitur autem *zeit*, quia feſtivitas eſt tempus quotannis recurrens.

HOCHZEIT, nuptiæ, feſtum nuptiale. Id eſt, *höge zeit* dies lætitiæ. Varios ſignificatus τῦ *zeit* vide in loco.

HÖCKEN, ſedere, *ſtuben-bocker* homo deſes, qui ſemper domi latet poſt fornacem tanquam in conditivo. Verbum Suevis & Scandis commune. VEREL. in Ind. *huka* incurvare ſe modo cacantis, *arinhaukur* ſenex incurvus, cernuus foco aſſidens, & foci incola. Derivari poteſt, vel a Belgico *hoek* angulus, curvatura, vel ab *hacke* calx pedis.

HÖCKER, gibbus, *höckericht* gibboſus. Belgis *hoek* eſt angulus, & *huiken* incurvari. Utrumque videtur convenire illi in dorſo tumori, quem gibbum vocamus. Alias gibbus Angloſaxonibus dicitur *hofer*, ab *heben* levare, quia ſupra dorſum attollitur. Et huic vocabulo mire reſpondent Græca κυφὸς gibboſus, incurvus, ὄγκος tuber in dorſo cameli. Ab *hofer* autem fieri poterat primo *hocher*, ob frequentem literarum F. & CH. permutationem, & a *bucher* deinceps *hocker*.

HODEN, teſticuli, *hoden-ſack* ſcrotum, pellis quæ teſticulos continet, *hoden-wider* aries integer & non caſtratus. Vox a Francis relicta. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. teſticuli *hodon*, qui ſemen vecti infundunt. SCHILTERUS derivat ab *hüten* cuſtodire, cum quia Leges Antiquæ Germanorum ſummopere cavent, ne pars illa lædatur, tum quia majores peculiarem cuſtodiendi rationem obſervarunt, præcipue in Torneamentis, ut ex picturis eorum apparet. Erudite, an etiam vere, dubito. Nam Gloſſa RABANI ita concepta eſt, acſi nomen Theotiſcum deſumptum eſſet ab ὁδὸς duco, quia teſticuli ſunt *ductus ſeminales*, unde vectis ipſe ſemen accipit, nonſolum in homine, ſed etiam in beſtiis.

HOF, modus. VEREL. in Ind. *hof* modus, modulus, mediocritas, temperantia, *ur hofe ganga* modum excedere, *hæfliga* convenienter, decenter, *hofsmadur* moderatus, *ohof* immoderatum, quod modum excedit, *ohofliga* immoderate. Refer ad *heben* continere, abſtinere. Hodie ignoramus quid ſit *hof*, & nihilominus ab illo habemus *höfiſch*, quatenus modeſtum, ſedatum, moderatumque ſignificat.

HOF, menſura. Vide *haubt*, quod uſitatius.

HOF, circulus. Angloſax. *hop*, Angl. *hoop*, Belgis *hoep*, & diminutive *hoepel*. Videtur deſcendere a verbo Islandico *hopa* retrocedere, quod ſiſtit VEREL. in Indice, quia circulus eſt figura, quæ in ſe ipſam retrogradi videtur. Et hac notione utimur etiamnum in appellatione *Circuli Logici*, qui dicitur committi, cum ex uno, ut cauſa, deducimus aliud, ut effectum, & ex hoc iterum, ut cauſa, in prioris, ut effectus cognitionem regredimur. Hodie non dicimus niſi de circulo ſyderum, quem *halonem* vocant.

HOF, area, locus ante domum, palatium, templum, ambitu quodam cinctus, ſed apertus, & hinc fortaſſe ab *offen* patens. Franci promiſcue ſcribunt *of* & *hof*. TATIANUS Cap. CLIII. 3. *in of thes heroſton thero heithaſtono*, in atrio principis ſacerdotum. Idem Cap. CLXXVI. 2. *in then hof thes hisgoſes*, in atrium Pontificis. Inde compoſita, *ſelhof* area ante domum, *kirch-hof* area ante templum, *vor-hof* atrium, proaulium.

HOF, impluvium, locus ſubdialis intra ædes. Ex eodem fonte. Inde *ſchloſs-hof* area intra arcem.

HOF, domus, curtis. Ab *hiwan* formare, fabricare, quia domus eſt locus manendi manibus factus & fabricatus. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hofe* domus, ædes, *hiwan* formare, fabricare. Conſentit Turcicum *ew* domus, apud CLODIUM in Lex. Turc. MARTINIUS ſcribit *eff*, & Perſis tribuit *euwi*, eodem ſenſu. Antiqua compoſita ſunt,

ſcob-hofe, erarium, quod Angloſaxonicum, *hovæwarth*, canis domus cuſtos. Lex Boior. Tit. XIX. 9. *Si canem occiderit, qui curtem Domini ſui defendit, quem hovæwarth dicunt.*

oberos, effractura domus, in Lege Longobard. Lib. I. Tit. XXIV. 5. *Mulier curtis rupturam,*

pturam, quod eſt oberos, facere non poteſt. A *riſt* ruptura, & *obe*, *hobe*, curtis, interprete LINDENBROGIO.

Hodie utimur ſequentibus, *bauren-hof*, *meier-hof* domus ruſtica, villa, *gaſt-hof* diverſorium, *gerichts-hof* curia, *pfarrhof* ædes parochi, *kuttel-hof* macellum &c. Item *kölnhof* coloni villa, VOX GOLDASTI in Animadverſ. ad Script. Parænet. pag. 441.

HOF, prædium, cum omnibus ædificiis, agris, paſcuis &c. Latino-Barbaris *hovia*, *hova plena* & *hobunna*. Dictio ſynecdochica, qua nomen partis, h. e. domus vel curtis ad totam coloniam transfertur. Viget præcipue in compoſitis, cujusmodi ſunt, *frei-hof* prædium immune & liberum, *ritter-hof* prædium nobile, *fron-hof* prædium cui operæ ruſticæ præſtantur &c.

HOF, aula, palatium, regia. Gloſſ. Boxh. *hof*, *ſalanza*, *forzih* aula. VEREL. in Ind. *hof* aula, ſed rarius, *hofdreingur* vir aulicus. Forte Græculus quidam, qui veram felicitatem a falſa & perſonata neſcit diſtinguere, ducet ab *εὖ* bene, quod feliciores ibi habitent. Abundet ille ſenſu ſuo. Mihi ſignificat domum principis, prætereaque nihil. Amant enim noſtri in re ſplendida ſimpliciſſimis uti vocabulis, & ad prima initia reducere omnia, ut faſtum rebus, atque una invidiam detrahant. Hinc illa nominis communio, ut regis æque ac ruſtici domus dicatur *hof*, h. e. fabrica vel ſtructura. Inde compoſita, *hof-diener*, *hof-leute* ſervi principis domeſtici, *hof-geſind* famulitium aulicum, *hof-ding*, *hof-gericht* forum aulicum, *hof-mark* territorium aulicum, jurisdictio aulica, *hof-lehn* feudum palatii, ea lege datum, ut cliens munere aliquo in aula patroni fungatur, & alia ſatis manifeſta.

HOF, univerſus principis comitatus, quatenus ex ſervis & famulis primi & infimi ordinis componitur. Dictio metonymica, qua continens ponitur pro contento, aula pro iis qui in aula ſerviunt. Huc ſpectat compoſitum *hof-lager*, quod dicitur de quavis ſede extra aulam, ubi princeps cum famulitio ſuo commoratur.

HOF, templum. Senſus Scriptoribus Sagarum unice uſitatus. VEREL. in Ind. *hof* templum, fanum, delubrum, *hofa rett*, *hofa gvid* jus aſyli in templis, *hofuz hof* templum primarium, *hofgydia* Dea templi præſes, Dea fani, item Sibylla quæ Deæ miniſtrat, & ſciſcitantibus reſponſa promit, qualis erat *Pythia Colfroſta* apud Septemtrionales. Ultima verba extant in Ind. ad Herraudi Sagam.

HOFEN, domo & hoſpitio excipere. Jus Prov. Alam. Cap. CXXIV. *der den ehter hufet oder hofet*, de eo qui proſcripto domicilium vel hoſpitium præbet. Refer ad *hof* domus.

HOFFART, ſuperbia, *hoffertig* ſuperbus. An dicemus, hanc vocem ad cognationem cum reliquis ſpectare, & proprie denotare *indolem aulæ*. Falluntur, qui ita ſentiunt, non quidem in re (quid enim aula & aulicis ſuperbius?) ſed in voce; Quæ certe ex alia & antiquiori & magis genuina *hochfart* depravata eſt, mutato CH in F. quod frequentiſſime. NOTKERUS Pſal. LXXIV. 6. *ne uuelent hohfertig, ne choſont unrehto uuider Gote*, nolite efferri, ne loquamini iniquitatem adverſus Deum. WINSBEK ad fil. §. 72. de Nabucodonoſore: *von hohvart ſich verviel ſin ſpil.* Sueci eodem ſenſu dicunt *hogfærd*. Non ab *hof* aula, ſed ab *hog*, *hoh*, *hoch*, quod ſæpe altitudinem improbabilem & vitioſam denotat, & *faren* tendere. Superbia autem quid eſt, niſi niſus in altum, & vana hominis ſupra alios elatio? Confer ſynonyma *hochmut & übermut*.

HOFLICH, *höflich*, ſignificare poteſt aulicum. Sed an eo ſenſu alicubi occurrat, dubito. Nam *höffiche ſitten* non ſunt mores aulici civitate donati, ſed mores ſedati & decori, non ab *hof* aula, quæ non ſemper eſt cultioris vitæ officina, ſed ab *hof* modus, vel a Celtico *hoyw* cultus, concinnus, elegans, quod hodie ſuperat apud Cambro-Britannos, & originem ſuam refert ad Saxonicum *hiwan* formare. A priori fonte is, qui dicitur *höffich*, habet hoc, ut ſit modeſtus, ſedatus, & moderatus in dictis & factis; a ſecundo, ut ſit cultus, elegans, decorus. Utrumque dicitur etiam de iis, qui nunquam in aula verſati ſunt.

HOFMAN, ſignificat quantum poteſt, aulicum vel miniſterialem aulæ, & villicum ſeu colonum. Gloſſ. Pez. tyronum *hovamann*. Ratio interpretationis eſt, quia medio ævo omnes, tam aulici quam villici, militiæ erant adſcripti, & prædia ſua ſtipendii cauſa tenebant.

HOFSTAT, ager, tam cultus quam incultus. Gloſſ. Pez. areas *hovaſteri*, in area *hovaſteri*. Proprie eſt locus ad prædium ſpectans, vel recipiendæ villæ idoneus, ab *hof* prædium, villa, domus, & *ſtat* locus. Latino-Barbari *aream* vocant. Cujus vocis ſignificatum CANGIUS reſtringit ad locum, qui nec colitur nec aratur. Neſcio an recte. Nam *hofſtede* Belgis hodiernis eſt prædium cultum, *landhuis*, *plaats op't land*, quamvis etiam vacuum & deſertum (ſi recte memini) aliquando ſignificet.

HOFSTAT, famulitium aulicum. Belgis *hofſtoet*, *hofſteep*. Proprie eſt locus, ubi princeps cum ſuo comitatu commoratur, & poſtea ipſe comitatus, per metonymiam continentis pro contento. Nomen loci transferre ad homines qui in loco ſunt, inſtitutum omnibus linguis familiare eſt. Sic *civitas* ſæpe ponitur pro civibus, & *Academia* pro academicis &c.

HOFEL, *höfel*, fæx. V. *hefe*.

HOFFEN, ſperare. Angloſaxon. *hopian* & *opian* apud BENSONIUM, Belg. *hoopen*, Angl. *to hope*, Suec. *hoppas*. Evang. Angloſaxon. Luc. XXIV. 21. *we hopedon thæt he to alyſenne wære Iſrahel*, ſperabamus quod redemturus eſſet Iſrael. Verbum Saxonico idiomati proprium, & forte a Græco *σπένδω* proſpicere (ut MARTINIUS conjectat) orun-

dum,

dum, quomodo etiamnum dicimus *ſich verſehen* pro ſperare, quia ſperantes ſimiles ſunt iis, qui dum rem venturam exſpectant, de loco in locum proſpiciunt. Formulam a Francis nobis relictam exhibet NOTKERUS Pſal. V. 12. *unde freuuent ſih alle die ſih ze dir ferſehent*, & lætentur omnes qui in te ſperant. Verbum Francorum vide in *dingen*, aliud omnibus Dialectis commune in *wanen*.

HOGEN, *högen*, gaudere, exſultare, lætitia afficere & affici. NOTKERUS Pſal. XVIII. 6. *er hugeta alſo riſe zi ſinero ferte*, exultavit ut gigas ad currendam viam ſuam. Liber Heroicorum vulgo *Heldenbuch* Cap. 4. *do freute ſich ſein herze und höchte ſich ſein mut*. Verbum pene deletum cuſtodiunt hodie Belgæ in compoſitis, *verheugen* oblectare, *ſich verheugen* gaudere, *verheugt* hilaris. Proprie autem eſt efferri, extolli, & in ſublime moveri, ab *hoch* altus, ſublimis, & dicitur de gaudio, quia animus, dum lætatur, exſilire videtur. Idque etiam ſenſiſſe videntur Latini, dum verbum *exſultare* a ſaltu ad gaudium transtulerunt. Interim ab *högen* rurſus fit *höge* gaudium, privatum & publicum, convivale & nuptiale, quo hodie utuntur Saxones inferiores. Sed & Francos agnoviſſe vocem, teſtantur compoſita, *hugeſangon* pſallere, jubilare, *hugelichon* exhilarare, SCHILTERO in Gloſſario obſervata pag. 472. Quæ certe non ſunt ab *huge* animus, qui natura ſua lætus aut triſtis eſſe poteſt, ſed ab *huge* gaudium, lætitia, exſultatio.

HOH, idem quod *hoch*, de quo ſupra. Dicitur & *ho* in compoſitis. Inde *hoheit* altitudo, ſive ſtaturæ, ſive generis & natalium, ſive alterius rei excelſæ. Gothi utuntur derivato *hauhith*, quod dicitur de altitudine cœli Luc. I. 78. *urruns us hauhitha*, oriens ex alto vel potius ex altitudine. Eſt enim abſtractum ab *haub* altus.

HOHE, *höhe*, quatenus eſt ab *hoh*, ſignificat quantum poteſt. Gloſſ. Pez. proceritas *hohi*, faſtigio *hohi*. Cod. Arg. Joh. XII. 43. *hauhei manniſka* gloria hominum, *haubei goths* gloria Dei.

HÖHEN, *höhen*, exaltare, ſurſum tollere, levare in altum. Verbum ab adjectivo factum, quod varie effertur in Dialectis: Gothis *hauhjan* & *ushauhjan*, Angloſaxon. *hean*, Francis *hehan*, *gihehan*, Suecis *hoya*, *uphoya*, Island. *hoa*. Gloſſ. Pez. exaltare *gihehan*, exaltaret *gihohti*. Hodie dicimus *erhöhen*. Sed a ſimplici *hean* Saxones derivant *head* ſublimatus, *hyhthe*, *hyhtho*, *heahtho* exaltatio. Metaphorice tria ſignificat, (1.) provehere, promovere, evehere, & dicitur de iis, qui e ſtatu humili ad faſtigia dignitatum extolluntur. (2.) honorare, & ex inglorio glorioſum reddere. Inde Gothis *hauhjan* glorificare Joh. VIII. 54. *hauhiths* clarificatus Joh. XVII. 10. *haubitha* gloria Luc. XIV. 10. (3.) lætitia afficere, ob rationes ſupra expoſitas in verbo *högen*.

HOHEWARTE, ſpecula. Compoſitum antiquum. NOTKERUS Pſal. LXIV. 2. in Syon *in houuarto*, in ſpeculatione *in uuarto*. Proprie eſt locus editus ad vigilandum vel ſpeculandum, & dicitur de *Sion*, quia *Sion* eſt mons & arx montana apud Hieroſolymos. De ſpecula vide plura in *warte*.

HOKER, *höker*, propola. An quia mercaturam exercet ſedendo in foro & compitis viarum, ab *hocken* ſedere? Dubito. Potius eſt augmentator pretii, ab *auchen* augere, quia pluris vendit res, quam primi negotiatores. Angloſaxo diceret *eacere*, ab *eacan* augere. H. non ſemper eſt litera radicalis.

HOL, adjective cavus. Angloſaxonibus & Francis *hol*, Græcis κοῖλος. Gloſſ. Pez. cavam *holen*, concavum *holaſtat*. Refer ad *holen* cavare.

HOL, ſubſtantive cavitas, foramen cavando factum. Gloſſ. Pez. foramina *hol* vel *loh*, caveas *holir*, vacuitatem *holi*.

HOLE, *höle*, ſpecus, antrum, latibulum. Gloſſ. Boxh. *hol* antrum, ſpelunca. VEREL. in Ind. *hæli* receptaculum, latibulum Evang. Angloſax. Matth. VIII. 20. *foxas habbath holu*, vulpes habent foveas. Evang. Goth. Joh. XI. 38. *blaiw was hulundi*, monumentum erat ſpelunca. Hoc ſubſtantivum cognatum eſſe poteſt cum antecedentibus, aut certe referri ad *hüllen* tegere, occulere.

HOL, inferus, infra ſitus, deorſum vergens. Ab *hellen* inclinare. Significatus extinctus, ſed verus & antiquus, & in multis locorum & regionum nominibus ſuperſtes. Hujusmodi ſunt,

HELIUM, oſtium Rheni apud PLINIUM Lib. IV. Cap. 15. a ſitu occidentali ſic dictum, velut *inferius*. Nam Rhenus Plinii ævo tria habuit oſtia, ſuperius nomine *Flevum*, medium anonymum, infimum & Moſæ proximum *Helium*. Confer CELLARIUM in Geographia Antiqua, & patebit ad oculum. Cellario conſentit MENSO ALTINGIUS in voce *Helium*. Uterque nomen derivat ab *hol* inferus. CLUVERIUS, cum rationem nominis inveſtigare non poſſet, oſtium ab *Helio Caſtello* denominatum fingit. Sed veroſimilius eſt, caſtelum ab oſtio, & a caſtello vicum *Helvoet-sluis* nomen accepiſſe.

HALLAND, Halandia, a ſitu profundo ad mare ſic dicta.

HOLLAND, Hollandia, non quaſi ager ad Helium, & multo minus a terræ cavitate, etiamſi hodie innumeris foſſis ſit perforata; ſed potius a ſitu humili & depreſſo, unde vulgo *Niderland* & *Germaniæ inferior* dicitur, quia mare ibi altius conſentur terra, adeo ut niſi immenſis ſumptibus aggeres objicerentur mari, diluvium naturaliter fieret.

HOLSTEIN, Holſatia, Ducatus inter duo maria ſitus, ad radices Cherſoneſi Cimbricæ, ſic dictus, quaſi terra depreſſa, & inundationibus obnoxia, a *ſtein* regio, quod

vide. Cimbros, cum terras eorum inundaſſet Oceanus, novas ſedes toto orbe quæſiviſſe, ſcribit FLORUS Lib. III. Cap. 3. Hæc antiquiſſima & minime fabuloſa eluvies, cujus etiam meminit ARISTOTELES. Mare *Balticum* ab illa vel ſimili irruptione ortum & nomen accepiſſe, oſtendi in *Belt*. STRABO eam inter figmenta refert. Sed quod ille fieri poſſe negat, Holſatia maximo ſuo damno omnibus temporibus, etiam noſtris, experta eſt. Vide CLUVERIUM in Germ. Antiq. Lib. III. pag. 593. ſeq. De nomine *Holſatiæ* videbimus deinceps.

HOLD, gratia. Vide *huld*, quod uſitatius.

HOLD, benevolus. Proprie *inclinatus*, & figurate benevolus, ab *hellen* inclinare, per medium derivandi D. quamvis etiam (ut infra dicam in *huld*) ab *halden* ejusdem ſignificatus derivari poſſit. JUNIUS tamen mallet deducere a Græc. ἱλάω placo, unde Gr. fit ἵλεως & ἱλαδὸς propitius. Alius ab ἕλδομαι, cupio. Alius ab *halten* partibus alicujus ſtudere. Nihil horum me movet, ut ab etymologia mea recedam. Benevoli enim ſunt *inclinati*, & prono atque propenſo animo erga eos, quibus favent. Dicitur antiquitus (1.) de omnibus bene cupientibus. Gloſſ. Pez. amicabilis *friunt holder*. (2.) de pacatis, qui ex inimicis facti ſunt amici. Gloſſ. Pez. placatus *holder*. Evang. Goth. Luc. XVIII. 13. *hulths ſijais mis frawaurhtamma*, propitius eſto mihi peccatori. (3.) de fidelibus & devotis. Gloſſ. Pez. devotum *holden*. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hold* fidus, fidelis, amicus, *hold and getrywe* fidus & verus. VEREL. in Ind. *holldar* fideles ſubditi. Contrarium benevoli eſt *unbold* malevolus, & dicitur ſubſtantive de venefica, olim etiam de Satana, tanquam humani generis hoſte. Hinc dæmonia in Codice Argenteo vocantur *unbulthons* Marc. III. 15. & Diabolus *unholda* in Hymno antiquo apud JUNIUM in Animad. ad Will. pag. 69.

HOLDER, ſambucus. Id eſt, arbor cava, ob copiam medullæ, ab *hol* cavus, & *der* arbor. Quod ſi non placet, contrahe ex *holunder*. Sed cum priori convenit Suecicum *hylletræ*.

HOLE, *höle*, cavitas & ſpecus. Vide poſt *hol* cavus.

HOLEN, cavare. Angloſaxon. *holian*, Franc. *holon*, Græc. κυλαίνω. SOMNER. in Dict. AS. *holian* excavare, *geholed* perforatus. Gloſſ. Pez. præcavata *kabolet*, excavant *irholomt*.

HOLEN, incidere. Codex Argent. Matth. XXVII. 60. de ſepulcro Nicodemi: *thatei usholuda ana ſteina*, quod inciderat in petra.

HOLEN, excidere, caſtrare. Gloſſ. Keron. caſtrare *haloon*. Gloſſ. Pez. reſciſſo *kabaloteru*. Græcis κόλος eſt mutilus, & κολόω mutilare.

HOLEN, capere adducendi cauſa, *athembolen* reſpirare, ſpiritum ducere, *gelt holen* peeuniam afferre. Francis *halon*, Græc. ἁλῶν. TATIANUS Cap. XXIX. 2. *ther thie furlazanun halot, huoret*, qui dimiſſam duxerit, adulterat. Hodie in re uxoria dicimus *heimholen*.

HOLEN, capere vi vel dolo. Codex Argent. Luc. III. 14. *nimannanhun holoth*, neminem concutiatis. Luc. XIX. 8. *jah jabai hwis hwa afholoda, fidurfalth fragilda*, ſi quid aliquem defraudavi, quadruplum reddo.

HOLEN, vocare, accire. Francis *halon*, Græcis καλεῖν. K. & H. ſunt literæ permutabiles. TATIANUS Cap. XLV. 1. *ther heilant uuas ouh thara gihalot*, Jeſus quoque ibi vocatus erat. In reliquis Dialectis K. non patitur mutationem, ſed fideliter cuſtoditur. Vide dicta in *Kaland*.

HOLLA, interjectio vocantis. Angloſaxon. *eala* Luc. VII. 14. *eala geonga, the ic ſecge, aris*, heus adoleſcens, dico tibi, ſurge. Habent & Sorabi *halo*. Refer ad *holen* vocare.

HOLLE, *hölle*, ſepulchrum. Angloſaxon. *helle* Luc. XVI. 22. *tha wearth ſe welega dead, and wæs on helle gebyrged*, mortuus autem eſt dives, & conditus in ſepulchro. Refer ad *hüllen* tegere.

HOLLE, *hölle*, mors. NOTKERUS Pſal. CVI. 18. ad portas mortis *zuo dien helleborton*. VEREL. in Ind. *hel, helia* mors, interitus, *helven* mortis vicinus, *helviti* pœna mortis, *fera til hellar* neci dare. Luth. Eſa. XXXVIII. 10. *nu muſs ich zur hellen pforten fahren*. Dictio metonymica, qua conſequens ponitur pro antecedente, ſepulcrum pro morte. Ante Chriſtianam Religionem ſuperſtitio inde effinxit numen tam maſculinum quam fœmininum. Inde Septemtrionalibus HELA Dea mortis, & Slefvicenſibus *der* HELL mors, peſtis, ſpectrum ferale, in formulis vulgi *der Hell kommt, der Hell geht umher, der Hell iſt bei den hunden* &c. apud doctiſſ. KEYSLERUM in Antiq. Sept. pag. 181.

HOLLE, *hölle*, tartarus, ſedes manium damnatorum. Gothis *halje* Luc. XVI. 23. Angloſaxon. *helle*, *hylle*, Franc. & Alam. *hella*. Gloſſ. Ælf. in nom. ventor. infernus *helle*, tartara vel gehenna *helle-wite*, ſtix *helle-mere*, erebum *helle-ſceath*. Gloſſ. Keron. gehennam *hella*, profundum inferni *abcrunte dera hella*. Gloſſ. Pez. tartarum *hellagrunt*. Gloſſ. Florent. MS. necromantia *hellruna*. Plura veterum Compoſita dabit SOMNER. in Dictionario Angloſaxonico, & SCHILTERUS in Gloſſario Teutonico. Sicut *Erebus* ab ἐρέφω tego; ita *hölle* factum putatur ab *hüllen*, tegere, occulere, operire, quod Tartarus omnia, quæ haurit, occultet, & æterna nocte operiat. Ita videntur ſentire JUNIUS, STIERNHIELMIUS, STADENIUS, & fere omnes, excepto tamen KEYSLERO, qui nomen a Dea *Hela* ad inferos translatum putat a primis in gente noſtra Chriſtianis.

nis. Sed expeditiorem ni fallor originem ſuggerit adjectivum *hol* inferus, unde recte fit *hölle* tartarus, locus inferus, quomodo etiam Latini eundem locum a profundo ſitu *infernum* vocant. Germanos antiquos, inprimis Boreales, aliquam de hoc ſupplicii loco cognitionem habuiſſe, Chriſtianis temporibus anteriorem, didici ex præclaro Opere KEYSLERI de Antiq. Sept. pag. 125. Sedem manium beatorum vide in *hall.*

HOLLE, *hölle*, locus medius apud inferos, *vorhölle* limbus patrum. Theologi Franc. & inprimis NOTKERUS Pſal. LXXXV. 12. infernum dividunt in *obera hella* & *nidera hella*, h. e. in ſuperiorem & inferiorem, quorum ille erat limbus juſtorum, ante Chriſti adventum vita functorum, hic locus damnatorum. Ad priorem locum reſpicitur, quando Lazarus dicitur refuſcitatus *fon hellono thiote*, h. e. ab infernali populo, apud OTFRIDUM Lib. III. Cap. XXIV. 109. Quod pulchre obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario. Medium locum animarum ex recentioribus defendit THOM. BURNETUS in libello *de Statu mortuorum & reſurgentium* Cap. 4.

HOLM, locus aqua circumfluus. VERELIN Ind. *holm*, *holmur* inſula in mari, lacu, ſtagno, aquis circumfuſa, item locus circumſcriptus & incluſus. LOCCEN. in Lex. Jur. Sueo-Goth. *flot-holm* inſula natans. Similiter & Angloſaxon. *holm* eſt inſula amnica, & planities herbida aquis circumfuſa, teſte SOMNER. in Dict. Sed unde oriatur, indictum reliquit. Aut fallor, aut ſic dicitur, quia videtur κολυμβᾶν, h. e. in aqua natare. Apud Berolinenſes eſt quidam in urbe locus, qui vocatur *Geek-holm*, quem ſuſpicor ante mœnia condita planitiem aquis cinctam fuiſſe, & a cuculis denominatam. Ab *holm* porro eſt ULM, *Ulma*, Civitas imperialis ad Danubium, quæ ſimiles nomini origines habere videtur.

HOLSATIA, Ducatus transalbianus ad radices Cherſoneſi Cimbricæ, Saxonum *antiqua ſedes*, & inde nomen ab *olt* vetus, quod depravatur in *ol*, & *ſet* ſedes. Gloſſ. Lipſ. *ſetti* ſedes. Angli eodem ſenſu dicunt *ſeat*, Dani *ſede*. Ratio nominis eſt, quia Saxonia, poſt migrationem Gentis in Britanniam, dividi cœpit in *veterem* ſeu Germanicam, & *novam* ſeu Britannicam. Teſtis BEDA Lib. I. Hiſt. Eccleſ. Cap. 15. *De Saxonibus, id eſt, ea regione, quæ nunc* ANTIQUORUM SAXONUM *cognominatur, venere orientales Saxones, meridiani Saxones, occidui Saxones* &c. Hinc quidam *Holſatiæ* nomen e Germanico *Oltſaxen* depravatum exiſtimant, quibus repugnare nolo, quia nomen illud literis proditum invenio. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *Seax* Saxonia, *eald-Seax* vetus Saxonia, *eald-Seaxan* Saxones antiqui. SUFFRIDUS Leovardenſis Lib. II. de Orig. Friſior. Cap. 12. HOLSATIÆ *partem extremam, quæ Jutiæ proxima eſt, in antiquis Chronicis manuſcriptis* OLTSAXEN, *id eſt, veterem Saxoniam dici animadverto.*

HOLUNDER, ſambucus. Gloſſ. Pez. ſambucus *holantar*. Quid, niſi cava arbor? Prior compoſiti pars ducit nos aperte ad cavitatem arboris naturalem, molliſſima medulla repletam; altera videtur vitiata e Græc. δένδρον arbor, litera prima rejecta. Nec obſtat, quod ſæpe compoſite dicimus *holder-baum* & *holunder-baum*. Nam uſitata ſæpe jungi ſolent obſoletis majoris perſpicuitatis cauſa. Sic WILLERAMO Cap. VIII. 6. malus arbor dicitur *affalterboum*, etiamſi *affalter* per ſe jam eandem arborem deſignet Cap. II. 3.

HOLZ, lignum. Gloſſ. Pez. artifex lignarius *holzmeiſter*. WILLERAMUS Cap. III. 9. *der cuning Salomon mahhota imo ſelbemo einan diſk, des holzes vone Libano*, rex Salomo faciebat ſibi ferculum ex ligno Libani. Græcis ὕλη eſt materia, ſive id ex quo aliquid fit, & ſynecdochice lignum & ſylva. Germanos inde formaſſe *holz* per paragogen, viris doctis libenter aſſentior, cum quia lignum eſt materia fabrilis, tum quia hic ſenſus ad arbores & ſylvas legitime transferri potuit. Si Batavi lignum vocant *hout*, id vel a ſyncope eſt, vel ab Arabico *houd*.

HOLZ, arbor. Gloſſ. Pez. campis nemoreis *holzuuanga*. Id eſt, campi arboribus conſiti. WILLERAMUS Cap. IV. 14. *diu ligna Libani uberſahent andere uualtholtz mit iro ſcone, unte mit iro hohe*, ligna Libani ſuperant pulchritudine & altitudine reliquas arbores ſylveſtres. Cap. V. 15. *er iſt eruuelet unter anderen menniskon ſamo cedrus unter anderemo uualtholze*, ipſe eſt electus inter alios homines ſicut cedrus inter alias arbores ſylveſtres.

HOLZ, ſylva. Vox antiquiſſima, & pluribus linguis communis, a quibus tamen non eodem modo pronunciatur, ſive initium vocis ſpectes, ſive exitum. Græcis ὕλη eſt ſylva, ἀλωά, ἀλωὴ & Æolice ἄλσος locus arboribus conſitus. Quibus conſentiunt quædam Sorabica apud FRENZELIUM, ut ſunt, *holia* ſylva, lucus, *holan*, *holian* vir ſylveſtris, qui in ſylvis degit, *holianka* mulier ſylveſtris. In Celticis Dialectis paulo major eſt diſcrepantia. Nam ſylva Armoricis dicitur *cale*, Hibernis *coill* apud TOLANDUM. Sed meminiſſe debemus, quod H. & C. continuo permutentur. Angloſaxones ſylvam vocant *holt*, Franci & Alamanni *holz*. NOTKERUS Pſal. LXXIII. 6. *alſô man ze holze niderſlahet die bouma*, ſicut in ſylva exciduntur arbores. Non certe ab ἄλσος vel ἄλδος, ut multi opinantur, quia hunc ſignificatum alii præcedunt, quibus voces illæ aptari non poſſunt: ſed potius ab ὕλη fabricandi materia, quæ ſicut in ligno & arboribus eſt aliqua, ita in ſylvis immenſa. Belgæ ſylvam vocant *hout*, Cambri *coed*. Forte per ſyncopen.

HOLZ-SCHEHR, graculus. V. *heher.*

HON, contumelia, opprobrium. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XIX. 11.

Uns thunkit in giuuiſſi
Thaz iz honida ſi.
Nobis videtur pro certo
Quod turpe ſit (cohibere iram).

Cum Francica voce mire conſentit Græca ὄνειδος improperium, & Latina *honos*, quæ aliquando fuit vox media, injuriam ſignificans, teſte GELLIO in Noct. Attic. Lib. XII. Cap. 9. Proprie autem eſt dedecus ex illuſione, & ſimpliciſſimum habet initium ab interjectione ridendi *ha*, unde primo fuit *huen* irridere, & poſtea *hon* irriſio.

HONEN, *hönen*, illudere, contumelia afficere. Gloſſ. Pez. illuſiſti *gibontoſt*. NOTKERUS Pſal. LXXIX. 7. *unſere fienda huonon unſer*, inimici noſtri ſubſannant nos. Similiter & Arabibus miro plane conſenſu *hana* eſt deſpexit. Gallis *honnir* ignominia afficere, *honni* dedecore affectus. Unde, niſi a ſubſtantivo *hon?*

HONECKEN, eadem notione. V. *necken.*

HONIG, *honich*, mel. Angloſaxon. *hunig* Matth. III. 4. Francis *honang*, Alam. *honec*, Belg. *honig*, *honing*, Succ. *honung*, Island. *hunang*, Angl. *hony*. Gloſſ. Keron. mella *honec*. NOTKERUS Pſal. XVIII. 11. *ſuozer danne honang*, dulcius melle. Quo ſenſu, aut unde petito, valde obſcurum. Poſſit tamen, ob perpetuam Linguæ Germ. & Græcæ ſimilitudinem, *honich* oriri ab ὀινοχόη vinum fundo, quia aqua mixtum potionem præbet vino ſimilem. Nam id potus genus priſcis Germanis haud ignotum fuiſſe, quamvis tacentibus CÆSARE & TACITO, memoriæ prodidit DIODORUS Lib. V. ubi de *Galatis*, quo nomine, uti notum, etiam Germanos complectitur: *Ex hordeo ſibi potum conficiunt, qui zythus adpellatur. Eavos etiam aqua diluunt, dilutumque hoc potum illis præbet.* Quanta fuerit mellis vindemia in veteri Germania, adhuc ſylvis obſita, colligitur ex favorum magnitudine, de qua PLINIUS Lib. XI. Cap. 14. *Aliubi favi cera ſpectabiles gignuntur, ut in Pelignis, Sicilia: aliubi mellis copia, ut in Creta, Cypro, Africa: aliubi magnitudine, ut in Septentrionalibus, viſo jam in Germania oſſe pedum longitudinis favo, in cava parte nigro.* Vox Gothica *milith*, quæ extat Marc. I. 6. haud dubie eſt a Græc. μελιδεῖον favus.

HONIG-SEIM. V. *ſeim* pinguedo.

HOPF, *hopfen*, lupus, lupulus. Belg. *hop*, *hoppe*, Angl. *hop*, Gall. *houblon*. Non ab *hüpfen* ſalire, & multo minus a Lat. *lupus*; ſed ab *heben* levare, quia perticæ alligatus vi inſita ſcandit in altum. A Gallico *houblon* eſt Latino-Barbarum *humlo*, *onis*, apud CANGIUM, & hinc porro *humuletum* lupuletum, hortus lupulo conſitus, quod ex charta veteri mihi ſuppeditavit doctiſſ. ERNESTI.

HORCHEN, auſcultare, aurem & attentionem præbere. Angloſaxon. *hyrcnian*, Beorcnian, Franc. *horechen*, Angl. *harken*. WILLERAMUS Cap. VIII. 13. *dine friunt horechent des*, amici tui auſcultant. Frequentativum a ſimplici *hören* ejusd. ſignificatus. Hodie nonſolum bono, ſed etiam malo ſenſu dicitur. Inde *behorchen* auribus inſidiari.

HORCHEN, obedire, obſequi, obtemperare. WILLERAMUS loc. cit. *dine friunt horechent gerno diner ſtimma*, amici tui libenter obtemperant voci tuæ. Dictio metonymica, qua antecedens ponitur pro conſequenti, auſcultare pro obedire, quoniam obedientes nonſolum propitiis auribus mandata exeipiunt, ſed & prono animo exequuntur. Hinc etiam Latinis *dicto audiens* eſt obſequioſus, & *obedire* idem quod *obaudire*. Hodie utimur compoſito *gehorchen*.

HORDEN, tribus & caſtra Tartarorum. V. *hurd* cœtus.

HOREN, *hören*, audire. Angloſaxon. *hyran*, & *gehyran* Matth. XI. 15. Francis *horen*, *ghoren*, Alam. *huorran*. Gloſſ. Keron. audire *hoorran*, audit *hoorit*, audiat *hoorre*, audivit *hoorta*, audientis *hoorrentir* &c. TATIANUS Cap. XXI. 7. *thas her giſah inti gihorta, thas cundit*, quod vidit & audivit, hoc teſtatur. Idem Cap. LXIV. 3. *toube giheren*, ſurdi audiunt. An ab *haurrre* vel ἀκούω, ut ſuſpicatur HELVIGIUS? Potius ab *ohr* auris. Nam verba ſenſuum oriuntur a ſubſtantivis, non vice verſa. Sic Gothis *hausjan* eſt audire, ab *auſo* auris. Poſtea ſenſus translatus eſt ad intellectum & voluntem. Habet enim mens ſuas quoque aures, ſicut habet manus & oculos, ut demonſtravi ex Gentium conſenſu in vocibus *vernemen* & *wiſſen*. Et hiſce auribus nonſolum animadvertit audita & percipit, ſed etiam auditis gratificatur, obtemperat, ſervit. Unde ſequentes ſenſus nati in omnibus Dialectis.

HOREN, *hören*, attente audire, alias auſcultare. Utitur Luth. Matth. XI 15. TATIANUS Cap. LXIV. 11. *thie thar habet orun zi horenne, ther hore*, qui habet aures audiendi, audiat. Id eſt, auſcultet, attendat, & animum dictis advertat.

HOREN, *hören*, intelligere & percipere audita. Utitur Luth. Matth. XIII. 13. Ubi ruſus TATIANUS Cap. LXXIV. 5. *giborent ni gihorent*, audientes non audiunt. Id eſt, non intelligunt nec percipiunt audita.

HOREN, *hören*, gratificari auditis, alias exaudire. Utitur Luth. Joh. IX. 3. & dicitur de precibus & votis tantum. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XX. 30.

Giuuiſſo uueiz thaz unſar muat,
Uuio Got then ſuntigon duat,
Thaz er ſe ſar ni horit,
Oub uuiht ſih zin ni kerit.

Senſus eſt: hoc dictante conſcientia novimus, quod Deus non exaudiat peccatores, nec ſe ad illos convertat. Hodie magis ex uſu eſt *erhören*.

HOREN, *bören*, obedire, imperata facere, dicto audientem eſſe. Angloſaxon. *hyran*, Francis & Alam. ut ſupra. Gloſſ. Keron. obedire *horren*, obediunt *horrent*. Hinc obediens dicitur *horſam* & *gehorſam* in omnibus pene Dialectis. Ex eodem fonte liberi obſequii homo, cliens, vaſallus, ſubditus, parochianus, Angloſaxonibus vocatur *hyre-man*, Latino-Barbaris *arimannus* & *erimannus*, ab *hyran* obedire, judice SOMNERO, etiamſi aliis aliter videatur.

HOREN, *bören*, ſervire. SOMNER. in Dict. Angloſax. *hyran*, *gehyran* ſervire. BENSON. in Voc. Angloſax. *geberan* ſervire.

HOREN, *bören*, & compoſite *gebören*, pertinere, ſpectare ad aliquem. Idem Angloſaxonibus *hyran*, *gehyran*, apud Lexicographos. An a Latino *hærere?* Hæret ſane nobis, connexumque haud dubie eſt, quod ad nos ſpectat. Sed non opus eſt hoc ambitu, cum ſenſus ab obedientibus & ſervientibus, qui neceſſario pertinent ad aliquem, defumptus eſſe poſſit. Hinc prima impoſiti nominis ætas videtur eos tantum ad ſe pertinere judicaſſe, qui aliquo obſequii aut ſervitii vinculo conjuncti erant. Quomodo etiamnum domeſticos vocamus *angehörige*, i.e. noſtros, quorum obſequiis familiariter utimur, ſive pignora ſint, ſive ſervi, ſive cognati. Poſtea ſenſus a conſuetudine ad res omnes, quatenus noſtræ ſunt, etiam inanimatas translatus eſt, tanquam & ipſæ auritæ eſſent. In qua translatione nihil novum aut inſolens eſt, quod non etiam in aliis Linguis occurrat. Quemadmodum enim Germanis ſubjectio exprimitur per *auditum*: ita Latinis per *viſum*. Hinc illi de omnibus rebus ad ſe pertinentibus, etiam non oculatis, dicere ſolent, quod ad ſe *ſpectent*, etiamſi non magis ſpectare poſſint quam audire.

HOREN, *hören*, agere, facere, tractare. Sueciſ *göra*, Lat. *gerere*, Græc. χειρίζειν. Omnia a manu, præcipuo agendi inſtrumento, quod Græcis χεὶρ. Viget tantum in compoſito *aufhören* ceſſare ab agendo, quod imitantur Sueci in *uphöra*, cum poſſent & deberent dicere *upgöra*. Nam *göra* illis eſt facere, *göra wæl* bene facere, *göra god* ſatisfacere, *göra ofta* ſæpe facere.

HOREN, *hören*, agere, agitare, movere. Scandis antiquis *yra*, *hyra*, *horra*, *hurra*. Sponſorem verbi habeo STIERNHIELMIUM, qui ab hoc primitivo derivat *herz* cor, ob perpetuum ejus motum & agitationem, & pro confirmatione etymi adducit Heb. *haraz* movit, agitavit, in Gloſſ. Goth. pag. 83. Optarem, ut eruditi in Scandia hanc radicem ex monumentis patriis magis eruerent, atque in lucem collocarent. Nam apud Saxones & Francos nihil tale invenio. Nullus autem dubito, quin ex eodem fonte provenerit *her* agmen, exercitus, & multitudo omnium qui una aguntur.

HORG, lucus, fanum, & omnis locus Diis conſecratus. Extat in Voluſpa Islandica ſtropha VII. & in omnibus pene Dialectis quamvis varie prolatum. SOMNER. in Dict. AS. *hærg* lupercal, ſacrarium, *hearge*, *hearh* fanum, lucus. Gloſſ. R. Mauri apud Diecm. delubra *haruga*, fanum *haruc*. VEREL. in Ind. *horgr*, *haurgur* lucus, fanum, idolum, *horgadal* vallis idoli vel idolei. Lex Ripuaria Tit. XXX. 2. *conjuret in harabo*. Id eſt, in luco vel fano. Vox Saxonica *hærg*, *horg*, quæ cæteris ſimplicior, manifeſto deſumpta eſt a Græc. ἕρκος ſeptum, & luco tributa per ſynecdochen generis, quia lucus eſt nemus ſacrum, religionis cauſa ſepimento cinctum. Nam ob eandem cauſam lucus alia Dialecto vocatur *hain* & *dun*. Poſtea accipi cœpit pro fano vel delubro. Sed hic ſignificatus recentior eſt, nec ante invaluit inter noſtros, quam cum more Gentium vicinarum Dii, qui antea ſola mente colebantur, in ſpeciem oris humani effingi cœpiſſent. Quod ſerius factum eſſe, ex TACITO Cap. IX. de M. G. luculenter colligitur. Vide quæ de prima Germanorum Religione diſſerui in voce GOTT. DIECMANNUS & ECCARDUS mire ſudarunt in hoc vocabulo, ſed absque fructu veritatis. Ille in Specim. Gloſſ. pag. 93. Hic in not. ad Leg. Ripuar. pag. 213.

HORN, faſtigium vel ſummitas cujuscunque rei. Oritur ab *her* altus, eſtque primus vocis ſignificatus, & fons atque origo reliquorum. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hornpic* pinnaculum. VEREL. in Ind. *horn* ferrum capuli inſtar cornu prominens. Francos eodem ſenſu dixiſſe *horn*, teſtis luculentus OTFRIDUS Lib. II. Cap. IX. 165.

Haftetun thie armon
In thes cruces hornon.
Affixerunt brachia
In crucis pinnacula.

Idem Lib. V. Cap. I. 37.

Thes kruces horn thar obana
Thaz zeigot uf in himila.
Faſtigium crucis ſuperne
Monſtrat verſus cœlum.

HORN, cornu, pars exſerta in fronte animalis, ad defenſionem a natura facta. Vox antiquiſſima, Hebræis *keren*, Syris *karna*, Arab. *karn*, Græc. κέρας, Lat. *cornu*, Armoricis *corn*, *cern*, Gothis *haurn*, Angloſaxonibus, Francis, & omnibus recentioribus *horn*. Cuncta inter ſe cognata. Inde

Græcis κερατίζω cornu ferio, coniſco.
Latinis *corneus*, *cornupeta*, &c.
Cambris *cyrnig* cornutus.
Angloſaxonibus *hyrnend* corneus, *horn-here* corniger, *an-hyrn-deor* unicornis.
Francis *hornſtebbat* cornupera, in Gloſſ. Boxh. *einhurnio* unicornis, in Gloſſ. Pez.
Germanis *hörnicht*, *gehörnt* cornutus, *horn-vieh*, *hirſch-horn*, & alia innumera, quæ nullam habent difficultatem. Quorſum etiam ſpectat ex architectura militari *horn-werk* opus cornutum, quod animantis inſtar

ſtar bicorne ſit, & inde præſidium ſuum habeat, ſicut animal a cornibus.

HORN, poculum. Græc. κέρας. Quia antiquitus cornua pro poculis. EDDA Fab. XXI. *Hriſt oc Miſt vil eg ad mier dione oc horn heri*, volo ut Hriſt & Miſt mihi ſerviant & pocula præbeant. Plura exempla ex Literatura Runica convaſavit OL. WORMIUS in excellenti explicatione Cornu Oldenburgici Lib. V. Monumentorum Danicorum pag. 390. ſeq. Priſcos Germanos, & præcipue Septemtrionales, ex cornibus Urorum potare ſolitos, res notiſſima. CÆSAR Lib. VI. de Bell. Gall. *Urorum cornua ſtudioſe conquiſita a labris argento circumcludunt, atque in ampliſſimis epulis pro poculis utuntur.* PLINIUS Lib. XI. 37. *Urorum cornibus Barbari Septemtrionales potant, uvasque binas capitis unius cornua implent.* Germanis addi poſſunt Thraces, Paphlagones, Macedones, & univerſe Græci & Romani. Nam & hos ritu Barbarico ſæpe inter convivia cornibus animalium ad potandum ſe invicem provocaſſe, demonſtrat WORMIUS loco cit. pag. 387. Et ab hoc uſu cornuum antiquo Græc. accepiſſe verbum κεράω infundo, & Latinos *crater* ἀπὸ τῦ κέρας, idem obſervat. Morem diu duraſſe in Saxonia, colligitur ex Indiculo ſuperſtitionum Saxonicarum Synodi Liptinenſis §. 22. *De tempeſtatibus, de* CORNIBUS, *& cocleis.* Ubi cornuum uſum & conſecrationem in compotationibus ſacris notari, non abs re cenſet Cel. KEYSLERUS in Ant. Sept. pag. 366.

HORN, tuba, cornu ſonorum. Non ab *hören* audire, etiamſi clangor ejus longe audiatur, ſed quia primæ tubæ ex cornibus. ALEXANDER ab ALEX. Genial. Dier. Lib IV. Cap. 2. *Tubam Tyrrhenus Piſæus invenit primus æneam, cum ante ex cornu bubulo fieret.* De translatione cornuum ad claſſicum canendum, vide rurſus OL. WORMIUM in Monum. Dan. Lib. V. pag. 378. ſeq. Hinc tuba Gallica HESYCHIO vocatur κάρυξ, haud dubie a *cern* cornu, quo etiamnum utuntur Armorici. Sed & Latinis tuba dicitur *cornu*, & Gothis *haurn* Matth. IX. 23. & Francis *horn*, compoſite *hereborn*, quaſi legionaria vel expeditionalis. VIRGILIUS Æn. VIII.

Ut bellis ſignum Laurenti Turnus ab arce
Extulit, & rauco ſtrepuerunt cornua cantu.

Gloſſ. Pez. tubæ *horne*. Rhythmus de S. Annone §. 27.

Hereborn duzzin,
Becche blutis vluzzin.
Tubæ bellicæ clangebant,
Rivi ſanguinis manabant.

Quod OPITIUS de ſcutis ex nervis vel cornibus confectis perperam, WORMIUS de cornibus, quibus tubarum vice in bello utebantur, recte interpretatur. Huc etiam ſpectant ex Ind. VEREL. *hornablaſſur* clangor tubarum, *blæſa i horn* inflare cornu. Ab *haurn* tuba Gothis formatur verbum *haurnjan* tuba canere, quod extat Matth. VI. 2. & ſuperat apud Flandros in *horenen* eodem ſenſu, teſte STIERNHIELMIO in Gloſſ. Goth. pag. 87. Ab eodem inſtrumento inflator tubæ Latinis dicitur *cornicen*, Cambris *cyrniad*, *cerniad*, Angloſaxon. *horn-blawere*, Flandris *hoorener*, Germ. *hornbläſer*. Hodie dicitur univerſe de omnibus inſtrumentis, quæ cornua ſono & curvatura imitantur, etiamſi ex alia materia facta ſint. Inde *thiedhorn*, *waldhorn*, *poſthorn*, & ſimilia noti ſignificatus.

HORN, materia cornea, vel corneæ ſimilis, ut ſunt ungues tam hominum quam animalium, ungulæ equinæ, ſquamæ piſcium, nervi &c. VEREL. in Ind. *horn oc haer* ungues & capilli. Inde compoſita *cornpes* & *hornfuss*. Hic ſenſus deinceps transitus eſt

1. ad cortices fructuum. Hinc ſiliqua Græcis dicitur κεράτιον, Gothis *haurne* Luc. XV. 16. quia ſiliquæ ſunt cibus corneus.
2. ad morbos. Hinc lepra vel elephantiaſis Francis dicta *horn*, & leproſi *hornſiltrader*, apud OTFRIDUM Lib. II. Cap. XXIV. 8. quia lepra cutim facit ſcabram, ſquameam, & quaſi corneam.

HORN, angulus. Senſus a cornu ad angulum translatus, quia angulus, dum ex lato in acutum deſinit, lineis coëuntibus cornu imitatur. Vox omnibus veterum Dialectis uſurpata. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cornel* angulus. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hyrn* angulus, *hyrn-ſtan* lapis angularis, *thri-hyrned* triangulus, *hyrnan heafod* caput anguli, quod extat Marc. XII. 10. VEREL. in Ind. *horn*, *hyrne* angulus. Hodie Suecis *hörne*, & Anglis *a corner*.

HORNIN, *hörnin*, dicitur nonſolum corneus, ſed etiam cornu ſectili armatus. Olim enim ſcuta, & galeas, & thoraces laminis e cornu bovino ornabant & muniebant Wolfram ab ESCHELBACH parte 2. Hetvicorum:

Den ſcilt von horen feſte
Den hub er do fur ſich.

Hinc quidam SIGFRIDUS in Hiſtoria fabuloſa vocatur *der hörnin Seyfried*, non quod corneus eſſet, ſed quod arma ex cornibus & nervis contexta portaret. Vide GOLDASTUM in Parænet. pag. 377. & WORMIUM in Mon. Dan. pag. 377.

HORNUNG, Februarius. Legitur inter nomina Menſium Carolina, apud EGINHARDUM in vita Caroli Cap. 29. CAROLUM hac nomenclatura reſpexiſſe ad cornua cervorum hoc menſe decidua, ſatis verosimile eſt. Nam hoc ſuppoſito vox Carolina denotare poterit Menſem (1.) *cornuum*, h. e. cornibus abundantem, ob terminationem *ung*, quæ in conjunctione cum ſub-

ſubſtantivis ſemper eſt nota copiæ & frequentiæ, ut in *Prolegomenis* oſtendi. (2) *cornigerum*, ſi primitiva vox fuerit *hornig*, & poſtea per epenthefin *horning*, i. e. cornutus vel cornibus præditus. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cyrnig* cornutus. VEREL. in Ind. *hyrningur* cornutus vel corniger. (3.) *cornuarium*, ſeu cornua producentem, ſi particula *ung* hoc loco non ſit mera terminatio, ſed verbale a verbo Celtico *engi* parere, quod ſiſtit BOXHORN. loco cit. Nam hæc quoque appellatio convenit Februario, quia tunc cervus nonſolum vetera cornua deponit, ſed etiam nova protrudit. Aliam originationem quærit LEIBNITIUS in Epiſtola Gloſſario Celtico præfixa, nempe a Deo CERNUNNOS, cujus imago cornuta cernitur in Monumentis Celticis Lutetiæ Pariſiorum an. 1711. effoſſis, quem *Bacchum* interpretatur, & eo Menſe compotationibus Gallorum feſtivis cultum exiſtimat, unde nomen Menſi *hornung* antiquitus ob Bacchanalia. Et Bacchum quidem cornutum fingit Antiquitas, ſed juvenem, non ſenem, multo minus barbatum, ut eſt obſcurus ille Deus Pariſienſis. Sed nec cornua cervina iſtius *Cernunni* Baccho conveniunt, cujus cornua plerumque ſunt arietina aut bovina, ſi recte memini, ſive quia poculi uſum ex cornibus primus oſtendit, ſive quia primus boves aratro junxit. Nam utraque ſententia Græcos habet auctores apud OL. WORMIUM in Mon. Dan. pag. 386. Hinc longe veriſimilius eſt, *Cernunnum* illum fuiſſe Deum venatorum. Nam cornua cervi votiva, quæ portat in capite, & armillæ canum venaticorum ab illis ſuſpenſæ, & auriculæ Fauni arrectæ, quid aliud indicant quam numen ſylveſtre & venatorium? Hoc prolixe & erudite oſtendit MARTINUS Lib. III. de Rel. Gall. Cap. 20. & 21. Sed qualiscunque fuerit hic Gallorum Deaſter, credibile non eſt, CAROLUM M. principem pium & chriſtianæ Religionis ſtudioſum, voluiſſe ab illo nomen Februario imponere, aut memoriam ejus inter Francos recentare & conſervare, præſertim cum in reliquis Menſium nominibus, a Carolo ſuggeſtis, nihil quod veterem ſuperſtitionem ſapiat, reperiatur. Itaque hanc illuſtris Viri conjecturam tanquam difficilem & inexplicabilem dimittit KEYSLERUS, in Ant. Sept. pag. 367. Ipſe nomen arceſſit a cornibus convivalibus, quibus *compotatio* quædam ſolemnis in Faſtis Runicis ejusdem Menſis deſignatur apud RUDBECKIUM in Atlantica. Hanc *compotationem*, quæ paſſim in Gallia & Germania fuerit recepta, ab Indiculo ſuperſtitionum & paganiarum Synodi Liptinenſis Art. 3. *de ſpurcalibus in Febr.* notari & prohiberi, optime judicat vir doctiſſimus, quamvis eam cum *Sacris Jolenſibus*, quæ alterius Menſis ſunt, non Februarii, confundat. Neſcio, an Francis in uſu fuerit *burnen* compotare, cornua evacuare. Si fuerit (& fuiſſe credibile eſt, quia Græcis ſimilia verba, κεράω & κεράζω formantur a κέρας), dubium non eſt, quin inde derivari potuerit *hornung* compotatio. Si non fuerit, *hornung* proprie erit Menſis *poculoſus*, a frequentia cornuum convivalium ſic dictus. Sed quo minus & hæc cornua acceptemus, obſtat rurſus pietas Imperatoris, quem ab impia Saxonicæ gentis conſuetudine, & a Senatu eccleſiaſtico damnata, hunc Menſem denominare voluiſſe, haud veroſimile eſt. FRISCHIUS, qui linguæ noſtræ obſcuritates ſæpe feliciter illuſtravit, miſſis cornibus omnibus tam cervinis quam convivalibus, imperatorem reſpexiſſe putat *ad cænum & lutum, quod ex nive liquefacta fieri ſolet in viis, & quod in tot itineribus illi hoc tempore moleſtum fuit.* Sane *horo* Francis eſt lutum, cœnum, nonſolum in Gloſſis LIPSII, ſed etiam apud OTFRIDUM aliquoties. Ipſe inde format *horen* luteus, & hinc porro *horening*, *horning* menſis lutoſus. Neſcio an *ing* ſubſtantiva faciat ex adjectivis. Et alias lutoſus, ſqualidus, ſordidus Angloſaxonibus dicitur *horig*, non *horen*, teſte SOMNERO & BENSONIO. Interim res ipſa non caret probabilitate nec analogia. Nam Belgæ ob eandem rationem Februarium vocant *ſporkelmaend* & *ſprokelmaend*, a Lat. *ſpurcus*, ſicut optime obſervat vir doctus. Addere poterat, quod idem Menſis Angloſaxonibus nuncupatur *ſol-monath*, non a placentis, quas tunc Diis offerebant, tamquam appellatio ducta eſſet a *ſelen* tradere, ut videtur exiſtimaſſe BEDA: nec a *ſolis* aſcenſu, quod tunc benignioribus radiis frigora diſpellere & propius accedere incipiat, ut WORMIUS & SOMNERUS augurantur: ſed potius a *ſol* volutabrum, vel *ſal* ſordidus. Igitur, ſi in luto hærere juvat, hoc potius dicerem, quod *hornung* ſit vox per epentheſin vitiata ex Saxonica *horig* lutoſus.

HORNUS, *bornus*, crabro, ſcarabæus cornutus. Gloſſ. Boxh. *hornaz* crabrones. Gloſſ. Æl. f. crabro *hyrnet*. Idem Anglis *hornet*. Haud dubie a Lat. *cornutus*, mutato C. in H. Vox Belgica *horſel*, quam SKINNERUS hic adducit, alterius generis eſt. Significat enim muſcam equariam, & manifeſto derivatur ab *hors* equus, quia ex putridis equorum carnibus naſci creditur.

HORS, equus. V. *roſs*.

HORST, dux Saxonum inclytus, Hengiſti frater, Angloſaxon. *Horſa*, Lat. *Horſus* & *Horſtus*. An ab *hors* equus, quem ipſe & frater in ſcuto gentilitio geſſerunt? Ita judicat SKINNERUS. Cui vero non poſſum adſentiri, cum & imago ſcuti recentior videatur his Ducibus, & mos Germanicus non ferat, ut nomina propria ab animalibus deſumantur. Hinc ſuſpicor, quod *hors* proprie ſit gnavus & celer, cum quia *hurſch* Francis idem ſignificat, ut in loco oſtendi, tum quia *horslic* SOMNERO exponitur *gnaviter*, *diligenter*. Unde porro conſequitur, quod *hurſt* ſit ſuperlativus ab *hors*, & pro-

prie celerrimum atque acerrimum deſignet.

HORST, locus nemoroſus & paſcuus, ab ὄρος mons. Ita HELVIGIUS in Orig. Germ. Vox tranſalbiana & in agro Brandenburgico præcipue uſitata, & ni fallor origine Saxonica, non Græca. Nam *hurſta* Latino-Barbaris eſt nemus, & *hurſtlega* locus nemoroſus. Utrumque ab Angloſaxonico *hurſt* vel *hyrſt* nemus, quod SPELMANNUS probat ex LELANDO, & CANGIUS repetit ex Spelmanno. Sed unde Saxonibus ſit *hurſt*, neuter explicat. Forte *horſt* idem eſt quod *forſt*, ob frequentem literarum F. & H. permutationem. Aut ſi hoc non placet, ducatur ab *hors* equus, ſic ut primo fuerit *hors-tun*, h. e. nemus equis deſtinatum, ſive auſpicii, ſive paſturæ, ſive generis procreandi cauſa, & poſtea *horſt* per apocopen. Simile compoſitum eſt, quando hortus cervorum Angloſaxonibus vocatur *deor-tun*. Conſer *dun* locus ſeptus. Et cum hac compoſitionis ratione eleganter convenit, quod de auſpiciis equeſtribus veterum Germanorum ſcribit TACITUS Cap. X. de M. G. *Proprium Gentis, equorum quoque præſagia ac monitus experiri. Publice aluntur iisdem nemoribus ac lucis* &c.

HORT, præſidium, tutamen. R. TYROLIS ad filium §. 41. *Liegen iſt ein angeſtlich hort*, mendacium eſt præſidium anxium. Utitur LUTHERUS frequenter in ſacra Verſione, quoties in Heb. occurrit *zur* rupes, ſive quia eadem vox etiam arcem & turrim ſignificat Hebræis, ſive quia *hort* contractum exiſtimavit ex *hoher ort* locus editus, in qua ſententia multos hodieque verſari video. Sed non opus eſt, ut eo deveniamus. Nam *hort* LUTHERO denotare poteſt præſidium in genere, & derivari ab *hirten* cuſtodire, ſervare, tueri, vel certe idem eſſe quod *hurd* clypeus.

HORT, theſaurus. Angloſaxonibus *hord* eſt theſaurus, *hordian* theſaurizare, *hordere* theſaurarius, *boc-hord* bibliotheca, theſaurus librarius, *hord-cleofe* ciſta, ſcrinium, in quo theſaurus conditur, *hord-fata* gazophylacium, quæ vide apud SOMNERUM. Habent & *gold-hord* & *gold-hordian* pro theſauro & theſaurizare in Evang. Matth. VI. 19. 20. Unde dubium non eſt, hanc vocem cum univerſa cognatione Saxonicam eſſe, & ab his ad Francos & reliquos Germanos profectam. *Hort* Dialecto Francica idem ſignificat. ISIDORUS Paltenii pag. 242. *endi dhiu chiborgonun hort dhir ghibu*, & dabo tibi theſauros abſconditos. A Francis porro venit ad Scriptores Præneticos Goldaſti. WALTHER von der Vogelweide ad Philip. Imp.

Nu haſtu gut und ere,
Darzu wol zweier Kunige hort.

Eodem ſignificatu ſuperat apud Anglos, quibus *a hoard* theſaurus, *a hoarder* theſaurarius, *to hoard* theſaurizare. Quidam *hort* apocopatum cenſent a Latino *hæreditas*, vel productum a Gallico *hoir* hæres. Alii deducunt ab *hirten* cuſtodire, quia theſauri ſolent cuſtodiri. Suſpicor, nomen a gregibus ad theſauros ſignificandos translatum eſſe. Nam *hurd* præter alia multa ſignificat gregem, ut oſtendi infra in loco. Primæ autem Germanorum divitiæ conſiſtebant in gregibus, antequam argentum ferroque nocentius aurum in uſu & affectione haberi cœpiſſent, teſte TACITO de M. G. Cap. V. Ab his ergo nomen ad theſauros tranſiſſe, prorſus veroſimile eſt. Sic & Latinis pecunia a pecu dicitur, & olim Germanis pecunia viva & mortua uno vocabulo *vieh* veniebat. Hodie obſoleſcit.

HOSEN, ſignificat quantum poteſt, braccas, tibialia, feminalia, galligas &c. Oritur enim ab *hüten* tegere, per liquationem T. in S. Unde mirum non eſt, hoc derivatum apud diverſos diverſa veſtimenti genera denotare, cum omnibus tegumentis ſignificandis aptum natum ſit. Vox omnibus popu lis Celticis ab antiquo communis, quæ Cambris effertur *hoſan*, Angloſaxon. Francis & Longobard. *hoſa*, Belg. *kouſſen*. Inde Latino-Barbaris *oſa* & *hoſa*, Gallis *chauſſe* & *chauſſer*, quæ vulgo male ducuntur a Lat. *caliga*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *hoſen* tibiale, crurale, caliga. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *hoſa* caligæ, *hoſe-bendas* periſcelides, *ſcin-hoſe* ocreæ, a *ſcina* crus. Gloſſ. Pez. caligas *hoſum*, corrigia caligæ *hoſenſtila*. P. WARNEFRIDUS de Geſtis Longobard. Lib. IV. Cap. 23. *Veſtimenta eis erant laxa & maxime linea, qualia Anglo-Saxones habere ſolent, ornata inſtitis latioribus, vario colore contextis. Calcei vero eis erant uſque ad ſummum pollicem pene aperti, & alternatim laqueis corrigiarum retenti. Poſtea vero cœperunt Hoſis uti, ſuper quas equitantes Tubrugos birreos mittebant.* Quid ſint *tubrugi* explicat CANGIUS in voce.

HOSTIS, exercitus. Pactus Leg. Sal. Tit. LXVI. 2. *Si quis hominem ingenuum, qui lege Salica vivit, in* HOSTE, *in campania de Companiei ſuorum, occiderit, ſecundum quod in patria ſi ipſe occiſus eſſet, componere debuiſſet, in triplo componat.* Dicitur & *hoſtium* & *hoſticum*. Plura teſtimonia vide apud Gloſſographos. Tranſiit a Latino-Barbaris in omnes pene Linguas Occidentis. Hinc bellum, expeditio, exercitus Gallis dicitur *hoſt* & *oſt*, Italis *hoſte*, Hiſpanis *hueſte*, Anglis *hoſte*. Unde a primis repertoribus formatum ſit, videntur Literati & rerum veterum curioſi ſcrutatores adhuc ignorare. SPELMANNUS & CANGIUS ſilent. ECCARDUS & reliqui a Lat. *hoſtis* deducunt, quod, qui fieri potuerit ſalvo & integro ſenſu, ipſi viderint. *Hoſtis* (ut mihi quidem videtur) primo ſignificavit *equitatum*, nomenque accepit ab *hoſt* equus, qui Suecis etiamnum dicitur *hæſt*, Danis *heſte*, Islandis *heſt*. VEREL. in Ind. *vigheſta* equi bello apti, *heſtvord* excubiæ equitum, *heſtathing* judicium de certamine equorum, *heſt-*

hesſſer equum conſcendere valens, *brynna heſtom* ad puteum equos aquare. Poſtea ab equitatu transferri cœpit ad *exercitum* ſignificandum. Cauſa transferendi fuit, quod Germani medio ævo nullos haberent exercitus niſi equeſtres, & quod tunc equus præcipuum eſſet belli gerendi inſtrumentum. Et talis quoque eſt facies Martis antiquiſſima. Nam primis temporibus negotium belli equites pene ſoli conficiebant, peditibus quidem cincti, ſed uſui magis ſervili quam pugnæ deſtinatis. CÆSAR de exercitu Arioviſti Lib. I. de B. Gall. Cap. 48. *Equitum millia erant VI. totidem numero pedites velociſſimi & fortiſſimi, quos ex omni copia ſinguli ſingulos, ſuæ ſalutis cauſa, delegerant. Cum his in prœliis verſabantur, ad hos ſe equites recipiebant; hi ſi quid erat durius, concurrebant, ſi qui, graviore vulnere accepto, equo deciderant, circumſiſtebant; ſi quo erat longius progrediendum aut celerius recipiendum, tanta erat horum exercitatione celeritas, ut jubis equorum ſublevati, curſum æquarent.* Poſtea major erat peditum quam equitum cura. TACITUS de M. G. Cap. VI. *In univerſum æſtimanti plus penes peditem roboris, eoque mixti prœliantur, apta & congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni juventute delectos ante aciem locant.* Videntur tamen & hic Germanorum ſtudia fuiſſe diviſa, aliis equitem pediti, aliis peditem equiti præferentibus. Nam de Cattis ſcribit TACITUS ibidem Cap. XXX. *Omne robur in pedite.* Et de Tencteris Cap. XXXII. *Nec major apud Cattos peditum laus, quam Tencteris equitum. Sic inſtituere majores, poſteri imitantur.* Primi Alamannorum erant viri equeſtres, & *ex equo mirifice pugnantes*, teſte Aur. VICTORE in Caracalla. Sed de primis Francorum refert AGATHIAS Lib. I. *Equis niſi paucis non utuntur, avito more & educatione ad pedeſtrem pugnam exerciti.* Verum hunc morem poſtera ætas mirum quantum mutavit, præſertim ubi Gallia omnis a Francis aut Alamannis eſſet occupata. Tunc enim peditatus paulatim vilefcere, & vis ac robur belli omne in Equitatu collocari cœpit, quæ res mox Feudis originem dedit. Quod adeo verum, ut Scriptoribus medii ævi antiquiſſimis *equitatus* & *exercitus*, *equitatio* & *expeditio* ſint ſynonyma. Qui dubitat, adeat CANGIUM in voce *Hoſtis*, & nubem teſtium inveniet. Uſus peditum, diu intermiſſus, tandem revocari cœpit ſub Expeditionibus religionis cauſa ſuſceptis, quas vulgo *cruciatas* vocant. Interim ab *hoſtis* exercitus, equitatus, eſt vox feudalis & Germanica *oſtendienſt* ſervitium equeſtre, ſervitium vaſalli in exercitu, nec non pecunia qua illud redimitur, quam imitantur Latino-Barbari in *hoſtendiſia*, cujus ſynonymum eſt *kriegs-dienſt, reuter-dienſt*, ſicut optime notavit FREHERUS, & ex illo Cel. D. GEBAUERUS in notis eruditis ad Conſtitutionem antiquam *de Expeditione Romana* pag. 264.

HOTT, dextrorſum. V. *wiſt.*

HUBE, *hufe*, fundus ruſticus. Latino-Barbaris in antiquis Germanorum chartis *hoba, huba, hoiba, hobanna*, & *oba*. Cujus mentio vetuſtiſſima occurrit in charta ſub Theodorico III. Rege (qui Monarchiam Francicam obtinuit an. 680. obiit 692.) conſcripta, memorante GOLDASTO in Animadverſ. ad Script. Parœn. pag. 437. Ill. LEIBNITIUS *hof* & *hufe* confundit tanquam vocabula idem ſignificantia, nempe aulam vel curtim, in Epiſt. ad Ludolf. 1697. quæ extat pag. 305. *Miſcellaneorum.* Mihi videntur diſtinguenda. Nam vocabulis iſtis diverſas res deſignari, & uſus evincit, & origo permittit, quæ cum hactenus fuerit ignorata, confuſionem illam peperit. Conveniunt autem in radice obſoleta *hiwan* formare, fabricare. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hiwan* formare, fabricare, *hiwiſc landes* terræ portio, fundi modus. His præſuppoſitis *hof* & *hube* ita diſtinguo, ut *hof* ſit ædificium in fundo, *hube* fundus in prædio. Illud deduco ab *hiwan* fabricare, hoc ab *hiwan* formare, quia fundus eſt modus agri ex terra arabili & paſcua formatus. Nam paſcua quoque ſub *hobis* quondam comprehenſa eſſe, teſtis eſt non ſolum uſus hodiernus Helvetiorum, quibus *huob* paſcuum, ſed & vetus Poëta NITHARDUS apud Goldaſtum loco cit.

Blumen und kle,
Mannigerhande wunne me,
Hat verderbet uns der ſne,
Das eht iht vor im beſte:
Sumer dine holden von den HUBEN
ſint gevarn.

Ab *hube* derivantur & componuntur

hübner, colonus, poſſeſſor hubæ, Lat. Barb. *hobarius.*

hubengelt, cenſus vel reditus, quem coloni pendunt ex agris & paſcuis. Vocem ſiſtit alius Poeta apud eundem pag. 439. *ſi hant nach eren ie verzert ir hubengelt.*

HUBE, modus vel menſura agri. Rurſus a formando. Inde *hufen-landes*, quantum agri homini ruſtico pro alenda familia convenit, interprete LEIBNITIO, vel potius quantum uno aratro per annum coli poteſt. Menſura ruſticis notior quam eruditis.

HUBEL, *hübel*, collis. Vox Francica, quæ WILLERAMO in Editione Merulæ ſcribitur *hüuel*, pag. 28. & 69. & originem ſuam refert ad *heben* levare, quia collis ex planitie tollitur in altum. Vocem Abbatis cuſtodiunt hodie Miſnici. Allegorice dicitur de genis ob ſimilitudinem cum collibus, ut ſupra oſtendi in *backe*, duce JUNIO.

HÜBSCH, *hübſch*, pulcher, formoſus, *eine hübſche jungfrauw* puella formoſa. HELVIGIUS ducit a Gr. ἱφὺς, ἱφὺος pinguis, robuſtus, pulcher: MARTINIUS a Lat. *copis* dives, copioſus. LEIBNITIUS in Epiſt. ad Ludolf. 1697. *hübſch* vel *hubſch*, ut in antiquis chartis

tis ſcribitur, derivat ab *hube* vel *hof* aula, curtis, ſic ut *hübiſch* idem ſit quod hodie *höffich* aulicus, elegans, urbanus, uti *corteſe* apud Italos civilis, humanus, a *corte* aula. At in his derivationibus pulcher manifeſto confunditur, in prima cum robuſto, in ſecunda cum divite, in tertia cum urbano. Mihi plane perſuaſum eſt, primos nominis impoſitores pulchritudinem non robore corporis aut multitudine pecuniæ, aut moribus aulicis, ſed forma, ut par eſt, æſtimaſſe. Nam ab *hiwan* formare, derivarunt primo *hiwe*, *heowe* forma, ſpecies. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *hiwan*, *hiwian* formare, *heow* ſpecies, *hywe* color, effigies, *hiw-leas* turpis, deformis, *hiw-leaſneſſe* turpitudo, deformitas. Inde Anglis remanſit *hew* color. Ab hoc deinceps ſubſtantivo poſteritas fecit adjectivum *hywiſch*, & mox W. in B. mutato *hübiſch*, & contracte *hübſch* formoſus, ſpecioſus. De terminatione adjectivali *iſch* vide *Proleg.* Sect. VI.

HUBSCH, *hübſch*, elegans, decorus, *ein hübſcher mann* vir cultus, & moribus ad honeſtatem compoſitis, *eine hübſche rede* culta oratio, *ein hübſcher garten* hortus amœnus. Ex eodem fonte, nempe ab *hiwan* formare. Cambri ab eodem verbo habent *hoyw* cultus, concinnus, elegans, in Lex. Ant. Brit. BOXHORNII. Belgæ vocabulum Germanicum imitantur in *hups*.

HUDELN, vexare, illudere, ludificare, *hudler* illuſor, *hudel-geſind* nebulones. Hebræis *hetel* in pih. eſt ludificavit, deluſit, illuſit, Sorabis *hudlu* illudere, Græcis ὑθλέω nugas ago, obſervante FRENZELIO in Orig. Sorab. pag. 1057. Cambris *hud* præſtigiæ, illuſio, *hudol* præſtigiator, impoſtor, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Islandis *had*, *hadung*, *hadsla* irriſio cum contumelia, *hadgiarn* promptus in contumeliis aliis inferendis, apud VEREL. in Ind. Suecis *hæda* contumelia afficere, *hædelſe* contumelia. Cuncta ab *huen* illudere, irridere. Nam hinc primo fit *had* & *hud* illuſio, deinde *hæda* illudere, poſtea *hudol* illuſor, & ab illo *hudeln* illudere.

HUEN, illudere, irridere. Vetus Francicum, quod vide in interjectione ridendi *ha*.

HUF, ungula. Angloſax. *hof*, Franc. *huof*, Angl. & Suec. *hoof*, Belg. *hæf*. Gloſſ. Pez. ungula *huof*. VEREL. in Ind. *höf* ungula equina. JUNIUS in Obſ. ad Will. pag. 191. vocem Germanicam derivata Græca ὁπλὴ ungula, valde veroſimiliter. Nam apud Græc. ὁπλὴ recipit interpretationem partibus animalium corneis valde congruam, ſi cum MARTINIO in Cadmo Græco-Phœnice referatur ad cognationem τῦ ὅπλω. Quid enim ſunt ungulæ animalium, niſi arma & munimenta pedum? Verum, ſi Græca origine opus ſit, malim hæc pedum munimenta ſic appellari ab ἰζάω ferio, pulſo. Quatit ungula campum, nec campum tantum, ſed etiam hoſtem & aggreſſorem.

HUFE, fundus ruſticus. V. *hube*.

HUFTE, *hüfte*, pars corporis media, inter lumbos & genua. Hinc idem nomen antiquitus tribuitur lumbis, coxendici, & feminibus. Gothis *hup* eſt lumbus, & dicitur de cingulo Johannis Baptiſtæ, quod erat circa lumbos ejus, Marc. I. 6. Eadem vox Dialecto Saxonica & Francica eſt coxa & femur. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *hip*, *hipesban*, coxa. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *hyppe* femur. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. clunes vel coxæ *hufphi*. Gloſſ. Pez. ſub femore *unter dero huffi*. JUNIUS hanc corporis partem ſic dictam putat ab *hauffe* acervus, quod nusquam alibi in toto corpore major ſit oſſeorum nodorum muſculorumque coacervatio, in Gloſſ. Goth. pag. 206. STIERNHIELMIUS nomenclaturam petit ab *heben* levare, ſuſtinere, quia coxendix totum corpus ſuſtinet, in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 93. STILERUS vocem hodiernam deducit ab *heften* figere, aptare figendo, ob aptam oſſium connexionem.

HUG, mens, animus. OTFRIDUS Lib. III. Cap. VIII. 79. *ſo imo ther hugu uuankta*, cum vacillaret animus ejus. Idem Suecis *hogh*, Islandis *hug* & *hugur*. Extat & *hugen* in Dialectis, tam vario ſignificatu, ut videatur a ſubſtantivo productum. Gothis enim *hugjan* eſt cogitare, putare, bene vel male velle, Angloſaxon. *hogan* curare, *higian* attendere, *hicgan* perſcrutari, Alamannis *kehucken* meminiſſe, Belgis *heugen* recordari, Islandis *hugſa* conſiderare, *hugga* conſolari, *hyggia* providere. Quæ certe ita comparata ſunt, ut facilius nomen a mente accipere, quam illi dare potuerint. Horum affinia ſunt, judice STIERNHIELMIO, Heb. *haga* meditari, cogitare, & Græc. ἡγέεσθαι putare, perſpicere, cognoſcere. Ex nominibus propriis huc ſpectat HUGO, quod, cum ex aliquo verborum ortum ſit, *memorem*, *providum*, *perſpicacem* &c. ſignificare poteſt.

HUGEL, *hügel*, collis, tumulus. VEREL. in Ind. *hoeg* tumulus, *haug*, *haugur* mortuorum tumuli & ſepulcra, *brytr madr haug* ſi quis tumulum violet, *haugh-olld* ætas tumulorum, cum mortui non comburebantur, ſed tumulis inferebantur, *hauga-eldar* ignes fatui qui in tumulis non raro videntur, *haugbuar* lemures, ſpectra, tumulicolæ. Hæc ille, & plura alia. Sed in ipſa voce nihil eſt, cur tumulis mortuorum propria cenſeri debeat. Nam proprie ſignificat altitudinem terræ quamcunque, ſive naturalem ſive manufactam, & originem refert ad *hoch* altus, vel *höhen* extollere, levare in altum. Franci aliis vocibus utuntur ad hunc ſenſum exprimendum, quas vide in *hübel*, *hübel*, & *nal*.

HUI, interjectio incitandi, præcipue apud venatores, qui ſolent aprum provocare dicendo *hui ſau*. Particula antiquiſſima, de qua ſic ſcribit BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *hai*, eho, eſt provocantis & incitantis, *yr hai a laddod yr hwch* vox incitantis occi-

dit

dit ſuem. Ab hac particula oritur ſubſtantivum *hui* ictus oculi, momentum, quia fit incitatiſſime, & adjectivum *hui* præceps, unde *hui im reden* præceps in ſermone, *huier ſinn* ingenium præceps, apud STILERUM in Theſ. L. Germ.

HUI, vox naturalis equi apud Luth. Hiob XXXIX. 28. Vide quæ notavi ad *wiehern* hinnire.

HULD, gratia, favor, affectio. Angloſax. *hyld*, *hylde*, *hyldo*, Franc. *huldi*, Island. *hilli* per ſyncopen. Gloſſ. Pez. gratia *huldi*, favor *huldi*. Gloſſ. Boxh. placorem *huldi*. TATIANUS Cap. III. 4. *thu fundi huldi mit Gote*, inveniſti gratiam apud Deum. Hujus ſubſtantivi generatio ita procedit. Ab *halden* vergere, inclinari, fit *hold*, *huld*, quod adjective *inclinatum*, h. e. propenſum, propitium, devotum, ſubſtantive *inclinationem*, h. e. propenſionem, favorem, & placendi ſtudium ſignificat. Utrumque eſt allegoricum, ut conſideranti patet. Ab *hold* vel *huld* rurſus fit *hulden* placare, quod obſoleſcit.

HULD, obſequium, fides, fidelitas. Senſus a cauſa ad effectum traductus, ob vinculum naturale, quod eſt inter propenſionem & fidem atque obſequium. Nam quo magis unusquisque affectione ducitur, eo magis alteri, cui favet, fidum & obſequentem ſe præſtabit. Hinc Angloſaxonibus *hylde* nonſolum affectionem, ſed etiam fidelitatem denotat, teſte BENSONIO. Iisdem *hylde-leas* eſt infidus. Saxonibus conſentiunt Franci. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XII. 18. *thaz ir mir leiſtit huldi*, ut mihi præſtaretis fidem. Et rurſus Cap. XXIV. 9. *thih zihen unhuldi*, te arguent infidelitatis erga Cæſarem.

HULDEN, placare, facere ut faveat. Gloſſ. antiq. apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 297. *kihuldu* placabo. Gloſſ. Schilt. *gehulter* propitiatus, *gehulta Got* placavit Deum. Refer ad *huld* primæ ſignificationis. Hodie non amplius occurrit.

HULDEN, fidem & obſequium juramento promittere, ſive magiſtratui, ſive novo Principi. Belgæ eodem ſenſu dicunt *hulden*, Islandi *hylla* per ſyncopen. VEREL. in Ind. *hylla* fidum juramentum magiſtratui præſtare. Viguit adhuc ante centum annos. MATHESIUS Conc. 2. de Scriptis & Geſtis Luth. pag. 17. *wie ein glied des corporis politici und weltlichen reichs ſchweret und huldet*. Hodie delectamur frequentativo *huldigen*, quod etiam probatur Belgis. Refer ad *huld* ſecundæ ſignificationis.

HULF, *hülf*, quatenus eſt verbale ab *helfen*, deſignat quantum poteſt, *auxilium* & *auxiliatorem*.

HULF, *hülf*, auxilium. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *helpe*, Angloſaxon. *helpe*, *hylp*, & per apharæſin *ulph*, Franc. & Alam. *helfa*, Belg. *hulp*, Angl. *helpe*, Scandis *hialp*, *hiælp*, Gloſſ. Keron. adjutorium *helfa*. Gloſſ. Boxh. *helfa* amminiculum. Gloſſ. Lipſ. *hulpilos* inops. VEREL. in Ind. *hialpa* auxilium, *hialplaus* deſtitutus auxilio. Refer ad *helfen* juvare.

HULF, *hülf*, compoſite *gehülf*, auxiliator. Senſus maxime conſpicuus in nominibus propriis, in quibus *hülf* per apharæſin effertur *elf*, *olf*, *ulf*, per proſtheſin *wolf*, & per literarum permutationem *culf* & *chilp*. Inde

ATAULPHUS, pater juvans. Rex Gothorum in Italia, Gallia, Hiſpania, Alarici R. conſanguineus & ſucceſſor. Recurrit in *od*.

MARCULFUS, clarus adjutor. Collector Formularum Sæculi VII.

CHILPERICUS, adjutor potens, non adjutor fortis. Et ideo verba Venantii Lib. IX. Poem. 1. ſic interpungenda ſunt:

Chilperice, potens (ſi interpres barbarus extet)
Adjutor: Fortis tu quoque nomen habes.

Nomen Regibus Francor. & Burgund. familiare.

ÆLFRICUS, eadem notione. Abbas Angloſaxonicus, cujus Gloſſas paſſim citamus.

RUDOLPHUS, conſilio juvans. Scribitur etiam *Hroadolf* & *Radolf*, & nonſolum conſilio juvantem, ſed etiam *celerem auxiliatorem* ſignificare poteſt.

ADOLPHUS, ut *ataulphus*.

WOLFGANGUS, juvenis juvans. Ab Angloſax. *geong* juvenis.

GANGOLFUS, eadem notione.

WOLFRAMUS, adjutor validus.

Nusquam vero *Ulf* frequentius occurrunt, quam apud Longobardos. Hujusmodi ſunt apud P. DIACONUM quatuor in uno capite, *Agilulfus*, *Minulfus*, *Gaidulfus*, *Ulfari* Lib. IV. Cap. 3. *Zangrulfus* Cap. 14. *Giſulfus* Cap. 28. *Graſulfus* Cap. 41. *Honnulfus* Lib. V. Cap. 3. *Arnulfus* Lib. VI. Cap. 23. *Ferdulfus* Cap. 24. &c.

HULFTER, theca, *piſtolenhulfter* ſclopotheca. A *καλύπτω* tego, obduco, abſcondo, per literas convertibiles.

HULLE, *hülle*, velamen, tegumentum, *hülle und fülle* victus & amictus. Subſtantiv. a verbo ortum.

HULLEN, *hüllen*, tegere, velare, operire. Gothis *huljan* Marc. XIV. 65. Francis *hulen*. Gloſſ. Pez. operuit ſe *hulta ſich*. Similiter & Islandis *eg hil* eſt tego, *hulde* texi, *hulid* tectum, velatum, Luc. IX. 45. *hylia* tegere. Proprie autem eſt cavo involvere, aut intra cavum occulere, ab *hol* cavus. Hodie delectamur compoſito *verhüllen*, quod idem. Utitur tamen ſimplici Luth. Eſa. XXV. 7. Hujus verbi plurima extant derivata in omnibus veterum Dialectis. Inde

Gothis *andbuljan* revelare Luc. X. 22. *hulundi* ſpelunca Joh. XI. 38.

Angloſax. *helle* ſepulcrum Luc. XVI. 22. *hulcl* cubile, tugurium, *heolſtra* antra, latibula.

Francis *bullituoh* linteamentum, *bulilachan* chlamys. Utrumque in Gloſſis Theotiſcis R. P. PEZII.

Islandis *hulda* protectio, *at huldu* occulte, *huldu hofsli* velato capite, *hulmæle* allegoria vel dictio obſcura, apud VEREL. in Ind.

Germanis *höle* ſpecus, antrum, latibulum, *helm* galea, tegumentum capitis, *hülſe* ſiliqua, folliculus, tegumentum granorum.

Quibuſcum convenire videntur Latina, *calyx* involucrum florum aut fructuum, *caula* antrum. Antiquitus enim ante uſum tectorum oves in antris claudebantur, ut docet FESTUS in voce. Et alia paſſim notata.

HULSE, *hülſe*, ſiliqua. V. *hüllen.*

HUMMEL, fucus, *hummen*, *humſen* bombilare. Voces a ſono fictæ.

HUMMER, cancer marinus. A Lat. *cammarus.*

HUMP, poterium amplum & capax, *eingroſſer humpe* congius. Factum a Lat. *cymbium.*

HUMP, *homp*, pars, portio. VEREL. in Ind. *hump* portiuncula ſoli vel agri. Factum a ſimpliciori *hamm*, quod vide.

HUMPLER, *hümpler*, opifex artis ſuæ ignarus. Utitur Luth. Prov. XXVI. 10. Proprie eſt mutilator, qui res truncando perdit, a radice *hammeln* mutilare. Dicitur alias *ſtümper* & *ſtümpler* ob eandem cauſam, nempe a *ſtümmeln* mutilare. Auctor etymologiæ eſt STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 323.

HUN, proprie eſt gallina, idemque quod *henne*. Gloſſ. Pez. gallicinus *huoniriner*. Id eſt, gallinæ coitor. Vulgus omnia confundere pronum maſculos quoque in conſortium nominis adſcivit, nec in genere domeſtico ſubſtitit. Inde *reb-hun*, *haſel-hun*, *berghun*, & ſimilia compoſita, quæ non carent vetuſtate. Gloſſ. Pez. perdix *rephuon*. Belgæ eodem & latiſſimo ſenſu dicunt *hoen.*

HUND, decies decem. Cambris & Armor. *cant*, populis Germanicis *hund* vel *hunt*. Inde Gothis *twai hunda* ducenti Joh. VI. 7. *thrija hunda* trecenti Marc. XIV. 5. *fimfhunda* quingenti Luc. VII. 41. Angloſaxonibus *hund ſceapa* centum oves Luc. XV. 4. *ſif hund penega* quingenti denarii Luc. VII. 41. Similia habent Franci. TATIANUS Cap. CCXXXVI. 7. *uuarun ferro ſon erdu zuuei hunt elinono*, erant longe a terra ducentis cubitis. OTFRIDUS Lib. II. Cap. IV. 5.

Er faſteta unnoto
Thar niunhunt zito,
Sehszug ouh thar miti in uuar,
So rurta 'nan ther hungar.

Vertit SCHILTERUS:

Jejunabat incoactus
Novies centum horas.

Reliqua ex obſervatione SCHERZII ita vertenda ſunt:

Et adhuc ſexaginta,
Tunc cæpit illum laceſſere fames.

Nam 960. horæ efficiunt 40. dies, quibus totum Chriſti jejunium abſolvitur, ſecundum D. Lucam Cap. IV. 2. Hodie *hund* pro centum nobis ſuperat in compoſitis *hundert* centuria, *tauſend* decies centum, quæ vide ſuis locis. Plerique vocem Germanicam derivant a Lat. *centum*, & hanc a Græc. ἑκατόν. Unde ſit vox Græca docet MARTINIUS in Lexico Philologico, nempe vel ab ἕκας procul, ab unitate diſtet centenarius, vel a κεντῶν pungere, quod in majoribus numeris centenarius puncto notetur. Poſtrema conjectura, etiamſi ingenioſa & concinna ſit, non debet me deterrere, quo minus meam quoque, quamvis paulo audaciorem, depromam. Suſpicor *hund* nihil aliud eſſe quam *hand* manus, quod in multis dialectis eſſertur *hond*. Hinc *hund* primo quidem ſignificavit *decem*, quia dicturis *decem*, non alio ſigno opus erat, quam omnium digitorum utriusque manus explicatione. Verum cum prifci nonſolum unitates, ſed etiam decades digitis numerarent, quod hic ex dictis in *fünf* & *elf* ſuppono: hinc *hund* illis etiam *decies decem* denotavit. Sic apud Latinos *centum* modo *decem* ſignificat in *nonaginta*, modo *decies decem* in *nongenti*. Nam in his compoſitis *ginta* & *genti* ſunt ex *centum* vitiata. Siquæratur, quo indicio denarium a centenario diſtinxerint? Reſpondeo, id fieri potuiſſe decuſſando manus. Nam manibus ita complicatis patebat, ſingulos digitos valere denarium. Inde eſt, quod X. h. e. duæ lineæ transverſæ in toto Occidente decem ſignificant. Et ab hoc numerandi more antiquiſſimo tam Græcum quam Latinum vocabulum profectum eſſe auguror. Si erro, mecum error meus.

HUND, more Angloſaxonibus unice uſitato præfigi ſolet numeris cardinalibus ab *hund ſeofontig* ſeptuaginta, uſque ad *hund twelfztig* centum & viginti. Quid ſignificet, non explicat SOMNERUS, quamvis ſecretorum Linguæ Saxonicæ peritiſſimus, cujus incredibili induſtriæ debemus *Dictionarium Angloſaxonicum*, quod nobis ſæpe pro cynoſura eſt. JUNIUS, qui omnes veterum Dialectos vaſtiſſimo ingenio complexus eſt, conatur rationem reddere, quo pacto illud *hund*, quod *ſupervacuum* vocat, e libris Gothicis in Saxonica monumenta irrepſerit, in Gloſſ. Goth. pag. 205. Solverit nodum, an ſecaverit, penes alios judicium eſto.

HUNDERT, centum vel centuria. Belgis *hondert*. Utrumque vitiatum ex antiquiori *hundred* ejusdem ſignificatus. Evangel. Angloſaxon. Joh. VI. 7. *nabbath hi genoh on twegera hundred penega wurthe hlafes*, non ſufficiunt eis panes duas centurias denariorum valore æquantes. VEREL. in Ind. *hundrud* centum. Idem Suecis *hundrade*. Ubique recte & elegante. Nam proprie eſt centum numero, vel ipſe numerus centenarius, a *red*, *rad*, *rat*, numerus. Quæ vox

vox ob mobilitatem literæ R. per metaplaſmum vulgo valde familiarem converſa eſt in *ert*. Tranſiit autem vox Saxonica in Latinitatem medii ævi. Inde Latino-Barbaris

hundredus, centena, centuria, ſive agrorum, ſive villarum, ſive ſubditorum, in eodem pago, territorio, diſtrictu, quæ Angloſaxonibus *hundred*, Cambro-Britannis *cantredo*, Gallis *canton* dicitur, a Celtico *cant* centum, vel a Lat. *centena*.

hundredarius, centenæ præpoſitus, qui Angloſaxonibus *hundredes-ealdor*, Gothis *hundafaths*, Francis *hunteri* dicitur, ab *hunt* centum.

De diſtributione terræ antiqua in *decurias* & *centurias*, vide Gloſſographos. SPELMANNUS hoc inſtitutum tribuit Aluredo Regi, CANGIUS Francis diu ante Aluredum. DITHMARUS ultra Francos adſcendit, & incunabula ejus rei Germaniæ antiquæ vindicat, uſumque Saxones Britanniæ, Francos Galliæ intuliſſe contendit, in notis pereruditis ad Taciti Germaniam. Quod ſane perquam veroſimile. Accipe verba TACITI Cap. VI. CENTENI *ex ſingulis pagis ſunt, idque ipſum inter ſuos vocantur, & quod primo numerus fuit, jam nomen & honor eſt.* Et rurſus Cap. XII. *Eligunt in iisdem conciliis & Principes, qui jura per pagos vicosque reddunt.* CENTENI *ſingulis ex plebe comites, conſilium ſimul & auctoritas adſunt.* Prior locus militem legit ex *hundredis*, poſterior judicem.

HUND, canis. Vox phrygia. Græcis κύων, κυνὸς, diminutive κυνίδιον. Græcos a Phrygibus hæc vocabula acceſſiſſe, teſtis PLATO in Cratylo. Cum Phrygibus conſentiunt Celtæ. Hinc canis Cambris & Hibernis dicitur *cwn*, Armoricis *ci* & *cun*. Latinos inde habere *canis* & Græcos κύων, judicat PEZRONIUS in Ant. pag. 335. De Latinis vix dubitandi locus, de Græcis jam vidimus. Unde Trojanis & Celtis ducta ſit appellatio, non liquet. STIERNHIELMIUS factam putat a notione fœcunditatis, quod in omnibus veterum Dialectis *kennen* ſit gignere. Sed hæc canum virtus non adeo peculiaris eſt illis, ut non etiam ſuibus & felibus conveniat. Interim vox Celtica *cwn* in ore Germanico aucta eſt unius literæ additione. Nam canis Gothis, Angloſaxonibus, & Scandis dicitur *hund*, Francis, Alamannis, & Bojoariis *hunt*, Angl *hound*, Belg. *hond*. Quæritur, unde ſit litera D. in fine vocis? Reſponderi poteſt a paragoge, Germanis in vocibus Celticis uſitatiſſima, cujus exempla in hoc Theſauro paſſim dedimus. Aliis tamen aliter videtur, quos ſuis quoque rationibus fultos eſſe, haud diffiteor. JUNIUS *hund* deducit a Græc. κυνίδιον catellus, ECCARDUS ab *huntian* venari, verbo Angloſaxonibus proprio, quod Angli etiamnum cuſtodiunt in *to hunt*. Quod certe non caret ingenio & concinnitate. Hoc uno incommodo premitur etymologia ECCARDI, quod per illam *hund* ad canem venaticum reſtringitur, cum proprie ſit nomen omnibus canibus commune. Hinc longe veroſimilius eſt, *huntian* derivari ab *hund*, quam vice verſa. Quid enim eſt venari, niſi canis opera ad perſequendas feras uti? Qua in re oportet analogiam ſequi aliorum verborum in re venatoria uſitatorum. Ita *hetzen* ſignificatum ſuum accipit a canibus, prorſus ut κυηγεῖν apud Græcos. Præcipua veterum compoſita ſunt,

laitihunt, canis odorator. Proprie canis ductor, a *leiten* ducere, quia hominem ſequentem ducit, dum ipſe odoratu ducitur. Lex Alam. Tit. LXXXII. 2. *Qui illum ductorem, qui hominem ſequentem ducit, quem* LAITIHUNT *dicunt, furaverit.* Idem canis in Lege Bojor. Tit. XIX. 1. *leithibunt*, hodie *leit-hund* dicitur.

bibarhunt, canis qui ſub terra venatur in Leg. Bojor. Tit. XIX. 4. Proprie eſt canis qui caſtores prehendit a *biber* caſtor, monente LINDENBROGIO in Gloſſario.

bapichhunt, canis accipiter, quem Lex Friſionum *acceptoricium* vocat Tit. IV. 3. non quod accipitrem, ſed quod feram capiat. Nam *habich* antiquitus nonſolum de avibus, ſed etiam de canibus dicitur in re venatoria. Lex Bojor. Tit. XIX. 6. *De eo cane, qui dicitur* HAPICHHUNT.

rambunt, eadem notione, a *ramen* capere, arripere. R. CANUTUS in Leg. de foreſtis §. 30. *Item de canibus quos* RAMHUNT *vocant.*

ſpurihunt, canis veſtigator, hodie *ſpürhund*, a *ſpur* indago, veſtigium, quod odoratu præſentit, nec ante dimittit, donec cubile feræ invenerit. Lex Bojor. Tit XIX. 3. *Seucem, qui in ligamine veſtigium tenet, quem* SPURIHUNT *dicunt.*

triphunt, canis impulſor, qui aves & feras in retia agit, hodie *triebhund* a *treiben* impellere. Lex Bojor. ibid. §. 2. *Seucem doctum, quem* TRIPHUNT *vocant.* Dicitur doctus, quia doctus urgere prædam, & in laqueos impellere.

HUND, homo vilis, mancipium. Canis eſt ſymbolum hominis abjecti. Nota canum ſubmiſſio & adulatio, qui quamvis cæſi & plagis confecti, non deſinunt ſuppliciter advolvi, & pedes dominorum tanquam beneficio accepto oſculari. Hinc duplex vocis uſus natus, *adulatorius* & *contumelioſus*. Ad priorem ſpectat, quando abjecti gaudent ſe ipſos appellare *canes*, ut Turcæ & Perſæ in præſentia Imperatoris. Quem ſervilem adulandi morem, ſeque nimis deprimentem dum alios extollere cupit, apud Orientales vetuſtiſſimum eſſe, ex 1. Sam. XXIV. 15. colligitur. Ad ſecundum, quando viliſſimum quemque appellamus canem. VEREL. in Ind. *hund* canis, alias verbum contumelioſum in inimicos, *thu himm illi hundr*

bundr apage peſſime canis, *hundheidin* mere paganus.

HUND, captivus. Codex Arg. Luc. V. 19. *frahuntaneis merjan fralet*, captivis prædicare remiſſionem. WILLERAMUS Cap. VI. 12. *here wider verhundeta*, captiva redi Sunamitis. Hic ſenſus oritur ab *henden* capere. Viguit adhuc ante centum annos. Hinc MATHESIUS in Conc. XIII. de vita Luth. pag. 163. inter apparatus bellicos numerat quoque *hundsketten*, h. e. compedes quæ bello captis injiciuntur.

HUND, præda, ſive ex bello, ſive ex venatu. Gloſſæ antiq. apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 161. *heribunto, ſcab* præda, *eriſta heribundono* initia prædarum. Quibus convenit Angloſaxonicum *huthe* præda, quod ex reliquis videtur ſyncopatum, ut *muth* os pro *mund*, & alia innumera. Proprie eſt res capta, & ex eodem cum præcedenti fonte. Hodie ſuperat in *hunds-teil*, pars prædæ ſilveſtris quæ jure venatico protocynego debetur.

HUNDERT. Vide ſupra poſt *hund* centum.

HUNDS-FOT, notum convicium, ſed ignoti ſignificatus. Pleuique auctores neſcio quid obſcœni in verbo inveniunt. JUNIO ſignificat propudium hominis, hominem ſpurciſſimo canis fœminæ pudendo fœdiorem, in Gloſſ. Goth. pag. 205. ECCARDO hominem muliebria paſſum, primo quidem *quens-fot*, poſtea cum *quen* obſoleſceret, nec amplius intelligeretur, *hunds-fot* dictum, in not. ad L. Sal. pag. 65. Secundum hanc etymologiam convicium ductum eſt ab infamia corporis, quam obiter tangit TACITUS Cap. XII. de M. G. Gallos inde formaſſe *jean foutre*, ſunt qui exiſtimant. Quid ſi ſit *pedes canis*, ſive ſervus a pedibus, *ein hunds-knecht*? Sane pedes Angloſaxonibus dicitur *fet*, Anglis hodienum *feet, foot*. Occaſionem dicterio præbere potuit pœna militaris nobilium portandi canem. Quanta fuerit hujus pœnæ ignominia vel hinc patet, quia portator cogebatur cingulum militare reddere, equo deſcendere, & canem humeris impoſitum ferre pedeſter uſque in proximum comitatum. Ergo cum ante equus eſſet, ex equite ſubito factus eſt pedes & ſervus canis. De hac pœna vide pluribus CANGIUM in voce *canis* & SCHILTERUM in voce *hund*. Idem convicium denotare quoque poteſt altorem canum, ſi ducatur a *foden* nutrire. Quod genus hominum cum ſit viliſſimum, & inter mortales ultimum, nemo paulo honeſtior absque atroci injuria talis appellari poteſt.

HUNDS-RUCKEN, hunds-rücken. V. *ruck* tractus terræ.

HUNGER, fames. Gothis *hubrus* Luc. XV. 14. Angloſaxon. *hungor, hunger, hungre*, Francis *hungar*, Scand. & Angl. *hunger*, Belg. *honger*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. IV. 65.

Nu ſcepſe er imo hiar brot,
Ther hungar diut imo es not.
Nunc faciat ſibi panem,
Dum fames illum urget.

CASAUBONO ſic dicitur quaſi appetitus ex vacuitate, a Græco κενὸς vacuus, vel κενεγγία vacuitas, quæ POLLUCI eſt pro inedia, quam etymologiam ex natura *famis* confirmat JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 203. Alii ſubſtantivum a verbo derivant.

HUNGERN, eſurire. Gothis *huggrjan* Joh. VI. 35. Angloſaxon. *hungrian, hingrian, hyngrian*, Franc. *hungiran*, Scand. *hungra*, Angl. *to hunger*, Belg. *hongeren*. TATIANUS Cap. XV. 2. *after thiu hungirita inan*, poſtea eſuriit. HELVIGIO idem eſt ac ὐ γεῦε non comedere, abſtinere cibo. Contra MARTINIO ſignificat cibum appetere, ab ὄνειαρ cibus, eſca, refectio. Sic Latinis ab *eſu* fit *eſurire*. At ſi omnino Germanicum etymon velimus, inquit, *hon* vel *han gern* eſt habere libenter, cupere. Hæc ille in voce *fames*. Prius probo, non poſterius. Certe *hungeren* eſt verbum deſiderativum ab ὄνειαρ cibus. Spiritus lenis ſæpe mutatur in aſperum, & N. naturaliter attrahit G. in ore Germanico, quod multis exemplis oſtendi in *Proleg.* Sect. III. Plura verba deſiderativi generis vide in *naſchen* ligurire.

HUNTZEN, corrumpere, damno afficere, ſive contrectando, ſive maculando, ſive truncando, aut alio quocunque modo, *verhunzt* corruptus, depravatus, damno & dedecore affectus. A ſubſtantivo Angloſax. *hynt* damnum, læſio, contumelia, quod eſt a verbo obſoleto *hynan* lædere, violare, vaſtare, & hoc a Gr. σεύω, mutato S. in H.

HUPFEN, *hüpfen*, ſalire, exſilire. Angloſaxon. *hoppan*, Belg. *huppen, huppelen*, Angl. *to hop*, Suec. *hoppa*. An a Græc. ὑψόω elevari, tolli in altum? Non auſim: quia Angloſaxonibus *hyppe* eſt femur, & *hyppen* nihil aliud videtur denotare quam femora ſurſum movere.

HUR, ſcortum. Angloſax. *hure, hor-cwena*, Franc. *huor*. Gloſſ. Pez. ſcortum *huor*. Belg. *hoer*, Angl. *whore*, per proſthefin. Cum Gr. ἄωρ ſit mulier, ὥαρ uxor, ὡράια formoſa, κόρη puella, & Armoricis *hoar* ſoror: hinc vox Germanica a multis in ſuſpicionem Græcitatis & degeneris ſignificatus adducitur. Alii viderint, an hoc neceſſe ſit: mihi non videtur. Quemadmodum enim ſcortum Græcis πέρνα a πωρόω vendo, Latinis *meretrix* a merendo, *proſtibulum* a proſtando, Gothis *kalkje* a χαλκὸς æs vel nummus æneus, ſic dicitur: ita ab *heuren* mercede conducere, fieri poterat *hur* mercenariæ ſtipis puella, & primo quidem ancilla, poſtea vero ob pravos ancillarum mores (qui in Lege Salica notantur Tit. XXIX. *de adulteriis ancillarum*) ſcortum. Singularis opinio eſt Nob. ECCARDI, ſcortum ſic appellantis, quaſi *lutulentam*, ab antiquo Francico *horo*, quod in Gloſſis Lipſii exponitur *ſtercus*, quia

mere-

meretrices antiquo more ſolent duci per plateas, & cœno conſpergi a pueris. Vide Cat. Theot. pag. 121. Ab *hur* derivantur & componuntur,

huren, ſcortari, rem habere cum pelle venali. Gothis *borinon* eſt mœchari, Matth. V. 32. Francis *huoren* fornicari. Gloſſ. Lipſ. *gehuorda* fornicati.

hurer, ſcortator. Gloſſ. Boxh. *huarari* libidus. Forte libidinoſus. Gothis *boros* ſunt adulteri, Luc. XVIII. 11.

hurerei, ſcortatio. Gothis *borinaſſus*, Angloſaxonibus *unriht hæmedu*, Marci VII. 21. Francis *forlegani*, de quo ſupra.

huren-haus, lupanar, domus pudicitiæ publicatæ. Gloſſ. Pez. gymnaſium *huorbus*, lupanar *huorbus*. Gymnaſii vocem illuſtrat TACITUS Annal. XV. 37. *Scorta viſebantur nudis corporibus*. Et exemplum Meſſalinæ apud JUVENALEM Sat. 6. Idem locus Angloſaxonibus dicitur *mylten-hus*, quo ſenſu, conatur explicare JUNIUS in Obſerv. ad Will. pag. 202.

huren-kind, ſpurius, nothus, puer vulgo quæſitus. Differt a filio naturali, qui alias *baſtart*.

HURD, crates, tabula viminibus contexta, *hürden* gerræ, ſepes vimineæ. Belgis *horde*. Angloſaxones utuntur diminutivo *hyrdl*, quos imitantur Angli irl *hurdle*. Nomenclatura videtur ab uſu, quem res ipſa in ſervandis cuſtodiendisque rebus præbet, petita. Quemadmodum enim vox Lat. *crates*, quæ cum Germanica perfecte convenit, haud dubie oritur a κρατεῖν tenere: ita *hurd* poſſit eſſe ab *hirten* ſervare, cuſtodire, ut *ſchirm* a *ſchirmen*. Hodie non amplius utimur ſingulari. Pluralis vero ſignificatum habet collectivum. Hinc *hürden* Luthero ſunt caulæ ovium, Luc. II. 8. quia ex pluribus cancellis vimineis conſtructæ. Ab *hurd* Latino-Barbaris fit *hurdare* cratibus munire, apud CANGIUM, & *hurditium* munimentum tegendis mœnibus, & forte ex virgultis factum, quæ cedendo magis quam reſiſtendo vim miſſilium illuderent, apud SPELMANNUM.

HURD, clypeus, interprete GOLDASTO in Animadv. ad Script. Parænet. pag. 376. Si verus eſt ſignificatus, certe a cratibus ad clypeos pervenit, quod illi olim eſſent ex vimine contexti. Verba Germanici, Goldaſto citata, extant apud TACITUM Annal. II. 14. *Non loricam Germano, non galeam, ne ſcuta quidem ferro nervove firmata, ſed viminum textus, ſed tenues & fucatas colore tabulas.*

HURD, janua. Vox Mœſo-Gothis & Islandis propria. Cod. Arg. Matth. VI. 6. *galaukands haurdai theinai*, claudens oſtium tuum. VEREL. in Ind. *hurd* janua, oſtium. An ab *hurra*, quod in eodem Indice exponitur per *venna kring* circum currere? Vereor ne cardinum uſus non ſatis conveniat cum ſimplicitate veteris ævi, & illa ædificandi inſcitia, quam Germanis tribuit TACITUS Cap. XVI. de M. G. Referam igitur, ut cætera, ad *hirten* ſervare, cuſtodire. Nam fores ſunt quaſi cuſtodes ædium, & primis temporibus crates erant pro oſtiis. Utramque etymologiam exhibet STIERNHIELMIUS in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 87.

HURD, domus, præcipue ruſtica. Latino-Barbaris *curtis*. Hinc Angloſaxonibus *burder-feſt*, qui fixum habet domicilium, quamvis paulo aliter interpretante SPELMANNO. Appellatio duci poteſt ex eodem cum antecedentibus fonte, quia ſicut *crates* aream, *ſcutum* corpus, *janua* domum; ita *domus* viciſſim habitatores ſuos ſervat & cuſtodit. Et primo quidem *hurd* videtur tantum denotaſſe villicorum domos, in quibus omnia ſunt cratitia, h. e. ex ramis & virgultis arborum contexta, ſepta, horrea, ſtabula, poſtea ad omnes manſiones, etiam villas regias extenſum. Inde fortaſſe *hird* prætorium, apud VEREL. in Indice. Sed nihil definio, quia *hurd* eſt unum ex illis vocabulis, quæ nimia ſenſuum ubertate laborant, & ad plures fontes reduci poſſunt. Nam *hurd* & *curtis* poſſunt convenire in notione ſepti, ut oſtendi in *gard*, vel recta derivari ab *erden* incolere. Et ſic domus & janua habebunt quidem idem nomen, ſed a diverſis cauſis productum. Confer *gard* & *herd*.

HURD, cœtus. Proprie multitudo in unum agmen coacta, ab *hurten* impellere. Nam apud nos omnis multitudo congregata, tam hominum quam animalium, a cauſa impulſiva denominari ſolet, ut patet ex vocibus *her*, *herde*, *tropp*, aliisque ſimiliter factis. Dicitur antiquitus (1) de conventibus. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *heord*, *hiord*, *hired*, cœtus, conventus, colloquium monachorum. Gloſſ. Keron. choro *chorte*, chorum *corte*. (2.) de gregibus. Gloſſ. Keron. ad gregem *za chortare*. VEREL. in Ind. *hiord* grex pecorum, *hiord-hund* canis gregem ſervans. Inde Francis *ſcafchurten* ſunt greges ovium, apud SCHILTERUM in Gloſſ. Teut. pag. 178. (3.) de turmis. Rex Tyrolis ad filium §. 30. *da hurt gegen hurt dringet*, ubi globus globum impellit. Cui affine Lat. *cohors*, *cohortis*, & Gall. *eſcorte* turma ſtipantium. (4.) de familiis. SOMNER. loc. cit. *hiord*, *hired* familia, *hiredes-fæder* paterfamilias. Nec abludit Tartaricum *horda*, *ordu*, *ordi*, quod illis teſte CLODIO in Lex. Turc. & tribum & turmam equitum ſignificat, manifeſto cum reliquis conſenſu.

HURSCH, celer & celeriter, incitatus & incitate. Gloſſ. Pez. utque celeriter *dæz ſo vilo horſco*, maturius *horskor*, quantocyus *filohorsko*. Similiter & Angloſaxonibus *horslic* eſt gnaviter & diligenter. Id eſt, celeriter, incitate. Hodie dicimus *raſch* & *riſch*, quod fortaſſe antiquius. Nam ab illo fieri poterat *hurſch* transpoſitis literis. Interim verbum a tali adjectivo oriundum,

ſignificat quantum poteſt, *accelerare* & *incitare*.

HURSCHEN, accelérare. NOTKERUS Pſal. IX. 20. *keburſche dina chumſt*, accelera adventum tuum.

HURSCHEN, incitare, *die hunde anhurſchen* incitare canes. Hodie utuntur Suevi, dum Græc. ὄρω, ὄρνω, & ὀρσίω pene idem ſignificat.

HURT, impetus, impulſus. Vox Celtica, per Francos & Alamannos in Belgio & Gallia proſeminata. Cambris *hwrdd* impetus, ictus, inſultus, impulſus, teſte JUNIO in Obſ. ad Will. pag. 211. Belgis *hurt*, *hort*, idem quod *ſtoot*. Gallis prioribus *heurt* idem quod *choc*, & inde *heurtoir* malleus quo fores pulſantur. GRAVENBERG apud GOLDASTUM in Parænet. pag. 378.

Von hurt die ſchilt gaben ſchal,
Das manig kine da geswal.
Ab allifione tinniebant ſcuta,
Et inde multorum intumebant menta.

Uſus Francorum cognoſcitur ex voce Salica *ortfocla*, Titulo VII. 1. 3. de furtis avium, quæ certe *avem impellentem* ſignificat, qualis eſt accipiter, qui impetu ſuo alias aves deprimit. Hodie ſuperat in derivato *hurtig* acer, expeditus, celer, proprie impulſus vel impetu ad agendum præditus. Refer ad verbum ſequens.

HURTEN, trudere, impellere, pulſare. Gloſſ. Phil. ἐρείδει trudit. GOLDASTUS loco proxime citato hos GRAVENBERGII verſiculos exhibet:

Da höbt ſich reht ritterſpil,
Da wirt geburt und geſchlagen,
Davon ſie mal müſſen tragen.

Inde Gallis *heurter* pulſare fores, & Latino-Barbaris *ortare* trudere, *anteortare* protrudere. Lex Sal. Tit. XXXIV. 1. *Si quis Baronem de via* ORTAVERIT. Et mox: *Si vero mulierem ingenuam de via ſua* ORTAVERIT. Tit. XXVI. 20. *Si quis de campo alieno aratrum* ANTEORTAVERIT. Ab hoc ſignificatu *aries* in quibusdam Dialectis appellatur *hwrdd*, & transpoſite *hrut*, quaſi *colliſor*, quia ſocium cornu petit, plane ut Græcis κριὸς a κρούω pulſo. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *hwrdd* aries, *hyrdd* arietes. VEREL. in Ind. pag. 211. *hrutur* aries. Unde rurſus Latino-Barbaris *hurtardus* ſpecies arietis apud SPELMANNUM in Gloſſario. Hodie & verbum & verbale Germanis inuſitatum.

HURTIG. V. *hurt* impetus.

HUSCH, adverb. hortandi, ſignificans age, agedum, cito, ocyus. Particula Germanis & Sorabis communis, ſumpta ab Heb. *chuſch* feſtinavit, & Arabice concitavit, ſi vera conjectura FRENZELII in Orig. Sor. pag. 601. Inde *huſchen* incitare, quo utuntur Vindelici, & *huſche* alapa, quia ſubito & præter exſpectationem vapulantis infligita, ut ſcite STILERUS in Theſ. L. Germ. Differt ab *hurſchen*, quod ex alio fonte.

HUSTEN, tuſſis & tuſſire. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXIII. 287.

Iſt imo in theru bruſti
Thes huaſten anguſti.

Eſt illi in pectore tuſſis anguſtia. Verbum eſt a ſubſtantivo. Subſtantivum autem, judice MARTINIO, ſic dicitur quaſi ὦχης, h. e. truſor, impulſor, ab ὠχίζω trudo, impello, quia natura tuſſim movet excretionis cauſa. Ita Latinis *tuſſis* eſt a *tuſu* verbi *tundo*. Saxones antiqui dicunt *hwoſt*: ſed hac epentheſi (quæ illis ſæpe nimis familiaris) originem vocis occultant. SOMNER. in Dict. AS. *hwoſta* tuſſis, *thyrre hwoſta* tuſſis ſicca, *hwoſtan* tuſſire.

HUT, verbale ab *hüten*, tot recipit ſenſus, quot ex parente ejus naſci poſſunt.

HÜT, pileus. Vox Celtica, quæ proprie ſignificat *tegumentum*, ab *hüten* tegere. Hinc antiquitus nonſolum pileo, ſed omnibus capitis tegumentis tribuitur univerſe. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *hu* pileus, *hott*, *hottan* capitium, *hett* galerus, *heurhod* petaſus. SOMNER. in Dict. Anglofaxon. *hæt* mitra, galerus, *hæſel* galerus, *hod* cucullus, capitium. Gloſſ. Keron. mitra *huot*. Gloſſ. Boxh. pileus, mitra *huat*. Gloſſ. Pez. cydarim *hout*. VEREL. in Ind. *hottur* caſſis. Cuncta ex eodem fonte.

HÜT, cuſtos. WORMIUS in Mon. Dan. pag. 449. *hus hud* domus cuſtos. Refer ad *hüten* cuſtodire. Inde *frawen-hut* eunuchus, cuſtos pudicitiæ, interprete LUTHERO, in libro cui titulus *Wider Hans Worſt. Wittemberg. M. D. XLI.* ubi ſequentia leguntur: *Er were beſſer ein frawen hut, der nichts thun ſolt, denn wie ein* EUNUCHUS, *das iſt ein* FRAWEN HUT, *ſtehen in einer narren kappen mit einem fliegenwedel, und der frawen hüten, und des davon ſie frawen heiſſen, wie es die groben Deudſchen nennen.* Quibus verbis haud dubie alludit ad dicterium vulgare *fotzenhut*. Poſtea vox transferri cœpit ad timidos, molles, & effœminatos, quia cuſtodes mulierum apud Orientales ſunt homines evirati. Et hunc quoque ſenſum torquet LUTHERUS in illuſtrem adverſarium. Simile derivatum eſt, quando a *warten* cuſtodire fit *wart* cuſtos.

HUT, cuſtodia, *burghude* cuſtodia caſtelli. Ex eodem fonte.

HUTEN, *hüten*, tegere, operire. Verbum origine Celticum, quod Cambris veteris Britannicæ Linguæ cuſtodibus effertur *anhuddo*. Hæc vera & primigenia verbi hodierni forma, & verus ac primitivus ejus ſenſus. Qui certe, ob perpetuum Celticæ & Græcæ Linguæ conſenſum, & rei ipſius teſtimonium, non aliunde derivari poteſt melius quam ab ἄνωθεν deſuper. Quid enim eſt tegere, niſi deſuper ponere? BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *anhuddo* tegere, obruere (lege operire), *anhudded* & (contracte) *anndd*

nudd tegmen, velamen. Ubi LEIBNITIUS in Gloſſ. Celt. annotavit, *quaſi non-nudus*. Quod miror tanto viro potuiſſe placere. Poſtea forma verbi primitiva in aliam mutata eſt per aphæreſin, manente ſignificatu. Et ab hac mutatione exiſtit verbum *hüten* tegere, operire, quod hodie cuſtodiunt Angli, & pene ſoli, in *to hide* contego. Hujus verbi, quamvis in vetuſtioribus Dialectis hactenus haud obvii, derivata tamen extant permulta & perſpicua, quæ ſatis teſtantur, parentem ipſum in ore omnium viguiſſe, etiamſi fortaſſe literis non ſit conſignatus. Talia ſunt, omnibus Dialectis communia,

haus, domus, tectum, quia domeſticos tegit,
haut, cutis, quia carnem tegit,
hut, pileus, quia caput tegit,
hütte, tugurium, quia paſtores tegit.

Confer *hutten* tegere, quod plane fororium, & ſimilia habet derivata.

HUTEN, *hüten*, in genere dicendi allegorico ſignificat (1.) *celare, abſcondere, occultare*, quia celantes tegentibus ſimiles ſunt. (2.) *cavere*, quia caventes videntur idem facere quod ii, qui contra injurias aëris, pulverem, inſecta, aliosque fortuitos caſus, aliquid tegunt. Ab hoc verbi ſenſu poſtea alii tanquam rivi promanarunt, ita ut *cavere* ponatur etiam pro *cuſtodire*, *munire, ſervare, defendere, obſervare, curare*, &c. quia omnis hominum providentia in cuſtodiendis, defendendis, & curandis rebus, revera nihil aliud ſunt quam *modi cavendi*, quibus ipſa cautela varie exprimitur. Meliorem ordinem nec optare, nec invenire licet.

HUTEN, *hüten*, celare, abſcondere, occulere. SOMNER. in Dict. AS. *hydan* celare, abſcondere, *behydan*, occulere, *behydde* occultatus. Anglis *to hide* idem ſignificat. Similiter & Armoricis *cuddiw, cuta, cuza*, eſt abſcondere & occultare, teſtibus BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. & PEZRONIO in Antiq. Celt. pag. 383. Græci dicunt κεύθειν eodem ſenſu, quia ſcil. H. & K. ſunt in perpetua permutatione. Inde Cambris *cudd* occultatio, abſconſio, occultum, apud BOXHORN. loc. cit. Gothis *hethjo* cubiculum, locus ſecretior in ædibus Matth. VI. 6. & fortaſſe etiam *huzd* theſaurus Matth. VI. 21. quia theſauri ſolent abſcondi.

HUTEN, *hüten*, cavere, providere ne quid accidat ingrati, *hüte dich* cave, *behutſam* caute, *auf der hut ſeyn* in ſpeculis eſſe, ſecuritati ſuæ proſpicere, *verhüten* præcavere. SOMNER. loc. cit. *hedan* cavere, *hydege* cautus. WILLERAMUS Cap. VIII. 10. *der manlicher tugede iſt, der huotes des gerno, daz er in vinea Domini niet mercenarius ſi*, qui maſculæ virtutis eſt, cavet diligenter, ne mercenarius ſit. Inde Angüs *heed* cautela, *heedfull* cautus, *heedleſs* incautus.

HUTEN, *hüten*, munire, ſepire. Cognoſcitur ex derivatis, qualia ſunt in idiomate Angloſaxon. *heder* ſepes, *heder-bryce* ſepti violatio, *behydan* oppilare, apud SOMNER. in Dict.

HUTEN, *hüten*, cuſtodire, *hüter* cuſtos, *hut* cuſtodia. Senſus apud Francos obvius. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXXVII. 4. *thes kriſtes grabes hueten*, ſepulcrum Chriſti cuſtodire. WILLERAMUS Cap. V. 7. *die Gotes burg beluotent*, qui civitatem Dei cuſtodiunt. Cap. VIII. 12. *die des uuingarten huotent*, qui vineam cuſtodiunt. Apud eundem Cap. I. 6. occurrit *huotar* pro cuſtode. Inde Angloſaxonibus *heodor-hund* moloſſus, quaſi canis cuſtos, ob cuſtodiam domus vel gregis.

HUTEN, *hüten*, ſervare, defendere, *Gott behüte dich* Deus te ſervet, *obhut* tutela, protectio.

HUTEN, *hüten*, obſervare, cum cura attendere. Angloſaxonibus & Francis ut ſupra. Inde OTFRIDO, *thes kindes huaten* curare puerum, *Gotes uuillon huaten* obſervare voluntatem Dei, apud SCHILTERUM, in Gloſſ. Et cum dicta & facta aliorum ſæpe obſerventur inſidiandi cauſa, hinc idem verbum interdum pravo ſenſu ponitur ab antiquis. NOTKERUS Pſal. XXXVI. 12. *der ſundigo huotet des rehten*, peccator obſervat juſtum. Puta, non ſervandi, ſed deſtruendi cauſa. Hodie uterque ſenſus obſolefcit.

HUTTE, *hütte*, tugurium. Vox Celtica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cwtt* tugurium. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *cyte*, *cote* domuncula, caſa, tugurium, *lytel cyte* tuguriolum. Gloſſ. Pez. mappalia *hutta*, tugurium in cucumerario *hutta in churpizgartin*. Gloſſæ Iſonis Magiſtri apud CANGIUM: *hutten*, mapalia & magalia idem ſunt, id eſt caſæ paſtorum, quæ & tugurium. VEREL. in Ind. *hydda* tugurium, conclave, *hyde* latibulum ferarum. Inde Latino-Barbaris *cota* & *cotagium* pro tugurio apud SPELMANNUM. Quibus convenit Lat. *caſa*, Gall. *hute*, & Græc. κοίτη cubile ferarum. Cuncta ex eodem fonte, & ſatis manifeſto, nempe a notione tegendi. SCHEFFERUS vir celeberrimus, in notis manuſcriptis ad Canticum Canticorum Willerami, vocem deducit ab *haut* pellis, corium, quia veteres Germani tuguria ſua more Scythico exuviis ferarum contegebant. De Scythis teſtem excitat JUSTINUM. De Germanis WILLERAMUM, cujus hæc ſunt verba Cap. I. 5. *Tabernacula die uuerdent ex pellibus mortuorum animalium*. Neſcio an nova origine opus ſit. Nam *hütte* eſt locus tectus, undecunque tegendi materia deſumpta ſit. Et ob eandem cauſam pellis ipſa vocatur *haut*, quia carnem & oſſa animalis tegit.

HUZ, modus vocandi ſuem apud Suevos, ſicut *ſic* abigendi apud Armoricos. Utraque vocula *ſuem* notat: illa apud Armenios, hæc apud Celtas. De Celtica voce vide PEZRONIUM in Antiq. Celt. pag. 160. 363. 413. &

confer *ſoge* ſcrofa. De Armenica juvat audire Cl. BAXTERUM in Præf. ad Gloſſ. Antiq. Brit. pag. 4. „Hodierna Armeniorum „lingua (quæ olim Phrygibus & Thracibus „propemodum erat communis) innumera „repræſentat Britanniæ noſtræ vocabula. „Quid quod & Linguæ quas vulgus dicit „Orientales, absque Armenicæ & Britan„nicæ noſtræ ope in pluribus nequeant ex„plicari? Ecce autem unum & alterum hu„jus rei exemplum. Armeniis χῦς pro por„co eſt, Britannis *huch*, ſicuti & Græcis ὖς. Hæc ille. Concentum plurium linguarum circa hanc vocem produxi in præfatione ad GERMANOS §. XXII. Quibus nunc addo, quod Hebræis *chuz* porcum denotet.

HUZLEN, pyra & poma toſta. Arbitrio STILERI ſic dicuntur quaſi coriacea, ob corrugationem, ab *haut* corium. Alia Dial. *huzlen* ſunt poma ſilveſtria, alias *holtz-æpfel*, *holtz-birnen*. Et hic ſenſus originem refert ad Celticum *coed* ſilva, quod extat in Lex. Ant. Brit. BOXHORNII.

I.

JA. V. *jah*.

JACH, *jæch*, *jeh*, præceps. V. *gach*.

JACHERN, vociferare, bacchari. Græc. *ἰαχὴ* eſt clamor, *ἰαχέω* clamo, *ἰάχος* feſtum bacchantium.

JACHT. V. *jagd*.

JACKE, genus amiculi. Gall. *jaque*, Angl. *jack*. MENAGIUS Gallicam vocem ducit ab Anglica, SKINNERUS Anglicam a Lat. *ſagum*. Non dubito, quin *jacke*, quod hodie eſt amiculum manicatum, olim fuerit ſagum. Nam hoc teſtimoniis quibusdam probavit CANGIUS in voce. Hoc tamen non obſtante, malo *jacke* deducere a Gr. *ἰωχὴ* tegmen. Nam hic ſenſus omnibus veſtibus, militaribus & non militaribus convenit.

JÆST, flos fermenti. V. *geſt*.

JAGD, *jacht*, venatio. Refer ad *jagen* venari.

JAGD, *jacht*, navis curſoria. Refer ad *jagen* feſtinare.

JAGEN, feſtinare. Gloſſ. Pez. feſtinando *gabunto*. Utrumque ab *ἄγω* celeriter, per proſtheſin. Reliquæ literæ ſunt convertibiles. Ita Latinis a *celer* fit *celerare*. Inde *jagd*, *jacht* celox, navigium breve a celeritate ſic dictum.

JAGEN, agitare, impellere, facere ut feſtinet. Verbum faceſſens ex præcedenti, cum quo convenit Græc. *ἄγειν* & Lat. *agere*, quod ſæpe eodem ſenſu ponitur. OTFRIDUS Lib. III. Cap. VIII. 25.

> *Ther uuint thaz ſcif ſuar jagonti,*
> *Thie undon bliuenti.*
> Ventus navim vehebat impellendo,
> Undæ verberando.

JAGEN, perſequi. Rhythmus de S. Annone §. XXV. *her vur un nah jaginta*, Cæſar perſequebatur eos usque in Ægyptum. Senſus a genere ad ſpeciem translatus. Nam qui perſequitur, haud dubie agitat & impellit.

JAGEN, venari, id eſt, perſequi feras, *jæger* venator, *jagd*, *jacht* venatio. Gloſſ. Pez. venatur *jagot*. Gloſſ. Lipſ. *jagere* fenerator. Lege venator.

JAH, particula copulandi, apud Gothos & Alamannos. Gloſſ. Keron. & *job*, et ipſum *joh imu*, & ipſud *joh auh darſelba*. Idem Gothis *jah* in omnibus fere Evangelii periodis: & fortaſſe a Græc. *καὶ*, per anaſtrophen. Nam K & H. ſunt literæ ejusdem organi, & conſequenter permutabiles. Germani videntur eandem particulam adhuc uſurpare in conjunctione cum *auch* & *vilmer*.

JAH, particula affirmandi & conſentiendi, quæ Gothis ſcribitur *ja* Matth. V. 37. Angloſaxonibus *gea*, *gæ*, *ja*, *ya*, Cambris *je*, Armoricis *ja*. HESYCHIO *ἰὰ* exponitur *θεὸς*, haud dubie ab Heb. *jah*, quod eſt conciſum ex nomine *Jehovah*. Hinc HELVIGIO particula *ja* eſt ſancta & religioſa affirmatio, & hujus particulæ uſum apud Germanos abuſum divini nominis vocat PEISKERUS. Quicquid hujus ſit, JUNIUS ſe neſcire fatetur. PEZRONIUS ad primitiva Celtica refert, unde Latinis *ajo* per metatheſin, & *ita* per epentheſin. STIERNHIELMIUS vero derivat a Suethico antiquo *a* eſt. Mihi *jah* videtur eſſe ab Heb. *hajah* fuit, eſt, erit, per aphæreſin. Scribendum autem cenſeo *jah*, non *ja*, cum propter originem Hebræam, tum propter derivatum *jahen*, quod juſta lege fieri nequit a *ja*.

JAHEN, quatenus derivatur a *jah*, ſignificat (1.) affirmare. R. Tyrolis in Parænesi ad fil. §. XXII. *die juden jahen ſie wer ein wib*, Judæi affirmant quod ſit mulier virum paſſa. Hodie dicimus *bejahen*, Sueci *bejaka*, quia gutturales permutantur. (2.) profiteri. TATIANUS Cap. V. 11. *fuorun alle thaz bijahin theonoſt*, ibant omnes ut profiterentur obſequium. Et mox: *thaz her jahi*, ut profiteretur. (3.) confiteri. Franci & Alamanni mutatis vocalibus & gutturalibus dicunt *jehan*, *jihan*, *gehan*, *gihan*. NOTKERUS Pſal. XVII. 50. *jh jiho dir truhten*, confiteor tibi Domine. Et mox: *daz ſie dir jehent*, ut tibi confiteantur. Gloſſ. Keron. confiteri *gehan*, confitebitur *gibit*. Iidem utuntur etiam compoſitis *bijehan*, *bigihan*, & inde formant *bigibt* confeſſio, quod poſteritas contraxit in *beicht* vel *bicht*. Cuncta a particula affirmandi *jah*, ut conſideranti manifeſtum.

JAHR, annus. Litera H. in medio vocis turbat etymologiam, & nullum in Scriptura an-

ra antiqua habet exemplum. PEISKERUS vocem repetit a Græc. ἔαρ ver; ſed perperam, & contra mores veterum Germanorum, quos certe non vicibus vernis, ſed brumis annos computaſſe, manifeſtum eſt. Demonſtrationem vide in *winter* annus. Ob eandem cauſam non poſſum adſentiri STILERO, qui *jahr* deducit ab *aar* meſſis, quia mos annos computandi per meſſes nunquam invaluit in Germania. Magis e re eſt, ut *jar* ducatur a γύρος circulus, vel γυρᾶν gyrare, in orbem circumvolvere, quæ JUNII etymologia eſt, quam principis Poëtæ ſuffragio firmat, ex Georg. II. 402.

Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.

Sed unde γύρος? Fortaſſe eſt a Scythis aut Celtis, primis Græciæ colonis, vel e primitiva hominum lingua ad omnes profectum. Similia enim reperiuntur apud eos, qui veteris Scythici & Celtici ſermonis retinentes ſunt. Cambris *gwyr* eſt recurvus, & Islandis *hyra* vertigine agi, alio quidem ſenſu, ſed a rotatione deſumpto. Sed undecunque ſit γύρος, credo JUNIUM verum vidiſſe, & etymon ejus plus ſapientiæ complecti, quam ipſe vidit. Enim vero, ſi nomen ex uſu gentium æſtimetur, patebit eſſe generale, & proprie denotare *tempus per circulum recurrens*, ſive tempus illud ſit *annus*, ſive *menſis*, ſive *dies*, ſive *hora*. Idque ex multis linguis, inter ſe collatis, facile oſtendo. Gothi *circulum annuum* vocant *jer*, Angloſaxon. *ger*, *gear*, Franci & Alam. *jar*, Belg. *jaar*, Angli *year*, Græci ὥρος. Ad *gyrum menſtruum* ſpectat, quod Hebræis Luna vocatur *jareach*. Galli *gyrum diurnum* indicant per *jour*: ſicut Græci & Latini *horarium* per ὥρα & *hora*. Quæ, niſi ſint affinia, caſu tantum convenire oportet, quod minime veriſimile. Sed hæc nunc mitto, & ad annum revertor. Ægyptii ſolem & annum vocant *Horum*, & alterutrum picturi deſcribunt *circulum*. Latinis *hora* nonſolum eſt pars viceſima quarta diei naturalis, ſed etiam pars anni ſolaris, ver, æſtas, autumnus, hyems. *Quatuor tempora*, inquit MACROBIUS, *quibus annuus orbis impletur, Horæ vocantur*. Lib. I. Sat. Cap. 21. Iisdem *annus* ſic dicitur quaſi *annulus*, quod per circulum in ſe redeat, notante SERVIO ad Virgil. Æn. I. 273. JUNIUS reliquis anni nominibus accenſet Islandicum *aar*. Quod mallem omiſiſſet, quia diſſimile eſt, & in notione circuli cum reliquis non convenit. Nam proprie ſignificat *meſſem* ab *eren* metere, & translative *annum*, quia Septemtrionales meſſium numerum computabant, ut citeriores Germani brumarum. Franci, a quibus vocem noſtram accepimus, multis utuntur compoſitis, quæ etiamnum ab uſu non ſunt.

Gloſſ. Pez. faſti *jarpuobhc*. Hodie *jarbücher*.

Gloſſ. Pez. nundinas *jarmarchata*. Hodie *jarmarkt*.

Gloſſ. Boxh. trimam, triennem *dhriiariga*. Hodie *dreijährig*.

Gloſſ. Boxh. anniverſaria *iarkaunanta*. Hodie *jahr-wechſel*. Sed nihil obſtat, quo minus etiam dicamus *jahr-gewende* vel *jahrwende*, ſicut dicimus *ſonnen-wende*, a vertendo.

JAHR, tempus indefinitum. Senſus apud omnes veteres receptus. Græcis ὥρα eſt tempus & ὥρα τῦ ἔτους anni tempus. Gothis *jer* aliquando ſignificat tempus, & *jera ganoha* multum temporis, Luc. XX. 9. LUTHERUS vertit: *eine gute zeit*. Angloſaxonibus, *iara* eſt olim, apud BENSONIUM. Olim autem eſt aliquo tempore, ſive præterito ſive futuro. Similia habent Franci, SCHILTERO jam obſervata in Gloſſ. pag. 478. Sic OTFRIDUS tempus illud, quo Chriſtus cum diſcipulis converſatus eſt, vocat *jar*, Lib. IV. Cap. XI. 89.

Ir heizet allaz thaz iar
Mih Druhtin inti meiſtar.
Vos nuncupatis omni hoc tempore
Me Dominum & magiſtrum.

Hodie viget in compoſitis, cujusmodi ſunt, *neu jahr* tempus novum, primordium anni renaſcentis, *früh-jahr* tempus vernum, *lehr-jahr* tempus tyrocinii.

JAMMER, luctus, planctus, *jammern* plangere, *jemmerlich* flebilis, miſerabilis. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *geomrian* gemere, *geomrung* gemitus, *geomorlic* flebilis. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XX. 23.

Niſt ther io in gahi
Then iamar giſahi.
Nemo eſt qui feſtinanter
Hunc luctum aſpiciat.

Id eſt, qui non in diro illo ſpectaculo, quale eſt infanticidium Herodis, defixus hæreat. Vox Saxonica ducit nos ad Lat. *gemere*.

JAUCHZEN, clamorem lætum tollere, ſed indiſtinctum. Frequentativum a *juchen* ejusd. ſignificatus.

ICH, pronom. demonſt. primæ perſ. Gothis & Belg. *ik*, Angloſaxon. *ic*, Franc. & Alam. *ih*, Procop. *ich*, Island. *eg*, Dan. *jeg*, Suec. *jag*, Angl. *i*. Græc. ἐγώ, Lat. *ego*. Miro inter ſe concentu, & forte arcana quadam vi & ratione naturæ. Nam quæ aliunde derivari non poſſunt, nec ad antiquiorem linguam referri, & nihilominus diverſis populis placuerunt, illa naturalia magis quam arbitraria eſſe, etiamſi ratio non ſemper ſuppetat, NIGIDIUS ex pronominibus TU & EGO, quæ naturæ convenienter proferuntur, hunc in modum demonſtrat. Cum dicimus TU, ſpiritum & labia adverſus eum, quocum ſermocinamur, emovemus & intendimus: At contra cum dicimus EGO, neque profuſo intentoque flatu vocis, neque

projectis labiis pronunciamus, ſed & ſpiritum & labia quaſi intra nosmet ipſos coercemus. Hæc ille apud GELLIUM Lib. X. Cap. 4. Sed cum pleraque Nigidiana eſſent ſubtilia & obſcura, hinc mirum non eſt, Grammaticas ejus commentationes tanquam parum utiles in tenebris relictas eſſe, etiamſi forte multa luce digna continerent.

ICHT, ſubfix. Vide *Prolegom.* Sect. VI.

ICHT, ichts, aliquid, *beſſer ichts als nichts*, præſtat aliquid quam nihil. Inde *ichtwer* aliquis, *ichtwas* aliquid. Jus prov. Alam. Cap. LXXXIV. 5. *gebriſtet an dem gut ibt*, ſi quid deficit in bonis. Antiquiores rectius dicunt *wicht*, quod vide. Belgæ nonſolum elidunt W. ab initio vocis, ſed & gutturalem in medio, & aliquid vocant *iet*, cui aſſonat Græc. τὶ, per anaſtrophen.

IE, varios habet ſignificatus, & varie pronunciatur in Dialectis, *ia, ie, io, ieo, eo, o, iu, giu*, tam in quam extra compoſita. Munera, quibus in oratione defungitur, ſunt fere ſequentia.

IE, ullus, ſed in compoſitis tantum. Hinc aliquid Angloſaxonibus dicitur *owiht*, Alamannis *eouuiht*, quaſi ullum quid, a *wicht* quid, de quo actum infra. Hinc quisquam nobis *jemand*, quaſi ullus homo, a *mand* homo; & unquam *jemals*, quaſi ullo tempore, a *mal* tempus.

JE, unquam, aliquando, *ie und ie* interdum, aliquoties, *nie* nunquam. TATIANUS Cap. XIII. 10. *Got nioman ni giſah io in altere*, Deum nemo vidit unquam per ætatem.

JE, jam. Gothis *ju*. Joh. IX. 39. *ju fuls iſt*, jam fœtet. Matth. V. 28. *ju gahorinoda*, jam mœchatus eſt. Idem Francis *jo* & *ju*, Alamannis *giu*. Gloſſ. Keron. jam *giu*, non jam *nalles giu*. TATIANUS Cap. XIX. 9. *ſon hinan ju fahiſtu man*, ex hoc jam capies homines. Plura exempla ſubminiſtrabit HICKESIUS in Gram. Franco-Theot. pag. 76. Latini dicunt *jam* cum augmento finali.

IE, ſemper. Gloſſ. Lipſ. *io* ſemper, *ieuueſcon* æternus. NOTKERUS Pſal. IV. 9. de Deo: *anderiu dinch ſint uuehſelich, er iſt io einer, iſt ieo daſſelba*, aliæ res ſunt mutabiles, ipſe perpetuo unus eſt, & ſemper idem. Pſal. XXI. 21. *loſe mina prutha menunga ſone dere geuualte des hundes, ſone des keuualte dero ieo pillet uuider iro*, erue ſponſam meam Eccleſiam de manu canis, de poteſtate ejus qui aſſidue latrat contra illam. Plura teſtimonia ſuppeditabit SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 479. Huc etiam ſpectat locus WILLERAMI Cant. II. 3. *ih ſaz unter ſinemo ſcate, des ih ie geroda*, ſedi ſub umbra ejus, quam ſemper deſideravi. Cur ſemper? Id colligo ex ſequentibus: *wanta ih ſinen skirm ie habeta in perſecutionibus*, quia tutelam ejus ſemper habui in perſecutionibus. Conſenſum plurium Linguarum dabit particula *ew*.

IE, numeralibus junctum eſt adverb. ſegregandi: *ie einer* viritim, unus poſt alterum ſeorſim, *ie zwei* bini, duo & duo ſingulatim, *ie drei* trini, tres & tres ſeparatim. Utitur hoc ſenſu NOTKERUS Pſal. XXXII. 15. *an dien liden ſunderig keba iſt ieo iegeliches*, in membris ſingulare munus eſt ſeorſim ſingulis.

IE, comparativis junctum eſt adverb. quantitatis: *ie længer ie ærger*, quanto diutius tanto pejus.

IE, particula affirmativa: *es iſt ie nicht recht*, non equidem juſtum eſt. NOTKERUS Pſal. XXXV. 12. *ubermuoti iſt alſo ein fuozin, uuonda ſi ieo ſar fallet, unde lango ſtan ne mag*, ſuperbia itaque pes eſt, quia profecto mox cadit, nec diu ſtare poteſt.

IEDER, ſingulus, unus per ſe ab aliis ſeparatus. Olim erat ſubſtantivum, viris feminisque commune. Septemtrionalibus *it* eſt quilibet homo, *itar* homines, viri apud VEREL. in Ind. Angloſaxonibus & Francis *itis* mulier ſeparata & privatim degens. Græcis ἴδιος privatus, ἰδία privatim, ἰδιάζω privatim dego. Cuncta a verbo Hetruſco *idare* dividere. Nam hinc recte fit *it, itis, itar, ieder*, ſingularis, diviſus, diſcretus, five diſcretio illa ſit a proprietate naturæ, ut in ſingulis, five a prærogativa generis, ut in viris, five a vitæ inſtituto, ut in ſolitariis. De verbo Hetruſco vide plura in *waiſe* orphanus.

IEDLICH, facilis. V. *jetlich*.

IEDWEDER, unusquisque. Compoſitum novum, ſed juſta lege concinnatum. Prior compoſiti pars eſt truncata ab *ieder* ſingulus, de quo paulo ante. Altera unum vel ullum ſignificat. Id enim Alamannis eſt *edder*, Francis *weder* per proſthefin, quamvis in compoſitis tantum. De Alamannis vidimus ſupra in particula *et*. De Francis teſtis luculentus eſt TATIANUS, Cap. LXXII. 6. *lazet jogiuuedar uuatſan*, ſinite ſingula creſcere. Hinc totum compoſitum nihil aliud ſignificat, quam ſingulum ex ullis omnium. Ullus eſt relativum, & conceptu ſuo omnes monades involvit. PRISCIANUS Lib. 7. *Si dicam* ULLUS, *prædet ex infinito omnium numero. Neceſſe enim eſt* ULLOS OMNIUM *intelligere, & cunctos poſſe numeros ad hoc referri*.

IEGLICH, unusquisque. Francis *jegilih*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXIII. 115. *thaz jegilih bimide*, ut quilibet evitet. Lib. II. Cap. XIX. 23. *thaz iagilicher manno ſinan friunt minno*, ut quilibet homo amicum ſuum diligat. Lib. IV. Cap. XV. 103. *joh jagilih ſih thenke*, ut quilibet recogitet. WILLERAMUS Cap. III. 7. *ir aller iegelih habet ſin ſuert in hanton*, horum omnium ſinguli habebant gladium in manu. Idem Angloſaxonibus *elc*, Belgis *elk*, tanta elocutionis brevitate, ut niſi Franci juſtam vocis menſuram nobis conſervaſſent, vix Oedipo locus conjecturæ relictus eſſet. Prior compoſiti pars ſignificat *omnem*, tam collective quam diſtributive, & Angloſaxonibus dicitur *æg*, Francis *jago* & *jogo*, Alamannis rectius *eco*. Eſt enim, ut videtur, abſciſſum a Gr. ἕκαστος unus-

unusquisque. Et hunc verum vocis ſenſum eſſe, ex compoſitis omnium Dialectorum facile evinco. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *æg-hwæt* ubique, circumquaque (a *hwæt* ubi): *æg-hwæt* quodcunque (a *hwæt* quid): *æg-hwanon* undique, uſquequaque (a *hwanon* unde): *æg-hwilc* unusquisque (a *hwilc* quispiam). Gloſſ. Keron. omnis *eocouuelih* (a *uuelih* quis): ubique *eocouueri* (a *war* ubi): uſquequaque *eogouuerti* (a *wart* locus). Idem in Expoſ. Orat. Dom. *eogihuuarter* ſinguli, a *warter* præſens. Sermo enim ibi dirigitur ad Catechumenos, h. e. ad coram exiſtentes. Si quem hæc compoſita Keroniana ſuſpenſum tenent, adeat obſervata noſtra ad *wart* locus & præſens in loco. Apud Francos hoc genere compoſitorum nihil frequentius. Obvia ſunt, & diligentiſſime SCHILTERO annotata,

jogimalon, perpetuo, a *mal* tempus. Otfrid. Lib. IV. Cap. ult. 79.

jogiuuelih, quodlibet, a *uuelih* quispiam. Tatian. III. 8.

jogiuuedar, ſingula, a *ueder* aliquis. Idem LXXII. 6.

jogiuuanan, undique, a *uuanan* unde. Idem XLVI. ult.

jogiuuar, quolibet, a *uuar* ubi. Gloſſ. Pez.

Atque hinc jam patet, quid proprie ſit *jeglich* vi terminationis *lich*, quæ certe *ſimilem* ſignificat, nempe is, qui *omni* tam collective quem diſtributive ſumpto *ſimilis eſt*, qualis omnino eſt *unusquisque*.

IEMAND, aliquis. Alamannis *eoman*, apud ISIDORUM Cap. III. 3. Francis *jaman*, apud OTFRIDUM, Lib. II. Cap. XI. 131. ubi de Chriſto dicitur, quod non opus habuerit,

Thaz imo jaman zalti
Uuas mannes herza uuolti.
Ut ipſi aliquis narret,
Quid cor hominis cupiat.

Proprie eſt ullus homo, vel ullus aliquis, ab *ie* ullus, & *man* vel *mand* homo, quidam, & non ab ἄμος aliquis, ut Græculis olim placuit, cum Linguæ noſtræ ſecreta nondum eſſent inveſtigata.

JENER, ille. Pronomen tertiæ perſonæ, a Gothis relictum, cujus conſenſum a reliquis Dialectis fruſtra imploramus. ULFILÆ *jains* eſt ille, & ſemper pro *er*: *jaina* illa, & ſemper pro *ſie*: *in jainaizma daga* in illo die, Joh. XVI. 23. Radix eſt *gen* contra, recte obſervante STILERO in Theſ. L. Germ. Nam *ille* proprie eſt aliquis primæ & ſecundæ perſonæ oppoſitus. Et ideo a Belgis rectius vocatur *de geene*.

JENER, ulterior, remotior, *an jenem ufer* in ulteriore ripa, *in jenem leben* in altera vita, a præſenti ſcil. tam tempore quam loco remota. Belgæ dicunt *geene*, melius & origini conformius. Eſt enim adjectiv. a pronom. formatum, & rebus atque locis remotioribus tributum, quia tertiæ perſonæ, utpote remotiſſimæ, ſimiles ſunt. Et hinc porro nata ſunt adverbia loci in omnibus Dialectis. Inde Gothis *jaind* illuc, Joh. XI. 8. *jainthro* inde, Matth. IX. 9. *jaindwarths* illuc, Joh. XVIII. 3. Angloſaxon. *geond* per, ultra, Belgis *gins* & *ginder* illic, iſthic, Germanis *jenſeit* uls, ultra, trans, in oppoſita regione.

JENIG, ille. Diminutiv. a Belg. *geene*, ſed novum, & priſcis ignotum. Confer *derjenige*, & corrige quæ ibi dixi de fonte.

JENNER, Januarius. Utraque vox Celtica videri poteſt, & a Druidibus inventa, ſi non a *Jano* (ut hactenus Latini) ſed a frigore derivetur. Nam Januarius Armoricis dicitur *mis jenver*, quaſi menſis æris frigidi, a *jen* frigidus, & *aer* vel *ær* (Cambris *awyr*) aer, interprete PEZRONIO in Ant. Celt. pag. 393. Huic vocabulo, quod tempore Caroli M. peregrinum videbatur, aliud ſubſtitui cœpit eodem auctore. EGINHARTUS de CAROLO M. Cap. 29. *Menſem Januarium appellavit* WINDERMANOT. Sive a *wenden* vertere, ob vertiginem Solis, ſive a *winter* hiems, ob rigorem brumalem. Sed hac appellatione longe vetuſtior eſt Angloſaxonica, quæ hic prolixius examinanda eſt. Januarius Angloſaxonibus dicitur *æfiera geola*, quaſi poſterior Julius. Nam prior, quem *ærra geola* vocant, erat December. Nomen varie ſcriptum reperitur, *geol*, *geohol*, *gehol*, *gehul*, *giuli*, *jaula*, *juel*, *jul*, *jol*. Quid valeat, multi tradiderunt, ſed unde appellatio ducta ſit, pauci. Optime omnium & doctiſſime BEDA de temporum ratione Cap. 13. *Menſes* GIULI *a converſione Solis in auctum diei, quia unus eorum præcedit, alius ſubſequitur, nomina accepit.* Quod illum magno judicio ſcripſiſſe, poſtea ex nomine Solis oſtendam. SOMNERO *gehul* eſt natalis Domini, qui Lancaſtrenſibus etiamnum vocatur *yeol*, *yewl*, *yeole*. Idque ex Legibus R. ALUREDI Cap. 39. probat, ubi verba: *XII. dagas on gehol*, duodecim a feſto natali Domini dies. Eandem interpretationem affert BENSONIUS: *geohol* natalis Chriſti, *geol* feſtum natale Chriſti, *gehul* natalis Domini. Optime utrinque: niſi quod hic ſignificatus nihil facit ad inveſtigationem vocis, cum recentior ſit, & a vetuſtiori deſumptus. OL. WORMIO *jul* eſt *ludus Julius*, a *Julio Cæſare* ſic dictus, qui devictis Britannis, & icto (ut ait) cum Cimbris fœdere, hanc amicitiæ & ſubjectionis legem illis impoſuerit, ut in memoriam ejus quotannis, Sole Capricornum ingrediente, ludi fierent ſolemnes, & nomine ejus appellarentur. Quod pactum illos ſervaſſe, teſtem excitat JOHANNEM MAGNUM, & antiquum Rhythmum:

Omnes cenſum Cæſari, præter Gothos, dabant:
Mandatis imperii ſoli reclamabant:
In honorem Julii JUL *celebrabant.*

Hanc fabellam multis coloribus ornat Vir doctiſſimus Libro I. Faſtorum Danicorum Cap. 7. per totum. VERELIUS in notis ad *Her-*

Hervarar-Saga pag. 52. 56. fuſe agit de comeſſationibus Juliis, ſed etymologia (quantum memini) non delibata. PONTANUS nomen Menſis a lætitia temporis deducit. *Illud certum habeo*, inquit, *ad jubilationem & lætitiam temporis exprimendam id quicquid eſt vocis* (JUL) *formatum. Iſt enim apud Plinium* Ἰάλος -- *As Eratoſthenem in hymno Mercurii* IULON *pro lanificarum cantilena uſurpaſſe, ex iſto verſu liquet:*

Δενδαλίδας τεύχωσα, καλὰς ἠϊόλον Ἰάλους.
Farque paranſ ſalſum ſcitos cantabat IULOS.

Didymus ait hymnum in laudem Cereris fuiſſe, quod ex Semo Delio annotat etiam Athenæus Lib. 14. *& indicat Theodoretus libro de materia & mundo ſic inquiens: Ne cantemus Julum Cereri, nec Baccho Dithyrambum. Quod ſane optime ſenſui noſtro, & ludis iſtis Julenſibus noſtratium competit, qui aut celebrantur poſt completa jam Cerere horrea, aut quod novus jam annus ac vernum tempus inſſet, quo Cereri denuo faciendum operandumque.* Verba Pontani ſiſtit Wormius loco citato pag. 22. In quibus tamen quædam ſunt, quæ ægre admitti poſſunt. Quis credat feſtum Cereris media demum hieme a Borcalibus celebratum, aut nomen feſti a Græcis tractum eſſe? Rectius, opinor, cauſa iſtius lætitiæ ad reditum Solis, quam ullum Cereris beneficium refertur. Nam ſol Celtice dicitur *haul*, vocabulo apud Armoricos durante, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Gothice *uil*, Marc. I. 32. Quibus convenit Græc. ἥλιος. Sed os Saxonicum præfixit *G.* vel *J.* Inde *guil* vel *juil* ſol. Hinc *jolen* proprie eſt lætitia efferri ob reditum ſolis. A *jolen* rurſus fit *jol* lætitia publica. Cum hoc ſignificatu conveniunt quædam Vereliana in Indice: *jol* comeſſatio Jolia, *jolabod* invitatio ad convivia Julia. Hic ſenſus nominis primævus & antiquiſſimus, & Cæſari non æqualis, ſed ſuperior, qui poſtea cum oriente Evangelio natali Chriſti adhæſit, manente priſtino gaudio, quod abrogari tuto non poterat inter illos homines. Quidam Scriptor Antiquitatum Septemtrionalium haud incelebris, *Feſtum Jolenſe* loco movet, & cum *Spurcalibus Februarii*, a Synodo Liptinenſi in Indiculo memoratis damnatisque confundit, contendens, gaudia Jolenſia a Regibus demum Chriſtianis e menſe Februario in tempus Nativitatis Chriſti rejecta eſſe, ut facilius Chriſtianorum Sacris adſueſceret populus nuper converſus. Sed quo minus Viro doctiſſimo aſſentiar, movet me auctoritas BEDÆ, qui Menſes *Giuli*, hoc eſt, Decembrem & Januarium, a converſione Solis nomen accepiſſe ſcribit. Quo ipſo manifeſtum eſt, male *Feſtum Jolenſe* a converſione Solis & ingreſſu anni aſtronomici avelli.

JENSEIT. V. *jenſeur* ulterior.

IERGEND, uſquam, *niergend* nusquam. Infigniter depravatum ex antiquo Francico *uuergin*, ejusdem ſignificatus. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXII. 39.

Si ſuahtun untar kundon,
Jo ſuntar gatilingon,
Ni funtan ſie nan uuergin thar,
Si ni brahtun nan ſar.

Quærebant inter notos,
Et inter cognatos,
Nec eum ibi invenerunt uſquam,
Nec adduxerunt eum ſtatim.

Idem Cap. XXIII. 77.

Ni tharf es man biginnan,
So er ſih biginnet belgan,
Er uuergin ſih giberge
Fur ſinemo abulge.

Male conatur homo,
Cum (Deus) incipit iraſci,
Se occultare uſquam
Coram ira ejus.

Conſtat autem Francico vocabulo ſua compoſitionis ratio. Nam a *war* ubi, & *ger* verſus, ad, apud, recte fit *wargen*, *wergen*, uſquam, alicubi, aliquo in loco. Litera W. quamvis ſit radicalis, paulatim elidi cœpta eſt. Inde Belgis & Germanis *ergens* & *iergend*, eodem quidem ſenſu, ſed diverſa & manifeſta corruptela.

IERGEND, unquam. Senſus a loco ad tempus translatus. Nam tempus & locus ſunt res valde ſimiles, & ſæpe communia habent vocabula. Apud Latinos quoque adverb. loci interdum tempori inſervit, ut *ibi* & *ubi*, imo etiam *prope*, *huc*, *hinc*, in compoſitis *propediem*, *adhuc*, *abhinc*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XXI. 15. de recta orandi ratione:

Then bugu in then githankon
Ni lazet uuergin uuankon.
Animum in cogitationibus
Ne ſinite unquam vacillare.

Hic ſenſus regnat in multis Otfridi locis, quæ ſine illo male intelliguntur & explicantur.

IERGENDSWO, pleonaſmum ſapit.

JEST. V. *geſt.*

JETLICH, *jedlich*, facilis, faciendi voluntate. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *ieth* facilis, *iethelic* facile, *un-iethe* aſper, difficilis, moleſtus. Ab *od* facilis, per proſthesin.

JETTEN, ſarrire, zizania ſarculo evellere. Forte a γαιήϑω ex terra.

JETZ, jam, nunc. Græc. ἤδη, Goth. *juithan* Marc. XIII. 28. Prius imitamur in *jetz*, *jetzt*, *jetzo*, poſterius in *jetzund*. Francis *alizeans* uſurpatur pro *ſemper*, quia ſemper eſt perpetuum nunc. Vocem exhibet WILLERAMUS Cap. II. 14. III. 5.

IG, terminatio. V. *Proleg.* Sect. VI.

IGEL, herinaceus. Francis *igil*, Belgis *egel*. Quibus convenit Gr. ἐχῖνος & Lat. *echinus*. Gloſſ. Pez. ericius *igil*. Unde, niſi a dotibus

bus dorſi, ſpinis inquam ſive aculeis, eorumque acie? Nam acies cujuscunque rei noſtris dicitur *ecke*, & pungere *hechen*. Et ab his initiis quicquid pungit, ſive morſu, ut hirudo, ſive attactu, ut herinaceus, nomen accipit apud veteres: nec animalia tantum, ſed etiam plantæ. Itaque herinacius vi vocis Germanicæ eſt mus aculeatus. Ob eandem cauſam hiſtrix, animal ſimile erinaceo, nobis dicitur *ſtachel-ſwein*, Italis *porco ſpinoſo*, Anglis *porcupine*, Suecis *pinſwyn* a *ſpina*. Cambri eandem appellationis vim, quamvis aliis vocibus exprimunt, dum herinaceum vocant *draenog*, quaſi ſpiniferum, a *draen* ſpina. Neſcio an huc ſpectet ex Hiſtoria Zoſimi IGILLUS, dux Vandalorum ab Imp. Probo captus, etiamſi herinaceus ſit ſymbolum viri fortis, dum venanti aculeos ſuos tanquam ſagittas objicit, ut absque multis vulneribus prehendi non poſſit. Nam pueris nomina a beſtiis petita imponere, ut virtutis bellicæ admoneantur, res Majoribus noſtris plane inſolens eſt. Malo igitur nomen *Igilli* derivare ab Angloſaxon. *ican* augere, ut proprie ſit augmentator. De hoc verbo vide plura in *auchen*.

IGEL, & compoſite *blut-igel*, hirudo, ſanguinis humani appetens, quamvis in aqua paluſtri nata. Gloſſ. Pez. ſanguiſugæ *egalun*. Belgis *echel*, & quibusd. Germ. *egel*. Nomen habet ab acie linguæ, ſicut ericius ab acie dorſi. Vel, ſi mavis, ab *hechen* pungere, quia, ſicut ericius attactu, ita hirudo ſugendo pungit.

IHM, ei, eo. Gothis *imma*. Angloſaxon. *him*, Franc. & Alam. *imo*, *imu*. Hic & ſequentes caſus oriuntur a nominativo obſoleto *is* ipſe, quo utitur Codex Arg. vetuſtiſſimum Germanicæ Linguæ monumentum. V. dicta in *er*.

IHM, ſibi. Gloſſ. Keron. ſibi *im*, plur. *imu*, ſibi invicem *im untar im*. NOTKERUS Pſal. XXXII. 12. *den er imo in erbe eruuelet a*, quem ſibi in hæreditatem elegit. Angloſaxones eodem ſenſu dicunt *him*, *hym*. Particulam Gothicam vide in *ſich*.

IHN, eum. Gothis *ina*, *imma*, Angloſax. *hine*, Franc. & Alam. *inan*, & Poetice *nan* apud OTFRIDUM millies.

IHNEN, eis. Gothis *im*, Angloſax. *hym*, Francis & Alam. *in*, Belg. *hun*.

IHR, ejus & ipſorum. Gothis *is*, *izos* & *ize*, Angloſaxon. *his*, *hyra*, Franc. & Alam. *ira*, *iro*, *iru*. In ſingulari non dicitur niſi de ſexu fœminino.

IHR, ei, ea, eam. Angloſaxon. *hyre*. Franc. & Alam. *iru*. TATIANUS Cap. III. 2. *quhad ther engil zi iru*, dixit angelus ad eam.

IHR, vos. Francis & Alam. *ir*. TATIANUS Cap. XXV. 1. *ir birut mittelgartes lioht*, vos eſtis lux mundi. Gothis vos dicitur *jus*, & in accuſandi caſu *izwis*. Angloſaxonibus *ge*, quod imitantur Belgæ in *gy*. Proprie eſt pluralis numeri: ſed reverentiæ cauſa tribui cœpit uni ſoli, tanquam multitudini, auctoribus Francis. OTFRIDUS in Præf. ad Epiſcopum SALOMONEM verſ. 9. ſeq.

Lezka ich therera huachi
Ju ſentu in Suaborichi,
Thaz IR *irkiaſet uheral*
Oba ſiu fruma uuertan ſcal,
Oba IR *hiar findet ia uuicht thes,*
Thaz uuurdig iſt thes leſanes.

Hodie tribuitur tantum inferioribus, & ruſticum cenſetur, ſuperiorem aut æqualem ita compellare. Inde *irzen* voſſitare, irreverenter alloqui. Confer *du* & *dauzen*.

IHR, ſuus. Angloſaxon. *hyre*, Franc. & Alam. *ira*, *iru*. Gloſſ. Keron. ſua *iru*. TATIANUS Cap. VII. 9. *inti lebeta mit ira gommanne ſhun jar ſon ira magadbeiti*, & vixerat cum viro ſuo ſeptem annis a virginitate ſua. Ab *ihr* ejus, pronomine ſubſtantivo in adjectivum mutato. Ab *ihr* rurſus fit ſubſtantivum *das ihre* ſuum, & hinc porro *das ihrige* competens, ut ſunt illata uxoris, & ſimilia.

ILGEN, lilia, Dial. Suevica. Angloſaxones dicunt *lilian*, Matth. VI. 28. Franci *lilia* apud TATIANUM Cap. XXXVIII. 4. Germani reliqui *lilie*, *lilien*. Omnes Latinæ vocis imitatione.

ILL, malus, i. e. gravis, moleſtus, ſenſibus ingratus, & contra naturam. De hoc ſignificatu vide plura in *elend* calamitas.

ILL, malus, i. e. pravus, perniciouſus, & ad nocendum paratus. Græci eodem ſenſu dicunt ἄλος & ὀλεός, ab ὀλέω, ὀλλύω pellere, perniciem afferre: Angli & Islandi *ill*. VEREL. in Ind. *ill-giarn* maleficus, qui malum libenter perpetrat, *ill-menne* nequam, nebulo, *illing* tyrannus & tyrannis.

ILLING, ictis, muſtela, vel ſimile animal, ſed noxium. Nam ſecundum antecedentia eſt *mala beſtia*, & ad nocendum parata.

ILTIS, idem animal. Ab Island. *illtur* malus. Cambris *yllty* eſt talpa, apud BOXHORN. Et talpa eſt mala beſtia, dum agros & arva ſubfoſſionibus corrumpit.

IMBISS, deguſtatio cibi, ſed parca & tranſitoria, ut fieri ſolet in jentaculis. Vox Alamannica. Gloſſ. Keron. refectio *imbiz*, reficiant *imbizzen*. Belgis *inbyten* eſt jentare, Sicambris *anbyt* jentaculum, LUTHERO *anbeiſſen* deguſtare cibum, Act. XX. 11. *da gieng er hinauf, und brach das brodt, und beiſs an*, tunc aſcendit, fregitque panem, & guſtavit. Cuncta ab inchoativo *an*, & *beiſſen* mandere, manducare.

IMMEN, apes. Vox Alamannica, Suevis etiamnum uſitata. Jus prov. Alam. Cap. CCCLVI. 1. *fliegent binen uz und uallent uf ainen baume, und er in inr drie tagen nachvolget, ſo ſol er jenem ſagen, derz der baum iſt, derz er mit im gange, und im ſin* YMMEN *geuuinne*. Vertit Cel. SCHERZIUS: Si apes alicujus avolant, & arbori alterius inſident, iſque cujus fuere, per triduum illas perſequitur, debet illum, cujus arbori inſident, rogare, ut ſecum eat, & ſe juvet ad apes re-

cuperandas. Videntur ſic dictæ quaſi concubinæ. VEREL. in Ind. *amia* concubina. PLIN. Lib. XI. Cap. 16. de apibus: *Fœtus quonam modo progenerarent, magna inter eruditos & ſubtilis quæſtio fuit. Apum enim coitus viſus eſt nunquam. Plures exiſtimavere, oportere conſici floribus compoſitis apte atque utiliter. Aliqui coitu unius, rex in quoque appellatur examine. Hunc eſſe ſolum marem, præcipua magnitudine, ne fatiſcat. Ideo fœtum ſine eo non edit: apesque reliquas tanquam marem fœminas comitari, non tanquam ducem.* Quæ ſententia, etiamſi PLINIO non probetur, & multo minus recentioribus, qui nullum in alveari regem, ſed reginam tantum, totiusque populi per extera conjugia matrem agnoſcunt, Alamannorum tamen eſſe potuit. Sed nihil definio. Scribitur etiam *ympen*, apud SCHERZIUM in notis, tanquam eſſet a Lat. *apis*, inſerto M. Sed nec hoc probare poſſum. Nam *ympen* non videntur eſſe apes in genere, ſed nova apum fœtura, & fortaſſe ſic dicta ab *ἐμπυεῖν* gignere. Huic conjecturæ favet compoſitum *imbebinen* examen novum, pullities apum noviter emiſſa. Extat in vita S. Ambroſii apud SCHILTERUM in Gloſſ. Teut. pag. 828. col. 2. ubi verba: *do kam fliegen ein imbebinen, und beſſoſſent des kindes antliz.*

IMMER, ſemper, *nimmer* nunquam. Gloſſ. Lipſ. *iemer* æternum. Vox OTFRIDO perquam familiaris. Teſtimonia vide apud SCHILTERUM in Gloſſario. Nos illis auctuarii loco addimus ſequentia. Lib. IV. Cap. ult. 78.

Ioh Druhtin ſamer lobonti.
Et Dominum jugiter laudantes.

Lib. V. Cap. XXIII. 421.

Samer mit liebe.
Semper cum amore.

Cum dies Hebræis ſit *jom*, & Græc. *ἡμέρα*, hinc multorum judicio vox Germanica nihil aliud ſignificat quam quotidie. Latini ex eodem fonte habent *ſemper*, præpoſito S.

IMMERDAR, idem quod ſimplex, niſi quod ſubfixum *dar* compoſito notionem temporis adjicit. Nam *thar* apud Francos ſæpe uſurpatur pro *cum, dum, tunc, quando*, quæ certe ſunt adverbia temporis. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XIX. 17.

Thar ih in zalta min uuort
Thar uuarun ſie al giſamanot.
Cum illis prædicarem verbum meum,
Tunc omnes erant congregati.

Hinc *immerdar* eſt quando continuum.

IMPFEN, implantare. Angloſaxon. & Francis *impan*. Gloſſ. Boxh. *kimpitota* inſeruit, *anakiimphot uuort* inſitum verbum. Angloſaxonibus *impod* eſt implantatus, inſitivus, quod imitantur Latino-Barbari in *inpotus*. Lex Sal. Tit. XXVII. 21. *Si quis* INPOTUS *de pomario aut pyrario diruperit.* Omnia, non a Lat. *imponere* & *impoſitus*, ut ECCARDUS exiſtimat; ſed potius a Gr. *ἐμφύειν* & *ἔμφυτος* inſerere & inſertus. Vel certe a Cambrico *imp* ſurculus. Quid enim eſt implantare, niſi ſurculos inſerere? Surculus autem eſt ramulus ad inſerendum idoneus, & ab *ἐμφύειν* ſic dictus, niſi malis ab *ἐμπυεῖν* gignere.

IN, præfixum. V. *Proleg.* Sect. 5.

IN, præpoſ. quæ Græcis *ἐν*, Lat. *in*, Camb. *yn*, Armor. *en*, Goth. *in* Matth. VI. 9. 10. Angloſaxon. *on* ibid. Francis & Alam. *in*. Gloſſ. Keron. in domo Dei *in huſe Cotes*. Sueci dicunt *i*. Islandi *a*. haud dubie per apocopen. Nam N. eſt litera radicalis, & a natura ad ſignificandum id, quod intus eſt, præ cæteris idonea, quia palatum tangit lingua, & ſpiritum in imo gutture detinet. Hoc me docuit PLATO in Cratylo.

INFANTE, & *infanta*, filius & filia regis apud Hiſpanos. Vulgo derivant a Lat. *infans*, quod multis Viris doctis diſplicet, qui nomen Germanicum eſſe ſuſpicantur, ut multa alia Hiſpanicæ Genti a Gothis aliisque populis Theotiſcis relicta. Ita enim fieri ſolet, & ſæpe factum eſt, ut a victore populo in victum ſimul cum imperio victoris lingua, aut pars linguæ derivetur. *Fant*, inquiunt, in Legibus veterum Septemtrionalium ſignificat puerum, famulum, miniſtrum, Belgis *vent* eſt juvenis, & Suecis *fænta* puella, ancilla. Et hactenus aliquid dicunt, quod congruum videtur, etiamſi de particula *in* in fronte vocis rationem reddere non valeant. Sed non opus eſt, ut eam, tanquam ſibi infeſtam formident. Nam *in* poteſt eſſe ab *inne* domus, ſic ut *inne-fant* proprie ſit puer vel puella regiæ domus. Et hic optimus compoſiti ſenſus me pene induceret, ut illud ante Maurorum in Hiſpaniam adventum regnantibus adhuc Gothis invaluiſſe crederem, niſi alia me ſuſpenſum tenerent. Primum eſt novitas appellationis, quæ nullum habet auctorem Sæculo XI. priorem. Alterum, uſus medii ævi, qui Regum & Magnatum hæredes, quamvis ætate provectos, Latine *pueros*, Gallice *enfans* appellare ſolet. Utrumque demonſtravit CANGIUS in voce *Infantes*. Tertium, quod *fant* proprie non puerum, ſed peditem & ſervum a pedibus ſignificet. Id quod de filio regis dici nequit. Vide plura in *ſuſs* pedes.

INFANTERIE, peditatus, copiæ pedeſtres, milites qui pedibus merent. An a *fant* ſervus? Ita ſentiunt VERELIUS & FERRARIUS. Sed hoc nimis generale eſt, & equitatui commune. Obſervandum, quod Francis *fendeo* ſit phalanx. Gloſſ. R. Mauri apud Diecm. falanx vel multitudo *fendeo*. Poſteritatem inde formaſſe *fanteria*, & mox *infanteria*, etiamſi de augmento initiali *in* rationem reddere non poſſim, credibile eſt. Reſtat, ut originem Franciæ vocis, ſi poſſim, oſtendam. Puto autem me poſſe. Nam *fetha* Angloſaxonibus eſt phalanx, a

fet

fet pedes. Hoc Francus imitari potuit inſerto N. Nam hac epentheſi in tranſitu vocum ex uno labio in aliud, nihil apud priſcos frequentius. Cætera nituntur fide Gloſſographorum. SOMNER. in Dict. AS. *fet* pedes, *fetha* phalanx, *fethe-here* peditatus. Gloſſ. Ælf. in nom. omn. hom. comm. legio *fethu*, acies *gewærud fetha*, cuneus *getrimmed fetha*, agmen *gangend-fetha*.

INFEL, velamentum capitis ſacerdotale, a Lat. *infula*, alia Dial. *eifel* per ſyncopen.

ING, juvenis, homo ætate novus. Hodie quidem dicimus *jung* cum aliis & veteſtioribus Dialectis: ſed Scandi conſtanter retinent *yng* & *ung*, in compoſitis & extra. Hoc ſenſu pollet in nominibus propriis, cujusmodi ſunt,

INGUIOMERUS, juvenis celebris. Nomen literis mandavit TACITUS Annal. I. & II. fuitque Principis Cheruſcorum, & Arminii patrui. Similia compoſita vide in *mere* celebris.

INGUIOMIRUS, Chlodovei magni filius. Eadem notione.

INGIBRET, juvenis clarus. Nomen Alamannicum apud GOLDASTUM in Indicibus. V. *brecht* clarus.

INGIRAM, juvenis robuſtus. Ibidem, quamvis ſine interpretatione ut ſemper. V. *ram*.

INGORAMUS; pater Hildegardis Reginæ apud THEGANUM. Eadem notione.

ING, in patronymicis ſignificat filium, ſive natum ab eo cui annectitur, derivaturque a verbo Celtico *engi* parere, naſci, quod ſuperat hodie apud Cambros. Hac appendice nihil familiarius apud Angloſaxones in Nominibus propriis, quod pulchre obſervat Cel. HICKESIUS in Diſſert. Epiſt. pag. 24. unde ſequentia decerpo:

PUDDING, Puttæ filius.
BRYNING, Brynæ fil.
DYRLING, Dyrli fil.
TEOLLING, Teollæ fil.
BEORNING, Beorni fil.
DUNNING, Dunni fil.
TULLING, Tulli fil.
BRUNING, Bruni fil.
HIERDING, Hierdi fil.
HIENDING, Hiendi fil.
KIPPING, Cippi fil.

Huc etiam ſpectant nomina Regum ejusdem ſtirpis, ut ſunt, MEROVINGI, a Meroveo, CAROLINGI, a Carolo M. geniti, nec non Vandalorum ASTINGI apud Jornandem Cap. 22. Longobardorum LITHINGI apud P. Diaconum Lib. I. Cap. 21. Bojorum AGILOLFINGI, in Lege Bojor. Tit. II. Cap. XX. 3. Saxonum UFFINGI apud Bedam Lib. II. Hiſt. Cap. 15.

INGWER, gingiber, Gr. ζιγγίβερ. Res & vox exotica.

INLAGER, immiſſio equitatus. Vide *einlager*.

INNE, domus. SOMNER. in Dict. AS. *inne* cubiculum, cella, caverna, diverſorium, domus, *innunge* manſio, *in-orf* ſupellex, bona domeſtica, *in-cnapas* pueri, ſervi, famuli domeſtici. Verſio AS. Matth. XIII. 13. *he forlet tha tha menegeo, and com tho his inne*, tunc dimiſit turbam, & venit in domum ſuam. VEREL. in Ind. *inni* domus, *i kongs inne* in domo regis, *innis-man* inquilinus. Oritur, ni fallor, ab *in*, quatenus eſt particula localis ſignificans ubi quis ſit. Nam ab ἐν Græci ſimilia faciunt derivata, ἔνδον intus & domi, ἐι ἔνδον domeſtici, imo etiam ἔνδιον diverſorium, domicilium. Veſtigia vocis haud obſcura præbent etiam reliquæ Dialecti, ſi recte fiat compoſitorum æſtimatio. Nam domeſtici Gothis vocantur *innakundai*, Matth. X. 36. non quod intus noti ſint, ut JUNIUS arbitratur, ſed quod in domo geniti, ab *inna* domus, & *kund* genitus, quod eſt a *cennan* generare. Similiter Francis *innapurio* eſt in domo natus, & *inchneta* ſervus domeſticus, quæ vide apud DIECMANN. in R. Mauri Gloſſario pag. 25. Hodie *inne* pro diverſorio ſuperat apud Anglos, dum apud reliquos Germanici idiomatis populos obſoleſcit.

INNE, animadvertens, *inne werden* animadvertere, animadvertentem fieri. Formula loquendi WILLERAMO familiaris, ex cujus Cantico ſequentia collegit JUNIUS in Obſ. pag. 66.

So her thes innena uuerthet, ſi reſcivit hoc.
her thes innen is uuorthen, reſcivit.
nu uuerthet her thes uuola innena, nunc recte percipiet hoc.
ich ne uuart niet innena, non percepi, non animadverti.

Oritur ab obſoleto *innan* animadvertere, ut bene judicat JUNIUS duce Gloſſa antiqua, in qua *inni* explicatur per *couma*, animadverte. Aliæ Gloſſæ habent *inu* pro ecce, quod idem. Nam *ecce* nihil aliud eſt quam vide, attende, animadverte. Gloſſ. Keron. ecce *inu*. Melius autem ſcribitur cum duplici N. Nam *innen* haud dubie deſumptum eſt a Græc. ἐνοέομαι cogito, conſidero, animadverto. Quod miror JUNIUM, Græcæ Linguæ alias peritiſſimum, non annotaſſe. Ab *inne* rurſus ſit *innern*, *erinnern* monere, in memoriam revocare, facere ut attendat.

INNEN, intus, intra, intrinſecus. Gothis *innathro*, Matth. VII. 15. ſed in compoſ. *inn*, *inna*, cujusmodi ſunt, *inngaggan* introire, *innaberan* inferre. Idem Angloſaxonibus *innan* & *innane*, Francis & Alam. *inna*, *innan*, *innana*. Gloſſ. Keron. intro *innana*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XXI. 12. *innan theru bruſti*, intra pectus. Litera finalis N. etiamſi ſit valde antiqua, non tamen eſt neceſſaria ad conſtitutionem vocis. Sueci & Islandi ſimpliciter dicunt *inne* & *inni*. VEREL. in Ind. *inni* intus, *inſta* intimum. Re-

ctius, ſi quid video. Nam *inne* eſt a præpoſ. locali *in*, quæ natura ſua nonſolum locum externum, ſed etiam internum ſignificat, & ab *inne* rurſus derivantur *inner* interior, *innig* intimus.

INNEN, infra. Id eſt, maxime intus, procul a ſuperficie. Gloſſ. Keron. infra *innana*, inferiorem *innanorun*. Gloſſ. Lipſ. *innaron thingon* inferioribus. TATIANUS X. 1. *zuuijarigen inti innan thes*, a bimatu & infra. OTFRIDUS Lib. II. XIII. 37.

Ther ſon ther erdu binana iſt,
Ther ſcal ſprechan thanana iſt.
Qui infra eſt de terra,
Sermocinabitur ea, unde eſt.

Vide annotata ad *unten* infra.

INNUNG, tribus opificum. KEYSLERUS a loco congregationis, hoſpitio vel caupona, qui olim Angloſaxonibus & hodie Anglis *inne*, nomen deducit, & *innungen* interpretatur compotationes. Ex adverſo *innungen* STILERO ſunt ſtatuta opificum, communi conſenſu ſancita, & ſic dicta quaſi *einungen*, concordata, a verbo forenſi *einen* convenire, paciſci. Cur non potius conſociationes, ab *einen* unire, conjungere?

INSEL, inſula. Vox Latina. Germanicas vide in *ey* & *eyland*.

INSIGEL, ſigillum ſignatorium. Cambris *inſel*, Angloſax. *inſægl*, Franc. *inſigil*. Gloſſ. Pez. annulo *inſigile*, ſignaculum *inſigili*. WILLERAMUS VIII. 6. *mache mich dir ze einemo inſigile uber din herzo*, me velut egregium ſupra cor pone ſigillum. Ubi ſigillum videtur ſumi pro gemma, cui imago inſculpta. Nam & his utebantur ad obſignandum veteres. OVIDIUS Met. Lib. IX.

Protinus impreſſa ſignat ſua crimina gemma.

Præfixum *in* non videtur magnopere neceſſarium. Reliqua vide in *ſigel*.

INSTÆNDIG, inſtans & inſtanter. Gloſſ. Keron. inſtantiſſima (oratione) *anaſtantantlihoſtim*. Refer ad *ſtand*, quatenus actionem ſtandi ſignificat. Nam hic ſitus corporis magis convenit urgentibus & proſequentibus inſtitutum, quam ſeſſio aut quies, nonſolum judicio Germanorum & Latinorum, ſed etiam Græcorum, quibus ἐνίστημι inſtans, ab ἐνίστημι inſto.

INVESTIEREN, ſenſu forenſi eſt in poſſeſſionem mittere, a ſimplici *veſtire* ejusdem ſignificatus, quo Latino-Barbari paſſim utuntur. Unde nomen actioni hauſtum ſit, videntur Jurisconſulti nondum explanaſſe. Prima & communior conjectura a *veſtibus* deſumitur. Secundum hanc etymologiam, ſenſus a pallio, quo Epiſcopi inveſtiuntur, ad gladium, ceſpitem, feſtucam, & reliqua, erit translatus, quod neſcio an veroſimile ſit. Alii derivant a Saxonico *wæſtm* fructus, quod *veſtire* nihil aliud ſit, quam terram ejusque fructus, ædificia, proventus, in alterius dominium transferre. Sed a *wæſtm* prodire quidem poterat *veſtimire*, non autem *veſtire*, niſi lege juſtæ derivationis violata. Alii itaque deducunt a *veſten* firmare, quod cæteris melius videri poſſet, niſi confirmationem cum traditione confunderet. Quid ergo ſit *veſtire*, & unde hoc verbi Latino-Barbaris formari potuerit, paucis aperiendum reſtat. *Veſtire* nihil aliud eſt, quam *rem per ſymbolum præſentare*, derivaturque a veteri Theotiſco *wiſt* præſentia. VEREL. in Ind. *viſt* præſentia in hoc vel illo loco, *herviſt* præſentia in loco, *viderviſt* præſentia, puta in loco oppoſito. Quæ certe ſunt a *weſen* eſſe in loco. Franci Scriptores paſſim utuntur compoſitis, cujusmodi ſunt,

bieruuiſt, præſentis vitæ uſura, in Epinicio R. Lud. verſ. 73.

nahuuiſt, præſentia proxima, apud OTFRIDUM Lib. IV. Cap. XI. 68. *thin nahuuiſt iſt mir ſuazi*, præſentia tua mihi dulcis eſt. Apud eundem *nahuuiſt* explicatur per *geginuuerti* præſentia, Lib. IV. Cap. XV. 25. 26.

beimuuiſt, præſentia in patria, apud OTFRIDUM Lib. II. Cap. VII. 43. & paſſim alibi.

mitheuuiſt, conpræſentia, conſortium, apud WILLERAMUM VI. 2. *thie genathe ſinero mitheuuiſte*, gratia conpræſentiæ ejus. Quæ vox in nova Editione vitiata eſt.

Ab hoc igitur ſubſtantivo prodiit verbum *veſtire*, præſentare, & ſenſu forenſi in poſſeſſionem mittere, quod more receptum eſſet apud Veteres, ut donationes & translationes poſſeſſionum & dominiorum, non verbis ſolum fierent atque chartis, ſed etiam ſymbolorum quorundam in manus præſentatione & traditione, quorum Catalogum exhibet CANGIUS in voce *Inveſtitura*. Hinc *manus veſtita* nihil aliud eſt, quam manus præſentis ſymboli exhibitione in poſſeſſionem miſſa. Atque hinc jam lucem accipiunt reliqua compoſita, ut ſunt,

inveſtire, tradere poſſeſſionem per ſymbolum,

deveſtire, poſſeſſione exuere,

reveſtire, ejectum reſtituere,

inveſtitura, traditio per ſymbolum, quod eſt traditionis inviſibilis quaſi viſibile ſacramentum.

Hanc SPELMANNUS dividit in *veram* ſive *propriam*, & *impropriam*: *Veram* vocans, quando res ipſa traditur, ut poſſeſſio terræ ſuper ipſam terram traditione glebæ ab eadem revulſæ: *Impropriam*, quando ſymbolum adhibetur, ut gladius, haſta, vexillum, annulus, ſagitta, calcaria, aut aliud hujusmodi, pro vario locorum more. Mihi omnis *inveſtitura* traditio ſymbolica & impropria eſſe videtur, etiam ea, quæ glebam tradit pro agro. Nam hæc quoque repræſentativa eſt.

INWEN-

INWENDIG, intus. Lex donationis Ludovici & Lotharii apud BRAUWERUM in Annal. Trevirenſ. habet, *inneneuuendium* intra, *uz zeneuuendium* extra. Ab *innen* intus, & *wenden* vertere.

INWERTS, intrinſecus. Angloſaxon. *inne-weard* interior, *in-weard* intimus, intro, interius. Gloſſ. Keron. intimo *inuuartun.* TATIANUS Cap. XLI. 1. *inuuertes ſint ſie raze uuolua*, intrinſecus ſunt lupi rapaces. Ab *innen* intus, & *werts* verſus.

IO, interjectio gaudentis. Utimur in Hymno: *wachs auf ruft uns die ſtimme:* Ubi verba: *Des ſind wir froh, i-ô, i-ô.* Neſcio, an idem ſit quod *ju.* Nam *ju* incipit a conſonante & eſt monoſyllabum, *io* vero biſyllabum.

IO, interjectio exclamantis & convocantis, præcipue in caſu atroci. Inde *mordio, feurio*, clamor in homicidio & incendio, de quibus eleganter diſſerit doctiſſ. FRISCHIUS in Miſcell. Berolin. Tom. IV. num. XXXII.

JOCH, jugum, arcus ligneus, quo duo boves quoad collum junguntur. Vox antiquiſſima, quæ Perſis effertur *juk*, Armoricis *jau*, Angloſaxon. *joc, juc, geoc*, & compoſite *geoc-boga*, Francis & Alam. *joh*, Angl. *yoke*, Belg. *jok, juk*, Danis & Suecis *aag, ook* per aphæreſin, Gall. *joug.* Gloſſ. Pez. jugum *job.* Gloſſ. Keron. jugo *jobbe.* Cuncta a Lat. *jugum*, quod rectius derivatur a *jungo*, quam a Gr. ζυγὸν, etiamſi a ζεύω & ἄγειν ſic dictum videatur. Hodie ad ſulcimenta pontium extenditur, quia ſimul juncta arcum jugo ſimilem efficiunt. Allegorice dicitur de ſervitute.

JOCH, par jugatum. Inde Gothis *gajuk hraiwadubono* par turturum Luc. II. 24. *ſimf juka aubſne* quinque boum juga Luc. XIV. 19. quod imitatur Luth. in verbis *fünf joch ochſen.* Allegorice dicitur de conſortio inter duos, & præcipue de conjugio. Synecdochice de aratro, cui boves juncti. Inde *juchphennig* tributum quod pendi ſolet pro aratro, quam vocem ſiſtit SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 498.

JOCH, parabola, ſive ſimilitudo, ob duorum ſimilium conjunctionem. Senſus Gothis proprius, ſed venuſtus. ULFILAS Marc. IV. 2. *jah laiſda ins in gajukom manag*, & docebat eos in parabolis multa.

JOCHEN, jungere, *zuſammen jochen* copulare, conjugare, *gejochet* conjunctus & conjunctim. Ita STILERUS in Theſ. L. Germ. Similiter & Angloſaxonibus *jucian* eſt jugare, conjugare, apud SOMNER. & BENSON. Haud dubie a *juc* jugum.

JOCHEN, vincere. ULFILAS Joh. XVI. 33. *ik gajukaida thana fairhwau*, ego vici mundum. Proprie eſt ſubjugare & in ſervitutem redigere, & dicitur de victis, quia victi antiquitus cogebantur tranſire jugum ex tribus haſtis inſtar patibuli formatum.

JOCKEN, *jöckeln.* V. *gauckeln.*

JODUTE, clamor tragicus. Statuta Friſica num. 21. *when dat ruchtbar worde mit Jodute ropende, edder dergliken.* Biblia Lubecenſia 1533. Jer. XII. 6. *unde ſchryen ſy iodute auer dy.* Ubi LUTHERUS: *und ſchreyen zeter über dich.* Et rurſus Jer. XV. 10. *auer den yderman ſy yodute ſchryet im gantzen lande.* Ubi Luth. *wider den iederman hadert und zancket im gantzen lande.* Placuit hæc formula etiam interpreti Suecico & Danico, quorum ille habet *ropa ſkadut*, hic *skrige ſkadut*, obſervante STADENIO in Voc. Bibl. pag. 695. Secundum Albertum CRANZIUM *Jodute* eſt idolum Saxonicum, cujus nomenclatura Italica. Verba ejus in Metropol. Lib. VI. Cap. 7. hæc ſunt: *Peracto in loco Welpesbolde inſigni prælio, erexere Saxones trophæum, virum ſcil. in ſtatua armatum, clava ſubnixum, arma Saxoniæ tenentem, equinum candidum pullum. Ruſtica plebs, ut eſt ſuperſtitioni propior, idolum coluere, tanquam veterem Saxoniæ Deum, quem* JODUTE *dixere. Permanet hodie execrabilis illa vox, ut in omni repentino periculo exclament eo more Saxones. Derivatum autem autumant ex Italico verbo* IO MI ADIUTE, *hoc eſt, me adjuvate.* GERHARDUS a MASTRICHT ſtatuam pro numine cultam agnoſcit, ſed etymon Crantzii in dubium vocat, exiſtimans, illud nomen nihil aliud denotare quam monumentum ſive ſignum victoriæ, quaſi dicas *gedeute*, a *deuten* ſignificare. Quod minime perſuaſit doctiſſimo HASÆO, qui originem nominis ex clamore Saxonum militari DIO ADIUTI deducit, hoc interim ſuppoſito, Saxones in prælio cum Henrico V. hac teſſera uſos eſſe, eamque in ipſo prælii ardore vociferando ingeminaſſe, quod incertum aut falſum, ſicut & reliqua, quæ de cultu trophæi, & incredibili plebis ſtultitia afferuntur. Vide Bibl. Bremens. Faſc. tert. pag. 510. & 906. STADENIUS per *jodute* videtur intelligere *arma.* Sed qua Lingua arma vocentur *jodute*, non docet. Dicitur hæc formula adhuc cuſtodiri Bremæ, Verdæ, Hamburgi, in conclamatione judiciali, quando auctor homicidii ignoratur. Ab initio (ut mihi videtur) fuit formula communis exclamandi & convocandi vulgus in quovis caſu atroci & repentino, ad opem ferendum: quæ poſtea uſui forenſi inſerviit. Quo pacto erit vel vocativus ſubſtantivi *getude* plebs, vel clamor ad plebem, ab interjectione exclamandi *io* & *dude* plebs, ut ſenſus clamantis ſit *adeſte vulgus, adeſte homines!* Hoc, ſi recte memini, ſe probavit FRISCHIO in elegantı Diſſertatione *de clamore publico Jodute* Tomo IV. Miſcell. Berol. num. XXXII. De voce *dude*, ejusque collectivo *gedude* vide plura in nomine Celtico *deut* populus.

JOLEN, lætitia efferri, ut pueri bacchantes ſolent, de quibus verbum uſurpatur in Suevia Trans-Danubiana, Auguſtæ Vindel. Memmingæ, & alibi. Antiquiſſimis idem erat ac lætitia efferri ob reditum Solis, qui Armorice dicitur *haul*, Gothice *iiil* Marc. XIII. 24. Græce ἥλιος. Eumque ſenſum

ſum evincunt varia derivata, cujusmodi ſunt apud veteres Septemtrionales in Indice Vereliano, *jol* comeſſatio julia, *jolabod* invitatio ad convivia julia, *midjol* feſtivitatis & gaudiorum juliorum dimidiatum tempus, *julamaen* December, & alia, quæ certe originem denominationis ſuæ ad vertiginem Solis referunt, ut paulo ante in voce *Jenner* oſtenſum. Poſtea, cultu Solis abrogato, feſtivitas Chriſti natalitia dici cœpit *Juladag*, durantibus adhuc conviviis julius. Sed & his ſucceſſu temporis abrogatis, verbum, quod ab initio lætitiæ publicæ proprium fuit, omnibus hilaritatibus adhæſit. Inde Anglis *to be jolly* lætari, geſtire, *jolly* feſtivus, *jollineſs* lætitia, feſtivitas. Nec aliunde Belgis *jool* homo feſtivus, lepidus, jocundus. Imo etiam Gallis *joli* ante hilarem & jucundum, quam venuſtum denotaſſe, ex affinitate colligitur.

IRDEN, terreus, *irden gefæſs* vas fictile. Ab *erde* terra.

IRDISCH, terrenus, terreſtris, terreni generis. Angloſax. *eorthlic*, Franc. *irdiſc*, Alam. *erdlih*. Gloſſ. Keron. terrenis *erdlihhem*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIII. 37.

Ther ſon ther erdu hinana iſt,
Ther ſcal ſprechan thanana iſt,
Er ſcal giuuiſſo rachon
Fon irdiſgen ſachon.
Qui infra de terra eſt,
Loquetur unde eſt,
Et narrabit certe
De rebus terrenis.

IRLAND, Hibernia. PTOLEMÆO Ἰερνία, POMPONIO MELÆ *Iuuerna*, STRABONI Ἰέρνη, quod imitatur CLAUDIANUS in *glacialis Iernе*. Veteres Ibernos *Erion* appellatos eſſe, a Britannico *er* terra, quaſi terrigenas, quod ad inſtar cuniculorum τροχλοδύται & antricolæ fuerint, & Inſulam ipſorum *Ju Erion*, tanquam inſulam terrigenarum ſeu αὐτοχθόνων, unde & ERIGENÆ SCOTO nomen, docet WILLIELMUS BAXTERUS, vir in rebus Patriæ profunde doctus, in excellenti *Gloſſario Antiquitatum Britannicarum* pag. 133. Nobis ad intellectum Germanici vocabuli ſufficit, quod Angloſaxonibus *Ire* ſit Hibernus, & hinc *Ireland* Hibernia.

IRMIN, bello validus, fortis conflictu. A Cambrico *ær* bellum, prælium, pugna, & *man* vir fortis. Nec aliud ſonat nomen ARMINII Cheruſcorum Ducis. Sed in nominibus propriis Alamannorum uſurpatur appellative. Inde

IRMINHART, vir valde fortis,
IRMANDEGAN, miles fortis.

Et alia apud Goldaſtum in Indice, quamvis absque interpretatione. Et huc etiam ſpectat

IRMENGARD, hortus fortium. Nomen Conjugis Ludovici Pii.

IRMINSULA, ſpecies columnæ, de qua REGINO ad an. 772. *Carolus primo impetu Heresburg caſtrum cepit, & ad* HIRMENSAUL *uſque pervenit, & ipſum Fanum deſtruxit, deſtructoque fano Rex ſuper Wiſeram fluv. venit.* AVENTINUS *Hermanni Salam* interpretatur, id eſt, aulam & Baſilicam Arminii. Sed ex Gloſſis antiquis manifeſtum eſt, columnam fuiſſe, non Templum. Et huic ſententiæ favet quoque Hiſtoricus, qui columnam ab ipſo fano haud obſcure diſtinguit. Gloſſ. Spelm. *hermenſul* coloſſus, altiſſima Herminii columna. Gloſſ. Pez. pyramides *irmanſuli*. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *irminſul* publica columna & via. Forte legendum *in via*, ut ſit columna mercurialis, a Mercurio, viarum præſide, qui Græcis *Hermes*, ſic dicta. Pyramidalem fuiſſe & coloſſeam, Gloſſæ evincunt. Quis ſit ille *Herminius*, Hermes an Arminius, in dubio eſt. Saxones *Mercurium* coluiſſe, patet ex Indiculo Superſtitionum Saxonicarum Synodi Liptinenſis art. VIII. & XX. quam ante expeditionem Caroli an. 743. ſub Carolomanno habitam eſſe, convenit inter omnes. At *Arminium* in numerum Deorum relatum, & eo tempore, quo Synodus habita, pro numine cultum, non liquet, & ſilentium Synodi refragatur. Nec verba TACITI, *canitur adhuc barbaras apud gentes*, conjecturam juvant. Multa enim more antiquo canuntur, quæ non adorantur. Viderint alii, quid ex his Gloſſis pro Arminio exſculpi poſſit, ego non video. Sed qualecunque fuerit illud monumentum ſive *Hermetis*; ſive *Arminii*, certe a Carolo M. una cum fano deſtructum eſt. *Irmenſula*, quæ hodie oſtenditur, cum ſit figura ſeptempedalis & minime coloſſea, non eſt monumentum ethnicum, ſed chriſtianum, & proprie candelabrum, ornandæ & illuminandæ Eccleſiæ antiquitus factum, cui poſteritas ſignum B. Virginis impoſuit. Et hujus rei clarum præbet indicium inſcriptio operis, & operi haud dubie coæva, quæ talis apud MEIBOMIUM:

Sic fructus veſtri veſtro ſint gloria Patri,
Nec damnent tenebræ, quod fecerit actio vitæ,
Junctа fides operi ſit lux ſuperaddita luci.

Quæ cauſa afferri poteſt inter homines ſanæ mentis, ut hæc verba inſcribantur columnæ, quæ aliquando fuit idolum, vel baſis idoli, religioſo multorum retro ſæculorum cultu inſignis? At quam pulcra eſt hæc inſcriptio, ſi opus ipſum nihil aliud ſit, nec unquam fuerit, quam candelabrum? Tunc enim parabola Domini de candelabro Matth. V. 15. 16. recte nobis ad animum revocatur, ut hac imagine admoniti ſplendorem ejus imitemur. Dicitur autem *irmenſula*, a *ſaul*, *ſul* baſis, quia truncus ille candelabrum ſuſtinet, a Ludovico Pio Eccleſiæ Cathedralis apud Hildesheimenſes fundatore, in honorem & memoriam *Irmingardæ* conjugis erectum, & nomine ejus inſigni-

insignitum. Quâ in re libens utor docta & haud spernenda divinatione R. D. CALVÖRII Lib. I. Saxoniæ Antiq. Cap. XI. §. 92.

IRREN, verbum obscurum & difficile explicatu, quia non unum, sed multiplex. Nos illud ad quatuor genera redigere conabimur. Primo significat *errare* & *desipere*. Hunc significatum habet ab adverbio defectus *ur*, quod vide in *Prolegom.* Sect. V. Secundo *seducere*, *turbare*, *scandalizare*, *irritare*, quæ videntur cognata, & uno eodemque partu edita a Suecico *wærre* pejor. Quid enim est seducere, turbare, & reliqua, nisi deteriorem reddere? Tertio *impedire*, cui simile Græc. *αἰρεῖν* capere, tenere, intercipere. Quarto *decipere*, quod est ab *irre* error, quia deceptor falsum pro vero imponit. Restat, ut singulos significatus ostendam.

IRREN, errare, vagari, deficere a via vel norma dirigente. NOTKERUS Psal. CVI. 4. *sie irroton in dirro einnote*, erraverunt in solitudine. Psal. CXVIII. 110. *ne irrota ih fone dinen geboten*, de mandatis tuis non erravi. OTFRIDUS utitur passim compolito *girron*, quod est contractum ex *gi-irron*. Ita Lib. IV. Cap. XV. 39.

Bin ouh lib inti uuar,
Bithiu ni girrot ir thar.
Sum quoque via & veritas,
Propterea non errabitis.

Hinc *irre*, quatenus est verbale ab *irren*, significat quantum potest, (1.) errorem, seu defectum a via vel veritate. Sic vulgo dicimus *in der irre gehen* in errore versari. Et inde hæreses vocantur *geloub-irron*, quasi errores fidei, apud NOTKER. Psal. XXIV. 16. (2.) vagum, errantem, erroneum, id est, deficientem a via vel veritate. Gloss. Antiq. apud JUNIUM in Gloss. Goth. pag. 46. *irrer* vagus, *irri muat* vaga mens. Inde formulæ antiquæ, quibus etiamnum hodie utimur, *irre faren*, *irre gehen*, aberrare a via. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXV. 71. *uuir io irri fuarun*, nos certe errantes ivimus. NOTKERUS Psal. CXVIII. 176. *ih kieng irre alſo ferlorn ſcaf*, ivi errans sicut ovis quæ perit. Omnibus consentit Lat. *errare*, & fortasse etiam Gr. *ἔρρειν*.

IRREN, desipere, *irre* delirus, *irre werden* mente capi. Propriè est deficere, privari, a privativo *ur*, & per synecdochen generis defectum rationis pati.

IRREN, seducere, *irrweg* via in avia & præcipitia abducens, *irrgeiſter* hæretici, sic dicti, non solum quod errent & errare faciant, sed etiam quod seducant. Quamvis enim seducere sit facere ut erret, & hactenus verbum faceſſens ab *irren* errare: Plus tamen subesse verbo videtur, quam hac etymologia exprimitur. Nam seducere non solum est facere ut erret, sed etiam corrumpere, pervertere, & deteriorem reddere. Eamque ob causam malui arcessere a *wærre* pejor. Ita Gothis a *wairs* pejor fit *wairzjan*, & eliso W. *airzjan* seducere, *airzeith* seducit, *airzjands* seductor. Confer *wirs* & *irrzen*.

IRREN, turbare, confundere, *irre* turbatus, confusus. Gloss. Pez. conturbas *girris*, turbavit *girta*, inquietari *girrit uuerdan*. Epinic. R. Ludov. vers. 37.

Kuning uuas ervirrit,
Das richi al girrit.
Rex erat attonitus,
Regnum totum conturbatum.

Id est, *gi-irrit*. Et huc etiam spectat formula *irre gehen* infestare ædes, qua utimur de lemuribus.

IRREN, scandalizare, deteriorem reddere exemplo. Gloss. Pez. scandalizaſtis *girtot*. NOTKERUS Psal. XLIX. 20. *dinero muoter chinde irtoſt du*, matris tuæ filium scandalizasti. Inde *irrede* scandalum, offendiculum, apud eundem Psal. LXVIII. 23.

IRREN, irritare, & ægre ferre, *irrung* offensa. VEREL. in Ind. *æra* irritare, insanum reddere, *eira* ægre ferre. Utrumque a *wærre* pejor, quia experientia constat, unumquemque offensa reddi deteriorem. Id quod etiam aliis verbis per *ærgern* & *ſich ærgern* exprimitur. Hinc porro *irre*, quatenus est verbale ab *irren*, Anglosaxonibus significat quantum potest, iram, iracundiam, iratum, & irritationem. Quæ certe non sunt a Latino *ira* aut *irritare*, etiamsi Latina cum illis consentiant.

IRREN, pessum ire. Sed Græcis tantum, qui hoc sensu dicunt *ἔρρειν*. Quod, cum ad reliquam cognationem spectet, non debuit omitti.

IRREN, impedire. WILLERAMUS Cap. II. 8. *er iſt mir ſo hold, daz er nieth dolan ne uuil, daz mih ieman ſiner minnon irre, mit decheinemo uuereltlichen ſtrepitu:* adeo me diligit, ut ferre non possit, me in amore ejus aliquo mundano strepitu impediri. Quod repetitur Cap. III. 11. Jus Prov. Alam. Cap. 370. *den der rihter ze unrecht irret, daz er ſin gut nit verkauffen mag*, de eo quem Judex citra causam impedit, quo minus prædium suum vendere possit. Utitur, ni fallor, hoc sensu Luth. 1 Sam. XV. 29. *mein vater hat das land geirret*, hoc est, pater meus juramento suo populum impedivit, ne plenissima victoria potiretur.

IRREN, decipere. Gloss. Pez. supplantat *girret*. Id est, *gi-irrit*.

IRRSAL, hæresis. Proprie traditio erronea, a *ſal* traditio.

IRRTUM, error, præcipue in negotio Religionis. Gloss. Pez. sectatio *irrituom*. Proprie error dominans, ob terminationem *tum*, quam vide in *Proleg.* Postea ad omnes errores traductum est.

IRRWISCH, ignis fatuus. Proprie dux erroris, quem qui sequitur, errat, a Francico *wiſo* dux, quod vulgus insigni depravatione

tione mutavit in *wiſch*. Teſtimonia Francorum vide infra in *weiſen* ducere.

IRT, epulum, præcipue feſtivum, quamvis etiam de prandio uſurpetur apud Septemtrionales, quibus *dag-urd* prandium,& *dag-uerdarmal* tempus prandii, apud VERELIN Ind. Varie ſcribitur apud auctores, *ort, urt, yrd*, quos vide apud SCHILTERUM in Gloſſ. pag. 888. & STADENIUM in Voc. Bibl. pag. 845. Familia vocis apud Græcos quærenda, quibus ἑορτὴ, Ionice ἑόρτη feſtivitas ἑόρτιος feſtivus, ἑορτάζω epulor, feſtivitatem ago. Franci inde habent *uuirten* epulari, præpoſito W. nos *bewirten* epulo excipere. Sed cum pleraque apud Græcos, quæ noſtris ſimilia ſunt, a Scythis relicta ſint, quos Græciam ante Græcos tenuiſſe fama eſt, hinc fieri poteſt, ut hæc quoque ex eodem fonte prodierint, unde Germanis dicendi initium.

IRRZEN, allicere. Ita vulgus apud Auguſtanos. Sed proprie eſt allicere in vitium, a Gothico *airzjan* ſeducere. Cod. Argent. Joh. VII. 12. *airzeith tho managein*, ſeducit turbas. Matth. XXVII. 63. *jains airzjands quath naub libands*, ſeductor ille dixit adhuc vivens. Confer *irren* ſeducere.

IRZEN, voſſitare, unum multitudinis numero compellare. Ab *ihr* vos, quod vide.

ISIS, dea quorundam Suevorum apud TACITUM Cap. IX. de M.G. *Pars Suevorum & Iſidi ſacrificat. Unde cauſa & origo peregrino ſacro, parum comperi, niſi quod ſignum ipſum in modum Liburnæ figuratum, docet advectam religionem.* Primum & vetuſtiſſimum Numen Germaniæ præter Deum fuit *Terra*, origo & initium Gentis, exantiqua perſuaſione. Hanc *Senones*, Suevorum antiquiſſimi, absque ullo ſimulacro colebant, vinculo contenti humilitatem & ſubjectionem rectori omnium Deo demonſtraſſe, ut eſt apud TACITUM Cap. XXXIX. Horum vero poſteri videntur multa in cultu mutaſſe, & religiones quoque alienas adſciviſſe, ut jam ſemel vidimus in *Herthe*. BOCHARTUS credidit, coloniam ab Herculе ex Ægypto deductam, cultum Iſidis Germaniæ importaſſe. Taciti ævo Iſis nondum habuit fanum in urbe, ſed extra pomœrium tantum. Potuit tamen Iſiaca ſuperſtitio, quo tempore Auguſtus eam edictis repreſſit, per ſacrificulos veniſſe ad Gallos, & a Gallis ad Germanos. Sed undecunque ad Germanos ſit advecta, neſcio quo pacto Tacitus advectum illum ex *Liburna* colligat. Nam auctores, qui poſt Tacitum ſcripſerunt, *Liburnam* inter ſacra Iſidis ſymbola memorant. Vide MACROBIUM Lib. I. Saturnal. Cap. 20. LACTANTIUM Lib. I. Cap. 11. JUL. FIRMICUM *de errore prof. relig.* De cultu Iſidis apud Gallos vide MARTINUM Lib. IV. de Rel. Gall. Cap. 22. De cultu Iſidis apud Germanos, ejusque memoria in nominibus urbium, *Iſenacum, Iſlebia, Iſenberga*, SCHEDIUM de Diis Germ. pag. 155.

ISOP, ſpecies fruticis, qui Heb. *ezuph*. Græc. ὕσσωπος, Lat. *hyſſopus*.

IST, tertia perſona præſentis verbi *eſſe*, Perſis *aſt*, Græc. ἐστὶ, Lat. *eſt*, Goth. Franc. & Alam. *iſt*, Angloſaxon. Angl. & Belg. *is*, Camb. *i*. Islandi dicunt *er*, Suec. *är*, a *weren* eſſe.

ISTER, pars inferior Danubii. Alias *Hiſter* lingua Beſſorum, Thracum, Getarum,& Dacorum. JORNANDES de reb. Get. Cap. XII. *Sed quia Danubii mentio facta eſt, non ab re judico, pauca de tali amne egregia judicare. Nam hic in Almannicis arvis exoriens, LX habet a fonte ſuo flumina uſque ad oſtia in Pontum vergentia, per mille ducentorum paſſuum millia hinc inde ſuſcipiens flumina tam nudum ſpinæ, quæ coſtas & cratem intexunt. Omnino ampliſſimus eſt, qui in lingua Beſſorum* HISTER *vocatur*. Vox Thracica videtur eſſe ab ὕδωρ aqua, inſerto S. Thracum linguam Phrygicæ ſimilem fuiſſe, me legiſſe memini. Quod ideo dico, quia ὕδωρ eſt vox Phrygia, teſte PLATONE in Cratylo. Nec aliud ſonat DONA, quo nomine pars ſuperior ejusdem fluminis deſignatur, quam aquam. Plura fluviorum nomina, quæ præter aquam nihil ſignificant, vide in *don, dur, lan, ſau*.

JU, *juh, juch, juw*, interjectio lætantis, quæ videtur eſſe vox naturæ. Nam & apud Gr. ἰὼ & ἰοὺ bacchantium, & apud Latinos *io* vantium exclamatio eſt. Angli videntur inde habere *joy* lætitia, Galli *rejouir* lætari, lætitia afficere.

JUBEL, jubilum, vox læta, ſed indiſtincta, *jubel-geſchrei* ovatio, clamor lætitiæ, *jubeljahr* annus ſæcularis, ab exclamatione ſic dictus, *jubilieren* jubilare, lætitia efferri, & præ lætitia exclamare. Plerique ducunt ab Heb. *jobel*, & hoc a *Jubal*, primo Muſices inventore, quaſi clamor lætantium non a natura, ſed ab arbitrio inſtitutus ſit, quod minime verum. Nam *jubilare* non eſt articulata, ſed ruſtica voce inclamare, ut docet FESTUS in verbo. A *juw* vero facile fit *jubel* & reliqua, W. ut ſæpe alias in B. mutato.

JUCHEN, clamorem lætum tollere, ſed nihil ſignificantem. A voce naturali *juch*. Inde frequentativ. *juchzen* vel *jauchzen* clamorem illum ingeminare.

JUCHERT, vel *jauchert*, menſura ruris, agricolis, quam eruditis notior, quæ pro varietate regionum & ipſa variat. Vi vocis eſt ager unius jugi, h. e. tantum agri, quantum juncti boves uno die exarare poſſunt, componiturque ab Angloſaxonico *irth* ager, terra arabilis, & *joch* jugum boum. Latinis dicitur *jugerum*, quod ſono & menſura convenit.

JUCHTEN, corium bovinum, colore rubro infectum, ſic dictum, quod ſemper bina conjungantur convolvendo, a *jochen* jungere. Ita STILERUS in Theſ. L. Germ. Sed præſtat ab ipſo colore rubeo nomen ducere, qui Celtica lingua dicitur *coch*, ut

demon-

demonſtravi in *kauch* cornix. *Koch* in Dialectis facile mutatur in *goch* & *joch*.

JUCKEN, fricare, ſcalpere, ſcabere. Gloſſ. Pez. ſcalpentes *juchalonta*, ſcalpentes *juchante mit linden uuorton*. Bonus verbi ſenſus, non abuſivus, ut STILERUS exiſtimat, ſed legitime factus a Græc. ξύειν radere, ſcalpere, per proſtheſin & metatheſin. Litera ξ. componitur ex κ. & σ. & in ore barbaro perdit ſibilum ſuum, ut omnes literæ Græcorum compoſitæ. Vide *Proleg.* Sect. IV. in *apocope*. Ab hoc verbo ſcabies Angloſaxon. dicitur *giclha*, Germanis *juck*, ut *gnæze* a κνίσσω.

JUCKEN, prurire. Belg. *jeuken*. Opinor a καίειν, urere, incendere, per proſtheſin & metatheſin, quia prurire eſt ardere, nonſolum fricandi libidine, ſed etiam ipſius humoris æſtu & acrimonia. Hinc etiam Lat. *prurire* multorum judicio idem valet ac *perurere*. Hic verbi ſenſus cum præcedenti non debet confundi, & ab illo pruritus Angloſaxon. dicitur *gycenys*, Belgis *jeukte*, Anglis *itch* pro *ick*, noſtris *juck*.

JUGEND, juventus & juventa. Gothis *junda*, in abl. *jundai*, Luc. XVIII. 21. Angloſaxonibus *geoguthe*, ibid. & alibi *jogoth*, *juguth*. Francis *jugund*. Gloſſ. Boxh. *jugund* pubertas. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XVI. 27. *in jugundi uuard ſi uuitua*, in juventa facta eſt vidua. Idem Belgis *jeugd*. Cuncta diverſis modis ſyncopata, & per varias terminationes abſtracta ab adj. *jung* ætate novus. Apud OTFRIDUM (quod pridem obſervavit JUNIUS) ſcribitur etiam *jungend*, ut liqueat eſſe a *jung* Lib. I. Cap. IV. 67.

Iſt er oub ſon iungendi
Filu faſtendi.
Erit quoque a pueritia
Multum jejunans.

De terminatione *end* in voce Otfridina & hodierna, vide *Proleg.* Sect. ult.

JUNG, recens natus, nuper genitus, *jung werden* naſci, in lucem edi, ætatem incipere. A γένομαι naſcor, gignor, per medium derivandi G. Hic primus & princeps vocis ſenſus, ſolisque (quod ſciam) Germanis cuſtoditus, qui poſtea ad omnes *etate novos* translatus eſt.

JUNG, ætate novus. Gothis *jugga* in compoſitis, Angloſaxon. *geong*, comp. *geongre*, ſuperl. *geongeſt*, Francis & Alam. *jung*, Belgis *jong*, Anglis *young*, Scandis *ung* & *yng*, per aphæreſin. Gloſſ. Reenhielm. *ungmenn* parvuli. In reliquis Dialectis ultima litera abjicitur. Inde Lat. *junis*, Gall. *jeune*, Camb. & Armor. *jau*, *jou*, quod nimia mutilatione laborat. Dicitur autem ſenſu latiſſimo, nonſolum de homine, ſed etiam de rebus extra hominem, e. g. de vino novo, in Codice Arg. Marc. II. 22. Et cum ætate nova alia ſint *tenera*, alia *immatura*, hinc ad illa quoque ſignificatus prolatus legitur. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *geong* tener, immaturus. PEZRONIUS in Antiquitatibus Celticis nomen JOVIS deducit a Celtico *jou* junis, quod is inter liberos Saturni noviſſimus fuerit. Ingenioſe magis quam probabiliter. Nam *jou* in vitio jacet, & hoc vitium tam antiquum eſſe, ut nomen *Jovis* inde formari potuerit, vix credibile eſt.

JUNG, ab antiquis ſubſtantivatur, & tunc ſignificat (1.) perſonam ætate novam, *puerum* vel *adoleſcentem*, & collective *turbam hominum juniorum*. (2.) *pullum* animalis, & præcipue volucris.

JUNG, puer. Belgis *jonge*. HELVIGIUS tribuit Aramæis *jannik* pro puero. Quod convenit cum labio eorum qui pronunciare ſolent *junk*.

JUNG, adoleſcens. Verſio Angloſaxon. Luc. VII. 14. *eala geonga*, *the ic ſęcge*, *aris*, heus adoleſcens dico tibi ſurge. TATIANUS Cap. CLXXXV. 12. *ſum jungo folgeta imo*, quidam adoleſcens ſequebatur eum. Gloſſ. Keron. juvenibus *jungein*. VEREL. in Ind. *unger* juvenis.

JUNGEN, turba hominum juniorum. Cod. Arg. Matth. VIII. 1. *laiſlidedun afar imma iunjons managos*, ſequebantur eum turbæ multæ. Quod ad reliquorum cognationem ſpectare, haud abs re judicat JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 178.

JUNGEN, pulli animalium, & præcipue volucrum. Cod. Arg. Luc. II. 24. *ei gebeina twos juggons ahake*, ut offerrent duos pullos columbarum. Rhythmus de S. ANNONE §. 45. *alſo dir ari ſinin jungin dut*, ſicut aquila facit pullis ſuis.

JUNGEN, pullos procreare. A *jung* pullus. Ita etiam Latinis a *pullus* fit *pullare*.

JUNGEN, & compoſite *verjüngen*, renovare, reparare. A *jung* novus ætate, quia renovata videntur juveneſcere & quaſi renaſci. Codex WILLERAMI Ambroſianus Cap. I. 3. *daz ſint die ſela die der geiungent ſint in dero toiſe*, hæ ſunt illæ animæ, quæ in Baptiſmo ſunt renovatæ. Et hæc lectio ſe tuetur interpretatione metrica ipſius Willerami:

Scilicet una ſalus in te ſanctis animabus,
Quas renovat lavacrum, veſtit ſtola juſtitiarum.

Si alii Codices aliter legant, id probitati ipſius verbi nihil derogat.

JUNGEN, *jüngen*, & compoſite *verjüngen*, abbreviare, ſervata proportione. Tempus & ſpatium commenſurantur. Hinc ſenſus ab uno ad alterum transferri potuit, eoque magis, quia gradus proportionis gradibus ætatis ſimiles ſunt. Ab hoc verbo ſcala geometrica, cujus ope totius plani compendioſa & proportionata fit repræſentatio, Mathematicis appellatur *verjüngter maſſtab*, quia lineæ iſtius ſive ſcipionis ſive laminæ in minimas partes dividuntur.

JUNGER, *jünger*, minor ætate. Lat. *junior*, Gothis *juhiza*, Luc. XV. 12. Angloſaxonibus *geonger*, Franc. & Alam. *jungiro*, Scan-

dis *yngre*. Gloſſ. Keron. juniori *jungirin*, juniores *jungiron*. In loco S. Lucæ proxime citato junior ab interprete Angloſaxon. redditur *yldra*, h. e. ſenior, quia in Vulgata legerat *adoleſcentior*, quod æquivocum.

JUNGER, *jünger*, diſcipulus. Ratio appellationis manifeſta, quia initium diſcendi inter cultas gentes a flore ætatis ſumitur, & quia diſcipulus, etiamſi ſenex ſit, minor tamen eſt doctrina & experientia magiſtro. TATIANUS Cap. XLIV. 16. *niſt jungiro uber meiſtar*, non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum. Vox pure Francica, & a Francis nobis relicta. Nam Gothi diſcipulum vocant *ſponeis*, Luc. VI. 40. quaſi ſectatorem, ab ἅπω ſequor, adſpiratione in ſibilum converſa, judice JUNIO, quamvis ſecus ſtatuentibus MARESCHALLO & STIERNHIELMIO: Angloſaxones *leorning-cnibt*, quaſi ſervum doctrinæ, in innumeris Evangeliorum locis: Alamanni *diſco* interprete KERONE, quaſi diſcentem. Hodie non utimur niſi in foro Theologico. An plures Linguæ nomen diſcipulis a viridi ætate decreverint, aliis inveſtigandum relinquo.

JUNGFER. V. *jungfrauw*.

JUNGFER, interdum vituperatur. Vide *merch*.

JUNGFRAUW, virgo, puella. Corrupte *jungfer*. WILLERAMUS Cap. I. 3. *vone diu minnont dih die iunkfrouuon*, propterea amant te puellæ. Vi compoſitionis *juniores domicellæ*.

JUNGLING, *jüngling*, adoleſcens, juvenis, junius. Angloſaxonibus *iungling*, Marc. XIV. 51. & alibi *geonling*. Apud Francos hactenus non occurrit. Germanis conſentiunt Angli & Belgæ. Cuncta ab adj. *jung* novus ætate, per terminationem *ling*, quæ qualitati ſubjectum tribuit. Gothi juvenem vocant *juggalaud*, quam vocem explicavi in *leut* homo. Cambri eundem vocant *jevange* vel *jefangc*, apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. p. 178. Armorici *jovanc* vel *jovangc*, apud PEZRON. in Ant. Celt. pag. 394. alia terminatione, eodem ſenſu ut Germani.

JUNGST, *jüngſt*, noviſſimus, ultimus, extremus. Angloſaxon. *geongeſt*, Franc. & Alam. *iungiſto*. Gloſſ. Keron. ultimus *iungiſto*, ultima *iungiſta*, in ultimo *in iungaſtin*, in ultimo gradu *in dero iungiſton ſteti*.

JUNGST, *jüngſt*, poſtremo, noviſſime. Gloſſ. Keron. ad ultimum *za jungiſt*, demum *az jungiſt*. TATIANUS Cap. CLXXXIX. 3. *zi iungiſton quamun zuene lugge urcundon*, noviſſime venerunt duo falſi teſtis.

JUNKER, contractum ex *junger herr*, junior domicellus, literis G. & H. in K. coaleſcentibus. Hodie tribuitur nobilibus tantum atque patritiis, ſed avorum memoria etiam Ducibus, quod pluribus demonſtrat Cl. ESTOR in Obſerv. ad Comment. Glaf. pag. 27. nec non Cel. SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 498. Nam fuit aliquando tempus, quo Principes titulis a juvenili ætate deſumptis unice delectarentur, adeo ut ne *pueri* quidem nomen reſpuerent. Hinc *puer* non ſolum de hærede regni, ut *puer Apuliæ*, ſed de ipſo etiam Rege & Duce honoris gratia dicitur, ut probant formulæ *Rex puer* & *Dux puer* apud CANGIUM in voce *Infantes*. Quos videntur imitati Principes Germaniæ in titulo affectato *Junker*. Nam hunc Principes compellandi morem aliunde veniſſe, nec in ſinu Germaniæ antiquæ natum, colligitur ex iis, quæ dixi in *Elterman*.

JUPPE, ſupparus, veſtris talaris mulierum, olim etiam monachorum, Latino-Barbaris *jupa*, *zupa*, apud CANGIUM, Scandis antiq. *biup*, Gallis *juppe*, *juppon*, Italis *giubba*, *giubbone*, Hiſpanis *aljuba*. VEREL. in Ind. *biup*, chlamys. An ab *hup* femur, quaſi femorale? Dubito. Videtur potius a Mauris in Hiſpania proſeminatum. Nam in Lexico Coptico Arabicum *giubba* exponitur per ἐπωμὶς, i. e. chlamys, obſervante MENAGIO in voce.

JUWEL, gemma, monile, & omnis ornatus ex lapide pretioſo. Angl. *iewel*, Belg. *juweel*. Sic dicitur quaſi *guwel*, a Gr. κειμήλιον, mutato M. in W. literam congenerem. De affinitate harum literarum vide *Proleg.* Sect. II. de permutatione Sect. III. Auctor elegantiſſimæ etymologiæ eſt GUL. OTHO REIZIUS in *Belga Græciſſante*. Latino-Barbari *jocalia* vocant, quaſi *jogalia*, manifeſta Germanicæ vocis imitatione, mutato W. in G. & poſtea G. in C. & non a Lat. *jocus*, ut SALMASIUS (quamvis multorum applauſu) jocatur. Vox Hiſpanica *joyel* in vitio jacet, & multo magis Gallica *joyau*. Utraque depravata eſt a Germ. *juwel*, illa per ſyncopen, hæc per ſyncopen & apocopen. A *juwel* porro eſt *juwelier*, & mutato W. in B. *jubelier*, gemmarius, gemmati operis artifex, qui Latino-Barbaris *jocularius*.

K.

KACHEL, cacabus, vas fictile. Diminutiv. ab obſoleto *kauch* vas cavum, cujus antiquitatem infra oſtendo. Niſi forte acceptum ſit a Gr. κόχλω roto. Fit enim rotando, nec aliter fieri poteſt. Ob ſimilitudinem transferri cœpit ad cubos teſtaceos fornacis, quia tam cavitate quam materia cacabos referunt. Inde compoſita, *kachel-ofen* fornax teſtacea, *ofen-kachel* teſta fornacalis. Sorabi a Germanis habent *kachli* fornax, *kachla* teſta fornacalis. Græcis κόχλος eſt omnis teſta.

KÆFER, ſcarabæus. Gloſſ. Ælf. bruchus *ceafor*. Gloſſ. Lipſ. *kevera* bruchus. Gloſſ. Schilt. *chever*, *ſinchever* bruchus (ſcarabæus ſolaris). STADENIO in Voc. Bibl. ſic dicitur a magnitudine mandibulæ, quæ Germanis inferioribus *kyf*. STILERO *kaubern* eſt

eſt maſticare, & difficulter mandere, ut edentuli ſolent, & inde *kæfer* infectum omnia arrodens & abrodens. Alii vocem flectunt a Gr. κάραξος per metath. ut ejusdem originis ſit cum Lat. *ſcarabæus*, quod eſt a σκώρ ſtercus. Si Græca origine opus ſit, malim a κόπρος ſtercus, unde Græcis κοπρώνες ſcarabæi, quod ſtercoreas pilas provolvant.

KÆFIG, cavea, carcer avium. Diminutiv. a *kofe*, quod vide.

KÆLE, fauces. V. *kele*.

KÆLTE, frigus. V. *kalt*.

KÆMMEN, pectere. V. *kam*.

KÆMPFEN, certare. V. *kampf*.

KÆS, caſeus. Cambris *caws*, Hiſpanis *queſo*. KERO habet compoſitum *chaſeuuazzar* ſerum, aqua caſei. Sicut Romanis Græcisque butyrum diu fuit ignotum, ita viciſſim Barbaris caſeus. PLINIUS Lib. XI. cap. 41. *Mirum Barbaras Gentes, quæ lacte vivunt, ignorare aut ſperuere tot ſæculis caſei dotem, denſantes id aliquin in acorem jucundum, & pingue butyrum.* Hinc conjicere licet, rem & nomen rei a Romanis ad Germanos æque ac Britannos pervenisſe, citius quidem ad Germanos (hos enim lacte, caſeo, & carne vivere, diſerte teſtatur CÆSAR Lib. VI. de B. G.), ſerius ad Britannos, quos ætate Cæſaris nondum caſeo frequenter uſos eſſe, clariſſime apparet ex STRABONIS verbis L. IV. Geogr. *Moribus partim ſimiles Celtis, partim ſimpliciores & magis barbari, adeo ut nonnulli, quamvis lacte abundent, caſeum tamen non conficiant propter ignorantiam.*

KÆTE, arca. Vox Lipſienſibus propria, quam vide infra in *kôte*.

KAFF, palea. Perſis *khab*, Angloſax. *ceaf*. Angl. *chaffe*, Belg. *kaf*. Evang. Angloſax. Matth. III. 12. *tha ceafu he forbernth on unadwæſcendlicum fyre*, paleas comburet igne inextinguibili. Refer ad *kavo* vacuus, iners, levis. Eſt enim folliculus ſine grano. De Perſica voce vide Præf. ad Germ. §. XVII.

KAISER, imperator. Vox ab omnibus veterum Dialectis agnita & uſurpata. Hinc *Edictum ab Auguſto Cæſare* publicatum, Luc. II. 1. Gothis dicitur *gagrefts fram Kaiſara Agustau:* Angloſaxonibus *gebod fram tham Cæſare Auguſto:* TATIANO Franco *gibot fon themo aluualten Keiſare*, Cap. V. 11. Nomen proprium Jul. CÆSARIS, Monarchiæ Romanæ conditoris, Auguſto primum adoptione, & deinde omnibus vel in Familiam Auguſtam & regnatricem, vel ad imperii communionem adoptatis communicatum: Tandem poſt devolutum ad Francos Germanosque Romanum Imperium omnibus Imperatoribus tributum. Præſtat hoc fateri, quam cum viro doctiſſimo GERARDO MEIERO, Theologo quondam Bremenſi, nomen ab eligendo repetere. Quamvis enim *kieſen* pro eligere, in omnibus veterum Dialectis obvium ſit, & non ſolum priſcis illis adoptionibus, ſed etiam ſecutorum temporum electionibus pulchre conveniat, & nihil omnino obſtet, quo minus omnis, qui ſucceſſorem ſibi ſtatuit, appelletur *kieſer*, h. e. electior: fieri tamen non poteſt, ut eodem vocabulo afficiatur is, qui ab alio ad hanc dignitatem electus eſt, quales ſunt hodie Imperatores, qui eliguntur, non eligunt. Quodſi origo Germanica quærenda eſt, rectius deducetur ab *beiſſen* mandare, imperare, quod Sorabis effertur *kaſu*. Hoc enim & Imperatori convenit, & dignum majeſtate ejus nomen eſt. Ejusmodi linguæ Germanicæ obſequia in vocibus exteris explicandis, plura deprimere poſſem, niſi ab inſtituto meo eſſent aliena.

KAISERLICH, cæſareus, imperatorius. SOMNER. in Dict. Angloſax. *caſerlic* imperialis. Gloſſ. Pez. Decretum imperatorium *cheiſarlibba pimeinida*.

KAJUTE, cubile nauticum. V. *kojute*.

KAL, glaber, depilis. Perſis *kal*, Angloſax. *calo*, *calu*, Francis *chalo*, *chalauuer*, Lat *calvus*. Gloſſ. Pez. calvitium *chalauui*, decalvavit *gichalauuit*, recalvaſter *uochalauuer*. STIERNHIELMIO cognatum videtur cum *hæl* lævis, lubricus, & cum illo convenire in radice *glüen* ſplendere, in Gloſſ. Ulph. Goth. pag 73. Promptiorem & expeditiorem etymologiam præbet vox Perſica & Latina, quam videmur imitari. Allegorice dicitur de parco, tenui, egeno. Inde *kalmeuſer* calvaſter, i. e. pauper, qui non habet unde veſtem mutet, a *muten* variare.

KALAND, calendæ, ſocietas quædam religioſa Sæc. XIII. in ſinu Germaniæ nata, *kaland-brüder* fratres calendarum, *kalandgilde* fraternitas calendariorum, *kaland-güter* bona fraternitatis. Plerisque videntur nomen adepti a convocatione. Nam vocare Græcis eſt καλεῖν, Latinis *calare*, Islandis *kala*, Angl. *to call*, Suec. *kalla*, & *kallande* vocativus. Poſtea vox a ſocietate ad ſynodos & conventus ſocietatis, imo etiam ad domos & ædificia ſocietatis translata eſt. Berolini etiamnum eſt domus quæ *kalende* vocatur. In qua appellatione nihil inſolens. Jam enim apud Romanos non ſolum conventus ſacros & civiles, ſed etiam ipſa conventuum loca a *calendo* appellata eſſe conſtat. Inde *Curia Calabra*, quod omnis juxta eam populus vocaretur, ut ſcribit MACROBIUS Lib. I. Saturnal. cap. 15. Et *calata Comitia* collegium Pontificum, vel regis ſacrorum vel flaminum inaugurandorum cauſa convocatum, apud GELLIUM Lib. XV. cap. 27. Quo minus mirum videri debet, ſi eadem vox noſtris quoque Fratribus eodem ſenſu placuit. Conveniebant autem ſingulis, ut ferunt, *Calendis*, quæ res multis ſuſpicionem movit, tanquam nomen illis inde adhæſerit. Inſtitutum ab initio parum aut nihil habuit criminis: Poſtea vero degeneravit in convivia & compotationes. Inde verbum natum *kalendern* bacchanalia vivere, cujus meminit Cel. PAULLINI. Viget adhuc ſubſtantivum in quibusdam locis,

ubi Synodi & Conſiſtoria *Calandia* vocantur. De Societatis hujus ortu & interitu multi multa ſcripſerunt', TENTZELIUS, BECMANNUS, FELLERUS, CALVÖRIUS. Sed inſtar omnium eſt R.D. BLUMBERGIUS in opuſculo Germanico *Abbildung des Kalandes*.

KALB, fœtus. Refer ad *kalben* fœtare. Dicitur enim ſenſu latiſſimo de genere bovino, cervino, caprino, cetario, præcipue in compoſitis, cujusmodi ſunt, *kuh-kalb* vitulus vaccæ, *birſch-kalb* hinnulus cervæ, *reh-kalb* hinnulus capreæ, *meer-kalb* vitulus phocæ, proprie marinus. Quæ certe idoneo ſenſu dici non poſſent, niſi in notione fœtus convenirent. Poſtea ſenſus ab audacibus translatus eſt (1.) ad ea quæ fœtui ſimilia ſunt. Inde *monkalb* mola, moles carnea in utero mulierum. (2.) ad ea quæ non partu ſed vomitu eduntur. Inde *kalb* vomitus, *kalb machen* cibum vomendo reddere.

KALB, vitulus. Angloſaxon. *celf*, Luc. XV. 27. item *calf*, *cælf*, *cealf*, Francis & Alam. *chalp*, Belg. Suec. & Angl. *kalf*, *calf*. Gloſſ. Pez. paſcualem vitulum *vaſal chalp*. ISIDORUS circa finem: *chalp ſona dheru ſudeiſchun euu*, vitulus de circumciſione. Veteres Gallos vitulum *galba* appellaſſe, multi tanquam a SUETONIO traditum arripiunt, quamvis ille non vitulum, ſed hominem præpinguem Gallis ita vocari innuat. Vide *galb* pinguis. HELVIGIO eſt nomen Hebræum, ab *alluph* bos, per proſthefin factum: MARTINIO Græcum, ex γάλα & βῶς compoſitum. Sed revera nihil aliud eſt quam fœtus, & dicitur de fœtu vaccæ per ſynecdochen generis.

KALBEN, fœtare, fœtificare. Apud SOMNERUM *calfian* exponitur *fœtare* & *vitulum edere*. Sed fœtare eſt prius & generalius, & reliquorum agmen ducit, primo quidem fœtuum in genere, poſtea vitulorum in ſpecie. Ipſum vero probabiliter oritur a κοιλία venter, per medium derivandi antiquum *wen*, & primo fuit *kalwen*, poſtea mutatis labialibus *calfian* & *kalben*. Quid enim eſt fœtare, niſi ventre edere? De particula *wen* vide *Proleg.* Sect. VI.

KALBEN, vitulum edere. Angloſaxon. ut ſupra, Belg. *kalven*. A *kalb* vitulus.

KÆLBERN, vitulum edere. Frequentativ. a *kalben* ejusd. ſignificatus.

KÆLBERN, laſcivire, procaciter ludere, lætitia exilire, *kælberhaftig* ludibundus, petulcus. A moribus vituli, ut *vitulari* apud Latinos. FESTUS: *Vitulans lætans gaudio, ut prato vitulus.* Pſal. XXIX. 6. *ut exſiliant ſicut vitulus.*

KALCH, *kalk*, calx. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *calch* calx, creta. Gloſſ. Pez. paries dealbata *gichalchtiu mura*. MARTINIO judice e Lingua Lat. in reliquas manavit. Plures, inquit, Linguæ eam vocem retinent, ut nobis *kalck* vel *kalch*, Angl. *chalke* (quod & creta eſt), Ital. *calcina*, Hiſp. *cal*, Gall. *chaux* pro *chaulx*.

KALDAUNEN, exta, inteſtina. Cambris *coludd*. Videtur per ſyncopen ortum e Gr. κοτυληδών, quo omne cavum ſignificatur. Ita vocem explicat. HENISCH. in Theſ. L. Germ.

KALMEUSER, quid ſit, vide in *muten* mutare. Origines Hebræas qui deſiderat, adeat HELVIGIUM.

KALMUS, juncus aromaticus. Plerisque venit a Lat. *calamus*. Et favet conſuetudo, quæ *calamum aromaticum* vocat. ECCARDUS in Diſſert. de Uſu & præſtantia ſtudii Etymol. in Hiſtoria, vocem a *Calmuccis*, gente Tartarica, derivat, tanquam res ab illis ad nos venerit: Sed in fine Diſſertationis ad *calamum* revertitur.

KALT, frigidus. Goth. *kald* Matth. X. 42. Angloſaxon. *ceald*, Franc. & Alam. *chalt*, Belg. *koud*, Angl. *cold*. A *külen* algere. Convenit Lat. *gelidus*.

KÆLTE, frigus. Goth. *kald* Joh. XVIII. 18. Angloſaxon. *ceald* ibid. & alibi *ciele*, *cyle*, Franc. & Alam. *chalti*. Gloſſ. Pez. frigore *chalti*. VEREL. in Ind. *kuldi* frigus. Refer ad eundem fontem. Affinia cenſentur Chald. *gelid* gelu, Græc. κύλλη pruina, & Lat. *gelu*.

KAM, mucor. V. *kaum*.

KAM, cereviſia. V. *bier*.

KAM, manus. Significatum pridem ſopitum primus inſtauravit ECCARDUS ex Lege Salica, Tit. XXIII. 1. ubi *cham* haud obſcure ponitur pro manu. Huic voci tantam tribuit antiquitatem, ut ex illa proveniſſe putet primo *han*, & deinde *hand*. Ipſum vero *cham* derivat a Græc. κάειν vel *hauen* ſcindere, ob inciſuras manus. Veritatem ſignificatus evincit (1.) quod eadem vox tribuitur omnibus rebus, quæ ſimiles manui habent inciſuras, pectini, criſtæ &c. (2.) quod inde manifeſto derivantur *cambium* ſubſcriptio manus & permutatio, *cambire* permutare, de manu in manum tradere, unde Italis remanſit *cangiare*, & ab illo Gallis *changer* judice ECCARDO. (3.) quod manus ob eandem cauſam vocatur *tatze*, ut vidimus in loco. Hodie *kam* ceſſat. Superat tamen in derivatis, *kæmpfen* certare, *bekommen* accipere, quæ certe originem ad manum referunt.

KAM, pecten. SOMNER. in Dict. Angloſax. *camb* pecten. Gloſſ. Keron. pecten *conap*, pecten *canpo*. Senſus a manu, antiquiore illo & naturali pectine, quo paupertas uti ſolet, & prima temporum ſimplicitas haud dubie uſa eſt, ad pecten arte factum, & manui perſimile, translatus.

KAM, criſta, *banen-kam* criſta galli. Gloſſ. Keron. criſta *hanencamp*. Quia pectinis inſtar ſerrata.

KAM, apex, *helm-kam* conus galeæ. Gloſſ. Ælf. pag. 63. criſta *helmes camb*. Quia cacumen galli videtur referre.

KAM, ſcapus, unde acini dependent, cujus ramuli digitis fiſſis ſimiles ſunt.

KAM,

KAM, juba equina. V. *kæmmen.*

KÆMMEN, comere. Utrumque a *kam* pecten. Inde cæſaries Græcis κόμη, Latinis *coma*, quia pectitur. A *kæmmen* ruſus fit *kam* juba equina.

KAMRAD, rota quædam dentata, ab inciſuris, quas in circuitu habet, ſic dicta.

KAMER, *kammer*, camera, καμάρα. Gloſſ. Keron. cellam hoſpitum *chamara diro keſteo.* Gloſſ. Pez. archivo *puoch-chamaro.* Oritur a *camurus* curvus. VIRGILIUS Georg. 3.

- - camuris hirtæ ſub cornibus aures.

SERVIUS: *Camuris, curvis, unde & cameræ appellatæ ſunt.* Et obſervat ISIDORUS, urbem Piceni præclaram CAMERINUM a curvitate ſitus ita appellatam eſſe. Sed unde Latinis curvus dicatur *camurus*, philologi ignorant. Veroſimile eſt, Latinos eam vocem ab Umbris accepiſſe ut plures alias, quæ poſtliminio novis terminationibus affectæ ad Celticos populos redierunt. Nam Celtica lingua *camm* eſt curvus, & *cammu* curvare. Prius a Cambris, poſterius ab Armoricis etiamnum cuſtodiri, teſtis BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. Ergo *camera* vi originis erit opus fornicatum, aut ſimilis ſtructura. Hic primus vocis ſenſus, qui poſtea privatim ad omnia ædium loca ſecreta & ſeparata, cellas, cœnacula, dormitoria, publice ad conclavia rationum & tribunalia Principum, translatus eſt. Et hactenus *camera* erat ſtructura artificialis. Poſtea vero ad ſtructuram humani corporis ejusque cellas vox aptari cœpit. Inde *herzkammer* præcordia.

KAMPF, pugna. A *kæmpfen* pugnare. Dicitur antiquitus (1.) de bello ſeu expeditione bellica. SOMNER. in Dict. Angloſax. *camp*, *comp* bellum, caſtrum, *camp-hade*, *comp-hade*, *camp-dom* militia, *comp-werode* milites, exercitus. Gloſſ. Keron. militia *chamfheit.* Inde Gallis *campagne* expeditio bellica. (2.) de pugna exercitus cum exercitu. Inde Armoricis *camp* pugna, apud PEZRON. in Ant. Celt. pag 430. & Cambris *cammon*, *cammawn* prælium, pugna, conflictus, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. (3.) de duello, ſeu vindicta privata. Extat eo ſenſu in Jure Prov. Alam. cap. 386. cujus inſcriptio: *ditz iſt uon kamphe*, hoc agit de duello. Inde Italis *campo* duellum. Et huc ſpectat ex Decreto Taſſilonis §. 6. *camfwic* duellum, a *wig* bellum, quaſi bellum contentionis & vindictæ privatæ. (4.) de certamine ludicro. Inde Cambris *campau* ludi, quales Olympici, apud Boxh. loc. cit. Latini inferiores eodem & latiſſimo ſenſu dicunt *campus.* Sagarum vero Scriptores utuntur ſyncopato *kapp*, quod vide apud VEREL. in Ind.

KÆMPFEN, pugnare, militare, præliari, ſenſu latiſſimo. Armor. *campa* apud PEZRON. loc. cit. Angloſax. *campian*, Alam. *chemfan*, Lat. Barb. *campire.* Gloſſ. Keron. militare *chemfan*, militans *chamffanti*, militanda ſunt *ze chamfanne ſint.* Cuncta a *kam* manus. Quemadmodum enim Græcis a μάχη manus, recte & decenter derivatur μάχεσθαι dimico, Latinis a *vola involare*, a *pugnus pugnare:* Ita Germanis a *kam* manus, telo hominis naturali, & antiquiſſimo belli tam publici quam privati inſtrumento, venuſte deducitur *kæmpfen*, pugnandi & certandi ſignificatu. Labiales M. P. F. ſe mutuo attrahunt. Et huic ſenſui progenerando vox Germ. longe idonior eſt Hebræa *caph* manus cava, quæ litera M. in medio deſtituitur. Simile derivatum vide in *fechten.*

KÆMPFER, pugnator. Dicitur antiquitus (1.) de milite. Hinc miles Angloſaxonibus vocatur *cempa* Luc. III. 14. Francis *chempho.* Gloſſ. Pez. tiro *chempho.* TATIAN. Cap. XIII. 18. *fragetun in tho thie kemphon*, tunc interrogabant cum milites. (2.) de gladiatore. Gloſſ. Iſid. *campiones* gladiatores, pugnatores. (3.) de duellatore. Hinc duellator Latino-Barbaris appellatur *campio*, Italis *campio*, Gallis *champion.* Non quod in *campum* deſcendat pugnandi cauſa, quaſi a loco nomen adeptus, ſed quod cum adverſario arma manusque conferat, a *kæmpfen* dimicare.

KAN, mucor. V. *kaum.*

KAN, adject. vetus, generatim *cavum & cavatum cum longitudine quadam* ſignificat. Ita STILERUS in Theſ. L. Germ. Quod ſi verum eſt (vereor autem ut per conjecturam hoc ſcripſerit), commode inde derivari poſſunt,

kan ſcapha, arbor cavata, Hiſp. *canoa*, Gall. *canot*, item *canna* pro genere navis apud JUVENALEM, & *canna* pro arundine.

kanne cantharus, vas oblongum, Ælfrico in nominibus vaſorum *canne*, quod imitantur Latino-Barbari in *canna*, apud CANGIUM.

kanon machina bellica, Italis *canna di ferro* tubus ferreus. Niſi ſit a Gr. κανίον occido.

kaneel cinnamomum, arundo aromatica, Ital. *canella*, Græc. inf. καυέλλα.

kanal receptaculum aquæ, Lat. *canalis.*

Quæ certe in notione longitudinis & cavitatis conveniunt. Sed qua lingua *kan* id ſignificet, quod STILERUS voluit, reſtat adhuc inquirendum.

KANKER, aranea. Tria ſunt aranearum genera. Primum genus non texit. Alterum exiguas telas præpandit angulis parietum, aut cavernis in terra. Tertium ſtamina ducit in aëre, facitque rete ſcutulatum, tanta arte & ſubtilitate, ut merito ſuo appelletur *genus erudita operatione conſpicuum*, a facundiſſimo rerum naturalium præcone PLINIO Lib. XI. Cap. 24. Hoc genus exiſtimo a noſtris vocari *kanker* per apocopen, a toto *kanker-ſpinne* aranea cancellati operis artifex. Nam *cancrum* antiquis cancellum & reticulatam ſtructuram denotaſſe, ex FESTO probat MARTINIUS in voce.

KANT, ora, margo, extremitas rei, ſive in circulum, ſive in angulum definat. Alia

tamen eſt etymologia circuli, alia anguli, alia oræ.

KANT, orbis, circulus. Cambris *cant* eſt orbiculus, circulus, Græcis κανθὸς circulus ferreus, qui rotam ambit, Latinis *canthus* ferrum quo rotæ vinciuntur, quam vocem ex Africa oriundam eſſe ſcribit QUINTILIANUS. Cambricam vocem cum reliquis ſiſtit JUNIUS in Obſ. ad Will. pag. 194. CANTIUM in Britannia a rotundo litoris ambitu veteribus ſic nominatum eſſe, exiſtimat BAXTERUS in Gloſſ. Ant. Brit. pag. 66. Hodie dicitur KENT, olim *Cant*. Inde *Cant-wara-byrig* Cantuaria, Cantianorum burgus, apud SOMNER. in Dict. Angloſax. Cuncta fortaſſe ab Heb. *chne* curvare.

KANT, angulus. Græc. γωνία, Belg. *kant*, Ital. *canto*, Gall. *coin*. Græcis κανθὸς eſt angulus oculi. Et miratur FERRARIUS, ab oculi parte angulos omnes ita appellatos eſſe. Sed hæc admiratio non habet locum. Nam angulus dicitur *kant* a κεντέω pungo, quia in cuſpidem deſinit. Si Græci angulum oculi eodem nomine deſignant, haud dubie ad lineas concurrentes reſpexerunt.

KANTON, ora, regio, provincia. Duci ſolet a *kant* circulus: nec incommode, quia diſtrictus ſolent vocari *kreiſe*, h. e. circuli. Sed fortaſſe rectius habetur pro pago ex centum villis compoſito, ſive appellatio orta ſit a Lat. *centena*, ſive a Britannica voce *cant* centum. Confer dicta in *hundert* centum. A *kanton* Galli habent *cantonner*, in oram regionis alicujus ſe recipere.

KANTZEL, ſuggeſtus. A *cancellis*, ſive ſeptis, quibus clauditur.

KANTZLER, cancellarius, miniſter a cancellis. *Cancelli* autem dicebantur ſepta curiarum, eum in finem facta, ne jus dicentes, aut epiſtolas regias recitantes, a populo premerentur. Prima *cancellarii* mentio occurrit apud VOPISCUM in *Carino*, qui floruit circiter A. C. 287. ſed humilis, & parum magnifica. Poſt alterum vero ſæculum in immenſum crevit hæc dignitas, quam fuſe & eleganter deſcribit CASSIODORUS Variar. Lib. II. formula 6. Primo autem erat *ſecularis* poſtea *eccleſiaſtica*. Rationes reddit Cl. ESTOR in Commentario de Miniſterialibus pag. 37. his verbis: *Quemadmodum Regibus Francorum moris erat, in Capella regia Monimenta Regni & Diplomata depoſita cuſtodire: ita hoc Clero anſam ſuppeditavit, Cancellariam ad ſe trahendi, quod quidem ipſis eo magis ex ſententia ceſſit, quo Clerici tunc temporis fere ſoli litteris bonis erant imbuti. Nec hoc ita in Francia ſolum, ſed & de Anglia ſua idem probat Spelmannus, Archivum fuiſſe conditum in Capella. Ex quo fiebat, ut Archicapellanus ſimul Cancellarii munus adminiſtraret.* Cum vero in Francia Orientali tres eſſent Metropoles Eccleſiaſticæ, *Moguntina*, *Colonienſis*, & *Trevirenſis*, & in quavis Metropoli Capella Regia, cujus Archicapellanus erat ipſe Metropolita; hinc intelligitur, quibus ex cauſis Archiepiſcopi Germaniæ tres præcipui, Moguntinus, Colonienſis, & Trevirenſis, Cancellarii dignitatem fuerint conſecuti. Horum quisque lapſu temporis peculiarem adeptus fuit cancellariatum, & Eccleſiæ ſuæ proprium, Moguntinus per Germaniam, Colonienſis per Italiam, Trevirenſis per Galliam. Quæ cum ab hoc loco aliena ſint, ſciendi cupidos ad Diſſertationem V. C. JOH. JACOBI MASCOVII *de Originibus Officiorum Aulicorum S. R. I.* remittimus. Hodie iſta dignitas ab Eccleſiaſticis ad Sæculares rediit, ſaltim inter Proteſtantes. Cæterum de variis *Cancellariorum* generibus, appellationibus, & officiis, conſuli poſſunt SPELMANNUS & CANGIUS in Gloſſariis.

KAPAUN, capo. Vide *kapp-han*, quod rem & affectionem rei melius exprimit.

KAPFEN, *köpfen*, ſcindere, ſecare, amputare. BROCKS irdiſch. Vergnüg. in Gott pag. 474. part. 2. *man radet unkraut aus, man köpft die ſchlanken weiden*. Factum ab antiquiori & ſimpliciori *kappen*, quod vide.

KAPPE, tegumentum. Gloſſ. Pez. operimento *chappa*. Idem Græcis σκέπη, a σκέπω tego. Cuncta ab Heb. *chapha* tegere, operire, judice MARTINIO. Hic primus vocis ſignificatus, a tegendo, uti patet, defumptus, & antiquitus omnibus corporis tegumentis, fœcularibus & ſacris, virilibus & fœmineis, communicatus. Quod nunc per inductionem oſtendam, facto a capite initio.

KAPPE, tegumentum capitis. Dicitur antiquitus primo de mitra, quæ hemiſphærii inſtar verticem tegit. Inde Latino-Barbaris *capellus*, a diminutivo *keplein*. Secundo de pileo. Hinc pileus Cambris dicitur *cap*, *cappan*. Angloſax. *ceppe*, Gallis *chapeau*. Tertio de galero. Inde Græcis καπάη, quod apud HESYCHIUM exponitur galea e pilis. Nugantur, qui hæc & ſimilia a *capite* vel *capillis* deducunt.

KAPPE, velamen capitis, ſive tunicæ aut chlamydi aſſutum ſit, ut olim, ſive a reliquo veſtitu ſeparatum, ut hodie. Græcis inf. κάπα, κάππα, Latino-Barbaris *capa*, Gall. *chape* & *chaperon*, probante CANGIO ex Hiſtoriæ fabuloſæ Scriptoribus Gallicis. Eodem obſervante, Manfredus quidam *Capa & refugium infidelium & malignantium* dicitur, quod apud illum deliteſcerent, tanquam ſub capa, quæos vultumque tegit. Inde compoſita, *nebel-kappe* tegumentum magicum, caput obnubens, & geſtantem aliorum conſpectibus ſubducens, *flor-kappe* peplum ex nebula lintea. Imo etiam *kappe* ſe ſolo ſæpe velamen fœmineum ſignificat. A *kappe* eſt *verkappt* larvatus.

KAPPE, cucullus, veſtis monachalis, olim ſine manicis, nec ad talos demiſſa, ſed caput tantum humerosque tegens. Angloſaxonibus *ceppe* apud SOMNERUM, Latino-Barbaris *capa*, & diminutive *capella*. PAPIAS: *Cucullus, genus veſtis monachalis, quam Capam*

Capam dicimus. De diminutivo vide CANGIUM in voce, & de interdicto manicarum uſu eundem in *capa*. Hodie utimur compoſito *münchs-kappe*.

KAPPE, chlamys, veſtis ſacerdotalis. Angloſaxon. *cæppe*, Lat. Barb. *capa*. Hodie chlamys ſacerdotalis in quibusdam Germaniæ locis dicitur *chor-kappe*, a choro, ubi præcipuus ejus uſus.

KAPPE, ſagum, paludamentum, caracalla, veſtis militaris. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *cappa* caracalla. Forte ſicut nomen Gallicum adhæſit imperatori ANTONINO CARACALLÆ, ita Francicum HUGONI CAPETO, tertiæ ſtirpis regiæ in Francia conditori. Nam Occitani etiamnum *Capetos* vocant ruſticos, qui cappis caput tecti incedunt, memorante CANGIO. Sed nihil definio, quia alia Dialecto *capeto* ludificatorem ſignificat, quod in hunc Principem non minus quadrare videtur. Vide dicta in *gapen* illudere.

KAPPE, veſtis urbana utriusque ſexus, alias tunica, pallium, induſium, mantile &c. Perſis *capyris* eſt tunica manicata, apud POLLUCEM Lib. VII. 13. HESYCHIO καππάτια ſunt γυναικεῖα ἱμάτια, fœminea indumenta. Latino-Barbaris *capæ* ſunt pallia & talares, & veſtes viris fœminisque communes apud CANGIUM in voce. In Indice VEREL. *kappa* exponitur pallium. Italis *cappa* dicitur pallium muliebre, quali utuntur Venetianæ, teſte FERRARIO. Hanc *capam* ISIDORUS ſic dictam ſcribit, *quod quaſi totum hominem capiat*, Lib. XIX. Originum Cap. 31. Sed nova etymologia opus non eſt, cum ratio nominis ex prima ſignificatione abunde eluceſcat.

KAPPEN, cædere, ſecare, præcidere. Belgis *kappen*, Angl. *chippe*, Gall. *couper*, Latino-Barb. *capulare*, & præpoſito ſibilo *ſcapellare*. Græci eodem ſenſu dicunt κοπτέω, & in Aoriſt. ſec. κοπῶ. Inde Perſis *copis* gladius non punctim ſed cæſim feriens: Græcis κοπὶς falx, gladius, bipennis, ἀκινάκης truncatio: Æolibus σκίφος gladius: Latinis *capo* gallus cui teſtes præciſi, *caper* quaſi præciſor, quod virgulta carpat maleficum frondibus animal: Angloſaxonibus *cyp* trabs, lignum dolatum: Belgis *kap-mes* culter inciſorius: Anglis *chip* aſſula, ſegmentum ligni, *chip-ax* aſcia: Germanis *kipper* mutilator monetæ. Gallis *coup* ictus, fruſtum, *cep* ſarmentum, pars reſecta vitis, alias palmes & propago. Et huc etiam ſpectat *cipp* truncus arboris, vox antiquo-Gallica apud CÆSAREM. Litera K. in aliis quoque vocibus ſimiles mutationes obire ſolet.

KAPP-HAN, gallus caſtratus. Armor. *cabon*, Angloſaxon. *capun*, in Gloſſis Æl-frici, Belg. *kapoen*, *kapuin*, Gall. *chapon*, Gr. inf. κάπων, Lat. *capo*. Primus e Latinis, quantum ſcio, MARTIALIS *caponem* nominavit: PLINIO tacente, qui vocem illam ut barbaram videtur repudiaſſe. Vox Germanica, quæ cæteris clarior & melior, a caſtratione delumpta eſt. Caſtrantur autem Galli, non lumbis aduſtis candente ferro, ut PLINIO perſuaſum, ſed teſticulorum præciſione. Et hinc illis nomen a *kappen* præcidere, amputare.

KAR, verbale a *keren*, vertere, ſignificat quantum poteſt, *verſuram* & *vices*. Angloſaxones utroque ſenſu dicunt *cerre*.

KAR, cura, ſtudium ſerium. Evang. Goth. Joh. X. 13. de mercenario: *ni kar iſt ina thize lambe*, non habet curam ovium. Originem & conſenſum Linguæ Celticæ & Saxonicæ vide in *kur* ejusd. ſignificatus.

KAR, ſollicitudo, cura anxia, & omnis affectus ex triſtitia ortus. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *cara*, *carc* cura, *caran* ſollicitum eſſe, *cearig*, *carfull*, ſolicitus &c. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *car* odium, livor.

KAR, querimonia, luctus. Refer ad *keren* queri. Inde Francis *charalib* luctificus. Gloſſ. Pez. lugubre *charalih*. Metonymice eſt dies luctus. Inde *chara* feralia, dies luctuoſus quo damnatus ad mortem ducitur, quam interpretationem debemus R. D. DIECMANNO in Spec. Gloſſ. R. Mauri pag. 122.

KAR, ſenſu forenſi eſt accuſatio, ſeu querela actoris. VEREL. in Ind. *kiera* accuſare, actionem inſtituere, *kerande* actor, *keramal* cauſa, lis, *kieror* querimoniæ, lites. NOTKERUS Pſal. 50. ab init. *diſer Salmo uuas Davidis chara*, hic Salomo erat Davidis accuſatio.

KAR, ſatisfactio, emenda, mulcta. Vox infimo ævo nata, a *keren* emendare.

KAR, amicus, adjective & ſubſtantive. Vox Celtica, quæ Armoricis effertur *car*, Islandis *kiar*, Gall. *cher*, Lat. *charus*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *car* amicus antiquis, idque recte, & ſic Arm. nobis conſanguineus, cognatus, ſignificatione uſu translata, quia cognati plerumque amici, *cares* amica antiquis, & ſic Arm. *carant* amici, conſanguinei. VEREL. in Ind. *kiar* amans. Inde Suecis *kære* amo, amabo, *kær*, *kærkomen* acceptus, amicus, dilectus, charus, *kærlek* amor, charitas, *kærliga* amanter, Gallis *careſſe* blandimentum, *careſſer* blandiri, comiter & amanter excipere, quod imitamur in *kareſſieren*. Cuncta fortaſſe a *geren* (Alamannice *keron*) cupere, quia amicis bene cupimus, & illi nobis, vel certe a Lat. *charus*.

KARABE, *carabe*, ſuccinum. Vox Perſica, de qua aliquid dixi in Præf. ad Germ. §. XVII. in *khah*.

KARBATSCHE, ſcutica, flagellum ex corio, & inde nomen a *kür* corium, & *batten* cædere.

KARBINER, ſclopetum equitis. Ital. *carabino*, Gall. *carabine*. CASANOVÆ eſt vocabulum Turcicum a *caravuli* ſpeculatores, exploratores; ſed ſenſu a recepto nimis alieno. Rectius FERRARIUS *Germanicum* vocat. Nam proprie eſt *interfector*, derivaturque a verbo antiquo-Saxonico *cearfan*

fan interficere, quod ſiſtit BENSONIUS in Voc. Angloſaxon.

KARG, avarus. Belg. *karig*. Quaſi *gierig*. Novum, ſed legitime factum. Nam a *gier* cupiditas, avaritia, quod eſt a *geren* cupere, recte fit *gierig*, *karig*, & contracte *karg* cupidus, avarus. Idem præfixo ſibilo Italis *ſcarſo*, Gallis *echars*. Olim deduxi a *kar* ſollicitudo, quæ dum creſcentem ſequitur pecuniam, avarum reddit ſollicitum. Angloſaxonibus ſane *cearig* eſt ſollicitus, querulus, mente turbatus. Sed præſtat a cupiditate quam a ſollicitudine denominare avarum.

KARKASSE, theca pyrobolica, pharetra fulminis bellici, ab Italico *carcaſſo* pharetra, quod eſt a Gallico *carquois*, & hoc a Germanico *kocher*, litera R. in medium rejecta. Latino-Barbaris *carcaſium* eſt cadaver exenteratum, ſceleton, ob ſimilitudinem cum pharetra. Hinc *karkaſſe* dicitur etiam vulgo de vetula macilenta, cujus corpus cadaveris inſtar arefactum, ſed per contemptum tantum.

KARNIFFEL. V. *carniffel*.

KARPF, piſcis notus, & forte cum nomine aliunde allatus. Nam inter nomina piſcium in Gloſſario ÆLFRICI deſideratur. Vulgo *carpionem* vocant, a Græc. κυπρῖνος, ſive quia idem piſcis eſt, ſive quia genera (ut in aliis animalibus) confunduntur. Ab alterutro formari potuit *karp*, *carp*, quo nomine venit apud Gallos, Italos, Belgas, Anglos, Suecos.

KARR, *karrn*, genus vehiculi. Vox Celtica, quæ lingua Armorica & Hibernica etiamnum dicitur *carr*, Gallica *char*, Italica & Hiſpanica *carro*, Belgica *karre*, Suecica *kerra*. CÆSAR currus Gallorum & Arioviſti paſſim vocat *carros*, manifeſta barbaræ vocis imitatione. Niſi enim hanc exprimere voluiſſet, non *carrus* aut *carrum*, ſed *currus* dixiſſet. Qui ſtridoribus delectantur in re vehiculari, *carrum* deducunt a Belgico *karren* ſtridere, ut proprie ſit plauſtrum ſtridulum, ut illa apud MARONEM in Georgicis:

- - Montesque per altos
Contenta cervice trahunt ſtridentia plauſtra.

Ita ſentit VREDIUS in Prodromo ad Hiſt. Com. Fland. Lib. II. Cap. 2. Sed hoc ſtrepitu minime opus habemus. Nam *karr* eſt verbale a *karren* vehere. Interim Latini a *carro* (quam vocem primus Latio intulit Cæſar) multa ad familiam ejus ſpectantia confinxerunt. Hujusmodi ſunt,

carrago, ſeptum caſtrorum ex conſertis plauſtris, hodie *wagenburg*. De hoc veterum Germanorum caſtra muniendi more vide CLUVERIUM in Germ. Ant. pag. 322. Etymon PRÆTORII, qui a Polonico *karas* bellum *carraginem* deducit, & multitudinem militantium interpretatur in *Marte Gothico*, a vero & antiquo vocis ſenſu plane alienum eſt.

carropera, & *carraria opera*, ſervitus ruſtica, carris & plauſtris præſtanda, ſtylo Romano & monetario *vehiculatio*.

carreta, biga.

carrare, onerare, carro imponere, *diſcarrare* deponere de curru. Extant in Lege Sal. Tit. XXVII. 9. 11.

Omitto *carriagium*, *carriera*, & alia, de quibus prolixe CANGIUS, nec non *carroſſe*, *carriole*, & ſimilia, a Gallis recentioribus profeminata.

KARREN, ferre, portare. Lat. *gerere*, Angl. *carry*. Omnia a manu, quæ Græcis χηρ. Primo enim fert manus, & poſtea etiam inſtrumentum ad ſimilitudinem manus. Ita Græcis χειρίζειν geſtare, poſſit eſſe a *kam* manus, ſi barbarus adſit interpres. Verbum conſtanter cuſtodiunt Angli & ſoli. Inde illis *carry about* circumferre, *carry away* auferre, *carry before* præferre, *carrier* portitor, geſtator, *carried* latus, geſtatus. Suevos ab hoc ſignificatu accepiſſe *kret* corbis, vaſculum in quo aliquid portatur, mihi perſuaſum eſt.

KARREN, vehere. Id eſt, curru vel ſimili vehiculo portare. Suecis *köra* eſt vehere & vehi, *köra med wagn* aurigare, *körswæn* auriga, *körelſe* aurigatio. Anglis *carry by cart* vehere, portare curru. Idemque Gallis *charier* & *charrer*, Hiſpanis *acarrear*, Lat. Barb. *cariare* apud CANGIUM. Inde formata ſunt vehiculorum nomina in omnibus Dialectis. Hinc vehiculum, ſive una, ſive duabus, ſive pluribus rotis ſit inſtructum, dicitur

karr, *karrn*, quod Germanicum.

cart, quod Cambris & Anglis uſitatum.

crat, quod Angloſaxonicum. SOMNER. in Dict. *crat* carrum, carruca, *twægra borſa crat* biga, *threora borſa crat* triga &c.

Poſtea ex *crat* factum eſt *cræc*, mutato T. in K. Quod ideo obſervandum, quia barbara Latinitas e Saxonico *cræc* multa plasmavit, quæ hanc mutationem ſupponunt. Talia ſunt,

carruca, vehiculum, *carricare* curru onus transvehere.

carrica, navis oneraria, Hiſpanis *carraca*, velut carrus marinus, judice VOSSIO, more loquendi Poëtico. CATULLUS in nuptiis Pel. & Thet. verſ. 9. *Ipſe levi fecit volitantem flumine carrum*.

carrocium, currus bellicus. Synecdochice ponitur pro *vexillo* currui infixo. Lettica Lingua *karroghs* etiamnum vexillum denotat.

carricare, carro portare, Italis *carricare*, & inde *carrico* onus.

cargare, onerare, onus carrucæ imponere, *carga* onus, *diſcargare* exonerare, quod extat in Lege Salica a Carolo M. emendata Tit.

ta Tit. XXIX. 2. Inde Gallis *charge*, *charger*, *decharger*, notiſſimo ſignificatu : Hiſpanis *carga* & *cargaçon* onus nauticum, & metonymice catalogus mercium advectarum.

KARST, ligo. Ducam a *keren* vertere terram, per medium derivandi ST.

KARTAUN, tormentum maximi moduli. Forte quaſi *quartana*, a menſura pulveris pyrii. Vel a καρταίνω valeo, vinco. Sed prius malo, quia in Latinitate medii Ævi *carta*, *carto*, *quarta*, paſſim ponuntur pro menſura.

KARTE, tabula, vel mappula e papyro. A Lat. *charta*.

KARTE, pecten ex ſtrobilis cardui, quo lana vel pannus carminatur. Franc. *charte*, Ital. *cardo*, Gall. *chardon*, Lat. Barb. *cardo* & *cardus*. Gloſſ. Pez. cardis ferreis *iſarnin chartom*. Cunctaja Lat. *carduus* auctoribus Francis, vel a verbo Celtico *carthu* ab immunditie purgare, quod ſiſtit BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. A *karte* porro eſt *karden* & *karthen* carminare, apud HENISCHIUM, Italice *cardare*, & præfixo ſibilo *ſcardaſſare* & *ſcartezare*.

KARTETSCHE, pecten denticulatum ex ferro. Ab Italico *ſcartezare* carminare, purgare, & diſcerpere lanam. Translatum eſt ob quamcunque ſimilitudinem, vel etiam joco militari, ad ferreos hamos, uncos, clavos, & ſimilia, quæ diſcerpendis hoſtibus e tormentis vibrantur.

KARUSCH, *karauſch*, *karutſch*, genus piſcis fluviatilis & nigricantis. Vitiatum a Lat. *coracinus* quod eſt a κόραξ niger.

KASA, *caſa*, in veteriſſimis linguis ſignificat id quod tegit, ſive domus ſit, ſive veſtis, Ægyptios veſtes quasdam coactiles appellaſſe κάσας, obſervat LIPSIUS Cent. III. ad Belg. Ep. 44. Latinis *caſa* eſt vile habitaculum, Latino-Barbaris *caſula* pallium, quod totum hominem tegit. Cunctа ab Hebræo *kaſa* texit, vel Celtico *kutten* tegere, de quo infra. S. & T. continuo permutantur.

KASAK, ſagum. Angl. *caſſock*, Ital. *caſacca*, Gall. *caſaque*. Diminutiv. a ſimpliciori *kaſa*, quatenus veſtimentum denotat.

KASEL, veſtis ſacerdotalis. Angloſaxon. *caſul*, Sorab. *koſchla*, Polon. *koſſula*, Lat. Barb. *caſula*. Diminutiv. ejusdem cum præced. originis, & non a Lat. *caſa*, etiamſi cum illo in communi matrice conveniat. Poſtea nova deminutione facta ex *caſula* prodiit *caſubula*, tanquam minuſculum ex minuſculo, unde Gallis *chaſuble*.

KASEMATE, crypta in vallo. Vox caſtrenſis, Gallis, Hiſpanis, Anglis, a Celtis relicta, quæ proprie *tectum militare* denotat, a *mwd* tectum, & *cat* bellum, militia, de quo ſupra prolixe. Partes compoſiti vide apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. COVARRUVIAS Hiſpanicam vocem *caſamata* interpretatur *humilem caſam*; ſatis apte, modo conſtaret, qua lingua *mat* humilem ſignificet. Plura tectorum nomina vide in *meiden* tegere.

KASERNEN, caſæ militares. Gall. *caſernes*. Ab Angloſaxonico *erne*, *earne* caſa, & *cat* bellum, militia.

KASTE, *kiſte*, arca. Vox Celtica, per varias & antiquiſſimas linguas ducta, quæ Perſis effertur *caſti*, Græcis κίστη, Latinis *ciſta*, Cambris & Armor. *ciſt*, Hibern. *ciſte*, Angloſax. *ceſt*, *ciſte*, *cyſte*, Angl. *cheſt*, Belg. *kas*, *kaſt*, *kiſt*, Scand. *kiſta*. VEREL. in Ind. *kiſta-fæ* opes capſulæ incluſæ. Sic autem dicitur, παρὰ τὸ κίσθαι, quod aliquid in ea reponatur, judice MARTINIO. Quamvis etiam a *kutten* claudere, ſervare, cuſtodire, altero T. liquefacto, deduci poſſit, quia arca, ciſta, capſula, & quocunque volueris nomine illud compellare, eſt clauſum quid, quod fures arcet, repoſita ſervans cuſtodiensque. A *kaſt* rurſus fit *kaſten* includere, ſed apud Francos tantum. Gloſſ. Pez. incluſorem *chaſtari*, incluſos *gichaſtota*.

KASTE, largitio ſacra, fundatio Eccleſiæ, Monaſterii, aut alterius pii corporis. SOMNER. in Dict. Angloſaxon. *cyſta* munificentia, *cyſtig* munificus, *cyſtigneſſe* munificentia. Refer ad *koſten* impendere, ſumptus facere. Nam munificentia eſt virtus, quæ magnos facit ſumptus. Inde nomen dignitatis *kaſt-vogd*, *kaſten-vogd*, quod certe non ſignificat *caſtri tutorem*, ut cenſet CANGIUS in voce *advocatus*, & multo minus *præfectum granarii*, quæ STILERI interpretatio eſt; ſed advocatum ſacrarum largitionum, & defenſorem alicujus Eccleſiæ, Monaſterii, vel ſimilis ſumptuoſæ fundationis. Hodie dixeris *ſtifts-vogd*. De advocatis Eccleſiæ vide plura in *vogd*.

KASTEIEN, affligere. Factum per ſyncopen ex antiquiori *keſtigen*, quod eſt a Lat. *caſtigare*, auctoribus Francis. Vocem Francicam cum ſuis derivatis vide apud SCHILTERUM in Gloſſario. Hodie de voluntaria tantum corporis per abſtinentiam, verberationem &c. afflictione dicitur.

KATTEN, jacere. V. *Cateia*.

KATZE, felis. Camb. *cath*, Armor. *cat*, *caz*, Hibern. & Angl. *cat*, Belg. *kat*, Suec. *katta*, Gall. *chat*, Ital. *gatto*, Hiſp. *gato*, Græc. inf. κάττης, Lat. inf. *catus*, *catta*, *cattus*. Vox mira, quæ a multis doctiſſimis viris per longa itinera & varios literarum caſus, ducitur a Germanico *wachten* vigilare, excubare. Nam ab hoc verbo Latinitas medii Ævi fecit primo *wacta* excubiæ, mox *gueta* perſyncopen eodem ſenſu, & *gueta* vigil, ſpeculator. Unde Gallis *guet* excubiæ & excubitor, & hinc *guéter* obſervare, ſpeculari. Quod cum faciant feles, dum muribus inſidiantur, ſecundum tritiſſimum apud Gallos proverbium, *le chat guéte la ſouris*; hinc CANGIUS, & poſt illum SKINNERUS, non dubitarunt *cat* deducere a *guéter*. Belliſſime. Hoc unum vereor, ne nomen animalis antiquius ſit hoc parente. Aliis eſt a Lat. *catus*

acutum videns. Interim a *kat* derivatur *kater* mas felis, & *katzen-zahl* equiſetum.

KATZE, inſtrumentum bellicum. Wilhelmus Brito Lib. 7. Philippid. *Huc faciunt reptare Catum, tectique ſub illo Suffodiunt murum.* Machinam fuiſſe mobilem & tegendo militi factam, patet. Latini *vineam* vocant, neſcio qua de cauſa: nos *katze*, Lat. Barbari *catum*, ſive a *kutten* tegere, ſive quod felis inſtar repteret, & occulto milite inſidias ſtrueret. Hodie mutatis armis eſt pluteus tormentorum, quem Belgæ *ſturmkat* vocant, niſi forte ſic dicatur a *katten* jacere.

KAU, *kaue*, caſa vel tugurium puteo metallico ſuperſtructum, ut a Jove pluvio tam os putei quam ii qui machinam tractoriam movent, defendantur. Celtica lingua ſignificare poteſt *opertorium*, Sorabica *latibulum*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cau* claudere, *caead* opertorium. FRENZEL. in Orig. Sorab. pag. 13. *chowam* abſcondo, *chowa* abſcondit, *chowaу* abſconde, *chowany* abſconſio.

KAUCH, cornix. Extat eo ſenſu *cauha* in Lege Alaman. Tit. XCIX. 19. ubi LINDENBROGIUS in Gloſſ. *kaucka* Germanis cornix. Quibus Germanis, aut qua Dialecto non addit. Interim Lindenbrogio ſuffragatur SPELMANNUS. *Nos*, inquit, *hodie a chauh & chouh dicimus cornicem rubra habentem crura.* Recte. Nam *coch* lingua veteri Britannica eſt rubeus, rubicundus, rufus, apud interpretem ejus linguæ BOXHORNIUM in Lexico ſæpe citato. Græcos inde accepiſſe κόκκος, Latinos *coccus*, *coccineus*, judicat PEZRONIUS in Antiq. Celt. pag. 70. & 277. Quibus addi debet *cochenille* infectum rubicundum, ex Lingua Gallica & Hiſpanica. Hinc ſcil. Alamannis *cauha* aptiſſime dicitur avis, quæ rubros habet pedes, ut bene SPELMANNUS, quamvis ignarus, ſe a vero vocis etymo tam prope abeſſe. Sed & Cambris *gawci* eſt cornix, & forte ex eodem fonte. Utrumque differt a *gauch* cuculus.

KAUCH, vas cavum, cujuscunque uſus vel generis. Cambris *cawg* eſt pelvis, Angloſaxonibus *ceac* urceus, urna, luter, Græcis inferioribus καῦκα patera, Latino-Barbaris *caucus* ſcyphus, ſtula, hauſtorium, aut ſimile quid. Teſtimonia veterum vide apud CANGIUM. A *caucus* porro oritur *cauculus* poculum, & *cauculatores* qui pocula miſcent amatoria, ex interpretatione CANGII. Cuncta fortaſſe a *hav* cavus. Hodie obſoleſcit. Sed ab obſoleto initium cepit *kachel* cacabus, quod uſus conſtanter tuetur.

KAUDER-WELSCH, ſermo peregrinus. A *küdern* loqui, quod vide.

KAUF, emptio, commercatio. Angloſaxonibus *ceaping*, & in compoſ. *ceap*, Franc. & Alam. *chouf*, Island. *kaup*, Belg. *koop*. Gloſſ. Pez. coemptione *choufe*. Refer ad verbum.

KAUFEN, permutare, rem pro re reddendo. Gloſſ. Keron. comparare *chaufan*. Gloſſ. Pez. commutaverunt *choufun*. Senſus verbi antiquiſſimus, & interioribus Germanis quondam unice notus, qui, cum aurum & argentum nondum haberent nec cuperent, res rebus, merces mercibus mutabant. De qua re videndus TACITUS Cap. V. de moribus Germanorum. Oritur ab Angloſaxonico *ceab*, quod teſte SOMNERO & BENSONIO, merces, bona, pecora, opes, & quascunque facultates ſignificat. Cui plane conſonum apud Latinos *copia*. Utrumque videtur convenire in radice *haben* poſſidere, unde *habe* poſſeſſio, bona, opes &c. Nam *ceap* & *habe* non differunt niſi literis convertibilibus.

KAUFEN, negotiari, mercaturam facere, emendo, vendendo. Gothis *kaupan*, Luc. XIX. 13. Angloſaxon. *ceapan*, Francis & Alam. *chaufan*, *choufan*. Quibus affine Lat. *cauponari*. Cum permutatio rerum apud Germanos prior & antiquior ſit mercatura, hinc intelligitur, hanc illi ſucceſſiſſe, manente priſtino vocabulo. Communicatum autem eſt tam venditori quam emptori, quia uterque ſuſtinet perſonam permutantis, & in locum ejus ſucceſſit. Inde

kauf, transactio de pretio inter emptorem & venditorem.

zvider-kauf, retroëmptio, & retrovenditio.

kaufman, venditor & emptor. Angl. *chapman*.

verkaufen, vendere.

KAUFEN, emere. Angloſaxon. & Franc. ut ſupra, Belg. *koopen*. TATIANUS Cap. CXCIII. 5. *couſtun then accar in grabaſteti*, emerunt agrum in ſepulturam.

KAUFER, *käufer*, hodie emptor, olim etiam venditor. Gloſſ. Boxh. *caufar* inſtitor.

KAUFMANN, mercator. Angloſaxon. *ceapman*, Belg. *koopman*. Gloſſ. Pez. inſtitores *choufman*.

KAUF-SCHALCK, ſervus emptitius. Gloſſ. Boxh. *caufſcalc* inquilinus. Angloſaxones eundem hominem *ceap-cnibt* vocant. TACITUS de M. G. Cap. XXIV. *Servos per commercia tradunt.* Quod de permutatione iis temporibus uſitata, quæ ſecutis etiam invaluit, & *Concambii ſervorum* nomine venit, intelligendum eſſe, Cl. DITHMARUS monet in notis.

KAUM, languor, ægritudo, *kaumig* morbidus. Significatus proprius & antiquus, quamvis obſoletus. TATIANUS Cap. L. 2. *truog unſa cumida*, portavit ægritudines noſtras. OTFRIDO *kumig* eſt ægrotus, *kumig ſuaro* graviter languidus, *kumig man* homo morbidus, Lib. III. Cap. 4. Gloſſ. Pez. fractos *chumiga*. Græcis καμεῖν eſt deficere, laborare, ægrotare. In hoc tanquam ſpeculo cætera contemplari licet.

KAUM, mucor, vitium liquidorum ex longo ſitu, *kaumig* mucidus. Senſus figuratus & ex priori ortus. Belgæ dicunt *kaam* & *kaamig*.

& *kaamig*. Quod imitantur noſtri in *kam*. Quidam dicunt *kan*, ſed vitioſe.

KAUM, vix. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XVII. 63. de ſtella polari:

Then thu in berehtera naht
So kumo thar giſehan maht.
Quum in ſerena nocte
Vix conſpicere poſſis.

Proprie ſignificat *ægre*. Quemadmodum enim Latinis ab *æger* fit *ægre*, i.e. difficulter, graviter, moleſte: ita Francis a *kumi* ægritudo naſcitur adverb. qualitatis *kumo* ægre.

KAUSCHER, rectus, probus, incorruptus. Vox Judaica, ab Heb. *kaſchar* ejusd. ſignificatus. Franci eodem ſenſu videntur dixiſſe *kuſgi*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XIX. 69. *thaz iſt kuſgi ioh oub guat*. Vertit SCHILTERUS: hoc eſt probum atque bonum. Aliud eſt *keuſch*. Illud rectitudinis & probitatis, hoc puritatis & munditiei vocabulum eſt.

KAUTZ, noctua, *keutzlein* parva noctua. Heb. *coz*. Qui voces Biblicas meditationibus ſuis illuſtrarunt, non easdem appellationis cauſas afferunt. FRISCHIUS hæret in ſimilitudine formæ, & noctuam ſic dici vult quaſi *catum*, vel *kutz*. Contra STADENIUS a propria voce *ka-ut* nominatam contendit. Et *ututare* quidem noctuæ etiam PLAUTO videntur:

Tu iſtbic, inquam, vin' afferri noctuam,
Quæ, tu, tu, uſque dicat tibi.

Noctuam inter aves oſcines fuiſſe, diſerte teſtatur FESTUS: *Oſcines aves Appius Claudius ait, quæ ore canentes faciant auſpicium, ut corvus, cornix, noctua*. Quid obſtat, ut nomen ex augurum diſciplina profectum ſit, ut plura alia, quo tempore Germania adhuc avium voces interrogabat? Nam Angloſaxonibus *cythan* eſt dicere, ſignificare, annunciare: unde recte fit *kytz, kutz, kautz* oſcen, avis feralis, quæ cantu ſuo aliquid mali prædicit. Metaphorice eſt tenebrio, lucifuga, vel aliquid deterius.

KAUWEN, mandere, manducare. Angloſax. *ceowan, ceowian*, Francis *kouuen*, Belg. *kauwen*, Angl. *to chew*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. VI. 46. de Adamo:

Er uuas thes aphules frou,
Joh uns zi leide er nan kou.
Ipſe delectabatur pomo,
Et in perniciem noſtram illud manducabat.

Sumptum a Gr. κάειν ſcindere, ſecare. Quid enim eſt manducare, niſi cibum dentibus conficere?

KAW, cavus. Radix antiquiſſima, & ex primevo (ut videtur) hominum ſermone relicta, quæ hodie ſuperat apud poſteros Celtarum in Britannia & Armorica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cau* cavus, clauſus. Hæc ipſa radix examen ducit vocabulorum in vetuſtiſſimis Linguis. Hebræis *gav* eſt medium inane, ſive medii cavum, *gob* fovea, *cafof* excavare, prout ex ſchedulis doctiſſ. Prof. CLODII cognovi. Latini habent *cavus, cavea, cavare, caverna*, & *covum* pro Cœlo. Cambri *cafnu* cavare, *cwg* linter, ſcapha ex arbore cavata, *cawg* pelvis, *cawel* ſporta, *ceubal, ceubol* cimba, proprie cavus venter, a *bol* venter, unde Burgundis *caupulus* pro navi, ut notavi in Præf. ad Germ. §. XLIII. Germani *kauch* vas cavum, *koie* & *kofe* locus cavus, &c.

KAW, vacuus, iners, levis, ut ſolent eſſe cava. Inde Græcis χάος inane, κοῦφος tenuis, levis, Germanis *kaf* palea, *gauch* ſtultus inanis.

KEBE, meretrix, pellex, mœcha. Hiſpanis compoſite *manceba*. Dicitur etiam *kebſe*. Illud eſt verbale, hoc derivativum a Lat. *cubo*, vel certe a *ceveo* criſſo, clunes agito, quod ad concubitus traducitur. MARTINIUS tamen mallet a *cubo* in voce *pellex*, ut proprie ſit *concubina*. A *kebe* oritur *kebiſch* fornicarius, a *kebſe kebſen* multiplici ſenſu.

KEBISCH, fornicarius. Weichbildum Saxon. Art. IV. *Man ſpricht, daß kein kind ſeiner Mutter kebskind ſey, das iſt aber nicht, denn ein weib mag ehbeliche kind, kebskind, und eigene kind gewinnen. Iſt ſie eigen, man mag ſie frey laſſen, iſt ſie* KEBISCH, *ſie mag einen ehelichen mann nemen, und ebekind (immer) gewinnen bey im*. Hoc adjectiv. ducit nos ad ſubſt. *kebe*, quod videtur aliquando apud Gothos, veteresque Suevos obtinuiſſe, niſi me fallat vox Hiſpanica *manceba* meretrix.

KEBSE, pellex, concubina, mœcha. SOMNER. in Dict. Angloſax. *ciſeſe* pellex, concubina, *ciſes gemanna* concubinatus, *cyſeſeboren* ex concubina genitus, proles concubinaria, *cyſes-hade* pellicatus. Gloſſ. Pez. pellicatum *chepiſoth*. WILLERAMUS ex Edit. Merulæ pag. 115. *cuninginnan ande keveſe louenden ſie*, reginæ & concubinæ laudabant illam. Inde *kebskind* puer ex pellice genitus.

KEBSEN, mœchari. Utitur hoc ſenſu in compoſito *bekebſen* Codex Evang. MS. Bibl. Reg. Berol. Matth. V. 32. citante FRISCHIO in Voc. Bibl. *wer ſin wip laſſet, es ſy dann daß ſy bekebes mit andern manne*, qui dimiſerit uxorem ſuam, niſi adulterium fecerit cum alieno viro.

KEBSEN, lenocinium facere, allicere, ſeducere, ut ſolent pellices, & inde appellatio a *kebſe* pellex. Hoc ſenſu præcipue utuntur Scriptores Islandici. Inde *kepſir* ſervus qui allicit & ſeducit, *kieps-vif* uxor ſervi, ſed invito domino ducta & ſeducta. Quas voces ex EDDA Islandorum producit VEREL. in Ind. pag. 140.

KEBSEN, aliena appetere. Senſus a *kebſe* mœcha petitus, quatenus alienum virum appetit. VEREL. loc. cit. *kopſaſt* aliena ſequi & appetere. Inde *verkepſen* permutare ex appetitu alieni. Verbum apud MATHE-

SIUM & alios ejus ævi ſcriptores obvium ſiſtit STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 339.

KEBSWEIB, concubina. Id eſt, *kebiſch weib*, mulier fornicaria, quæ juxta uxorem concubitus gratia alitur. Aliis aliter videtur de hac voce: quorum ſententias nolo refutare, quia errores eorum ſæpe fuerunt ductores mei ad meliora invenienda.

KECK, audax, qui viribus ſuis fidit. Utitur Luth. Sap. XII. 17. Idem ac ſi dixeris *queck*, quod Antiquis primo vivum, deinde vividum validumque denotavit. Sed poſteritas hiſce ſenſibus non contenta, vocem a valido ad audacem traduxit, quia experientia teſtatur, homines contemplatione roboris ſui reddi audentiores, & unumquemque tanto majorem agendi fiduciam concipere, quo majorem habet virium ſuarum conſcientiam. Sentit enim vim quisque ſuam, qua poſſit abuti. Et ex hoc ſenſu poſtea naſcitur audacia.

KEGEL, omne latum quod in acutum deſinit, ſive conus ſit, ſive cuneus, ſive clavus. Gloſſ. Pez. clavum *zeltchegil*. A ſimpliciori *keil* cuneus, unius literæ I. in G. & ſatis frequenti mutatione.

KEICHEN, tuſſire. V. *keuchen*.

KEIFEN, jurgari. Belg. *kyven*. Haud dubie a *kief* mandibula, ſive quia continuo motitatur in jurgiis, ſive quia altercantes videntur ſe mutuo mandibulis petere, & quaſi mordere. Inde eſt, quod in aliis Dialectis verba jurgandi formantur ab armis mandibulæ, quia per jurgium omnes contentionem dentalem concipiunt. Ita Suecis *baakdanta* eſt allatrare, vellicare, vitilitigare, a *tand* dens: Græcis τωθάζειν mordere & conviciari, a Saxonico *toth* dens, ſi interpres barbarus adſit. Interim a *keifen* rurſus fit *keif* & *kyf* jurgium, ſicut Lat. *rixa* a ringo.

KEIFEN, ſenſu forenſi eſt judicio contendere. Inde Islandis *audkyfingur* qui litigat de opibus, apud VEREL. in Ind. In quo compoſito *aud* idem eſt quod *od* ſubſtantia.

KEIL, cuneus. Non a κάλον lignum, ut Helleniſtæ volunt, ſed potius a κέω feco, ſcindo, findo, quia in cuneo non conſideratur materia, quæ vel lignum eſſe poteſt, vel ferrum, ſed figura conica, e lata in acutam deſinens, cujus vi lignum findit. Et hinc etiam differt a *keul* clava.

KEIMEN, germinare. V. *kiemen*.

KEIN, *keiner*, nullus. Belg. *geen*, Suec. *ingen*. Omnia ſine exemplo. Antiquitas aliis utitur compoſitis, & plerumque diverſis. Gothis *ainshun* eſt nemo Marc. XII. 34. ab *ains* unus, & *hun*, quod vim negandi habet, ut patet ex compoſitis *mannhun* nemo, nonhomo Marc. I. 44. *hwanhun* nunquam, nonunquam Joh. VI. 35. Hinc aliquando mihi in mentem venit, annon *kein* ſit a negativo *hun*, præſertim cum literæ utriusque vocis initiales antiquitus permutentur. Poſtea ad Francos & Alam. qui nobis ſemper ſunt propriores Gothis, me converti. Hi nullum vocant *niheiner*, a *ni* non, & *einer* unus, ullus, inſerto ob vocalium concurſum *h*. vel *ch*. quod etiam faciunt Græci, dicentes ἔκ, ἐχ, pro ἐ. Gloſſ. Keron. nullus *niheiner*. OTFRIDUS *nihein not* nulla neceſſitas Lib. II. Cap. IV. 84. *zuiual niheim* dubium nullum Lib. II. Cap. XII. 14. Poſteritatem inde formaſſe *heiner*, *cheiner*, per aphæreſin, & mox *keiner*, ob elementorum initialium cognationem, non amplius dubitavi. Græci inferiores per ſimilem aphæreſin ex ἐχ ἓν vel ἐκ ἂν ἑὶς fecerunt κανὶς nemo, quod exſtat in Gloſſ. Græc. Barb.

KEKE, ita vulgus noſtrum incivilius vocat os, ab Heb. *cheich* vel *chech*, faux, palatum, quod eſt a *chachach*, χηχάνευ, hiare. Ita HELVIGIUS in voce. Hodie Anglis *cheek* & Belgis *kaak* eſt gena, mala, bucca, olim vero *ceac* non ſolum genam, ſed etiam fauces & palatum denotavit. SOMNER. in Dict. Angloſax. *ceac* bucca, gena, maxilla, *ceacena ſwyle* faucium tumor, *chieke* palatum.

KEL, cavus. Adjectivum inuſitatum, ſed in multis derivatis conſpicuum, quorum notio a cavitate manifeſto petita. Naſci potuit ex *hol* ejusdem ſignificatus, quia H. facile vertitur in CH. & poſtea in K. Sed præſtat illud Græcis acceptum referre, quibus κοῖλος cavus, ſicut & reliqua, ab illo oriunda.

KELCH, ſpecies poculi, Gr. κύλιξ, Lat. *calix*, Angloſax. *calic*, Matth. XXVI. 27. & alibi *cælc*, Francis *kelih* & *cholih*. Gloſſ. Boxh. *cholihha* crateres. TATIANUS Cap. CLX. 2. *intſienc tho then kelih*, tunc accipiens calicem. Proprie eſt poculum concavum & ventroſum.

KELE, cavitas. A *kel* cavus. Inde *kniehele* poples, cavitas in averſa parte genu, *kol-kelen* ornamenta Architecturæ Doricæ cavati vel undulati operis. In quo compoſito uſitatum cum inuſitato jungitur, ut ſenſum reddant clariorem. Hic primus & vetuſtiſſimus vocis ſignificatus, quamvis nullis (quod ſciam) veterum monumentis relictus, ſed vivo tantum ſermone ad nos propagatus. Defectus ſcripturæ non officit antiquitati, quia multa in ore hominum antiquitus potuerunt verſari, quæ nullis alioqui prodita ſunt literis, nec in iſta literarum paucitate prodi potuerunt.

KELE, fauces, Lat. *gula*, Angloſax. *ceole*, Belg. *keel*. Gloſſ. Keron. gulæ *cheluun*. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. gurgulio *querca*, *chela*. Non a Lat. *gula*, & multo minus a καλεῖν vocare, ſed a ſynecdoche generis, qua cavitas ponitur pro illa cavitate, per quam cibus in ſtomachum deſcendit.

KELE, navis, & venter navis. Gloſſ. Pez. celox *chiel*. Angloſax. *ceol*, *cæle*, Angl. *keele*, Belg. *kiel*, Gall. *quille*, Græcis κοίλη, Latinis *celox*. Cuncta a cavitate.

KELEN, cavare, cavitatem dolabra vel alio inſtrumento facere, *auskelen* excavare. Gr. κοιλαίνειν. Hodie utuntur opifices, reliqui dicunt *hölen*.

KELLE, omnis alveolus, ſive vas cavum, cujuscunque ſit uſus & ſpeciei. SOMNERUS in

in Dict. Angloſaxon. *cill* uter, obba, *cille* aſcopera, *cylle* uter, cadus, lagena, *flor-cylle* thuribulum, *fyren-cille* clibanus. Gloſſ. Pez. trulla *chella*, receptacula ignium *fiurchellun*. Cuncta a notione cavitatis. Hodie non dicitur niſi de trulla cæmentaria & coquinaria.

KELLER, cella vinaria vel promptuaria. Gloſſ. Lipſ. *kellera* promptuaria. Gloſſ. Pez. apothecæ *chellara*. Franci videntur formaſſe a Lat. *cellarium*; quamvis etiam locum concavum & ſubterraneum denotare poſſit.

KELLER, in Monaſteriis Germaniæ dicitur, qui cellæ vinariæ & eſcariæ præeſt, & forte etiam in quibusdam Aulis. Latino-Barbari *cellarium*, *cellerarium* & *cellaritum* vocant. Verum extra Aulam & Monaſteria *keller* in hoſpitiis publicis ſup. Germaniæ eſt ſervus a cella vinaria. Unde, niſi a *cella?*

KELLER, in Palatinatu dicuntur *præfecti prædiorum*. Horum appellationem ab officialibus, qui quondam vineas regias circa Rhenum (ubi vocabuli ſedes) ſub Dapifero Regis Francorum curabant, deſcendere exiſtimat Cl. D. MASCOVIUS. Contra GOLDASTO *keller* vitiatum videtur ex *kölner* colonarius, quem ſic dictum putat a *colonia*, cui præeſt, quæ alias *köln-hof* dicitur. Sic enim ſcribit in Parænet. pag. 441. *Vox* KELLER *corrupta eſt a vulgo, cum antiquitus fuerit* KÖLNER, *colonarius, qui reditus a colonis exigit, quemve Auſtrii Archiduces in ſuperioris Alamanniæ partibus* HUOBMEISTER, *hobarum magiſtrum nuncupant.* Utrumque etymon erudito judice ſe tuetur.

KELTER, lacus in quo uvæ calcantur. Ducitur a Lat. *calcatorium* auctore FRISCHIO.

KELTER, prelum, quo vinum uvis exprimitur. Derivari poteſt a Latino *torcular* per metatheſin, minime vero a *calcando*, quia prelum nec calcat nec calcatur. Hunc ſignificatum a priori diverſum eſſe, recte vidit STADENIUS. A *kelter* porro eſt *keltern* uvas prelo premere. Cum vinum ſit voluptas nova in Germania, a Romanis ad Gallos & Germanos profecta, quid mirum, ſi vino, & prelo, & vinitori, nomen Romanum adhæreat? Talia autem ſunt, *wein*, *kelter*, *winzer*, & alia.

KELTER, vivarium, locus ubi piſces aſſervantur. Contrahi potuit ex *gehelter*, aut, ſi mavis, formari a ſimplici *helter*, quo utitur Luth. Jeſ. XIX. 10. quod eſt ab *halten* tenere, ſervare, cuſtodire. H. verti in K. jam ſæpe monitum. Exempla vide in *Proleg.* Sect. III.

KENNEN, naſci, edi in lucem. BENSONIUS in Voc. Angloſax. *acænnan* naſci, *acænned* natus, *acænnyſſe* nativitas. Quibus convenit Gr. *γενάομαι* naſcor.

KENNEN, parere, gignere, facere ut naſcatur. BENSONIUS: *cennan* parere, producere, *cenned* productus, *cennende-lim* genitalia, *cenninge* partus, puerperium, *cind* genus, natura. SOMNERUS: *acennan* parere, edere, gignere, *acenned* natus, creatus, genitus, editus. Gloſſ. R. Mauri MS. gignit *kachennit*. Similia habent Cambri. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cenedlu* generare, gignere, producere, *cenedl* gens, genus, natio. Quibus convenit Græc. *γενᾶν*, unde Latinis *gignere*, *generare*. Verbum omnibus Antiquis familiare fuiſſe, colligitur ex derivatis, qualia ſunt *kunn* genus, *kund* genitus, *quen* mulier, quæ vide ſuis locis. Nec dubito, quin natura mulieris, quæ Latinis *cunnus*, ad eandem familiam ſpectet. Hodie ex tanta derivatorum multitudine nihil obſcurioni ſe ſubduxit præter *kind* proles, de quo infra.

KENNEN, ſcire, noſſe, ſive intellectu, ſive uſu & experientia. Cambris *gwnn* ſcio apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 278. Gothis *kunnan* ſcire, noſſe, Marc. IV. 11. *kann ina* novi eum, Joh. VIII. 55. *thu kant* tu ſcis, Joh. XVI. 30. *ſa kann* ille ſcit, Joh. VII. 15. *kunnum* ſcimus, Joh. VII. 27. *kunnuth* ſcitis, Joh. XIV. 4. *kunnun* cognoſcunt, Joh. X. 4. Idem Angloſaxonibus *cennan* & *cnawan*, unde Anglis remanſit *ken* & *know*. Franci & Alamanni plerumque utuntur compoſito *erkennen*, de quo ſupra. Islandis *kann* ſcio, *kunne* ſcivi, *kunna* ſcire, *kenning* inſtitutio, diſciplina, *kenniwenn* ſacerdotes, doctores, præceptores, quod habet VEREL. in Ind. Quibus convenit Græc. *κονέω*, quod HESYCHIO eſt ſcire, intelligere.

KENNEN, poſſe, valere. Senſus a ſcientia ad potentiam translatus, non quod ſcire & poſſe ſemper ſint conjuncta, ſed quod unusquisque naturaliter tantum poſſit, quantum ſcit, niſi aliæ adſint cauſæ, quæ agendi potentiam impediant. Gloſſ. Pez. quod eſt opus veſtrum *uuaz chunnot ir?* TATIANUS Cap. CLXXXV. 5. *odo uuanis thaz ih ni gunni*, an putas quia non poſſum? Huc etiam referuntur a STIERNHIELMIO verba Ulphilæ Matth. XXVII. 65. *gangith witaiduh ſwa ſwe kunnuth*, ite cuſtodite ſicut poteſtis. Ubi Græcus & Vulgata habent, *ſicut ſcitis*. Sed hi ſenſus tam cognati ſunt, ut ſæpe videantur indiviſi & ſe mutuo implicantes. Collige ex verbis WILLERAMI Cap. III. 7. *ir aller iegelih habet ſin fuert in hanton, cunnon alla mahtigen uehtan*, ſinguli habent gladium in manibus, & ſciunt atque poſſunt ſtrenue dimicare. Et mox verſ. ſeq. *rectores animarum die die chriſtenheit cunnen beſchirmen*, qui ſciunt & poſſunt chriſtianiſmum defendere. Similiter & Scandi veteres utrumque ſenſum in una voce conjungunt. Teſtis INDEX VEREL. ubi *kunna* exponitur *poſſe*, *ſcire*, *intelligere*. Hebræis tamen *kun* eſt poſſe, non ſcire, & *ken* potens, non ſciens. Vulgo ſcribitur *können*, ne ſcire & poſſe confundantur, bono magis conſilio, quam neceſſario. Nam ſenſus ex ſe mutuo naſcentes non debent mutationem pati in ſcriptura, alias tot habebimus ſcripturas, quot gradus in ſcala ſignificationum.

KERBE, crena, inciſura. Belg. *kerf*. Refer ad *kerben* incidere. Synecdochice dicitur de Monumento literis inciſo. Inſcriptio Hoybyenſis apud OLAUM WORMIUM in Mon. Dan. pag. 206.

Kunungs vin Holi Thudr reiſti Kerf diſi uftir Kunung Gorm.
Regis amicus Holi Thoro ſignum hoc erexit in memoriam Regis Gormonis.

Præcipuum compoſitum eſt *kerbholz*, *kerbſtock* lignum fiſſum inciſuris faciendis, talea crenis notata vel notanda.

KERBEL, cerefolium. Angloſaxon. *cerfille*, Belg. *kervel*, Angl. *chervill*. Origine Græcum videri poſſet, niſi folia herbæ eſſent inciſa. Similem appellationem vide in *klee*.

KERBEN, incidere. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *ceorfan* ſecare, *beceorfan* amputare, *ceorfed* ſciſſus, *ceorf-æx* ſecuris. Eadem Dialecto, Angloſaxonica inquam, ſcindere, ſecare dicitur *ſcearpan*, a Lat. *ſarpere*: manifeſto ſatis indicio, *kerben* produci a *ſcharben*, detracto tantum ſibilo. Anglis *to carve* eſt ſculpere & caſtrare, puta per ſynecdochen generis.

KEREN, vertere, verſuram facere. Francica monumenta ſcribunt *cheran* & *keran*, Angloſaxonica *cyran*, *cyrran*, *cerran*. BENSON. *cerran* vertere, *cerre* vices, *cerredwys* verſio, *cyran* convertere, *cyrred* verſus, *ymb-cyrran* vertere, volvere. JUNIUS originem & ſignificatum verbi petit a Græc. γυρῶν in orbem movere, in Obſerv. ad Will. pag. 82. Et videtur acceptandum. Nam quocunque modo res concipiatur verti, circulum deſcribat neceſſe eſt, aut certe ſegmentum circuli.

KEREN, plures habet ſignificatus, quorum alii ſunt a *ſynecdoche*, alii a *metaphora*.

KEREN, ſynecdochice ponitur pro *redire*, quia redituri coguntur corpus vertere.

KEREN, in metaphorico dicendi genere ſignificat (1.) *ſtatum rei mutare*, quia mutatio ſtatus ſimilis eſt ſitui, qui vertendo mutatur. (2.) *animum mutare*, quia mutatio animi ſimilis eſt converſioni, qua res in alium & oppoſitum ſitum vertitur, ut, quod ante fuit ſummum, nunc fiat imum, aut vice verſa. (3.) *res rebus permutare*, quia permutatio videtur idem facere quod ille, qui rem a dextra ad ſiniſtram, aut a ſiniſtra ad dextram vertit. (4.) *converſari*, quia converſatio eſt quædam inter homines viciſſitudo, verſuræ valde ſimilis. (5.) *dicta & facta aliorum bene vel male interpretari*, ob manifeſtam ſimilitudinem cum iis, qui rem pro libitu ad dextram aut ſiniſtram vertunt.

KEREN, redire, reverti. Verſio Angloſax. Joh. VII. 73. *and hig cyrdon ealle ham*, & omnes revertebantur domum, Luc. X. 6. *heo ſy to eow gecyrred*, revertetur ad vos. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXV. 6. *gikerit heimortes* domum reverſus. Hodie nonſolum ſimplici, ſed etiam multis compoſitis (*heimkeren*, *umkeren*, *widerkeren*, & ſimilibus) eodem ſignificatu utimur.

KEREN, ſtatum rei mutare, *verkeren* pervertere ſtatum, *das oberſte unten keren* ſumma imis miſcere, *das gemeine weſen umkeren* remp. evertere, pelſundare &c.

KEREN, *bekeren*, animum vertere, conſilia, ſtudia, & totum prioris vitæ inſtitutum mutando, ſtylo Theologico *convertere* & *converti*. NOTKERUS Pſal. XVIII. 8. *Trubtenis ea iſt ungeſlecchot, menniſchen ſone unrehte becherende*, lex Domini eſt immaculata convertens animas.

KEREN, res rebus permutare, merces mercibus aut pretiis rerum, *verkerung* permutatio, *groſſe verkerung* magna negotiatio, permagnum commercium.

KEREN, converſari, *verkerung* converſatio.

KEREN, dicta & facta aliorum bene vel male interpretari. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXIV. 147.

In ahuh ſi iz kertun,
So ſi thiz gihortun.

h. e. in deterius vertebant audita. Hodie dicimus *verkeren*, quando aliquid perverſe, *zum beſten keren*, quando benigne interpretamur.

KEREN, verrere. Gloſſ. Pez. ſcopabo *cherio*. Græcis quoque καρῶ eſt verrere ſeu ſcopis purgare, & Latinis *caro* interdum purgo. Quidam confundunt cum *keren* vertere, cum quia verrere eſt pulverem vertere, tum quia *verrere* & *verruncare* apud Latinos videntur cognata. Sed præſtat diſtinguere. Nam verrere proprie eſt a ſordibus purgare, mundare, & nitori reſtituere, & inde *everræ* purgatio domus, ex qua mortuus effertur, & *everriator* hæres, qui hoc officium mortuo debet, apud FESTUM.

KEREN, emendare, h. e. reparare mendam vel delictum compenſatione. Idem quod purgare, mundare, ſenſu forenſi acceptum. Nam culpa contrahit reatum, qui non niſi pœna & reſtitutione damni deleri poteſt. Et qui hoc modo emendant, ſimiles ſunt eorum, qui ædes a ſordibus purgant, aut qui

\- - *crinibus alta*
Verrunt tecta Deum - -

ut calamitatem aliquam avertant, de quo gentilium ritu videndus DRAKENBORCHIUS in notis ad SIL. ITALICUM Lib. VI. verſ. 561. Formula libellandi vetus ex charta an. 1425. apud SCHILTER. in Gloſſ. pag. 163. *ſchuldig ſin zu keren, zu beſſern, und abzubragen*. Inde *kar* ſatisfactio, emendatio, mulcta, *kar und abtrag thun* compenſare & emendare damnum factum.

KEREN, queri, lamentari. BENSONIUS in Voc. Angloſaxon. *cearian* queri, *cearig* querens, *cearung* querela. VERELIUS in Ind. *kiera* queri. Omnes hujus verbi vultus perſpicue conveniunt in Latino *queri*. Ab illo derivatur *kar* luctus, querimonia, & fortaſſe

taſſe etiam *gaurs* triſtis, & *gauritha* triſtitia, in Lingua Codicis Argentei.

KEREN, accuſare. Idem quod queri, ſenſu forenſi acceptum. VEREL. in Ind. *kiæra* accuſare, actionem inſtituere, *kæramal* cauſa, lis, *kiæror* querimoniæ, lites. Latinis quoque *queri* ſæpe eſt incuſare, & *querela* objectio culpæ, & *vivere ſine querela* inculpate vivere, Luc. I. 6. Uterque verbi ſignificatus hodie obſoleſcit.

KERKER, carcer, Gothis *karkar*, Marc. VI. 27. Angloſaxon. *cweartern* ibid. & alibi *carcern*, Francis *karkar* & *charchar*, Cambris *carchar*, Hibernis *carcan*. Derivari poteſt ab Angloſaxonico *carc* cura, quia carcer eſt locus cura & ſolicitudine plenus. Sed præſtat vocem Latinis relinquere. Nam Germanicæ Gentes, ſicut pulcre obſervat PALTHENIUS, libertatis quondam ſtudioſiſſimæ, ante bella cum Romanis geſta rem & nomen rei ignorabant, nec niſi ab illis poterant didiciſſe. VARRONI *carcer* dicitur a cohercendo, quod exire prohibeat. Hinc nonſolum cuſtodiæ publicæ, ſed etiam aliis rebus tribuitur a Latinis, ut ſunt carceres in Circis, unde equi & currus emittebantur, ſigno a Magiſtratu dato.

KERL, homo loci communis, ſive locus ille ſit urbs, ſive villa, ſive pagus & regio. Hic primus & proprius vocis ſignificatus, a primitivo *ker*, *kir* petitus, quod in vetuſtiſſimis Linguis, *Scythica*, *Celtica*, *Phrygia*, *Hebræa*, *Græca*, communem habitandi locum ſignificat. Veſtigium vocis apud Scythas præbet regia Amazonum THEMISCYRA, in qua voce *ſcyra* vel *cyra* videtur urbem & agrum denotare. Quo admiſſo conciliari poſſunt antiqui Scriptores apud CELLARIUM, quorum alii *Themiſcyram* ut campum, alii ut oppidum notant. Scythis *car* urbem ſignificaſſe, BOCHARTUS inde concludit, quod CAR-PALUC urbs ad Mæotidem apud Tzetzem exponitur πόλις ἐχθύων, ut intelligamus, fuiſſe urbem a piſcibus ſic dictam. Celtica Lingua, & hodie Cambrica, *caer* eſt urbs, murus, pagus, villa, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Trojanos CAIR civitatem dixiſſe, probat BOCHARTUS ex Gervaſio Tilberienſi in Orig. Gallicis pag. 45. Eodem obſervante Hebræis *kir* murum, *kirjah* vel *kiriath* urbem denotat. Addere poterat, quod etiam Græcis antiquis χώρα ſit urbs, ager, provincia, & ſolum commune, & hodiernis κάρα civitas. Vocem Celticam Dialectus Angloſaxonica ſibilo auxit. Hinc pagus, & quævis regio, major vel minor, Saxonice dicitur *ſcir*, *ſcyre*, Anglis hodie *shire*. Sed *kir* videtur antiquius, & ex lingua humani generis primitiva hauſtum, & per varias & vetuſtiſſimas Gentes ad Germanos uſque profectum, qui inde formarunt *kerl*, per medium derivandi L. Hinc *kerl* vi originis ſignificat quantum poteſt, *oppidanum*, *paganum*, *villanum*, *provincialem* &c. Reliqui ſignificatus ſunt a ſynecdoche generis.

KERL, oppidanus. Huc videtur referri poſſe, quod Duumvir Angloſaxonibus eſt *ceorla twegra ealdor*, Triumvir *ceorla threora ealdor*, apud SOMNER. & BENSONIUM.

KERL, ruſticus, paganus, villanus. Cambris *carl* eſt ruſticus. Angloſaxon. *ceorl* ruſticus, *ceorla-cynge* ruſticorum Rex, *ceorlboren* obſcuro loco natus, *ceorliſc* villanus. Inde Latino-Barbaris *ceorlus*, *ceorlmannus*, *cirliſcus* ruſticus, & *cirliſca* ruſtica, in Legibus Inæ & Æthelſtani apud Bromptonum.

KERL, procus, ſponſus, amator. Gloſſ. Pez. amatoris *charlom*.

KERL, paterfamilias, maritus. Angloſaxon. *ceorl*, & inde *ceorlian* nuptum dari, ſicut *wiſian* uxorem ducere, a *wif* uxor. Evang. Angloſax. Joh. IV. 17. *næbbe ic nanne ceorl*, non habeo maritum. Matth. XXII. 30. *On tham æriſte ne wiſiath hig*, *ne hig ne ceorliath*, in reſurrectione neque uxores ducunt, neque nuptum dantur. Inde porro *ceorlede* nupta. Similiter & Francis *karl* maritus, *karllich* maritalis. Gloſſ. Florent. maritus *charl*. Gloſſ. Pez. maritali *charllichera*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. VI. 63.

Thiu habeta, iu uueiſt es mer,
Zi karle ſihun bruader.
Habuit illa, ut optime noſtis,
In maritis ſeptem fratres.

KERL, ſervus. V. *haus-kerl*.

KERL, quilibet maſculus cujuscunque conditionis. SOMNERUS: *ceorl* maſculus, cui opponitur *wif*. VEREL. in Ind. *karl* quispiam, aliquis, idem quod *madr* vir, homo. Senſus a reliquis abſtractus, & hodie quoque uſitatus, dum cæteri pene obſoleſcunt.

KERL, fortis, corpore robuſto & animo virili præditus. Non occurrit niſi in compoſitis, nec alibi quam in *Sagis* Septemtrionalium, quales ſunt, *Hervarar-Saga* Hervaræ vita, *Torſteins-Saga* Torſteini vita, *Olafs-Saga* S. Olafi vita, *Herauds-Saga* Heraldi vita, *Gautreks-Saga* Gautreci vita, *Trojomanna-Saga* Trojanorum hiſtoria: unde ſequentia decerpſit VERELIUS in Indice:

karlmádr fortis, virilis.
karlmen viri fortes, ſtrenui.
karlmanligr fortis, virilis.
karlmanligt quod virum fortem decet.
karlmanliga fortiter, ſtrenue.
karlmenska virilitas, fortitudo.

Hodie ſuperat apud Suecos in compoſito *karlachtigt* quod virum fortem decet. Ab hoc adjectivo interpretationem recipiunt quædam Principum nomina apud Francos, cujusmodi ſunt,

CAROLUS, fortis.
CAROLOMANNUS, vir fortis.

Quamvis autem *karl* eo ſenſu in Monumentis Franco-Theotiſcis, aliisque veterum Dialectis non reperiatur (quam multa autem ſunt, quæ nos hodie deſtituunt?) non ideo ceſſat eſſe antiquum. Nam hunc defectum

fectum ſupplet Lingua Septemtrionalis, quam antiquiſſimis, & alibi vix reperiundis refertam vocabulis eſſe, nemo temere negabit. Translatio a maſculo ad fortem nihil habet inſolentiæ. Nam etiam *mann* primo virum, & deinde fortem virum denotavit.

KERMESS, *kirmeſs, kirchmeſs*, encænia. Vitiata ex poſtremo.

KERN, nucleus. Belg. *kern*, Suec. *kærna*, Gall. *cerneau*. Inde *mandel-kern, nuſs-kern*, & ſimilia noti ſignificatus. Angloſaxones utuntur deminutivo *cyrnel, cyrnl*, apud SOMNER. & BENSON. quod imitantur Angli in *kernel*. Forte eſt optimum, lectiſſimum, & probatiſſimum in quavis re, a *küren* eligere, comprobare. Et hoc ſenſu nonſolum dicitur de nucleis, ſed etiam de aliis rebus, quæ cæteris præſtant. Nec obſtat, quod ſæpe etiam oſſa ceraſorum & perſicorum eodem nomine deſignamus. Nam quoties ita loquimur, tunc utimur metonymia contenti pro continente.

KERN, granum, acinus, ſemen. Franc. *cherno*, Armor. *greun*, Belg. *graen*, Angl. & Gall. *grain*. Gloſſ. Pez. granum *cherno*, grano *cherno in drupin*. SKINNERO judice eſt a Lat. *granum*. Granum autem ſic dictum volunt a *gerendo*, quod fructum ferat. Contra PEZRONIUS Latinam vocem a Celtica deflectit.

KERN, vas in quo butyrum tunditur. Angloſaxon. *cerene*, Belg. *kern*, Angl. *churn*. SOMNER. in Dict. AS. *cerene* vas in quo lac agitatur, & butyrum cogitur, fidelia, *cernan* agitare butyrum. Belgice *kernen*, Anglice *to churn*. SKINNERUS tres dicendi fontes proponit, primum a Gallico *cerne* circulus, orbis, vel *cerner* in orbem rotare; alterum a Latino *cernere* ſeparare, quoniam in hoc vaſe butyracea pars lactis a ſero ſecernitur; tertium a *keren* vertere, verſare, quia ad ſeparandum butyrum clava huc illuc circumagitur. Quibus addi poteſt quartus, & cæteris præferendus, a verbo Celtico *curo* tundere, verberare, pulſare.

KERN, butyrum. VEREL. in Ind. *kernu ask* vaſculum in quo butyrum adſervatur. Lac ſeroſum & agitatum in quibusdam Germaniæ locis etiamnum vocari *kern*, tradit STADEN. in Voc. Bibl. pag. 154. Refer ad *kernen*, de quo paulo ante. Belgæ utuntur compoſito *kernemelk* eodem ſenſu quo Germani *butter-milch*.

KERS, in nominibus feriarum apud Belgas denotat Chriſtum, ut *kerſten* chriſtianos. Inde *kersdag, kersfeeſt, kersmis, kerſavond*, dies, feſtum, miſſa, veſpera nativitatis Chriſti, Germanice *chriſt-tag, chriſt-feſt, chriſt-meſs, chriſt-abend*. Galli adhuc pigrius enunciant nomen Chriſti, dicendo *chri*, adeo ut elementum S. ne quidem audiatur. An huc etiam ſpectet *kerſpel* parochia, diſquiritur infra in *kirchſpil*.

KERZE, candela. VEREL. in Ind. *kerti* candela, *kertapipa* candelabrum, *kertiſveinar* candelas tenentes & præferentes, miniſterium in aulis non magnæ admodum dignitatis, hodie *pagier*. Proprie eſt candela cerea, a Græc. κηρὸς cera, vel Lat. *cereus*, auctoribus Francis, quibus multa debemus peregrina in civitatem recepta. Inde OTFRIDO *kerziſtal* candelabrum, fulcrum candelæ, ut dixi in *ſtall* locus artificialis. STADENIUS *kerze* & *gerte* male confundit, & originem Lat. fruſtra impugnat.

KESSEL, lebes, cacabus æneus. Goth. *katil*, plur. *katile*, Marc. VII. 4. Angloſaxon. *cetil, cetl, cytel*, Franc. *chezil, kezeli*, Belg. *ketel*, Angl. *kettle*, Suec. *kettil, kiettil*. Gloſſ. Pez. lebes *chezil*, lebetem *chezil*, lebetes *chezila*. Gloſſ. Boxh. *kezeli* cacabus. Vaſa ventroſa ſolent appellari a ventre. Gothi autem duas habent voces, quæ ventrem ſignificant, *kilth* Luc. I. 31. & *quith* Luc. I. 41. credo nos ab illa habere *gelte* trulla, & ab hac *kettel*, tanquam diminutivum. Alii domicilium nominis quærunt in Lingua & ſupelle&tili Græcorum & Latinorum. HELVIGIO *ketel* idem eſt quod Latinis *caldarium*: CASAUBONO idem quod Græcis χύτλον vas ad fundendum: STIERNHIELMIO idem quod κοτύλη, vas vacuum. Si peregrina origine opus eſſet, ducerem a Lat. *caſſis* vel *caſſila*, quia lebes eſt caſſila inverſa. *Caſſilam antiqui pro caſſide ponebant*, inquit FESTUS. Præcipua veterum compoſita ſunt

ketel-fang, divinatio per ahenum, judicium aquæ ferventis, de quo prolixe in *Ordalium*.

ketilböd, caſſis ænea, apud VEREL. in Ind. hodie dixeris *keſſel-hut*.

KETE, arca. V. *küte*.

KETTE, vinculum annulatum. Lat. *catena*, Camb. *cadwyn*, Armor. *chaden*, Hibern. *caddan*, Franc. *ketin*, plur. *ketinon*. TATIANUS Cap. LIII. 4. *noh mit ketinon giu mohta in einig man gibintan, uuanta her ofto mit fuozstrubin inti mit ketinun gibuntan zibrah thie ketinun*, neque in catenis jam poterat eum quisquam ligare, quoniam ſæpe compedibus & catenis vinctus diſrupiſſet catenas. MARTINIUS omnia deduxit a Græc. κάθεμα torques, monile. Mihi videntur omnia convenire in verbo Celtico *kutten* claudere. Nam catena, cujuscunque ſit uſus aut metalli, eſt vinculum ex annulis, qui ſe mutuo claudunt.

KETZER, hæreticus, *ketzerei* hæreſis. Gloſſ. R. Mauri: ſecta *cazami*. DIECMANNUS legendum cenſet *cazari*. Qua emendatione admiſſa, *cazari* erit abſtractum a *cazar* hæreticus, & antiquitate ſua multas eruditorum conjecturas ab etymologia excludet. Obſtat tamen, quod memoria ejus nominis nusquam alibi reperiatur. NOTKERUS, Mauri diſcipulus, *hæreticorum* appellationem vel non interpretatur, ut Pſal. CXVIII. 85. vel alias voces adhibet, ut *irrari* Pſal. XXI. 19. *irrare* Pſal. LXXIII. 15. & *kloubirrari* Pſal.

Pſal. XXXI. 6. WILLERAMUS vero Not-Kero longe inferior, hæreticorum & hæreticæ pravitatis mentionem ſæpe facit in Cantico, ſed quaſi voce deſtitutus, absque interpretatione dimittit. Omitto Capitularia Regum Francorum, & alia monumenta, in quibus ea vox deſideratur. Ponamus ergo tantiſper illam novam eſſe, donec de vetuſtate ejus aliunde fiat indicium. Quemadmodum autem album diſgregat viſum, ita hæc vox nimia claritate obſcura eſt, ob fontium multitudinem, qui ſe conſiderantibus offerunt. Denotare enim poteſt (1.) purum, mundum, caſtum, a Gr. καθαρὸς ejusdem ſignificatus. Talis enim eſt hæreticus, ſi præſumptionem ejus ſpectes. Hinc hæretici omnibus temporibus dicti ſunt *Cathari*, & primo quidem *Manichæi*, quod puritatem animæ, quamvis (ut ferunt) impuris & neſandis modis, quærerent: deinde *Novatiani*, quod puriorem doctrinam & diſciplinam præ ſe ferrent: imo etiam ii, qui Sæculo XII. Germaniam, Galliam, Italiam, Dalmatiam, ſub *Catharorum* nomine inundarunt; & noviſſime *Albigenſes*. Quæ res multos movit eruditos, & præcipue DIECMANNUM, ut vocabulum Latinis a Græcis traditum, ad omnes deinceps hæreticos, qui pietatem vel mentirentur, vel mentiri crederentur, translatum exiſtimaret. (2.) impurum, inceſtuoſum, & ſodomitam. Quem ſignificatum diſcimus ex compoſitis apud SCHILTERUM in Gloſſario, *buben-kezer* pæderaſtes, *ku-kezer* qui vaccam init, *frawen-kezer* qui præpoſteram venerem cum muliere exercet, *walen-kezerey* ſodomia italica. Quæ certe originem ſuam referunt ad *cazzo* penis. Quibus addi poteſt ex Dial. Helvet. *fibe-ketzer* ſtuprator canis. Saxonibus *fif* vel *fip* canem feminam deſignare, tradit LOCCENIUS in Lex. Jur. Sueo-Goth. in voce *hundfiwioſon*. Cauſa, cur nomen ab inceſtuoſis ad hæreticos translatum ſit, hæc eſſe poteſt, quia vulgus, peſſimus rerum arbiter, impuritatem cum hæreſi continuo conjungit. Inde eſt, quod hæreticis, ſive veris, ſive opinione talibus, omnibus temporibus objectæ ſunt nocturnæ libidines, promiſcui concubitus, ſacra humano ſanguine & ſemine polluta, & alia abominanda, non Gnoſticis tantum, ſed etiam primis Chriſtianis, ut Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ periti norunt. (3.) iconoclaſtem, qui nullam imaginem præter ſignum crucis ferre poteſt, ſi derivetur a voce Armenica *chaz* crux. Hinc Leo IV. Imp. Byzantinus, cum eſſet inſignis imaginum hoſtis, Armenice dictus eſt *chazarus*, ut pridem viris doctis obſervatum. Quam vocem arripere potuerunt imaginum patroni in Occidente, & ad omnes deinceps hæreticos transferre, (4.) præceptorem novi dogmatis, ſi derivatio inſtituatur a Slavonico verbo *kazu* præcipere, ſtatuere, decernere, quod extat apud FRENZELIUM in Origin. Sorabic. pag. 619. (5.) ſchiſmaticum, qui Eccleſiam dividit, & ſegreges cœtus inſtituit, ſi cum HELVIGIO ducamus ab Heb. *katſar* decurtavit, abſcidit, vel cum PEISKERO a Græc. καθέζω ſeorſim ſedere, vel cum SERARIO & LEIBNITIO a Germ. *katten*, *kutten*, ſcindere, ſecare. (6.) ſpermologum, ſeu inania loquentem, ſi reducatur ad *queden* dicere, aut ejus frequentativum *kettern*, *quettern* nugari, fabulari, ut fert opinio HENSCHII. (7.) cerebroſum, & falſis imaginibus diſtractum, ſi derivetur a Græc. ἱκάζειν imaginari. Et his fere de cauſis naſci potuit vox *ketzer*, etiamſi primam & veram ignoremus. Alii tamen alias nominis rationes aſſerunt, a *katze* felis, *kette* catena, *görze* idolum, petitas, ſed cæteris minus probabiles, & vix dignas, ut hic locum inveniant. Nec deſunt, qui fictis fontibus utantur, cujusmodi ſunt, *ketzern* dividere, *kætzen* hærere, acſi Germanicæ gloriæ plurimum interſit, ut omnia rerum & verborum monſtra apud illos nata credantur. Sed his tantisque ambagibus non opus habet amicus meus, qui vocem breviſſime deducit a Lat. *hæreticus*, mira quidem mutatione, ſed tamen poſſibili. Ex eodem fonte deducit etiam *wedge* magus, qua voce Allobroges utuntur.

KEUCHEN, tuſſire. Belg. *kuchen*, Angl. *to cough*. Utitur Luth. Sir. XXXI. 22. Inde *kuch* & *cough* tuſſis, apud Belgas & Anglos. Cuncta a ſono tuſſientium facta, judice SKINNERO & STADENIO.

KEUEL, *kaul*, *keul*, globus, ſphæra. Oritur a Græc. κυλίω volvo, voluto. A *keuel*, eſt *keulich* rotundus, quo utitur Luth. 1. Reg. VII. 41. *nemlich die zwo feulen, und die keulliche knæuffen oben auf den zwo feulen.*

KEUEN, illudere. V. *gebeüen.*

KEUEN, irritare. Ita vulgus apud Suevos, verborum veterum tenax. Cambris *cawdd* eſt ira, offenſa, indignatio, forte a *keuen.*

KEUEN, mandere. V. *kauwen.*

KEULE, clava, telum vel inſtrumentum lignеum. Gr. κῆλον, Franc. *cile*, Alam. *kule*, *kulle*. Gloſſ. Pez. tribula *drifcilun*. Id eſt, clava trituratoria. N. van Gravenberg inter Scriptores Paræneticos GOLDASTI pag. 378.

Gros wundan und bullen,
Von ſwert und von kullen.

Videtur nihil aliud denotare, quam lignum. Id enim Græcis dicitur κῆλον, & Latinis priſcis *cala*. Inde *calo* & *caliga* calceus lignеus, & *calones* ſervi militum, qui vel ligna foco faciendo portabant, vel dominos in prœlia ituros fuſtibus aut clavis ligneis comitabantur. Imo etiam Britannis, iis ſcil. qui hodienum Celtica Lingua utuntur, *cal* & *coil* lignum denotare, teſtis BAXTERUS in Gloſſ. Ant. Brit. pag. 59. 60. *Herculem* inde nomen reportaſſe, quod ſine ullis armis *ſolo ligno* (ut DIODORUS ſcribit) terram a beſtiis repurgaverit, credibile eſt. V. *Herkul.*

KEULE, mulier ruſtica & male morata. Proprie fera, ſylveſtris, a *cal*, *coil*, ſylva. BAXTER loc. cit. *Scotobrigantibus etiam hodie* COIL *pro ſylva eſt.*

KEULE, ſuffrago, *ſchöpskeule* ſuffrago vervecis. A κώω ſeco, quia in medio ſtectendi cruris cauſa inciſa eſt, ut *hamm* poples ab *hammen* ſecare, incidere. Vide plura ibidem.

KEULICH, rotundus. V. *keuel.*

KEUSCH, quatenus derivatur a *keuſchen* mundare, ſignificat quantum poteſt, & primo quidem *purum*, *mundum*, *immaculatum*, & deinde ſenſu ad animum translato *caſtum*, *ſobrium*, & ab omnibus vitiis, quibus vel corpus vel anima contaminatur, liberum purgatumque. SOMNER. in Dict. Angloſax. *cuſc* caſtus, mundus, purus, pudicus. Gloſſ. Keron. ſobrius *chuskeer*, ſobrium *chuſcan.* NOTKERUS Pſal. XLIV. 9. *uuanda helfent iſt chiuſche ſico*, nam elephas eſt pudicum animal. Hodie *keuſch* dicitur de caſto tantum. Sed hic ſenſus male derivatur ab Heb. *kadoſch* ſanctus, vel Lat. *caſtus.* Nam (1.) *keuſch* ante denotavit mundum quam caſtum. Et hic ſenſus etiamnum obtinet apud Belgas, qui dicere ſolent, *'t is 'er heel kuiſch in huis* omnia nitent præ munditie in hac domo. Poſtea eadem vox communicari cœpit caſto, quia caſti pollutionibus abſtinent. (2.) caſtitas eſt virtus Germanis propria ſecundum TACITUM cap. 19. ſeq. de M. G. quæ nunquam potuit eſſe deſtituta vocabulo. Mirum ſane eſſet, eos, quibus ſcriptor eximius *ſeram venerem*, & *ſevera matrimonia*, & *ſeptam pudicitiam*, aliaque hiſce ſimilia tribuit, quique prope ſoli Barbarorum ſingulis uxoribus erant contenti, caſtitatis nomen ante bella cum Romanis geſta ignoraſſe, & ab illis demum didiciſſe. Interim a *keuſch* derivantur

unkeuſch, immundus, & allegorice libidinoſus. Gloſſ. Boxh. *unchuskemii* infrunitus, *unchuskida* infandam.

unkeuſchheit, impuritas, & allegorice impudicitia. Gloſſ. Keron. ſordes *unchuſchida.*

KEUSCHEN, mundare, purgare, februare, quocunque modo id fiat, aqua, igne, cinere, &c. Verbum Belgis & pene ſolis cuſtoditum, quod illis effertur *kuiſchen*, cujus antiquitas non debet eſſe ſuſpecta. Nam hinc manifeſto derivatur *keüſch* mundus, quod antiquum, item *cys-wuca* ſeptimana purgatoria, illa ſcil. in qua animæ per confeſſionem & cinerum ritum purgantur. Vocem Angloſaxonicam exhibent SOMNER. BENSON. & MARESCHALLUS pag. 523. Etymon vide in *aſche* aqua.

KEUT, ſemen genitale. Belgis *kuit* ſunt ova piſcium. Suevis *keuter*, *kauter* mas columbæ. Græcis κύθος ſperma, κύω concipere.

KEYSER, imperator. V. *kaiſer.*

KICHERN, a Lat. *cicer*, auctoribus Francis. Gloſſ. Pez. frixum cicer *giroupta chibburism.*

KIEF, *kiefer*, maxilla, mandibula. Belgis *kieuw*, Anglis prioribus *chaw*, teſte SKINNERO in Etymologico. Forte a *kauwen* mandere, ut Latinis *mandibula* a mando. Quamvis etiam metaphoricum eſſe poſſit, a Gr. κάπη præſepe, ob manifeſtam utriusque ſimilitudinem. Nam primo præſepe nihil aliud eſt quam locus edendi. Hinc ſcil. Græcis dicitur κάπη a κάπτειν manducare, Gothis *uzeta* Luc. II. 7. ab *itan* edere, Gallis *mangeoire* a *manger*. Mandibula autem quid eſt niſi locus edendi? Secundo præſepe eſt locus ſeptus, in quo pabulum jumentis apponitur. Et mandibula eſt locus dentibus ſeptus, in quem cibus ingeritur.

KIEFER, tæda, pinus, pinaſter, *kiefern-holz* lignum ejus arboris. Proprie eſt *kien-fôre* & *kien-fôren-holz*, quod optime vidit FRISCHIUS in explicatione vocis Biblicæ *tanne*. Sed plebs ruſtica delectatur contractionibus, ut literam aut ſyllabam lucrifaciat. Partes compoſiti vide in *kien* & *fore*. Res mira, quod Hebræis *gopher* idem ſignificet.

KIEFFER, vietor. V. *küffer.*

KIEL, calamus, *feder-kiel* ſcapus pennæ. Proprie eſt arundo cava, a Gr. κύλος cavus.

KIEL, carina, & venter navis. A cavitate, ut antecedens. Conſenſum linguarum vide in *kele* ejusd. ſignificatus.

KIEL-KROPF, infans ſuppoſititius. Vox hybrida. Prior compoſiti pars eſt a Gr. χέλω, quod apud HESYCHIUM exponitur dæmon, qui tenellos recenterque natos infantes puerperis ſurripit. Poſterior eſt a *kropf* ventriculus, & dicitur de puero a dæmone ſuppoſito, quia fertur inexplebilis adeo, ut nec quatuor nutricum rumis ſatiari poſſit. Hodie dixeris *teufels-kropf.*

KIEMEN, *keimen*, germinare. Gothi dicunt *keinan* Marc. IV. 27. quod imitantur Franci in *chinen*. Gloſſæ Veteres apud JUNIUM: pullulat *chinit*, promunt *chinint*, *frampringant*. Cum verbo hoderino conſentit Lat. *gemmare:* Cum veteri Gr. γεμίζω moveri ad germinandum. Confer *kym* germen.

KIEN, *kün*, tæda, lignum pingue & reſinoſum, *kien-ruſs* fuligo ex tali ligno, *kien-baum* arbor picea, *kien-holz* lignum piceæ, *kien-fôre* genus piceæ. PLINIUS earum arborum, quæ picem reſinamque gignunt, ſex genera cognatarum recenſet Lib. XVI. Cap. 10. Quæ cum omnia ſint conifera, hinc MARTINIUS concludit, quod *kien* ſit a *conus*, in voce *pinus*. Addere poterat, quod *kienfôre* ipſo auditu *coniferam* ſonet. Sed hic ſonus revera nos fallit. Nam *kien* ſignificat tædam, non conum. Et quemadmodum *tæda* ſic dicitur παρὰ τὴν δάϊδα, a δαίω uro, incendo, vel ipſo MARTINIO judice; ita *kien* eſt verbale a verbo Celtico *cynne* incendere, incendi, quod hodie ſuperat apud Cambros, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit.

Brit. Græci eodem ſenſu dicunt κλείω, quia ſcil. inter Linguam Celticam & Græcam perennis harmonia eſt.

KIES, ſabulum, glarea, arena. Utitur Luth. Eſa. XLVIII. 19. Sicut ψῆφοι a ψάω, & *ſtein* a *ſtan*, quia vi ſua ſtat: ita *kies* a κίεσθαι jacére, quia immobilis jacet in terra, derivari poteſt. Synecdochice dicitur de loco glareoſo, ut *kies* apud Berolinenſes, ante producta urbis pomœria.

KIESEL, ſabulum. SOMNER. in Dict. AS. *ceosl* glarea, ſabulum, *ceosl-ſtan* idem, *ſandceosl* arena, ſabulum, glarea. Diminutiv. a *kies*.

KIESEL, ſilex. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXIII. 93.

Got mag theſe kiſila,
Joh alle theſe ſelliſa,
Joh theſe ſteina alle,
Yrquicken io zi manne.

Vertit SCHILTERUS:

Deus poteſt hos ſilices,
Et omnes has petras,
Atque hos lapides omnes,
Vivificare in homines.

Ex eodem fonte. EL nonſolum diminuendi, ſed etiam derivandi medium eſt. Quid mirum, ſilicem a ſabulo denominari, in quo reperitur & naſcitur? Convenit per metatheſin χάλιξ, *ſilex*, & *cailloux*, & abſque metatheſi *cos* & *cautes*. In Belgio ſilex dicitur *kei*, quod nimia brevitate laborat, & ex aliquo præcedentium abſciſſum videtur. Vocem Saxonicam vide in *flint*.

KIESLING, ſilex. Gloſſ. Pez. calculus *chiſilinch*. Vi terminationis eſt lapis in ſabulo natus.

KIESEL-STEIN, ſignificat quantum poteſt, lapidem glareoſum & ſilicem.

KIESEN, guſtare. Senſus verbi primus & antiquiſſimus. Evang. Gothicum habet *kausjan* guſtare, & inde *kauſeith* guſtabit Luc. XIV. 24. *ni kausjand* non guſtabunt Marc. IX. 1. Magnam hoc verbum affinitatem habere cum Græco γεύω guſtus, & γεύω guſtabo, recte monet JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 220. Poſtera ætas dixit *küren*, ſibilo, ut ſæpe alias, in caninam mutato. Sed *kieſen* vetuſtius eſt, & ab illo orti ſunt reliqui ſignificatus per translationem, quia mens dum *deliberat*, *examinat*, *eligit*, videtur guſtare, idemque facere quod guſtus.

KIESEN, deliberare. Gloſſ. Pez. delibera *chius*, librare *gichioſan*.

KIESEN, explorare, probare. Evang. Goth. Luc. XIV. 19. *juka aubſne ushaubhta ſimf, jah ganga kausjan thans*, juga boum emi quinque, & eo probare illa. Id eſt, & eo, ut explorem & cognoſcam, an proba ſint, nec ne.

KIESEN, eligere, optionem facere. Gothis *kiuſan* in compoſito *uskiuſan* reprobare Marc. VIII. 31. Angloſaxon. *ceoſan*, *cyſan*, Francis *chioſan* &c. Belg. *kiezen*, Angl. *chooſe*, Suec. *keſa*, Island. *kioſa*, Gall. *choiſir*. TATIANUS Cap. LXIII. 4. *Maria gicos thas beziſta teil*, Maria elegit optimam partem. Cap. LXIX. 9. *ſenu min kneht then ih kos*, ecce puer meus quem elegi. Cap. CLVI. 5. *ih uueiz thie ih gicos*, ſcio quos elegerim. Hic ultimus & hodiernus verbi ſenſus, cujus gratia reliqui, quamvis antiquati, erant præmittendi. Quotusquisque enim eſt, qui, quid de illo intelligendum ſit, ſciat? Et talia ſunt omnia fere vocabula, quibus vulgo utimur, celebria quidem in ſermone & obvia, ſed quoad ſenſum veræ proprietatis ignota.

KILCH, ædes ſacra, & metonymice cœtus ſacer ſive Eccleſia. NOTKERUS Pſal. LXXIV. 9. *dar hus daz uns heilich chilcha*, ibi templum quod nobis ſancta Eccleſia. Inſcriptio ſymboli Alamannici apud GOLDASTUM Tom. II. Rer. Alam. pag. 134. *Chry dir alten Kilchin*, ſymbolum veteris Eccleſiæ. Cœnaculum, in quo Chriſtus ultimam cœnam cum diſcipulis celebravit, in verſione Ulphila-Gothica vocatur *kelik* Marc. XIV. 15. Hinc ſuſpicor, Gothos in memoriam hujus cœnaculi omnes ædes ſacras ob convivia myſtica appellaſſe *kelik*, eamque vocem Francos & Alamannos a Gothis acciſſe, ut plura alia, de quibus audire juvat WALAFRIDUM Cap. VII. de Reb. Eccleſ. *Barbaros in Romana Republica militaſſe, & multos Prædicatorum Græcæ & Latinæ locutionis peritos inter has beſtias, cum erroribus pugnaturos veniſſe: & eis pro cauſis multa noſtros, quæ prius non noverant, utilia didiciſſe, præcipueque a Gothis (qui & Guttoni), cum eo tempore, quo ad fidem Chriſti, licet non recto itinere perducti ſunt, in Græcorum provinciis commorantes, noſtrum, id eſt Theotiſcum ſermonem habuerint.* Helvetios, priſci ſermonis tenaces, templum & Eccleſiam etiamnum appellare *kilch*, teſtis PICTORIUS in Dictionario. Poſtea *kilch* pronunciari a vulgo cœpit *kirch*, obvia & familiari in multis vocabulis mutatione.

KIMMICH. V. *kümmel*.

KIND, proles. Gloſſ. Boxh. *chind* ſoboles. Gloſſ. Keron. filios *chindo*, filium *chind*. Proprie eſt natus, gnatus, a participio paſſ. verbi *kennen* parere, gignere. Convenit ſono & ſignificatu Græc. γοητὸς, Lat. *genitus*, & Angloſaxonicum *cenned* natus, productus. Nec aliunde Angloſaxonibus & Anglis *cild*, *child*, etiamſi litera L. in medio vocis reclamare originem videatur. Nam in ore Saxonico N. facile mutatur in L. Sic tentorium vocant *teld*, etiamſi ſit a *thenian* expandere. Poſtea ſenſus a recens natis ad omnes juniores translatus eſt, & primo quidem ad infantes, mox ab infantibus ad pueros. Gloſſ. Keron. infantes *chind*, infantum *chindo*, puer *chind*, puero *chinde*, pueris *chindum*. Inde *lehr-kind* diſcipulus; puer docendus, vel diſciplinæ alicujus commiſſus,

ſus, olim *lerenkind* in Jure Prov. Alam. Cap. 179.

KIND, fœtus animalis. NOTKERUS Pſal. XXVIII. 1. *bringent imo diu chint dero uuidero*, afferte Domino filios arietum. Hic ſenſus obſoleſcit.

KINN, mentum, maxilla. Græc. γένυς, γένειον, Lat. *gena*, Camb. *gên*, Goth. *kinn* Luc. VI. 29. Angloſaxon. *cinne*, *cin-ban*, Franc. & Alam. *chin*, *chinn*, Belg. *kin*, *koon*, Angl. *chin*, Island. *kinn*, *kinvanga*, Suec. *kind*. Gloſſ. Pez. malas *chini*. Gloſſ. Keron. maxillas *chinibahhon*. Cuncta ejusdem tribus, vel a *gienen* hiſcere, quod mentum diductum os hiare faciat, vel a κινεῖν movere, quod mentum ex oſſea capitis compage ſit pars unice mobilis, ac inter loquendum & manducandum continuo moveatur: unde etiam *mentum* ſic dici creditur a Latinis quaſi *moventum* vel *movimentum*. Illud placet SKINNERO, hoc aliis viris Doctis. Præcipuum compoſitorum eſt *cinnabar* mentum nudum, mentum imberbe, de quo juvat audire, cum teſtem vocabuli, tum interpretem. ISIDORUS Lib. XIX. Orig. Cap. 23. *Non nulle etiam gentes nonſolum in veſtibus, ſed & in corpore aliqua ſibi propria quaſi inſignia vendicant: ut videmus cirros Germanorum, granos & CINNABAR Gothorum.* LOCCENIUS in Lexico Juris Sueo-Gothici in voce *bær*: "*Cannabar* eſt vocabulum Go„thicum, a *kinno* mento, & *bar* nudo ita „dictum; quod quum viri doctiſſimi non „interpretati ſint, ejus explicationem hic „ex occaſione adjicere placuit. Hæc ille. CANGIUS veſtes Gothorum cinnabari infectas innui putat, ſed non perſuadet. Convenit autem *granis* & *cinnabaro* Gothico quam optime. Nam qui myſtacibus delectantur, ut hodie Poloni & Helvetii, non ſolent alere barbam in mento. De granis Gothorum vide plura in *gran* pili.

KIPE, corbis dorſuaria. In aliis Dialectis alia vaſa ſignificat. Græcis κίβος eſt capſula, κόφινος corbis, & quædam menſura, Latinis *capis* vas ſacrum, Cambris *cib* vas quoddam, Angloſaxonibus *cypa* cophinus Luc. IX. 17. *beliſon twelf cypan fulle*, ſuperfuerunt duodecim cophini pleni. Cuncta fortaſſe a notione cavitatis, adeoque a *kaw* cavus. Quamvis etiam a *kippen* capere eſſe poſſit, quia nonſolum manus, ſed etiam vacua capiunt. Metaphorice dicitur de votis & precibus inanibus, quia corbi vacuæ ſimiles ſunt, & nihil reportant. Inde proverbium *die kipe kriegen* repulſam ferre.

KIPER, victor. V. *küffer*.

KIPFE, *küpfe*, *kippe*, ſummitas, extremitas, prominentia cujuscunque rei. Utitur Luth. Hiob. XXXIX. 31. de prominentiis petrarum. Et in quibusdam Dialectis apex pilei, ſive pars pilei prominens, dicitur *kuppe*, *kupfe*, *kuffe*. Inde porro diminutiv. *kipleim*, quo utitur MATHESIUS in Sarepta de apicibus culmorum. Originem & cognationem vocis vide in *kopf* apex, cacumen. Nam *kopf* & *kipfe* in nulla re differunt niſi vocalium permutatione.

KIPPEN, nutare, inclinari ad terram, *auf der kippe ſtehen* pronum eſſe ad lapſum, in diſcrimine lapſus verſari. A Græc. κύπτω vergere, propendere

KIPPEN, capere, Dial. Belgica. A Lat. *capio*, & hoc ab Heb. *caph* manus, quia manu capimus. Confer verba ſynonyma *kommen*, *nemen*, *greiffen*, *kriegen*. Dicitur etiam de rebus vi captis. VEREL. in Ind. *kippa* attrahere violenter.

KIPPER, mutilator monetæ. Unde ſit, jam dixi in *kappen* cædere, præcidere, amputare, quod vide.

KIRCH, ædes ſacra, & metonymice cœtus ſacer ſive Eccleſia. Angloſaxon. *cyric*, *cyrc*, Alaman. *chirich*, Belg. *kerk*, Angl. *church*, Suec. *kyrckia*, Friſ. *tzierk*. Gloſſ. Keron. oratorium *chirihh*, oratorio *chirichun*. Ante Chriſtiana tempora delubrum & lararium Deorum in omnibus pene Germanorum Dialectis dictum eſt *horg*, ut in loco oſtendi. Quæ vox, cum parum abludat a *kirch*, ei naſcendi occaſionem dare potuit. An vero revera inde natum ſit (quod fieri potuiſſe apertum eſt), merito dubitat ECCARDUS in not. ad Leg. Rip. pag. 213. Credibile enim non eſt, primos Francorum & Saxonum Apoſtolos voluiſſe vocem lucis & Idoleis propriam in denominandis Chriſti ædibus retinere, etiamſi per ſe nihil aliud quam ſeptum ſignificet. Ipſe auctoritate WALAFRIDI Strabonis, Scriptoris a primordiis Chriſtianæ Religionis inter Francos non longe remoti, inductus, *kirch* declinat a Græc. κυριακὸν dominicum, quod ATHANASIUM in vita S. Antonii pro templo uſurpaſſe oſtendit. Eandem etymologiam ex Græci vocabuli proprietate defendit MARESCHALLUS in Obſervat. ad Verſ. Angloſaxon. pag. 535. Alii alias origines quærunt. LIPSIO derivatur a *cirb* circus, unde KERONI in Gloſſis *circulus* dicitur *umbincirh*. R. D. DIECMANNO a *rihhi* regnum, per medium præfixi *chi*, quod Eccleſia ſit regnum Chriſti. Fontes Hebræos, (quos etiam tangit ECCARDUS) utpote remotiores, & cæteris minus probabiles, nunc mitto. Quid ipſe ſentiam, jam ſupra expoſui in voce Gotho-Francica *kilch*.

KIRCH-HOF, cœmeterium. Proprie area ante templum, ab *hof* area. Olim *frithof*, quod vide.

KIRCHSPIL, *kirſpel*, parochia. Vox ita concepta eſt, acſi *nunciaturam eccleſiaſticam* denotaret, a verbo Gothico *ſpillon* nunciare, quod vide in *ſpil* ſermo. Alii tamen alias afferunt interpretationes, nec improbabiles, nec ſpernendas. STILERUS alteram compoſiti partem deducit a *ſpellen* ordinare, diſponere, quia parochia eſt diſtrictus eccleſiaſticus certis limitibus ab Epiſcopo definitus. At ſi Belgas ſcriptores audiamus, vox Germanica in vitio jacet, eſtque detorta

ex

ex alia & magis genuina *kers-poel* baptiſterium, *palus Chriſti*. *Kers* veteri Belgarum lingua *Chriſtum* denotaſſe, multa probant exempla, ſupra in ſede vocis adducta. *Poel* autem eſt palus, & dicitur de fonte ſacro vel baptiſterio, quia olim in paludibus & ſtagnis baptizabantur, qui paluſtria loca incolebant. Ejusque rei memoriam in multis pagorum apud Hollandos & Friſios nominibus, a baptiſterio *kers-poel* formatis, etiamnum extare ajunt. Hocmerito ſequimur, inquit MARTINIUS in voce *parochia*, & auctores etymi laudat *Kilianum* & *Petrum Nannium* Alcmarianum. Quidam *kirſpel* contrahunt in *kaſpel*, quod nimia brevitate originem occultat.

KIRCHWEIHE, encænia. Proprie eſt conſecratio Eccleſiæ, a *weihen* ſanctificare, & dicitur non ſolum de novi Templi dedicatione, ſed etiam de anniverſaria primævæ dedicationis feſtivitate. Gothi encænia vocant *inniujitha* quaſi innovalia Joh. X. 22. Angloſaxones *tempel-balgunga* ibidem in Textu, ſed in Rubrica *cyric-balgung*. De his aliisque ejusdem feſti nominibus vide docte differentem MARESCHALLUM loco citato. Vulgus in Suevia dicit *kirweih* pro *kirchweih*, ut vulgus Saxonicum *kirmeſs* pro *kirchmeſs*, quod proprie eſt feſtum Eccleſiæ.

KIRR, cicur, tractabilis, manſuetus, *kirren*, *kirr machen* manſuefacere, mitigare feritatem naturæ. Index Verelianus: *kyrr* tranquillus, placidus, *kyrletti* manſuetudo, *kyrligr* manſuetus. In eodem Indice occurrit etiam *kyr* & *kyrlega* eodem ſenſu, quia ſcil. K. & H permutantur. Sed K. origini propinquius, quia *kirr* videtur deſcendere a *keren* vertere, mutare naturam. Niſi ſit a Lat. *cicur* per ſyncopen vel aphæreſin.

KIRREN, *quirren*, *girren*, gemere, queri. Gloſſ. Pez. ingemuit *quar*. Idem Belgis *kirren*, & fortaſſe a Lat. *queri*. Hodie non dicitur niſi de gemitu columbarum.

KIRREN, murmurare. VEREL. in Ind. *kur* murmur, *kura* murmurare. BENSON. in Voc. AS. *ceorian* obmurmurare, *ceorung* obmurmuratio. Fictum a ſono quem murmurantes edunt.

KIRREN, ſtridere. Onomatopœia a ſtridore januarum & rotarum deſumpta.

KIRREN, allicere, ineſcare. Verbum faceſſens a *geren* cupere. Quid enim eſt allicere, niſi facere ut concupiſcat?

KIRSCHE, pomum Ceraſuntis, Græc. κεράσιον, Lat. *ceraſum*, Armor. *kiris*, Angl. *cirie* &c. Suevis *gries-ber*, an ab oppido Ponti, ut reliqua? Dubito, etiamſi *kiris* facile mutetur in *gries*: potius ab oſſea ſubſtantia intra baccam, quam illi vocant *gries*, quia calculum refert. Hiſtoriam arboris paucis complexus eſt TURNEFORTIUS Part. III. Itin. Epiſt. 17. cujus verba absque interpretatione hic apponam, quia Gallica ubique leguntur cum voluptate: *La campagne de Ceraſonte nous parût fort belle pour herboriſer. Ce ſont des collines couvertes de bois, ou les Ceriſiers naiſſent d' eux-mémes. Saint Jerosme a crû que ces ſortes d' arbres avoient tiré leur nom de cette ville, & Ammian Marcellin aſſure, que Lucullus fût le premier qui fit tranſporter de là les Ceriſiers à Rome. On ne connoiſſoit pas, dit Pline, les Ceriſiers avant la bataille que Lucullus remporta ſur Mithridate, & ces arbres ne paſſerent que cent vingt ans aprés en Angleterre.*

KISTE, arca. V. *kaſte*.

KITT, maltha. V. *kütt*.

KITTEL, penula. V. *küttel*.

KITZELN, titillare. V. *kützeln*.

KIWITZ, *kiwit*, nota avis, ab imitatione vocis nomen ſortita. In quibusdam Galliæ locis vocatur *disbuit*, velut octodecim, quod cantu ſuo tale quid ſonare videatur, teſte MARTINIO in voce *vanellus*.

KIZ, *kizlein*, capra, capella. V. *küz*.

KLAFFEN, garrire. V. *klappen*.

KLAFFEN, hiare. A Belgico *kloove* rima, fiſſura, quod eſt a *klooven* findere. Antiquitatem verbi vide infra in *klöben*.

KLAFFEN, latrare. Quidam vir doctus deduxit ab Heb. *caleb* canis.

KLAFTER, orgyia, menſura ſex pedum. Alia Dialecto *laſter*, unius literæ damno. Rhythmus de S. ANNONE §. 10. de turri Babylonica: *Vieri duſent lafterin hoch*. Ab initio fuit (& etiamnum eſt) menſura lignaria, quæ alias vocatur *felvage*, a lignis transverſis. Et hujus ſignificationis etiam eſſe poteſt *klafter*, ſi derivetur a Lat. *clathri*, per epentheſin. Primos inventores ad Latinam vocem reſpexiſſe, vel hinc credibile eſt, quia eadem menſura alia lignariorum corruptela dicitur *ſchlater*, a *clathri*, præpoſito S.

KLAGE, lignum fiſſum. V. *klöben* findere.

KLAGEN, parvuli, apud Berolinenſes. Vox antiquiſſima, & a primis (ut videtur) Pomeraniæ incolis, Vandalis inquam Gothiſque, vicinis populis relicta. Evang. Goth. Luc. X. 21. *jah andhuſides thaniu klahaim*, & revelaſti ea parvulis. Confer *klein* parvus.

KLAGEN, queri, conqueri, lamentari, *klage* querimonia, *kleglich* lugubris & lugubriter. Gloſſ. Pez. lamentatrices, *chlagara*, lugubri *chlagalibhemo*. Gloſſ. Keron. cauſetur *chlagoe*, cauſentur *ſm kichlagot*. Ubi obſervandum, quod *cauſari* in Regula S. BENEDICTI ponatur pro *conqueri*. Nam Cap. 3. interdicitur Abbati, ne *cauſetur*, i. e. ne conqueratur de de minore ſubſtantia monaſterii. Et Cap. 55. interdicitur Monachis, ne *cauſentur*, i. e. ne conquerantur de colore & groſſitudine veſtimentorum. *Cauſari* autem non eſt paſſivum, & hinc *cauſentur* inſcite vertitur *ſin kichlagot*, cum vertendum fuerat *chlagent*. Græcis κλάζω & κλαγγὴν eſt clamare, & κλαίειν flere, quæ cæteris videntur affinia.

KLAGEN, ſenſu forenſi eſt accuſare, & inde *klage* accuſatio, *klæger* actor, accuſator, *klag-ſchatz* ſportulæ ex accuſationibus, ſed recentioribus tantum. *Clagen* & *beclagen* pro accuſare, & *clager* pro actore, extant in Jure prov. Alam. Cap. 77. & 78. Verba antiquiora vide in *rügen*.

KLAMMER, harpago. Originem & antiquitatem vide in *klemmen* conſtringere.

KLANG, clangor, κλαγγὴ. Refer ad *klingen* tinnire.

KLAPF, ictus, vel ſonus ex ictu, *donner-klapf* tonitru, fragor fulminis. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *clap*, ictus, crepitus. Utrumque Belgis *klap*. Refer ad *klopfen* ferire, pulſare.

KLAPPE, operimentum. Forte a κλείθω abſcondo.

KLAPPE, cantharus ligneus, qui zytho vendibili eſt pro hedera. Poſſit eſſe a *kleiben* vocare, quia plebs hoc ſigno ad cereviſiam convocatur.

KLAPPEN, *klapfen*, ſonum edere pulſu, vel ſimili motu, *mit hænden klapfen* plodere manibus, *mit der geiſel klappen* ſonum edere flagello, Nahum III. 2. *zæn-klappen* ſtridor dentium, Matth. VIII. 12. A *klapf* quatenus ſonum ex ictu denotat. Hic ſenſus transferri ſolet ad ſtrepitum & verbera linguæ. Inde Belgis *klappen* garrire, *klap*, *geklap*, *klapperny* garritus, noſtris *klaffen* garrire, effutire, *klaffer*, *kleffer* nugator, delator, quo utitur Luth. Sir. LI. 7.

KLAPPERN, crepitare. Frequentativum a *klappen*. Inde *klapper-werk*, *klepper-werk* crepundia, *klapper-ſtorch* ciconia crepitans, & alia, pueris nota. In reliquis ſenſus transfertur ad linguam, ut ſupra. Inde *klapper-maul* os garrulum.

KLAR, opponitur obſcuro, & ſignificat quantum poteſt, nonſolum apud nos, ſed etiam apud Græcos, Latinos, & Celtas. Et Græcis quidem dicitur γλαυρὸς & γλαυσὸς, a γλαύσω ſplendeo, unde Latinis *clarus*, Cambris *claer*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *claer* clarus, *disglair* ſplendens, ſplendidus, lucidus. Cum verbo Græco confer *gleiſſen* & *glitzen*.

KLAR, eyer-klar, albumen ovi. Gall. *glaire d'œuf*. Proprie eſt glaucum ovi, a *glær*, glaucus, cæruleus, non *clarum ovi*, ut Scriptor celebris exiſtimat. Hinc a Gallis rectius ſcribitur per G. quam a noſtris per K. Cæterum quod Germanis & Gallis in ovo videtur glaucum, id aliis videtur album. Hinc albumen ovi Angloſaxonibus dicitur *æges hwite*, Suecis *ægge hwitt*, Belg. *eiwit*.

KLATSCH, ictus, vel ſonus ex ictu. Fictum videtur a ſono, quem in aliis quoque vocibus verborum architecti imitantur.

KLATSCHEN, pulſare, cum ſono ferire, *auf den hinderſten klatſchen* verberare nates manibus. A *klatſch* ictus.

KLATSCHEN, ſonum edere verbere. A *klatſch* ſonus ex ictu. Proprie dicitur de complosione manuum, & agitatione flagelli. Græcis κλαζειν eſt clangere, reſonare, cognato ſignificatu. Vulgo transfertur ad ſtrepitum & verbera linguæ, ut *klappen*, *klappern*, & ſimilia. Inde *klatſchen* garrire, *klætſcher* nugator, delator, *klætſcherei* garritus, delatio.

KLAUBEN, carptim legere, *zuſamen geklaubt* hinc inde decerptus. MARTINIUS in Lex. Philolog. a *glubo Germanis eſt klauben*.

KLAUSE, proprie eſt *locus clauſus*, & Latinæ originis, quamvis etiam ad verba vetera referri poſſit. Vide illa in *ſchlieſſen*. Per ſynecdochen generis dicitur de omnibus locis anguſtis. Hinc anguſtiæ viarum & fauces montium Latino-Barbaris vocantur *cluſæ* apud CANGIUM, & Angloſaxonibus *cluſan* apud SOMNERUM, quia ſcil. itinera claudunt.

KLAUW, unguis in genere volatilium, ungula in genere quadrupedum. BENSON. in Voc. Angloſaxon. *clea* ungula, *clawu* ungues, *clofen* fiſſus, *cleafan*, *clifan* findere. Gloſſ. Pez. ungula *cloa*, in ungue *in cloawe*, finderit *chliubit*. Scilicet ab hoc verbo (quod hodie effertur *klöben*) nomen invenit, quicquid a natura vel aliunde fiſſum eſt, ut pedes fiſſi & unguiæ fiſſæ animalium, herbæ fiſſæ, imo etiam ligna fiſſa, & omnes rimæ vel fiſſuræ, ut ibidem oſtendi.

KLAUW, unguis ipſius hominis, ſaltim in lingua ruſtica, ob ſimilitudinem manus fiſſæ cum pedibus fiſſis vollatilium. Habent autem ruſtici, quo vocem ſuam tueantur, auctoramentum Antiquitatis. Leges Friſiorum in Addit. Tit. III. 44. *Si quis alium unguibus crataverit, ut nonæ ſanguis, ſed humor aquoſus decurrat, quod* CLADOLG *vocant*. Id eſt, vulnus ex ungu ibus. Nam *dolg* in iisdem Legibus Tit. XXII. vulnus ſignificat, nec Friſionibus tantum, ſed etiam Angloſaxonibus in Dictionario SOMNERI, & Francis apud OTFRIDUM Lib. III. Cap. XXV. 53.

Thaz ſi giſunt therſelbo folk
Thuruh thes einen mannes dolk.
Ut ſanetur populus
Unius hominis vulnere.

KLAUWEN, manus hominum rapacium & habendi cupidorum, ob ſimilitudinem cum unguibus aquilinis aut milvinis, qui non facile dimittunt prædam.

KLAUWEN, male ſcribere, *geklauwe* male pictus. Verbum ab unguibus formatum in Sax. inf.

KLEBEN, hærere, adhærere. Angloſaxon *cleofan*, Franc. *kliban*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. VI. 71. *balo ther uns klibit*, malum quod nobis inhæret. Ibid. Cap. IX. 74. *zi herzen er 'mo klebita*, cordi ejus adhærebat. Quod dicitur de perſonis valde dilectis per allegoriam, qua etiamnum delectamur. Veroſimile eſt, hoc verbum ab aliqua materia lenta & tenaci formatum eſſe, qualis eſt apud Græcos γλία, κόλλα, gluten, apud Cambros

clai

clai lutum, argilla, apud Francos *cliba* lappa. Gloſſ. Pez. lappa *cliba*. Gloſſ. Ælf. lappa *clyf-wyrt*.

KLECK, macula, probrum, *beklecken* maculare, probro afficere. VEREL. in Ind. *klækr* opprobrium, crimen, *klækis ord* verba infamantia, *klækis menn* opprobrio digni. Cuncta vitiata e Belgico *kladden* maculare, quod eſt a *litu* per proſtheſin. Dſæpe mutatur in K. &K. ſæpe præfigitur, ubi minime neceſſarium.

KLECKEN, ſufficere, *es kleckt nicht* non ſufficit, *erklecklich* ſufficiens & ſufficienter. Verbum Suevis uſitatum, contractumque ex Alamannico *kenuacan* ſufficere, mutato N. in L. Uſum Francorum primus nobis oſtendit cel. SCHERZIUS ex Colloquio Mariæ Magdalenæ cum hortulano apud OTFRIDUM Lib. V. Cap. VII. 103. *ni klekent mih zi heiti thio liebun arabeiti*. Quæ verba ille ſic vertit: *nec ſufficiunt mihi juxta votum grati hi labores*. Optime, ſi quid video. De verbo Alamannico vide plura in *genügen*.

KLEE, trifolium. Brevitate obſcurum, Angloſax. *cleſer-wyrt* eſt trifolium minus, idemque Belgis & Anglis *klaver*. Omnino melius. Sic enim dicitur, quaſi folium triſulcum, a *kloben* findere. Galli a *trifolium* habent *treffe*.

KLEI, furfur. V. *kley*.

KLEIBEL-TAG, Feſtum annunciationis Mariæ. Viguit ante pauca ſæcula *klybel-tag* & *bekleibungs-tag* eodem ſenſu, ut ex Calendario Medii Ævi Dn. Haltauſii §. 20. intelligo. Feſtum annunciationis nemo reperiet in voce. Et nihilominus vox ita concepta eſt, ut triplici ejus diei myſterio perfecte reſpondeat. Significare enim poteſt, (1.) *diem vocationis* beatæ virginis ad magnum opus conceptionis, a *kleiben* vocare. (2.) *diem amplexus* Spiritus S. a *kleiben* amplecti. (3.) *diem incrementi*, five uteri virginei, ſive fœtus divini in utero, a *kleiben* creſcere. Quorſum reſpexerint primi nominis inventores, in iſta ſenſuum optimorum & fontium ubertate, nemo facile dixerit.

KLEIBEN, vocare. Vetus Saxonicum. SOMNER. in Dict. Angloſax. *clypian* vocare, *clypunga* calendæ, *clypunge* vocatio. Verſio Angloſax. Matth. XX. 16. *manega ſynt geclypode and feawa gecorene*, multi ſunt vocati & pauci electi. Derivari poteſt a Cambro-Britannico *llef* vox per proſtheſin. Ætas Lutheri pro *kleiben* dixit *lieben*, quod cum Britannica origine melius convenit. Inde *zulieben* invocare, 2. Sam. XXII. 42.

KLEIBEN, amplecti. Angloſax. *clyppan* apud SOMNER. & BENSON. Anglis *to clipp*. Quod SKINNERUS absque nota dimiſit, etiamſi facile deflecti poſſit a Gr. κλάω plico, per metatheſin. Nam hinc quoque Latinis eſt *amplexus*.

KLEIBEN, creſcere, *wol beklieben* bene cretus. Opinor ab Attico λαῦν capere, per proſtheſin literæ K. quæ ſæpe eſt augmentum initiale. Capit autem non ſolum manus, ſed etiam radix & planta, dum fibrillis ſuis ſuccum terræ attrahit. Hinc *capere* ſyncdochice ponitur pro *creſcere*, quia creſcere eſt capere augmentum. Ita creſcere alias dicitur *zunemen*, i. e. accipere, attrahere, ducta allegoria a manu. De verbo Attico vide plura in *law* manus.

KLEIBEN, adhærere. Idem quod *kleben*, & ex eodem fonte.

KLEIBEN, lutare, illinere. Id eſt, facere ut adhæreat. Eſt enim verbum faceſſens a *kleben*, *kleiben* adhærere. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XX. 45.

Thaz kleibt er imo, ſo er es ni bat,
In thero ougono ſtat.
Hoc illevit ei, etiamſi id non peteret,
In locum oculorum.

Dicitur etiam *klan* per contractionem, in Gloſſ. Teut. SCHILTERI.

KLEIBEN, findere. V. *klöben*.

KLEID, veſtis. Apud Francos hactenus non occurrit. Angloſaxones autem multa habent, quæ huc ſpectant, ut ſunt, *clath* pannus, *clathu* veſtimenta, *cladeð* veſtitus, *linene clath* linteum, *clath-ſceara* forfex. Quibus addi poteſt ex Indice VEREL. *pells klædi* veſtes ex byſſo, *ſutar-klutar* veſtes lugubres, a *ſut* luctus, mœror. Origo vocis a Græciſſantibus refertur ad κλώθω neo, a STADENIO ad *hloda* adhærere, quod tribuit Suecis, in Voc. Bibl. pag. 353. Mihi præ cæteris placent origines Celticæ. Celtis autem *clyd* eſt omne calorificum, ſive locus ſit ſive veſtis. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *clyd*, calens, calorificus: De loco dicitur qui frigore immunis eſt & a frigore defendit, & de veſte quæ bene frigus avertit. Hæc ille totidem verbis. Hinc radix videtur eſſe κηλέω, quod apud HESYCHIUM exponitur θέρμω, i. e. calefacio.

KLEIN, parvus, minutus. Francis *chilin*, *chlen*, & *clein*. Lex Salica Tit. XXXII. 8. *mine chleno* digitus minimus, a *min* parvus. Gloſſ. Boxh. *eſilin chilin* aſellus. Gloſſ. Pez. minutias *chlenno*, minuta *deiniu*, forte *cleiniu*. WILLERAMUS III. 6. *cleyna riuchgerda* parva virgula fumi. Gloſſa Juniana in Obſerv. ad Will. pag. 91. *melo cleiniſta* polenta, quaſi dicas farina minima. Unde deſumtus ſit hic ſenſus, non convenit inter Græciſſantes. JUNIO videtur derivatus a κλάω frangere, ut prima ſua ſignificatione intellecta ſit vox de rebus in minutiſſimas partes confractis. MARTINIO a κελεύω minuere, mutilare. Contra HELVIGIO *klein* ſit ab ἐλαχύς parvus, per accuſat. ἐλαχύν, literis tamen tranſpoſitis. In Codice Arg. uſurpatur ſubſtantive. Inde *klabain* parvuli Luc. X. 21.

KLEIN, ſubtilis. Senſus a minuto ad ſubtile translatus, ſed Francis unice proprius, quibus *clein* ſubtilis, *cleino* ſubtiliter, *cleini* ſubtilitas, ſolertia, *cleine uuorto* ſubtilia verba, *cleine githanko* ſubtiles cogitationes dicuntur.

tur. Delectatur hoc ſenſu præcipue OTFRIDUS, ut ex teſtimoniis a Stadenio in Voc. Bibl. pag. 353. & Schilterō in Gloſſ. pag. 182. prolatis patet. Hodie ceſſat.

KLEIN, pretioſus. Senſus a ſubtili ad pretioſum extenſus, quoniam ſubtilia ſolent eſſe cara. Non occurrit, niſi apud Francos. OTFRIDUS Lib. III. cap. XX. 127. de Judæis & Sabbato:

Abtotum is reinor,
Joh harto filu kleinor.
Æſtimabant illud purius
Et multo pretioſius.

Apud Celtas adjectivum tranſit in ſubſtantivum, quo ſit, ut eadem vox illis ſubſtantiam pretioſam ſignificet. Inde Cambris *glain* gemma.

KLEIN, mundus, pulcher, venuſtus. Cambris *glan* eſt mundus, nitidus, Angloſax. *clæn*, *clene*, mundus; purus, *clænlic* pure, *clænnyſſe* mundities, *clænſan*, *clænſian* purgare, mundare. Luc. XVII. 17. *hu ne ſynt tyn geclenſude*, nonne decem mundi facti ſunt? Anglis *cleam* hodieque eſt mundus, nitidus, venuſtus, ſive a Gr. καλὸν pulcrum, ſive a καλλύνω purgare, mundare, polire.

KLEINOD, ſubſtantia pretioſa, & mole exigua, ut ſunt aurum, gemmæ, monilia, & omnis in arctum coacta naturæ rerum majeſtas. Gr. inf. κλεινώδιον. Lat. Barb. *clenodium*. Quædam voces ſunt bigeneres, ut *kunſt* ars, a *kennen* noſſe & poſſe, *draut* fidus, a *trauwen* fidere & fidem promittere, *leumde* fama a *leum* ſonus & auditus, *tugend* virtus a *taugen* poſſe & prodeſſe, *ſchleuſe* aquæductus a *ſchlieſſen* claudere & aperire &c. Ejusdem indolis videtur eſſe *kleinod*, ſi componatur ex *klein* parvus & pretioſus, & *od* ſubſtantia. Nam gemmæ nonſolum ſunt res pretioſæ, ſed etiam divitiæ in compendio. Utrumque reſpicere potuerunt primi inventores. Quamvis etiam ſimpliciter derivari poſſit a *klein* pretioſus, per terminationem *od*, cujus ea vis eſt apud Francos, ut ex adjectivis ſubſtantiva faciat. Exempla vide in *Proleg.* Sect. VI. Quicquid ſit, vox pure Germanica eſt, non Græca aut a Græcis petenda, ut CANGIUS exiſtimat, etiamſi nugas eorum, qui vocem ex *klein* & *not* compingunt, tanquam aliquid quod *exiguæ neceſſitatis* eſt, ſignificet, merito rejiciat.

KLEINOD, ſubſtantia parva, & parvo parabilis. Itinerarium Terræ Sanctæ Francofurti ad Mœnum an. 1584. in fol. impreſſum pag. 57. *bringende mit ihnen wein und brot, kochfleiſch, hüner, eyer, und frücht, auch ander kleynoten*, afferentes ſecum vinum & panem, carnes ad coquendum, gallinas, ova, poma, & alia cleinodia. In hoc compoſito *klein* non ſignificat quantum poteſt, ſed præciſe mole & æſtimatione parvum. Hodie obſoleſcit.

KLEISTER, gluten farreum. A *kliſſen* adhærere & compingere. Græcis γλοιὸς eſt viſcoſus, & γλοιότης viſcoſitas. Quæ nonſolum ſono, ſed etiam ſenſu videntur accedere.

KLEMMEN, conſtringere, *beklemmt*, *beklummen* conſtrictus, compreſſus, *klemme* anguſtia. Angloſaxonibus *clam* eſt vinculum, ligamen, retinaculum, *ærenu clommas* ferrea vincula, *hearde helle-clommas* dura inferni vincula, apud SOMNERUM. Hodie *klammeren* ſunt ferreæ harpagines, quibus tigna, aſſeres, aut lapides compinguntur. Totum agmen ducit *clam* vinculum, quod eſt a κλεὶω claudo, per medium derivandi M.

KLEMPERN, metallum malleo tundere, *klempener* crepundiorum faber, *klemperwerk* crepundia. Angloſaxonibus *clympre* eſt metallum, Sorabis *klapor* malleus. Ab alterutro eſt præſentis verbi forma.

KLEMPERN, fraudare, circumvenire. A Gr. κλέμμα fraus, obreptio, circumventio. Utimur in proverbio, *klempern gehört zum handwerk*.

KLEPPER, ſignificare poteſt, vel *curſorem*, ab antiquo *hlauffan* currere, mutato H. in K. vel *celetem* qui ungula campum quatit, a *klopfen* pulſare, vel *equum farcinarium*, ſi Scandicæ originis ſit. VERELIUS in Ind. *klif* farcina, *klifia* farcinam clitellis imponere.

KLETTE, lappa. Gloſſ. Ælf. in nom. herb. blitum vel lappa *clate* vel *clyf-wyrt*. Gloſſ. Pez. lappa *chledda*, lappa *cheldwurz*, *cliba*, Belgis *kliſſe*, Lat. *glis*, *gliſſis*. Cuncta ab adhærescendo, ut docet MARTINIUS, cujus hæc ſunt verba: "*Glis*, *gliſſis*, lappa, *gliſſoſus* lappoſus, lappa ſeu gliſſe plenus." Sic vetus Dictionarium. Vox Latinis ſcriptoribus incognita & barbara, tamen cauſa ejus idonea, quia lappa tenaciter adhæret & quaſi adglutinatur rebus comprehenſis, ubi ſe affigere poteſt, ut panno. *Kles-ſe* & *kliſſe* eſt lappa Belgis. Alii Germanorum dicunt *kletse*. Flandris *kleſſen* eſt affigere, adhæreſcere, aliter *kliſſen*." Hæc ille in voce *glis*. Cum verbo Flandrico conveniunt quædam Scandica, cujusmodi ſunt apud STIERNHIELM. in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 90. *luda*, *hloda* adhærere, *kladda*, *kludda*, compingere, facere ut adhæreat. Ad affinitatem videtur ſpectare, quod gluten farreum Germanis appellatur *kleiſter*, ſive quia facile adhæret, ſive quia glutinat & compingit.

KLETTERN, per ardua & prærupta ſcandere. Belg. *klauteren*, Germ. inf. *kladdern*. A clivo, qui Celtis dicitur *llethr*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *llethr* clivus, locus acclivis. Ab initio videntur dixiſſe *klettern*, mox *chlettern* & *klettern*.

KLEVE, clivus. SOMNER. in Dict. AS. *clif* clivus, *clifiht* clivoſus. Saxonico idiomati aſſonat Danicum vetus, in quo *kleif* terra acclivis dicitur, interprete WORMIO in Literatura Runica. Videtur autem oriri a verbo Suecis & Islandis uſitato *khyfwa*, *klifia* ſcandere, vel ἀμέσως a Lat. *clivus*, i. e. locus declivis & adſcenſu difficilis. Sigambriam

briam trans Rhenum inde CLIVIAM vocari, regio ipſa, quæ valde clivoſa, ſatis oſtendit.

KLEUEL, glomus. Diminutiv. ab Angloſax. *cliwe*, *clywe* globus, ſphæra, quod ſuperat apud Anglos in *clew*. Idque vel a Lat. *globus*, converſo B. in W. vel a Gr. κυλίω volvo.

KLEY, *klew*, furfur, pellicula a frumento inter molendum detrita. Gloſſ. Pez. furfures *cliuua*. Unde, niſi a κλάω frango? Hoc ſe probavit MARTINIO.

KLIEBEN, V. *kleiben*.

KLIMMEN, ſcandere. Angloſax. *climan*, *climbau*, Belg. *klimmen*, Angl. *to climbe*. Forte a κλίμαξ gradus, clivus, vel hoc ab illo.

KLIMPEN, paſtilli ex maſſa farinacea. Ejusdem originis ut *klump* maſſa.

KLINGEN, tinnire, *klang* tinnitus, *klinge* lamina enſis, quia tinnit & tinnitu probatur. Gloſſ. Pez. tinniens *chlengontaz*. Similia ſunt Gr. λίγγω & κλάγγω reſono, & Lat. *clango*. Olim etiam torrentes appellabant *klingon*, quaſi fragoſos, a ſonitu & ſtrepitu quem edunt. Hoc ſenſu *chlinga* ſæpe occurrit apud NOTKERUM in Pſalmis. SCHILTERUS huc etiam refert ex ore vulgi apud Jenenſes *klingelbrunn* fons ad torrentem, in Gloſſ. Teut. pag. 517.

KLINGENSTOCK, præpoſterum compoſitum pro *ſtock - klinge*. Nam proprie non ſignificat baculum, in quo enſis reconditur, ſed ipſam laminam in baculo reconditam. STILERUS in Theſ. L. Germ. *klingenſtock* dolo, ferrum in ligno occultum. De hoc armorum genere vide plura in *dolch* & *framea*.

KLIPPE, rupes montana. Angloſax. *clif*, *cliof*, Angl *cliff*, Belg. *klip*. STILERUS vocem ducit a *klimmen* ſcandere, quia difficilis aditu. Cui etymologiæ favet, quod ſcandere Angloſaxonibus dicitur *climban*, unde fieri poterat *klimpe*, & poſtea *klippe* per ſyncopen SKINNERUS rejecta eorum etymologia, qui a Lat. *clivus* deducunt, derivationem inſtituit a *kleben* findere, ut proprie ſit petra fiſſa, quomodo etiam Latinis *rupes* a *rumpo* venire creditur. Aliam conjecturam, quæ mihi aliquando in mentem venit, ludendi cauſa apponam. Notum eſt, rupes & omnia loca ſaxoſa aſſonare clamantibus, & acceptas repercutere voces. Inde eſt, quod Echo apud OVIDIUM in vocem & ſaxa vocalia transmutata fingitur.

- - Vox tantum atque oſſa ſuperſunt.
Vox manet: oſſa ferunt lapidis traxiſſe figuram.

Vide ergo, annon *klippe* ſit vox Mythica, a *kleiben* vocare oriunda, quia, ut rurſus ait OVIDIUS,

Vocat illa vocantem.

KLIPPE, ſcopulus marinus, non prominens, ſed ſub aqua latens, nautaſque decipiens. Hic ſenſus videtur a præcedenti diverſus, & jure deduci poſſe a Gr. κλέπτω, κλέπτων, καλύπτων fallere, occulere.

KLIPPEL, fuſtis. V. *knüppel*.

KLISSEN, *kleſſen*, ædhærere, & facere ut adhæreat. De hoc verbo ejusque domicilio & cognatione actum in *klette* lappa.

KLOBE, ames, inſtrumentum quo aves capiuntur. NOTKERUS Pſal. CXXIII. 7. *unſer ſela iſt irloſet uzzer dero fogelaro chloben*, anima noſtra erepta eſt de muſcipula aucupum. WINSBEKIUS ad fil. §. 29. *gut das iſt gitikeit ein klobe*. Utitur Luth. Jer. V. 26. Vide *klöben* findere.

KLOBEN, *klöben*, *klieben*, findere. Angl. *cleafan*, *cleofan*, Franc. *chliuban*, Belg. *klieven*, *klooven*, Angl. *to cleave*, Suec. *klyfwa*. BENSON. in Voc. Angloſax. *cleafan*, *cleofan* findere, *cleofed* fiſſus, *clofen* fiſſus. Gloſſ. Pez. finderit *chliubit*. VERELIUS in Ind. *klöfvat* biſulcum. Inde nomen invenit, quicquid a natura vel aliunde fiſſum eſt, ut,

klobe, ames, pertica, lignum fiſſum aucupio faciendo.
klee, folium triſulcum.
klaw, unguis, fiſſi pedis digitus, proprie fiſſura pedis vel manus.
klaw, lignum fiſſum, quod ruſtica lingua mutavit in *klage*, quia W. converti ſolet in G.
kluft, hiatus, chasma.
klove, rima, fiſſura, Dialecto Belgica.

Cuncta, uti patet, a fiſſura vel naturali vel aliunde facta. Sed unde *klöben* pro findere? Credo a *keil* cuneus. Nam hinc legitime fit primo *keilen* cuneare, cuneo dividere, quod etiamnum ſuperat in compoſito *zerkeilen* cuneo diffindere; & poſtea ab illo *cleafan*, *klieven*, *kloben*, unius literæ & valde mobilis transpoſitione, alterius vero inſertione. Noli confundere cum *kleben* adhærere.

KLOCKE, *glocke*, campana, nola, tintinnabulum. Cambris *cloch*, Angloſax. *clugga*, VERELIO in Indice *klokka*, Gall. *cloche*, Lat. Barb. *clocca*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cloch* campana, nola, *clocc* horologium, *clochdy* campanile. NOTKERUS a ſono fictum exiſtimat Pſal. LXXX. 3. *Das ſaltirſanch heizet nu in Dutiſcun rotta a ſono vocis, quod Grammatici factîcium vocant, ut tintinnabulum & clocca*. De *rotta* videbimus infra. De *clocca* dubito. Nam *klocken* priſcis eſt pulſare, quod apprime convenit campanæ, ſive intus piſtillo, ſive extus malleo pulſetur.

KLOCKEN, pulſare, ferire. Gloſſ. Keron. pulſat *clobhot*, pulſaverit *chlocchit*, pulſans *chlochonti*. Quod dicitur in Regula S. Benedicti de iis, qui portam Monaſterii pulſant Cap. 58. & 66. Neſcio, annon *knocken* antiquius ſit. Nam tundere, pulſare Angloſaxonibus dicitur *cnucian*, Cambris *cnoccio*, Anglis *to knock*. Francos N. mutaſſe in L. ſatis credibile eſt. Allegorice uſurpatur de animo, ſubito rei ingratæ occurſu perculſo.

culſo. VEREL. in Ind. *klokna* re inopina, adverſa præſertim, percelli, *klokk Joſaphat* perculſus fuit Joſaphat, *af klaukku hiarta* corde perculſo.

KLOPEL, *klöpel, klöpfel*, piſtillum campanæ. Ab officio pulſandi ſic dictum, vel quod figuram clavæ referat, cujus uſus antiquior piſtillo. V. *klopfen* pulſare.

KLOPFEN, pulſare, percutere, ferire. Francis *clopfen*, Belg. *kloppen*, Suec. *klappa*, Sorabis *klapu, klepu*. TATIANUS Cap. XL. 4. *clopfet inti ju inttuot man*, pulſate & aperietur vobis. Et mox: *clophentemo uuirdet gioffanot*, pulſanti aperietur. Verbum antiquum, & multorum idiomatum derivatis conſpicuum, quamvis ſolis Francis inter veteres cuſtoditum. Inde

Latinis *clava*, telum ligneum, non quod clavo ſimilis, aut ferreis clavis munita, ſed quod ſit inſtrumentum pulſandi & pugnandi vetuſtiſſimum. Virg. Æn. 10. *ſternentes agmina clava.*

Cambris *clwppa* clava, *clap* ictus, crepitus, apud BOXHORNIUM in Lex. Ant. Brit.

Sorabis *klapa* clava, *klepa* piſtillum, malleus campanæ, *klapani* pulſatio, *klapor* malleus, crepitaculum, apud FRENZELIUM in Originibus Sorabicis.

Latino-Barbaris *colpus* ictus, in Lege Salica Tit. XX. 1. *Si quis alterum voluerit occidere, & colpus præterfallierit.* Reſtat eo ſenſu Italis *colpo*, Hiſpanis *golpe*, Gallis *coup*, olim *coulp*. Ubique litera L. quæ natura mobilis, e ſede nativa transpoſita.

Suecis *klubba* clava, tudes.

Germanis *kolb* clava, per metatheſin, *klöpel* piſtillum, *klapf* ictus, vel ſonus ex ictu, *donner-klapf* ictus vel fragor fulminis &c.

Omnibus conſentiunt Græca, κολάπτω tundo, κόλαφος ictus.

KLOSS, corpus rotundum. Belgis *kloot* eſt globus, *aardkloot* orbis terrarum, *klos* glomus, globus filorum. Similiter & Suecis *kloot* eſt ſphæra, globus. Et alia Dial. *klöten* ſunt teſticuli. Cuncta a rotunditate, & hinc fortaſſe a Lat. *globus*, per ſyncopen literæ B. vel a Gr. κλώθω circumvolvo.

KLOSS, maſſa, *klöſer* maſſulæ, paſtilli. Forte a *kliſſen* adhærere, compingere, vel a notione rotunditatis, ut proxime antecedens.

KLOSS, fruſtum, *erdkloſs* gleba, fruſtum terræ. Angl. *clod*, Belg. *kluit*. Opinor a κλάζω frango.

KLOSTER, monaſterium. Proprie locus clauſus, a Lat. *clauſtrum*, auctoribus Francis. Gloſſ. Pez. clauſtra *chloſter*. Sic a *monaſterium* fit *münſter*.

KLOTZ, truncus. A κόλος mutilus, ſecundum HELVIGIUM. Non amo origines Græcas: ſed manifeſtis & naturæ rerum congruis, quando idonioribus domi deſtituimur, refragari nolo.

KLUFT, hiatus, chaſma. A *klöben* findere. Synecdochice dicitur de petris fiſſis. Inde *kluft* rupes prærupta, & Suecis *klyfta* ſpecus, caverna in rupe fiſſa. Differunt autem notionibus *kleve, klippe, kluft*, etiamſi in natura lapidea & literis convertibilibus conveniant.

KLUG, prudens, *klugheit* prudentia, *klüglich* prudenter. SOMNER. in Dict. Anglosax. *gleaw* ſagax, ſapiens, prudens, *gleawlice* prudenter, *gleawnyſſe* prudentia, peritia, indoles. Gloſſ. Pez. perſpectus *klauuer*. Gloſſ. Boxh. *clauuida* ſolertia. Gloſſ. Keron. prudenter *clauſicho*. Proprie eſt perſpicax, a verbo Scandico *glugga* perſpicere, quod eſt a ſimplici *lugen* videre. VEREL. in Ind. *gloggva* reſcire, *gloggliga* accurate, *gloggsyn* perſpicax, accurate videns. Ex eodem fonte (quod optime animadvertit VERELIUS) eſt vox Codicis Argentei *glaggwuba* accurate, i.e. attente, circumſpecte, Gr. ἀκριβῶς Luc. I. 3. Alias prudentem vocamus *fürſichtig*, alio ſono, ſed eodem ſignificatu, nempe a *ſehen* videre, velut providum & circumſpectum. Confer dicta in *wiſſen* & *ſpehen*, & intelliges, non prudentem ſolum, ſed etiam ſapientem antiquitus ab oculo mentis & perſpiciendi facultate nomen obtinuiſſe.

KLUG, in quibusdam Dialectis vituperatur, & dicitur de callido & aſtuto. Inde *klokſkapr* calliditas, apud VEREL. in Indice, & *beclocken* dolo circumvenire, apud SCHILTER. in Gloſſ. Teut. p. 183.

KLUMP, maſſa. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *clamp* maſſa. VEREL. in Ind. *klimpa* maſſa. Belgæ dicunt *klomp*, Angli *lump*. Suecis *klubb* eſt corpus coagulatum, teſte STIERNHIELMIO in Gloſſ. Ulph. Goth. p. 90. Hoc verum & genuinum, unde cætera per epentheſin & aphæreſin facta, quod vel hinc cognoſcitur, quia legitime ſit a *kleben* adhærere, vel *laben* coagulari.

KLUNT, grumus, maſſa concreta. Belgice *klont, klonter, klontje*, a verbo Flandris uſitato *kliſſen* adhærere, per epentheſin literæ N. Inde Belgis *klonterachtig* grumoſus & Lipſienſibus *klunter-muz* grumoſe ſordida, de quo dicterio vide plura in *muz*. MARTINIUS in voce *Glis: Flandris kleſſen eſt affigere, adhærefcere, aliter kliſſen.*

KLUPPE, paſtomis. A *klemmen* conſtringere. Nam hoc inſtrumento nares equorum ferocium conſtringuntur. M. & P. ſunt literæ ejusdem organi, & conſequenter convertibiles. In quibusdam Dialectis compoſite dicitur *pferde-klumpe*, quod origini propinquius.

KNAB, ſervus, famulus, non coacti, ſed liberi obſequii. Dicitur in Verſ. Angloſax. de ſervo centurionis Matth. VIII. 6. *Dryhten, min cnapa lith on minum huſe*, Domine, ſervus meus decumbit domi. Imo de ipſo Meſſia Matth. XII. 18. *her is min cnapa thone ic geceas*, ipſe eſt ſervus meus quem elegi. Utitur Luth. 1. Sam. XXI. 2. & paſſim. Initium dictionis haud dubie eſt a Græcis. Illis enim κονέω eſt ſervire, opus pro alio facere. Hinc ab initio fuit *knaw*, quia W. eſt medium ordinarium derivandi, & poſtea mutatis

tatis labialibus *knap* & *knab*. Ex eodem fonte eſt *knecht*, quamvis per aliud derivandi medium, ut oſtendi in loco.

KNAB, dicitur per ſynecdochen generis 1.) de parvulis parentum, quia liberi cujusque ſunt ſervi ejus naturales, & nemo noſtrum naſcitur, qui non imperio parentum obnoxius ſit. (2.) de omnibus maſculis junioribus, pueris & adoleſcentibus, quia vel parentibus vel aliis ſervire ſolent. (3.) de ſervis & ſociis opificum. (4.) de militibus, quia miles eſt ſervus reipublicæ.

KNAB, parvulus, infans. Vox idiomati Saxonico propria. Verſio Angloſax. Luc. I. 66. *wenſt thu hwæt byth thes cnapa*, quis putas parvulus iſte erit? Quod dicitur de Johanne Baptiſta recens nato. Et mox verſu 80. de eodem: *ſe cnapa wox*, puer creſcebat. Hodie utimur diminutivo *knæblein*. HELVIGIUS vocem deduxit a Gr. νήπιος infans per proſtheſin literæ K. Infans autem ſic appellari creditur, a negativo νὴ & ἔπος ſermo. Et hactenus etymologia convenit pueris recens natis. Sed non convenit proyectioris ætatis pueris, ad quos uſus loquendi vocem traduxit. Et ex ſcala vocis, quam dedi, ſat manifeſtum eſt, hunc ſignificatum perperam accipi pro primo, cum alius præcedat, a quo dependet.

KNAB, puer, juvenis, adoleſcens. Hinc in Evang. Angloſax. pueri in foro ludentes vocantur *cnapan* Matth. XI. 16. & puer cum panibus & piſcibus *cnapa* Joh. VI. 9.

KNAB, ſocius & ſervus opificis. Hodie dicimus *knapp*, quod vide.

KNAB, tyro, armiger. Utitur Luth. I. Sam. XX. 40. & paſſim. Unde antiquitatem ſtabiliam, non invenio. Ante Sæculum XIII. nulla *Knaponum* mentio apud Scriptores medii ævi: Illa vero, quam Hiſtoria Auſtralis facit apud CANGIUM, paulo obſcurior eſt, & *Knapones* a ſcutiferis videtur diſtinguere. Huc ſpectat compoſitum *ſchildknap* ſcutiger.

KNAB, miles baltheo ornatus, Anglis olim *knave*. Hoc ſenſu videtur accipi in Charta quadam Henrici VII. R. Angl. apud SPELMANNUM.

KNAB, puer nobilis. VEREL. in Ind. *knape* famulus aulicus honoratior, alias page, *knapar* vulgus nobilium. Hodie præfigimus *edel*, quod ſenſum reddit clariorem.

KNACKEN, crepitare, ſonum edere ex ictu vel ruptura. Oritur per metonymiam cauſæ, vel a pulſando, quod Angloſaxonibus *cnucian*, Cambris *cnoccio*; vel a rumpendo, quod Belgis *knacken*, & inde *knack* fractura. Plura ejus generis verba, & ſimiliter facta, vide in *brauſen* ſonare.

KNACKWURST, genus farciminis fumo indurati. An quia facile rumpitur, & cum aliquo ſtrepitu? Neſcio an primi nominum impoſitores tam abſurdi fuerint rerum æſtimatores, ut ſtrepitus farciminum, vix magis audibiles quam pulicum tuſſes, inter fragores retulerint? Suſpicor, veram & primigeniam vocem fuiſſe *knafwurſt*, a Gr. καπνὸς fumus, nidor, mutato P. in F. Hoc ſuppoſito, ratio reddi poteſt illius, qua hodie utimur, pronunciationis. Nam F. mutari ſolet in C H. & C H. rurſus in C K. & his mutationibus in ore vulgi nihil eſt frequentius. Hinc quod ab initio fuit *knafwurſt*, poſtea dici cœpit *knachwurſt*, tandemque *knackwurſt*, eo quo dixi ſenſu.

KNÆTZE, ſcabies. V. *gnætze*.

KNALL, ſonus, fragor, præcipue ex ictu vel verbere. Cambris *cnul* eſt ſonitus campanarum. Angloſaxonibus *cnyll* ſignum campanæ apud BENSON. Anglis *knell* idem. Germani utuntur tantum de cœlo & machina bellica tonante. Refer ad verbum ſequens.

KNALLEN, *knællen*, *knellen*, ſonare, fragorem edere. Angloſaxonibus *cnyllan* eſt verberare, pulſare, quatere, interprete JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 221. Hic primus verbi ſenſus, qui poſtea per metonymiam cauſæ ad fragorem pulſando editum translatus eſt, ſecundum analogiam omnium verborum, quæ nobis ſonum ſignificant. V. *brauſen* ſonare.

KNAPP, ſervus vel ſocius opificis, *woll-knapp* ſervus fullonis, *mül-knapp* ſervus molitoris, *berg-knapp* ſervus a metallifodinis &c. Vulgo male ducitur a Gr. κναφεὺς fullo. Is enim nomen habet a carduo quo pannos pectit, quod reliquis ſervis minime convenit. Revera idem eſt quod *knab* famulus, ſervus, de quo ſupra.

KNAPP, arctus & arcte. A *nauwen* arctare, conſtringere, antiquis *bnauwen*, litera H. in K. & W. in P. tranſeunte. Allegorice dicitur de parco, quia reſtricte vivit. Inde etiam Græcis κυπὸς parcus, miro conſenſu, & manifeſto ſatis indicio, vocem e Getico vel Scythico ſermone hauſtam eſſe, in quo ſcil. *knapp* primo arctum, & poſtea parcum ſignificat.

KNAPP, agilis, *knapp und behend* agilis & expeditus. Belgice *knap* & *knaphandig*. Hic ſenſus eſt a Lat. *gnavus*.

KNAPP-SACK, pera militaris vel viatoria. Conſentiunt Belgæ & Angli in voce. SKINNERO eſt faccus, quem puer vel calo portat, a *knab* puer. Sed revera eſt pera, in qua cibus conditur, a verbo Belgico *knappen* mandere, prout docet MARTINIUS in voce *mantica*. Galli noſtros imitantur in *canapſa*.

KNARPELN, crepare inter mandendum, ſive ſonus ſit a dentibus, ſive a cruſtis, granis &c. quæ manducantur. Frequentativum a *knorſen*.

KNARREN, ſtridere. Angloſax. *gnyrran*, Suec. *knorra*, *knorka*. A ſono rotarum & januarum per onomatopœiam. Metaphorice dicitur de muſſitantibus & litigioſis. Hoc ſenſu Belgæ dicunt *knorren*.

KNASTER-TOBACK, optimum genus tabaci Americani, quod in caniſtris (ni fallor) Europæ importatur, & hinc fortaſſe nomen ab Hiſpanico *canaſta* corbis. Sic

paſſulas quasdam Hiſpanicas vocant *korbroſinen*, a corbibus.

KNATTERN, crepitare. VEREL. in Ind. *gnat* fragor, *gnatra* tumultum & ſtrepitum edere. Proprie eſt frequentativum ab antiquo *knuſen* quatere, allidere, collidere, & dicitur de ſtrepitu per metonymiam cauſæ. Nam hac figura in aliis quoque verbis, quæ ſonum ſignificant, magnopere delectamur. Cujus rei ſat multa documenta dedi in *brauſen* ſonare. Gloſſ. Keron. adlidere *chnuſſan*. SOMNER. in Dict. AS. *cnyſan*, *cnyſſan* percutere, contundere, elidere, *cnyſung* ictus, percuſſio. Similiter & Gothis *knuſjan* dicitur de eo, qui ad genua alterius ſupplicandi cauſa alliditur Marc. I. 40. Quemadmodum autem Latinis a *crepare* fit *increpare*; ita nobis a *knattern* fit *knettern* rixari, ſenſu quidem metaphorico, ſed manifeſto. Quid enim eſt rixari, niſi crepitare & dentes collidere?

KNAUF, capitellum columnæ. Suecis *knapp*, Island. *gnipa*. Utitur Luth. 1. Reg. VII. 41. *die keuliche knæuſſen oben auf den zwo ſeulen*. Vox in ultimo Septemtrione apud Islandos nata, quam Commentatores vocum Biblicarum non tangunt, nec explicant, etiamſi præ cæteris digna ſit, quam intelligamus. Vi originis quamvis ſummitatem ſignificat, non columnarum tantum, ſed etiam montium, & petrarum. Teſtis mihi VERELIUS in Indice, unde ſequentia decerpo: *gnæfa* ſupereminere, *gnæfdi* ſupereminebat, *gnæfr* in vertice & præcipitio conſtitutus, *gnipa*, *fials gnipa* vertex, cacumen montis, rupis, *gnupar* montium altiora cacumina. Hiſce addo ex SOMNERO: *cnæp* jugum montis, *cnæp thæs muntes* ſupercilium montis Luc. IV. 29. & quod Anglis *knap of a hill* idem denotat. Græcis κνὴφη eſt mons & clivus, manifeſta cum reliquis cognatione.

KNAUL, glomus. V. *kneuel*.

KNAUSER, triparcus. Ab initio caruit vituperio. Hinc in vetuſtiſſimo Saxonum idiomate *gnethre* eſt mediocris, modeſtus, frugalis, *gnetheneſſe* frugalitas, interprete SOMNERO & BENSONIO. Poſteris aliter viſum eſt, quia experientia cognoverant, modum in parſimonia plerumque excedi, & ſub ſpecioſo virtutis titulo latere avaritiam. Hinc illa bonæ vocis in ſiniſtram partem acceptio. Belgis *knyzer* eſt heautontimorumenos, h. e. ſe ipſum excrucians, a *knyzen* ſe ipſum torquere. Quod, cum etiam triparco conveniat, me pene incertum reddit, quænam etymologia alteri præferenda ſit.

KNAUWEN, rodere. V. *nagen*.

KNEBEL, paſtomis. Manifeſta depravatione a *klöben* findere. Nam paſtomis eſt lignum fiſſum, quod naribus equi injicitur. Hinc porro appellationem accipiunt, *knebel-bart* myſtax, barba fiſſa, *knebel-ſpieſs* bipennis, haſta bifida. Plura exempla elementi L. in N. mutati, paſſim occurrunt, tam apud veteres, quam apud recentiores. Vide *Proleg.* Sect. III.

KNECHT, ſervus, famulus domeſticus. SOMNER. *cnibt* ſervus, famulus, miniſter. Gloſſ. Pez. ſervos *chnechta*. Ducat, qui volet, ab Heb. *kohen*. Mihi hæc origo non probatur. Ab initio fuit *knet*, *knit*, absque gutturali in medio vocis. SPELMANNUS in Gloſſ. Archæol. pag. 346. priſcis Saxonibus tribuit *cnyt* pro puero, miniſtro, famulo. Quod etiamſi hactenus reperire non potuerim, manifeſta tamen ſimilitudine refert Gr. κνήτης famulus, verbi κνάω famulor, opus pro alio facio. Dicitur autem antiquitus de ſervis liberi obſequii tantum, non de ſervis proprie ſic dictis. Hic primus vocis ſignificatus, & reliquorum ductor, cujus ſynonymum eſt *knab*, quod ſimilem habet ſcalam, nec ſcalam tantum, ſed etiam originem. Quemadmodum enim a κνάω famulari per medium derivandi T. recte fit *knet*, & per epenthefin *knecht*: ita per medium derivandi W. ab eodem verbo recte formatur *knaw*, & per literas convertibiles *knav*, *knab*, *knap*. Gallos a Germ. *knecht* habere *naquet* famulus, tranſpoſitis literis, judicat HUETIUS in Gloſſariolo apud TILLADETUM inter Diſſertationes varii argumenti Tomo II. pag. 133.

KNECHT, per ſynecdochen generis dicitur (1.) de pueris, ſeu parvulis parentum, quia ſervi cujusque naturales ſunt liberi ſui, jure generationis. De imperio parentum in liberos vide GROTIUM Lib. II. de Jure B. & P. cap. 5. (2.) de diſcipulis, quia diſcipuli pendent ab ore magiſtri, tanquam famuli, & legibus ac præceptis ejus parent. (3.) de militibus, quia miles eſt ſervus reipublicæ.

KNECHT, puer. SOMNER. *cnicht* puer, *cnicht-hade* pueritia. TATIANUS Cap. XI. de Herode infanticida: *arsluog alle thie knechta*, *thie thar uuaren in Bethlehem*, occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem. Idem puerum Johannem vocat *knehta* Cap. IV. 13. & puerum Jeſum bis Cap. IX. 2. 3. Hoc PALTHENIUS locutionem inſolentiorem vocat, ſed tamen fatetur, inter blanditias muliebres Germanorum adhuc ſupereſſe diminutivum *knechtlein* puerulus.

KNECHT, diſcipulus, ſectator, qui operam dat præceptori in quavis diſciplina, & ingenium ſuum imperio ejus ſubmittit. OTFRIDUS diſcipulos Chriſti vocat *knehton* Lib. IV. Cap. VII. 181. Lib. V. Cap. XIV. 48. & paſſim, quod etiam SCHILTERO obſervatum. Verſio Angloſaxonica *learning-cnihtas* in innumeris Evangeliorum locis. Hodie *lehr-knecht* eſt diſcipulus opificum.

KNECHT, miles gregarius, ſervus martius, qui ſtipendia meretur in caſtris. Gloſſ. Pez. milites *chenehta*, ſacramentis militaribus eſt implicatus *in chenehto eide uuard pivangan*. Plura Francorum teſtimonia convaſavit. SCHILTERUS in Gloſſ. Saxones quoque hunc ſenſum agnoſcere, teſtantur SOMNERUS & BENSONIUS in voce *cnibt*.

Et

Et SPELMANNUS illis tribuit *cnyght-had* ordo militaris in voce *feodum*. Hodie utimur compoſitis, *landsknechte* milites, qui arma ferunt ad ſervitium patriæ, qui ferrum excipiunt pro dominis, *reiſige knechte* equites, *fuſs-knechte* pedites, *lanzknechte* lancearii, quod imitantur Galli in *lansquenet*. In qua appellatione nihil omnino inſolens eſt. Nam miles habetur pro ſervo, & ſervorum atque militum nomina ſæpe permutari, oſtendi in *trill*.

KNECHT, armiger, miles qui domini ſui arma portat, equeſtrem dignitatem nondum conſecutus. Occurrit in compoſ. *ſchildknight*, quod tribuitur Saxonibus a SPELMANNO in voce *armiger*. Fides ſit penes eum. Apud Lexicographos non reperitur. Et ſuſpicionem novitatis movet ſcriptura, quæ non convenit cum antiqua. Vocem Longobardicam vide in *ſchild*.

KNECHT, eques auratus, miles aureo annulo & calcaribus phalerisque aureis a Principe donatus. BENSON. in Vocab. AS. *cnyht* eques auratus. Idem Anglis hodieque *knight*. SPELMANNUS in voce: *Noſtratibus Knight honorarius eſt titulus, militem baltheo, ceu virtutis gratia donatum (quem Equitem auratum & Militem ſimpliciter appellant) denominans: neque alia jam cognitus ſignificatione.*

KNECHT, miles major, qui milites gregarios alendi & educendi jus habet, quales olim erant *Comites, Barones, Principes, Duces*. Hoc ſenſu *Arnoldus* quidam in Rhythmo de S. Annone Stropha 46. vocatur *gut kneht*, non quod eſſet bonus miles gregarius (erat enim vir nobilis & dives, & Dollindorpenſis Caſtri Dominus, prout SCHILTERUS ex Auctore Vitæ Annonis ad hunc locum notavit), ſed quod eſſet bonus militum ductor. Ubi obſervandum, quod *Miles* ſcriptoribus medii Ævi, & inprimis WIPPONI in vita Cunradi dividitur in *majorem* & *minorem*, quod illo ævo militum alii imperabant, alii parebant. & quod *militis* nomen, quamvis generale, ſæpe tantæ fuerit dignationis, ut etiam principibus viris tribueretur. Exempla vide apud PFEFFINGERUM in Vitriario illuſtrato Tom. II.

KNEIF, culter. Angloſax. *cnif*, Angl. *knife*, Belg. & Suec. *knyf*. Ab initio, ut me longa exercitatio docuit, fuit *kniv*, a κνάω ſeco, incido, per medium derivandi W. & poſtea *knif* & *knip*, mutatis labialibus. Hoc ſubſtantivum poſteros ſuos habet in pleriſque Dialectis, quæ verba inde formarunt diverſi ſignificatus, ſed ab uſu cultri univerſe petita. Hinc ſcilicet

Angloſaxonibus *knipan* concidere, apud BENSONIUM.

Cambris *cneifio* tondere, unde rurſus fit *cnaif* tonſura, apud BOXHORNIUM in Lex. Ant. Brit.

Belgis *knippen* ſecare, ſecando dividere, unde rurſus fit *knipmes* culter falcatus, *knipſchaar* forfex, inſtrumentum ex duobus cultris compoſitum, *knipzel* fruſtum, ſegmentum, Cambris *cnap* eadem notione.

Germanis *kneiffen* dolore acuto afficere, *kneiffen im leib* tormina ventris. Cui ſimile Cambricum *gnif* dolor.

Angli multa habent compoſita, *pen-knife* cultellus calamarius, *woodknife* culter venatorius &c. Islandi *knifabeſti* manubrium cultri, apud VEREL. in Ind. Alii alia. Galli Saxonicam vocem imitantur in *canif*. Etymologia SALMASII, quod *canic* ſit quaſi *cannivum* a *canna*, quia veteres arundine, non penna ſcribebant, nec MENAGIO nec SKINNERO probatur.

KNEIFFEN, *kneippen*, *kniepen*, arctare, conſtringere, digitis, forcipe, vel alio inſtrumento comprimere. Belg. *nypen*, Suec. *nypa*, Isl. *niupa*, apud VEREL. in Ind. A *knapp* ſtrictus & ſtricte. Derivatum omnibus Dialectis commune eſt *knopf* clavus quo veſtis conſtringitur. Compoſitum Belgis proprium eſt *vogel-knip* ames, pertica bifurcata, qua ungues avium conſtringuntur. Metaphorice dicitur de avaro, ob inſignem naturæ tenacitatem. Inde Saxonibus inferioribus *knyper* tenax.

KNEIFFEN, *kneippen*, vellere, vellicare, *kneipzange* vulſella, *abkneipen* avellere, quo utitur Luth. Lev. I. 15. V. 8. Angli dicunt *to nip*, Belgæ *knypen* & *afnypen*, Græci κνίζω & ἀπονυίζω. Dictio metonymica, qua antecedens ponitur pro conſequente, compreſſio pro vellicatione, quæ compreſſionem ſequitur. Nihil enim velli poteſt, niſi ante compreſſum.

KNEIPEN, idem quod *kneiffen*.

KNETEN, *knetten*, depſere, farinam ſubigere. Angloſax. *cnedan*, Angl. *to knead*, Belg. *kneeden*, Suec. *knæda*, *knoda*. Forte ab obſoleto *knet* maſſa. Quid enim eſt depſere, niſi ex aqua & farina maſſam facere? Gloſſ. Pez. maſſam *chnet*, maſſas *gichnet*. Maſſa autem ſic dici potuit ab adhæſione partium. Nam *kliſſen* eſt adhæreſcere, & hinc facile ſit *knet* maſſa, mutato L. in N.

KNETTERN, rixari. V. *knattern* crepitare.

KNEUEL, *knaul*, glomus. Utrumque vitiatum ex genuino *kleuel* ejusd. ſignificatus, L. in N. mutato, cujus mutationis exempla plura allegavi in *Proleg.* Sect. III.

KNICK, ruptura, fiſſura. Belgis *knack* a *knacken* rumpi. Quod, ni fallor, metonymicum eſt, & cauſam ponit pro effectu. Nam *knacken*, *knicken*, antiquis eſt pulſare, percutere, & *knack*, *knick* ictus, pulſus, verber. Illud Angloſaxonibus dicitur *cnucian*, Anglis *to knock*: Hoc Cambris *cnocc*, Anglis *a knock*. Unde cognoſcimus, quod *knick* proprie ſit ictus, & metonymice fiſſura ex ictu vel alliſione.

KNICKEN, terere, conterere, attritu rumpere. Gloſſ. Pez. attrivit *gnicta*, attriverat *ginicta*, conterat *ginichi*. Refer ad ſubſtantivum antecedens.

KNICKER, parcus, tenax, avarus. Anglis *niggard*, Islandis *nauggur*, *hnauggur*, *noggr*, *niugr*,

niugr, nidskur, apud VEREL. in Ind. Incertum, qua notione? Belgis *nauwen* eſt conſtringere, Angloſaxonibus *gnægan* rodere, Islandis *nyckia* trahere. Singula conveniunt avaro, qui genus vitæ ſequitur adſtrictum, qui panem & caſeum rodit ſicut mures, & inexplebili cupiditate omnia ad ſe trahit.

KNICKS, *knix*, genuflexio. Contractum ab Alamannico *kenicken, kehneickan* inclinare. Utitur hac ſcriptura KERO in Gloſſis, ut aſperam pronunciationem popularium ſuorum exprimeret. Franci, qui paulo molliores ſunt Alamannis, dicunt *gineigen*, nos ſimpliciter *neigen*, quod vide. Apud Græcos γνὺξ eſt adverb. ſignificans genu flexo vel in genibus, manifeſto cum *knix* conſenſu.

KNIE, genu. V. *kniew*.

KNIEPEN. V. *kneiffen*.

KNIEPER. V. *kneiffen* arctare.

KNIEW, *knie*, poples, junctura femorum & crurum. Gr. γόνυ, γνύα, Lat. *genu*, Goth. *kniw* Luc. V. 8. Angloſax. *cneow*, Franc. & Alam. *kneu, chniu*, Belg. *knie*, Angl. *knee*, Suec. *knæ*, Island. antiq. *hnie* & *knæ*, hodiern. *knia*. VEREL. in Ind. *hnie* genu, *knæ* genu, *knebeder* petitiones humiles genu flexo fuſæ. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. genua *chniu*. Gloſſ. Keron. genibus *chneum*. TATIANUS cap. CC. 2. *giboganemo kneuue*, genu flexo. SKINNERUS omnium originem deducit ab *ὐς γὴν νένευ* inclinari in terram. Alii aliunde. MARTINIUS vero Hebræos natales commendat in Cadmo, quos ſequatur qui velit. Me & contemplatio naturæ & analogia linguæ docuit, quod *knie* ſit a κνάω ſeco, incido, quia genu proprie eſt totus ille locus, ubi crura in partes ſecantur, & ruſus conjunguntur. Nam ab illa ſectione ſuffrago in animalibus vocatur *hamm* & *keule*, ut in utroque oſtendi. A *knie* vel *kniew* pro varia ſcriptura derivatur *knien* & *kniegen* genu flectere, procidere in genua.

KNIEW, knie, gradus cognationis. VEREL. in Ind. *knæ* conſanguinitatis gradus, *innan tridia knæ* intra tertium gradum. SOMNER. in Dict. AS. *cneow-magas* cognati, gentiles, *cneow-ſibbe* cognatio. Latino-Barbari *genu* vocant, & diminutive *geniculum, genuculum*. Germanico, an Græco ſenſu, incertum. Germani opus habent metaphora, ut ab articulo, quo tibia femori jungitur, appellatio ad conjunctionem ſanguinis tranſeat. Gr. vero γονὴ eſt genitura, absque ulla metaphora.

KNIRREN, ſtridere. SOMNER. in Dict. A S. *gnyrran* ſtridere. VEREL. in Ind. *gnyr* ſtrepitus, tumultus. Forte a ſono ipſius rei.

KNIRSCHEN, *knirſen*, ſtridere, *mit den zænen knirſchen* frendere, dentibus colliſis ſtridere, Marc. IX. 18. Frequentativ. a præcedenti.

KNIRSCHEN, tundere, collidere cum ſtridore, facere ut ſtrideat, *zerknirſchen* conterere, comminuere.

KNIST, quisquiliæ, res contrita. Originem vide in *geniſt*.

KNITSCHEN, *knitſen*, terere, *zerknitſchen*, conterere, contundere. Factum unius literæ transpoſitione ab antiquiori & magis genuino *kniſten* ejusdem ſignificatus, quod eſt a *kniſt* res contrita. NOTKERUS Pſal. CXLVI. 3. *nahe iſt Got dien die iro herza chniſton*, prope eſt Deus iis, qui corda ſua conterunt. Et mox: *Ube du geneſen uuelleſt, chniſte daz herza*, ſi vis ſervari, contere cor. Ibidem contriti vocantur *chniſtige* & contritiones *ferchniſteda*.

KNIX, v. *knicks*.

KNOBEL, *knöbel*. V. *knebel*.

KNOBLAUCH, allium. Belg. *knoflook*. Manifeſta depravatione ex vero & antiquo *kloblauch* cepa ſiſſa, porrum ſiſſum, quod eſt a *klöben* findere. Gloſſ. Pez. allium *chlouolouch*. Exempla ſimilis mutationis V. in *Proleg.* Sect. III.

KNOCH, os, oſſum. Belg. *knok*. Nova progenies, ſed antiqui parentis. Veteres dicunt *bein*, quia ope ejus ambulamus, recentiores *knock*, quia robore ejus ad feriendum utimur. Nam ferire, pulſare, percutere Angloſaxonibus dicitur *cnocian, cnucian*, Cambris *cnoccio*, Anglis *to knock*. Idque inprimis convenit oſſibus pedum & brachiorum, quæ certe ſunt cujusque arma naturalia: id eſt *ſchlegel*. Inde eſt, quod eadem vox, quæ nobis os, alia Dial. ictum ſignificet. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cnocc* verber, pulſus. Idem Anglis *a knock*.

KNOCHEL, *knöchel*, officulum. Diminutiv. a *knoch*.

KNOCHEL, knöchel, articulus, nodus oſſeus, ſed mobilis. Angloſaxon. *cnucl*, Angl. *knuckle*, Belg. *kneukel*. Adſentior CASAUBONO, qui vocem Sax. deduxit a Gr. κόνδυλος, unius literæ & valde inſtabilis tranſpoſitione, & alterius in K. transmutatione. Inde Cambris *cnoccel* talitrum, quia articulis digitorum inſligitur.

KNÖLL, tuber, tuberculum, *knollicht* calloſus, nodoſus, tuberoſus. Suecis *knula, knullug, knylig*. Proprie eſt colliculus, a *nol*, collis, quod antiquis ſcribitur *hnol*, & dicitur de tumoribus corporis, arborum, lignorum, plantarum &c. quia colliculis ſimiles ſunt. Litera K. neminem debet morari. Nam H. & K. ſunt literæ cognatæ & permutabiles in omnibus Dialectis.

KNOLL, *grober knoll*, vituperium hominis ruſtici, ducta metaphora vel a caudice duro, nodoſo, & intractabili, vel, quod malim, a piſtillo campanæ. Nam *cnyllan* Angloſaxonibus eſt pulſare campanam, & homo incivilis eſt malleus ſocietatis, & a ſimili inſtrumento vocatur *ſtegel*, quaſi flagellum ſocietatis.

KNOPF, vox æquivoca, quæ non eodem modo de pluribus prædicatur. Dicitur (1.) de rebus prominentibus, de gemmis in ſurculis arborum, de pila capulari, de apice turris &c. & hactenus ejusdem eſt originis ut *knauf* capitellum columnæ. Belgæ & Sueci ſimplicius dicunt *knop, knopp*. (2.) de fibula vel clavo, quo veſtis conſtringitur.

Hoc

Hoc ſenſu Angloſaxones dicunt *cnæp*, Belg. *knoop*, Succi *knapp i klæde*, a *kneiffen* conſtringere. (3.) de nodo vel ligatura, & hoc rurſus a *kneiffen* arctare, conſtringere.

KNORFEN, rodere, & metonymice crepare inter mandendum. Vox a ſono ſive rodentium, ſive ipſarum rerum, quæ roduntur aut manducantur, ficta, quam ſiſtit MARTINIUS in voce *cartilago*. Hodie libentius utimur frequentativo *knarpeln*.

KNORPEL, cartilago. A *knorfen* auctore MARTINIO. Sic etiam Belgæ cartilaginem vocant *knarsbeen*, *knorbeen*, *kraakbeen*, a *knarſen*, *knorren*, *kraaken* crepare.

KNORR, nodus prominens, ſive in corpore ut tali, ſive in ligno ut tubercula lignorum, *knorricht* nodoſus. Nec originis nec antiquitatis veſtigium invenio. Suſpicor tamen, *knorr* factum eſſe ex *knoll* tuber. Nam L. ſæpe mutatur in R. Belgæ nobiſcum dicunt *knor*, Angli *knur*.

KNORREN. V. *knarren*.

KNOSP, gemma in ſurculis arborum. A *knops*, quod genuinum, & hoc a *knop* quatenus prominentiam ſignificat. Litera S. e nativo loco ſæpe rejicitur in anteriorem. Exempla vide in *haſpel* rota.

KNOT, nodus. V. *knütten*.

KNUPFEN, *knüpfen*, nectere, ligare, nodum facere. A *knopf* nodus. Inde Francis *inchnuphen* enodare, quo utitur NOTKERUS Pſ. XL. 5. obſervante SCHILTERO in Gloſſ. Hodie dixeris *entknüpfen*.

KNUPPEL, *knüppel*, fuſtis. Belgæ rectius *klippel*, *kluppel*. Eſt enim a *kloppen* percutere. L. mutari in N. non caret exemplis. Vide *Proleg.* Sect. III.

KNUTTEL, *knüttel*, fuſtis. Vox omnibus tundendi inſtrumentis olim communis. SOMNER. in Dict. AS. *gnidill* piſtillum, *cnyſan*, *cnyſſan* percutere, contundere.

KNUTTEN, *knütten*, nectere, *knot* nodus. SOMNER. in Dict. AS. *knittan* nectere, ligare, *cnotta* nodus, nexus. VEREL. in Ind. *knyta* nodum ſtringere, *knutr* nodus. Convenit Heb. *ganad* nodavit, illigavit, & Lat. *necto* per metatheſin. Ex his *knot* videtur oriri a *nauwen*, *bnauwen* conſtringere, & ab illo reliqua.

KNYPER, tenax. V. *kneiffen* conſtringere.

KOAXEN, coaxare. V. *quaxen*.

KOBE, gobio. Alias *quappe*, quod vide.

KOBER, vas vimineum. Olim *coven*. Gloſſ. Pez. cophino, *chouinno*. A Gr. κόφινος ejusd. ſignif.

KOBERN, capere, *erkobern* conſequi. Originem & antiquitatem vide in compoſito.

KOBOLD, vox triplex ſub iisdem literarum elementis, Græca, Sorabica, Gallica.

KOBOLD, dæmon quidam, dicax & illudens. Gallis *gobelin*, & *demon folaſtre* apud CANGIUM in Gloſſario. Utrumque a Græco κέρδαλος talis homo & talis dæmon. Utitur Luth. Eſa. XXXIV. 14. Dicitur autem *folâtre*, & Latino-Barbare *folletus*, quia creditur illudere, & poſt illuſionem multum riſum effundere. Inde natum proverbium: *er lacht wie ein kobold*, ridet inſtar cobali.

KOBOLD, genus æris noxii. HUBNERUS in Lexico rerum natural. & artif. *Kobald*, *iſt eine gifftige rauberiſche unart von bergerzten*, *welche die guten erzte verkürzt*, *oder wild und kalt macht*, *von welcher viele glauben*, *daß ſie das ſilber raube*, *und da und dort zum theil verzehre*, *daher ſie auch den nahmen von den bergleuten mag bekommen haben*. Sorabis *ſchibal* eſt nequam, κακόεργος, maleficus, ab Heb. *chabal* corrupit, perdidit, deſtruxit, interprete FRENZELIO in Orig. Sorab. pag. 148. Hoc a foſſoribus noſtris detortum reor, tributumque huic æri ob malignitatem naturæ. Ex eodem fonte *dæmonis metallici* appellatio oriri poterat.

KOBOLD, rotatio corporis ſupra caput, *kobold ſchieſſen* rotare corpus ſupra caput. Notum pueris in Marchia vocabulum, & a Gallico *culbute* tranſpoſitum judice FRISCHIO in voce. In Originibus Menagianis *culbuter* male exponitur *buter du cu*. Appellatio enim ducta eſt non a podice, ſed a vertice, qui Succis & Islandis etiamnum dicitur *kulle*.

KOCH, coquus. Angloſax. *coc*, Camb. *cog*, Belg. & Suec. *kock*, Angl. *cook*.

KOCHEN, coquere. Belg. *kooken*, Suec. *koka*, Angl. *to cook*. Cuncta, ut videtur, Latinæ originis.

KOCHER, pharetra. Angloſax. *cocer*, *coxre*, Francis *cobhar*, Belg. *koker*, Suec. *koger*, Angl. *quiver*, Gall. *carquois*, Ital. *carcaſſo*. Gloſſ. Lipſ. *cocare* pharetra. Gloſſ. Boxh. *cobhar* pharetræ. NOTKERUS Pſal. X. 2. *ſundige habent iro bogon geſpannen*, *unde habent alegaro iro ſtrala in iro chochere*, peccatores intenderunt arcum ſuum, & paraverunt ſagittas ſuas in pharetra. Vox Italica eſt a Gallica *carquois*. Gallicam e Germanica tranſpoſitam eſſe, judicat LIPSIUS, & poſt eum MENAGIUS. Germanicæ originem adhuc ignotam eſſe, cenſet STADENIUS: ſe invenille putat FERRARIUS. Summa verborum ejus hæc eſt: "*Cocca* primo crenam ſagittæ (ut hodie Anglis *cock*," Gallis *coche*, a quo *decocher une fleche* ſagit-" tam emittere), poſtea uncum ferreum in" balliſta vel ſclopeto, mox omne ferrum le-" viter inflexum, & noviſſime (parte pro" toto) ſagittam denotaſſe. Hinc ſcilicet" Germanis *kocher* quaſi *coccarium*." Hæc etymologia, quamvis ſubtilis & ſpecioſa, nondum tamen ita comparata eſt, ut vera cenſeri poſſit. Nam *cocca* pro ſagitta eſt vox nova, & ante DANTIS ætatem non audita. Cum ex adverſo Germanica tanta vetuſtate ſpectabilis ſit, ut manifeſta imitationis veſtigia κόκκεον & κόκκεον in Græcitate, quamvis inferiore, reperiantur. Celtica Lingua *kaw* eſt cavus. Ab hoc primitivo per varias terminationes nomina accipiunt res omnes a natura vel arte cavatæ, & recipiendis aliis idoneæ. Inde Germanis prioribus *kauch* vas cavum, Cambris *cwg* linter, quod

quod imitantur Latino-Barbari in *cogo* & *coqua*, Islandis *kugge* linter ex arbore cavatus, Anglis compoſite *cock-boat*, Gallis *coque* teſta ovi. Et huc etiam ſpectant, ni fallor, thecarum genera, quatenus ſunt receptacula rerum e ligno vel aliunde cavata. Idque ſignificare poteſt *kog*, & adjecta terminatione *koger*. Belgæ dicunt *koker*, eamque vocem ad omnia thecarum genera extendunt. Inde illis *pylkoker* pharetra, *bogenkoker* corytus, *meſſekoker* theca cultellaria, *ſchryfkoker* theca pennaria. Vox Anglica *quiver*, etiamſi remota videatur a reliquis, revera tamen orta eſt e Germ. *kocher*, mutato CH. in F. vel, quod ejusdem poteſtatis eſt, in V.

KODER, mucus, pituita, ſordes. Opinor a Gr. καταῤῥεῖν defluere, deſtillare. Quamvis enim *kot* cœnum denotet, haud tamen inde facile derivatur *koder*.

KODER, *köder*, eſca, *ködern* ineſcare. Gothis antiquis *köd* carnem & carunculam denotaſſe, ſcribit STILERUS in Theſ. L. Germ. Hinc colligit, *köder* proprie ſignificare invitamentum illud, quo capiuntur piſces, aves, feræ, quod plerumque ex carne eſt. Sane Suecis *kött* etiamnum eſt caro, & inde *af kött* carneus, *köttfull* carnoſus, *köttſtycke* caruncula, *köttbod* carnarium, *köttgaffel* creagra, *köttslukande* carnivorus &c. Viderint ipſi qua de cauſa.

KODERN, *ködern*, loqui, & ſenſu vituperato garrire. Frequentativ. a ſimpliciori & antiquiori *queden* dicere. Inde porro *kauder-welſch* ſermo alienus, nugæ peregrinæ. De hoc compoſito vide plura in *quederen*.

KOFE, locus cavus, humilis & depreſſus. Vox antiquiſſima & pluribus linguis communis, a *kaw* cavus oriunda. Nam in hac notione conveniunt omnes ſignificatus, quorum ſunt quam plurimi. Significat autem (1.) antrum & ſpeluncam. Hoc ſenſu Angloſaxones dicunt *coſe*, *cofa*, Græci κύπη, quod apud HESYCHIUM exponitur per τρώγλη foramen, caverna. (2.) cubile animalis. Latinis *cavea* eſt ſtabulum ferarum in Theatris, Anglis *cave* luſtrum. Francis *chevio* ſimile quid denotavit. Gloſſ. Pez. caveam *chevium*. Nobis *ſchweins-kofe* eſt cavea ſuis. Utimur etiam diminutivo *kefich* pro aviario, ſeu habitaculo avis. (3.) ergaſtulum ſeu locum ſervitutis. Inde Angloſaxonibus *cofa* piſtrinum. (4.) carcerem, ſeu locum captivitatis. Latino-Barbari *gabiam* vocant. Cujus diminutivum *gabiola* peperit Gallis *geol* carcer, & *geolier* carceris cuſtos, obſervante SALMASIO. (5.) vile habitaculum. Inde Cambris *caban* caſa, gurguſtium, ſtega, Gallis *cabane* idem. Hodie dicimus *küfe*. Hic ſenſus videtur ab antris ad caſas perveniſſe, quia vetuſtiſſimi mortales ſpecubus ante, quam tuguriis habitaſſe memorantur. Ita *kot* ante denotavit ſpeluncam quam caſam. (6.) cubiculum, penetrale, conclave. Huc referri poteſt ex Vocabulario BENSONII Angloſaxonico *cof-godas* penates, forte ſic dicti, quod in abdita domus parte colerentur. (7.) cella ſubterranea, vinaria aut penaria. Hoc ſenſu Galli dicunt *cave*, Latino-Barbari *cavena*.

KOFENT. V. *covent*.

KOFFER. V. *kuffer*.

KOGEL, tegmen capitis. Utitur Luth. Ezech. XXIII. 15. præuentibus antiquis. Gloſſ. Keron. cucullam *cucalun*. Idem Angloſaxonibus *cugle* apud SOMNERUM & BENSONIUM. *Cucullum* fuiſſe Gallicum capitis tegumentum, ex MARTIALE, JUVENALE, & COLUMELLA diſcimus. Hinc inter Celticæ linguæ reliquias nomen Germanicum retulit CLUVERIUS Lib. I. Germ. Ant. cap. 8. Poſteris Celtarum in Cambria *cochl* non amplius mitram, ſed pallium denotat, forte quia *cochl* Celtica lingua eſt nomen generale & omnibus tegumentis commune. Quod an demonſtrari poſſit, neſcio. Interim vox ita concepta eſt, acſi tegmen orbiculare ſonaret, a *kugel* globus, re ipſa ſuffragium ferente, quæ globi inſtar caput cingebat. Sed fortaſſe fallimur. Nam SALMASIO, qui Græcas habet aures, & Gallicas voces ubique Græcis vindicat, κόκκυς eſt apex, criſta, & inde *cucullus* tegmen capitis in ſummo acuminatum. Et hoc ſenſu videmur vocem Gallicam etiamnum uſurpare in compoſito *kogel-han*, *gockel-han*, gallus criſtatus.

KOIE, locus clauſus jacendi vel ſtabulandi. Belg. *kooi*, *kou*, *kouw*. Cambris *cau* eſt claudere, unde rurſus fit *cau* cavus & clauſus. Hoc ubi ſubſtantivatur, cavernam, ſtabulum, ſeptum, caveam & cubile ſignificat. Græcis κῶοι ſunt cavernæ. Latino-Barbaris *kaii* cancelli, apud ISIDORUM in Gloſſis. Belgis *ſchaapskooi* eſt ovile, *vogelkooi* cavea, *ſchipperskooi* cubile nauticum. Si quis tamen hæc loca a cubando potius quam a claudendo ſic dicta malit, facile auxilium conjecturæ inveniet. Nam Græcis κέω eſt cubo, apud MARTINIUM in *Cadmo*. Idem *kuye* aliquando deduxit a *cavea*, per ſyncopen.

KOITE, cubile nauticum. Vel ex eodem fonte eſt, vel a Gr. κοίτη cubile.

KOJUTE, eadem notione. Diminutiv. a *koje*. Belgæ ſcribunt *kajuit*.

KOKEN, *köken*, evomere. Utitur Luth. Eſa. XXVIII. 7. HELVIGIO venit ab Heb. *ko* evomuit, PEISKERO a Gr. κηκίειν prorumpere, proſilire. FRISCHIO eſt vox a ſono vomentium facta. Sed nec alienis originibus, nec ultimo ſuffugio opus habemus. Nam a *keke* os, fauces, palatum, recte fit *köken* per fauces reddere, judice STADENIO.

KOL, thyrſus vel ſcapus plantæ. Græcis καυλός, Latinis *caulis*, Franc. *chol*, Camb. *cawl*, & inde *cawl gwyllt* caulis agreſtis, apud BOXHORN. in Lexico & Botanologio Antiquo-Britannico. Gloſſ. Pez. caulis *chola*. Habent & Angloſaxones *caul* & *cawl* eadem notione apud SOMNERUM, & inde *cawlwyrt* braſſica, herba e ſcapo pronaſcens. Creditur autem ſic dici, quod κοίλος, h. e. a natura cavus ſit.

KOL, braſſica, & omnis herba, quæ non immediate

mediate e terra, ſed e ſcapo ſupra terram aſſurgit. Gloſſ. Pez. caulis *cholaſtoch*. Id eſt, ſcapus braſſicæ. Similiter & Cambris atque Angloſaxonibus *cawl* non ſolum caulem, ſed etiam braſſicam, & olus in caule ſignificat, manifeſto ſatis indicio, ſenſum a parte ad totum translatum eſſe. HELVIGIUS derivat ab *olus* ſeu *holus*, & hoc ab Heb. *ochel* cibus, eſca. Sed hac etymologia ſpecies rerum præter neceſſitatem confundit. Enim vero ſi *holus* eſt quævis herba veſca, toto genere differet ab ea, quam Celtici populi *kol* vocant.

KOLB, telum ligneum. Gloſſ. Pez. plumbatis tundi *plûnem cholpon pivillan*. OTFRIDUS Lib. IV. cap. XVI. 42. 43. *druagun kolbon in henti*, portabant clavas in manibus. VEREL. in Ind. *kilfa* clava. Quamvis vera notio ab elemento L. e nativa ſede moto quodammodo occulteturi, eam tamen a pulſando & feriendo deſumptam eſſe, patet ex reliquis Dialectis, in quibus hujus tranſpoſitionis nullum veſtigium. Nam idem telum Latinis dicitur *clava*, Cambris Celtica lingua utentibus *clwppa*, Suecis *klubba*, Anglis *club*, Sorabis *klapa*. Unde, niſi a *kloppen* pulſare, ferire? Vide plura in fonte.

KOLE, carbo, *gluende kole* pruna. SOMNER. in Dict. AS. *col* carbo, *colne* carbonarius, *colmaſe* parula. Gloſſ. Boxh. *choles* fuligo. Nomen fuliginis & parulæ nigricantis videtur favere opinioni eorum, qui ſenſum ab atro colore ducunt, & vocem Germanicam detruncant a Græca κελαινὸς niger. Quamvis etiam κελὶς idem ſignificet. Si tamen Græca origine opus ſit, malim derivare a κηλόω comburo, quia carbo eſt fomes ex ligno uſto. Hinc Francis vocatur *zunder*, quod vide.

KOLK, barathrum, Dial. Belgica. A Lat. *gurges*, mutato R. in L. Differt a *golf* ejusdem Dialecti, quod Italis effertur *golfo*, & proprie ſinum maris denotat. Utrumque eſt metaphoricum, ſed a diverſa ſimilitudine ductum. Illud a gula: hoc a gremio hominis, quod Græcis κόλπος. De baratho vide plura in *ſtrudel*.

KOLLER, *goller*, collare. Latinæ originis, ſive collum ambiat, ſive a collo pendeat.

KOLLER, furor, *kollern* furere, inſanire. Utitur Luth. 1. Sam. XXI. 13. Græcis χολαῶν eſt atra bile vexari, idque pro etymo adducit HELVIGIUS. Plura ad cognationem ſpectantia vide in *gall* inſanus.

KOLNER, *kölner*, colonarius. Vide verba GOLDASTI in *keller*.

KÖLNHOF, *kölnhof*, hoba coloni, interprete GOLDASTO in Animadverſ. ad Script. Parænet. pag. 441.

KOLSTERN, ſcreare, exſcreare. A *qualſter* ſputum.

KOLTER, ſtragula, ſecundum Vulgatam. Vox ex ætate & Verſione LUTHERI 2. Reg. VIII. 15. quæ hodie non amplius auditur, nec intelligitur. FRISCHIUS obſervat, quod Belgis *kolder* ſit collare, Helvetiis *golter* cento; ſed his minime contentus, vocem in medio relinquit. SCHILTERUS in Gloſſ. Teutonico *culter* & *kolter* exponit per *culcitram*. Hoc videtur acceptandum. Nam e *culcitra* facile fit *kolter* eodem ſenſu, quod etiam vidit & probavit STADENIUS; quamvis eadem facilitate e Scandico *kulle* caput, quo etiam Islandi utuntur, oriri poterat; quo pacto proprie erit *cervical*. OTTIUS in *Franco-Gallia* Gallis tribuit *coltre*, *coultre*, *coultil*, Latino-Barbaris *cultra*. CANGIUS uſum & nomen rei a Gallis primum promanaſſe, ex his PLINII verbis, quæ extant Lib. XIX. cap. 1. docet: *Sicut in culcitris præcipuam gloriam obtinent Cadurci, Galliarum hoc & tomenta pariter inventum.*

KOMM, quatenus eſt verbale a *kommen* venire, adjective *venientem*, ſubſtantive *advenam* ſignificat, & Francis atque Alamannis effertur *quemo* in compoſitis. Gloſſ. Keron. novitius *niuuchuemo*. Id eſt, novus advena in Monaſterio diſciplinæ ſuſcipiendæ cauſa. Gloſſ. Pez. propagines *afterquemun*. Id eſt, poſt venturi. Hodie utimur compoſitis, *nackkommen* poſteri, *willkomm* optato venienes, vel proſper advena. Utrumque enim ſignificare poteſt, ut oſtendi in loco.

KOMMEN, venire. Angloſax. *coman*, *cuman*, Franc. *chumen*, Angl. *come*, Belg. *koomen*, Suec. *komma*, Island. *koma*. Tartari Præcopenſes, qui multa priſcis Germaniæ populis debent vocabula, quæ ex Epiſtola BUSBEQUII paſſim annotamus, ſervant quoque *kommen* venire Græcis κομιζω eſt recipere ſe aliquo, nonnulla (ut videtur) cum reliquis adfinitate. Gothi habent *quiman* venire Marc. IX. 11. *quimands* veniens Matth. VIII. 7. *quam* veni Matth. V. 17. &c. Hoc imitantur Franci & Alamanni in *quemen*. Gloſſ. Keron. venire *qhueman*, veniamus *qhuememes*, veni *qhuuam*. Belgæ etiamnum dicunt *quam* pro veni. Quamvis autem *quemen* ab uſu hodierno alienum ſit, multam tamen ſobolem nobis reliquit, quam vide in *bequemen* congruere & accommodare.

KOMMEN, capere, *bekommen* accipere. Verbum a Gothis relictum. Extat in Cod. Arg. Joh. VIII. 37. *waurd mein ni gamot in izwis*, verbum meum non capit in vobis. Græce ὑ χωρεῖ. Ergo ſicut Græcis χειρὸω capio eſt a χὴρ manus: & Latinis *capio* ab Heb. *caph* vola, manus cava: ita Gothis *gamon* a *kam* manus. Ad conſenſum ſpectat, quod Græcis quoque κομίζω interdum eſt recipere, accipere, capere. Similia verba a manu formata, ſunt *kriegen*, *kippen*, *nemen*, *greiffen*.

KOMMEN, perire, *umkommen* occumbere, perire occiſione, vel alio modo. Hic ſenſus neceſſario præcedit ſequentem, & antiquitate ejus ſe tuetur. Sumptus autem videtur a Gr κῆμαι jacere, dejectum eſſe, quia pereuntes dejectis ſimiles ſunt. Latinis ſane ii, qui in prælio pereunt, dicuntur *occumbere*, a ſitu corporis, & fortaſſe etiam Græcis mortuus dicitur κεμὼν, velut proſtratus.

KOMMEN, perdere, facere ut pereat. Verbum faceſſens ex præcedenti. Gothi dicunt *quiman*, *usquiman*, & *fraquiman*. Matth. X. 28. *Ni ogeith izwis thans usquimandans leika thatainei*, *ith faiwalai ni magandans usquiman*, nolite timere eos, qui corpus tantum occidunt, animam autem non poſſunt occidere. Luc. IX. 54. *fan wileizu*, *ei quithaima fon atgaggai us himina*, *jah fraquimai im*, *ſwe jah Helias gataŭida*, viſne Domine, ut dicamus, ut ignis deſcendat de cœlo, & conſumat eos, ſicut fecit Elias? Hinc veroſimile fit, *quimer*, *kymmer*, *kymber*, majoribus noſtris aliquando denotaſſe latronem, & veteres ſcriptores, qui hanc ſignificationem, tanquam a Germanis acceptam, & CIMBRICI NOMINIS interpretem, literis prodiderunt, nec fallere nec falli, cum res ipſa Genti latrocinanti conveniat. PLUTARCHUS ſcribit in Mario: *Cimbros Germani nominant latrones*. Et confirmat FESTUS: *Cimbri lingua Gallica latrones dicuntur*. Cimbros a latrociniis appellatos eſſe, placet quoque BAXTERO in Gloſſ. Antiq. Brit. pag. 208. Et quamvis *Cimber* etiam honeſtum nomen eſſe poſſit, quatenus *kemper* Saxoniæ inferiori eſt gladiator, & Cambris *cymmar* ſocius; præſtat tamen fidem rerum geſtarum ſequi, quam rejecta veterum auctoritate (quos a mendacio vox Gothica abſolvit) aliud Genti nomen affingere. Cauſa, cur Cimbri hoc nomen, tanquam a ſe inventum, ultro admiſerint, hæc eſſe poteſt, quod ab antiquo piraticam exercuiſſent, & latrocinia gentis in gentem (non civium in cives) moribus Germanorum antiquis eſſent fortia facinora, & nullam haberent turpitudinem. Teſtis CÆSAR Lib. VI. cap. 23. de Germanis: *Latrocinia nullam habent infamiam*, *quæ extra fines cujusque civitatis fiunt*, *atque ea juventutis exercendæ ac deſidiæ minuendæ cauſa fieri prædicant*.

KOMMLICH, commodus. V. *bequemen* convenire.

KOMPE, *compan*. Vide in C.

KONIG, *könig*, rex. Vox antiquiſſima, & in monumentis veterum (ſi Codicem Argenteum excipias) ubique obvia, quæ Angloſaxonibus effertur *cyng*, *cynig*, *cyning*, Francis & Alam. *kuning*, *chuning*, Anglis *king*, Belgis *koning*, Suecis *konung*, Danis *konning*, Islandis *kongur*. Gloſſ. Keron. regi *chuninge*. ISIDORUS Cap. III. 3. *juna Cyre Perſero chuninge*, de Cyro Perſarum rege. Idem Cap. VIII. *ano chuninc*, *ano herrun* ſine rege, ſine principe. TATIANUS Cap. VIII 1. *in tagon Herodes thes cuninges*, in diebus Herodis regis. Et mox: *Judeno cuning*, rex Judæorum. OTFRIDUS in Carmine ad Ludovicum Francorum Orientalium Regem:

Er Oſtarrichi rihtit al,
So Frankono Kuning ſcal.
Regnum orientale regit totum,
Ut regem Francorum decet.

VEREL. in Ind. *kongur* rex, *konghorinn* regio genere natus, *konglauſir* rege orbati cives, *kongfæler* bono rege beati cives, *kongs-bu* villa regia, *kongs-fæ* reditus regii, *konungs rætt* regalia, jura regia & majeſtatis, *kong domur* poteſtas regia, regnum. Omitto nunc nugas eorum, qui hunc titulum a Gr. κυνηγὸς venator deducunt, & ad graviora me converto. De *Titulo Regio* integrum *Commentarium* edidit OTTHO SPERLINGIUS, vir prolixa eruditione inſignis, cujus hæc fere ſumma eſt: hunc titulum, Regibus omnibus tam charum, primum in Dania natum eſſe, auctore & inventore *Riko* Rege Daniæ potentiſſimo circa A. C. 258. hunc Regem priſtinum Regum titulum *Drotter*, quod nimis vulgaris eſſet, mutaſſe in *Konning*: qui cum ſolus tanto faſtigio dignus videretur, poſtea omnibus Saxonum & Francorum Regibus placuerit, & æternum placiturus ſit. Hoc *Chronicon Norvegicum* annotaſſe ait, quod omnes Danici Annales prætermiſerint. Quid Danis ſignificet, paſſim explicat, & præcipue §. 86. his verbis: *Konning Danorum a poteſtate petitum & ſcientia nomen eſt*, *nam utrumque complectitur vox können poſſe*, *ex qua Konning deductum nomen eſt*; *tam enim vires animi*, *quam corporis & imperii*, *decus formæ*, *majeſtas legum*, POTESTAS INFINITA, *& quæ in rebus humanis ſumma ſunt*, *in hac voce latent*, *quaſi dicas majeſtatem ex poteſtate debita & prudentia conflatam*, *cui nihil addi poteſt*, *nihil deſit*, *ſive animum ſpectes*, *in quo vis imperii*, *ſeu corpus*, *in quo Majeſtas ſingularis elucet*. Si tam vera eſt interpretatio, quam ſplendida & magnifica, fateor, hunc titulum nec moribus veterum Germanorum congruere, nec in Germania natum eſſe. Olim enim imperia apud nos ſic erant temperata, ut non minus haberet in Regem juris multitudo, quam ipſe in multitudinem, prout ipſe Eburonum Rex Ambiorix fatetur apud CÆSAREM Lib. V. de B. G. cap. 27. Et alias diſerte TACITUS cap. VII. de moribus Germanorum: *Nec Regibus infinita aut libera poteſtas*. Et rurſus Cap. XI. *De minoribus rebus Principes conſultant*, *de majoribus omnes*. Fieri ergo non potuit, ut priſci Germanorum Reges habuerint titulum libertati infeſtum, aut ab infinita potentia deſumptum. Hactenus ergo gloriam inventi Danis cedimus. De his enim, & omnibus Septemtrionalibus valet ab antiquo, quod TACITUS ſcribit de Suionibus Cap. XLIV. *Unus imperitat*, *nullis jam exceptionibus*, *non precario jure parendi*. *Nec arma*, *ut apud ceteros Germanos in promiſcuo &c.* Nec diffiteretur SPERLINGIUS §. 233. Is enim, poſtquam verba Taciti recitaſſet, hæc ſubjungit: *Nihil dici poterat μετ' ἐξοχὴν τέρον*, *& quod populis ſeptentrionalibus eorumque Regibus magis convenit*, *ideoque locum illum aureum nunquam ſatis legere aut obſervare poſſumus*. Cetera, quæ ſequuntur, non addimus, quia injuriam continent in Reges veterum Germanorum, & ad propoſitum

ſitum nihil faciunt. Mittimus etiam alia, vel male cohærentia, vel audacter prolata, & hoc tantum addimus, nihil obſtare, ut *cyng* & reliquæ veterum voces, ſupra memoratæ, in libera civitate natæ ſint ex eodem ſemine. Nam idea *infinitæ poteſtatis*, quam Auctor noſter ex ingenio Septemtrionalium cum titulo regio connectit, in ipſo vocis ſemine non eſt comprehenſa, ſed mere acceſſoria, & minime nativa. Sic a *poſſe* fit *poteſtas*, major vel minor, unde Italis *il podeſtà*, quod a ſummo culmine longe abeſt. Sic a *können* fit *kunſt* ars & ſcientia, utraque limitata. Eadem ratione priſci Reges appellari poterant *cuninge*, a poteſtate, etiamſi populus non omnem poteſtatem in eos contuliſſet. Et tales Reges (quales Germaniæ & Galliæ antiquæ fuiſſe, aliunde conſtat) veri nominis Reges fuiſſe, & etiamnum eſſe, nemo negare poteſt, niſi natura ſervus. Hinc Principum potentia vulgo appellari ſolet *botmæſſigkeit*, h. e. non infinita, ſed moderata potentia. Adde, quod uſus vocis in omnibus Dialectis (ut poſtea patebit) ad reges quoque minores & tributarios, alioſque a dominio eminenti longiſſime remotos extendatur, manifeſto ſatis indicio, hoc titulo nihil minus quam *infinite potentem* denotari. Nunc, ut meam de ortu hujus nominis opinionem depromam, ordo dicendi poſtulat. Qua in re, quæ ante aliquot annos in *Spec. Gloſſ. Germ.* dixi, & nunc minus placent, non repetam, ſed quæ cura poſterior mihi ſuggeſſit, in medium proponam, libera ſtatuendi facultate cuivis relicta. Celtica Lingua *cun* eſt dominus, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Quod, ſi derivetur a *können* poſſe (cujus tanta eſt antiquitas, ut etiam Hebræis *kun* ſit poſſe, & *ken* potens) ſignificabit eum, qui aliquid habet in facultatibus, domum, prædium, famulitium &c. Hic mihi primus vocis ſignificatus, quem poſtea ad Reges & Principes translatum reor, cum quod Reip. ſicut dominus familiæ præeſſent, & jus haberent jubendi, quamvis a populo reſtrictum, tum quod nominis menſuram excellentiori quodam modo implerent. Nam quæ ſinguli dominio, rex poſſidet imperio. Inde Tartaris *chan* rex, imperator, idemque Americanis *con*, teſte SPERLINGIO §. 152. Primos Saxones, quamvis Regum diu intolerantes, Regem appellaſſe *cyn*, patet ex compoſitis, cujusmodi ſunt apud SOMNER. & BENSON. *cynedom*, *cyneric* regnum, *cynelic* regius, *cynebot* compenſatio ob regem occiſum. Eadem Dialecto *cyne* eſt regius, manifeſta a ſubſt. *cyn* deflexione. SOMNER. in Dict. AS. *cyne* regius, regalis, *cynebænd* diadema, corona, *cynegyrd* ſceptrum &c. Ex his ſimpliciſſimis & perſpicuis initiis nova deinceps flexio orta eſt, obſtericante litera N. quæ naturali niſu attrahit G. ut oſtendi in *Proleg.* Sect. III. Inde eſt, quod dominus paulatim dici cœpit *cung*, & rex *cyng*. Utrumque hodie perennat in Dialectis. Lettica Lingua *kung* eſt dominus, Anglica *king* rex. Reliquæ mutationes nominis regii non egent interprete. Nam *cynig* & *cyning* ſunt a *cyng* per epentheſin. Quod adeo manifeſtum, ut illis immorari longius, minime opus ſit. Extantiora compoſita, præter memorata, ſunt

under-cing, regulus, prorex, vicarius regis,
ceorla-cynge ruſticorum rex, apud SOMNER. in Dict. AS.
halfkenig, ſemirex, apud CANGIUM in Gloſſ.
thiod-kongur, monarcha, vel qui pluribus populis imperat, apud VEREL. in Ind.
ſkattkongar, reguli, vaſalli, ibid.
odalkongur, rex hæreditarius, ibid.
ſmakongar, reguli, vaſalli, ibid.
einvaldzkongr, monarcha, ibid.
fylkis-kongar, reguli, ibid.
mey-kongr, rex virgo, in Lexico Islandico GUDMUNDI ANDREÆ. Vox, ut videtur, a Sitonibus relicta, quod collige ex dictis in *Vandali*.
liodkongr, regulus, rex minor & vilior, interprete SPERLINGIO §. 28. qui plura dabit compoſita per totum.

Nomina propria a titulo regio oriunda, pauca occurrunt, nec fere alia, niſi fœminina. Hujusmodi eſt apud HEPIDANUM in Annalibus Hildesheimenſibus CUNICHILDIS, Canuti M. filia, vi nominis *puella regia*, a Saxonico *cild* infans, poſt conſecrationem dicta CUNIGUNDA, hoc eſt, *virago regia*, non *vulva regia*. Quod inverecundum. Cæterum & hoc obſervandum, quod hic regis titulus non apud omnes Germanicæ Gentis nationes fuerit receptus, nec apud utentes ſolus. Nomen Gothicum vide in *Teut*, Burgundicum in *Elterman* ſenior, Celticum in *Brennus*.

KONIG, *könig*, filius regis, regalis, & quivis regio ſanguine ortus. Haraldum pulchricomum Norvegiæ Regem, titulum regium *konning* cum filiis communicaſſe an. C. 909. tanquam factum indignum refert SPERLINGIUS §. 116. In *Parænesi Regis Tyrolis ad Filium*, ab Alamanno quodam ante quingentos annos conſcripta, Rex pater Filium ſubinde vocat *kunig*.

Verſ. 35.
Nu hore KUNIG *und merke mich,*
Es ſtoſſent kunige lant an dich.
Verſ. 36.
Nu hore KUNIG *und merk es bas,*
Tragent din lute einander has.
Verſ. 37.
Hörſt dus junger KUNIG *wri,*
Steſt du den richen edelen bi.

Antiquiſſimi Alamanni, quantum ex MARCELLINO Lib. XVI. Cap. 12. Lib. XVII. Cap. 13. Lib. XVIII. Cap. 2. conſtat, principes regiæ ſtirpis vocabant *Regales*, hoc eſt, regii generis principes. Idque ſignificare poteſt vox Alamannica *chuning*, ſi derivetur a *chun* genus, vel *chun* rex. Sed apud Fran-

cos iidem non *regales*, ſed *Reges* dicebatur, ut a Viris doctiſſimis pridem obſervatum. HADRIANUS VALESIUS Lib. 7. Rer. Franc. *Regum filios* REGES *vocare mos erat.* Id quod multis exemplis docet tam ipſe quam CANGIUS in voce *Rex* & *Regina*, quamvis cauſa, cur nomen illud majeſtatis parentibus & liberis commune fuerit apud Francos in familiis Regum, non indicata. Sed qualiscunque fuerit, mos ita loquendi e Latino ſermone in vernaculum tranſire potuit, quod ad præſentis vocabuli illuſtrationem ſufficit. Aut ſi contrario itinere utamur, filius Latine dici potuit *rex*, quia *rex* lingua Francorum vernacula *dominum* notat, prætereaque nihil. Alias res non caret exemplo. Nam apud Cyprios Regum filios ἀνακτας appellatos, & filias ἀνάσσας, etiamſi ἀναξ fuerit titulus ipſius regis, e SUIDA obſervat CANGIUS. Idque ex pari ratione factum videtur, quia ἀναξ proprie eſt dominus, & pro domino uſurpatur apud HOMERUM, obſervantibus Lexicographis.

KONIG, *könig*, præfectus. SOMNER. in Dict. AS. *gearcyning* conſul. Id eſt, annuus magiſtratus. VEREL. in Ind. *herkongr* præfectus vel rex piraticam agentium. Ita Latini facerdotem, qui reliquis Sacerdotibus præeſt, vocant *regem ſacrorum*. Apud Berolinenſes *wappen-könig* eſt præſes Collegii Heraldici, qui Gallis *roy d'armes*. Et huc etiam ſpectant reges conviviorum, ludorum &c.

KONIGIN, *königin*, regina. TATIANUS Cap. LVII. §. *ſundririnu cuningin*, regina auſtri. NOTKERUS Pſal. XLIV. 10. *diu chuningin geſtuont ze dinero zeſuuuun*, aſtitit regina a dextris ſuis. *Regina* autem uſu Francorum dicebatur, non ſolum uxor Regis, ſed etiam filia. Id quod Auctores paulo ante laudati, CANGIUS & VALESIUS, prolixe oſtendunt. Vocem Angloſaxonicam vide in *quen*, Scandicam in *drottin*.

KONNEN, *können*, poſſe. V. *kennen*.

KOPF, ſummitas. Vox antiquiſſima, & pluribus linguis communis. Hebræis *gopha* eſt altitudo, elatio. Cambris *coppa* vertex, apex, criſta, in Lexico Ant. Brit. Boxhorn. Angloſaxonibus *cop*, *coppe* apex, cacumen, faſtigium, apud SOMNER. in Dict. Radix Hebræa eſt *gaphah* altum, elatum eſſe, Germanica *heben* levare, tollere in altum. G. H. & K. ſunt literæ convertibiles. Hinc porro cognoſcimus, quod *gibel* & *gipfel*, vel ſint diminutiva a *kopf*, vel certe eodem partu cum illo edita. Ætas LUTHERI dixit *kipfe*, quod etiam hodie uſitatius.

KOPF, caput, pars ſumma hominis, & extrema animalis. Gr. κύφη, κεφαλή, Belg. *kop*. Ex eodem fonte. Itali a Germanis habent *capo*, Galli *chef*. Gothi, Saxones, & reliqui veterum, hoc ſenſu dicunt *haubt*. Ubi cavendum, ne illud obrepat, quod indoctas aures decipere ſolet, tanquam hæc ſint ejusdem rei diverſa nomina. Quod minime verum. Nam inter H. & K. nullius momenti differentia eſt. Cætera non differunt niſi modo derivandi.

KOPF, poculum. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cib* vas quoddam, *cuppan* phiala, calix, cyathus. Gloſſ. Pez. ſcyphos *chopha*. BENSON. in Vocab. Angloſax. *cupp* obba. VEREL. in Ind. *kopp* poculum. Græcis κύφος & κύπη eſt navicula, κύφελλον & κύπελλον vas potorium. Latinis *cupa* dolium. Latino-Barbaris *caupus* & *cuppa* poculum, imo etiam navigium. Gallis *coupe* calix, Italis *capa* concha. Ducerem cuncta a Lat. *capere*, niſi Græca obſtarent, Latinis antiquiora. Nec tamen aſſentiri poſſum iis, qui vocem vel a navigiis, vel a rotunditate capitis ad pocula translatam exiſtimant. Malim, omnium appellationem a notione cavitatis repetere. Verba, quæ hunc ſenſum generant, vide in *kaw* cavus. Quicquid ergo cavum & ventroſum erat, ut vaſa ante memorata, eodem nomine appellari poterat. Hinc illa latitudo, ut eadem vox *cymbam*, *phialam*, *poculum*, *dolium*, *conchamque* ſignificet. Hodie nihil horum ſignificat, ſed dicitur tantum de vaſculis, quibus aqua calida hauritur, & ſanguis in ſcarificatione excipitur.

KOPPEL, copula, vinculum, ligamen, *koppeln*, *kuppeln* jugare, copulare, *kuppler* leno, copulator. Cuncta Latinæ originis.

KORB, vas vimineum. A Lat. *corbis* auctoribus Francis. Gloſſ. Pez. ſporta *churpa*. Metaphorice dicitur de votis & precibus inanibus, ob eandem cauſam ut *kipe*, quod vide.

KORDUAN, corium Hiſpanicum, ab urbe *Corduba* ſic dictum. HENISCHIUS, qui hujus etymologiæ auctor, ſcribit *cordewan*. Quod probo.

KOREN, eligere, *erkoren* electus. V. *küren*.

KORK, ſuber. A Lat. *cortex*. V. plura in *gork*.

KORN, granum, *pfefferkorn* granum piperis, *ſenfkorn* granum ſinapis. A Lat. *granum*. In Diſtichis Runicis *korna* dicitur de grandine: *hagul er kaldaſtur korna*: non quod grando ſit *gelidiſſima frugum*, ut perperam vertit WORMIUS: ſed quod rotunditate grano ſimilis ſit, & inſtar ſeminum ſpargi videatur. V. JUNIUM in Alphabeto Runico pag. 26.

KORN, granum frumenti. In Codice Arg. granum tritici vocatur *kaurno hwaiteis* Joh. XII 24. & in Verſ. Angloſax. *hwætene corn* ibidem. Francis quoque familiare eſt, grana frumenti eodem nomine appellare. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIV. 217.

Ih ſanta iuih arnon,
Ir ni ſatut tho thaz korn.

Vertit SCHILTERUS:

Ego miſi vos metere,
Vos non ſeviſtis grana.

Agitur, non de quibusvis granis, ſed de granis frumenti. SOMNER. in Dict. AS. *corn* granum, grana, *corn-wurma* curculio. Curculio autem non eſt cujusvis grani, ſed tritici

tritici populator. De Etymo mox videbimus.

KORN, frumentum, & ſpecies frumenti. Gloſſ. Ælf. in nom. tritici: frumentum *corn.* NOTKERUS Pſal. LIX. 9. *des toten chornes cherno pringet filo uuuochers*, mortui granum frumenti multum fructum affert. Belgæ eodem ſenſu dicunt *koren*, Angli & Sueci *corn*, *korn*, Tartari Præcop. *kor*. Galli frumentum & grana frumenti vocant *grain*, *grains*, Itali & Hiſpani *grano*, quod derivari ſolet a Lat. *granum*. Et hinc quoque Germ. vocem multi arceſſunt, quamvis invito NOTKERO, qui *chorn* & *chern* diſtinguit. STIERNHIELMIUS affinitatem Latinæ dictionis agnoſcit, ſed omnium originem refert ad *grünen* creſcere, virere, germinare. Quod cum nimis generale ſit, RUDBECKIUS maluit derivare a *küren* eligere, quia frumentum glandibus ſucceſſit tanquam cibus lectiſſimus. Peritiſſimi Helleniſtarum ſenſum vocis petunt a Gr. κορέω ſaturare, vel a γοράσσω comedere. Singularis opinio eſt PEISKERI, qua nomen ab ipſo Saturni nomine Κρόνος efformat, quod is occidentales agriculturam primus docuerit. Et quamvis hanc conjecturam cæteris nec præferre nec poſtponere auſim, multa tamen ſunt in Hiſtoria Deorum, quæ eam confirmare videntur, qualia ſunt, regnum Saturni in Italia apud JUSTINUM Lib. IV. cap. 1. victus agreſtis a Saturno mutatus, apud DIODORUM Lib. V. cap. 66. frumenti ex Phrygia origo, apud LUCRETIUM Lib. II. verſ. 613.

- - Primum ex illis finibus edunt,
In terrarum orbem fruges cæpiſſe creari.

KORN, quid ſignificet in re monetaria, vide in *ſchrot*.

KORNEN, *körnen*, proprie eſt ineſcare granis, metaphorice allicere.

KORPER, *körper*. Vide in C.

KORST, idem quod *kruſt*.

KOSEN, ſermocinari. Gloſſ. Pez. loquentur *chozont*. Gloſſ. Boxh. *kichoſe* ſermocinationis. OTFRIDUS Lib. II. Cap. III. 57. de Jeſu in medio Doctorum ſedente:

Maht leſan ouh hiar forna
Uuio er koſon bigonda.
Poteris legere etiam hic ſupra
Ut cœperit ſermocinari.

Idem Lib. V. Cap. IX 19. de Jeſu diſcipulorum Emauntidem tendentium comite:

Giang ouh in thero ferti
Mit in tho koſonti
Ibat eodem tramite
Cum illis colloquens.

Hodie utimur compoſito *liebkoſen* blandiri, blande loqui cum aliquo. Francos hoc verbi deſumpſiſſe a *gieſſen* effundere, quod ſermo inſtar fluminis effundatur, exiſtimat JUNIUS in Obſ. ad Will. pag. 116. Sed nulla opus allegoria eſſe videtur. Nam Græcis κώτας aliquando fuit loqui, & inde κωτίλλειν multa loqui. Quamvis etiam a Lat. *cauſa* vel *cauſari* deduci poſſit commode, propter ingenium Francorum, ad imitationem Latinæ Linguæ propenſum. Apud Longobardos *koſen* fuit verbum forenſe, idemque quod cauſam dicere. Lex Longobardica Lib. II. Tit. LII. 1. *Si quis cauſam alterius agere aut cauſare præſumpſerit in præſentia Regis aut judicis* &c. Poſtea vox bona vituperari cœpit. Inde Gallis *cauſer* nugari, tricari.

KOST, & *koſten*, quatenus ſignificant cibum & delibare cibum, omnium, quos inſpexi, judicio ſunt a Lat. *guſtare*, vel Gr. γεύεσθαι. Veteres hunc ſenſum aliis verbis exprimunt, quæ vide in *küren* & *kieſen*. Auſim tamen affirmare, eos hoc quoque verbum guſtandi ſenſu uſurpaſſe, etiamſi documenta me deficiant. Nam *koſten* in plerisque Dialectis, præcipue Saxonica & Francica, ſignificat *tentare*, ſimilitudine a guſtantibus manifeſto deſumpta, quia tentator idem facere videtur quod explorator cibi. Verſio Angloſax. Marc. I. 13. *and he wes fram Satane geoſtnod*, & tentatus eſt a Satana. TATIANUS Cap. XV. 1. *thaz her uuurdi gicoſtot fon themo diuuale*, ut tentaretur a Diabolo. Idem Cap. XXXIV. 6. *ni gileiteſt unſih in coſtunga*, ne inducas nos in tentationem. Senſus autem metaphoricus natura poſterior eſt proprio, & uſum proprii neceſſario præſupponit.

KOST, & *koſten*, quatenus dicuntur de pretiis rerum, ſunt a Lat. *conſtare*, auctoribus Britannis. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *coſt* ſumptus, impenſa, *coſtus* ſumptuoſus. A *koſt* rurſus fit *koſten* impendere, in quibusdam Dialectis. LOCCEN. in Lex. Jur. Suec. Goth. & VEREL. in Ind. *koſt* impenſæ, *kuſta* impendere, ſumptus facere. Hic verbi ſignificatus probe eſt notandus. Nam hinc deſcendit *kaſte* largitio, & inde *kaſtenvogd* tutor ſacrarum largitionum.

KOSTE, *köſte*, convivium. V. *gaſt* hoſpes.

KOT, cœnum & ſtercus. Idem Belgis *kuet*. HESYCHIO κότυα ſunt σκυβάλα, i. e. ſtercora, excrementa, obſervante JUNIO in Animadv. ad Will. pag. 193. Poſtea omnibus ſordibus tribui cœpit. Inde *unterkötig* purulentus infra cutem.

KOT, ſpelunca, cubile ferarum. Angloſax. *cote*, Gr. κοίτη. Refer ad *kutten* tegere, abſcondere.

KOT, tugurium, vile habitaculum, *ſalz-koten* tuguria ſalinatorum. SOMNER. in Dict. AS. *cote*, *cyte* domuncula, caſa, tugurium, *cot-ſæta* caſæ habitator, barbare *cottarius*, *lytel cyte* tuguriolum. Idem Belgis, Anglis & Island. *kot*, *cot*, Sorabis *keiza*, Latinis *caſa*, Lat. Barb. *cota*. VEREL. in Ind. *kot* tugurium, *kot-kall* pauperculus ſenex tugurii incola, *kotungr* in tugurio natus. Quamvis ex eodem fonte derivari poſſit, ut antecedens, veriſimilius tamen eſt, vocem a latebris ſubterraneis ad caſas & tuguria translatam eſſe. Nam vetuſtiſſimos mortales ſpe-

cubus ante, quam tuguriis habitaſſe, a multis proditum eſt. VITRUVIUS Lib. II. de Architect. Cap. I. inter primordia ædificiorum ſpeluncas collocat, ab hominibus tam diu habitatas, donec hirundines imitati de luto & virgultis tuguria exſtruerent. Hoc de Phrygibus ſcribit idem Vitruvius, XENOPHON de Armeniis, VIRGILIUS de Sarmatis Georg. Lib. III.

Ipſi in deſoſſis ſpecubus ſecura ſub alta
Otia agunt terra - -

OVIDIUS de primis univerſe mortalibus Lib. I. Met. verſ. 121.

- - Domus antra fuerunt.

BAXTERUS de priſcis Hibernis in Gloſſario. Hinc *cot-ſæta* videtur prius antricolam quam caſæ habitatorem ſignificaſſe. De eo vide plura in *Coſſeten.*

KOTE, *kote*, arca. Vox Miſnica, ſed antiqua, & a *kutten* tegere, condere, claudere, oriunda. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *caed* opertorium, *caed* clauſus. Græcis κοίτη eſt arcula qua mundus muliebris reconditur. Similiter & Francis *ketti* primo arcam, deinde conditorium ſignificavit, ſenſu a genere ad ſpeciem translato, cujus rei exemplum habemus in *truhe*. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXIV. 163.

Intheket mir thaz ketti
Thes mines friuntes hetti.
Oſtendite mihi conditorium,
Amici mei loculum.

Idem Lib. V. cap. IV. 39. de ſepulcro Domini:

In mihilan unuan
Thaz ketti fundan indan.
Cum magna conſternatione
Conditorium inveniebant apertum.

KOTT, ſagum, cucullus. Rurſus a notione tegendi. V. plura in *kutt*.

KOTZ, ſtragulum villoſum. Græcis κώτας apud MARTINIUM in Cadmo Græco-Phœnice. Ejusdem originis ut antecedens. Confer *kaſa*.

KOTZ, ſcortum. Lat. *cadeſa*. Utitur MATHESIUS Conc. XIII. de vita Luth. MARTINIUS utramque vocem derivat ab Heb. *kedeſa*. Ergo vel Judæos habet auctores, vel ſi Germanica ſit, ſenſus a ſtragulo petitus eſt.

KOTZEN, vomere, evomere. Frequentativ. a *köken*. Vel a *kot* ſordes, eluvies, quod mallet MARTINIUS in voce *vomo*.

KRABBE, piſcis teſtaceus, ſpecies cancri marini. Angloſax. *crabba*, Belg. *krab*, *krabbe*, Angl. *a crabfish*. A rependo ut *krebs*. In quibusdam locis infantes vocantur *kleine krabben*, quaſi parva reptilia, quatenus pedibus nondum uti poſſunt ad incedendum, ſed adhuc humi reptare coguntur.

KRABBEN, fricare, unguibus ſcalpere, & inde appellatio a *krauw* unguis, mutatis tantum labialibus. Ita Angloſaxonibus a *claw* unguis fit *clawan* ſcabere. Verbum Belgis præcipue uſitatum, quibus *krabben* eſt fricare, ſcalpurire, ſed & unguibus cutem dilacerare, & hinc *krabbing* fricatio & defricatio cutis. Confer verbum ſororium *krauwen*.

KRACHEN, tonare, crepitare. Angloſaxon. *cearcian*, Belg. *kraaken*, Angl. *to krack*, Gall. *craquer*. Quamvis a ſono factum videri poſſit, non tamen eo confugiendum eſt præter neceſſitatem. Nam verba ſonandi ſunt metonymica apud nos, & formantur a cauſis. Hinc *krachen* proprie eſt fragorem edere ex ruptura, colliſione, vel pulſu. Idque ſignificare poteſt, ſi oriatur a κρέκειν pulſare, vel ab Anglico *to crack* rumpere, collidere. Confer *brauſen* ſonare, & ſingula verba ibi commemorata.

KRÆHE, cornix. Gloſſ. Pez. cornicum *chraiono*. Species corvi vel graculi, quæ Angloſaxonibus *crawe*, Angloſ. *crow*, Belg. *kray*. Græcis vocatur κορώνη, forte a κόρος niger. Inde Latinis *cornix*, & Germanis *kræhe* quorundam opinione. Sed PEISKERO *kræe* ſic dicitur quaſi γρᾶια vetula. Novem enim Sæcula vivere creditur, & hinc *annoſa* HORATIO Lib. III. Od. 17.

Aquæ niſi fallit augur
Annoſa cornix.

JUNIO contra nomen detruncatum videtur ex Gr. κραυγὴ clamor. Eſt enim, inquit, avis clamoſa & garrula. Teſtis eſt ipſa cornix de ſe ipſa apud OVIDIUM II. Metam. verſ. 567. Sed ad hunc ſenſum ſtabiliendum non opus eſt fonte Græco, quia domi habemus verbum antiquiſſimum *kræhen* clamare, unde *kræhe* avis clamoſa, cujuscunque generis. Eſt enim nomen generale, & uſu Celtico non ſoli corniculæ, ſed aliis quoque avibus dicatum. Hinc ardea, pygargus, pella, Cambrice dicitur *cryr*, *cryhyr*, *crehyr*, a *crio* clamare.

KRÆHEN, clamare. Verbum Celticum. Cambris *crio* eſt clamare, *cri* clamor, Armoricis *criur* præco, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Inde Gallis remanſit *crier*, Anglis *to crie*. Imo etiam Belgis *krayen*, *ſchreuwen*, *roepen*, ſunt ſynonyma. MARTINIUS in Cadmo tribuit Chaldæis *kra* clamavit, unde Græcis κράζω clamo. Litera H. in medio vocis novitia eſt, & officit derivandis. Ad familiam verbi ſpectant quædam obſoleta, ut,

Chry, clamor, præcipue militaris, hod. *feldgeſchrey*. Vox Alamannis quondam uſitata. Hinc Symbolum veteris Eccleſiæ Alamannicæ inſcribitur *Chry dir alten Kilchin*, clamor veteris Eccleſiæ, apud GOLDASTUM Tom. II. Rer. Alam. pag. 134. ſenſu a clamore militari deſumpto, ſicut optime animadverſum ECCARDO in Cat. Theot. pag. 25. Gallis & Anglis *cri*, *cry* etiamnum clamorem ſignificat.

kreide, clamor. De quo infra.

KRÆHEN,

KRÆHEN, cornicari, crocitare, cucurire. Senſus a voce humana ad clamorem avium translatus, præcipue Galli & Corniculæ. Angloſax. *crawan*, Franc. *craën*, Angl. *to crow*, Belg. *krayen*, Gr. κρώζω, Lat. *crocire*. Dicitur de gallicinio in vetuſtiſſimis Verſionibus Matth. XXVI. 74. 75. præcipue Angloſaxonica & Francica TATIANI. Prior ſic habet: *and hrædlice creow ſe cocc*, & ſtatim cantavit gallus: *erthamthe ſe cocc crawe*, priusquam gallus cantet. Poſterior: *inti sliumo ther hano cráta*. Et mox: *er thanne hano craë*. Quibus conſentit Luth. in Verſ. Germ. Hodie non dicitur niſi de Gallo gallinaceo: olim vero erat verbum pluribus avium ſpeciebus commune. Inde *kræhe*, cornicula, ardea, corvus, graculus, pygargus, pella, & quævis avis clamoſa, ſecundum antecedentia.

KRÆT, corbis, ſporta viminea. ECCARDUS innot. ad L. Sal. pag 27. *Suevos corbem in ſua Dialecto kraten, a Latino crates nempe, nominaſſe, vel centies, cum in Aula Principis Zolleræi Hechingæ olim per aliquot tempus commoraret, audivi.* Aliud etymon vide in *karren* portare.

KRÆTZE, varios habet ſignificatus, quos vide in *Kratzen*.

KRAFT, vis, potentia, robur. Gloſſ. Boxh. *chreſti* vires. Gloſſ. Keron. virtus *chraft*, virtutes *chreftoen*, virtutum *hcreſtio*, inbecillibus *uchreftigem*, inbecillitas *unchreftigii*. Gloſſ. Ruod. Mag. S. Galli: virtus conſtellationis *des keſtirnis chraft*. Gloſſ. Junian. in Will. pag. 10. *chraftlicho* viriliter, valenter, *chreſti ni helfant* vires non ſuppetunt, *mith allon craftun* omnibus viribus. Gloſſ. Lipſ. *mancreſte, megincraft* majeſtas. Ab initio fuit *krat*, a Gr. κρατὺς vis, robur, potentia: poſtea *kracht* per epenthel. auctoribus Belgis: denique *kraft*. Utraque mutatio, tam illa, qua gutturalis dictionibus inſeritur, quam hæc, qua gutturalis in F. mutatur, in ore Germanico ſat frequens eſt, ut oſtendi in *Proleg.* Interim a *kraft* derivantur *kræftig* validus, firmus, *bekræftigen* confirmare, *entkræften* frangere vires, & alia ſatis nota.

KRAFT, ars, ſcientia. Senſus a viribus corporis vel animi, ad virtutes intellectuales translatus. Cambris *creffi* eſt ars mechanica, *creffiwr* artifex. Angloſaxonibus *cræft* ars, ſcientia, *cræftig* artifex, opifex, *cræftwyrce* artificium, *ſtæf-cræft* literarum ſtudium, a *ſtæf* literæ, *rim-cræft* arithmetica, poetica, chronologia, a *rime* numerus, rhythmus. *tungel-cræftig* aſtronomus, aſtrologus, magus, a *tungel* ſidus, *run-cræftig* augur, myſteriorum interpres, a *rune* myſterium, & alia innumera apud SOMNERUM & BENSONIUM. Superat apud Anglos in *craft* ars, *crafts-man* artifex, & ſimilibus, quæ optimo jure ſic dicuntur. Quid enim ſunt artes & ſcientiæ, niſi potentiæ, non cognoſcendi ſolum, ſed etiam producendi opus?

KRAFT, fraus, dolus, ars decipiendi. Bonus ſenſus in deteriorem mutatus vitio artificum, qui ingenio ſæpe ad faciendas impoſturas abutebantur. Sic etiam *liſt*, quod ab initio fuit artis liberalis vocabulum, poſtea ob calliditatem artificum creditur vituperatum, plane ut *ars* apud Latinos. Angloſaxonibus *cræft-leas* eſt innocens, doli expers, interprete SOMNERO, Anglis *craft* aſtutia. In reliquis Dialectis nullum occurrit hujus ſenſus veſtigium.

KRAGEN, collare, vinculum colli. Græcis κρίκος eſt circulus, Suecis *krökia* curvare, *krok* curvus. Quæ ſicut inter ſe, ita etiam cum collari conveniunt, ob figuræ rotunditatem & flexum circa collum.

KRAG-STEIN, *krak-ſtein*, lapis frontalis, ſed variæ interpretationis, pro vario uſu, quem præbet ædificantibus. STILERO ſic dicitur, quaſi patagium columnæ; a *kragen* collare. WOLFIO eſt lapis e coronide prominens inſtar trabis, Latine *mutulus*, forte a *ragen* prominere. Aliis idem videtur qui *ſchloſſſtein* tholus, quia arcum claudit, a *krak* peſſulus, vel *kraken* claudere, vocibus STILERO memoratis, ſed mihi incognitis.

KRAL, unguis, leonis vel aquilæ, vel alterius beſtiæ rapacis. MATHESIUS Conc. IX. de vita & ſcript. Luth. pag. 103. b. *Der Chriſtenheit weiſſe zæhne, krulen, wehr und waffen, iſt das ſtarcke wort Gottes.* Syncopatum ex *krauwel*, quod vide.

KRAM, merx, & taberna mercium. Ab obſoleto *mark* mercatus, per anaſtrophen.

KRAMER, mercator. Ab Armor. *nercher*, per metathefin. Vel ἀμοιβῶς a *kram* merx.

KRAMME, harpago, ferrum ex utraque parte uncum. Belg. *kramme*, Gall. *crampon*. Videtur formatum a *krappen* unco arripere, mutatis labialibus. Cambri rectius & origini conformius vocant *craf*, Angli *grapple*.

KRAMMEN, conſtringere. VEREL. in Ind. *kramur* colligatus, *krummur* manus conſtringens, *kramma* comprimere. Cognatum, ni fallor, cum *klemmen*, ob perpetuam literarum R. & L. permutationem.

KRAMPF, ſpaſmus, contractio nervorum. Belgis & Anglis *kramp*, *cramp*, Suecis *krampa*, Gall. *crampe*. Sive a *krümpen* contrahi, corrugari, quod fieri ſolet in ſpaſmo, humore ex ariditate abſumpto, judice MARTINIO: ſive a *krammen* conſtringere.

KRAMS-VOGEL, turdus. Prior compoſiti pars eſt a Lat. *racemus*, per metathefin. Uvas enim appetere dicitur, & hinc alio nomine vocari ſolet *weindroſſel*. Alii ſcribunt *krametS-vogel*, & *krametz* interpretantur juniperum, quia gaudet baccis juniperi, & inde pingueſcit. Sed qua lingua *krametz* juniperum ſignificet, non docent. Conf. *Zimer*.

KRAN, epiſtomium. Ab Angloſax. *cran* grus, quia capite & collo gruem refert. Similia vide in *han* epiſtomium.

KRAN, geranium. Machina roſtrata, mercibus e navi levandis aut in navim importandis

tandis inventa, & ob ſimilitudinem cum roſtro gruis (neſcio quo primo auctore) ſic dicta. Id enim Græcis eſt γερανον, unde vox Germanica creditur detruncata. Cum iis præcipue in locis exſtruatur, ubi merces libris appendi, & vectigalia ſolvi ſolent, hinc illa juris Stapulæ pars, quæ in exigendis vectigalibus conſiſtit, nomen nacta, ut vulgo dicatur *kran-gerechtigkeit*, jus geranii, & vectigal *cranagium*. VITRUVIUS eandem machinam *tympanum* vocat Lib. X. cap. 4.

KRANICH, avis nobilis longo collo, Celtis, Græcis, Latinis, aliisque gentibus eodem nomine notiſſima. Græcis γέρανος, Latinis *grus*, Cambro-Britannis *garan*, Anglo-ſax. *cran*, *cræn*, Angl. *crane*, Belg. *kraan*, Gall. *grue*, Speculo Suev. *kranch* cap. 334. Inde compoſitum *cranohari* in Legibus Bajuvarior. Tit. XX. 1. *Si accipitrem occiderit*, *quem* CRANOHARI *dicunt*. Quam vocem mire fingit & refingit LINDENBROGIUS, quamvis præter neceſſitatem. Nulla enim opus habet emendatione, & manifeſto componitur ex *cranoh* grus, & *ari* aquila, quod habet Rhythmus de S. Annone §. 45. Sic ut *cranoh-ari* proprie ſit accipiter gruarius, ſive (ut Lex Alamannica Tit. ult. loquitur) *acceptor qui gruem mordet*. Olim deduxi a *koren* eligere, quia ducem itineris legit, teſte PLINIO: *Quando proficiſcantur*, *conſentiunt*: *volant ad proſpiciendum alte*; *ducem*, *quem ſequantur*, *eligunt*. Sed nihil definio, quia tanta eſt nominis apud multos vetuſtiſſimosque populos celebritas, ut facile aliunde oriri poſſit. Plures ortus ſiſtit MARTINIUS in voce, unde ſequentia decerpo. „Vocem duco ab Hebr. *garon* guttur, col„lum, *garar* eſt attrahere, de cibo intellige. „Hebræi quidam *agur* gruem exponunt. „Germanicum *krane* vel *kranich* a Græco „nos ſumſimus. γέρανος Euſtathius dici pu„tat a γῆ & ἐρευνάω, quod terram, id eſt, ſe„mina terræ ſcrutetur. Eſt enim ex σπερ„μολόγους. Aut, inquit Geſnerus, forte ge„ranos vocata eſt, quod colore cinereo & „fere cano, tanquam γέρων, id eſt, ſenex „appareat. Γέρη nonnullis grus fœmina ex„ponitur (ut συρισὴς mas) ſecundum Ælium „Dionyſium, citante Cælio. Vet. Dict. *Grus* „*dicitur a ſono vocis*. Huc usque MARTINIUS. A concentu gruum Latini formarunt *congruere*, obſervante FESTO.

KRANK, æger, infirmus. Belg. & Island. *krank*. VEREL. in Ind. *krankur* ægrotus, *krankare* deterior, *krankleikr* morbus. In vetuſtioribus Dialectis non licuit invenire. Habent tamen Græci quod hûc ſpectare videtur. Nam apud HESYCHIUM ἀκραγγὴς exponitur ἀδύνατος, i. e. debilis, infirmus. Quod judice REIZIO eſt fons Belgicæ vocis.

KRANKEN, ægrotare. Oritur vel ab adj. *krank*, ut apud Latinos *ægrotare* ab *æger*: vel a ſtatu querulo ægrotantium. Nam γιγγραίνω Græcis eſt querula loqui. Quod inprimis faciunt ægrotantes. Hinc in quibusdam Dialectis *quinen* & queri & ægrotare ſignificat.

KRÆNKEN, affligere, cruciare, moleſtia afficere. Id eſt, facere ut doleat, facere ut ægre ferat.

KRANZ, corona, ſertum. Belgis *krans*. HELVIGIO eſt a κορωνὶς apex, faſtigium rei. Aliud etymon vide in *Krone*.

KRAPF, *kræpflein* maſſula farta, cocta vel frixa, & inde nomen a *kropf*, quia ventriculum refert, quod illi, qui his cupediis capiuntur, transformarunt in *krapf*, ut faſtidio, quod ex nomine oriri poterat, unius literæ mutatione occurrerent.

KRAPF, *krapp*, uncus, harpago, fibula. V. *krappen* unco arripere.

KRAPPELN, reptare. Frequentativ. a *krupen* repere.

KRAPPEN, *krapfen*, arripere, corripere, vi prenſare. Non videtur differre a *greiffen* vi capere. Nam K. & G. ſunt literæ ejusdem inſtrumenti, & conſequenter permutabiles. Inde Cambris *crap* raptio, prehenſio, *craff* qui tenaciter quid apprehendit. Belgæ utuntur frequentativo *grabbelen*, Angli *to grapple*. Et Belgis quidem *grabbelen* eſt avide & repente arripere, *grabbeling* actio arripiendi, *te grabbel werpen* projicere vi capeſſenda. Anglis *to grabble* corripere, conſtringere.

KRAPPEN, *krapfen*, unguibus vel roſtro arripere. Dicitur de beſtiis, quia illis ungues & roſtrum ſunt pro manu. Inde Gallis *griſes du lion* ungues Leonis, Italis *griſo* roſtrum, *griſi* ungues avium, præcipue rapto viventium, Cambris *crafange* ungula avis vel cancri, vel ſimilis rei, interprete BOXHORNIO.

KRAPPEN, *krapfen*, unco arripere. Translatum ad inſtrumenta recurva, quia unguibus animalium ſimilia ſunt. Gloſſ. Pez. uncinos (id eſt, hamos) *chraphun*. NOTKERUS Pſal. CXVIII. 161. *chazzonſo mit craphon*, ungulis torqueo. Id eſt, ferramentis mucronatis & hamatis. Hinc porro Cambris *craf* harpago, fibula, *crapaf* anchora, Gallis *agraffe* uncus, hamulus, fibula, Anglis *grapple* harpago, manus ferrea, Germanis *krapp*, *krapf* uncus, apud STILERUM in Theſ. L. Germ. Omnibus affine eſt Græcis γναυτὸς qui roſtro aut naſo adunco eſt.

KRATZEN, varia ſignificat in vetuſtiſſimis linguis, *radere*, *ſcalpere*, *ſculpere*, imo etiam *ſcindere*, *vellere*, *ſecare*. Hebræis *kara* eſt ſcidit, rupit, *garad* ſcalpſit. Græcis χαράττω ſculpo. Latinis *rado* ſæpe idem quod ſcalpo, ſeco. Armoricis *raza* idem quod rado, apud PEZRON. in Antiq. Celt. pag. 409. unde Gallis *razer*. In Gloſſis Pezianis *chrazzonten* exponitur *vellentibus*. Sorabis *kracz* eſt ſcindere, *kraju* ſcindo, frango, *kruch* fruſtum, interprete FRENZELIO. Anglis *to grate* rado. Vox judice VREDIO in Hiſt. Com. Fland. per onomatopœiam a ſtridore facta. Quicquid ſit, Archæologia nobis eſſe poteſt pro etymo, quia primam verbi formam & primum ſignificatum ignoramus. Noſtri artifices inde habent, *kra-*

zer radula, *krætze*, *kritſe* ſegmenta auri vel argenti: & pueri noſtri *kritzeln*, quod dicitur de penna ſtridula, quæ inter ſcribendum chartam radit.

KRATZEN, unguibus ſcalpere, arare, fodicare. Belgis *kraſſen*, Gall. *grater*, *egratigner*, Ital. *grattare*, Lat. Barb. *cratare*. Lex Friſion. in Addit. Sapientum Tit. III. 44. *Si quis alium unguibus crataverit &c.* Hinc *kratz* quatenus eſt verbale a *kratzen* ſignificat quantum poteſt, (1.) cicatricem, quia cicatrix eſt cutis unguibus arata. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *craith* cicatrix. (2.) ſcabiem. Hoc ſenſu dicimus *krætze*, Galli *gratelle*, Cambri *crach*, quia ſcabies excitat pruritum, h. e. libidinem ſcalpendi.

KRATZEN, ſcribere. Græcis χαράτ]ειν nonſolum eſt ſculpere, ſed etiam ſcribere, forte quia primæ literæ (ſicut alibi oſtendo) erant ligno vel lapidibus inſculptæ, & hinc χαραχ]ὴρ ductus, lineamentum, litera. Sic & Latino-Barbaris *charaxare* eſt ſcribere, & *charaxatura* ſcriptura, apud CANGIUM in Gloſſ. Hodie utimur frequentativo *kritzeln*, ſed pravo ſenſu, de male & imperite ſcribentibus.

KRAUEL, unguis & furca. V. *krauwel*.

KRAUS, criſpus, tortus. Camb. *crych*, Belg. *kroes*, Gall. *crepu*. Cuncta cognata cum Lat. *criſpus*. Inde *krauſen* criſpare, & ab illo rurſus *krös* inteſtinum tortum, & *krauſe* collare, quia tortum, complicatum, & ſinuoſum. Utimur etiam frequentativo *kreuſeln* criſpare.

KRAUT, herba. Gloſſ. Pez. herba *chrut*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. XVI. 45.

Thæz kind uuuahs untar mannon
So lilia untar thornon,
So bluama thar in crute,
So ſcono theh zi guate.
Puer creſcebat inter homines
Ceu lilia inter ſpinas:
Ut flos in gramine
Sic pulcre proficiebat ille.

Belgis *kruit* herbam notat & aromata, quia primis temporibus, cum exoticæ herbæ & radices nondum innoteſcerent, domeſticæ erant pro aromate. Græcis χόρτος eſt gramen, herba, fœnum. Cuncta a germinando vel creſcendo. Nam creſcere, germinare, vireſcere, Francis dicitur *gruan*, Belgis *groeyen*. Gloſſ. Boxh. *gruanti* virens. WILLERAMUS Pauli Merulæ cap. IV. 12. *aller ſlahto krud gruojent*, omnis generis herbæ creſcunt. Alias verbi formas, ſed ad derivationem non æque aptas, vide in *grünen* virere. Hæc ſola efficit quod volumus. Et ab illa tanquam matre, duæ natæ ſunt filiæ, *gras* & *kraut*, gramen & herba, ambæ virore inſignes. Alii tamen ducunt a Lat. *cretus*, quamvis præter neceſſitatem.

KRAUW, unguis, tam hominis quam animalis. A genuino *klauw*, mutato L. in R. Vel ſi mavis a *krappen* arripere, mutatis tantum labialibus.

KRAUWEL, unguis, Dial. Belg. Diminutivum a *krauw*. Hodie dicimus *kral* per ſyncopen.

KRAUWEL, *krævel*, furca triſulca & hamata. Utitur Luth. I. Sam. II. 13. Idem Belg. *krauwel*. Haud dubie quia pedibus animalium fiſſis & hamatis ſimilis eſt. Quamvis etiam ἀμέσως a *krappen* arripere formari potuerit.

KRAUWEN, ſcalpere, ſcabere. Proprie unguibus, a *krauw* unguis. Frequentior verbi uſus eſt apud Belgas, quibus *krauwen* ſcabere cutem, *krauwagie* ſcabies, impetigo. Aliud ſcalpendi verbum ab unguibus formatum vide in *krabben* fricare.

KREBS, cancer. Angloſax. *crabba*, Angl. *crabfish*, Belg. *kreeſi*, *krevet*, Suec. *kræfweta*, Gall. *ecrevice*. Græcis κάραβος eſt ſpecies cancri. Gallos vocem ſuam a nobis ſumſiſſe, nos noſtram a Græcis, ſenſu a ſpecie ad genus traducto, exiſtimat MARTINIUS. Illud verum, hoc minime neceſſarium. Nam omnium origo poteſt eſſe a *krupen* reptare. Allegorice dicitur de armatura ſquammata, & de ulcere ſerpente.

KRECHZEN, gemere. Potius a ſono vel difficili anhelitu ægrotantium, quam a *crocitare*, quod corvorum, vela *kræhen*, quod clamantium eſt.

KREHEN. V. *kræhen*.

KREIDE, terra alba. A Lat. *creta*.

KREIDE, clamor. A *kræhen* clamare. Dicitur (1.) de voce præconis. CANGIUS in Gloſſario: *crida* bannum, proclamatio quæ per præconem fit, *grida* Italis. (2.) de teſſera militari, quæ alias *feldgeſchrei*. ECCARDUS in Cat. Theot. pag. 25. ex Ordinatione Judicii aulici Rotweilenſis hæc citat verba: *In demſelben ſtreit hette Herzog Wolff mit den ſeinen für ein kreiden: Hie Wolff. Darwieder hies gedachter König Cunradts ſun, Herzog Friedrich die ſeine fur ir kreiden rufen: Hie Gibling.* Addit: Deſcendit ea vox a verbo *kreyen*, *crier*, clamare. (3.) de teſſera Eccleſiæ militantis, quia clamori militari ſimilis. Inde Angloſaxonibus *crede* ſymbolum Apoſtolicum, interprete SOMNERO. Inde porro Italis *gridare* clamare, non *aquiritare*, ſed a Germ. *kreide* clamor.

KREIDE, fletus, clamor ejulantis. Gothis *grets* Matth. VIII. 12. Suecis *græt*, Danis *græde*, Cambris *disgreth*. Nos inde componimus *grætig* clamoſus, vigilans, ejulans, quod dicitur in Suevia de infantibus in cunis. Hinc porro plorare Gothis dicitur *greitan* Marc. XIV. 72. Suecis *græta*, Præcopenſibus *criten*.

KREIS, circus, circulus, orbis, *erdkreis* orbis terrarum. A γύρος vel κρίκος, ut *zirch* a *circus*. Inde Suecis *kriſſa* circulare, nobis *krieſeln* in orbem agere, & hinc porro *krieſel* trochus, quo pueri ludunt.

KREIS, tractus, diſtrictus, certus terrarum ambitus, quia circulo ſimilis. BRUMMERUS de Scabinis cap. 4. "Omnium gentium inſtitutum fuit, Regna in provincias, pro-"

„cincias in minores partes diſtribuere. Sic „Ægyptus in Nomos: Hiſpania in conven„tus: Thema orientale conſuetudine Ro„manorum εἰς ἐπαρχίας, ἡγεμονίας καὶ δυνά„τα, notante Conſtantino Porphyrogenito „dividi ſolitum. Noſtris moribus Germa„nia & Bohemia in circulos: Helvetia, quæ „olim pagorum ſeptem erat, hodie in Can„tones: Sileſia in Ducatus: Misnia in Am„bachtias: Flandria in Caſtellanias: Gallia „in Parlamenta, cum ſuis quæque Diœceſi„bus: Britannia in comitatus, quos Saxo„nes *ſchyras* vocant: Eæ in Hundredas, i. e. „centurias, hæ in Tithingas, i. e. decennas „ſeu decimas: Aliæ Regiones in Dynaſtias, „Staroſtias, Palatinatus, Weichbilda, Marcas, „& ſegmenta minora alia dividuntur.

KREISSEN, *kreiſchen*, clamare, plangere, quiritari. Belgis *kryten* & *kryſchen*. Græc. κρείζειν. Cuncta per varias mutationes a *kreide* ejulatus. Dicitur tantum de gemitu & lamentatione parturientium.

KRELL, V. *grell.*

KREMPE, fibula. Ejusd. originis ut *kramme* harpago. Niſi forte M. a pronunciantibus ſit inſertum. Quo pacto ſpectabit ad *krappen* prenſare.

KRESSE, naſturtium. Gloſſ. Pez. naſturtium *creſſo*. Sueci dicunt *kraſſa*, Francigenæ *creſſon*. MENAGIUS Gallicam vocem ducit a *creſcendo*, MARTINIUS Germanicam a *kraus* criſpus. Creſcit enim media hyeme, & folia habet criſpata. Vix tamen alterutri aſſentiri poſſum. Nam omnes iſtæ voces, quibus naſturtium deſignatur, videntur inverſæ ex Antiquo Saxonica *cærſe*, *kerſe*, qua etiamnum Belgæ utuntur. Gloſſ. Ælf. in nom. herb. naſturtium *tun-kerſe*. Naſturtium autem Græcis dicitur κάρδαμον: unde per apocopen & unius literæ mutationem fit *kærſe*, pro *kærde*.

KRETZE. v. *kratzen.*

KREUEL, furca. v. *krauwel.*

KREUSCHEN. v. *kreiſſen.*

KREUSELN, criſpare. v. *kraus.*

KREUZ. v. *creuz.*

KRIECHEN, reptare, ventre gradire. Verbum a Francis relictum, quod dicitur proprie de animalibus, quæ pedes non habent, quorum inceſſus criſpus & ſinuoſus eſt, ut ſerpentum & erucarum. Poſtea transferri cœpit ad piſces, quod tamen hodie non probatur. Hinc reptilia maris NOTKERO vocantur *chriechentiu*, Pſal. CIII. 25. Radicem videntur cuſtodire Cambo-Britanni in *crych* criſpus, tortus, apud BOXHORNIUM in Lex. Ant. Brit. Quid enim eſt reptare niſi criſpari, h. e. per ſinus & flexus incedere? MARTINIUS verbum ducit a *corrugare*. Sed nulla cauſa eſt, cur origines Latinas Celticis præferamus. In reliquis veterum Dialectis hactenus non occurrit.

KRIEG, bellum. In Monumentis Runicis pag. 200. occurrit *kri*. Sed hanc lectionem OL. WORMIUS merito repudiat. Cambris *cyrch* eſt inſultus, impetus, incurſus, irruptio, expeditio bellica, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Hinc auguror, vocem Germanicam e Britannica unius literæ, & valde mobilis, tranſpoſitione ortam eſſe. Quamvis etiam domi naſci potuerit, ſive a *rechen*, *gerechen* pellere, ſive a *rächen*, *gerächen* ulciſci, ſic ut bellum ſit vel propulſio hoſtis, vel vindicta publica. Vide plura in *gerich* vindicta. Hodie magnam ducit familiam, ſed priſcis univerſe ignotam. Vetera vocabula ſunt, *acht*, *cat*, *gun*, *gund*, *urlog*, *wer*, *wig*, *winn*, ut oſtendi in ſingulis. Nam eorum, quæ omnes diligunt, plura ſolent eſſe nomina, ut mirum non ſit, Genti bellicoſæ & viris ad arma natis tot appellationes placuiſſe.

KRIEG, lis, controverſia, cauſa litigioſa. Hoc ſenſu occurrit in Jure prov. Alaman. cap. 243. per totum. An dicemus, ſenſum ab imagine belli deſumtum eſſe, quia diſſidentes belligerantibus ſimiles ſunt, præcipue in foro, ubi privatus privato bellum facit? Dubito. Potius eſt a *rügen*, *gerügen* accuſare, cauſam intendere. Hodie ſuperat in termino forenſi *kriegs-vogd* & *kriegücher vormund* litis curator.

KRIEGEN, capere, accipere. Utitur Luth. Jac. IV. 3. Quamvis nusquam, quod ſciam, ab antiquis traditum ſit, factum tamen iis temporibus videtur, cum adhuc Græca vocabula per omnium ora volarent. Nam χεῖρ Græcis eſt manus, & χειρῶν manu capere. Quam facile inde fiant *chreijen* & *kriegen*, norunt periti. Verba capiendi a manu formare, majoribus noſtris admodum familiare fuit, ut patet ex verbis *kommen*, *kippen*, *nemen*, *greiffen*.

KRIESEL, trochus. V. *kreis* circus.

KRIMMEN, dicitur de ventre, Apoc. X. 9. quo ſenſu, vide in *grimmen* ſævire.

KRINGEL, ſpira panis. An a *ring* vel *ringel* per præfixum *ge*, quaſi parvus circulus? Ita ſentiunt ECCARDUS in not. ad L. Sal. pag. 56. STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 683. DIECMANNUS in Spec. Gloſſ. pag. 158. STILERUS in Theſ. L. Germ. pag. 1652. Senſum a rotunditate deſumptum eſſe, dubio caret. Et hactenus conjectura haud male cecidit viris illis literatis, & de ſermone patrio præclare meritis. Verum cum eadem vox reperiatur etiam apud veteres Scandos, qui præfixa omnia naturaliter horrent, hinc origo ejus aliunde arceſſenda videtur. Unde vero, niſi e lingua Celtica? Cambris *crwnn*, Armoricis *cren*, Hibernis *cruinn* eſt rotundus, teſtibus BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. & TOLANDO in Druidibus. Quam facile inde fiat *kring*, ſive derivandi cauſa, ſive quia N. naturaliter attrahit G. nemini ignotum eſſe poteſt. Ex hoc opinor fonte Scandi habent *kring* circum, *kringdrifwa* circumagere, *kringskæra* circumcidere, *kringhwerfwa* circumcingere, *kringla* circulus, orbis, ſpira. Et nos ab illis *kringel*. Horum antiquitatem ſuſtinet Index VERELII in compoſitis

compositis, *heimskringla* orbis terrarum, *kringluhaf* oceanus omnia ambiens.

KRIPPE, pecten, & ob similitudinem etiam rastrum, instrumentum dentatum. Vox Celtica. Armoricis *crib* est pecten, *cribyn* pecten, rastrum, farculum. Cambris *cribinio* sarrire, pectinare, farculare. Quæ vide apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Hibernis quoque *criban* pecten denotare, testis est TOLANDUS in Druidibus. Hic primus vocis significatus, quamvis extinctus.

KRIPPE, præsepe. Belgis *krib, kribbe*, Angl. *cribbe*, Suec. *krubba*, Ital. *gruppia*. Vox a Francis proseminata, & reliquis veterum Dialectis pene inusitata. Nam præsepium, de quo agitur Luc. II. 7. 12. 16. interpreti Gothico dicitur *uzeta*, quasi linter ex quo pabulum comeditur, Anglosaxonico *binne*, quasi vannus. Soli Franci utuntur *crippa, krippha*, & *chripho*, & qui Francos hodie imitantur Germani & reliqui. TATIANUS cap. V. 13. *inti gilegita inan in crippea*, & reclinavit eum in præsepi. Quod OTFRIDUS in versa sic exprimit Lib. I. cap. XI. 113.

In krippha man n'an legita,
Tha man thaz fihu nerita.
In præsepio ponebatur,
Ubi pecus alebatur.

Tertiam vocem, quæ NOTKERI est, sistit SCHILTERUS in Gloss. pag. 173. reliquas silentio præterit. De origine vocis nemo (quod sciam) sententiam dixit præter JUNIUM in Observationibus ad Willeramum pag. 71. Quæ hujusmodi est. „In vetustio„ribus Monum. Anglosaxonicis nusquam „adhuc, quantum memini, obtulit se mihi *„cribbe*; sed ejus loco *binne*, & *bosge* vel *bo„sig* dicebant. Unde mihi propemodum „libet suspicari, posteriorem parentum no„strorum ætatem vocabulum hoc, in hono„rem beati Salvatoris nostri, desumpsisse a „κράβατος vel κράββατος, *lectus*, *grabatus*. „Spectatæ siquidem pietatis fideique homi„nes edocti divinum infantem aliquando in „præsepi, haud aliter atque in grabatulo, „primos edidisse vagitus, omnia deinde „præsepia, in tantæ rei memoriam, sic de„nominanda putaverunt. Hæc ille loco allegato. Sed fallitur Vir summus. Nam *krippe* proprie est sepes inter pabulum & jumentum, quæ cum pectinis instar dentata sit, nomine ejus affecta est, sensu a pectine ad cancellos, mox a cancellis ad alveum translato. Quod adeo luculentum, ut mirum videri possit, neminem eruditorum id hactenus perspexisse. Vides benevole Lector, quam necessarium sit Linguæ Celticæ ad voces Germanicas rite intelligendas studium, & quibus hallucinationibus contemptum sui vindicet. SOMNERUS & BENSONIUS tribuunt quidem Anglosaxonibus *crybbe*; sed forte recentioribus, quos multa a Francis vocabula acceptasse constat. Nam apud vetustiores, quorum monumenta excussit JUNIUS, eam vocem non reperiri, relatu ejus paulo ante accepimus.

KRITZELN. V. *kratzen*.

KRONE, ornamentum & tegumentum capitis regii. Armoricis *curunn, coron, cruyne*, teste PEZRONIO in Celticis pag. 383. 429. Græcis κορώνη, Lat. *corona*, Francis *corona*. OTFRIDUS Lib. IV. cap. XXIII. 13. seq. de Servatore:

Purpurin giuuati
Druag er tho binoti,
Thurnina corona,
Gidan uuas thaz in hona.
Purpureum amictum
Portabat tunc coactus,
Spineamque coronam
Factam in contumeliam.

Vi vocis significat *circulum*, nomenque habet a rotunditate, auctoribus Celtis, quorum lingua totius Europæ vetustissima. Nam rotundus Cambris dicitur *crwnn*, Armoricis *cren*, Hibernis *cruin*, testibus BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. & TOLANDO in Druidibus. Et hinc porro curvatura, curvamen Cambris est *cwrrwn*. Quod etiamsi aliis rebus tribuatur, coronæ tamen maxime convenit, quæ certe ab initio nihil aliud fuit, quam fascia aurea vel gemmea, vel aliunde confecta, tempora instar circuli ambiens, cui posteritas radios addidit, primo quidem directos, postea in apice coeuntes. Et in hac notione conveniunt omnia veterum vocabula, quibus corona designatur. Ita Gothis corona vocatur *waip* Joh. XIX. 5. id est, fascia, redimiculum, diadema quo caput cingitur, ab obsoleto *apo* (Gr. ἅπτω) vincio, ligo, unde etiam Latinis *apex*. Anglosaxonibus *beag*, & composite *wuldor beag*, id est, circulus gloriæ. Francis *ring*, hoc est, circulus. OTFRIDUS Lib. IV. cap. XXII. 41.

Joh farztun imo in houbit
Thenfelbon thurninan ring.
Et impofuerunt capiti ejus
Spineam coronam.

Nihilque magis familiare Scriptoribus medii Ævi, quam Coronam appellare *circulum aureum*. Testimonia extant apud CANGIUM in voce. Ex eodem fonte fertum nobis appellatur *kranz*, & spira *kringel*. Utrumque a rotunditate, ut consideranti patet. Inventum coronæ tribuitur SATURNO. TERTULLIANUS libro de corona militis cap. VII. *Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum*. Hinc suspicatur PEZRONIUS, vocem Phrygiam esse, & Saturnum Græcis appellatum Κρόνον, quasi coronæ repertorem. Vide ejusdem *Antiquitates Celticas* pag. 73.

KRONEN, *krönen*, coronare, *gekrönt* coronatus. Gloss. Pez. laureatus *mit lorpaumes pletirun kachronot*.

KROPF, ventriculus seu ingluvies avium. BOXHORN. in Lex Ant. Brit. *croppa* ventri-

culus avium. Vox Cambrica ob perpetuam Linguæ Celticæ & Græcæ convenientiam derivari poteſt a φορφέω ſorbeo, deglutio, ſpiritu aſpero in gutturalem mutato.

KROPF, a ſimilitudine cum ingluvie avium plures recipit ſignificatus. Inde *kropf* ſtruma, veſica in gutture. Gloſſ. Pez. veſicam *chropf*. Poſtea ſenſus ad uvas quoque translatus eſt, quia baccæ ab uva pendentes ventriculos referunt. Hinc Angloſaxonibus *cropp* uva, *croppas* racemi, apud BENSONIUM. Quod hodie inſolens, etiamſi ſimilitudo ſatis clara ſit. Eſt & alius hujus vocis ſenſus, quamvis nec uſitatus, nec cum priori conveniens. Nam etiam ſpicæ & cymæ Angloſaxonibus vocantur *croppas*. Et cum hoc ſignificatu convenit Gr. κορυφὴ vertex, ſummitas, extremitas.

KROPF-GANS, onocrotalus. Ratio appellationis ſatis manifeſta. PLINIUS Lib. X. cap. 47. de illo : *Faucibus ipſis ineſt alterius uteri genus. Huc omnia inexplebile animal congerit, mira ut ſit capacitas. Mox perfecta rapina, ſenſim inde in os reddita, in veram alvum ruminantis modo refert.* Ob eandem cauſam Sabaudis dicitur *gouttreuſe*, quaſi gutturoſa, ab ingluvie, quæ ſtrumæ inſtar propendet, obſervante MARTINIO in v. *Onocrotalus*.

KROS, *krös* & collective *gekrös*, exta, inteſtina. Gloſſ. Pez. extales *crozdarma*. Haud dubie a *krauſen* criſpare. Dicitur enim proprie de illis inteſtinis, quæ cibi egerendi cauſa in varios ſinus criſpantur. Ob eandem cauſam collaria Senatorum & Eccleſiaſticorum vocantur *kröſe*, quia complicatu criſpitudinem referunt.

KROTE, *kröte*, bufo, rana rubeta. Suecis *groda*. Derivari poteſt, vel a *græten* ejulare, quia ſonum edit triſtem & lamento ſimilem, vel a Cambro-Britannico *crotb* venter, quia ventre incedit, & pene nihil eſt quam tumidus venter.

KRUBLEN, *krüblen*, reptare. Frequentativ. a *krupen* repere.

KRUCKE, *krücke*, furca ſubalaris, firmandis claudicantium greſſibus inventa. Gothis *krugg* eſt baculus, quali uti ſolent viatores, MarcVI. 8. Angloſaxonibus *cricce* ſcipio, fulcimentum, gralla, item baculus paſtoralis, *crycce* lituus, apud SOMNERUM in Dict. Angloſax. Belgis *kruk* & Anglis *crutch* eſt fulcrum axillare, & baculus cui debilis innititur. Gallis *croc* uncus, harpago, vel pertica hamata, unde arma vel ſimilia ſuſpenduntur. Proprie ſignificat baculum, ſed incurvatum, ſive curvamen ejus ſit in medio, ſive in ſummitate vel extremo. Familia vocis eſt penes Suecos, quibus *krökia* eſt curvare, *krok* curvus, *krykia* pedum paſtorale, & ſcipio hominis cernui. Cuncta a Celtis relicta, quod vel hinc colligere licet, quia curvus, incurvus, veteri Britannorum lingua dicitur *cwrcca*, teſte BOXHORNIO in Lexico. Ad fontem Germanicum ſpectant Latino-Barbara, *crochum* uncus, *crocium* pedum epiſcopale, *croceus*, *croca*, *crucca*, ſuſtentaculum axillarum, & ſimilia, quæ apud CANGIUM male ducuntur a *cruce*.

KRUG, vas potorium vel conditorium exargilla, *waſſer-krug* hydria, *eſſig-krug* acetabulum. Vox Celtica, quæ ex uſu omnium fere gentium vas fictile ſignificat. Cambris *cregen* eſt vas figulinum, & *cregenydd* figulus, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Angloſaxonibus *crocca* olla fictilis, cantharus, hydria, & in compoſitis omne fictile, unde Anglis *crock*, Belgis *kruik*. OTFRIDO hydriæ vocantur *kruagi*, Lib. II. cap. VIII. 57. Et in Gloſſis Franco-Theotiſcis R. P. PEZII *chrugun* exponitur *croceis*. Niſi forte croceus hic fulcrum denotet. Cuncta fortaſſe a *croi* lutum, argilla. Veſtigium vocis extinctæ dabit CANGIUS in voce *cro*, ſecundæ ſignificationis. In Codice Arg. urceus vocatur *aurk* Marc. VII. 4. haud dubie a Lat. *orca*.

KRUG, vulgo dicitur etiam de caupona, per metonymiam ſigni pro ſignato, & inde *krüger* caupo.

KRUMM, curvus, *krümmen* curvare, *ſich krümmen* curvari, curveſcere. Cuncta vetuſtiſſimi temporis uſu probata, etiam apud Celtas. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *achrwm* curvus, *crwmm* curvus, recurvus, *cromm* proclivis, *crymmu* curveſcere, *crymman* falx, ſecula, forte a curvatura. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *crumb*, *crump* curvus, incurvus, recurvus, obuncus, *crompebt*, *crymbig* tortilis, tortuoſus, *crymbing* curvatura. Gloſſ. Pez. diſtorta *chrumpiu*. Idem Belgis *krom*, Anglis *crump*. Notio curvi videtur deſumpta a flexu. Nam curvum eſt, quod a linea recta quocunque modo deflectit. Græcis autem γυρὸν eſt flectere, γυρὸν curvum. Quam facile inde fiat *churum*, & poſtea *crum* per contractionem, nemo non videt. Allegorice eſt perverſus, pravus, injuſtus, a rectitudine declinans. Et hoc ſenſu, quem etiamnum uſus agnoſcit, ſæpe occurrit apud Francos. Gloſſ. Pez. prava *churumpiu*. NOTKERI verba dedit SCHILTERUS in Gloſſ. pag. 174. Hinc dies Mercurii poſt Dominicam palmarum in quorundam Diplomatum ſubſcriptionibus appellatur *der krumme mitwoch*, a pravis Judæorum de capiendo Jeſu conſiliis.

KRUMMELN, *krümmeln*, ſcatere. Dicitur de multitudine vermium, & proprie eſt frequenter reptare, a *krupen*, per epentheſin.

KRUMPEN, *krümpen*, contrahi, h. e. per lineam curvam in ſe retrahi, Suecis *krympa*, *krumpna*, Belgis *krimpen*, & inde *krimp* indigentia, res anguſta, contracta, *krimping* contractio, *kramp* ſpaſmus, quia contrahit, *krimpert* qui frigore facile contrahitur & obrigeſcit. Quibus conſentiunt quædam Anglica, ut ſunt, *to crumple* corrugari, *a crumple* ruga, *a crumpling* corrugatio. Cuncta a notione curvi & tortuoſi. Nec alienum

num eſt Gall. *ramper*. Nam ſerpere eſt contrahi & corrugari.

KRUMSTAB, pedum epiſcopale. Occurrit apud MARNERUM veterem Poëtam in Paræneticis GOLDASTI pag. 427. Res & appellatio deſumpta a pedo paſtorali, quod in ſummitate curvum. Inde *krumſtæbiſch lehn* feudum pedi, apud Jurisconſultos.

KRUPEN, reptare. Verbum e Celtica lingua relictum. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *croppian* ſerpere, repere. BENSONIUS in Voc. Angloſaxon. *crypan* repere, *crypend* repens, *eorth-cripil* cochlea; vox elegans & reſtitui digna. SOMNERUS in Dict. Angloſaxon. *creopan* repere, *creopende cyn* reptilia, *creopere* ſerpens, claudus, clinicus, *creopung* obreptio. VERELIUS in Ind. *kroppa* perreptare, *flugan kroppandi a halſin* muſca collum perreptans. Gloſſ. Lipſ. *krepinda* reptilia. Idem Belgis *kruipen*, Anglis *creep*, Suec. *krypa*. Quibus conſentiunt Gr. ἕρπω ſerpo, & Lat. *repo*. Hodie ſuperat apud Germanos inferiores, dum ſuperiores neſciunt quid ſit *krupen*, etiamſi ab hoc primitivo multa habeant derivata, qualia ſunt, *krebs* cancer, *krüppel* claudus, & verba frequentiva *krapplen*, *krüblen*, & per epentheſin *krimblen*, reptare, aliaque neſcio quæ verborum monſtra male exaſciata & plebi tantum uſitata. Galli ex eodem fonte habent *crapaud* bufo, rana juxta terram in pectore & ventre ſerpens, etiamſi pedes habeat ad gradiendum. Omnium origo videtur eſſe a *krümpen* contrahi, corrugari, per ſyncopen, & dici de repentibus, quia aliter reptare non poſſunt, niſi contrahendo & corrugando corpus. Nam his proprie competit verbum, etiamſi ab uſu ad reptilia pedeſtria traductum ſit.

KRUPPEL, *krüppel*, claudus, pedibus magis minusve impeditus, qui non poteſt incedere niſi recurvus. Vox antiquiſſima, & omnibus tam Celticis quam Scythicis Dialectis uſitata. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *crupl* claudipes. SOMNERUS in Dict. Angloſaxon. *eorth-crypele* paralyticus. VERELIUS in Ind. *krypil* contractus, *kryppa* contractio. Vox Celtica eſt a *krupen* repere, quia claudipes reptare magis quam ambulare videtur: Saxonica & Islandica a *kropna* contrahi, curvari, quod ſiſtit VERELIUS in Ind. quia cauſa reptandi eſt ex paralyſi. Germanica utrumque ſenſum admittit, ſicut & Belgica *kreupel*, & Anglica *cripple*. Suecica *krympling* eſt a *krümpen* contrahi.

KRUS, vas potorium ex argilla. Belg. *kroes*, Angl. *cruſe*, Sorabis & omnibus Trans-albianis *krus*. Græcis κρωσσοῖς eſt ampulla, crater fictilis, probante JUNIO in Obſ. ad Will. pag. 197. Hoc videntur Germani imitari in *krus*. Niſi malis eos cum Latinis loqui. Nam ex *urceus* tranſpoſitis literis fit *krus*. Quamvis nec hoc nec illud neceſſarium ſit. Nam venter Celtica Lingua dicitur *croth*. Et venter ſolet vaſis ventroſis nomen ſuum communicare in omnibus linguis. Gallos a Germanis accepiſſe *cruche*, fatetur MENAGIUS.

KRUSTE, cortex rei exuſtæ, panis aut placentæ. OTFRIDUS Lib. III. Cap. VII. 61.

Thaz deta Druhtin, thaz man uueiz,
Tho er thia kruſtun firſleiz.
Hoc fecit Dominus, ſicut novimus,
Cum cruſtam panis rumperet.

Idem Belgis *korſt*, Angl. *cruſt*, Gall. *croute*. Cuncta a Lat. *cruſta*, auctoribus Francis.

KRUSTE, cortex ſquameus in cute. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *creſt* porrigo, furfures, cruſta, *crawen* cruſta. Sic Arm. Vox Armorica ducit me ad *krauwen* ſcalpere, ſcabere, perſuadetque cortici hujus generis nomen a ſcabendo inditum eſſe.

KRUTZMAN, Hercules Argentinus. Proprie *vir fortis*. Id enim Græcis ſignat κρατύς, & talem omnes concipiunt Herculem, teſte TACITO cap. III. de M. G. *Fuiſſe apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt*. Alii hoc nomine deſignari putant *Herculem provocatorem*, quod Francis *gruazen* interdum ſit provocare. Hujusque opinionis auctor eſt SCHILTERUS in Gloſſ. Teut. pag. 407. Sed provocatio ad pugnam non ſemper eſt argumentum viri fortis; Et alias lingua Græca, quæ noſtris hominibus ſub paganiſmo valde familiaris fuit, magnificam illam de virtute Herculis opinionem, melius exprimit.

KUBEL, *kübel*, cupella, parvus lacus. Diminutivum a *kuffe* vel *cupa*.

KUCHE, *küche*, culina. Lat. *coquina*, Angl. *cycene*, Franc. & Alam. *chuchin*, Camb. *cegin*, & inde *ceginwr* coquus, vir culinæ. Gloſſ. Keron. quoquinæ *chuchunum*. Gloſſ. Pez. culinæ *chubbino*. Idem Belgis *keuken*, Angl. *kitchen*, Suec. *kök*. Refer ad *kochen* coquere.

KUCHEN, placenta, opus piſtorium. Venodotis *caccen*, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Belg. *koek*, Angl. *cake*, Suec. *kaka*. Referri ſolet ad eundem fontem. Vide STADENIUM in Voc. Bibl. pag. 377.

KUCHEN-LATEIN, *küchen-latein*, videtur denotare Latinitatem culinariam, quaſi inter coquos in culinis natam, qualis forte eſt Latinitas *Apicii*, quem LATINUS LATINIUS *autorem ineptum & barbarum* vocat. VREDIUS tamen corrigit vocem, & putat primos repertores voluiſſe dicere *kokel-latein* oratio circumforanea, quali utuntur circulatores, quos vulgus in Flandris vocat *kokeler*, Latino-Barbari *cauculatores* & *coclearios*. Lib. 2. Prod. cap. 20. pag. 258. Hujus oppoſitum eſt apud Angloſaxones *boc-leden*, quaſi dixeris *buch-latein*. Sic enim purior ſermo Latinus appellatur a Rege ALVREDO in Præfatione, quam translationi ſuæ Boëtianæ præmiſit, de qua voce vide pluribus diſſerentem FR. JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 98.

KUCHLEIN, *küchlein*, pullus gallinaceus. Utitur Luth. Matth. XXIII. 37. Diminutiv.

ab Angloſax. *coc* gallus. Gloſſ. Ælf. in nom. avium: gallus *coc*. Idem Anglis *cock*, Gallis *coq*, Græcis κόκκος. Quæ videntur cantum Galli voce imitari. Sed obſervandum, quod diminutiva a primitivis non eodem modo formentur apud omnes, & quod *lein* ſit terminatio Francica, quam reliquæ Dialecti ignorant. Hinc pullus gallinaceus Angloſaxonibus dicitur *cicen*, Belgis *kieken*, *keuken*, Anglis *chiken*, Sax. inf. *kyken*. Gloſſ. Ælf. pullus *cicen*. Evangelium Matthæi Angloſaxonicum loc. cit. *ſwithe oft ic wolde thine bearn gegaderigan ſwa ſeo henn hyre cicenu under hyre fytheru gegaderath*, quoties volui congregare liberos tuos ſicut gallina pullos ſuos ſub alis ſuis congregat. Cuncta ex eodem fonte, ut conſideranti patet. Aliud eſt *küchlein* parva placenta.

KUFE, *küfe*, parvæ & laceræ ædes, apud STILERUM in Theſ. L. Germ. Belgis *kuf* eſt vile diverſorium. Utrumque idem quod *kofe*, de quo ſupra.

KUFFE, *kupfe*, pars pilei prominens. V. *kipfe*.

KUFFE, lacus vini aut cereviſiæ. Angloſax. *cyfe*, Belg. *kuip*, Sax. inf. *küve*, *kübe*, Gall. *cuve*. Cuncta fortaſſe a Lat. *cupa*. Niſi malis referre ad vaſa ventroſa, de quibus actum in *kopf* poculum.

KUFFER, *küffer*, vietor, doliarius. Belgis *kuiper*, Angl. *cooper*, Sax. inf. *kyper*. A *cupis* faciendis.

KUFFER, arca, ciſta, ſcrinium clauſum. Cambris *coffr*, Gallis *cofre*, Angl. *coffer*, Lat. Barb. *cofferum*. Opinor a Celtico *cau* claudere, quod hodie ſuperat apud Cambros.

KUGEL, ſphæra. Vox nova, a Gr. κύκλος ejusd. ſignificationis facta. Sic a ſynonymo *globus* Saxones efformarunt *clŵe* & *clowe*, unde nobis remanſit *kleüel* pro globulo. Vocem Celticam vide in *keuel*. Ab utroque differt *kogel* cucullus.

KUH, vacca. Perſis *ghav*, Angloſax. *cu*, Franc. & Alam. *chua*. Gloſſ. Ælf. vacca vel bucula *cu*. Gloſſ. Boxhorn. *ohſo inti chua* bos. Gloſſ. Lipſ. *kuosmeer* butyrum. NOTKERUS Pſal. CXLIII. 14. *iro chuoe ſint feizte*, boves eorum ſunt craſſæ. ECCARDO *kuh* eſt fœmina bovis, nomine a *quen* mulier depravato, in not. ad Leg. Sal. pag. 19. JUNIO matrix armenti a κυέω vel κύω in utero geſto, ſicut *ochs* auctor gregis ab ἄυξω augeo, in Obſerv. ad Will. pag. 195. Optime, ſi quid video.

KULE, foramen in terra, *külichen* parvum foramen. Belg. *kuil*, Suec. *kula*. Videtur idem quod *höle* cavitas, ob frequentem literarum H. & K. permutationem. Hinc fortaſſe nomen habet *kul-bars* perca, quia hieme in cavernis latere dicitur. Vide PLINIUM Lib. IX. cap. 16.

KULEN, *külen*, algere, frigere, frigeſcere. Angloſax. *colan*, *celan*, Francis *chelon*, Islandis *kala*. VERELIUS in Ind. *kala* frigere, frigore obrigeſcere. NOTKERUS Pſal. X. 6. *er regenot uber fundige*, *daz. ſie chelot*, pluit ſuper peccatores, ut frigore obrigeſcant, SCHILTERUS vertit, *ut refrigerentur*. Male & contra mentem Scriptoris. Interim cum ſuperioribus convenit Lat. *gelare*, & *algere* per metatheſin. Hodie non amplius occurrit, utimur tamen derivatis antiquiſſimis, *kalt* frigidus, *kælte* frigus, & ſimilibus.

KULEN, *külen*, refrigerare. Angloſax. *cælan* & *colan*, Francis *chuolen*, Belg. *kœlen*, Angl. *to cool*, Suec. *köla*. Gloſſ. Pez. refrigeret *gichuole*. Verbum faceſſens ex præcedenti. Quid enim eſt refrigerare niſi frigefacere? Ab hoc verbo oriuntur *kul* remiſſe frigidus & remiſſe calidus, *küle* modicum & temperatum frigus, *külung* refrigerium, & alia, vetuſtatis uſu probata. Gloſſ. Pez. frigus *chuoli*, ad auram *zi chuoli*. NOTKERUS Pſal. LXV. 12. *du brahteſt unſih in dia chuli*, eduxiſti nos in refrigerium. Allegorice dicitur de remiſſione animi. Inde *kuligkeir* frigus amicitiæ, Islandis *kiæla*.

KUMMEL, *kümmich*, cuminum, κύμινον, Heb. *cammon*. Gloſſ. Ælf. ciminum *cymen*. Gloſſ. Pez. ciminum *chumi*. Miror vocem exoticam in re domeſtica.

KUMMER, mœror. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cymmrwy* afflictio, ærumna. Proprie eſt querimonia, a verbo Francico *kumen* gemere, plangere, conqueri, prout judicat STADENIUS. Gloſſ. R. Mauri: querimonia *chumunga*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXVI. 59. *ni kumet tod minan*, ne plangite mortem meam. Convenit Gr. κάμνω doleo.

KUMMET, jugum equorum. Sorabis *kommet*. A Celtico *camm* curvus, quia collum equi ambit tanquam collare. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *camm* curvus, *cammu* curvare.

KUN, *kün*, tæda. v. *kien*.

KUN, *kün*, fortis, audax, animoſus. SOMNER. in Dict. Angloſax. *con*, *coon* fortis, magnanimus, *cene* belliger, animoſus, acer, audax, ferox, *he wæs cene and oft feaht an-wig* magnanimus erat & ſæpe certamen inivit ſingulare, *ceneſta* audaciſſimus, ferociſſimus, *cenlice* audacter, inſigniter. Similia habent Franci. Gloſſ. R. Mauri: bellicoſus *chon*, *choner*. Gloſſa Juniana in Obſ. ad Will. pag. 119. *chuoni in uuige* bellicoſus. Id eſt, fortis in bello. OTFRIDUS Lib. I. cap. I. 117. de Francis ſuis:

Sie ſint ſoſama chuani
Selb ſo thie Romani.
Fortitudine pares ſunt Romanis.

Auctor EPINICII de Ludovico R. verſ. 101.

Snel indi kuoni,
Thas uuas imo gekunni.
Alacer & audax,
Hoc illi erat cognatum.

Id eſt, gentilitium, inſitum, nativum. HELVIGIUS ducit a *conando*. MARTINIUS a κάω ardens, ut *audax* ab ἄ.θω ardeo. Huic ſenſui progenerando aptius eſt verbum Celticum *cynne*, incendere & incendi, quod hodie ſuperat apud Cambros, teſte BOXHORN.

HORN. in Lex. Ant. Brit. Res ipſa convenit fortibus & audacibus. Quid enim audacia & animoſitate ardentius? Et nonne omnes Poetæ & oratores in hac loquendi formula conſentiunt? Si quis tamen malit ab igne illo, qui fortes urit, mentem abſtrahere, haud inepte derivabit a *kennen* poſſe. Quemadmodum enim Hebræis a *kun* poſſe fit *ken* potens: Ita Germanis *kün* primo ſignificare potuit *validum*, *potentem*, a *kennen* poſſe, poſtea etiam *audacem*, quia, ut experientia teſtatur, ex ſenſu virium naturaliter oritur præſumptio & audacia, tantoque major, quo magis unusquisque virtutis ſuæ ſibi conſcius eſt. Ita *ſtark* ante validum & robuſtum quam fortem denotavit. Et hujus indolis voces, a robore & potentia ad audaciam & fortitudinem translatæ, extant in omnibus Linguis, & in nulla copioſius, quam Germanica, ſicut paſſim oſtendo. Hodie nonſolum fortem & audacem, ſed etiam temerarium ſignificat, quia modus in æſtimatione virium ſæpe exceditur. Quemadmodum autem a *bald* ejusdem ſignificationis vocabulo, apud veteres fit *baldi* audacia, fortitudo, & ſimilia: ita a *chun* effluxit *chuni* virtus, fortitudo &c. Certe in NOMINIBUS PROPRIIS antiquorum *chun* modo *ſubſtantive* modo *adjective* ponitur. Talia ſunt,

CUNIMUNDUS, vir fortis, magnanimus, bellicoſus. A *mund* vir, & non a *mund* os, ut GROTIUS ſcribit in Indice. Rex Gepidarum apud P. DIACONUM de Geſtis Longobard. Lib. I. Cap. 27.

HUNIMUNDUS, eadem notione H. & C. permutantur. Dux Suevorum apud JORNANDEM Cap. 53. Non *os centuriæ*, ut Index Grotianus. Veteres non ſolent hominem appellare os.

HUNORICUS, virtute pollens, non *centuriis*, ut GROTIUS in Indice. Rex Vandalorum in Africa apud PROCOPIUM Lib. I. Cap. 5.

CUNIBERTUS, virtute clarus. Non *animi abundans*. Nam *bert* eſt clarus, & a GROTIO male confunditur cum *breet* latus, amplus. Rex Longobardorum apud P. DIACON. Lib. 5. de G. L. Cap. 37.

HUNULFUS, ſtrenuus adjutor. Non *centuriis auxiliator*, ut rurſus GROTIUS. Nobilis Longobardus apud eundem loc. cit. Cap. 2.

CUNRADUS, virtute alacer. Primus poſt Carolingos Germanorum Rex. Non *conſilium ſciens*, ut Libellus de Nom. prop. Germ. & multo minus *uxori imperans*, ut Index VERELII ad Herraudi Sagam. Nam *rad* eſt celer, in vetuſtiſſimis Dialectis.

KUN, genus. V. *kunn*.

KUND, quatenus eſt a *kennen* naſci, ſignificat *nativum*, ſive eo genere ortum, cui annectitur. Inde Gothis *godakunds* nobilis, bene natus. Luc. XIX. 12. *himinakunds* cœleſtis, cœlo genitus Luc. II. 13. Angloſaxonibus *eorthcund* terreſtris, terra editus, *utucund* extraneus, foris genitus. Et huc etiam ſpectat ex Gloſſis KERONIS: *cotchundiu* divinus. Id eſt, divini generis.

KUND, notus, cognitus, manifeſtus. Gothis *kunths* Joh. XVIII. 15. Angloſaxonibus *cuth* per ſyncopen, Francis & Alam. *kund*, *chund*, Belg. *kond*. Gloſſ. Keron. cognitum *chund*, manifeſtum *chund*, incertis *unchundem*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. VII. 18. *uuio bin ih thir kund*, unde tibi notus ſum? TATIANUS Cap. XII. 3. *unter magon inti cundon*, inter cognatos & notos. Participium a *kennen* noſſe, & non a Gr. γνωτὸς. Hodie interdum utimur ſubſtantive. Ita opifices noſtri eos, qui opera ſua uti ſolent, vocant *ihre kunden*, i. e. amicos vel notos ſuos. Præcipua derivata ſunt, *kunden* manifeſtare, notum facere, indicare, *kundig* & *kundlich* notorius.

KUND, quatenus eſt verbale a *kunden* manifeſtare, notum facere, indicare, ſignificat indicem, nuncium, teſtem & teſtimonium. Gloſſæ antiquæ apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 24. *chundo*, *poto*, angelus, *forachundo* præco. Gloſſ. Keron. teſtibus *urchindom*, teſtimonium *urchundii*.

KUNDE, notitia, ſcientia. Gothis *kunthi naſeinais* eſt ſcientia ſalutis Luc. I. 17. Alamannis *chundida* notitia, *cuat chundida* evangelium, i. e. bona notitia, in Gloſſis Keronianis. A *kennen* noſſe. Inde compoſita, *natur-kunde*, *ſtern-kunde*, & alia ſatis clara, & ab objectis denominata. A *kunde* porro eſt *kundig* ſciens, *kundſchaft* notitia, *erkunden* ſciſcitari.

KUNDEN, quatenus derivatur ab adj. *kund* notus, ſignificat quantum poteſt, *notum facere*, *indicare*, *manifeſtare* &c. Gloſſ. Keron. nuntiare *kechundan*, indicet *chundit*. Gloſſ. Pez. prædicate *chundet*. TATIANUS Cap. VIII. 4. *cundet mir*, renunciate mihi. Cap. LX. 8. *cundita fora allemo folke*, indicavit coram omni populo. Hodie utimur compoſitis *verkünden*, *ankünden*, *abkünden*, horumque frequentativis, *verkündigen*, *ankündigen* &c. quorum ſenſus ex ſuperioribus & doctrina de particulis manifeſtus. Saxonica Dialectus literam tertiam elidit, dicendo *cythan*. Ita in Verſione Angloſax. Joh. XVII. 26. legimus: *ic cythe thinne naman* notum feci nomen tuum.

KUNFT, adventus, *künftig* venturus, futurus. ISIDORUS Cap. V. 5. *Chriſtes chumſt*, Chriſti adventus. NOTKERUS Pſal. XXI. 32. *daz chumftiga chune*, generatio futura. Cum radix ſit *kommen* venire, nemo non videt, vetera hodiernis ſaniora eſſe. Vide plura in *Zukunft*.

KUNKEL, colus. Gloſſ. Florent. colus *chunchla*. VREDIUS derivavit a *kona*, *quena*, mulier, quod mulierum proprium ſit hoc inſtrumento uti. Proſpere ſane, & proxime ad veritatem, niſi quod alteram compoſiti partem, qua inſtrumentum exprimitur, inveſtigare neglexit. Illa vero

vero videtur esse vox Slavonica *kolo* rota. Nam ex his duabus legitime junctis & in arctum contractis fit *kunkel* rota mulieris. Quem sensum vel ideo bonum esse puto, quod idem instrumentum alias vocetur *spinnrad*. Priorem vocem esse verum & antiquum nomen mulieris, pluribus ostendi in *quen*. Alteram denotare rotam, non Sorabis tantum, sed etiam Bohemis & Polonis, testis mihi FRENZELIUS in Orig. Sorab. pag. 295. Latino-Barbari hoc instrumentum *conuculam* vocant, Græci inf. κόγκαλον, manifesta Germanicæ vocis imitatione. Lex Ripuar. Tit. LVIII. 18. *Quod si ingenua Ripuaria servum Ripuarium secuta fuerit, & parentes ejus hoc contradicere voluerint, offeratur ei a Rege seu a Comite spata vel* CONUCULA. *Quod si spatam acceperit, servum interficiat. Si autem conuculam, in servitio perseveret.* VOSSIUS vocem Ripuariam derivat a *colo* per diminutivum *colucula*, quod in veteri Glossario invenit: CASANOVANUS a *canna:* DATIUS a figura *conica:* ECCARDUS a *knöchel*, quod cæteris deterius, quia *knöchel* officulum significat, non fasciculum lini a colo suspensum, & multo minus ipsum colum. Reliquæ voces, ut sunt, Gallica *quenouille*, Italica *conocchia*, Cambrica *cogail*, Armorica *queiguel*, Hibernica *cuigeal*, in vitio jacent, & e Germanica magis vel minus sunt corruptæ. Præcipua composita sunt, *kunkel-adel* nobilitas materna, *kunkel-reich* regnum in quo mulieres succedunt.

KUNN, genus, generatio, cognatio. Gothis *kun* Marc. VIII. 12. Anglosaxon. *cynne*, Francis & Alam. *kunn*, *chunn*, Lex. Run. *kyn*. Gloss. Keron. genera *chunni*, generibus. *chunnum.* OTFRIDUS Lib. I. Cap. VII. 23. *fon kunne zi kunne*, de generatione in generationem. Lib. V. Cap. XXII. 6. *thaz adalkunni*, nobile genus. TATIANUS Cap. V. 1. *buoh cunnes*, liber generationis. VEREL. in Ind. *kyn* genus, *kynbeſtur* genere præaliis honorato natus, *kynrikr* ex magnifica, splendida, & ampla familia natus. Omnibus consentit Græc. γένος & Lat. *genus*. Refer ad *kennen* nasci. In Nominibus propriis effertur *hun* & *cun*, quia C. & H. permutantur. Et cum eædem voces etiam *virtutem bellicam* denotare possint, hinc interpretatio redditur ambigua, ut sæpe nescias, quam sententiam potissimum amplectaris. Ita CUNIBERTI & HEINRICI virtute claros & virtute pollentes, sed & genere claros & genere potentes significare possunt. Confer Nomina propria in *kün* fortis.

KUNST, ars & scientia. NOTKERO *chunſt*, apud SCHILTERUM in Glossario. Et inde composita Francorum, *chunſtiger* potens, *unchunſtiger* rudis, in Glossis Pezianis. HELVIGIUS contrahit e Lat. *conatus*. Quod sibilo magis quam plausu dignum. Nam vera & genuina radix est *kennen* nosse, posse. Hinc *kunſt*, quatenus ex conjugio utriusque sensus oritur, significat quantum potest, scientiam & potentiam producendi opus. Alias veterum voces vide in *kraft* & *liſt*. Interdum causam ponimus pro effectu. Inde *waſſer-kunſt* machina aquæductoria.

KUPFE, apex pilei. V. *kipfe*.

KUPFER, æs rubrum. A Lat. *cuprum*, auctoribus Francis. OTFRIDUS Lib. I. Cap. I. 137.

Zi nuzze grebit man ouh thar
Er inti kuphar.

Vertit SCHILTERUS:
Ad utilitatem foditur quoque hîc Æs & cuprum.

Proprie est æs Cyprium. *Cuprum* autem est vox sui metalli, non aurei, nec argentei, sed ærei ævi, ut scite BORRICHIUS.

KUPPE, apex pilei. V. *kipfe*.

KUPPE, genus vasis. V. *kopf* & *kuffe*.

KUPPELN. V. *koppel*.

KUR, electio. Vide *chur* & *küren*.

KUR, studium serium, absque tristitia. Græc. ὥρα, Lat. *cura*, Armor. *cur*, Gothis *kar* Joh. X. 13. Anglosax. & Angl. *care*. Inde Gothis *unkarjans* securi, incuriosi, qui verbum negligenter audiunt, Marc. IV. 15. JUNIUS vocem Gothicam derivat a Lat. *curare*, & hoc a Gr. κῆδ vel *cor*, quod homines ea præcipue curent, quæ maxime ipsis cordi sunt. Vocabulum Francicum vide in *ruch*. Hodie non dicitur nisi de cura medica.

KUR, *kür*, *kar*, *kor*, pellis. Alaman. posterioribus *kur*, Gallis *cuir*. BITEROLF de Principe Hennebergensi apud Goldastum in Animadv. ad Script. Paræn. pag. 362. *do trat er für der Düringer herren in eines draken kür*, tunc processitante Dominos Toringorum in pelle draconis. Haud dubie a Lat. *corium*. R.D. DIECMANNUS in Spec. Gloss. pag. 48. videtur dubitare, an *kür* nostris unquam denotaverit corium. Sed sponsores significatus omni exceptione majores habemus vocabula usitatissima *küraſs*, *karbatſche*, *karniffel*, *kürsner*, & similia. Metonymice dicitur de loro ex corio animalis facto. VEREL. in Ind. *keyri* stimulus, lorum, scutica.

KURASS, *küriſs*, lorica, tegumentum pectorale. BOXHORNIUS in Voc. Ant. Brit. *curas* lorica. Gallis *cuiraſſe*. Unde, nisi a *kür* corium, sicut lorica a loro? Nam vetustissimis temporibus, ante loricas ex laminis ferreis inventas, pectus corio aut pellibus ferinis muniebant. Vide CLUVERIUM Lib. I. Germ. Ant. pag. 107. 284. seq. Græcis κόρυς est galea, munimen capitis, & inde κορύσσω armo, casside tego, quæ an cæteris sint affinia, vel potius a κάρα caput deducenda, aliis inquirendum relinquo.

KURASSIER, *küraſſier*, eques cataphractus. GOLDASTO sic dicitur, quasi miles delectus, a *küren* eligere. Ego vero, inquit BESOLDUS in Thes. Pract. potius a corio, quo antiquitus armabantur, deduco, unde Galli adhuc dicunt *cuiraſſier* a *cuir*.

KURBS,

KURBS, *kürbs, kürbiſs*, pomum terreſtre & ventricoſum. Perſis *corbos*, Angloſax. *cyrſæt*, Franc. *curibiz*. Gloſſ. Ælf. cucurbita *cyrſæt*. Gloſſ. Pez. cucurbita *curibiz*. Omnia a Lat. *cucurbita*, per aphæreſin. Aliud nomen vide in *kurke*.

KUREN, *küren*, guſtare. Francis & Alaman. *coron*, *choron*. Senſus verbi primitivus. Gloſſ. Pez. prælibare *gicoron*. TATIANUS cap. XLV. 7. *tho gicorota ther furiſt ſizzento thaz uuaſſar zi uuine gitan*, tunc guſtavit archithriclinus aquam vinum factam. OTFRIDUS Lib. III. cap. XIII. 77.

Hiar ſtantent ſume untar iu,
Giuuiſſo ſagen ih iz iu,
Thie thotes ni koront ér,
Noh ni thultent thaz ſer,
Er ſie ſebent ſcono
Then Gotes ſun frono.

Vertit SCHILTERUS:

Hic ſtant aliqui inter vos,
Certe dico hoc vobis,
Qui mortem non guſtabunt ante,
Nec ſentient dolorem,
Antequam videbunt decore
Dei filium ſanctum.

Unde hic ſenſus oriatur, PALTHENIUS, qui eum primus obſervavit, indictum reliquit, quod miror. Nam *küren* manifeſto eſt ab antiquiori & magis genuino *kieſen* guſtare, per literæ S. in R. mutationem, quæ in omnibus Dialectis ſatis frequens. Hic ſenſus quamvis pridem ſopitus, probe eſt notandus. Nam ab illo dependent reliqui, tanquam penetralia a foribus. *Omnes ſignificatus* (verbi *koron*) *in guſtando concurrunt*, ſcribit PALTHENIUS in not. ad Tat. pag. 368. Optime & veriſſime. Solet autem guſtus *experiri, tentare, examinare, eligere, comprobare*, & *appetere* cibos. Et cum mens idem faciat in conſiderandis & appetendis rebus, hinc veteres idem verbum a palato ad omnes mentis operationes, quæ cum guſtu convenire videbantur, traduxerunt. Tales erant inprimis, *experientia, tentatio, examen, deliberatio, electio, comprobatio, appetitus*, quæ modo conjunctæ ſunt, modo ſeparatæ, ſemper tamen ita cognatæ, ut eodem vocabulo efferri ſapienter poterant. Inde ſenſus ſequentes in ſerie & ordine nati, quod ſemel monuiſſe ſufficiat.

KUREN, *küren*, experiri. OTFRIDUS Lib. I. cap. XV. 13.

Er thothes io ni choreti,
Er er then throſt habeti.

Vertit SCHILTERUS:

Nec mortem experturus
Antequam ſolatium haberet.

KUREN, *küren*, tentare. KERO in Expoſ. Orat. Dom. apud Eccard. in Cat. Theot. p. 83. ſeq. *unde in dia chorunga ne leitiſt du unſih. Dazh chuit, ne laz unſih gichurit uuerden nah unſeren ſunden*, & ne nos inducas in tentationem, hoc eſt, non permitte nos tentari ſecundum peccata noſtra.

KUREN, *küren*, examinare, deliberare. KERO in Reg. S. Bened. cap. 58. *chorot atume*, probate ſpiritus. Id eſt, examinate, an ex Deo ſint. Gloſſ. Pez. deliberationis *churi*.

KUREN, *küren*, eligere, optionem facere. Francis & Alam. ut ſupra, Belgis *keuren*, Suecis *kora*. Quibus convenit Gr. αἱρέομαι capio, eligo, quamvis K. ſpiritu leni mitigato. Inde

ANGLO-SAXONICA.

cyre, arbitrium.
agenne cyre, liberum arbitrium.
kyre, hereſis, in Gloſſ. Ælf. pag. 55. Proprie optio vel electio dogmatis, ſectæ, familiæ, vel ipſum dogma adoptatum, Græcis conſono vocabulo αἵρεσις, Lat. *hæreſis*.
acoren, electus.
gecoren, eadem notione.
gecorennyſſe, electio.

FRANCO-THEOTISCA.

kacborane, electi, in Gloſſ. R. Mauri apud Diecm.
einchoraner, anachoreta, qui ſolitudinem elegit, in Gloſſis Keron.

LATINO-BARBARA.

chora, conventus juratorum ad regendam civitatem electus, interprete CANGIO.
choremanni, judices ad civium lites dirimendas electi, interprete DIECMANNO.
curmedia, donum ſelectum, melior equus, vel veſtis, ex hæreditate vaſalli, vel alterius hominis obnoxii, & jus illud capiendi. A *miete* donum, de quo infra.

GERMANICA.

kur, electio, dignitas electoralis, & territorium dignitati annexum.
kurfürſt, elector, princeps qui Cæſarem legit.
kurerbe, hæres juris & dignitatis electoralis, item hæres optionis.
kurrichter, arbiter electus, in Vocab. Speculo Sax. annexo.
erkoren, electus, *auſerkoren*, prælectus.
willkur, liberum arbitrium.
willkürlich, ſponte, ultro.

KUREN, *küren*, probare, comprobare, approbare. Gloſſ. Keron. conprobatus *kechóroter*, conprobetur *ſi kechorot*, reprobus *farchoraneer*. Idem Belgis *verkoren*. Præfixum *ver* actionem non ſemper intendit, ſed interdum remittit, ut dixi in PROLEGOM. Ante D. annos *verküren* ſignificavit adhuc reprobare. WINSBEKIUS ad fil. §. 29. de avaritia:

Gut das iſt gitikeit ein klobe,
Dem iſt lieber denne Got und weltlich
ere, ich wene er tobe,
Den es alſo gevaſſet für,
Das er ſich ante ir beider é, dann er das
eine gar verkür.

KUREN, *küren*, cupere, appetere, velle. Gloſſ. Keron. nolite *ni churit*. TATIAN.

cap. XXXVIII. 8. *ni curet ſuorg folle uueſan zi morgane*, nolite ſolliciti eſſe in craſtinum.

KURIEREN, a Lat. *curare*. V. plura in *kur*.

KURKE, cucumis. Videtur ſic dictus a curvatura. Nam Celtica lingua *cwrcca* eſt curvus, incurvus, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Suecis *kröckia* etiamnum eſt curvare, & *krock* curvus. VARRO quoque nomen Latinum a *curvore* conatur deducere, quamvis ſatis violenter, utpote litera R. in medio deſtitutum. Franci inter cucumeres & cucurbitas nullam collocant differentiam. Gloſſ. Pez. cucumeres *churpiza*. Forte quia cucumeres ſunt parvæ cucurbitæ. Angloſaxonibus cucumis dicitur *hwerhwette*, quem ſenſum aliis inveſtigandum relinquo.

KURSCHNER, *kürſchner*, *kürſener*, pellio. Ab obſoleto *churs* pellis, auctore GOLDASTO in Animadv. ad Script. Paræn. pag. 423. ubi ex veteri Poeta hunc producit rhythmum:

Nu ſihe ich an ir müte,
Geb ich ir an ir hüte
Eine vehe-churſen güte.

Loquitur Poeta de pelle felis ſilveſtris, quæ WINSBEKIO *vohe*. Unde pariter, inquit GOLDASTUS, qui dicatur *kürſner*, pulchre vides. Optime. Sed unde ſit *churs* pro pelle, indictum reliquit. Videtur autem prodiiſſe e ſimpliciori *kür* ejusd. ſignificatus, annexo ſibilo. Quam grata ſit Germanis auribus hæc adjectio, collige ex dictis in *Paragoge* inter PROLEG. Sect. IV.

KURTZ, ſubſtantive nanus, adjective brevis. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *corr* nanus, pomilio. Lego *cort*, donec contrarium pateat e Dialecto Cambrica. Adjectivum in Dialectis varie effertur, Angloſax. *ſcyrt*, *ſceort*, Franc. & Alam. *churz* & *ſcurz*, Angl. *ſhort*, Belg. *kort*, Gall. *court*, Lat. *curtus*. KERO in Reg. S. Bened. cap. 55. curta veſtimenta *ſcurciu kauuati*. Idem in Expoſ. Orat. Dom. apud Eccard. in Cat. Theot. pag. 84. *ſiben bete churci* ſeptem petitiones breves. Quædam ex his ſunt ſibilata, alia non. Nec tamen vox duplex eſſe videtur, ſed una, modo ſibilo affecta, modo privata. Et illa quidem formari potuit a Belgico *ſcheuren* rumpere, ut ῥαχὺς brevis a *brechen* rumpere. Nam brevis eſt ruptus & abruptus. Quamvis etiam a *ſchorten* deficere, quo Belgæ, Angli, & Islandi utuntur, derivari poſſit, quia brevis in longitudine deficit. Si quis tamen omnia Latinæ origini permittere malit, non veto.

KURTZE, *kürtze*, brevitas. Gloſſ. Pez. compendio *churzi*.

KURTZEN, *kürtzen*, breviare. Angloſax. *ſcyrtan*, Angl. *ſhorten*, Lat. *curtare*, *decurtare*, Hiſp. *cortar*.

KUSS, oſculum. Vox Celtica, quæ Cambris & Armor. effertur *cus*, *cuſan*, Angloſax. *coſs*, Luc. XXII. 48. Francis *cuſs*, Angl. *kiſſe*, Belg. *kus*, Island. *koſs*, Suec. *kyſſning*. TATIANUS Cap. CLXXXIII. 4. *mit cuſſu ſeliſt then mannes ſun*, oſculo filium hominis tradis? WILLERAMUS ab initio Cantici: *cuſſe her mich mit themo cuſſe ſines mundes*, oſculetur me oſculo oris ſui. Ducam a Lat. *os*. Quid enim eſt oſculari, niſi os ori admovere? Ab *os* fieri poterat primo *hos*, & ex illo deinceps reliqua, quia H. C. K. ſunt literæ convertibiles.

KUSSEN, *küſſen*, oſculari. Græc. κύσσω & poëtice κύσσομαι, Cambris *cuſanu*, Angloſax. *cyſſan*, Franc. *cuſſen*, Angl. *kiſſe*, Belg. *kuſſen*, Suec. *kyſſa*. TATIANUS loc. cit. *ſo uuenan ſo ih cuſſe ther iſt iz*, quemcunque oſculatus fuero ipſe eſt. Gothis *kukjan* eſt oſculari, *kukjau* oſculor, *kukida* oſculatus eſt, quæ forte reliquis ſunt cognata, quia K. & S. interdum permutantur.

KUSSEN, *küſſen*, pulvinus. Gall. *couſſin*, Ital. *coſſino*, Hiſp. *coxin*. MENAGIUS expoſis Latinis originibus, quæ a *culcita* & *coxa* deſumi ſolent, vocem Gall. Ital. & Hiſp. e Germanica formatam judicat, quamvis cauſarum, a quibus illa gignitur, juxta cæteros ignarus. Quid mirum, exteros noſtra neſcire, cum ne nobis quidem ſatis pateant? STADENIUS baſium & culcitam ex eodem fonte deducit, quia recubantes videntur culcitam admotis genis oſculari. Aliis eſt vox Græca, a κεῖσθαι jacere, ſitum eſſe, derivanda. Aliis Hebræa, a *kiſſe* ſolium, ſenſu a throno ad ſedile translato. Mihi videtur proprie denotare *cervical*, & ſic appellari a Gr. κεφαλὴ caput, quod Islandis effertur *haus* per literas convertibiles. VEREL. in Ind. *haus*, caput, *hausbardur* qui durum habet caput. Idem in Ind. ad Herraudi Sagam: *haus* caput, *hauſa mot* cranium, commiſſio cranii. Poſtea H. ut eſt vulgi inconſtantia, rurſus mutari cœpit in K. Inde Islandis *kodde* cervical, in eodem Indice, & Germanis *küſſen*, primo quidem cervical, poſtea omnis pulvinus.

KUSTER, *küſter*, ædituus. Gloſſ. Pez. ædituus *guſtra*, ædituorum *guſtro*. A Lat. *cuſtos*, auctoribus Francis.

KUTSCHE, ſpecies carpenti. Gall. & Hiſp. *coche*, Ital. *cocchio*, Hung. *kotczy*. MENAGIUS in Originibus Gallicis putat eſſe nomen & inventum Hungaricum. Sed in Italicis Gallicum cenſet, a Lat. *vehiculum* (incredibili mutatione) formatum, quod judice FERRARIO longius petitum. Ipſi a *coucher*, h. e. a cubando dictum videtur, quaſi lectica, in qua more veterum porrecto corpore jacemus & cubamus. Belgis ſane *koets* lectum & carpentum ſignificat. Verum cum hic mos a temporibus noſtris alienus ſit, & carpenta noſtra non ſint cubilia nec lecticæ, vox aliunde derivanda eſt, ut ſimul literæ T. in medio dictionis Germanicæ ratio habeatur. Referam igitur ad familiam verbi obſoleti *kutten* tegere. Quid enim eſt *kutſche*, niſi vehiculum cameratum? De medio derivandi *ſe* & *ſche* vide PROLEG.

KUTT, *kütt*, maltha, pix terreſtris, alias ni fallor *judenpech*, optimo jure ſic dicta, a κατὰ, uro,

uro, iiſcendo, quod ſit igneæ naturæ, & facile exardeſcat. Inde *verkütten* maltha ſolidare vel glutinare.

KUTT, kutte, ſagum, cucullus, veſtis monachalis. Proprie tegumentum, a *kutten* tegere. Inde eſt, quod apud diverſos diverſa tegumenti genera ſignificat. Græcis χιτὼν & Ionice κιθὼν eſt tunica, veſtis, lorica, ſagulum. Latino-Barbaris *cotta, cottus* tunica clericis propria, apud CANGIUM. Gallis *cote, cotte* veſtis muliebris, *cote d'armes* toga militaris, *cote de maille* lorica. Italis *cotta* veſtis muliebris, & amictus ſacris operantium. Vulgo ducitur a Lat. *crocota* per aphæreſin. Sed hujus ſententiæ alumnis refragatur concentus Græcæ vocis, ut cætera omittam.

KUTTEL, *küttel*, ſagulum, penula. Diminutiv. præcedentis. Quod imitantur Galli in *cotillon*, Veneti in *cotolle* tunica muliebris.

KUTTEN, & *hüten*, ſunt verba ſororia, & non niſi literis convertibilibus a ſe mutuo differunt. Quapropter etiam ſimilem habent ſcalam, & ſimilia derivata.

KUTTEN, tegere, operire. Verbum a Celtis proſeminatum, quod perſpicue cognoſcitur, cum ex derivatis, tum ex ſenſu ad occultationem translato, qui certe eſt metaphoricus, & a tegendo petitus. A notione tegendi palam oriuntur,

Cambris *cwtt* tugurium, latibulum, *caead* opertorium.

Germanis *kot* tugurium, *kutt* veſtis monachalis, amictus caput humerosque tegens, *korze* ſtragulum, & alia plura, quæ repetere nolo, cum ſuis quæque locis recurrant.

KUTTEN, abſcondere, occultare. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *cuddio* abſcondere, occultare, *cudd* occultatio, abſconſio, occultum. Cum hoc ſignificatu perfecte convenit Gr. κεύθω, quod Græcos a Celtis accepiſſe putat PEZRONIUS in Antiq. Celt. pag. 336. Ab alterutro Latini habent *condo* & *abſcondo*.

KUTTEN, ſervare, cuſtodire. Britannis antiquis *cadw*, apud BOXHORN. loc. cit. Inde

Cambris *cad* tutela, apud BAXTER. in Gloſſ. Ant. Brit. pag. 57. *cadwr* clypeus, quaſi tutamen, apud BOXHORN. loc. cit.

Belgis *kudde* grex, quia cuſtoditur.

KUTTEN, claudere. Britannis mira brevitate *cau*, opinor per ſyncopen ex *cadw* ſervare, cuſtodire, quia claudimus ſervandi & cuſtodiendi cauſa. Inde

Cambris *coe* ſepes, *coe* clauſum, *caead* clauſus, *cod*, *cwd* pera, facculus, mantica, bulga, *cader* ſeptum. Cuncta apud BOXHORNIUM.

Anglo-ſaxonibus *codde* pera, marſupium, mantica, ſaccus teſticulorum, & teſticulus ipſe, *cete* cella, interprete SOMNERO.

Belgis *kooi* locus clauſus, *ſchaapskooi* ovile, *vogelkooi* cavea, *kajuit* cubile nautæ, locus tectus & clauſus.

Islandis *kui* via porrecta, hominibus utrinque clauſa, *kui* ſeptum quo pecudes per noctem in agro includuntur, *kut* faccus, apud VERELIUM in Ind.

Germanis *kete*, *köte* arca, conditorium, *gatter* ſeptum, cancelli, clathri, *kette* catena.

KUTTEN, ſcindere, ſecare. Sax. inf. *cadden*, Anglis *to cut*. Inde

Cambris *catt*, *cwtt* fruſtulum, particula.

Germ. ſup. *kutteln* exta ſecata, *kuttel-fleck* ſegmentum extorum.

Germ. inf. *cottel-buf* macellum, *caddeln* inepte ſecare, ut pueri ſolent.

Cuncta ex obſervatione ill. LEIBNITII in Gloſſ. Celt. v. *cat*, & Tom. I. Rer. Brunſuic. pag. 10. Quibus addi poteſt ex vicina Dialecto *kutt* cunnus, quia a natura in duo labra diviſus: & ex Gallica *couteau* culter. Omnia, ut videtur, a Lat. *cædo*.

KUTTERN, *küttern*, garrire. V. *quedern*.

KUTZELN, *kitzeln*, pruritum movere. Anglo-ſax. *citelan*, Franc. *chizilon*, *quizilon*, Belg. *kittelen*, Angl. *kittle*, Gall. *chatouiller*. SOMNER. in Dict. Anglo-ſax. *citelan* titillare, *citelung* titillatio. Gloſſ. Boxh. *kichizilot* titillata. Gloſſ. Pez. titillamento *quizilungo*. Cuncta a Lat. *titillare*.

KUX, portio in metallifodinis. Forte eſt caverna cavando facta, ut Græcis κύβα cavitas contra genu, Islandis *kugge* linter ex arbore cavatus, Anglo-ſaxonibus *coxre* lignum cavum in quo ſagitta conditur, & alia a *kaw* cavus oriunda. Præterea *coxa* eſt vox Agrimenſorum, & unius cubiti menſura, apud CANGIUM in Gloſſario. Et *coxa* in metallifodinis eſt menſura minima. Nam tota metallifodina, quam ab extrahendis metallis *zeche* vocant, dividitur in *ſchichten*, h. e. in puteos, & quilibet puteus continet XXXII. coxas. Alias origines inveniri poſſe ab aliis, non dubito. Mihi ſubterranea non magis nota ſunt, quam reditus ex illis.

KUZ, *küz*, *küzle*, *& küzlein*, capella. Superat Suevis, dum apud reliquos Germanos pene ignoratur. Vox origine Sarmatica, toti familiæ caprinæ propria, & Suevis a Slavis, ut videtur, Carolo M. imperante Sueviam inundantibus, forte relicta. Nam Sorabis, genti Slavicæ, capra dicitur *koza*, caper *kozol*, hædulus *kozlo*, teſte FRENZELIO in Originibus Sorabicis. Cum his nomiinibus conferenda ſunt *geis* & *Ziege*.

KWELLE. V. *quell*.

KYM, vel *kiem*, germen. Græc. κῦμα, Lat. *gemma* & *cyma*, Franc. & Alam. *chimo*, *kimo*. Gloſſ. Lipſ. *kimo* germen. Gloſſ. Pez. germen *chimo*. ISIDORUS Hiſpalenſis cap. IX. 2. *ſee daga quhemant. quhad Druhtin, endi ih aruuechu Davide rechtuuiſigan chimun*, ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Davidi germen juſtum. Refer ad *keimen* germinare.

L.

LAB, coagulum. Suec. *löpe*. Quamvis derivari poſſit a *lauffen* currere, fluere, ut *gerunnen* a *rinnen*, quia coagulari dicuntur, quæ in ſe fluunt: ſi tamen ſcribatur *hlab* more antiquo, originem referet ad *kleben* adhærere, quia H. & K. convertuntur.

LABARUM, ſignum militare, panniculi vel laciniæ inſtar ex haſta vel pertica ſuſpenſum. Rem & nomen rei a Barbaris ad Romanos veniſſe, clare ſatis oſtendit CANGIUS in Gloſſario. Sane Labarum Germanorum jam cernitur in nummis Auguſti cum inſcriptione DE GERMANIS. Hoc unum invento illuſtris Auctoris addam, omnem panniculum veteribus Britannis & Germanis promiſcue appellari *larp*, *lapr*, *lap*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *llarp* panniculus, lacinia. Hodie quidem dicimus *lapp*: ſed priſci illi, quorum panniculi ex haſtis pendentes in nummis Imperatorum ante Conſtantinum M. conſpiciuntur, videntur dixiſſe *lappr*, quod ſane idem.

LABBEN, *laffen*, lambere. Cambris *llaib* eſt linctus. Angloſaxonibus *lapian*, *lappian* lambere, lingere. Francis *laffan* idem. Gloſſ. Boxh. *laffu* lambo. Anglis *to lap as a dog* lingere inſtar canis. Mater nobis periit, ſed de progenie ejus reſtant, *lippen* labia, *leſzen* labra, *leb-kuchen*, placentæ mellitæ. Conſentiunt ſono & ſignificatu Latina *lambere*, *libare*, *labia*, *libamen*, *libum*, &ſimilia.

LABEN, reficere, refocillare. Gloſſ. Pez. refecerunt *gilapotun*, refocillarit *kalapota*. Verbum faceſſens a *leben* vivere, vel *leiben* manere, ſuperare, ſervari. Quid enim eſt reficere vires vel ſpiritum, niſi facere ut ſit ſuperſtes, facere ut reviviſcat? Inde Francis *laba*, *labo* refectio, apud OTFRIDUM Lib. III. cap. X. 74. & NOTKERUM Pſal. XXIII. 2. Hodie dicimus *labung*, item *labſal*, quod eſt quaſi donum reficiens, a *ſal* oblatio.

LABEN, coagulare & coagulari, a *lab* coagulum. Dicitur proprie de fluidis, & præcipue de ſanguine & lacte. Hodie utimur frequentativo *liefern*. Sed a ſimplici habemus *leber* jecur, & forte etiam alia, præſertim ſi STIERNHIELMII conjecturas ſequamur, qui ad ejusdem radicis traduces refert *leib* corpus, *laib* panis, in Gloſſ. Ulf. Goth. pag. 89.

LACHE, inciſura, hiatus ex inciſione. Latino-Barbaris *lachus*. CHRONICON LAURISHAMENSE pag. 57. *Ipſa* INCISIO ARBORUM *in ipſa die facta fuit, quæ vulgo* LACHUS *appellatur, ſive* DIVISIO: *& ſic ad illam ligneam crucem quæ eſt poſita juxta illam viam quæ venit de Birſtat, & inde ad partem Aquilonis: ſicut illa inciſio Arborum ſeu* LACHUS *in ipſa die facta fuit, usque ad illum monticulum, qui quaſi terminus apparet: & inde per ipſam inciſionem arborum ſive* LACHUM *usque in certum Wisgoz, ubi marcha de Baſinsheim conjungit: quicquid infra illam inciſionem arborum ſeu* LACHUM *ſive diviſionem usque ad marcham de Baſinsheim - - - Omnia & ex omnibus totum & ad integrum ad jam dictum monaſterium ſive ad ſanctum Nazarium a die præſente donamus.* Inde compoſita,

Lachbuocha, fagus inciſione corticis vel trunci notata. HENRICUS II. Imp. in Donatione quadam an. 1012. apud Freherum in Orig. Palat. pag. 184. *Usque ad arborem* LACHBUOCHA *dictam*. Ubi FREHERUS in margine Diplomatis *lachbuocha* interpretatur *fagum terminalem*. Recte. Proprie tamen deſignat id, quod dixi.

Lachbæume, arbores terminales, proprie inciſæ. Vocem ſiſtit POLYCARPUS LEYSERUS in Commentatione *de Lachis Loubæ* pag. 7. hisce verbis: *Erat veteribus inprimis in locis arboribus conſitis uſitatum limites ad certas arbores conſituere, notamque arboribus inciſione quadam imprimere, quod bodieque ſolenne eſt. Hinc Saxones ejusmodi in confiniis poſitas arbores ſive inciſa ſint ſive ſecus* LACH-BÆUME, *id eſt*, GRENTZ-BÆUME *appellant*.

De hac veterum arbores ſignandi conſuetudine limitum cauſa, vide pluribus agentem CANGIUM in *Arbor finalis*.' Inde eſt, quod *Lahum* ſæpe abſolute ponitur pro termino agrorum vel ſigno terminali, ob illam, quam dixi, inciſuram. TRADITIONES FULDENSES Lib. 2. cap. 47. *Exinde in album fontem, & ſic per noſtra ſigna* (*id eſt*, LAHA) *in Windimonſeo*. ANNALES ISENACENSES PAULINI pag. 9. *Notum eſſe volumus* (verba ſunt Cuonradi Imp. in Diplomate anni 1039.) *qualiter Nos Ludovico Comiti villam Altinberc & novalia prope hinc & inde adjacentia libere perfruenda ſecimus, quæ his* LACHIS *& terminis concluduntur*. Et mox pag. 10. *Omnia quæ his* LACHIS *& terminis circumdata ſunt*. Hæc prolixius proſequenda fuerant ob ſiniſtras vocis explicationes, quas ſummi Juris publici interpretes nunc & olim attulerunt. SPELMANNO (quem ſequitur Cangius) *lachus* idem eſt quod Germanis *laeghe*, hoc eſt, ut ait, *ſignum, poſitio, poſitura*. Neſcio quos intelligat Germanos. Nam Belgis *lage* feriem & ordinem rerum, nobis ſitum, neutris *ſignum* denotat. SCHILTERUS *lach* interpretatur legem, quæ priſcis *lage*. Hinc *lach-buche* ipſi eſt fagus, quæ quaſi legem dat vicinis de confinibus, in Gloſſ. pag. 525. LEYSERO *lachus* ſignificat *terminum* vel *limitem*. Quod ſenſu ſecundario verum, primario falſum. Nam *lach* proprie eſt *inciſio* cujuscunque rei, & per *inciſionem* a Charta Chronici Laurishamenſis diſerte & aliquoties explicatur. Neque ab hac vocis proprietate nobis diſcedendum eſt, quia in Scandia & Græcia multas ſibi habet ſimiles. VEREL-

in Ind.

in Ind. *lag* ictus, percuſſio, *laga* transfigere, perfodere telo, *leggia* icere, gladio vel lancea perfodere. Græcis λακὶς rima, fiſſura, λακίζω findo, ſcindo. Nobis verbum periit. Sed qualecunque fuerit, forte fuit faceſſens a *lechen* hiare. Quid enim eſt incidere, icere, findere, perforare, quam facere ut hiet?

LACHE, collectio aquæ, major vel minor, a *lechen* fluere, quaſi confluxus.

LACHE, collectio aquæ profluentis inprimis pluviæ & lutoſæ. VEREL. in Ind. *laka* ſtillicidium, *laka* vel *hlaka*, nivium liquefactio.

LACHE, collectio aquæ ſtagnantis, alias palus vel ſtagnum. Utitur Luth. Ezech. XLVII. 11. Inde *kot-lache* volutabrum. Eadem res Latinis dicitur *lacuna*, Armor. *laguen*, Hibern. *lag*, Angloſax. *lub*, *laca*, Angl. *lake*.

LACHE, ſtagnum ingens & navigabile. Cambris *llwch*, Angl. *lake*, Gall. *lac*, Lat. *lacus*. Vox Lat. non opus habet nova etymologia, ut ex ſcala ſignificationum patet; dedit tamen, neſcio an ſatis bonam, ISIDORUS Lib. XIII. Orig. cap. 19. LACUS *ſtat in loco, nec profluit, & dictus eſt* LACUS, *quaſi aquæ locus*. Germanis obſoleſcit.

LACHEN, ridere, *læchlen* ſubridere, parum ridere, *gelæchter* riſus effuſior. Gothis *hlahjan* eſt ridere, ut patet ex participio. *hlahjandans* ridentes, Luc. VI. 25. Idem Angloſaxonibus *hlihan*, *hlihian*, Franc. *lahhan*, Alaman. *hlahhan*. TATIANUS cap. XXIII. 3. *wé ju thie nu lahhet*, væ vobis qui nunc ridetis. Belgis & Præcop. *lachen*, Island. *hleja*, Angl. *laugh*, Dan. & Succ. *lee*. Quibus convenit Heb. *laag* riſus, *lagag* irriſit. Græcis γελᾶν eſt ridere. In quo verbo ſunt literæ, ex quibus fieri poteſt *lagen*, quod multi tanquam factum arripiunt. Alii omnia a ſono, quem ridentes edunt, ficta opinantur.

LACHS, ſalmo. Angloſax. *leax*, *læx*, *lex*. Gloſſ. Ælf. eſocius vel ſalmo *lex*. Græcis σάλαξ eſt bonus piſcis.

LACHTER, orgyia. V. *klafter*.

LACK, color rubeus, *florentiner lack* rubrum florentinum. Ab Italico *lacca*, & hoc ab Arabico *lach*, judice SCALIGERO apud FERRARIUM. Confer MARTINIUM in voce *lacca*.

LAD, terra, fundus, ſolum. Hodie quidem dicimus *land* cum vetuſtiſſimis Dialectis: ſed *lad* antiquius eſt, & proprie ſignificat terram ſorte diviſam, poſtea omnem terram, publicam & privatam, ut oſtendi in *los* fundus. Huc videntur ſpectare ex lingua Angloſaxonica,

lad-man, dux, proprie dominus vel præſes territorii.

ladſcipe, ducatus, proprie regio vel provincia.

hlaford, dominus, proprie *lad-ward* præſes provinciæ, brevitate Anglicana *Lord*, & hinc fortaſſe etiam *Lady* domina, nova & vitioſiore brevitate pro *hlafordy*.

LADE, arca, ciſta, theca, *lædlein*, loculamentum. A Gr. κλαίειν claudere. Et ideo rectius ſcribitur *hlade*, quia K. tranſiit in H. Confer *lid* opertorium.

LADEN, verbum ſubſtantivatum a Græco κλεῖθρα; & hinc ſignificat, quantum poteſt, *locum clauſum* & *medium claudendi*. Ad priorem claſſem ſpectat, *laden* officina, taberna, *buchladen* taberna libraria, *kramladen* taberna mercatoria, *ladenflügel* clauſtra, alæ quibus taberna clauditur: Ad poſteriorem, *laden* valva, repagulum, *fenſterladen* valvæ feneſtrarum.

LADEN, congerere, cumulare. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *hladan*, *hladian* congerere. VERELIUS in Ind. *hlada* conſtruere, aggerare. Inde Suecis *lada* horreum, granarium, locus ubi fruges congeruntur. Germanos ex vetuſtiſſima Celtarum lingua hoc verbum accepiſſe, veriſimile puto. Sic enim lego in Gloſſario Wallico WOTTONI: *cludo* vehere, coacervare, *cludair* cremiorum ſtrues. Scriptura Saxonica *hladan*, quæ K. mutavit in H. huic conjecturæ favet.

LADEN, haurire. Senſus ab aridis ad liquida extenſus. Angloſaxonibus ut ſupra. Evang. Angloſax. Joh. II. 8. *hladath nu*, *and berath thære dribte ealdre*, haurite nunc, & ferte architriclino. Veteres inde derivant *lid* potus & poculum, *hladung* hauſtus: recentiores *laſe* urceus, *ladung* hauſtus, quod de nimio meri potu dicitur.

LADEN, onerare. Island. *hlada*, Suec. *ladda*, Belg. *laaden*, Angl. *load*. Senſus a matre ad filiam translatus. Nam qui congerunt, gravant. Et quemadmodum ex partibus cumulatis augetur pondus totius: ita ex multis ponderibus excreſcit onus. Angloſaxones eundem ſenſum agnoſcere, teſtantur Lexicographi. Similia occurrunt apud Francos. Gloſſ. Pez. onuſtum *giladanen*. OTFRIDUS Lib. IV. cap. XXIV. 59.

In ſih ſelbon ana ruah
Luadun mihilan fluah.
In ſe ipſos temere
Onus transferebant ingentis maledictionis.

A ſimplici fiunt, *beladen* gravare, *überladen* prægravare, *entladen* exonerare, & ſimilia, quæ nullam habent difficultatem. Præcipua derivata ſunt, apud Angloſaxones *hlade* onus, farcina, quod cuſtodiunt Angli in *load*; apud Germanos *ladung* quantum oneris una vectura ſive navis ſive vehiculi transportari poteſt.

LADEN, implere, ſtipare. Hinc *plenum* in Gloſſis Pezianis exponitur *giladanen*. Hodie utimur in re tormentaria. Inde Belgis *laad-kruit* pulvis pyrius, Germanis *lad-ſtock* obturandi inſtrumentum, a *ſtock* bacillus.

LADEN, vocare. Gothis *latbon*, Franc. & Alam. *ladon*. Gloſſ. Keron. vocavit *ladoot*, evocatio *ladungu*. Evang. Goth. Marc. II. 17. *ni quam lathon uswaurhtans*, non veni vocare juſtos. Hinc Eccleſia Francis dicitur *ladhunga*, quaſi convocatio, in Symbolo Apoſtolico apud ECCARDUM in Cat. Theot. pag. 66. Quibus convenit Gr. κλῆσις vocatus.

tus. Hic primus verbi ſenſus, nec aliunde quam a Celtis oriundus, quibus *llais* vox, teſte Boxhornio in Lex. Ant. Brit. S. & T permutantur in Dialectis, perinde ut T. & D. Simile verbum a voce formatum vide in *kleiben* vocare.

LADEN, invitare, vocare ad cibum, colloquium, vel alterius rei communionem. Gloſſ. Keron. invitantis *keladunter*. Similiter in Evang. Angloſax. Joh. II. 2. *gelathode* ſunt invitati. Inde *einladung* invitatio.

LADEN, purgare, mundare. Vetus Saxonicum. SOMNER. in Dict. AS. *ladian* purgare, *ladung* purgatio. Verba purgandi ſolent deſumi ab aqua, ut oſtendi in *waſchen* & *fegen*. Hinc nullus dubito, quin *laden* idem ſit ac maculas humido eluere, a Cambrico *llaith* humidus, liquidus.

LADEN, ſenſu forenſi & metaphorico eſt *crimen eluere*, & Angloſaxonibus dicitur *ladian*, Latino-Barbaris *ladare*. Inde *lada* ſtylo medii ævi eſt purgatio legalis, qua quis ſe liberat a crimine objecto. Eſtque vox omnibus *Ordaliis* communis. SPELMANNUS in voce LADA: *Hujus ſpecies ſunt omnia Ordalia, ſcil. examen per ferrum candens, aquam calidam, aquam frigidam, judicium crucis, & euchariſticum, gorsnet, duellum* &c. CANGIUS vocem male deducit a Lat. *lex*.

LADUNKEL, *ladünkel*, vulgo exponitur arrogantia. Proprie autem eſt deceptio ſui ipſius per anticipatam, ſed erroneam opinionem, oriturque a *dünkel* opinio, & obſoleto *la* fraus. VERELIUS in Ind. *Le* Islandis fraus, dolus, *lætraudur* fraudis neſcius, *læviſ* prudentia dolo temperata. Alii ſcribunt *laſsdünkel*, derivantque a *laſſen-dunken* præſumere. Cui etymologiæ favet Dialectus Belgica, in qua *laat-dunkend* eſt arrogans, nimia de ſe præſumens.

LÆGEL, lagena. V. *legel*.

LÆKEN, *lecken*, ſaltare, exultare. Gothice *laikan* Luc. VI. 23. *faginod in jainamma daga jah laikod*, gaudete in illa die & exſultate. Verbum a Gothis relictum adhibet Luth. Eſa. XXXV. 6. & Ambroſ. LOBWASSER Pſ. XXIX. 3. Fluxit autem appellatio a crure vel tibia, quæ inter ſaltandum levatur. & Anglis dicitur *leg*, Scandis *Legg*, Islandis *leggr*, Italis *laçca*. Græcis λαξ eſt pedibus, πυξ και λαξ manibus pedibusque, λακτιζειν ſaltare. Hodie ſuperat in *froloken* exſultare præ lætitia, quod inepte deducitur a *locken* allicere, etiamſi hæc etymologia celebrem habeat auctorem.

LÆKEN, *lecken*, currere. Ex eodem fonte, quia jactatis in altum cruribus curritur. Uſus eſt LUTHERUS hoc ſenſu in quibusdam locis Prophetæ JEREMIÆ exprimendis, quæ vero nunc vitiata ſunt a typographis. Bohemi inde habent *lehky* levis, celer, Germani *lakei* curſor, quod vide.

LÆKEN, *lecken*, recalcitrare. Ex eodem fonte, quia recalcitrantes crura ſurſum retrorſumque movent. Utitur hoc ſenſu Luth. Ezech. XXXIV. 21. Act. IX. 5. Græci eodem ſenſu dicunt λακτιζειν. SKINNERUS in Etymologico Anglicano: *leg* crus, tibia, unde fluxit Teut. *lecken* calcitrare, cujus mater nomen *leck* pro crure obſolevit. Hodie dicimus *hinten aus-ſchlagen*.

LÆR, liber, ſolutus. Idem quod *los*, ob literarum R. & S. frequentem permutationem. Hinc OTFRIDO *irlaren* & *irloſen* promiſcue ponitur pro liberare, e. g. Lib. V. cap. IX. 61.

Uuir uuantun thes giuuiſſo,
Thoh iz ni uuurti letdor ſo,
Er unſih ſcolti irlaren
Ther manog ſaltan uueuuen.
Nos certe ſperabamus,
Quamvis proh dolor aliter evenerit,
Quod nos ſit liberaturus
A multiplici luctu.

LÆR, vacuus, iners, *læren*, *auslæren* evacuare. Gloſſ. Schilt. pag. 529. *lar* vacuus, *lara unde hungerga ſala* anima inanis & eſuriens. SOMNER. in Dict. Angloſax. *gelær* vacuus, inanis, *lærneſſe* vacuitas. Cuncta a *lieren* perdere, amittere, privari, quia inanis eſt deſtitutus. Metaphorice dicitur de tenui. Inde Belgis *laare melk* lac tenue & pinguedinis expers. Confer *los* vacuus, quod reliquis cognatum.

LÆSSIG, remiſſus. V. *laſſen* remittere laborem.

LÆSTER, lanio ſuburbanus in Miſnia, qui, etiamſi ſit extra tribum reliquorum in oppidis, licentia tamen gaudet, carnes venum exponendi, & in nulla re differt ab oppidano, ne nomine quidem, ſi etymon ſpectes. Nam *ſchlæchter* vi appellationis eſt percuſſor pecoris, & talis etiam eſt *læſter*, ſi nomen ejus ducatur a veteri Scandico *lioſta* cædere, percutere. VERELIUS in Ind. *lioſta* cædere, percutere, *liſta* idem quod *lioſta*, jaculo vel telo percutere, *affleſtir* reliquiæ pecoris a feris laniati. Aliam etymologiam vide infra in *leizen* ſcindere. Sunt, qui illos non *læſter*, ſed *læſterer* vocant, ducta origine a *læſtern* vitioſe ſcindere, quia carnes aliter diſſecant quam oppidani. Et hi, quantum in ipſis eſt, vocabulo alias haud probroſo maculam alliniunt.

LÆSTERN, calumniari. Angloſax. *leahtrian*, Francis *laſtron*. Gloſſ. Pez. infamare *laſtron*, calumniantur *laſtront*. ECCARDO eſt frequentativum a *letzen* ſcindere, quia calumniari eſt lingua diſcindere, convitiis proſcindere, in not. ad L. Sal. pag. 91. At ſecundum STADENIUM *læſtern* eſt a *laſter* vitium, in Voc. Bibl. pag. 385. Quod obviam & magis probabile, quia calumnia in omnibus linguis a crimine objecto nomen ducit. Sic Latinis a *crimen* ſit *criminari*, a *vitium convitiari*, Græcis a λοιδη probrum λοιδορειν exprobrare, Angloſaxonibus a *leahtor* culpa *leahtrian* culpare. Allegorice dicitur de quavis re quæ vitio afficitur.

LÆTI, *leti*, milites Barbari, a Romanis in ſolum vacuum recepti. Dicitur inprimis de

de FRANCIS, aliisque populis Germanicis, Sæculo IV. in ſolitudines Galliæ juſſu Imperatorum Rom. traductis, ut, quæ prius ipſi deprædando vaſtaverant loca, nunc culta redderent ſerviendo, vel defenderent arma pro Romanis portando. Squalorem Galliæ, & Francos ad culturam ſolitudinum receptos ſæpe memorant Panegyrici Veteres, laudantque Imperatores, quod arva jacentia colonis diſtribuiſſent. Dederunt autem, ut dediſſe viderentur, Germanis terras illas ſæpe invitis Romanis occupantibus. EUMENIUS Paneg. IV. cap. 21. *Tuo Maximiane Auguſte nutu, Nerviorum & Trevirorum arva jacentia*, LÆTUS *poſtliminio & receptus in Leges* FRANCUS *excoluit*. Memorant & receptorum militiam. Notitia Imp. Occid. PANCIROLLI: *Præfectus Lætorum Teutonicianorum. Præfectus Lætorum Batavorum. Præfectus Lætorum Gentilium Suevorum. Præfectus Lætorum Francorum*. Eorum ſcil. quos Romani ex his gentibus in ſolum Galliæ receptos militiæ adſcripſerant. Nomen ex lingua veteri Gallica ſive Antiquo-Britannica deſumptum eſſe, & proprie *hoſpitem* ſignificare, fidem faciunt multa vocabula apud BOXHORNIUM in Lex. Ant. Brit. & præcipue ſequentia: *Ulletty* hoſpitium, *Ulettywr* hoſpes, *Ulydaw* Armorica. Latine ſcribentes LETAVIAM vocant. Sic autem dicitur, non ranquam regio litoralis, ut ill. LEIBNITIO in Gloſſario Celtico viſum; ſed tanquam terra hoſpita, quod Britanni a Saxonibus pulſi ibi conſediſſent. Imo etiam LINDAW ad lacum Brigantinum ſic dici videtur, quod ab initio eſſet *Lætorum colonia*. Nam voces Celticæ in ore Germanico ſæpe patiuntur epentheſin. Idque apud peritos nullam habet difficultatem. Atque hinc porro patet, quid ſit *Terra lætica* in Codice Theodoſiano, nempe terra ab exteris gentibus occupata, & ſervitio militari obnoxia. A quo Romanorum inſtituto poſtea FEUDORUM originem fluxiſſe, multi arbitrantur. De *Coloniis Lætorum* vide plura apud TILLEMONTIUM Hiſt. Imp. Lib. 4. Part. 1. Art. 8. nec non apud CANGIUM in voce *Leti*. Differunt autem *læti* a *litis*, quamvis a CANGIO confuſi. *Læti* ſunt homines liberi, *Liti* ſervi, ob vilitatem a militia excluſi. Differunt etiam a *leudis* vel *leodibus*, qui milites quidem erant & vaſalli, ſed indigenæ, non hoſpites.

LAFFEN, lambere. V. *labben*.

LAFTER, orgyia. V. *klafter*.

LAGE, vox valde æquivoca, quæ in ſignificando ſequitur natales ſuos. Oritur autem ex diverſis parentibus. Sic a *ligen* jacere, fit *lage* ſitus, locus, ſedes, *ablage* diſtantia, intervallum, *niderlage* locus ubi merces deponuntur, emporium, & jus emporii. A *legen* ponere, fit *anlage*, *auflage* impoſitio, *beilage* depoſitum, pignus, & documentum inſertum. A *legen* offerre, fit *lage* oblatio, *gelag* ſymbolum, collecta convivantium, *verlag* impenſæ, *auslage*, *einlage* prænumeratio pecuniæ, *gegenlage* donum mutuum in contrahendis ſponſalibus, & quodvis æquivalens in aliis contractibus, *zulage* augmentum ſalarii vel alterius rei. A *legen* locare, collocare, fit *auslage* productio pomœrii, tecti, ædificii. A *legen* conſtituere, fit *lage* lex, ſtatutum, conſtitutio. A *legen* proſternere, fit *niderlage* clades. A *legen* inſidiari fit *lage* inſidiæ. Et ſic alia ab aliis. Nos miſſis iis quæ recentiora ſunt, vetuſtiora tantum conſideribamus.

LAGE, ſitus, locus, ſedes, campus. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *lle* locus, *lech* ſedes. SOMNER. in Dict. Angloſax. *lege*, *leag*, *leah* locus, campus, paſcuum. Gloſſ. Ælf. quernum *acleac*. Lege quercetum. BENSON. in Voc. Angloſax. *ac-lea* quercuum campus. Quod SCHILTERUS perperam convertit in *aichel-au*. Eſt enim, ſicut optime a SPELMANNO monitum, ab *ac* quercus, & *lea*, *lega* locus, campus. Anglis *lea*, *ley*, *lée* etiamnum locum denotat. Quibus conſonat Lat. *locus*. Cuncta a *ligen* jacere.

LAGE, oblatio. V. *legen* offerre.

LAGE, lex. Vetus Saxonicum, ſed varie enunciatum. Angloſaxonibus *lah*, *laga*, *lauge*, Islandis *lag*, *laug*, *log*, Suecis *lagh*, Danis *low*, Anglis *law*, Latino-Barbaris *laga*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *laga* lex, *lah-breca* transgreſſor legis, *lah-man*; *lahwita* legiſta, legiſperitus, juriſperitus, *lahſlite* legis violatio, *ut-laga*, *ut-lah* exlex, exul, extorris, proſcriptus, relegatus, omni legis patrocinio excluſus. Gloſſ. Spelm. *laga* lex, *Seaxen-laga* lex Saxonum, *Mercenlaga* lex Merciorum, *Dene-laga* lex Danorum, *laghslit*, *lahslit* transgreſſio legis, *laughlesman* exlex, quem utlagatum vocant, *couteutlaugh*, qui exlegem ſcienter recipit, vel potius notorie proſcriptus, a *cuth* notus, & *utlag* exlex. VEREL. in Ind. *lag* lex, ſtatutum, *laug* oc *landzrettr* leges & jura regni, *lagabrot* prævaricatio legis, *laugberg* locus publicus ubi judicia peraguntur, *lagdag* dies lege præfinitus, *lagmadr* judex provincialis, legifer, *lagthing* forum vel judicium ordinarium, & alia multa, quæ deſcribere nolo. Quibus ſono & ſignificatu convenit Lat. *lex*. Cuncta a *legen* ponere, ſtatuere, conſtituere, judice STIERNHIELMIO in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 104. Quid enim eſt Lex, niſi ſtatutum vel conſtitutio, five ipſius Dei & naturæ, ſive populi ſeipſum obligantis, ſive Principis populum moderantis? Similia derivata vide in *geſetz* lex. Ex eodem fonte ſi cenſeamus Latinam vocem promanaſſe, nec a ſenſu vocis, nec a temporis ratione aberrabimus, cum Scythica vocabula Latinis longe vetuſtiora ſint, & Linguam Latinam multis acceſſibus auxerint. Errabimus autem a veritate, ſi antiquiſſimam Saxonum Linguam, & Germaniæ indigenam, majorem vocabulorum ſuorum partem a nepotibus Romuli accepiſſe exiſtimemus. Quæ ſententia, etiamſi multos habeat fautores, merito erroris damnata eſt a peritioribus,

&

& præcipue a FRANCISCO JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 401. ejusque Præfatione pag. 3. nec non ab Abbate PEZRONIO in Antiq. Celticis pag. 101. Vulgo *Lex* a *legendo* derivatur, quod Leges populo ſint prælectæ ad obſervandum, quaſi ante literas inventas nullæ fuiſſent Leges. Quod ſane falſum. Nam Leges ſcriptæ ex conſuetudine deſumptæ ſunt. Conſuetudo autem eſt Lex antiquior, & jus moribus vel conſenſu publico inſtitutum, ac vetuſtate probatum, nec minus veri nominis Lex, quam ſi literis prodita eſſet. Idque alterum Legis nomen (quod ſupra explicavi in *ehe*) perfecte exprimit. Hac Lege nunquam caruiſſe cenſendi ſunt Germani, quamvis adhuc literarum expertes, ob eximiam eorum Remp. a CÆSARE & TACITO tantopere laudatam. Idem de aliis quoque gentibus cenſendum. Defectum literarum ſupplere poterant *præcones*, mandata Principum vel Conciliorum viva voce publicando, & *Sacerdotes*, plebem de patriis moribus inſtruendo, vel etiam *Cantilenæ*. Sed revertamur ad vocem, quæ certe antiquitus dicta eſt de omni Lege, non humana tantum, ſed etiam divina. Quamvis enim *lage* in Verſione Anglo-ſaxonica Matth. XV. 3. 6. ac Marc. VII. 8. 9. traditionem tantum humanam, præcepto divino oppoſitam, ſignificet: in aliis tamen Saxonum monumentis, etiam antiquiſſimis, *æ*, *bebod*, & *lage*, ſunt ſynonyma, & *Lex Dei* promiſcue dicitur *Godes æ*, *Godes bebod*, & *Godes lage*, obſervante MARESCHALLO in not. ad Verſ. Angloſax. pag. 542. Compoſita potiora, quæ extant, jam vidimus. Adde *Bellagines*.

LAGE, inſidiæ. Græc. λόχος, Franc. *laga*, Belg. *laag*, *binderlaag*, Angl. *lying*, Sax. inf. *laging*. Gloſſ. Pez. tendiculis *lagu*, cuniculis *logun*. REINIKE VOSS Lib. I. Cap. 4.

Wo vaken ghynk he umme de muren by nachte,
Un leyde uns LAGHE *mit groter achte.*

Plura teſtimonia convaſavit ECCARDUS in not. ad L. Sal. pag. 40. Refer ad *lagen*, λοχᾶν, inſidias ſtruere. MARTINIUS in voce *ſilva*, ad cognationem Græcæ vocis refert Lat. *lucus*, & Slavonica *lis*, *les*, *las* nemus, ſilva, quia nemora ſunt loca inſidiis apta. Quæ ſi invertas, habes rurſus Gr. ἄλσος nemus. Præcipua compoſita ſunt *weg-lage* & *feld-lage* obſeſſio viarum, apud bonos ſcriptores obvia.

LAGEN, inſidias ſtruere. Græcis λοχᾶν, Francis *lagon*, Anglis *to lye*. NOTKERUS Pſal. XVI. 12. de catulo leonis: *der ferborgen liget unde lagot*, qui jacet abſconſus & inſidiatur. HYMNUS de Paſſione Domini verſ. 3.

Gar bald thet er ihn ſagen,
Des Menſchen Sohn verrathen wirdt,
Ans Creutz geſchlagen und ermördt,
Darauf die Juden lagen.

Aliæ Editiones legunt *tagen*, aliæ *dachten*: ſed editio Leydenſis an. 1637. qua ego utor, diſerte habet *lagen*, optimo ſenſu, qui vel nullus in cæteris, vel metro non reſpondens. Proprie eſt obſidere viam vel tranſitum, a *lage* locus, campus, nemus. Nam inſidiæ capiuntur ab opportunitate loci. Inde Latino-Barbaris *lacinones* & *lachinones* latrones qui viatoribus inſidias ſtruunt, interprete CANGIO, & *viam lacinam facere* viam publicam infeſtare, in L. Sal. Tit. XXXIV. Vox Latina *laqueus*, & Italica *laccio*, videntur in eodem verbo cum reliquis convenire.

LAGEN, incidere, icere, perforare. Vid. *Lach* incifura.

LAGER, quatenus derivatur a *ligen* jacere, cubare, ſignificat omnem jacendi locum, & ipſum diſcumbendi actum.

LAGER, emporium, locus ubi merces deponuntur, compoſite *waren-lager*. Gothice *filigr*, a *fie* opes, bona, merces. De voce Gothica vide plura in *lager* ultimæ ſignificationis.

LAGER, lectus, cubile. Gloſſ. Pez. cubile *legar*. Gloſſ. Lipſ. *legerſtede* cubilibus. Gothis *ligr* eſt lectus Matth. IX. 6. *nim thana ligr theinana jah gagg*, tolle lectum tuum & vade. HESYCHIO λαγγὸς & λαγγὸν exponitur κραββᾶτον, quod eſt genus lecti apud Græcos. Belgis *leger* nonſolum eſt cubile hominis, ſed etiam luſtrum ferarum, interprete JUNIO in Gloſſ. Goth. pag. 235. Qui ſenſus regnat etiam apud Germanos in re venatica. Angloſaxones utuntur compoſito *leger-bedd* pro cubili.

LAGER, caſtra. Hunc ſenſum cel. ECCARDUS refert ad *lagen* inſidiari. Hinc *feldlager* interpretatur obſeſſionem campi, in not. ad L. Sal. pag. 40. Quod neſcio an ex uſu belli ſit? Nam caſtra, ſi quid video, non ſunt loca inſidiarum, ſed manſiones exercitus, & loca cubandi vel temporaria vel ſtativa. Alii derivant a *legen* diſponere, ut *lager* proprie ſit caſtrametatio. Apud Antiquos nec ſimplex nec compoſitum occurrit.

LAGER, ſepulchrum. BENSON. in Voc. Angloſax. *legere* ſepultura, *leger-ſtow* cœmiterium, locus ſepulturæ. VEREL. in Ind. *legi* ſepulchrum. Hodie ſuperat apud Suecos, quibus ſepulchrum compoſite *legerſtælle* & *legerſtad* dicitur. Ita etiam *bedd* a loco jacendi transfertur ad ſepulchrum.

LAGER, diſcubitus, *beilager* concubitus. Gloſſ. Pez. concubitus *legar*.

LAGER, concubitus illicitus. Vid. *ligen* fornicari.

LAGER, ægrotatio, *bettlægerig* clinicus, lecto affixus. BENSON. in Voc. Angloſax. *legere* ægrotatio, *leger-fæſt* ægrotans, lecto affixus.

LAGER, quatenus derivatur a *lagen* inſidiari, ſignificare poteſt locum inſidiarum, ſpeluncam latronum, & cubile ferarum. An huc ſpectet vox Gothica *filigr* & *filegr*, quod dicitur de ſpelunca latronum Marc. XI. 17. Luc. XIX. 46. dubito. Nam in hoc compoſito

poſito *ſi* videtur denotare pecuniam, opes, bona, merces, quo ſenſu *ſe* & *ſie* occurrunt in Indice VERELII: & *ligr* cubile. Sic ut ſenſus verborum Domini ſecundum Verſionem ULFILÆ ſit: *Domus mea eſt domus orationis, vos autem feciſtis eam Emporium maleficorum.* Confer *vieh* pecunia mortua.

LAGERN, diſcumbere, loco aliquo conſidere, a *lager* cubile. Utitur hoc ſenſu frequenter LUTHERUS in Verſione ſacra. Vide Exod. XIII. 20. Matth. XIV. 19.

LAGERN, obſidere invadendi cauſa. Frequentativum a ſimpliciori *lagen*. Inde *wegelagern* vias obſidere, tranſeuntibus via publica obſtaculum facere, *feldlagern* eadem notione. Utrumque ex obſervatione ECCARDI in not. ad L. Sal. pag. 40. Hodie utimur compoſito *belegern* obſidione cingere.

LAGERN, obſidere tuendi cauſa. Utitur hoc ſenſu Luth. Pſal. XXXIV. 8. *der engel des Herrn lagert ſich umb die her, ſo ihn fürchten.* Ubi NOTKERUS habet *umberinget* circumdat, quod idem.

LAIB, reſiduum, reliquiæ. Græc. λοιπὸν, Gothis *laib* Marc. VIII. 8. Angloſax. *laf*, *belaf*, Francis & Alam. *leib*, & compoſite *aleib*, *zaleib*, Island. *leiff* & *lefvor*, Angl. *leavings*, Suec. *aſtefwor*. Gloſſ. Keron. reliquiæ *zaleibu*, reſtat *zaleibu iſt*. Gloſſ. Lipſ. *aleibon* reliquiæ. Gloſſ. Pez. reſiduum *aleipa*. TATIANUS cap. CCXXXI. 2. *nam tho thia leibba inti gab inan*, tunc accepit reliquias & dedit illis. Refer ad *leiben* manere, relinqui. Hodie ſuperat in numeralibus, quamvis mira brevitate corruptis, *eilf* & *zwelf* undecim & duodecim, quæ vide. Præcipua veterum compoſita ſunt,

lidolaip, hæreditas, bona ab obitu relicta, vox Longobardica, de cujus proprio ſignificatu actum infra in loco.

tot-laib, eadem notione, niſi quod Alamannis recentioribus ſimul *præcipuum* ex capienda hæreditate denotet in Jure provinc. cap. 27. & cap. 369. ſenſu a genere ad ſpeciem reſtricto.

LAIB, panis. Gothis *blaibs* Luc. IV. 3. & *hlaifs* Joh. VI. 33. Angloſax. *hlaf* ibid. Francis *leib* apud OTFRIDUM Lib. III. cap. VI. 110. cap. VII. 52. 56. Angl. *loaf*, Friſiis *læf*, Finnis *leipa*, Bohem. *chleba*, Sorab. *kliba*, Latino-Barbaris *leibo*, *leibonis*, & diminutive *leibunculus*. Quo ſenſu, non convenit inter Philologos. JUNIO videtur contrarium ex Gr. κολλύφιον panis athletarum, a robore membrorum ſic dictus. Aliis videtur origine Germanicum. Et STIERNHIELMIUS quidem derivat a *laben* coagulari, quia panis eſt coagulum ex aqua & farina, & ad cognationem evocat ex Latinis *libum*, *gleba*, *globus*, *clibanus*, id eſt, furnus panarius, & ſimilia. Contra SCHILTERUS refert ad *laben* reficere, recreare, quia panis eſt ſtabilimentum ſtomachi. Aliud etymon vide in *leib*. Poſtea ſenſus a notione generali ad certam panis portionem & figuram transiatus eſt. Inde Islandis *lef* panis oblongus, Germanis *laib* panis orbicularis major, *laiblein* orbita panis minor.

LAICH, luſus, ſerius & jocoſus, latiſſimo ſenſu. VERELIN Ind. *leik* ludus ſerius, certamen, pugna, *leikar* ludi, theatra, palæſtrica, venationes, ludi equeſtres, & cætera omnia jucunda & jocoſa, quibus ſe oblectant homines otio & voluptati dediti, *leikmot* conventus ad ludendum, *leiks-madr* homo hilaris, jocoſus. Inde KONIGSHOFIO in Chronico Alſatiæ *urleig* horologium muſicum, & LUTHERO *kegel-leich* luſus cuneorum, apud STADENIUM in Voc. Bibl. pag. 846. ſeq. Refer ad *laichen* ludere.

LAICH, ludus gladiatorius. De hoc ludo vide plura in *ſpilen* ludere gladiis.

LAICH, ſemen genitale piſcium, *froſch-laich* ova ranarum. Proprie eſt luſus venereus. Hinc *leikur* in Indice VERELII exponitur luſus avium & piſcium. Dicitur autem de ſemine per metonymiam, quia inter ludendum effunditur.

LAICHEN, ludere. VERELIN Ind. *leika* ludere, *leikari* ludiones, muſici, *leikara liod* certa melodia, voce vel inſtrumentis cantanda. Suecis *leeka* etiamnum eſt ludere. Haud dubie a Lat. *ludere*, mutato D. in K. quo mutationis genere nihil frequentius. Et quemadmodum vox Latina de omni luſu, ferio & jocoſo, muſico & venereo, verbali & reali uſurpatur: Ita *laichen* non ſolum ſignificat fidibus canere, ſed etiam lætitia efferri, & præ lætitia geſtire, jocari, exſultare, imo etiam laſcivire, ut ex ſcala ſignificationum mox patebit.

LAICHEN, jocari, ludere verbis. Inde Gothis *bilaikan* illudere Luc. XIV. 29. & in Indice VERELII *aleika* illudere, contemnere.

LAICHEN, ſalire, exſultare. Evang. Goth. Luc. VI. 23. *faginod in jainamma daga jah laikod*, gaudete in illa die & exultate. Idem ſenſus generatur etiam ex alio fonte, ut dixi in *leken* ſaltare.

LAICHEN, laſcivire, ſemen emittere. Dicitur de piſcibus & ranis, quando verno tempore in venerem ſtimulantur. Proprie eſt ludere, ſalire, exſultare, & dicitur de coitu per metonymiam. Latinis quoque *ſalire* de coitu animalium uſurpatur, quamvis non omnium promiſcue, ſed pedeſtrium tantum, quia ſalire præſupponit pedes. Hinc *laichen* videtur ab initio dictum fuiſſe de animantibus gradientibus tantum, poſtea vero etiam de piſcibus, qui etiamſi pedes non habeant, exſultare tamen videntur. Hodie ſolis piſcibus & ranis hæret, ſed cum aliqua laſciviæ idea. Nam quod veteres modeſtiſſime dixerunt *ludere*, *ſalire*, in ore noſtro contraxit labem, notatque laſcivire & ſemen ejicere.

LAICHEN, ſcortari. Græcis λαικάζειν eſt ſcortari, λαικαστὴς ſcortator, λαικάστρια meretrix, Flandris *lack* venereus, libidinoſus,

obſervante JUNIO in not. ad Willeram. pag. 197.

LAID, *laidig*, vide in *leid*.

LAIST, forma pedis vel calcei. SOMNER. in Dict. Angloſax. *læſt* formula lignea ſutoria, forma pedis lignea, *læſt-wyrhta* caligarius. Oritur a verbo Alamannico, quamvis pridem extincto, *leiſen* imitari. Quid enim eſt illa forma niſi modulus, quem ſutor imitatur, dum ipſa imitatur pedem hominis? Etymon ECCARDI vide in *letzen* ſcindere.

LAIST, veſtigium, forma pedis vel calcei pulveri impreſſa. Cognoſcitur ex compoſito Angloſaxonico *fot-læſt* veſtigium.

LAKEI, curſor, ſervus a pedibus, qui magnis ſaltibus jactisque in aerem calcibus curſum accelerat. Omnino a *laken* currere. Vox a Gothis in Gallia & Hiſpania proſeminata, ubi ejusmodi ſervus dicitur *laquay* & *lacayo*. Fidem rei facit terminatio *ei*, quæ pure Gothica eſt, ut dixi in PROLEGOM. & radix *læken* currere, ſalire, quæ nusquam niſi in Gothico idiomate reperitur. MENAGIUS in Originibus Gallicis a *verna* deducit primo *vernula*, mox *vernulacus* & *vernulacaius*, & detractis prioribus ſyllabis *lacaius*, jucundo quidem, ſed difficili & cerebroſo itinere: Qui, ſi voluiſſet, meliora noſſe poterat e Gloſſario Ulphila-Gothico GEORGII STIERNHIELMII, jam anno ſuperioris Sæculi LXX. Holmiæ typis edito, ubi pag. 105. a Suecico *lacka* currere derivatur *lackay* curſor. Hujus ſynonymum eſt *ein leuffer*, *ein ſpringer*.

LAKEN, ſtratum, & quicquid ad ſedendum aut cubandum ſubſternitur, a *legen* ſternere, collocare. Vox Francis & Alam. unice propria. Gloſſ. Pez. ſtratorium *ſtuollachan*. Gloſſ. Jun. in Obſ. ad Will. pag. 151. *panchlahhan* ſagma, *ſtreuui lachan* ſtratoria. Quibus ſimile Græcum λάχανον textum vimineum quod currui ad ſedendum imponitur, apud HESYCHIUM. Utimur eodem ſenſu hodie, dum lintea cubitoria appellamus *bedd-laken*, & lodicem *leinlaken*, contracte *leilach*.

LAKEN, velum, & omne tegumentum vel operimentum. Gloſſ. Keron. lintea *lahhan*, pallium *lahhan*, palla (altaris) *lachanes*. Gloſſ. Jun. *lachan* ſagum. Apud OTFRIDUM *lachan* dicitur de falciis quibus B. Virgo puerum Jeſum involvit, nec non de velo Templi. Quæ cum jam cel. SCHILTERO ſint obſervata, repetere nolo. Et huc etiam ſpectant, *lininun lachan* linteamina, & *ſueuiz-lachan* ſudorium, ex Harm. Evang. TATIANI cap. CCXX. 4. Hodie lintea triclinaria appellamus *tiſch-laken*. Hic ſenſus videtur oriri a *legen* nubere, velare, induere, de quo actum infra.

LAKEN, pannus. Gloſſ. Pez. pannoſi *thibhero*, *lachano giuuatto*. Senſus Belgis fere proprius, iisque qui Belgas imitantur.

LALLEN, corrupte & impedite loqui, ut ſolent pueri. Lat. *lallare*. Inde nomen Deo *Lallo*, qui balbis præeſſe næniis fingitur. Græcis λαλεῖν eſt loqui ſimpliciter.

LAM, mancus, impeditus, ſive defectus ſit in pedibus, ſive in manibus, ſive in lumbis, *læme* paralyſis, *lemen* debilitare, motum impedire, luxando, frangendo, mutilando &c. Cuncta vetuſtatis uſu probata. *Lama* pro claudo extat in Evang. Angloſax. Matth. VIII. 6. ubi interpres Gothicus habet *uslitha*, quaſi delumbis, a *litha* artus. Reliquæ Dialecti utuntur voce Saxonica. Gloſſ. Boxh. *lamer* paralyticus. VEREL. in Ind. *lam* fractus, debilis, *lemming* membrorum confractio, *lemia* frangere, & dicitur etiam de ſcuto quod frangitur. Jus prov. Alam. cap. LX. 4. *bat ahn man lemin an ſinen henden oder an bainen*, ſi quis paralyſi manuum aut pedum laboret. Cuncta fortaſſe a Gr. κλάμενος fractus, verbi κλάω frango. Et ideo rectius ſcribitur *hlam*, quia H. eſt cuſtos originis. Ad conſenſum ſpectat, judice CIDODIO, Perſicum *lengh* claudus, *lenghiden* claudicare, & *Timour-lengh* Timur claudus, qui vulgo TAMERLANES dicitur. M. & N. paſim permutantur.

LAMI, rei bene cœptæ infelix exitus, ab ἁλέμαι ὠδὴ Jalemi inepti muſici cantilena, judice PEISKERO.

LAMM, agnus, ovis lactens. Lex Salica habet *lem* Tit. IV. 1. Reliqui omnes *lamb*, Gothi, Angloſaxones, Franci, Alamanni, & ex recentioribus Angli & Sueci. TATIANUS cap. XVI. 1. *ſenu Gotes lamp*, ecce agnus Dei. ISIDORUS Cap. IX. 4. *ardot uuolf mit lambu*, habitat lupus cum agno. Quo ſenſu, incertum. JUNIUS derivat a Gr. ἀμνὸς ejusdem ſignificatus, ope præfixi L. quam etymologiam STIERNHIELMIUS immerito deſpicatur, meliori conjectura deſtitutus. HELVIGIUS a *lambo*, quod ſal libenter lambat. Olim fuit nomen generale, & generi quoque caprino commune, niſi mendum ſit in voce Malebergica *lamp*, quæ pro hædo vel capra ponitur in L. Sal. Tit. V. 1.

LAMPE, lampas, λαμπάς, a λάμπω luceo, & hoc a Scytho-Scandico *liom* lumen, fulgor, quod habet VEREL. in Ind.

LAN, *lon*, *lún*, aqua. Vox Celtica. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *llynn* liquor. VEREL. in Ind. *blana* liquefacere, *thad blanar* frigus & gelu reſolvitur. Dicitur de aqua ſtagnante & fluente, & ſuperat hodie in multis fluviorum nominibus, non ſolum apud Britannos, ſed etiam apud nos, manifeſto ſatis indicio, primos Germaniæ incolas Celtice locutos, & nos, qui nomina ab illis relicta non intelligimus, a lingua eorum deſciviſſe. Hujusmodi ſunt,

LAN, *lon*, *lun*, amnis Angliæ, quæ *Lancaſtriam* alluit, & nomen urbi dedit. Lat. *Luna*.

LANE, fluv. Germaniæ ſup. qui poſt longos errores in Rhenum labitur. Gieſſenſes *Lönam* vocant, alii *Lanum*, Scriptores medii Ævi *Loganam*, a *lauge* aqua.

LEINE, fluv. Turingiæ, qui Gotham præterfluit.

LEINE,

LEINE, fluv. Saxoniæ inf. qui Hanoveram alluit, Lat. *Lyniæ.*

Appellative occurrit in nomine illuſtri LÜNEBURG, quod certe non a cultu Lunæ, ſed a ſitu ſic dicitur, velut *Caſtrum ad aminem*, etiamſi amnis ille non *Lüne*, ſed *Ilmenau* appelletur. Nomen proviriciale ab urbico eſt. Simile compoſitum eſt *Lancaſtria*, imo etiam *Londinium.*

LAND, terra culta & inculta, ager publicus & privatus, regio parva & magna. Gothis & Angloſaxonibus *land*, Francis & Alam. *lant*, *land*, Belgis, Anglis, & omnibus Septemtrionalibus *land.* JUNIUS, qui Græcas origines ſectari ſolet, nunc a Poetico λαῖον arvum, nunc ab ἀνάκρον ſummitas vel extremitas rerum, deducit. FRISCHIO, qui hanc vocem multis & eruditis obſervationibus locupletavit, *land* in primo & proprio ſignificatu eſt ager incultus, quales ſunt illi a CÆSARE Lib. VI. de B. G. cap. 23. deſcripti: *Hoc proprium virtutis exiſtimant, expulſos agris ſuis finitimos cedere, neque quemquam prope ſe audere conſiſtere.* Hoc ſenſu Gallos Saltus Burdegalenſes etiamnum vocare *Landes de Bourdeaux*, & hunc ſenſum a lumbis humani corporis, qui hodie *lenden*, deſumptum eſſe affirmat: Sic ut *land* proprie ſit latus regionis, limes atque finis, & vaſtitas cultoribus vacua. Italos eandem rem appellare *langhe*, a veteri Theotiſco *lanchon* lumbi, & hunc ſignificatum ſuperare apud Belgas in *langke*, & apud Gallos in *longe*, idem obſervat. Secundum hanc etymologiam vox ſolitudinibus propria adhæſit agris & regionibus, poſtquam ſolitudines coli & in agros converti cœperunt. Idem doctiſſimus auctor tangit quoque controverſiam inter Ducem Sabaudiæ & poſſeſſores *Langarum* in Italia de ſignificatu vocabuli agitatam, & contra contemtores Studii Etymologici ſic concludit: *Dum utraque pars ad etymologiam provocat, eo ipſo hanc nobilem artem in Tribunali collocant, etiamſi res tanti ſit momenti, ut integrum territorium concernat.* Denique & compoſita ſiſtit tam vetera quam nova, quorum numerus, quamvis incredibilis, e Monumentis Angloſaxonicis, Francicis, & Islandicis, multis acceſſionibus augeri poteſt. Aliam vocis originationem propinat STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 383. *Land*, inquit, eſt ab *aa* aqua. Ante *A* ponitur L. litera liquida, & eſt *la* aqua. Poſt *la* in fine additur D. & fit *lad* ſolum, Dialecto Islandica. Sed dum aquam ex aqua producit, nunquam efficit terram, niſi in litera D. ſit vis mirifica. Nos in voce *land* duos ſignificatus diſtinguimus, *ſoli* & *ſoli ſterilis*. Illud Islandis vocatur *lad*: hoc Germanis *led*, ut oſtendi in loco. Ab utroque prodiit *land* per epentheſin: ſed ſignificatu adeo diverſo, ut præter ſonum nihil commune habeant. Nam *land* a *lad* eſt fundus, primo quidem hæreditarius & ſorte diviſus, poſtea omne ſolum. Contra *land* a *led* eſt terra ſterilis. Prior ſignificatus eſt antiquiſſimus, & ex Monumentis Gothicis & Angloſaxonicis manifeſtus: alter recentior & fero natus, eoque ad etymologiam prioris ineptus. De voce Islandica *lad* vide plura in loco.

Compoſita Angloſaxonica
apud Somner. & Benſonium.

land-boc, charta, codicillus, inſtrumentum donationis, quo quis prædio cedit.
land-ferde, iter terreſtre, expeditio terreſtris.
land-folc, provinciales, populares.
land-gemære, termini, fines.
land-laas, fine fundo.
land-leod, provinciales, gens, populus.
land-man, terrigena.
land-ribt, jus municipale.
land-ſcype, regio, plaga, tractus.
land-ſocn, transmigratio, & regionis habitandi gratia inveſtigatio.
in-land, terra dominica, fundus domini proprius, ipſius uſibus reſervatus, nec fruduariis elocatus.
in-lenda, indigena, incola.
in-landiſc, eadem notione.
un-land-agend, fundo carens.

Comp. Franc. & Alam.

lantchuninga, reges terræ. NOTKER. Pſ. II. 2.
lantſceffi provincia. In Gloſſ. Keron.
lantderi latro, prædator provinciæ, apud TACITIAN. Cap. CXCIX. 8. vide *zeren* ſpoliare.
lantwaltor, proceres terræ, apud OTFRID. Lib. I. Cap. XXVII. 18.
lautliut, populus provinciæ, apud eundem Lib. I. Cap. IX. 6.
lantheirrin, principes, domini territorii. Rhythmus de S. Annone §. 29.

Compoſita Sueo-Gothica
apud Verel. in Ind.

landbur, colonus, conductor fundi.
landeida, ſolitudo, deſolatio.
landflotti, exul, erro.
landganga, defenſio provinciæ.
landzmenn, cives, ruſtici, coloni.
landrad, proditio.
landſeti, colonus.
landſtiorn, adminiſtratio regni.
landvettir, genii regionum, & alia innumera.

Compoſita hodierna aut nullo egent interprete, aut alibi recurrent.

LAND, patria. Pollet hoc ſignificatu in quam plurimis compoſitis, cujusmodi ſunt,

land-eve, lex patria. Vox Malebergica in Lege Sal. Tit. XIX. 1. Tit. XXI. 1. ſed a librariis male habita.
lantweri, defenſio patriæ, invaſio regni. Rationem utriusque ſignificatus vide in *wer* bellum.

RUGILANT, patria Rugiorum. AIMOINIUS Lib. II. cap. 13. RUGILANT *latine patria Rugorum dicitur.* *Nam*

lingua

lingua Germanorum, patria dicitur lingua Latinorum, P. DIACONUS Lib. I. de Gestis Long. cap. 19. RUGILAND, *quæ Latina eloquio Rugorum patria dicitur.*

Utimur eodem sensu, quoties cives nostros *landsleute* appellamus.

LAND, in nominibus propriis veterum varia significat, (1.) patriam, (2.) fundos & agros, (3.) populares. De primo & secundo significatu jam vidimus. Tertium exhibet VERELIUS in Ind. *landi* nostras, vel hujus terræ incola, *hans landi* popularis ejus. Anglosaxones eodem sensu dixisse *lenda*, videtur colligi posse ex composito *in-lenda* indigena, incola. Idem judico de Francis ex composito *gelende*, quod in Gloss. Lipsi exponitur *accola*. His positis & concessis, nomina propria, quæ vel apud Scriptores Francos, vel in Indice GOLDASTI Alamannico reperiuntur, ita interpretor.

LANDERICUS, dives fundis, aut, si mavis, popularis potens. Major domus sub Chilperico I.

LANDFRIDUS, defensor patriæ, non *pax regionis*. Plura ejusdem indolis composita vide in *frieden* tueri.

LANTPRECHT, popularis clarus. Dicitur & *Landbert*. Similia vide in *brecht* clarus.

LAMBERTUS, eadem notione qua *Landbertus*, & ex illo vitiatum.

LANDPOLD, popularis fortis & audax.

LANDENULPHUS, *Landulfus*, *Landolfus*, auxiliator popularium.

LANDWEIN, amicus patriæ, vel bellator patriæ. Utrumque enim significare potest. Vide *win* & *winne*.

Et huc etiam referri debent nomina, in quibus *land* ultimum locum occupat. Ut sunt,

ROLANDUS, popularis illustris, Caroli M. ex sorore nepos, ab Anglosaxonico *rof* clarus, quod in ore Francico ex pigritia pronunciantium transit in *ro*. Qui *pacem regionis* hic obtrudunt, nihil antiquum sapiunt, & artificium veterum in condendis Nominibus, quantum in ipsis est, ad nugas & ineptias reducunt. Hominem appellare *pacem* Græculo forte aut Judæo licebit, Germano non licet.

HONILEND, popularis fortis & strenuus. Similia vide in *kün* audax.

ADALLANT, popularis nobilis.

BERTLAND, ead. notione qua *Landbert*, quamvis alio compositionis ordine.

LAND, populus. Dictio metonymica, a terra ad populum, qui terram incolit, translata, sed valde antiqua. Utitur enim Codex Arg. Marc. I. 5. *usfiddjedun du imma alla Judaia land*, exivit ad eum omnis Judææ populus. Ubi TATIANUS habet *lantscaf* Cap. XIII. 12. LUTHERUS *land*. Quod non de regione, sed populo regionem inhabitante intelligendum esse, res ipsa docet. Hodie eodem sensu utimur non solum in compositis, *Lands-sitten*, *Lands-brauch*, *Lands-sprache*, & similibus, sed etiam extra compositionem in vulgatis loquendi formulis, *das Land hat bewilliget*, *das Land hat beschlossen*, *das Land hat gebuldiget* &c.

LAND, planities inculta. V. *led*.

LANDEN, *lenden*, appellere. VEREL. in Ind. *lenda* ex alto terram vel portum subire, *lendastad* statio ad quam cymba appellitur.

LAND-GERICHT, judicium provinciale. Occurrit in charta Friderici II. Imp. an. 1215. apud CANGIUM, ubi tamen vitiose scribitur *Langericht*.

LAND-GRAF, comes provinciæ, sic appellatus, quod extra palatium Regis in provincia munus suum exerceret. Latino-Barbaris *Landgravius*. Differt a Comite palatino, qui intra palatium officio suo fungitur, & ideo *pfalz-grav* dicitur. Differt etiam a *Marcgravio*, qui finibus imperii præest, non mediterraneo. Marchiones prius auditos esse in Historia, Landgravios serius, nec ante Sæculum XI. inter omnes convenit.

LAND-SASSEN, omnes regionis cultores, advenæ & indigenæ, id est, sive de territorio sint, sive in territorio tantum, potiori tamen jure ii, qui cæteris ampliores habent possessiones. Alamannis in Jure provinciali *lant-sazzen*, Latino-Barbaris *Lancetæ* apud SPELMANNUM. Vide simplex.

LAND-SIDLER, conductores, clientes, qui nullas habent terras nec sedes, nisi precarias, quibus terra aliena pro sedili est, & inde nomen a *sidel* sedes, & *land* prædium, fundus, ager. Franci *lantsidilon* vocant. Est enim vetus nomen, inde a tempore Francorum ad nos delatum. OTFRIDUS Lib. II. Cap. II. 41.

Er quam sos er scolta,
Ioh uuisota thoh er uuolta,
In eigan ioh in erbi,
Thaz lag al umbitherbi,
Thie sme lantsidilon
Sie datun so ih thir redinon.

Sensus est, Dominum venisse in hæreditatem suam, sed clientes & fiduciarios bonorum suorum possessores illum non recepisse. SCHILTERUS *lantsidilon* interpretatur *provinciales*. Nescio an satis apposite. Nam in hoc composito *land* non videtur agrum publicum, sed privatum denotare.

LAND-STORZER, *land-störzer*. V. *störzer*.

LAND-STREICHER, erro. V. *streichen* vagari.

LAND-STREINER, erro. V. *streiner*.

LAND-STURER, *land-stürer* erro. Vide *stüren* vertere.

LAND-SUCHUNG, migratio gentium. Anglosax. *land-socn*. Vox antiqua, & judice FRISCHIO digna, quæ usui hodierno re-

stituta-

ſtituatur. Vide *ſuchen* quærere occupandi cauſa.

LAND-WERE, munitio finium. Refer ad *waeren* tueri. Differt a Francico *lantweri*, de quo paulo ante in *land* patria.

LANG, porrectus, continuus. Lat. *longus*, Goth. *lagg*, quod pronunciatur ut *lang*, Angloſax. *lang*, *leng*, *long*, Franc. & Alaman. *lang*, *lanc*, Angl. *long*, Scand. *lang*. Non a *lancea* vel *linea*, ut quidam ineptiunt, ſed a *langen* trahere, quaſi protractus, quem ſignificatum ex antiquis mox oſtendam. Dicitur (1.) de extenſione. Gloſſ. Keron. prolixiores *lengirun*. VEREL. in Ind. *langskip* navis longa. (2.) de tempore vel mora. Gloſſ. Keron. tam diu *ſo lango*. VEREL. in Ind. *langlifs* macrobius, longævus, *langlifi* vita longa, *langviſt* commoratio diuturna. Inde *lang-wierig* diuturnus.

LANG, totus, integer. Gloſſ. Keron. ex integro *alonges*, *er alongi*. Gloſſ. Pez. totum *alangaz*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XII. 42. de matre Domini: *bar ſi mit iro lidin alangen*, peperit membris ſuis integris. Puta iis, quæ ad partum a natura deſtinata ſunt. Apud eundem *alanga* dicitur de toga Domini, quam milites *integram* ſervare ſtudebant, Lib. IV. Cap. XXVIII. 32. Dictio figurata, qua *longus* ponitur pro *non-interruptus*, quia integrum continuo ſimile eſt. Hodie ſuperat apud Anglos, quibus *all along* eſt tota vita. Hinc porro Angloſaxonibus *allinga* & *allunga* eſt omnino. Quem ſenſum etiam agnoſcunt Islandi. VEREL. in Ind. *allungis* omnino. Poſtea etiam dici cœpit de integritate morali. Sic B. Virgo OTFRIDO vocatur *alangera muater* mater integra, Lib. V. Cap. XII. 55. Cuncta apud nos extincta.

LANG, tardus, lentus. SOMNER. in Dict. Angloſax. *lang* piger, tardus. A *langen* trahere, quia tardi moram trahunt. Inde compoſita,

langſam, tardus, diuturnus. Angloſax. *langſum*. Reliqui in fine habent *ſam*. Gloſſ. Keron. diuturna *lanceſameru*. De term. *ſam* vide PROLEG.

langmut, longanimitas. Angloſax. *langmodneſſe*. A *lang* tardus, & *mut* ira, quaſi tardus iraſci.

LANGEN, *lengen*, trahere. Gloſſ. Pez. trahit is *lengit*, protraxit *gilančta*. BENSON in Voc. Angloſax. *gelængan* protrahere, *gelengd* protractus. Ab initio videntur dixiſſe *locken*, ab ἕλκω traho, poſtea *langen* per epenthefin. Inde

Francis *lang* plauſtrum, quia trahitur. Gloſſ. Pez. vinculum plauſtri *languuid*. Saxonibus temo etiamnum *langholz* dicitur, quaſi lignum plauſtri.

Germanis *lang* longus & tardus, quia longus eſt protractus, & tardus moram trahit, *belangen* trahere in forum, accuſare.

LANGEN, expetere, deſiderare. SOMNER. loc. cit. *langian* percupere, deſiderare, exſpectare. NOTKERUS Pſal. V. 2. *ebit din ilia des erbes langet*, dicit illa quæ hæreditatem deſiderat. Locum cum pluribus aliis obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario. Oritur, non a *lang* longus, ſed a verbo præcedenti, & proprie eſt *trahere* vel *trahi*, ſenſu a trahentibus deſumpto, quia deſideria trahunt, & deſiderantes trahuntur in rem, eamque vicisſim attrahunt. Utrumque ſane habet ſuos funiculos, & deſiderium, quo trahimus trahimurque, & res concupita, quæ trahit. Ambo ſe mutuo trahunt & attrahunt, diverſo quidem modo, ſed tamen manifeſto. Hoc cum bene perpendiſſent majores noſtri, ſapienter deſiderio nomen a trahendo impoſuerunt. Hinc deſiderium dicitur alias *zug* tractus, a *ziehen* trahere. Hodie utimur compoſito *verlangen*, dum Angli cuſtodiunt ſimplex *to long*.

LANGEN, *lengen*, prolongare. Angloſax. *langian*, Francis *gelangen*, *gilengen*. Gloſſ. Pez. protelentur *gilengit uuerdent*. Quibuscum conveniunt λογγάζω & *prolongo*. Cuncta a *lang* longus, quatenus de mora & extenſione dicitur. Hodie utimur frequentativo *verlengern*.

LANGEN, tangere, *erlangen* attingere. Forte a *law* manus, per epentheſin. Nam primo tangit manus, poſtea res omnes, quarum extrema ſimul ſunt. Utitur hoc ſenſu Luth. Gal. IV. 25. *Agar heiſſet in Arabia der berg Sinai, und langet bis gen Jeruſalem*. Inde *lang* contiguum, quod, etiamſi per ſe obſoleſcat, ſuperat tamen in præpoſ. *langs* tenus. Inde Angloſax. *eaſt-lang* oriente tenus, *weſt-lang* occidente tenus, apud SOMNER. in Dictionario.

LANGEN, in metaphorico dicendi genere ſignificat (1.) *pervenire*, quia qui aliquo pervenit, eo tangere videtur. Inde *gelangen* pervenire, *gelangen laſſen* facere ut perveniat. Latini eodem ſenſu dicunt *pertingere* a *tangere*. (2.) *competem fieri*, quia compotes facti ſimiles ſunt eorum, qui rem tactu percipiunt. Inde *erlangen* conſequi, adipiſci, Græcis conſono vocabulo λαγχάνω. Quod miror. (3.) *ſpectare*, *pertinere*, quia pertinentia ſunt contiguis ſimilia, h. e. iis, quæ nos proxime tangunt. Inde formulæ, *was mich belangt*, *was mich anlangt*, quod ad me ſpectat. (4.) *propinquum eſſe*. Franci ſane cognatos & propinquos vocare ſolent *tangentes*, quia contiguis ſimiles ſunt, & ſanguinis affinitate ſe mutuo tangunt. Inde *gelanger* propinquus, apud OTFRIDUM Lib. II. Cap. VII. 46. Lib. III. Cap. VI. 50. Inde etiam nomen parentelis apud Francos. Judicium fiat ex compoſitis. Gloſſ. Boxh. *kilenkida* affinitas, *ſippukilengida* affinitate. Gloſſ. Pez. affinitate *gilengido*. (5.) *ſatis eſſe*. Id eſt, ſufficere propoſito, ſcopo, fini. Finis enim ſimilis eſt extremitatibus rerum. Et ſicut extremum tangitur a manu, ita finis ab eo quod opus eſt. Inde *zulænglich* ſufficiens, *unzulænglich* inſufficiens.

LANGEN, porrigere, facere ut tangat. Verbum faceſſens a *langen* tangere. Inde *handlanger* operarius qui alteri operam ſuam porrigit, ab *hand* auxilium, vel ſi mavis is, qui alteri aliquid in manus tradit. Utrumque enim ſignificare poteſt.

LANGOBARDI, *Longobardi*, populus Germaniæ antiquæ de genere Suevico, ferox, & bellis diu agitatus, priusquam in Italia conſiſteret, de quibus mira fabulantur medii Sæculi Scriptores. Nomen STRABONI, VELLEJO, & TACITO, ſæpe memoratum. SOMNER. in Dict. Angloſax. *langbeardas* Longobardi, *lang - beardna - land* Longobardia. Gloſſ. Pez. Italia *lancpartolant*. Longitudinem in nomine gentis, omnes quotquot inſpexi, agnoſcunt. Et recte. Nam longus apud antiquos promiſcue dicitur *lang* & *long*, ut demonſtravi in voce. Hinc illa apud Scriptores varietas, ut jam *Langobardi*, jam *Longobardi* vocentur, nullo utrinque vitio. Sed quænam ſit illa longitudo, barbæ, an bipennis, an primævæ habitationis, non convenit inter Eruditos. P. DIACONUS, qui res geſtas Langobardorum deſcripſit, & nomen gentis ſuæ ignorare non potuit, cauſam appellationis barbam fuiſſe tradit Lib. I. cap. 9. *Certum tamen eſt, Langobardos ab intactæ ferro barbæ longitudine, cum primitus Winili dicti fuerint, ita poſtmodum appellatos. Nam juxta illorum linguam*, LANG *longam*, BARD *barbam ſignificat.* Æquum autem eſt, ut homini Langobardo in rebus domeſticis credamus. Nec dubitat CLUVERIUS, quin Paulus vera ſcripſerit, cum quia in Aſia quoque referuntur populi Μακροπώγωνες, a longæ barbæ argumento ſic dicti, tum quia moris Germanici erat, *barbam virtuti devovere*, de qua re, cum maxime memorabilis ſit, deſcribam verba TACITI ex Cap. XXXI. de M. G. *Et aliis Germanorum populis uſurpatum rara & privata cujusque audentia, apud Cattos in conſenſum vertit, ut primum adoleverint, crinem barbamque ſubmittere, nec niſi hoſte cæſo exuere votivum obligatumque virtuti oris habitum.* Quid obſtat, ut Langobardos idem feciſſe putemus quod Cattos, quodque in aliis Germanorum populis non niſi unus vel alter facere præſumebat? Ipſe DIACONUS ſimile quid tradit de exercitu Saxonum integro Lib. III. Hiſt. Lang. Cap. 7. *Sex millia quoque Saxonum, qui bello ſuperfuerant, devoverunt, ſe neque barbam neque capillos inciſuros, niſi de hoſtibus Suavis ulciſcerentur.* Qui barbam votivam Langobardis eripiunt, videntur mihi partem virtutis una cum habitu oris eripere. SOMNERUS tamen pro barba laudat bipennim, quia *barte* bipennis, & nomen Langobardicum ducit ab armis, ut Saxonicum a brevibus gladiis. Contra REINECCIO nec barba probatur, nec bipennis, ſed locus inter Magdeburgum & Halberſtadium, quem incoluere Langobardi, quemque etiamnum appellari ajunt *lange börde*, i. e. longum tractum. Adeo incerta ſunt omnia, ubi ab antiquitate ſemel deſciſcitur. Interim *Lombardiæ* & *Lombardi* vocabula ex antiquo Gentis nomine, cui pari illa Italiæ novisſime paruit, vitiata eſſe, apud omnes in confeſſo.

LANGS, tenus. V. *langen* tangere.

LANGUEDOC, provincia Galliæ, cujus pars olim *Gothia* appellata, poſtquam Wiſigothi duce Wallia (quod Sæculo V. factum) ibi conſederant, quorum Lingua a provincialibus dicta eſt *langue d'oc*, ſive *lingua occitana*, quia, cum aliquid affirmare vellent, pro *oui* dicebant *oc* vel *auk*. Quæ res poſtea toti provinciæ novam nomenclaturam conciliavit, ſic ut, quæ antea *Gallia Narbonenſis* & *Braccata*, nunc *Occitania* & *Linguadocia* nuncuparetur, a particula Gothica *ok*. Inventi artificem laudare poſſum CATELLUM in Hiſt. Occit. Lib. I. quem ſequitur CANGIUS in voce *Lingua*, & VALESIUS in voce *Septimania*. SIRMONDI opinio, qui eam provinciam ſic dictam exiſtimat, quaſi *Landgothiam*, nullos habet Sectatores. De particula Gothica *ok* confer dicta in *auch*.

LANK, latus, coſta, lumbus, ilia. Gloſſ. Keron. lumbis *lanchon*. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. ilia *lancha*. Idem Græcis λαγών amplisſimo ſenſu, pro latere & lumbo. Nec aliud videtur eſſe *lank* quam latus, ſi derivetur a *langen* tangere, quia res ſe mutuo tangunt per latera. Isque vocis ſignificatus etiamnum ſuperat in *flank*. Quamvis etiam ex λαγών facile naſcatur *lank*, tranſpoſitis literis. A latere ſenſus transferri potuit ad coſtas, a coſtis ad lumbos & ilia per metonymiam continentis pro contento. Cambris lumbus dicitur *llwyn*, Anglis *loyn*, quæ judice CASAUBONO ſyncopata ſunt ex λαγών. Hodie non amplius dicimus *lank*, ſed *lend*, plur. *lenden*, quod vide.

LANZE, ſpiculum, jaculum, Armor. *lancç*, Hibern. *langa*, Gall. *lance*, Ital. *lancia*, Græc. λόγχη, Lat. *lancea*. Vox a Celtis relicta, & e Celtico ſermone in reliquas linguas tradu&ta. Hinc optime VARRO apud GELLIUM Lib. XV. cap. 20. dixit: *LANCEAM non Latinum, ſed Hiſpanicum verbum eſſe.* Dixit autem Hiſpanicum, quia Celtiberis uſitatum, quod ante omnes PEZRONIO obſervatum in Antiq. Celt. pag. 281. *Si ce mot venoit des anciens Eſpagnols, comme Varron le dit, il ne pouvoit venir, que des Eſpagnols appellez* CELTIBERES, *c'eſt à dire, des Celtes établis en Eſpagne.* Operæ pretium erat, hoc deſcribere, quia video ſenſum Varronis adhuc fugere interpretes Gellii. Erat autem res & nomen rei (quod contra Varronem obſervandum) omnibus quondam populis Celticis commune, non Celtis tantum Hiſpanicis, ſed etiam Gallicis, Britannicis, & Germanicis, quod fuſe probat CLUVERIUS in Germ. Antiq. Lib. I. cap. 44. Hodie eſt haſta longa & gravior, olim brevior & vibrabilis, teſte DIODORO Lib. V. ubi de Gallis & Germanis univerſe inquit:

Haſtas

Haſtæ jaciunt, quas ipſi LANCEAS *appellant.* Hinc Poetis *telum volatile* dicitur apud CLUVERIUM. Habet autem nomen a vibrando, plane ut *jaculum* a *jaciendo*, & *ſper* a σπαίρω. Radicem cuſtodiunt in hunc uſque diem Armorici in *lança* jaculari, Galli in *lancer*, cujus ſynonymum eſt *jetter*, Itali in *lanciare*, Hiſpani in *lanza*. Omnes eodem ſignificatu. Germanis radix periit. Modum jaculandi deſcripſit CLUVERIUS loc. cit. quem vide.

LAPP, & *leppiſch*, ſunt convitia, a Lapponibus petita, quæ in hebetes & ſtupidos torqueri ſolent. MARTINIUS in voce LAPPIA: "*Leppiſch* Germanis eſt ineptum. Sed „in iſtis populis, qui publicis dicteriis infa„mantur, ſæpe plus eſt virtutis, quam in ce„lebribus. SCAL. Exerc. 213. 2. *Scimus nos, „Laponès eſſe corpore vegetiſſimo, agilitate in„ſigni, ſagittandi peritia nobiles, adverſus ho„ſtes fortiſſimos, erga hoſpites innocentes.*

LAPP, lacinia, fruſtum vel ſegmentum panni aut alterius rei. Vox multorum idiomatum uſu recepta. Gloſſ. Pez. lacinia *lappa*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *leppe* particula. Idem Belgis *lap*, Suecis *lapp*. Proprie eſt pars reſecta, a *leiben* dividere, partiri. A *lap* Dani antiqui formarunt *lapr* ſiparium, quia vela ab haſtis pendentia antiquitus erant panniculi. Inde Latinis *labarum*, quod vide.

LAPP, ora, veſtis vel alterius rei, *ohr-Læplein* anſula auris. SOMNER. in Dict. Angloſax. *læppe* ora, fimbria, *ear-læppe* lobus. Gloſſ. Lipſ. *lap* oram veſtis. VEREL. in Ind. *laf* ora veſtis. Forte a Græc. λαβή anſa, quod judice MARTINIO eſt a λαβεῖν apprehendere, unde Latinis veriſimiliter *lobus* pars ima auris, & Germanis *lappe* ora.

LASCHE, ſegmentum corii. Vide in *lerzen* ſcindere.

LASE, urna, *waſſerlaſe* hydria, vas aquaticum. Sicut *urna* eſt ab ἀρύω haurio, ita *laſe* a *laden* haurire.

LASS, feſſus, fatigatus. Gall. *las*. Utrumque a Lat. *laſſus*.

LASS, piger, ignavus. Suecis *laat*, Island. *latur*, Gall. *laſche*. VERELIUS in Ind. *latur*, deſes, tardus, ignavus. Refer ad *laſſen* cunctare, quia piger eſt inſtar tardi, qui vitio naturali tanquam pondere detinetur. Differt a priore, etiamſi commune cum illo nomen habeat. Ille languet, hic torpet; ille laborem remittit ex defectu virium, hic integris viribus nihil efficit. SPELMANNUS nomen a *Laſis*, hoc eſt, ſervis Saxonicis reliſtum putat, in Gloſſ. Archæol. pag. 352. *Reſtat*, inquit, *antiquæ appellationis commemoratio; ignavos enim hodie lazie dicimus.* Sed hæc etymologia vocem extra ſedem nativam & cognationem projicit. Si quis tamen malit, hæc omnia referre ad *laſſen* remittere, quia piger eſt remiſſus, & otio frena laxat, non vetabo.

LASS, ſæpe eſt ſubſtantivum in compoſitis, & tunc ſignificatus ſuos accipit a themate verbi *laſſen*, quod vide.

LASSEN, eſt verbum difficile explicatu, ſive originem ſpectes, ſive evolutionem. Latiſſime autem dominatur in omnibus Dialectis, & Gothis effertur *letan*, Angloſax. *lætan*, Francis & Alam. *lazzen*, Belg. *laaten*, Angl. *to let*, Suec. *læta*. Lexicographi omnes ejus ſignificatus, tanquam ab uno parente fatos, turpiter confundunt. Nos illud in quinque tribus diſpeſcemus, & ſua ſingulis initia & pomœria aſſignabimus.

LASSEN, primi generis.

LASSEN, laxare, laxum facere quod ante erat adſtrictum. Factum auctoribus Francis a Lat. *laxare*. TATIANUS Cap. XIX. 6. *gilazet juuuaru nezziu*, laxate retia veſtra. Et mox: *in thinemo uuorte intlazu ih thaz nezzi*, in verbo tuo laxabo rete. Succi dicunt *eſſterlæta*, nos *nachlaſſen*, *loslaſſen*, Galli vero ſimpliciter *laſcher*, quod illis haud dubie a Francis relictum. Omnibus conſentit Gr. χαλάζω laxo, relaxo, remitto, per aphæreſin. Antiquitas inde formavit vinculorum nomina. Talia ſunt in Lingua Latino-Barbara, *laxa* lorum, habena, apud CANGIUM, & *laxamina* habenæ, apud ISIDORUM in Gloſſis. Et huc etiam ſpectat, quod vinculum canis leporarii Gallis vocatur *laiſſe*, Belgis *letſe*. Nec mirum videri debet, lora & frena, quorum nomina (ut ſunt *breidel*, *zügel* &c.) alias ab attrahendo formantur, hic a contrario motu denominari. Nam utrumque fieri poterat legitime, quia lora & frena non ſolum attrahuntur, ſed etiam relaxantur. Hinc etiam Græcis a χαλᾶν laxare, derivatur χαλινὸς frenum.

LASSEN, fundere, *zerlaſſen* liquefacere. NOTKERUS Pſal. CXLVII. 7. *Pater ſendet uz verbum ſuum, unde zelazet ſie*, pater mittet verbum ſuum, & liquefaciet ea. Et mox: *unde uuahet ſie ana ſin geiſt, unde dara nah rinnent ſie ze Gote, uuanda ſie zelazen ſint ſone ſinero uuarmi*, & afflabit eos ſpiritu ſuo, & poſtea fluent ad Deum, quoniam liquefacti ſunt a calore ejus. Fundi autem & liquefieri dicuntur, quorum intima vincula ita laxantur calore, ut fluere poſſint. Ergo fundere eſt laxare.

LASSEN, quatenus ſignificat *laxare*, accipit ab ingenio Germanico, ad figuratam dictionem oppido propenſo, multos novos ſignificatus, ſagaciter inventos, & pulchritudine inſignes. Significat autem (1.) *permittere*, quia permittentes ſimiles ſunt eorum, qui lora vel frena laxant. Hujus verbi ſurculus eſt *ſinere*, quia ſinentes permittentibus ſimiles ſunt. (2) *remittere animum a labore*, quia animus remiſſus vinculo laxato ſimilis eſt. (3.) *remittere debitum vel culpam*, quia remittentes videntur idem facere quod ii, qui laqueos adſtrictos ſolvunt & molliter relaxant. (4.) *dimittere e nexu vel poteſtate*, ob manifeſtam, quæ eſt inter vinculum ſolutum & ſtatum dimiſſi, ſimilitudinem.

nem. (5.) *emittere*, quia emittentes videntur iora dare rei emiſſæ, ut libere meare poſſit. (6.) *omittere*, *miſſum facere*, quia qui agenda omittit, perſimilis eſt ei, qui vincula ſtringenda non amplius attrahit. Plures fortaſſe ſignificatus invenient, qui meditari voluerint. Mihi non vacat.

LASSEN, permittere, concedere, tacito vel expreſſo conſenſu. SOMNER. in Dict. A.S. *letan* permittere. TATIANUS Cap. LI. 3. *laz mih ér faran inti bigraban minan fater*, permitte mihi primum ire & ſepelire patrem meum. Cap. LX. 11. *inti ni liez eimgan imo folgen*, & non permiſit quenquam ſequi ſe. Latini videntur inde habere *licere*, quia licitum eſt permiſſum.

LASSEN, ſinere, non impedire, pati ut aliquid ſit vel fiat. SOMNER. loc. cit. *lætan* ſinere, pati, tolerare. Gloſſ. Keron. ſinat *lazzit*, ſinet *lazze*. Codex Arg. Marc. XIV. 6. *letith tho* ſinite eam. Cur illi moleſti eſtis? Verſio AS. Marc. X. 14. *lætath tha lytlingas to me cuman*, ſinite parvulos ad me venire. TATIANUS Cap. LXXII. 6. *lazet jogiuuedar uuahſan*, ſinite utraque creſcere. Inde Gallis *laiſſer*, Italis *laſciare*, eodem ſenſu. In hodierna lingua ſunt innumeræ loquendi formulæ, quæ huc ſpectant, de quibus conſulendi Lexicographi. A *laſſen* derivatur *gelaſſen* patiens, tolerans, tranquillus, & hinc porro *gelaſſenheit* patientia, quies animi ab agendo deſiſtentis.

LASSEN, remittere animum a labore. Latini eodem ſenſu dicunt, *laxare animum a laboribus*, *relaxare ſe occupatione* &c. Inde Angloſaxonibus *liſſe*, *lyſſe* remiſſio. Quod probe velim notari. Nam ab hoc obſoleto componimus *læſſig* remiſſus, *nachlæſſig* negligens, valde remiſſus, *farlæſſig* remiſſus in rebus agendis, a *far* opus, negotium, quod eſt verbale a *faren* agere, facere.

LASSEN, remittere debitum, ſive illud ſit culpa aut reatus, ſive pœna delicti, ſive debitum civile aut officium. Hoc ſenſu Gothi dicunt *afletan* Marc. II. 7. *hwas mag afletan frawaurhtins niba ains Goth*, quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus? Angloſaxones *forletan*, Franci & Alam. *far-for-fur-lazzan*. Gloſſ. Keron. remiſiſti *farliazzi*, dimitte nobis *furlaz uns*, remiſſione *farlazzawy*. TATIANUS Cap. XXXIX. 3. *forlazet ir*, *thanne forlazet man ju*, dimittite, & dimittetur vobis. Hodie eodem & latiſſimo ſenſu dicimus *erlaſſen*, & inde *erlaſs* & *erlaſſung* remiſſio cujuscunque rei præſtandæ. Sed a ſimplici *laſſen* componimus *ablaſs* remiſſio peccatorum. Latini delectantur eodem dicendi genere. CICERO de indulgentia matrum: *Quod pater adſtringit*, *mater relaxat*.

LASSEN, dimittere e nexu vel poteſtate, *freilaſſen* emancipare, *loslaſſen* liberum dimittere. Lex Bajuvar. Tit. VII. 10. *Si quis cum libera manumiſſa fornicaverit*, *quam* FRILAZIN *vocant*. Eadem puella in Lege Salica vocatur *friolaſia*, Tit. XV. 3. In Codice Argenteo *afletan* eſt uxorem dimittere Marc. X. 4. & *afleitana* uxor a marito dimiſſa, Luc. XVI. 18. Apud NOTKERUM in Verſione Pſalmorum *Gotes kelazze* eſt donum Dei, obſervante SCHILTERO in Gloſſ. Teut. pag. 529. quia ſcil. donaria ſunt voluntariæ dimiſſiones & translationes rerum e noſtra poteſtate in aliam. Hinc Latino-Barbaris *laxare* eſt donare, apud CANGIUM, & *laxa* donum vel legatum, quod imitantur Galli in *legs*.

LASSEN, emittere, *ſeufzer laſſen* ſuſpiria emittere, *ader laſſen*, *blut laſſen* ſanguinem emittere. In Codice Arg. dicitur de voce Marc. XV. 37. *ith Jaſus afira letanda ſtibna mikila uzon*, Jeſus autem emiſſa voce magna expiravit. Et huc etiam ſpectat formula ruſticorum, quando dicunt, *die bienen laſſen*, cujus verus ſenſus eſt, apes novam pullitiem emittunt.

LASSEN, omittere, miſſum facere, *unterlaſſen* intermittere, *ablaſs*, *unterlaſs* omiſſio, ceſſatio, *unabläſſig* indefinenter. Græcis λήγειν eſt deſinere, & ἐπαύειν deſiit, non nulla ſoni & ſenſus cognatione.

LASSEN, recedere, diſcedere, *laſs ab* deſiſte, recede. Verbum intranſitivum a *laſſen* laxare, quia diſcedentes videntur ſe ipſos laxare e loco. Hoc quoque metaphoricum eſt, ductumque a funibus adſtrictis, qui, dum laxantur, videntur longius ire. Inde Latino-Barbaris *laxa te hinc*, recede, apud CANGIUM in Gloſſario. Huc pertinet terminus forenſis *verlaſs* conventio, quam vulgo *receſſum* vocant, per metonymiam conſequentis pro antecedente, quia facta conventione diſceditur. Simile compoſitum eſt *abſchied*, quod confer.

LASSEN, linquere, relinquere, deſerere. Gothi dicunt *afletan*, nos cum Saxonibus, Francis, & Alamannis *verlaſſen*. Cod. Arg. Marc. XIV. 50. *afletandans ina gathlaubun allai*, relinquentes eum fugerunt omnes. Verſio Angloſax. Matth. XIX. 27. *nu we forleton ealle thinge and folgedon the*, omnia reliquimus & te ſecuti ſumus. Gloſſ. Keron. derelinquere *furlazzan*, delinquitur *furlazzan iſt*, deſerentes *furlazzante*. Hic ſenſus oritur ex præcedenti. Nam qui diſcedit, alterum linquit a tergo, & videtur illum deſerere. Hinc idem verbum a diſceſſu ad derelictionem paulatim traductum eſt.

LASSEN, mori, excedere e vita. VEREL. in Ind. *latax* mori, *latinn* mortuus, *lat*, *liſtat* mors. Dicitur de mortuis, ſive quia diſcedentibus, ſive quia laxatis aut dimiſſis ſimiles ſunt. Nam etiam CICERO aliquibi dixit *laxari vinculis corporis* pro mori. Idque etiam ſignificare poteſt *letbum*, ſi non ab oblivione, ſed a *laſſen* mori deducatur. Hodie videtur extinctum, ſed non eſt. Vivit enim adhuc in comp. *verlaſſenſchaft* hæreditas, res mortui, bona ab obitu relicta. Confer *lidolaip*.

LASSEN, ſecundi generis.

LASSEN, cunctare, tardare. TATIANUS Cap.

Cap. II. 10. de Zacharia: *insi uuontorotum thaz er lazzeta in temple*, & mirabantur quod tardaret in templo. Gothi eodem ſenſu dicunt *latjan* Luc. I. 21. Angloſaxones *latan*, apud BENSON. Priſci videntur illud formaſſe, ſive a *laxare*, dicentibus etiam Latinis *laxare tempus* pro prolongare, quo pacto ſpectabit ad tribum præcedentem; ſive, quod malim, a contrario motu, h. e. a *lacio* traho. Ita *tragen* primo eſt trahere, & poſtea tardare, cunctari, h. e. moram in longitudinem trahere, quia tardantes ſimiles ſunt eorum, qui onus trahunt cum diſpendio temporis. Quicquid ſit, hoc certum eſt, quod ab hoc verbo *tardus* & *ferus*, imo etiam *piger* & *ignavus* appellationes ſuas acceperint in multis & antiquiſſimis Dialectis. De tardo & ſero vidimus in *lezts*, de pigro & ignavo in *lafs*.

LASSEN, tertii generis.

LASSEN, locare, mittere in locum, *wo ſol ichs laſſen* ubi locabo, *ich weifs nicht wo ichs laſſen ſol* neſcio ubi reponam. Inde *gelafs* manſio, *grofs gelafs* ampla manſio. Cuncta a Lat. *locare*. Quibus auctoribus, neſcio. Apud Antiquos hactenus non occurrit.

LASSEN, quarti generis.

LASSEN, verbum peculiare, quod ſignificatus ſuos accipit a Suecico *lius* lux. Tria autem ſignificat præcipue, (1.) *oſtendere, manifeſtare, facere ut eluceſcat*, quia lux non ſolum per ſe conſpicua eſt, ſed etiam, ut cætera conſpici poſſint, facit. (2.) *aſſimilari*, h. e. ſpeciem alicujus rei præ ſe ferre, eamque ſimilitudine exprimere. (3.) *fimulare, diſſimulare*, h. e. ſimile per fictionem oſtendere.

LASSEN, oſtendere, manifeſtare, facere ut eluceſcat. VERELIUS in Ind. *liſa, laiſa* manifeſtare, oſtendere, *lat, læti* geſtus. Belgæ inde derivant *gelaat* bonus vel malus aſpectus, *goet gelaat* hilaris aſpectus, *droevig gelaat* triſtis aſpectus. Hodie utimur reciproco. Sic vulgo dicimus de tyrunculo, *er laeſſet ſich wol an* bonam indolem oſtendit, bene ſe gerit.

LASSEN, aſſimilari, ſimile eſſe & videri, *es laſſt* apparet. VEREL. in Ind. *litz* videtur. Verbum impersonale, quod de vera tantum ſimilitudine uſurpatur. Sic vulgo dicimus, *es laſſt ſchön* quando res pulcram ſpeciem præbet, *es laſſt nicht ſchön* quando deformitatem præ ſe fert. Apte & eleganter. Eſt enim in omni geſtu & facto humano, ſive naturali ſive compoſito, vera quædam ſpecies, unde decus & dedecus ejus, cæteræque qualitates, quibus aſſimilatur, perſpicue cognoſci poſſunt.

LASSEN, ſimulare, diſſimulare, ſimile per fictionem oſtendere. Iſlandis *læta*, in Grammatica RUNOLPHI JONÆ Islandi. Dicitur de falſa ſimilitudine tantum, multorum derivatorum in omnibus Dialectis teſtimonio. Nam ex hoc fonte, quamvis dudum deleto, Gothi habent *liutei* dolus Marc. VII. 22. *liuta* hypocrita Luc. VI. 42. Angloſaxones *leas* mendax, falſus, & in compoſitis *pſeudo*, Sorabi *lis* vulpes, Germani *los* doloſus, *liſt* aſtutia, & fortaſſe etiam *leifner* & *gleiſner* hypocrita.

LASSEN, quinti generis.

LASSEN, facere ut aliquid fiat, *laſs ihn kommen* fac ut veniat, *laſs ihn warten* fac ut exſpectet, *laſſet uns gehen* agedum eamus, *laſſet ewer liecht leuchten für den leuten*, facite ut lux veſtra luceat coram hominibus, Matth. V. 16. Belgæ eodem ſenſu dicunt *laat* & *laaten*, quod videtur tranſpoſitum e Gr. τελῶ agere, facere. Qui negant, oſtendant mihi, ſi poſſunt, non ex Logica ferarum, ſed ex arte cogitandi ſapientum, quam cognationem habere poſſit cum reliquis ejusdem ſoni verbis.

LASSI, vel *lazzi*, homines ſervilis conditionis apud Saxones, teſte NITHARDO Lib. 4. *Gens Saxonum omnis in tribus Ordinibus diviſa conſiſtit. Suus enim inter illos* EDELINGI, *ſunt qui* FRILINGI, *ſunt qui* LASSI (quidam legunt LAZZI) *illorum lingua dicuntur. Latina vero Lingua hoc ſunt*, NOBILES, INGENUI, SERVILES. Vox Saxonica non occurrit apud Lexicographos ſervili ſignificatu. JUNIUS, qui *latz* & *litz* Angloſaxonibus tribuit, videtur eas voces non e monumentis Saxonicis, ſed a SPELMANNO, quem citat, accepiſſe. Unde Spelmannus illas hauſerit, non liquet. Interim uterque ducit a Græc. λαφύς bello captus, cum præda abactus: ille in Obſerv. ad Willeram. pag. 242. hic in Gloſſ. Archæol. pag. 370. Quamvis autem fruſtra laboretur in voce, ſi, qualis fuerit, ignoretur: credibile tamen eſt, haud abſimilem fuiſſe Nithardinæ *laſſi*. Nam *laſs und eigen* etiamnum eſt formula trita apud Jureconſultos, & quaſi per manus tradita, qua *ſervus & mancipium* denotatur. Qui Græca recuſant, derivare ſolent a *laſſen* linquere in loco, ſinere ut maneat, quamvis non eodem explicandi modo. STILERO *laſſi* ſunt ſervi domi relicti, cum alii ad bellum proficiſcerentur, in Theſ. L. Germ. pag. 1073. TESCHENMACHERO *laſſi* ſunt manere permiſſi, hoc eſt, primo capti, poſtea miſeratione victoris in agris relicti, cum jure belli vendi aut ſedibus pelli poterant, in Annal. Cliven. Part. I. pag. 74. Mihi videtur vox Saxonica ſtatum vilem in genere, non ſervitutem, nec cauſam ſervitutis, quæ multiplex eſſe poteſt, & multo minus vacationem a militia, exprimere. Nam in Verſione Evangeliorum Angloſaxonica & antiquiſſima *leſſa* ponitur pro *minimo*, Matth. XI. 11. *ſe the leſſa ys, ys on heofena rice him mara*, is qui minimus eſt, in regno cœlorum major eſt illo. Similia extant apud Lexicographos. SOMNER. in Dict. Angloſax. *les* minor, minus, *les-boren* inferiori ortus familia, *leſt* minimus. Hinc *laſſi* ſtylo Saxonico ſunt minimi, & dicitur de ordine ſervili, quia ſervi ſunt homines in Rep. infimi & ultimi. Cum hiſce *Laſſis* tam nomine quam ſtatu convenire *Litos* Francorum,

poſtea oſtendam. Interim nec hi nec illi cum *Lætis* ſunt confundendi.

LASSI, manſi, ſervi prædiales, qui in villa Domini ſub conditione annuæ præſtationis ſunt collocati, *laſsgüter* bona cenſita, prædia ſub tali conditione ſervis elocata. Refer ad *laſſen* locare, mittere in locum. Hoc genus ſervorum valde antiquum eſt in Germania, & nomine Saxonico (auſim dicere) antiquius. Teſtis mihi TACITUS Cap. XXV. de M. G. *Ceteris ſervis* (non alea, ſed aliunde acquiſitis) *non in noſtrum morem deſcriptis per familiam miniſterii utuntur. Suam quisque ſedem, ſuos penates regit. Frumenti modum Dominus, aut pecoris, aut veſtis, ut colono injungit.*

LAST, onus, res ad ferendum impoſita. Angloſax. *lade*, *hlade*, Angl. *load*, Danis prior. *hlod*, Belg. *laſt*. A *laden* gravare, onerare. Græcis λαμὸς eſt moleſtus, onerоſus, non nulla, ut videtur, cum reliquis cognatione. De terminatione ST. cujus ope fiunt ſubſtantiva a verbis, vide PROLEG. Sect. VI. A *laſt* eſt *laſtbar* ſubjugalis, par oneri ferendo, quo utitur Luth. Matth. XXI. 5.

LAST, contumelia. Gloſſ. Pez. prima reprehenſio *dæz meiſta laſt*. Mutuatum a Græcis, quibus λαίσηη, λαίδηη, λαίδηη dedecus, a λαίζω illudo, ſecundum MARTINIUM in Cadmo Græco-Phœnice. Utitur hoc ſenſu Luth. 2. Reg IX. 25. & paſſim in Prophetis.

LASTER, opprobrium, vituperium. Gloſſ. Pez. reprehenſio *laſter*. Gloſſ. Keron. reprehenſibilis *leſtarlibbar*. A Gr. λάδην vel λαδάνειν convitiari, exprobrare, quod eſt a λάδηη turpitudo.

LASTER, vitium, crimen, flagitium. Angloſax. *leahter*, Franc. *laſter*, Suec. & Island. *laſt*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *leahter*, *leahtor*, *leathre* flagitium, ſcelus, probrum, *heofod leahtras* peccata mortalia, *leahter-full* flagitioſus, vitioſus. Gloſſ. Pez. damnabilis *laſterparer*. VEREL in Ind. *laſtafullur* vitiis coopertus, *laſtalaus* ſine vitio, cui nullum ineſt vitium, *laſtvar* a vitiis vel crimine ſibi cavens. Oritur ex eodem fonte, & dicitur de vitiis, quia vitia & flagitia ſunt turpia facta, quæ auctoribus ſuis merito exprobrantur. A *laſter* fit *leſtern* crimen objicere, unde Belgis *laſter* calumnia, quia gravior ſæpe objectorum invidia quam commiſſorum culpa. A Belgico *laſter* rurſus fit *leſtern* calumniari, de quo ſupra.

LASUR, color cæruleus. Cambris *llaſur*. Originem collige ex dictis in *glær* glaucus.

LATSCHEN, greſſum trahere, *latſchig* piger inceſſu. A Francico *laz* tardus & tarde, quod eſt a *laſſen* cunctare. Gloſſ. Pez. tarde *laza*.

LATTE, aſſerculus, olim etiam aſſer. Gloſſ. Ælf. in nom. vaſorum: aſſeres *letta*. Gloſſ. Pez. aſſerum *latono*. Hodie aſſerem & aſſerculum diſtinguimus. Sed nihil obſtat, ut eodem nomine veniant. Uterque enim eſt lignum ſectile, aſſer ex trunco arboris, aſſerculus ex aſſere. Secare autem Francis dicitur *lidon*. Gloſſ. Pez. ſecabis *lidos*. ECCARDUS deducit a *letzen* ſcindere, quod vide. De verbo Francorum vide plura in *lid* membrum.

LATTICH, ſpecies lactucæ. Gloſſ. Pez. lactuca *ladduch*. Anglis *lettice*. An a Lat. *lactuca?* Sit ita. Sed unde *lactuca?* An quia lacteum ſuccum præbet, ut omnia reliqua cichoracea? ſicut SKINNERUS ſcribit. Dubito, quia hoc reſtringendum videtur ad lactucam nigram, quæ ſola antiquis Italiæ nota fuit, & a copia lactis ſoporiferi *lactucæ* nomen adepta, teſte PLINIO Lib. XIX. Cap. 8. Cum ergo non omnes lactucæ lac producant, natura vero omnibus refrigeratrix ſit, & Veneri maxime adverſa, ut PLINIUS ibidem docet, & ex nominibus *aſtylis* & *eunuchion* probat, quorum explicationem dedit DALECHAMPIUS in notis; hinc fortaſſe Germanicam vocem rectius derivabimus a *letten* impedire. Angloſaxonibus lactuca vocatur *leahtric*, quod longius abit a cæteris.

LATZ, apertura veſtis, *boſen-latz* apertura braccarum, *ſchwæbiſcher latz* apertura Suevica. ECCARDO idem eſt, quod fiſſura, a *letzen* ſcindere. Sed & hiatum in veſte denotare poteſt, ſi derivetur a verbo Angloſaxonico *hlidan* hiare, unde Francis *lidun* ſecare, facere ut hiet. *Bruſtlatz* pro pectorali eſt dictio ſyneedochica, qua pars ponitur pro toto, & proprie eſt veſtis aperta circa pectus, cujus uſus antiquiſſimus præcipue apud ſequiorem ſexum, de quo TACITUS cap. XVII. de M. G. *nudæ brachia & lacertos, ſed & proxima pars pectoris patet.*

LATZ, ſinus veſtis. A Lat. *lacinia*, & non a *letzen* ſcindere, quia in ſinu veſtis nulla eſt fiſſura. Burgundiones ſinuoſam veſtis partem etiamnum vocare *lais*, ſcribit WENDELINUS in Gloſſ. Sal. Isque ſignificatus videtur confirmari poſſe ex voce Salica *laiſus*, quæ extat Tit. XLIX. 1. *fiſtucam in laiſum jactet.* Quam omnes quos inſpexi Gloſſatores, SPELMANNUS, CANGIUS, WENDELINUS, LINDENBROGIUS, ECCARDUS, per *ſinum* interpretantur. Proprie autem eſt ſinus veſtis. Et hinc *laiſowerpire* apud MARCULFUM form. 43. in ſinum veſtis conjicere, ſenſu forenſi cedere, donare, dominium transferre, jactu feſtucæ in ſinum alterius. Jactus enim eſt ſymbolum liberæ dimiſſionis, & ſinus dominii, quoniam ea quæ in ſinu tenemus, poſſidere videmur. Hinc apparet, quod Franci eadem ceremonia uſi ſint in donationibus, qua Septentrionales in venditionibus. Confer verba forenſia *adfatimire* & *ſcotare*.

LAUB, folium. Gothis *lauf*, Marc. XI. 13. Angloſax. *lef*, *leaf*, Franc. *loub*, Belg. *loof*, Angl. *leaf*, Sorab. *lopeno*, apud FRENZELIUM in Orig. Sorab. pag. 1040. Convenit Gr. φύλλον & Lat. *folium*, ſi terminatione objecta retro legantur, cujus generis plura obſervat JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 228. An vero hæc anaſtrophe ſit vera origo vocis,

ego

ego quidem dubito. Nam *laub* antiquitus dicitur non ſolum de foliis, ſed etiam de pergulis, & nemoribus, & univerſe de omnibus locis tectis. Quod fieri non poſſet, niſi in notione tegendi convenirent. Refer ergo ad *lauben* tegere. Hæc radix convenit etiam foliis, quæ, etiamſi ſint minimum umbraculorum genus, tegunt tamen flores, fructus, plantas, arbores, & hominibus ipſis atque animantibus umbram præbent. Adde, quod prima tegumenta fuerint ex frondibus. Imo etiam *φύλλα* & *folium* videntur oriri a *fela* tegere. De hoc veteſtiſſimo verbo vide plura in *fell* pellis.

LAUBE, umbraculum, pergula frondibus cooperta. Gloſſ. Pez. umbraculum *loupa*. Ex eodem fonte.

LAUBE, caſa, tugurium, ex frondibus & ramis arborum contextum, alias *hütte*. Gloſſa antiqua apud SCHERZIUM in notis ad Willeramum l. 6. *loubo* hutta. Inde nomen locis innumeris in *leben* vel *löben* deſinentibus, præcipue in agro Halberſtadienſi, quia prima initia a tuguriis & hoſpitiis frondoſis fuerunt. Si quis tamen illa loca potius ab origine ſilveſtri denominare cupiat, per me licebit.

LAUBE, quivis locus tectus, ut ſunt ſolaria, porticus, deambulatoria, cœnacula. Utitur hoc ſenſu Luth. Judic. III. 20. Inde Latino-Barbaris *lobium* ſpatium tectum juxta ædes ad exſpatiandum, quem ſignificatum in CANGIO fruſtra impugnat LYSERUS. Apud SCHILTERUM quoque *laube* eſt locus ubi cives conſultant. Diminutive dicitur etiam de latrinis. Inde *lobelin* cloaca, apud SCHILTERUM in Gloſſario.

LAUBE, ſilva, omnium umbraculorum maximum. CONRADUS II. Imp. in Dipl. an. 1144. *Sizzo Comes de Keverenberc cum conjuge in monte S. Georgii in loco ſcilicet horroris & vaſtæ ſolitudinis, cœnobium conſtruxit, & inter alia cum tota ſilva* LOUBA *ditavit.* Ubi ſilva Thuringica, vel certe ea pars ſilvæ, quæ circa montem S. Gregorii erat, vocatur *louba*, ſicut optime obſervatum POLYCARPO LYSERO in Commentario de *Lachâ Loubæ*, cujus verba non piget adſcribere. Sic autem ſonant pag. 18. *Nomen* SILVA LOUBA *procul dubio habet a fruticum arborumve denſitate, & a Germanico* LAUBE, *quod notat locum ex foliis opacum & a Solis radiis liberum.* Translatio ad ſilvas placuit quoque populis Slavonicis. CHRON. BRAUWEILLER. Tom. I. Script. Brunſ. fol. 320. *Fuit in ſaltu Slavorum, qui ob denſitatem nemoris umbroſam, juxta linguam eorum* LOVIA *dicitur.* Superat appellatio in Comitatu Hennebergenſi, ubi quædam pars ſilvæ Thuringicæ etiamnum vocatur *Suhler-loybe*, a proxima urbe *Suhl*, quod ex obſervatione Cl. JUNCKERI in Geographia medii Ævi hic addo. Huc etiam ſpectare videtur rivulus *Laub-ach*, quem malo ab ipſa qua cingitur ſilva, quam a tugurio, quod forte Rex quidam ibi venatum pergens contra Solis æſtum fieri juſſerat, denominari, etiamſi ſecus videatur FULCUINO apud CANGIUM in voce *Lobia*, ubi *bach* pro *ach* fruſtra obtruditur.

LAUBEN, tegere. Ab initio fuit *gelauben*, a Gr. καλύπτειν tegere, operire, velare, auctoribus Francis. Gloſſ. Schilt. *gelouben* velare. Gloſſ. Pez. lignum nemoroſum *giloupaz*. Poſteritas ab hac primitiva verbi facie videtur formaſſe *lauben*, per aphæreſin, & inde *laub* locus tectus, nemus, & denique folium, ob rationes ſupra memoratas.

LAUBEN, credere, fidem adhibere. BENSONIUS in Vocab. Angloſax. *leafan* credere, *leaf-leas* infidelis, *leaſtice* fideliter. Francos quoque ſimplici *louben* uſos eſſe, patet ex derivato *loiua* fides, quod extat apud WILLERAMUM Merulæ pag. 43. nec non ex compoſito *loub-irron* hæretici, quod ex NOTKERO producit SCHILTERUS in Gloſſario. Proprie eſt manu apprehendere, a *law* manus, & ſimile Attico λαζέω. Dicitur autem allegorice de fiducia, quia manus ab antiquo fidei datæ & acceptæ ſymbolum fuit. Quemadmodum enim ii, qui nobis aliquid ſpondent, porrecta antiquo more dextra, id facere ſolent: ita ſponſoribus vicisſim dextram porrigimus tanquam ſignum, nos dictis eorum fidem habere, & fiduciam in illis collocare. Isque mos apud omnes Gentes ita invaluit, ut a natura videatur inſtitutus. Hinc ſcil. a *law* manus (quod variantibus Dialectis effertur *loh* & *lof*, ob labialium cognationem) duo orta ſunt verba ſororia, *lohen* promittere, & *lauben* credere promiſis, acceptare promiſſa. Utrumque fit porrecta manu.

LAUBEN, veniam dare, concedere, permittere. BENSONIUS in Vocab. Angloſax. *lyfan*, *lyfian* concedere, *leue*, *lyfnyſſe* venia. Gloſſ. Lipſ. *geluui* conſenſu. Ergo Francis quoque *luwen* erat permittere, concedere, unde Gallis *allouer* eodem ſenſu. Mihi perſuaſum eſt, hoc verbum ex eodem fonte oriri, nempe a Celtico *law* manus, & *lyfan* nihil aliud eſſe, quam *manu annuere*, id eſt, ſigno manu dato concedere. Manibus enim nonſolum fidem ſpondemus, & fiduciam teſtamur, ſed etiam veniam damus & accipimus, quamvis tacentes. PLAUTUS in Aſinaria:

Neque illa ulli hominum nutet, nictet, annuat.

Ubi *nutet* eſt capitis, *nictet* oculorum, *annuat* manuum. TACITUS Annal. XI. 6. *Circumſiſtunt Cæſarem ante acta deprecantes. Et poſtquam annuit tacens, incipiunt.* Ubi quidam legunt, & *poſtquam manu annuit.* Quicquid ſit, res notiſſima atque uſitatiſſima eſt apud omnes gentes, manu annuere, & veniam loquendi manu teſtari. Vide Act. XXIV. 10. Hodie utimur compoſitis *erlauben*, *verlauben*, *urlaub* &c.

LAUCH, porrus. Angloſax. *lec*, *leac*, Franc. *louch*, Belg. *look*, Angl. *leek*. Gloſſ. Pez. cepe

louch. Gloſſ. Ælf. in nominibus herbarum: cepe *enne-lec*, allium *gar-leac*, poletis *hwit-leac*, porrus *por-leac*. Referri ſolet ad Gr. λάχανον olus, ſenſu a genere ad ſpeciem translato. Ita MARTINIUS in Lex. Philolog. & JUNIUS in Obſ. ad Willer. pag. 198. Generalem ſenſum evincunt quoque compoſita apud SOMNERUM: *leac-tune* hortus olitorius, *leac-weard* olitor.

LAUDIMIUM, munus honorarium, quod Domino in recognitionem Dominii vel obſequii datur. A *leut* homo ſubjectus. Ita vocem reſolvit LOCCENIUS in Lex. Jur. Sueo-Goth. pag. 181.

LAUDUM, legitimum judicium, a *law* lex, & *dom* judicium, interprete LOCCENIO in loco proxime citato. Sed potius eſt judicium ſimpliciter. Nam *llys* Celtica Lingua deſignat aulam, palatium, forum judiciale, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Unde Latino-Barbaris apud CANGIUM *laudare* judicare, ſententiam proferre, *laudator* arbiter, *laudum*: judicium, arbitrium. Litera S. ſæpe dureſcit in D. & D. vicisſim liqueſcit in S. quod iis, qui linguas inter ſe contendunt, non poteſt eſſe ignotum. Confer PROLEGOMENA.

LAUFFEN, currere. Senſus verbi Francicus, Alamannicus, & hodiernus. Gloſſ. Keron. currite *blauffat*, currendum *ze blauffanne* &c. Gloſſ. Pez. curſor *loupbo.* VEREL. in Ind. *leipa*, *bleipa* currere, *laup*, *blaup* ſaltus, curſus. Idem Belgis *loopen*, Suecis *löpa*. MARTINIUS duxit a *levo*, quia currentes ſæpe pedes levant. Sed vox HESYCHII λαυρθάζω feſtino, originem Latina vetuſtiorem indicat. Forte a ſimili verbo ἐλαφος cervus, & λέπορις lepus, ceu curſores nemorum appellati ſunt.

LAUFFEN, ſalire, ſaltare. Senſus verbi Gothicus & Saxonicus, ſed a præcedenti petitus. Nam ſaltare eſt cum ſaltu currere. Gothi hoc ſenſu dicunt *hlaupan*, Angloſax. *hleapan*, Angli *to leap.*

LAUFFEN, fluere, manare. Dicitur de fluidis, quia currere videntur. Simile eſt Lat. *labi*, quod itidem de aqua uſurpatur.

LAUFFEN, in venerem ruere, *leuffig*, *leuffiſch* catuliens, ſubans, pruriens, *belauffen* facere ut coeant, *ſich belauffen* coire. Ita *rennen* primo eſt currere, poſtea fluere, mox etiam in coitum ferri. Et Latinis *ſalire* nonſolum eſt ſurſum moveri, ſed etiam coeundo aſcendere.

LAUGE, aqua. BENSON. in Voc. Poët. *lago* aqua. Idem in Voc. AS. *lago-flod* diluvium, *lago-ſith* iter per aquam. VEREL. in Ind. *laugr* aqua, liquor, *handlaugur* aqua manibus lavandis prolata. Vocem Celticæ Linguæ propriam eſſe, teſtatur BAXTERUS in Gloſſ. Ant. Brit. pag. 157. *Sæpius jam diximus*, LUG *dici veteribus noſtris Liquorem aquæ.* Latina *lix* & *liquor* cum cæteris conveniunt. Quamvis hæc vox ſit extincta, non tamen decesſit improlis. Nos ab illa habemus *lechen* fluere, manare, Angloſaxones *leccian* rigare, irrigare, Sueci *löga* lavare, & inde *lögerdagh* dies Saturni, quia eo die populi Boreales ſolent lavari, prout vocem explicat STADENIUS in Voc. Bibl. pag. 385.

LAUGE, aqua deſtillans. A *lechen* ſtillare.

LAUGE, lixivium, quia ſenſim deſtillat, quando e cineribus colatur, ſicut optime obſervatum STILERO in Theſ. L. Germ. Angloſax. *leg*, Belg. *loog*, Angl. *lée*, Bohem. *laub*, Dalmat. *lungh.* Latini, qui *lixivium* derivant a *lix*, aqua, liquor, judice SCALIGERO, aquam & lixivium non ſatis diſtinguunt.

LAUGEN, ſignificat quantum poteſt, lixivium percolare, lixivio perfundere, lixivio abluere.

LAUGNEN, latere. Frequentativum a Celtico *llechu* oriundum. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *llechu* latere, delitere, *llech* latebra, latitatio, *lloches* latebra, latibulum. Gothi inde habent compoſitum *galaugnjan* latere, Marc. VII. 24. & *galaugnida* latuit, Luc. VIII. 47. Hodie obſoleſcit.

LAUGNEN, occultare, celare, facere ut lateat. Evang. Goth. Luc. I. 24. *galaugnida ſik* occultabat ſe. Hodie eodem ſenſu dicimus *ſich verlaugnen.*

LAUGNEN, negare, inficiari, ut ſolent celantes, a quibus ſenſus petitus. Gothis *laugnjan*, Marc. XIV. 70. Francis & Alam. *lougnen.* Gloſſ. Pez. denegabant *arlougnaent.* TATIANUS cap. CLXXXVIII. 3. *abur tbo lougnita fuerenti*, tunc iterum negavit jurans. Speculum Suev. habet *laugen* eodem ſenſu, cap. 365. 3. quod cæteris ſimplicius.

LAUNE, motus animi, *bei guter laune ſeyn* bono & hilari animo eſſe. Forte ab ἐλαυνω impelli.

LAUR, *lauer*, vinum ſecundarium. A Lat. *lora*, judice MARTINIO.

LAUREN, inſidiari. Belg. *loren*, Suec. *lura.* Proprie eſt inſidiari auribus, idemque quod *loſen* furtim auſcultare, litera S. ut ſæpe alias in R. mutata. Poſtea ſenſus ab auribus ad oculorum quoque inſidias translatus eſt. Inde *lauren* inſidias ſtruere quocunque modo, auribus & oculis, *laur* ſpeculator, obſervator, coryczus.

LAUREN, limis oculis intueri. Belg. *gluuren*, Lancaſtrenſ. *leare.* Senſus a ſpeculatoribus petitus, qui plerumque oblique reſpiciunt eos, quorum dicta & facta aucupantur. Hinc in quibusdam Dialectis petus, ſtrabo, dicitur *loor-ooge* & *glor-ooge*, quia vitio naturali omnes transverſis oculis adſpicit. Anglis *to lowre* eſt frontem contrahere, ab Angloſax. *bleare*, *bleore* frons, & dicitur de vultuoſis tantum. Sed hæc a loco ſunt aliena, & ſono tantum conveniunt cum reliquis, non ſignificatu.

LAUS, pediculus. Angloſax. Franc. & Alam. *lus*, Belg. *luis*, Angl. *louſe*, Suec. *lws.* Gloſſ. Ælf. pediculus vel ſexpes *lus.* Ductum videtur a *lieſen* perdere, corrumpere, imitatione Græcorum, qui pediculum vocant

φθὶρ

φθείρω a φθόρος perdo, corrumpo, ſive quia eſt animal perniciosum, & luis inſtar ſerpens, ſive quia corrumpit & ex corruptione naſcitur.

LAUSCHEN, latere. Verbum a Celtis proſeminatum, quod Cambris effertur *llechu*, Francis *loſchen*, *loſcan*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *llechu* latere, delitere, *llech* latebra, latitatio, *lloches* latebra. Gloſſ. Pez. delitescendo *loſcento*. NOTKERUS Pſal. XVII. 12. *tougena gedingi ſazta er in herzin gloubigero, dar er loſchet*. Vertit SCHILTERUS, qui primus hunc ſignificatum animadvertit: *Secretas ſpes poſuit in corde credentium, ubi latet*.

LAUSCHEN, inſidiari, præcipue auribus. Senſus verbi hodiernus & ex præcedenti petitus, quia inſidiatores ſolent latere. Differt a *loſen* audire, etiamſi conveniat cum *loſen* furtim audire.

LAUSCHEN, quando de inſidiis oculorum uſurpatur, quod neſcio an fiat, erit a Gall. *louche*, qualis eſt *qui voit de travers*, quod inſidiatori quoque convenit.

LAUSER, primo eſt pediculoſus, poſtea ſordide avarus, quia ſordida vita plerumque pediculis ſcatet. Utitur hoc ſenſu Luth. Sir. XIV. 3.

LAUSTERN, auſcultare, venari auribus. Angloſaxonibus *hlyſtan*, Anglis *liſten*, Belgis frequentative *luyſteren*. Germani videntur hoc verbum a Belgis accepiſſe, Angli a Saxonibus, Saxones ſuum formaſſe ab inſtrumento. Nam auris interpreti Angloſaxonico vocatur *hlyſt* Luc. VII. 1. Cambris *cluſt*. Quibus affine κλύω audio. Inde *hlyſtan* & reliqua, plane ut Latinis *auſculto* ab *auris*, auris, Gothis *hausjan* audire ab *auſo* auris, Cambris *cluſtymwrando* auſcultare a *cluſt* auris. Solent enim verba ſenſuum apud omnes populos ab inſtrumentis peti. Sic ab *aug* oculus fit Græcis ἀυγάζω, Latinis *ecce* cernendi ſignificatu. Plura exempla paſſim producimus.

LAUT, ſonus. Franc. *luta*. NOTKERUS Pſal. XXXIV. 16. *luta dero naſo*, ſonus naris. Verbale a *lauten* ſonare.

LAUT, ſonorus, qui longe audiri poteſt. Angloſax. *hlud*, Franc. & Alam. *hlud*, *hlut*, *lut*, *liut*, Belg. *luid*, Angl. *loud*. ISIDORUS Cap. IV. 2. *gotes ſlimna hluda*, vox Dei tonantis. Græcis κλυτὸς eſt vocalis & auditus, a κλύω audio. Antiquitas inde fecit *hlud*, mutato K. in H. Poſteritas gutturalem abjecit, quamvis ſit cuſtos originis. Ab hoc interim adjectivo omnes ſignificatus ſuos accipit verbum *lauten*.

LAUT, quatenus eſt adverb. ab adject. factum, ſonum intendit. OTFRIDUS Lib. III. Cap. VIII. 49.

Sie tho luto irharetun
Thurub thia ſuerun forahtun.

Tunc alte exclamabant præ grandi timore. Inde compoſita antiqua

hlud-ſtefn, grandiſonus, apud SOMNER. & BENSONIUM.

hlutreiſter, clamoſus, in Gloſſ. Keron. a *rauſt* vox, quod extat in Lex. Runico.

LAUT, adverb. intendendi, quod ſenſum reddit fortiorem in compoſitis. Gloſſ. Pez. fortiter, vehementer *luto*. Inde Francis *lutmar* manifeſtus, i. e. valde notus. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. ult. 61. *giduames lutmari*, faciamus manifeſtum. A *mæren* divulgare. In nominibus propriis *lutmar* effertur CHLODOMIRUS, & tunc *valde celebrem* ſignificat. Ratio interpretationis eſt, quia *mar*, *mær*, *mir*, non ſolum notum, ſed etiam inclytum & fama nobilitatum deſignat. Claruit hoc nomine R. Francorum, Chlodovei filius. Plura compoſita ejusdem indolis vide in *viel* & *weit*.

LAUT, celebris, clarus, illuſtris. Senſus a ſonoro ad celebrem translatus, quia celebris eſt longe auditus, & celebritas vox publica bonorum de virtute recte judicantium, prout optime a CICERONE definitum. Hoc ſenſu Græci dicunt κλυτὸς, Latini *inclytus*. Francos eodem ſenſu uſurpaſſe *hluto*, teſtis HELMOLDUS NIGELLUS Lib. I. de Geſtis Ludovici pii Imp. cujus verba in explicatione nominis *Ludovicus* adduximus. Litera K. cum ſit gutturalis, facile mutatur in cognatas C. H. CH. tandemque in ventos abit, & omittitur. Inde eſt, quod in Nominibus propriis Francorum vetuſtiſſimis promiſcue reperiatur *luto*, *hluto*, *cloto*, *chloto*, quæ, ſi quis vellet vel a Gr. κλυτὸς vel a ſe invicem diſtinguere, imperitum ſuam proderet. Hujusmodi ſunt,

CHLODIO, *Clodio*, *Clodius*, Rex Francorum, cujus nomen, etiamſi ita varie ſcriptum reperiatur apud Auctores, nihil tamen aliud quam *celebrem* & *illuſtrem* denotat. Extat eodem ſenſu *Clytus* inter Duces Trojanos in Catalogo apud SIMSONIUM, cujus nomen Franci videntur imitati, circa originem Trojanam ultro glorioſi. Et huc etiam ſpectat nomen Rom. *Claudius*.

CLOJO, ex *Clodio*, quia D. more Gothico mutatur in *jod*. Ejusdem Regis nomen apud SIDONIUM in Panegyrico Majoriani. Dicitur & CLOGIO, apud Greg. Turonenſ. quia *jod* & G. ſunt literæ congeneres.

LUTO, celebris. Nomen nobilis Franci apud MARCELLINUM, a VALESIO explicatum in notis, Lib. XV. Cap. 6. Inde compoſita

CLODOVEUS, bellator clarus.

LUDOVICUS, eadem notione. Utrumque recurrit in *wig* miles.

HLUDOWALDUS, celebris præfectus. Nomen pueri nobilis apud REMIGIUM in Teſtamento.

CHLODESVINDA, virago celebris. Regis Childeberti ſoror apud Greg. Turon. Confer *Amalaſvinta*.

CHLOTSUINDA, puella clara. Chlotarii R. Franc. filia, & Audoini R. Long. uxor, apud Paul. Diac. Lib. I. cap. 27.

CLOTHILDIS, regina Franciæ, Chlodovei conjux. Id eſt, gratia & fidelitate celebris. Utrumque ſignificat *buld, hyld.*

LAUTE, inſtrumentum fidibus tenſum. Hiſp. *laud*, Ital. *liuto, leuto*, Angl. *lute*, Belg. *luit*, Lat. Barb. *laudo*, Arab. *alaud* cum articulo. Nomen a Mauris in Hiſpania proſeminatum eſſe, ex Arabica voce colligunt SCALIGER & BOCHARTUS. Latini *teſtudinem* vocant, ab animali ejusd. nominis, quia Mercurius primam lyram ex ejus teſta formavit, teſte PAUSANIA in Arcadicis. Quæ res CASANOVÆ occaſionem dedit, ut nomen inſtrumenti ab illis teſtudinibus, quæ PLINIO *lutariæ* vocantur, quod in luto vivant, arceſſeret. Nos, qui lingua utimur totius Europæ vetuſtiſſima, vix ferre poſſumus, ut vox aliunde ducatur, quam a *lauten* canere. Quem verbi ſignificatum cum vir quidam doctus ignoraſſet, *laut* deduxit a *la-ut*, quia omnes voces ab *ut* ad *la* teſtudine exprimi poſſunt. Quam etymologiam in Exemplari *Originum Helvigii*, quo Amplisſimi Senatus Lipſienſis indultu utor, margini adſcriptam deprehendi.

LAUTEN, ſignificatus ſuos accipit ab adj. *laut*, κλυτὸς, ſonorus, vocalis, canorus.

LAUTEN, ſonare, reſonare. Francis *lutan*, Belgis *luiden*, Suecis *liuda*. OTFRIDUS Lib. I. Cap. I. 74. *thaz ſcono thoh gilute*, ut pulcre reſonet. Loquitur de ſono metrico Evangelii ſui in Linguam Francicam traducti. NOTKERUS Pſal. LXXVI. 18. *diu uuolchen lutton*, vocem dederunt nubes. Gloſſa antiqua apud JUNIUM in Obſerv. ad Willer. pag. 36. *miſtlutit* diſcrepat. Id eſt, diſſonat. Dicitur autem latiſſime apud veteres de omni ſono, qui editur, etiam clamore, rumore, mugitu &c. Inde Angloſaxonibus *blydan* clamare, garrire, tumultuari, Francis *lutan* mugire, tonare. Gloſſ. Lipſ. *ludan ſol* tonabit. Gloſſ. Pez. *lutan* mugire.

LAUTEN, canere, ſonum modulari, ſive id fiat ore, ſive inſtrumento. Francis *lutan* & *liuton*, conſentientibus Latinis, quibus *ludere* interdum eſt canere. OTFRIDUS Lib. I. Cap. II. 9.

Thaz ih loh thinaz
Si ludentaz:
Ut laudem tuam
Sim canens.

NOTKERUS Pſal. XLVI. 2. *liutont in frolichero ſtimmo*, pſallite Deo hilari voce. Idem Pſal. XCIV. 3. *Fone diu ſuln uuir imo jubilare, mit aller ſlahto ſtimmo uuunneſangon menniſchin, orginon, ſeiton, ſiſon, cymbon, cloccon, horno &c. Daz heizzet jubilare, daz chit ana uuort liudon.* Locum obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario. Gloſſæ Pez. clangorem *luthnuſi*. Ab hoc verbi ſignificatu derivantur nomina cantuum, ludionum, & inſtrumentorum muſicorum in multis linguis. Inde

Latinis *lituus* buccina.

Islandis *loddari* ludio, hiſtrio, *ludr* tuba, lituus, buccina militaris, *ludursvein* buccinator, *herludr* buccina bellica, apud VEREL. in Indice.

Germanis *laute* teſtudo, inſtrumentum canorum per excellentiam, *lied* cantus, cantilena, quæ vide ſuis locis.

LAUTEN, *leuten*, ſignum dare ſonitu, facere ut ſonet. Francis ut ſupra. NOTKERUS Pſal. XXVIII. 3. *Got hat geludet*, Deus intonuit. Verbum faceſſens a *lauten* ſonare. Simile eſt *reſonare* apud VIRGILIUM Æn. VII. 11. 12.

Dives inacceſſos ubi Solis filia lucos
Aſſiduo reſonat cantu. - - -

Id eſt, reſonare facit. Hodie dicitur de ædituo tantum, qui campanæ pulſu cœtum ad ſacra convocat.

LAUTEN, prædicare, celebrare. Latinis conſono vocabulo *laudare*, Gothis *liudon* in compoſito *awiliudonds* magnificans Deum, quod extat Luc. XVIII. 43. Angloſaxonibus *blyſan*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *blyſan* celebrare, illuſtrare, *blyſa, bliſe* fama, *blyſheer, blys-full* inſignis, illuſtris, famiger, celeber, inclytus, *blis-eadgeſta* opinatiſſimus. Cuncta ab adjectivo *laut* celebris, clarus, illuſtris. Ab hoc verbo antiquiſſimo oritur

Latinis *laus* noto ſignificatu, Græc. κλέος.

Cambris *clod* laus, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Britannico.

Germanis *lied* hymnus, de quo infra.

LAUTER, clarus, lucidus, fulgens, coruſcus. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *lathr*, Angloſaxonibus *bluter, bluttor*, Suecis *lius*. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *llathr* politus, coruſcus, fulgidus. SOMNER. in Dict. AS. *bluter* lucidus, *bluttorlice* lucide. Hic primus vocis latiſſime patentis ſenſus, unde reliqui per translationes orti. Oritur autem, non a Lat. *lotus*, ut HELVIGIO, nec a Gr. λωτέω lotio, ut JUNIO viſum, quia vox Germanica ante lucidum quam mundum lotumque denotavit: Sed a Scandico & hodienum vigente verbo *lyſa* lucere. Senſu tropico eſt *clarus, illuſtris*. Inde nomina propria

CLOTARIS, CHLOTARIUS, LOTHARIUS, HLOTARIUS, LUDERUS, LUTHERUS, LOTHERUS &c.

Id eſt, clarus, illuſtris, quales ſunt ii, qui in luce omnium verſantur, & meritis ſuis ſplendent. Apud Latinos quoque *claros* a lucido & minime obſcuro ad illuſtrem transferri ſolet. WORMIUS nomen LOTHERI, quod familiare Regibus Daniæ, putat eſſe primitivum, niſi quis derivare velit (inquit) a *loth* ſors, & *er* honos, quaſi ſortem honoratam

ratam vocares, Lib. III. Mon. Dan. pag. 195. Quod miror tanto Viro potuiſſe excidere. A *lauter* eſt *erleutern* elucidare, declarare, illuſtrare, *erleuterung* declaratio, elucidatio, notione a lucido manifeſto deſumpta.

LAUTER, quatenus *lucidum* ſignificat, transfertur ad res omnes a ſordibus purgatas, cujusmodi ſunt, purus, mundus, limpidus, merus, defæcatus &c. Gloſſ. Keron. pura *luttras*, puro nomine *bluteremu nemin*, puritas *lutri*. Gloſſ. Pez. mundo *luteremo*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. VIII. 83. *lutaraz uuaſſar* aqua pura. Lib. II. Cap. IX. *lutaran brunnon* limpidum fontem. Lib. III. Cap. XX. 172. *luteron ougon* oculis claris & nulla caligine obductis. A *lauter* eſt *leutern* purgare, purificare. WILLERAMUS in Cant. Cap. II. 4. de Evangelio: *daz uile uuola geluiteres iſt*, quod valde bene purgatum eſt a legalibus fecibus. Inde Angloſaxonibus *hlyttrung* defæcatio, apud BENSON. hodie *leuterung*, Græcis λυτρὸν balneum, Latinis *lotus* lavatus.

LAUTER, a *puro* & *defecato* transfertur ad animum ſimplicem & ſincerum, quia quo magis unaquæque res a partibus alienis purgata eſt, eo magis in ſuo genere una, vera, ſimplex, & a fuco aliena eſt. Gloſſæ Jurianæ in Obſerv. ad Will. pag. 99. ſeq. *lutremo hercin* puro corde, *lutri* ſinceritas, *lutarniſſa* ſinceritas. TATIANUS Cap. XLIV. 11. *uueſet lutire ſoſo tubun*, eſtote ſimplices ſicut columbæ.

LAUTERN, *leutern*, quatenus eſt verbum ab adjectivo factum, ſignificat quantum poteſt. Vide antecedentia.

LAUW, tepidus. Angloſax. *hleow*, *hliw*, Franc. *lauu*, Belg. *lauw*, Suec. *lium*. Gloſſ. Pez. tepidus *lauuer*, tepore *lauui*. Priſci videntur ante oculos habuiſſe Græca χλιαίνω tepefacio, & χλιαρὸς tepidus. Hinc rectius ſcribitur *hlaw*, quia H. eſt cuſtos Græcæ originis.

LAW, manus. Vox Celtica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *llaw* manus, *llawdwn* mancus, *llawgair* juramentum, quaſi ſermo manus, a *gair* verbum, *llawrodd* manupretium, munus, quod manu datur & accipitur, a *rhodd* donum, *llawrudd*, *llofrudd* homicida, a manu rubea & ſanguinea. HESYCHIUS: λάϐαι, χῆρες, *lobæ*, *manus*. In reliquis Dialectis eadem vox volam ſive cavam manum ſignificat. Hoc ſenſu occurrit apud Gothos in Verſione ULPHILÆ, ubi *loſa* eſt volam manus Marc. XIV. 65. & hinc *ſlah-loſa* alapa Joh. XVIII. 22. Quibus concinunt Gothi in Scandia. Nam in Indice VERELII *loſt* exponitur *vola*, & *loſa-tak* ſtipulatio manus, ſtipulata manus. Suecis *loſwen* etiamnum idem ſignificat. Sed *llaw* antiquius & ſimplicius eſt, & ab hoc primitivo Attici habent λαϐεῖν capere, λάϐη cape, quia verba capiendi formari ſolent a manu, Latini *vola* per metatheſin, Cambri *llafurio* manu operari, quod imitantur Latini in *laborare*, Germani *leiben*, *liefern*, *ſchlagen*, *glauben*, *geloben* &c. Vide ſingula in ordine.

LAY, *ley*, fæcularis. Vitiatum ex antiquiori *leig*, quod habent Scriptores Parænetici apud GOLDASTUM pag. 356. Cambris hodie *llyg*, *lleyg*, Belgis *leek*. Quod magis genuinum. Eſt enim a Græco λαϊκὸς vel Lat. *laicus*, & hoc a λαὸς populus, & proprie ſignificat plebejum, quatenus Clerico opponitur.

LÄB, coagulum. V. *lab*.

LEBEN, vita. Goth. *libains* Joh. XIV. 6. Angloſax. *lif* ibidem, Franc. & Alam. *lib*, *lyb*, Angl. *life*, Suec. & Island. *lyf*, *lif*, Belg. *leven*. Gloſſ. Keron. vita *lyb*, vitam *libe*, vitæ æternæ *des euuigen libes*. Gloſſ. Lipſ. *liva* vita, *lives* vitæ, *lif* vitam, *lifuara* cibaria. A *fuar* alimentum. Refer ad verbum ſuum.

LEBEN, vivere. Goth. *liban*, & hinc *ik liba* ego vivo Joh. VI. Angloſax. *libban*, *lyfian*, *lyfigan*, Franc. & Alam. *leben*, Belg. *leven*, Angl. *to live*, Suec. *lyfwa*. Gloſſ. Keron. vivat *lebee*, viventes *lebente*. Non a *lib* vita, quod potius eſt verbale a *leben* vivere; ſed a *leib* vel *laib* reſiduum, quod eſt a *leiben* manere, ſupereſſe, relinqui. Quid enim eſt vivere, niſi ſuperare? VIRGILIUS: *ſuperatne & veſcitur aura?* Ita ſentiunt JUNIUS & ECCARDUS. Contra HELVIGIUS deducit ab Heb. *lebh* cor, quia cor fons vitæ, cui videtur adſtipulari STIERNHIELMIUS. Mihi non liquet.

LEBEN, degere, vivere aliquo loco. Gloſſ. Keron. degentes *lebente*.

LEBEN, converſari, urbane vivere, *zu leben wiſſen* comem & affabilem eſſe in colloquiis & congreſſu, & omnium moribus & ingeniis ſe accommodare. Gloſſ. Keron. converſationis *libes*, converſatione *libe*. Sic etiam Belgis affabilis & converſandi peritus dicitur *beleeft*, opinor a *leven* vivere, quia vivere non eſt actiones vitæ naturalis obire, ſed venuſte & eleganter vivere. Apud Philoſophos autem *vivere* eſt *hominem vivere*, quod cæteris præſtantius.

LEBEN, *leben*, in nominibus locorum ſignificare poteſt manſionem, ſi derivetur a *leben* degere, vel certe idem erit quod *laube*, de cujus amplisſimo ſignificatu actum ſupra prolixe.

LEBER, hepar. Angloſax. *lyfer*, *lifere*, Belg. *lever*, Angl. *liver*, Suec. *lefwer*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *lifere* jecur, hepar, *liferadle* jecoris dolor vel morbus, *lifer-feoca* hepaticus. Sunt, qui connectunt cum præcedenti *leben* vivere, quia hepar opinione veterum eſt principium vitæ, & fons ſanguinis ſecundum GALENUM. Alii tamen, & forte rectius, derivant a *laben* coagulari, quia hepar eſt quaſi libum e ſanguine concretum. Hinc etiam *viſcus* & *gluten* Medicis dicitur. Græcis λόϐιον eſt pars gibba hepatis, aliqua an nulla cum reliquis affinitate, ignoro.

LEBERN, coagulari. V. *lifern*.

LEBKUCHEN, melipecta, placenta ex melle.

melle. Prior compoſiti pars eſt a *labben*, *laſſen*, lambere, de quo ſupra. Poſterior opus piſtorium ſignificat.

LECH, medicus. Vox antiquo-Germanica, quæ Gothis effertur *lek*, *leik* Matth. IX. 12. Angloſax. *lece* ibidem, Francis & Alam. *lachi*, Anglis *leech*, Island. *læknir*, Suec. *lekiare*, Sclav. *likar*, *lekar*. TATIANUS Cap. LVI. 4. *ni habent notsburfti thie heilon laches*, non opus eſt ſanis medico. Cap. LX. 3. *uuas managu tholenti fon managen lachin*, multa fuerat perpeſſa a compluribus medicis. VEREL. in Ind. *læknir* medicus, *lagá-lekir* chirurgus lege adprobatus, *lækars fæ* medicinæ præmium. Commodiſſime duci poteſt a verbo Angloſax. *lacan* offerre, præbere, non quod medentes muneribus inhient, ut quidam cenſent apud JUNIUM, quibus ille opponit originem Græcam ab ἀκέομαι ſano, medeor, ſed ob contumaciam Literæ L. in fronte vocis valde difficilem minuſque opinabilem; ſed quod conſilia medica & ipſa quoque medicamina olim gratis dabantur ægrotantibus experientiæ cauſa, a primis puta inventoribus, qui alienis locupletari malis turpe cenſebant. Verbum cum univerſa familia ſiſtit SOMNERUS in Dict. Angloſax. *lece* medicus, chirurgus, item medicina, medicamentum, medela, *lece-cræft* ars medendi, *lecedome* medicamentum, *lecefcalf* malagma, *lece-finger* digitus medicus, ita dictus, quod olim medici miſcerent eo pharmaca, *lac*, *laac* munus, oblatio (quod extat Matth. V. 23.) *lac-dæde* munificentia, *lacan* offerre. Eadem habet quoque BENSONIUS. HIPPOCRATES ſane nullum ex morbis fructum capiebat, prout ipſe profiteretur in Epiſt. ad Senatum Abderitanum, propudioſum exiſtimans, ſi artis liberalis non ſint opera liberalia. *Qui vero*, ait, *mercedem captant*, *ſcientias ſervire coguntˌ illas ex priori* (i. e. primæva) *libertate quaſi ſervatas reddentes*. Vide omnino totam Epiſtolam. Et quamvis Medicina hodie ſit ars quæſtuoſiſſima, qua fructuoſior nulla, ut PLINIUS ait, fieri tamen poterat, ut a liberalitate primorum in Gente Germanica Curioſorum Naturæ (quæ ante omnes Medicos medicinam ipſa faciebat) & ipſi & remedia morborum nomina *offerentium* & *oblationum* acceperint. Certe apud Latinos, quorum Lingua obſervante PICARDO in *Celtopædia*, inſignem mutationem paſſa eſt, remedia aliquando dicebantur *præbia* a præbendo. Hodie pharmaca vocantur *recepta*, non ab offerentibus, ſed a recipientibus. Interim a *lech* medicus, mederi, curare, ſanare, & ſanitati reſtituere, Gothis dicitur *leikinon* Luc. X. 9. Angloſax. *lacnian*, Suec. *lækia*. Ex eodem fonte promanarunt tam artis ſalutaris quam remediorum vocabula. Gloſſ. Keron. medicamina *lahchida*. VEREL. loc. cit. *lækning* medicina, *lækning-liſt* ars medendi. SOMNER. loc. cit. *lacnung* cura, medela, ſanatio.

LECHEN, fluere, manare. Originem quære in primitivo *lauge* aqua. A *lechen* rurſus fit *lech* aqua fluens, & *lache* confluxus aquæ. VERELIUS in Ind. *lekr* rivus. Hinc apparet, quid ſit in nominibus fluviorum LECH & LICUS apud Vindelicos & Noricos, LECK & LECCA apud Batavos, nempe nihil aliud quam fluentum, quo vel campi vicini irrigantur, vel loca contigua (oppida & vici) alluuntur.

LECHEN, *lechen*, hiare, *zerlechen* dehiſcere. Utroque utitur LUTHERUS: illo Jer. XIV. 4. Edit. Leyd. an. 1637. hoc Eccleſ. XII. 6. A *lechen* rurſus fit *lech*, ſubſtantive hiatus, vel rima, per quam aqua elabitur, adjective hians, rimoſus, & dicitur de doliis, quæ per rimas fluxionem patiuntur. VEREL. in Ind. *lekar* rimæ navium, per quas aqua vel unda in navem illabitur, *lekt*, *lekara* rimoſum, rimoſitas. Similiter & Belgis *lek* eſt rima, *lek worden* dehiſcere, *lekſchip* navis rimoſa &c. Quibus affinia ſunt Græca λαχὶς fiſſura, λαχὶς χθόνου terræ hiatus, λαχίζω rumpo, facio ut hiet.

LECHEN, ſtillare, deſtillare. Belgis *leken* apud KILIANUM. Quod HELVIGIUS præter rationem ducit a *liquando*, cum ſit a *lek* rima. Quid enim eſt ſtillare niſi per rimam effluere? Et nonne a rima eſt parvum illud fuſile quod guttam vocamus? A *lechen* rurſus fit *lauge* aqua deſtillans, quod vide.

LECHZEN, anhelare, cupide appetere. Verbum frequentativ. non a *leken* recalcitrare, nec a *lechen* ſtillare, quod vellet STADENIUS; ſed a *lechen* hiare. Dicitur enim proprie de ſitientibus tantum, & præcipue de canibus venaticis, aliisque animalibus, quibus os hiat præ deſiderio potus. Inde Sorabis *lacny* ſitibundus, apud FRENZELIUM in Orig. Sorab. pag. 688. Poſtea ſenſus a ſite hiante ad omnes cupiditates vehementiores translatus eſt, & dicitur etiam de terra, quia præ nimio æſtu ſæpe finditur, & dum rimas agit, ſitire & pluviam appetere videtur. Sic etiam Latinis *inhiare* eſt cupide appetere.

LECKEN, ſaltare, currere, recalcitrare. V. *leken*.

LECKEN, lambere. Græc. λάκχω, Lat. *lingere*, Goth. *laigwan*, *bilaigwan* Luc. XVI. 21. Angloſax. *liccan*, *liccian* ibidem, Franc. *leckon*. NOTKERUS Pſal. LXXI. 8. *die uzzeroſten Æthyopes petunt in*, *unde ſine fiendaˌ lecchont die erda*, coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent. Idem Belgis *lecken*, *licken*, Anglis *to lick*, Gallis *lecher*. HELVIGIUS cunctorum originem petit ab Heb. *lachak* ejusdem ſignificatus.

LECKER, delicatus, *lecker-biſſlein* cupediæ, *lecker-maul* cupes, os cibi lautioris appetens. Non a *lecken* lambere, ſed a Gr. γλυκερὸς dulcis, abjecto G. unde etiam Latinis fit *ligurire* dulcia appetere, per eandem aphæreſin.

LECKER, ludio, ludibundus. Convicium in

in pueros petulantes, qui ludendo tempus perdunt. Refer ad *laichen* ludere.

LEDER, corium. Vox Celtica, quæ Cambris effertur *lledr*, Armor. *lezr*, Angloſax. *lether*, Francis *ledar*, Hibernis & Anglis *leather*, Belg. *leder*, & per ſyncop. *leer*, Suec. *læder*. Gloſſ. Pez. coriarium *ledargarvum*. Hodie *ledergerber*, præparator corii. Videtur a notione tegendi deſumptum, & proprie denotare pellem, qua cutis tegitur, a verbo obſoleto *hlidan* tegere, operire, quod vide infra in *lid* operculum. Ratio, cur ita ſentiam, hæc eſt, quia antiquitus nonſolum de pellibus brutorum, ſed etiam de tectis uſurpatur. VEREL. in Ind. *hlid*, *lid* porta, *lider* porticus, tectum columnis impoſitum. Hinc tabernacula in Evangelio Gothico vocantur *hleithra* Luc. IX. 33. *gawaurkjaim hleithros thrins*, faciamus tria tabernacula. Alibi vero feſtum tabernaculorum vocatur *hlethraſtakeins*, a figendis tabernaculis, nempe Joh. VII. 2. Quam appellationem JUNIUS a corio deſumptam putat, ſed refragante VERELIO, quia tum nullus corii erat uſus. Neque enim Judæi eo tempore ſub pellibus degebant. Interim a *leder* corium eſt *lidern* corio munire, & *bandelier* balteus coriaceus.

LEDERN, coriaceus. Gloſſ. Pez. pellicea *lidiriunu*.

LED, *led*, vacuitas, locus vacuus, & deſertus. Verbale a *laten* (*laſſen*) linquere, relinquere. Nam quod deſeritur, id vacuum eſt, inane, & deſertum. Inde *lede* ager incultus & ſpinoſus, *ledacker* ager relictus, codetum, apud STILERUM in Theſ. L. G. Similiter apud Lipſienſes vacivitates in agris vulgo vocantur *læden*, *lætep*. Epentheſis inde fecit *lund* eodem ſenſu. Hinc planities inculta Anglis vocatur *laund*. Islandis *linda* in Indice VEREL. Gallis *lande*, Hiſpanis *landa*. Latino-Barbari eodem ſenſu dicunt *landa*, apud CANGIUM in Gloſſario. *Landa*, inquit illuſtris Gloſſator, planities inculta & vepribus obſita; Hiſpanis *llanda*, noſtris *laude*. Vita S. Leonis Archiep. Ratomag. *Iter ſuum carpſerunt usque ad* LANDAS *nobilium*, *quæ terra dicitur infertilis & deſerta*. Poſtea ex *land* per novam corruptelam prodiit *langh* & *langk*: quod omnium vitiatorum noviſſimum. D. & K. ſæpe permutantur.

LEDIG, vacuus, vacuitate affectus, & metaphorice vacans, liber, ſolutus, expers. Belgæ eodem ſenſu dicunt *ledig*, & per ſyncopen *leeg*. Dicitur (1.) de vaſis vacuis. (2.) de ephippio vacuo, vel quaſi vacuo in haſtiludiis. Inde *lediger fall* caſus ex equo. Talis autem cenſebatur, ſi quis alterius haſtam fregiſſet. Hinc multi haſta amiſſa honoris cauſa ex equis deſcendebant (notavit hoc BESOLDI continuator), quia eques inermis habetur pro victo, & ephippium ejus pro vacuo. (3.) de locis vacantibus, & a poſſeſſoris nexu liberis. Inde *ledige ſtelle* ſedes & locus vacans, *ledige heuſer* ædes vacivæ, *ledige gütter* bona vacantia, feudum apertum. Jus Prov. Alam. Cap. CLXXXI. 2. *wirt ez ledik dem herren*, *der nimpt den buuue*, ſi fundus apertus ſit domino feudi, tunc Dominus ſuperficiem ſibi vindicat. Ex interpretatione Cl. SCHERZII. Quidam Jurisconſulti, & in his VREDIUS, huc referunt *Terram Leticam* ex Cod. Theodoſ. Lib. XIII. tit. II. ſed perperam. Nam illa Terra ſic dicitur, non a ſolo cultoribus vacuo, ſed a *Lætis*, h. e. ab hoſpitibus in vacuum ſolum receptis, ut oſtendi in voce. (4.) de perſonis liberis, innuptis, immunibus, & omnibus qui ſui juris ſunt, & ab alieno vinculo ſoluti. (5.) de expertibus & privatione aliqua affectis. Inde *lediger reiter* eques ſine equo, *lediger fall* mors vaſalli abſque liberis defuncti. (6.) de otioſis, quia vacuis & inertibus locis ſimiles ſunt. Inde *lediggænger* deſidioſus, qui tempus ambulando perdit.

LEDIG, uni addictus, uni operam dans, *ledigman* vaſallus unius Domini ſtudioſus, eidemque totus & unice ſerviens contra omnes. Quemadmodum Latinis *Vacans* nonſolum eſt vacuus, iners, expers, ſed etiam ille, qui uni vacat, operam dat, ſtudet: Ita priores Germani, admiratione Latinæ Linguæ capti, exiſtimarunt, ad decus & copiam Germanicæ Linguæ plurimum conferre, ſi in rebus novis nova vocabula fingantur ad modulum Latini ſermonis. Itaque vocem patriam *ledig* vacuus, vacans, imitatione Latinorum, a vacuo & vacante tranſtulerunt ad ſignificandum eum, qui uni ſoli operam ſuam navat. Cum vero regulariter quilibet poſſit plura habere feuda a diverſis dominis, & ſingulis ad ſervitia obligari: eum ſolum appellabant *ledigman*, qui peculiari vinculo uni Domino obſtringitur, eumque contra omnes defendere tenetur. Scriptores infimæ Latinitatis hunc vaſallum primo appellarunt *ledigium*, poſtea *ledgium*, denique *ligium* expulſo D. *Ligius* ergo non eſt a *liga*, nec *ledig* a *ligatus*, ut vulgo ſtatuunt. Nam, ut taceam, hanc nominis rationem nimis generalem eſſe, cum in omni feudo, etiam *non-ligio*, ſupponatur pactum, *do ut milites*: ex dictis manifeſtum eſt, ſpecialem illam obligationem nominibus iſtis melius exprimi, ſi Germanicæ originis ſint, quam ſi Latinæ. Adde, quod pro Germanicis ſemper habita ſint. Charta vetus apud CANGIUM in voce *ledigh-man*: *Et proinde effecti ſumus* LIGIUS HOMO, *quod Teutonice dicitur* LEDIGHMAN, *ejusdem Comitis Gelrienſis contra quoslibet*. Habemus etiamnum adverbium *ledig* unice, penitus, abſolute. Inde formulæ, *ſich ledig auf iemand verlaſſen* fidere alicui unice, *ſich ledig nach ſeinem willen richten* agere ex arbitrio ejus penitus, *ihm ledig anheim ſtellen* judicio ejus permittere abſolute. Sic hodie loquuntur Suevi, dum reliqui Germani dicunt *lediglich*.

LEDIGEN, liberare, *ſich ledigen* ſubducere

ſe. Jus Prov. Alam. Cap. LXXXII. 1. *ſwer lip oder hant oder hute oder hare lediget, daz mit reht vertailet uuirt, der iſt rehtlos.* Vertit Cel. SCHERZIUS: Quicunque cum ad mortem aut manus amputationem aut fuſtigationem eſt condemnatus, judicis ſententia, fuga pœnæ ſe ſubtrahit, ille juris beneficiis eſt privatus. Hodie delectamur compoſitis *erledigen, entledigen.* Cuncta a *ledig* liber.

LEEN, ſcropha ſylveſtris. Corpus Juris venatorii pag. 513. *alte ſau heiſſt ein hauwend ſchwein, zweyjæhrig ſchwein ein baker, ſchweinmutter ein Leen oder Bach.* Factum a maſculino χλόη, aper, per aphæreſin. Galli eandem ſuem vocant *lée*, a *leen*, per apocopen.

LEER, vacuus. V. *ler.*

LEFZE, labium. Gloſſ. Keron. labia *leffa.* Retuli ſupra ad *laffen* lambere, ſed poſtea alium dictionis fontem oſtendi in *lippe.*

LEGEL, *legel*, lagena, λάγυος, dolium portatile, 1. Sam. XVI. 20. Vox e lingua Græca vel Latina in Germanicæ coloniam traduͣta auctoribus Francis. Gloſſ. Pez. laguncͣla *lagella.*

LEGEN, ponere in loco, Lat. *locare, collocare*, Cambris *llebau*, Gothis *lagjan* Matth. XXVII. 6. Angloſax. *lecgan*, Franc. & Alam. *legen, leccen*, Scand. & Island. *leggia*, Belg. *leggen*, Angl. *to lay.* Gloſſ. Keron. ponat *lecce*, reponenda *zekeleckanne.* TATIANUS Cap. CCXIII. 2. de Joſepho, qui corpus Domini in novo monumento poſuit: *inti legita thaz thara*, & poſuit illud ibi. Verbum faceſſens a *ligen* jacere. Quid enim eſt collocare, vel loco aliquo reponere, niſi facere ut jaceat? Hic primus verbi latiſſime patentis ſenſus, quem a Celtis quoque uſurpatum eſſe, ex Cambrica voce paret. Si quis tamen malit, *ligen* & *legen* tanquam verba ſororia ab eadem matrice repetere, per me licebit, quia Celtica lingua *lech* locum & ſedem denotat, unde tam jacendi quam ponendi ſignificatus prodire potuit. In compoſitis dicitur etiam de animo, quia mens, ſive dubitet ſive ſtatuat, videtur aliquid ponere, reponere, opponere, componere, ſupponere &c. Inde *überlegen* verſare animo rem cum re componendo, *widerlegen* refutare contrarium ponendo & ſtatuendo.

LEGEN, *ſich legen*, duobus modis dicitur, proprio & tropico. Ad priorem ſenſum ſpectat, quando dicimus, *der wind hat ſich gelegt* ventus ſe poſuit, i. e. quievit, ceſſavit. Cui dictioni ſimilis eſt illa VIRGILII Æn. VII. 27. *Cum venti poſuere.* Id eſt, ſe poſuere, requievere, ut habent notæ Minellianæ. Græci eodem ſenſu dicunt λήγειν, quod videtur a ſtatu jacentium petitum, ut cætera. Ad poſteriorem ſenſum ſpectat, quando dicimus, *ſich auf künſten und wiſſenſchaften legen* incumbere artibus & literis. Nam qui alicui rei incumbunt, id prono & inclinato corpore faciunt. Et huic corporis ſtatui ſimilis eſt animus eorum, qui ſe literis aliisve ſtudiis excolendis adplicant.

LEGEN, conſtituere, diſponere, ordinare. Hodie utimur compoſito *anlegen*, quod dicitur de novis ædificiis, coloniis, vectigalibus &c. olim vero videtur de aliis quoque rebus uſurpatum. Nam huc commodiſſime referri poteſt *lage* lex, conſtitutio, de cujus antiquitate actum ſupra.

LEGEN, offerre, præbere. Angloſaxonibus *lacan* eſt offerre, & inde *lac* oblatio, Matth. V. 23. 24. Opinor ſenſu a ponentibus petito, quia præbentes aliquid ponunt & apponunt. Hinc *zuſamen legen* etiamnum eſt conferre, conjicere, & dicitur de pecuniis quæ in commune conferuntur. A *legen* eſt *gelag* compotatio & omnis hilaritas convivalis communibus impenſis inſtituta, cujus ſynonymum *collation.* Item *anlegen* impendere. Gloſſ. Pez. impenderet *analagi.*

LEGEN, nubere, velare, *anlegen* induere. Proprie eſt ſuperimponere, & dicitur antiquitus de veſtimentis. Gloſſ. Keron. utentibus (i. e. induentibus) *analeckentem.* Extat in Reg. S. Bened. Cap. 55. ubi Abbas monetur, ut provideat, ne veſtimenta utentibus ſint nimis curta. Inde Francis *analegi* indumentum. NOTKERUS Pſal. XXXIV. 26. *midunga unde erhaſti ſi dero anlegi*, pudor & reverentia ſit eorum indumentum. Luth. *ſie müſſen mit ſchand und ſcham gekleidet werden.* Locum obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario. Hodie utimur ſimplici *laken*, quod vide.

LEGEN, imponere, ponere cum immiſſione. Inde vetus formula *hand anlegen* manus injicere, qua utitur TATIANUS Cap. CLXXXIV. 6. *tho zuogiengun inti legitun iro hant in then heilantana inti habetun inan*, tunc acceſſerunt & injecerunt manus ſuas in Jeſum & tenuerunt eum. Gothis nonſolum manus, ſed etiam verbera & vulnera imponi & immitti dicuntur. Ita legimus de latronibus Luc. X. 30. *jah hanjos analagjandans*, & plagas imponentes.

LEGEN, ſternere, proſternere, facere ut jaceat. Poſtremus & vehementiſſimus ponendi gradus. Apud BENSONIUM *lecgan* nonſolum eſt *jacere*, ſed etiam *pulſare, ſternere, occidere.* Hodie utimur compoſito *erlegen* eodem ſenſu, & *niderlage* pro ſtrage. An huc etiam ſpectet *orlog*, quæſitum in loco.

LEGION, legio. Olim Germani ſuis utebantur vocabulis ad hunc ſenſum exprimendum. Evang. Angloſax. Luc. VIII. 30. *Legio, thaet is on ure getheode, eored*, legio, id eſt in idiomate noſtro *Eored.* SOMNERUS & BENSONIUS habent *eorod*, quod idem. Cum Saxonica voce convenit Cambro-Celtica *aerawd* prælium, pugna, alio quidem ſenſu, ſed cognato. HARUDES inde nomen accepiſſe tanquam *legionarios* vel *prælatores*, alibi dixi. Gothis legio dicitur *harjâ*, forte deminutive ab *her* exercitus.

tus. Franci delectantur compoſito *beriſcaf.* TATIANUS Cap. CLXXXV. 5. *mer thanne zuelif thuſunta engilo beriſcefi*, plus quam XII. legiones angelorum.

LEHN, beneficium. Gloſſ. Pez. beneficia *lehan*. Refer ad *leihen* dare, concedere.

LEHN, feudum. Gloſſæ antiquæ apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 232. feodum *len*, feodalis *lenman*, jus feodi *leen recht*. Gloſſæ Angloſaxonicæ ibidem: *læn* commodum (reſtitue commodatum), *landes læn* precarium. VEREL. in Ind. *len*, *lan* feudum, *lendurmadur* feudatarius vel feudo donatus. Proprie eſt beneficium utenti conceſſum, a *leihen* concedere. Ratio appellationis eſt, quia feuda a prima origine erant beneficia militantibus conceſſa, ut patet ex dictis in voce *Feudum*. Hinc Jureconſulti Feudum ſolent definire per beneficium. CUJACIUS ad Lib. I. Feud. tit. 1. *Feudum eſt jus in prædio alieno, in perpetuum utendi, fruendi, quod pro beneficio Dominus dat ea lege, ut qui accipit, ſibi fidem & militiæ munus aliudve ſervitium exhibeat.* Prædia militibus a Principe conceſſa Scriptoribus Latinis paſſim appellari *Beneficia*, & Librum in quo deſcribuntur *Librum beneficiorum*, probat CANGIUS in voce. An ſatis apte, dubito. Nam Feudum revera eſt ſtipendium, & contractus inter Dominum & ſervum, non beneficium ex mera gratia datum. Quis enim ferrum excipiat pro altero, absque jure accipiendi? Et hactenus *lehn* & *lon* conveniunt. Dici tamen poteſt beneficium, quia conceditur etiam tempore pacis. Quod videtur eſſe benevolentiæ, non debiti. Præcipua genera ſunt,

reit-lehn, feudum militare, beneficium ſub lege militandi conceſſum, a *reiten* militare.

burg-lehn, feudum caſtrenſe, cui ſervitii loco annexum caſtri alicujus defenſio.

hof-lehn, feudum aulicum, cui munus in aula obeundum annexum.

ſchupf-lehn, feudum mobile, quod volente Domino auferri poteſt.

after-lehn, ſubfeudum. Plura Feudorum genera vide apud SCHILTERUM in Gloſſario.

A *lehn* poſteritas fecit *belehnen* conferre beneficium cum ſpe fructus percipiendi, & hinc porro *belehnung* inveſtitura.

LEHN, mutuum, mutuo datum vel acceptum. BENSON. in Voc. AS. *lehan* mutuum. VERELIUS in Ind. *lan* commodatum. Refer ad *leihen* commodare. A *lehn* rurſus fit *lehnen* mutuo dare vel accipere. Inde Angloſaxonibus *hlænan* credere, commodare, mutuo dare, *lænend* fœnerator, noſtris *lehnen* mutuo accipere, quamvis nec alterum ſenſum refugiant. Uterque enim fluit ex natura mutui. Hinc apud Latinos ex *mutuum* fit *mutuare* mutuum dare, & *mutuari* mutuum accipere.

LEHNUNG, conceſſio fundi. Jus prov. Alam. Cap. CLXXXIII. *von lehenunge* de conceſſione fundi alteri facta. Refer ad *leihen* concedere.

LEHNUNG, ſtipendium, æs militare. Ab initio conceſſio fundi militantibus erat pro ſtipendio. Poſtea mores mutati, manente priſtino vocabulo. Angloſaxonibus *leanunge* eſt hoſtimentum, quid pro quo: ſed hoc alterius naturæ eſt, & originem refert ad *lonen* rependere.

LEHNUNG, mutuum ad utendum datum, e. g. equus ad arandum vel iter faciendum. Occurrit eo ſenſu *lehenung* in Jure prov. Alam. Cap. CCXVI. CCXVII. Refer ad *lehnen* commodare.

LEHNWARE, ſpecies laudimii, ſive pecunia quæ ſolvitur Domino pro tutela & conſervatione Feudi. Refer ad *waren* ſervare.

LEHREN, docere. V. *leren*.

LEI, *ley*, terminatio. V. PROLEG. Sect. VI.

LEIB, reſiduum. V. *laib*.

LEIB, vita. Gothis *libains* Joh. XVII. 3. Angloſax. *lif* ibid. Franc. & Alam. *lib*, Suec. & Island. *lif*, *lyf*. Gloſſ. Keron. vita *lyb*, vitam *libe*, vitæ æternæ *des euuigin libes*. Refer ad *leiben* vel *leben* vivere. Hodie ſuperat in multis compoſitis, cujusmodi ſunt,

leibsnahrung, victus, ſuſtentatio vitæ, antiquitus *libnara*. Gloſſ. Boxh. *libnara* ſtipendia. Gloſſ. Pez. alimonia *lipnara*. A *nehren* nutrire.

leibhaft, vivus, vivens. OTFRIDUS Lib. I. Cap. V. 47. 48. 49. *ſcepheri erdun iob himiles int alles liphaftes*, creator terræ & cœli & omnis viventis.

leibzucht, vitalitium viduæ, a *zucht* alimentum.

leibgeding, conventio de ſuſtentatione ad dies vitæ, a *geding* pactum, & per ſynecdochen generis pacta dotalitia.

LEIB, corpus, caro. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXIX. 80. de toga Domini: *thia kriſtes lib biruarti*, quæ Chriſti corpus tangeret. Symbolum vetus Alamannicum apud GOLDASTUM: *ich gelob urſtendt mines libes*, credo reſurrectionem carnis meæ. Vox a Francis relicta & veriſimiliter formata a *leiben*, *leben* vivere, ut primo fuerit corpus vivum, poſtea omne corpus, præſertim cum fieri non poſſit, ut ullum corpus exiſtat, quod vitæ plane expers ſit. STIERNHIELMIUS deduxit a *laben* coagulare, quia corpus ex ſanguine & alia materia coagulatum eſt: ſenſu quidem idoneo, ſed a reliqua vocis cognatione avulſo. Nihil autem obſtat, ut eadem vox de *vita* & *ſubſtantia viva* uſurpetur, cum etiam Italis *la vita* non ſolum vitam, ſed etiam corpus ſignificet. HELVIGIO *leib* alludit ad *glebam*, quæ primi corporis conditi materia. Quod ingenioſum magis quam ſolidum eſt.

LEIB, panis, ſubſtantia qua vita & corpus ſuſtentatur. Poſſit eſſe ex eodem cum antecedentibus fonte. Alias tamen origines

atque una antiquitatem vocis vide in *laib* panis.

LEIBEIGENE, mancipia, homines proprii. Sic dicti a proprietate, non ſua, ſed aliena. Nihil enim proprii habent, ne corpus quidem. Hinc Scriptoribus medii ævi vocantur *homines de corpore*, ob ſervitia corporalia, & quod toto corpore & omnibus bonis alterius ſint, nempe Domini. Confer *eigen leute*.

LEIBEN, manere, ſupereſſe, relinqui. Gr. λείπεσθαι, Isl. *lifa*. VEREL. in Ind. *lifa* reſtare. In reliquis Dialectis ſimplex cognoſcitur ex compoſitis, cujusmodi ſunt,

afiſnan, reſtare, ſupereſſe, in Codice Arg. Luc. IX. 17. *jah uhafan warth thatei afiſnoda im gabruko*, & ſublatum eſt quod ſuperfuit illis fragmentorum.

belaſan, manere, remanere, apud SOMNER. in Dict. A.S.

biliban, eadem notione, quod Francicum & Alamannicum. Gloſſ. Keron. maneat *pilibe*, remaneant *piliben*. Hodie dicimus *bleiben* pro *beleiben*.

LEIBEN, vivere. An quia vivere eſt ſupereſſe, dicente etiam VIRGILIO, *ſuperatne & veſcitur aura?* Hodie quidem dicimus *leben*, ſed in compoſitione *leiben*. Inde *ableiben* mori, decedere e vita. Vide plura in *leben*.

LEIBEN, linquere, facere ut maneat, reſtet, ſuperſit. Græc. λείπω, Angloſax. *leofan*, Franc. *leiban*, Angl. *to leave*. Verbum faceſſens a *leiben* manere, relinqui. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XI. 85. *tho nam er thaz er leibta*, tunc accepit quod reliquerat. Inde Suevis *geleibtes* reſiduum cibi ex heſterno die. Metonymice eſt parcere, quia qui parcit, linquit. Gloſſ. Keron. parcendo *lippanti*. MYLIUS legit *partiendo*. Sed repugnat Regula S. Benedicti Cap. VII. *parcendo nobis in hoc tempore*. Quæ verba ita reddit KERO: *lippanti uns in deſeru citi*. Hinc parcentes aliis verbis dicuntur *ſchonen* & *ſeymlaſſen*, h. e. ſinere & ſinere ut ſit.

LEIBGEDING, conventio de ſuſtentatione ad dies vitæ. Partes compoſiti patent ex antecedentibus. Metonymice dicitur de effectu juris, h. e. de ipſo uſufructu ex bonis tranſigentis, ſive maritus fuerit, necne. Ita me docuit Jus provinciale Alamannicum, in quo *frauuen lipding* dicitur de uſufructu uxoris ex bonis mariti defuncti Cap. XXII. & rurſus *lipding aines mans von ainem gotzhus* de uſufructu viri ex bonis Monaſterii.

LEIBPFENNIG, cenſus de capite, in multis adhuc locis, ubi ruſtici ſunt homines proprii & glebariæ ſervituti addicti, uſitatus, quem, qui olim ſolvebant (ſolvebant autem in argumentum ſervitutis) Scriptoribus medii ævi vocantur *Capite cenſi*. ESTOR Comment. de Miniſt. pag. 207.

LEIBEN, dividere, partiri. Gloſſ. Keron. partiat *libbe*, partiendo *libanto*. SCHILTERUS in Gloſſario Teutonico legit *parcat* & *parcendo*, contra quam ſcripſit GOLDASTUS: Sed GOLDASTUM male hic emendari, ex Regula S. Benedicti evincit Doctiſſ. FRICKIUS in notis cancellatis. Unde Alamanni acceperint hoc verbum, non liquet? Antiquiſſimum eſſe, fide derivatorum patet, qualia ſunt apud Gothos & Angloſaxones *blaif*, *blaf* buccella Joh. XIII. 26. 27. qui ſignificatus cum ſignificatu panis non debet confundi: apud Germanos *lapp* fruſtum. Et huc etiam referri poteſt e Latina Lingua *gleba* pro *leba* (ut *gnatus* pro *natus*) pars vel portio terræ.

LEICH, ſemen, luſus. V. *laich*.

LEICH, ſimilis. Angl. *like*, Suec. *lyk*. Idem Gothis denotaſſe *leiks*, Angloſaxonibus *lic*, Francis & Alamannis *lih*, *libbo*, ex multis compoſitis & derivatis conſtat, quæ, cum ſuis locis afferantur, non opus eſt hic repetere. Græcis ἴσιος & ἀλίγκιος eſt ſimilis, & ἐικελὸν aſſimilare, quæ certe vel ad etymologiam vel ad harmoniam ſpectant, ut viris doctis pridem obſervatum. Hodie cum antiquis utimur compoſito *geleich*, quod contrahimus in *gleich*, unius literæ damno aut lucro: Sed in terminationibus revertimur ad ſimplex *lich*, quod vide in PROLEG. Sect. VI.

LEICH, corpus animatum. Gothis *leik* eſt caro viva Marc. X. 8. & paſſim. Angloſaxonibus *lic* idem ſignificaſſe, ex BEDA aliisque Codicibus probat JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 230. Uſum Francorum & Alamannorum teſtatur ISIDORUS Cap. V. 1. *Gotes ſunu in lihhe chiboran*, Filius Dei in carne natus. Et mox: *in fleiſches lihhem man uuordan*, in corpore carnis homo factus. Hic ſenſus Germanis in deſuetudinem venit. Superat tamen in compoſitis, *leichdorn* clavus, ſpina carnis, *leichmal* cicatrix, nota genitiva. Ad conſenſum Linguarum fortaſſe referri poteſt, quod Arabibus caro *lachma* dicitur. Videamus, qua ſit ab origine natum? Mors ſecundum Philoſophiam Antiquo-Barbaricam nos non conſumit, ſed emittit e corpore. Hinc vocem Gothicam *leik* ducere poſſumus a *lucken* claudere, quia majores noſtri, utpote de immortalitate animæ certo perſuaſi, corpus & carnem ex hypotheſi conſiderare poterant ut clauſtrum vel carcerem animæ, præſertim cum aliis quoque Sapientibus ita viſum fuerit. CICERO in Somn. Scip. *ii vivunt, qui ex corporum vinculis tanquam e carcere evolarunt*. Sed huic etymo, quamvis philoſophice bono, ne nimium fidamus, prohibet vox Belgica *lyf*, qua corpus vivum deſignatur, a *leven* vivere. Quæ ſi fuerit primigenia (& nihil fuiſſe vetat), reliquæ ex illa naſci potuerunt, primo quidem *lich* & *leich*, ob perpetuam literarum F. & CH. permutationem, poſtea *lic* & *leik*. Vide Sectionem III. de permutatione literarum.

LEICH, corpus inanimatum. Omnes ut ſupra. Verſio Gothica Matth. XXVII. 52. *jah managa leika thize ligandane weihaize urriſun*,

ſun, & multa corpora ſanctorum dormientium ſurrexerunt. Verſio Angloſaxonica Marc. VI. 29. de cadavere Johannis Baptiſtæ: *hi comon and hys lic namon, and hyne on byrgene ledon*, venerunt & tulerunt corpus ejus, & poſuerunt illud in ſepulcro. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXXV. 61. de funere Chriſti:

Biuuuntun ſie tho ſcono
Thiaſelbun lih frono
Mit liminemo duache,
Ioh ſorglichemo ruache.
Tunc religabant pulcre
Corpus illud Dominicum
Linteis pannis,
Et anxia cura.

VERELIUS in Ind. *lijk* corpus hominis mortui. Proprie eſt corpus ab anima derelictum, ſive id quod reſtat de homine poſt ſeparationem animæ, a verbo Islandico *lifa* reſtare, relinqui. Unde primo fit *lif* cadaver, & poſtea mutatis literis *lich*, *leich*, *leik*. De verbo *lifa* vide plura in *leiben* relinqui.

LEICHNAM, corpus vivum. Angloſax. *lichama*, Franc. & Alam. *libham*. Verſio Angloſax. Matth. V. 29. 30. *the ys betere, thæt an thinra lima forwurthe, thonne eal thin lichama fare to helle*, expedit tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, quam totum corpus tuum eat in gehennam. Verſio Francica TATIANI Cap. XXXVIII. 1. *jo iſt ferah furira thanne thaz muos, inti furira the libhamo thanne thaz giuuato*, nonne anima plus eſt quam eſca, & corpus plus quam veſtimentum? Vocem hodiernam ex Saxonica vel Francica per epentheſin literæ N. depravatam eſſe, nemo eſt qui non videat. In priori compoſiti parte omnes *corpus* concipiunt: at cum hoc falſum & a mente veterum alienum ſit, hinc in altera compoſiti parte mire laborant, nec tamen eam expediunt. JUNIUS in Gloſſ. Goth. ſcribit, ſe, quomodo veteres ex *lic* fecerint *lichama*, in Annotatis ad Tatianum docuiſſe. Verum cum nobis Germanis non liceat hoc frui theſauro, in Bibliotheca Oxonienſe adhuc ſepulto, lumen verbo obſcuro aliunde petendum eſt. HICKESIUS in Gram. Angloſax. pag. 191. vocem Saxonicam componit ex *lic* corpus, & *ahma* ſpiritus, quod Gothicum. Secundum hanc interpretationem *lichama* erit *corpus ſpiritus*, optimo quidem ſenſu, ſed præpoſtera compoſitione. SOMNERO totum compoſitum ſignificat *corporis tegmen*, ab *hama* tegmen. Sed quo pacto corpus fui ipſius tegmen vocari poſſit, non video. Video autem vocari poſſe *tegmen* & *domicilium vitæ*, a *lif*, *lyf*, *leif* vita, quod hic effertur *lic*, *lih*, *leich* (quia ſcilicet F. in ore vulgi mutari ſolet in CH. ſicut pluribus exemplis oſtendi in *Proleg.* Sect. III.) & *hama*, quod Angloſaxonibus tectum & domicilium ſignificat, ab *heimen* tegere. Neſcio quid dici poſſit elegantius? Quid enim eſt corpus, niſi tectum & domicilium animæ incorporeæ & immortalis, etiam in Theologia Veterum? Conſtat enim ex ODINI mortientis verbis apud SNORRONEM in Hiſt. Reg. Septemtrional. Part. I. Cap. 10. veteres, quamvis a Religione Chriſtiana adhuc alienos, conſtanter tamen credidiſſe, animam poſt mortem corporis ex *Leibheim*, hoc eſt, ex domicilio vitæ transire in *Gottheim*, id eſt, in patriam Deorum. Et hac de animarum immortalitate fiducia Majores noſtros mortem ſpreviſſe in præliis, tanquam animam mox recepturos, pluribus veterum Scriptorum teſtimoniis, inprimis CÆSARIS, DIODORI, MELÆ, LUCANI, probat CLUVERIUS Lib. I. Germ. Ant. cap. 32. Quibus nunc addo VALERIUM MAXIMUM, qui hanc *Cimbrorum* perſuaſionem, *fortem & alacrem Philoſophiam* vocat Lib. II. cap. 6. Merito igitur primi Evangelii in Germania Præcones hanc vocem, quamvis paganam, ob manifeſtam, quæ in illa eſt, immortalitatis animæ profeſſionem, retinuerunt.

LEICHNAM, corpus mortuum. Verſio Angloſax. Matth. XXVII. 52. *and manige halige lichaman the ær ſlepon arryſon*, & multa ſancta corpora, quæ ante dormierant, ſurrexerunt. Similiter TATIANO corpus Chriſti exanime, quod Joſephus ab Arimathia indultu Pilati accepit, acceptumque linteis involvit, dicitur *lichamo* Cap. CCXII. 5. 7. nec Tatiano tantum, ſed etiam OTFRIDO Lib. IV. Cap. XXXV. 17.

Pilatus quad, er datì
So ſo er ſelbo bati,
Hiaz er imo irgeban ſar
Thenſelbon lichamon thar.
Reſpondit Pilatus: faceret
Ut ipſe rogavit.
Juſſitque reddi protinus illi
Hoc ipſum corpus.

Vocem hodiernam ab antiqua per epentheſin literæ N. vitiatam eſſe, jam ſupra monui. Hoc loco ſignificat cadaver, conpniturque a *lich* vita, quod hic rurſus ponitur pro *lif*, ob literarum F. & CH. continuam permutationem, & *ham* exuviæ. VEREL. in Ind. *hamur* exuviæ. Et etiamſi *ham* nusquam eo ſenſu occurreret, poſſet tamen cadaver, quamvis vita deſtitutum, ob memoriam priſtini cum anima conjugii, & reverentiam mortuis debitam, ſummo jure *licham*, h. e. domicilium & hoſpitium vitæ appellari.

LEICHT, levis, non ponderoſus. Angloſax. *leobt*, Franc. *liht*, Belg. *licht*, Angl. *light*, Suec. *lætt*. Gloſſ. Pez. lenis (levis) auræ *lihtes uuintes*, leviſſimus *lihtiſta*. Evang. Angloſax. Matth. XI. 30. *min byrthen ys leobt*, onus meum eſt leve. Ab initio (ut mihi quidem videtur) fuit *lift*, a *levo*, quia per leve omnes intelligunt id, quod facile levatur. Poſtea, mutato F. in CH. (qua mutatione nihil frequentius) pronunciari cœpit *licht*. Ab hoc adjectivo derivatur verbum

bum tam levandi quam allevandi ſignificatu. Illud Belgis dicitur *lichten*, hoc Angloſaxonibus *lihtan*, Suecis *letta*, Germ. *erleichtern*.

LEICHT, facilis, poſſibilis. Suecis *lætt* per ſyncopen. Dictio metaphorica, qua ſenſus a facile portabili ad factu facile transfertur. Priſcas voces vide in *od* facilis.

LEICHT, celer. Suecis & Island. *lett*, *lett*, rurſus per ſyncopen. Inde *lettfœttr* levipes, pedibus celer, apud VEREL. in Ind. Latinis quoque *levis* ſæpe pro *agili* eſt, quia facile movetur, pondere naturali quam minime impeditus.

LEICHT, vanus, inanis, frivolus, mobilis, inſtabilis, vilis &c. ob ſimilitudinem cum levi. Inde *leichtſinnig* vani & inconſtantis animi, *leichtfertig* promptus ad frivola. Apud Latinos quoque *levis* & *levitas* ad mores & animum translata vituperantur.

LEID, primi generis.

LEID, malum afflictionis, dolor, luctus, cruciatus, damnum, noxa, moleſtia, & tota malorum ſentina. BOXHORN. in l. ex Ant. Brit. *alaeth* luctus. NOTKERUS Pſal. VII. 5. *leid umbe lieb tuon*, malum pro bono reddere. Pſal. X. 7. *under ſinero zungun liget leid und arbeit*, ſub lingua ejus latet dolor & labor. Pſal. XXII. 4. *ne furhte ih mir des leides, uuanda du ſamant mir biſt*, non timebo mala, quoniam tu mecum es. Pſ. XXXIV. 26. *ſcameg uuerden dien min leid lieb iſt*, erubeſcant qui lætantur malis meis. Et ſic paſſim. LEIBNITIUS in Gloſſario Celtico vocem Cambricam dérivat a *non-lætus*, Germanicam a *luctus:* JUNIUS Francicam a λιθίαν calculo laborare, in Obſ. ad Willeram. pag. 48. ſenſu a dolore calculi ad omnes cruciatus translato. Sed neutri adeſſe poſſum. Nam *leid* proprie eſt ſenſus læſionis & ipſum malum quod lædit, omnino a *leiden* lædere. Qui verbi ſignificatus, cum hactenus fuerit ignotus, viris illis doctiſſimis errandi anſam dedit. A *leid* rurſus fit *leiden* pati malum, & *leiden* averſari malum. Quæ, cum ex ſe mutuo naſci non potuerint, in aliquo communi parente convenire neceſſe eſt. In quo vero, niſi in *leid* malum?

LEID, adjective malus, dolorificus, ingratus, triſtis, moleſtus, crucians &c. *es ſey ihm lieb oder leid* ſive gratum ſit ei ſive moleſtum. NOTKERUS Pſal. LXXXIX. 15. *uuir pin fro umbe diu jar, an dien uuir leidiu ding ſaben, do leidiu, nu liebiu, uuanda uuir dannan gebezzerote bin*, lætamur annis quibus vidimus res adverſas, olim triſtes, nunc gratas, quia illis emendati ſumus.

LEID, ſecundi generis.

LEID, ſæpe eſt verbale a *leiden* ſecundi generis, & tunc ſignificat quantum poteſt, *tolerantiam, averſionem, execrationem.*

LEID, tolerantia, *leidig* tolerans, tolerantia præditus, *unleidig* intolerans, impatienter ferens, *weichleidig* mollis in ferendo, effœminatus, *leidlich* tolerabilis, tolerantiæ ſimilis, *unleidlich* intolerabilis. Refer ad *leiden* tolerare.

LEID, averſio, *leidig* averſus, averſione præditus, *wehleidig* qui dolorem averſatur, etiam minimum & leviſſimum. Refer ad *leiden* averſari.

LEID, execratio. Gloſſ. Pez. cum execratione *mit leide*. Refer ad *leiden* exſecrari. Atque hinc jam patet, quid proprie ſit *leidig*, quum vulgo dicimus *der leidige teufel, der leidige geiz* &c. nempe abominabilis, deteſtabilis, & vi terminationis *ig* abominatione & execratione plenus. Franci & Alamanni non utuntur hoc compoſito, ſed abominabilem vocant *leidlich* & *leidſam*, quia abominationi ſimilis eſt. Gloſſ. Boxh. *leidlih* execrabilis. Gloſſ. Keron. abominabiles *leidſame*. A *leid* & *leidlich* rurſus fit *leidizen* & *leidlichen* abominari, Dial. Francica. Gloſſ. Boxh. *leidlihen, abahon*, averſor, abominor. TATIANUS Cap. CLXXVIII. 5. *bigenda tho leidizen*, tunc cœpit deteſtari.

LEIDEN, primi generis.

LEIDEN, lædere, offendere, injuria, dolore aut triſtitia afficere. Verbum auctoribus Francis formatum a Lat. *ledere*. NOTKERUS Pſal. L. 6. *daz leidot mih*, hoc me cruciat. Gallos priores dixiſſe *laidoyer* pro injuria afficere, teſtis MENAGIUS in Originibus. Hodie utimur compoſito *beleiden*, ejusque frequentativo *beleidigen*, unde *beleidigung* offenſa. A *leidigen* Galli fecerunt *leidanger*, quod ſiſtit idem MENAGIUS. Vox Latina, unde Germanicæ initium, videtur facta a Gr. ὀλλεῖν nocere, per metatheſin.

LEIDEN, ſecundi generis.

LEIDEN, pati. Francis *lidon* & *liban*, Belg. *lyden*, Suec. *lyda*, Isl. *liota*. VEREL. in Ind. *liota* pati, damnum accipere. WILLERAMUS Cap. II. 14. *gehuge minero uuundon die ih an demo cruce durh dih leit*, memento vulnerum meorum quæ in cruce propter te excepi. Jus prov. Alam. cap. LXXXII. 2. *er muz allez daz liden, daz jener ſolt liden*, is tenetur omnes illas pœnas ſuſtinere, quas alter ſuſtinuiſſet. Prout vertit Cl. SCHERZIUS.

LEIDEN, ferre, tolerare. Rhythmus de S. Annone §. IX. *Ninus leirti ſini man arbeiti lidin*, Ninus docuit milites ſuos tolerare labores. In hoc verbo eſt tropus quem ἀντιπτωσιν vel extenuationem vocant. Nam tolerare eſt æquo animo pati, non pati ſimpliciter. Ergo cum tolerantes dicimus *pati*, tunc minus dicimus quam intelligimus, & verbo humiliori, quam pro re, utimur. Quod etiam faciunt Latini, quibus *pati* ſæpe uſurpatur pro *ferre*, & *patientia* pro tolerantia vel virtute ferendi adverſa, etiamſi proprie ſit perpeſſio. Hic verbi ſenſus cum præcedenti adeo eſt implicatus, ut, quorſum verba auctorum referas, ſæpe neſcias.

LEIDEN, averſari, deteſtari, execrari. Francos idem verbum & eodem ſenſu uſurpaſſe, colligitur ex derivato *leid* execratio. Cum illo

illo manifeſto conſentit Heb. *lat* maledicere, execrari.

LEIDEN, avertere, pertæſum reddere, facere ut averſetur. Verbum faceſſens ex præcedenti. VEREL. in Ind. *leida* tædio afficere, moleſtum & ægre alicui facere ut ab incepto deſiſtat. LUTHERUS utitur compoſito *verleiden* Sir. XXXIII. 2. *ein weiſer leſt ihm Gottes wort nicht verleiden*, ſapiens non patitur ſe alienari a verbo Dei, vel tædio ejus affici. Inde Suevis *verleidet* pertæſus. Ex eodem fonte turpis, fœdus, Islandis dicitur *leidur*, Suecis *leed*, Gallis *laid*, Italis *laido*, quia turpia & fœda tædium movent, non ab *illautus*, ut FERRARIUS exiſtimat, ſed a *leiden* tædio afficere, prout optime obſervatum VERELIO. Belgæ eodem ſenſu dicunt *leelyk* pro *ledelyk*.

LEIDER, proh dolor. Interjectio dolentis. Utitur OTFRIDUS *leidor* eodem ſenſu Lib. II. Cap. VI. 92. interprete cel. SCHERZIO.

LEIDIG, pro vario ortu varia & diverſa ſignificat. Inde

leidig, malus, triſtis, luctificus, *ein leidiger zufall* caſus triſtis. A *leid* malum triſte & luctificum.

leidig, dolens, dolore affectus, *mitleidig* compaſſus, condolens. A *leid* dolor.

leidig, tolerans. A *leid* tolerantia.

leidig, averſus. A *leid* averſio.

leidig, abominabilis. A *leid* execratio.

LEIDLICH, tolerabilis. Vide *leid* tolerantia.

LEIEN, laici. V. *lay*.

LEIER, lyra. V. *leir*.

LEIHEN, dare, concedere. Francis *liben*, Island. *lia*. VEREL. in Ind. *lia* dare, concedere, *lia freſti* temporis prorogationem concedere. OTFRIDUS Lib. I. Cap. X. 35.

Alle daga friſti
Thie er uns iſt libenti.

Vertit SCHILTERUS:

Omnibus dierum ſpatiis,
Quæ ipſe nobis eſt largiens.

Idem Lib. II. Cap. XV. 23.

Leh in lib inti guat,
Ioh harto frauualichaz muat.

Vertit SCHILTERUS:

Largiretur eis vitam & bonum,
Et valde lætum animum.

Hodie utimur compoſito *verleihen* eodem ſenſu, dum ſimplex obſoleſcit. Damus autem primo manu, & poſtea etiam aliis modis. Manus vero Celtica Lingua vocatur *lla* & *llaw*, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Ab illo Islandi habent *lia* dare: ab hoc Gothi *lewjan* præbere, quod hodie effertur *lieferen* frequentative. Aliud dandi verbum a manu formatum vide in *geben* dare. Reliqui verbi *leihen* ſignificatus oriuntur a primo per ſynecdochen generis.

LEIHEN, commodare, uſum concedere, dare ad utendum. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. IX. 19. 20. *uns lihit ein man ſinan ſolari*, nobis commodabit vir quidam ſolarium ſuum. Et mox: *ioh leh thaz gadun garauuaz*, & commodavit cœnaculum præparatum.

LEIHEN, fœnerari, dare mutuum. Evang. Goth. Luc. VI. 34. *leihwand ei andnimaina ſamalaud*, fœnerantur ut recipiant æqualia. TATIANUS Cap. XXXII. 6. *imtlihent thaz ſie ebenlih imtphahen*. Eodem ſenſu. Saxones inferiores dicunt *lyen*.

LEIHEN, in feudum dare. Jus prov. Alam. Cap. CIV. 5. *der künig ſol mit rehte dirr herrſchaft dehain in ſiner geuualt han jar und tag, er ſol ſie hin liben*, Rex non poteſt aliquod territorium in ſua manu ſibi retinere per annum & diem, debet potius illa in feudum dare. Ex Verſione cel. SCHERZII.

LEIHEN, mutuo dare & mutuo accipere. Illud Angloſaxonibus vocatur *hlænan*, hoc Gothis *leihwan* Matth. V. 42. Cum utroque convenit Heb. *lavah* mutuo dedit & mutuo ſumpſit, niſi me fallat HELVIGIUS. Cauſa duplicitatis eſt a radice *lla*, *llaw* manus. Manu enim nonſolum damus, ſed etiam accipimus.

LEILACH, lodix, Dial. Suev. Contractum ex *leinen* & *laken*, ſtratum linteum.

LEIM, lutum, argilla. Gloſſ. Pez. luto *limo*, fictiles *leimina*, argilloſa *leimigiu*. SOMNER. in Dict. AS. *lam* lutum, limus, *lamene* luteus, *lam-wyrhta* figulus. Cuncta a Lat. *limus*.

LEIM, gluten, materia viſcoſa, *leimen* glutinare, *vogel-leim* viſcum quo aves irretiuntur. Gloſſ. Pez. glutine *mit lime*, conglutinatus *gilimit*. Si ſcribamus *hlim* (ut certe ſcribi debet), patebit eſſe a Græc. κόλλημα glutinamentum, vel κόλλωμαι adhæreo. Nam in aliis quoque Dialectis peregrina ejus rei nomina deprehendere licet. Sic a γλία Anglis fit *glue*, & a *gluten* Cambris *glûd* eodem ſenſu. SKINNERUS hunc ſignificatum cum præcedenti confundit in voce *lime*.

LEIN, ſubfixum. V. Proleg. Sect. VI.

LEIN, ſemen lini, linum ſativum. Primitivum reliquorum, quæ ſequuntur, & ſolis Germanis cuſtoditum. Nam *linum* abſolute poſitum, unde filamenta & telæ lineæ fiunt, non eſt res naturalis, ſed manu facta, & immenſo labore ex caulibus herbæ, quæ ex lino ſativo progerminat, humanis uſibus præparata.

LEIN, linum. Græcis λίνον, Franc. & Alam. *lin*. TATIANUS Cap. LXIX. 9. *inti lin riobbenti ni leſ'kit*, & linum fumigans non exſtinguet. Eadem res Islandis dicitur *lin*, teſte VERELIO in Indice, Cambris & Armor. *llin* apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Gallis *du lin*, Italis & Hiſp. *lino*. Hodie *lein* pro *lino* Germanis obſoleſcit, & in ore omnium eſt *flachs*, vox ab Angloſaxonibus relicta.

LEIN,

LEIN, tela ex ſtamine lini confecta. Lat. *linteum*, Cambris & Armor. *lliam*, *lien* apud BOXHORN. Gothis *lein* Marc. XV. 46. Gall. *linge*. Et hoc aut ſimili vocabulo (in quo ſenſus a materia ad formam transfertur) omnes populi ab ultima Thule ad Gades usque utuntur. Germani videntur rem & nomen rei accepiſſe a Morinis, vel aliis Belgiæ populis. PLINIUS Lib. XIX. Cap. I. *Jam quidem & transrhenani hoſtes vela texunt; nec pulchriorem aliam veſtem eorum fœminæ novere.* Ubi *jam* videtur novitatem rei indicare. De fœminis Germanorum idem ſcribit TACITUS Cap. XVII. de M. G. *Nec alius feminis quam viris habitus, niſi quod fœminæ ſæpius lineis amictibus velantur, eosque purpura variant.* Cæterum de linificio Germanorum ea refert PLINIUS, quæ moribus noſtris adhuc congruunt: *in Germania defoſſi atque ſub terra id opus agunt.* Solent enim Suevi textrinam exercere plerumque in ſubterraneis, priſci moris in hunc usque diem tenaces. Germania hodierna univerſæ pene Galliæ, Italiæ, & Hiſpaniæ linteum texit. Pro ſimplici *lein* nunc utimur compoſitis *leinwad*, *leinwand*, pannus linteus.

LEIN, linteamen, velum vel velamen ex linteo. Græcis λίνον eſt velum navis ſive carbaſus, Cambris *llenn* velum, linteamen, interprete BOXHORNIO, Hibernis *lnna* induſium, teſte TOLANDO. Ubique ſenſus a materia, h. e. a linteo ad formam lintei transfertur.

LEINE, funiculus ex ſtupa. Græci & Latini utuntur in piſcatu. Hinc chorda, unde hamus dependet, Græce dicitur λίνον, Latine *linea*. Notum illud Poëtæ: *ſentit tremulos linea piſces.*

LEINEN, ex ſtamine lini confectus, Græc. λίνεος, Lat. *lineus*, Angloſax. *linen*, Franc. & Alam. *linino*. TATIANUS Cap. CCXX. 3. *giſah thiu liminun lachan gilegitun*, vidit pannos linteos poſitos. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXXV. *mit lininemo duache*, panno linteo. Locum integrum vide ſupra in *leuch* corpus inanimatum.

LEINWAD, linteum. Angloſax. *linwede*, apud SOMNERUM & BENSONIUM. Proprie eſt pannus linteus. A *wad* opus textum. A materia ad formam translatum ſignificat utenſilia ex linteo confecta. Inde Angloſaxonibus *linwæda* linteamina.

LEINWAND, ejusdem notionis. A *wand* opus textum, quod eſt a ſimpliciori & antiquiori *wad* per epentheſin.

LEIR, inſtrumentum muſicum fidibus tenſum. Gr. λύρα, Lat. *lyra*, Franc. *lira*, Belg. *lier*, Gall. *lire*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXIII. 395. de cantu cœleſti:

Lira ioh fidula,
Ioh managfaltu ſuegala.
Lyra & fidicula,
Et multiplices ſiſtulæ.

LEIS, orbita, ſulcus rotæ in via, compoſite *wagenleis*. Gloſſ. Boxh. *wakanleiſan* orbitam. Forte a *leiten* ducere, ſive quia hic ſulcus eſt *ductus* a rota currente factus, ſive quia *dux viæ*, nec patitur aurigantes errare. Dicitur & *gleis*.

LEISE, absque ſtrepitu, *leiſe gehen* ire ſuſpenſo gradu, *leiſe reden* muſſare, ſubmiſſa voce loqui. NOTKERUS Pſal. LXXI. 6. *liſo alſo der regen*, leniter ut pluvia. Burggrav von Lünze apud GOLDASTUM in not. ad Script. Paræner. pag. 396.

Wahter wir hohes mutes rich,
Seheſt ieman rügen zu dir gan
So ſprich vil liſe, wer get da?

Proprie eſt ſoni intenſo oppoſiti, adeoque remiſſi, a *laſſen* remittere.

LEISEN, imitari. Verbum Alamannis proprium. Gloſſ. Keron. imitans *leiſanonti*, imitetur *keleiſinit* &c. Proprie eſt ſulcum in via ſequi, a *leis* ſulcus, metaphorice autem exemplari ad imitandum propoſito ſe conformare, ducta ab aurigantibus ſimilitudine, qui non ſolent orbitam deferere. Inde *laiſt* ſimilitudo expreſſa, & per ſynecdochen generis *modulus* qui pedem imitatur, & quem ſutor vicisſim imitatur in formando calceo, item *veſtigium* pedis vel calcei in arena, & fortaſſe etiam *gleiſner* hypocrita. Id enim faciunt hypocritæ, ut facta aliorum imitentur, fingendo ſe illis ſimiles eſſe, etiamſi revera diſſimiles ſint.

LEIST, forma pedis vel calcei. V. *laiſt*.

LEISTE, margo veſtis, inſtita oræ adſuta, ut ſunt funiculi & patagia denticulata. Angloſax. & Angl. *liſt*, Lat. Barb. *liſta*. SOMNER. in Dict. A.S. *liſt* limbus, fimbria. Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi: *Obtulit Benedicto tunicam cum liſta aurea.* Hodie non amplius dicimus *leiſte*, ſed mutato ſibili ſitu *liſte*, Belgæ *liſſe*, Galli *laſſet*, Itali rectius *liſta*. Eſt enim ab Angloſax. *liſt*, quod proprie extremitatem ſive ultimum in re ſignificat, a *laſſen* tardare, ſenſu a tempore extremo ad locum extremum translato, ob manifeſtam utriusque ſimilitudinem. ECCARDI etymologias, ſed minus probabiles, vide in *letzen* ſcindere.

LEISTE, ora ſtriata tabulæ vel ligni ſectilis. Senſus vocis hodiernus, & ex eodem fonte petitus.

LEISTEN, terminum figere negotio. Haud dubie a *leiſte* ora, per metaphoram. Nam tempus præſtitutum eſt oræ ſimile, qua tabula terminatur. Dicitur alias *tagleiſten*, & inde *tagleiſtung* conditio, comitia in tempore præſtituto. Ejusdem ingenii verbum eſt *ramen*, *beramen*, quod vide.

LEISTEN, ſequi. Gothis *laiſtjan* eſt ſequi Marc. VIII. 34. *laiſtei mik* ſequere me Luc. IX. 59. *galaiſtjan* profequi Marc. I. 36. JUNIUS vocem Gothicam ducit a *laiſt* veſtigium, quia ſequi eſt veſtigia alterius legere, quod a STIERNHIELMIO immerito ad vanas argutias refertur. Nam hujus verbi ſynony-

ſynonymum eſt *folgen*, quod itidem a veſtigio deſumptum eſt.

LEISTEN, præſtare, perficere, exequi. Angloſax. *læſtan*, Franc. *leiſten*, Sax. inf. *leeſten*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XII. 18. *thaz ir mir leiſtis huldi*, ut mihi fidem & obſequium præſtetis. WILLERAMUS Cap. VI 1. *er leiſtet als er gehiz*, facit ſicut promiſit. Et hoc ſenſu recurrit in verſu ſequenti aliquoties. Juramentum populi apud NITHARDUM Lib. 3. *oba Karl then eid then er ſinemo bruodher Ludhuwige geſuor gileiſtit*, ſi Carolus ſacramentum quod fratri ſuo Ludovico juravit, ſervat. Harmonia Evang. Cottoniana apud ECCARDUM in not. ad Leg. Sal. pag. 92. *Gi ſculun nimun lon alles thes unrechtes, thes gi othron hier gileſteat*, recipietis retributionem omnis injuriæ, quam aliis hic intuliſtis vel feciſtis. Hoc verbum a ritu projectionis feſtucæ in *leiſum*, h. e. in ſirium alterius, derivat ECCARDUS loco citato, ſic ut *leiſten* proprie ſit *inſinuare*, communiter vero *præſtare*, *exhibere*, *tradere*. An recta & legitima æſtimatione aut derivatione, judicium ſit penes alios. Mihi videtur cognatum cum Gr. τελέσκω perficio.

LEISTEN, ſenſu forenſi ſignificat *obſtagium præſtare*, h. e. ſe ipſum obſidem reddere per voluntariam incarcerationem, donec creditori fuerit ſatisfactum. Inde *leiſtmanung* monitum creditoris de tali præſtatione. De jure obſtagii vide quædam in *einlager*.

LEIT, via, & motus in via. Angloſax. *lade*, Belgis priorib. *lyde*, Island. *leid*. BENSON. in Voc. AS. *lade* migratio, *gelæte* via, *ſcyplade* navigium, proprie iter navale, *liſtade* vitæ ſpatium, proprie iter vitæ. VEREL. in Ind. *leid* via, iter, *huilka led* qua via, quo modo, *allaledir* omni via, omni modo, *leidtogn*, *leidviſi* dux itineris, *ledſund* fretum per quod navibus publicum iter eſt, *ſkepsled* publicum navigantium iter. Videtur proprie denotare locum & actum veniendi, abſciſſumque a Gr. ἐλεύθω venio. Ab hoc ſubſtantivo deſcendunt verba diverſi ſignificatus, *leiten* ducere, & *leiten* diſcedere. Quæ cum ex ſe mutuo naſci non poſſint, neceſſario in aliquo communi parente convenient. In quo vero, niſi in *leit* via? A *leiten* ducere, rurſus fit *leit* ductor & manuductio; & a *leiten* diſcedere, rurſus fit *leit* abitus, diſceſſus.

LEIT, ductor & manuductio. NOTKERUS Pſal. LX. 4. *du biſt min leito, du leitoſt mih*, tu es dux meus, tu ducis me. Locum obſervavit SCHILTERUS in Gloſſario. Diſtichon Runicum in Lit. Run. OL. WORMII: *blindan tarf at leida*, cæcus indiget ductore. VERELIUS in Ind. *leid* manuductio. Hodie dicimus *leiter* & *leitung*. Refer ad *leiten* ducere.

LEIT, abitus, diſceſſus. Belgis prioribus *lyde* apud KILIANUM, & hinc *overlyd* tranſitus, & metaphorice mors, obitus. Hodie ſuperat in *geleit*, quod vide. Cuncta a *leiten* abire, diſcedere.

LEITEN, ducere. Angloſax. *lædan*, Francis & Alam. *leiten*, *leiton*, Belg. *leiden*, Island. *leida*, Suec. *leeda*, Angl. *lead*. Gloſſ. Keron. ducit *leitit*, ducat *leitet*, adducit *zualeitit*, deduxit *keleitta*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. IV. 1.

Gileitit uuard tho Druhtin Chriſt,
Thar ein einoti iſt.

Tunc Chriſtus ductus eſt in deſertum. A *leit* via, quia ducere eſt monſtrare viam eunti.

LEITEN, abire, diſcedere. Gothis *leithan*, *galeithan*, *afleithan* &c. Franc. & Alam. *lidan*, *lidon*, *gelidan*, Belgis prioribus *lyden* apud KILIANUM. Gloſſ. Keron. diſcede *kalid*, diſcedit *kelidet*, diſcedat *kalide*, receſſeras *keliti*, ſi diſcedebat *ibu kelidet*, præterita mala *kelitaniu ubilu*. Evang. Goth. Matth. IX. 7. *galaith in gard ſeinana*, abiit in domum ſuam. Inde Angloſaxonibus *oferlithan* transire, præterire. Rurſus a *leit* via. Nam qui abit, recedit a loco, & movetur in via.

LEITEN, obire, mori, excedere e vita. Belgæ utuntur compoſito *overlyden*. Sed a ſimplici Longobardi habent *lido* mors, obitus, & inde *lidolaip* bona poſt obitum relicta: Islandi *framlidinn* mortuus, quia præterito ſimilis, & fortaſſe etiam *leidi* tumulus, ſepulcrum, locus jacendi mortuorum, apud VEREL. in Ind. De *lidolaip* vide plura in loco.

LEITER, ſcala. Angloſax. *hlædre*, Alaman. *hleitar*, Belg. *ladder*, *ledder*, *leér*, Angl. *ladder*. Gloſſ. Keron. latera (ſcalæ) *hleitarpaum*. An quaſi ductor in altum, a *leiten* ducere? Ita videtur plerisque. Et admitti poſſet, niſi litera H. ab initio vocis Saxonicæ & Alamannicæ aliam originationem requireret. Celtica lingua *lletor* eſt clivus, locus acclivis, unde noſtris fit *klettern*, *kletern* ſcandere, prorſus ut Gallis a *mons* fit *monter*. A *klettern* rurſus fit *kletter*, *kletter* gradus per quos adſcenditur. Sic a *ſteigen* eſt *ſtiege*, quæ cæteris ſynonyma ſunt.

LEK, medicus. V. *lech*.

LEKEN, currere, ſaltare, recalcitrare. Vide *leken*.

LEKEN, fluere, hiare. V. *lechen*.

LENDEN, lumbi & renes. Gloſſ. Ælf. pag. 71. renes vel lumbi *lendenu*. Gloſſ. Keron. renes *lenti*. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. lumbi *lendin*, renes *lendibraton*. VERELIUS in Ind. *lendakladi* pruritus lumborum. Bohemis *ledwi* eſt lumbus, & *ledwiny* renes, obſervante MARTINIO. Idem Germanicam vocem derivat a *lenen* niti, reclinare, recumbere, quia in lumborum extrema reclinamus ſedentes. In Britannicis Dialectis nullum eſt veſtigium literæ D. ſed lumbus Cambris dicitur *llwyn*, Anglis *loyn*, quæ CASAUBONI judicio ſunt contracta ex Gr. λαγών. Unde vero ſit *lend*, nemo facile dixerit, non quod nullas habeat cauſas, ſed quod plures recipere poſſit. Oriri enim

potuit (1.) a Lat. *latus*, per epenthesin, (2.) a *lank* latus, mutato K. in D. (3.) a *linda* cingulum, fascia, baltheus, quo sensu usurpatur a Suecis & Islandis. Similiter vox Hebræa, quæ lumbos denotat, a cingendo (teste MARTINIO) desumpta est: Et Græcis hodiernis lumbus dicitur ζώστη, a ζώσαι cingere. (4.) a *lenen* inniti, ob causas modo memoratas.

LENE, reclinatorium. Gr. κλίνη. Gloss. Pez. reclinatorium *linun*. Refer ad *lenen* inniti.

LENEN, incumbere, recumbere. Actio cubantis vel sedentis. Gr. κλίνω, Lat. *clinare*, Anglosax. *hlionan, hlynian*, Francis *linen*, Alam. *hlinen*, Belgis *leunen*, Angl. *lean*. TATIANUS Cap. CLIX. 2. de discipulo in sinu Domini recumbente: *mit thiu er luneta obur burſi thes heilantes*, cum recubuisset supra pectus Jesu. Proprie est prono corpore incubare genibus curvatis, & hinc appellatio ducta a genu, quod Cambrica & Armorica lingua vocatur *glin*, Hibernica *glun*. Vulgo scribitur *lehnen*, cum potius scribendum sit *hlenen*, quia H. ab initio vocis successit in locum τῦ G. K. C.

LENEN, inniti, reclinare. Actio stantis. Gloss. Pez. innitetur *lineth*. WILLERAMUS Cap. VIII. 5. *leinente ſich uber minen trut*, innixa super dilectum meum. Rursus a genibus, sed firmatis. Nam qui rei alicui innituntur, id faciunt genibus fulti. Consentit Heb. *lin* reclinavit. Inde *gelender* reclinatorium, nec non *lineberga* cancelli reclinatorii, de qua WILLERAMI voce pluribus actum in *bergen* arcere. Hodie libentius utimur compositis *anlenen* & *auſlenen*.

LENEN, reniti, contra niti. Actio resistentis. Inde *lenung* fulcrum, *ablenen, ableinen* declinare, contrario nisu avertere, Græce ἀποκλίνω. Dicitur etiam de contumacibus & rebellibus. Inde *ſich auſtenen* insurgere contra magistratum.

LENEN, eminere. Gloss. R. Mauri citante STADENIO: *forahlinet* præeminet, *forahlinenti* eminens, *uparhlimenti* excellens. Hic sensus, qui nusquam alibi occurrit, videtur desumptus a *hlaine* collis, vocabulo Codici Arg. proprio Luc. III. 5. Nam qui eminent, sunt locis editioribus similes. Cur autem collis dicatur *hlaine*, an a Græc. κολώνη ejusdem significatus, an a *lenen* recumbere, quia supinis aptus ad quiescendum, aliis inquirendum relinquam. Illud JUNIO, hoc STADENIO se probavit.

LENKEN, flectere, vertere, dirigere. Nullo veterum nec recentiorum consensu. HELVIGIUS transponit e Gr. κλίνω flectere, quod in ista vocabulorum multitudine, quæ Græcis debemus, non est adspernandum. Aliis est frequentativ. a *langen* porrigere. Sed quo pacto hic sensus alterius parens esse possit, non intelligo, nec forte intelligunt ipsi. Ducam igitur a *lank* latus. Quid enim est *lenken* nisi in latus flectere? Aut, si mavis, a *lang* plaustrum, ut primo fuerit vertere currum, mox aurigantium instar dirigere quocunque volueris. De significatu plaustri vide dicta in *langen* trahere.

LENZ, ver. Anglosax. *lenctten*, Franc. *lenz*, Belg. *lent*, Helvet. *glenz*. SOMNER. in Dict. AS. *lenctten*, *lengten* ver, *lengtenlic* vernus, *lengten-tide* tempus vernum. NOTKERUS Psal. LXXIII. 17. *ſumer unde lenzen diu bediu tate du*, æstatem & ver tu plasmasti ambo. Qui scientiam etymologicam profitentur, de singulis aliquid proferunt, quod hic breviter recensebo, quia de meo non habeo quod promam. SKINNERUS vocem *Saxonicam* ducit ab Anglica *length* longitudo, quia ver est tempus, quo dies ex brevissimis longiores fiunt: HELVIGIUS *Germanicam* a Lat. *lenitas*, quia tunc pulsa hyeme aër mitescit: MARTINIUS *Helveticam* a *glænzen* nitere, quia tunc formosissimus annus: VREDIUS *Belgicam* a *lenten* solvere, laxare, quia hiems adstricta solvitur adventu veris. Unde Flandris sit hoc verbi, collige ex dictis in *lan* aqua. Græcis λαπίζειν videtur simile quid denotasse. Vide MARTINIUM in *Cadmo*.

LERCH, alauda. Angl. *lark*, Suec. *lerkia*. Vox contracta ex antiquiori *laferc*. Gloss. Ælf. in nom. avium: alauda *lauerce*. SOMNER. in Dict. AS. *laferc, lawerc*, alauda. Belgæ alaudam etiamnum vocant *leeuwerk*, & contracte *lerk*. Videtur autem a cantu sic dicta. Nam prima nominis antiqui syllaba nos ducit ad *vocem*, quæ Celtica lingua dicitur *llef*, & hodie superat apud Cambros. Altera ad verbum Islandicum *orka* posse, valere, quod sistit VEREL. in Ind. Sic ut alauda vi nominis sit avis *cantu pollens*.

LEREN, docere. SOMNER. in Dict. Anglosax. *lerau* docere, instruere, erudire, hortari, *lere* doctrina, institutio, instructio, hortatus, *lær-wita* doctor, *gelered* doctus, *ungelered* indoctus, illiteratus, imperitus. Gloss. Pez. instruere *leran*. Gloss. Boxh. dogma *lera*. Gloss. Keron. docere *leerran*, docebo *leru*, docuerit *lerit*, erudiantur *ſin kelerit*, docemur *pirumes kelerit*, docti *kileerte*, instructi *kileerte*, doctorum *lerarum*, doctrina *leru, lera*. Belgæ & Sueci consentiunt in plerisque. HELVIGIUS existimat, hoc verbum arreptum esse a Gr. λαρεῖν nugari, ineptire, translatumque a rudi Germanorum vulgo ad docentes, quod illis viderentur magno conatu magnas nugas agere, vel ut Latini dicunt *ludere*, unde illis pari contemptu *ludus* officina literaria, locus tempus inaniter fallentium. MARTINIUS derivat modo a Lat. *legere*, modo componit ex λαὸς & ἰρεῦν, h. e. videnda dicere. Scilicet, hæc illis ignorantia veteris Linguæ in calamum dictavit. Vera & antiquissima verbi forma, qua *Codex Argenteus* ubique, & nos etiamnum in Academiis utimur, est *leſen*, ut demonstravi in loco. Hoc vulgus mutavit in *leren*, canina pro sibilo substituta, qua mutatione nihil frequentius nec magis obvium in omnibus Dialectis.

LEREN, discere. Belg. *leeren*, Suec. *læra*.

Verbum

Verbum deſiderativum a *lere* doctrina. Nam diſcere eſt velle doceri. Hodie non utimur niſi in compoſitis, cujusmodi ſunt, *lerling* diſcipulus, *lerjahre* anni diſciplinæ, *lerbrief* teſtimonium tyrocinii: Quæ vulgo male & invito ſignificatu referuntur ad *leren* docere. Nam ſi ab hoc verbo deſcenderent, non diſcipulum & reliqua, ſed doctorem & annos atque literas docentis ſignificarent, quod eſt contra conſuetudinem loquendi.

LERM, tumultus, conclamatio ad arma, *lermen machen* vocare ad arma, *blinder lerm* tumultus fictus. Noviſſime factum a Gallico *alarme*, & hoc ab Italico *gridare all' arme* vocare ad arma. Antiquius vocabulum vide in *haro* clamor.

LERNEN, diſcere. Angloſax. *leornan*, *leornian*, Franc. *lernan*, Alam. *lirnan*, Angl. *to learn*. Gloſſ. Keron. diſcentes *lirnente*, didicerunt *lirneton*, didicimus *lirnetomes*. TATIANUS Cap. LXVII. 9. *lernet ſon mir thaz ih mandauuari bin*, diſcite a me quia mitis ſum. Proprie eſt frequentativum a *leren* diſcere, quo Belgæ & Sueci etiamnum utuntur, & nos in multis compoſitis, ut ſupra oſtenſum.

LERNEN, docere, facere ut diſcat. Verbum faceſſens ex præcedenti. Hinc ſcil. doctrina, inſtitutio Angloſaxonibus vocatur *leornefſe*, & in compoſitis *leorning*, cujusmodi eſt *leorningcnibt* diſcipulus, ſervus doctrinæ. Doctrina autem non a diſcendo, ſed a docendo ſic appellatur. Docti non amplius utuntur hoc verbo: ſed indocti non patiuntur illud ſibi eripi. Et hujus tenacitatis ſat bonas habent cauſas, & multorum populorum eodem loquendi genere utentium exempla. Nam etiam Belgis, Suecis & Gallis, *leren* & *apprendre* utrumque ſignificat, *diſcere* & *docere*.

LESCHEN, extinguere. Francis *leſkan*, Belg. *leſchen*, Suecis *ſlækia*. TATIANUS Cap. LXIX. 9. *lin riobbenti ni leſkit*, linum fumigans non extinguet. JUNIUS in Obſ. ad Willer. pag. 137. & noviſſime REIZIUS, Francicam & Belgicam vocem derivant a Gr. λήγειν, quod interpretantur *ceſſare facere*. Mallem (ſi Græca origine opus ſit) inde derivare Suecicam *ſlækia*, & ab illa reliquas per metatheſin. Nam ſibilus vocibus externis præfigi ſolet ſæpiſſime.

LESEN, loqui. VEREL. in Ind. *leſa* dicere, loqui. Hic primus verbi ſignificatus, ab ipſa *voce* deſumptus, quæ Celtica & hodie Cambrica Lingua dicitur *llais*, teſte BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Vel certe a Gr. λέξις dictio, oratio.

LESEN, legere ex libro, vel recitare. Gloſſ. Keron. legere *leſan*, legat *leſe*, legamus *leſames*, legantur *ſint kaleſan*. Senſus a dicendo ad legendum translatus, quia legere eſt dicere. Verbum Gothicum vide in *ſingen*, Saxonicum in *reden*.

LESEN, docere. Dictio metonymica, qua antecedens ponitur pro conſequente, legere pro docere, quia prælectionem proxime excipit inſtitutio & interpretatio. Hanc vocem, qua etiamnum in Scholis publicis utimur, debemus Gothis, quibus *lauſjan* eſt docere Marc. IV. 1. & paſſim, *laiſari* magiſter Matth. VIII. 19. & alia ſummo ſtudio e Codice Arg. collecta a JUNIO & STIERNHIELMIO.

LESEN, ſparſa legere, colligere, congregare. Goth. *liſan*, Franc. & Alam. *leſen*. Evang. Goth. Matth. VI. 26. de volatilibus cœli: *nih liſand in banſtins*, non congregant in horrea. TATIANUS Cap. XLI. 3. *ja ſie ni leſent ſon thornun uuinberu*, nunquid colligunt de ſpinis uvas? Vulgo ducunt a λέγειν vel *legere*, ſed quo pacto G. mutetur in S. non docent. Et aliquid ſine cauſa factum eſſe, non placet. A ſimplici ſunt *auſleſen* eligere, *auserleſen* electus, & alia, quæ nullam habent difficultatem.

LETT, limus. Island. *ledia*, Lat. *lutum*. Vox Celtica, quæ proprie ſignificat terram aqua ſolutam, ſive cœnum ſit, ſive limus, a *löſen* ſolvere. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *llaid* lutum, cœnum, limus. Convenit Gr. λυτὸν ſolubile, liquabile. Ratio, cur cœnum & lutum eodem vocabulo involvantur, forte eſt, quia in terris lutoſis lutum pro cœno eſt.

LETTEN, impedire, obſtare. Gothis *latjan* Luc. I. 21. Angloſax. *letan*, *alættan*, Belg. *letten*, *beletten*, Angl. *to let*. Verbum faceſſens a *laſſen* cunctare. Nam qui impedit vel obſtat, facit ut cunctetur. Inde Belgis *letzel* impedimentum, & Anglis *lett* impeditus. Hodie videtur ſuperare in *latich* lactuca, cujus natura tam frigida, ut inter maxima Veneris impedimenta habeatur.

LETZ, inverſus. Vetus Francicum, quod hodie cuſtodiunt Suevi. Dicitur de latere rei inverſo, e. g. veſtis, vel alterius rei, cujus pars extrinſeca eſt, quæ debebat eſſe intrinſeca. Haud dubie ab λίσσω verto. Allegorice ſignificat perverſum. Inde Francis *lezzi* perverſi, & *lezzi diſes libes* perverſitas hujus vitæ, apud SCHILTERUM in Gloſſ. Teut. pag. 536.

LETZE, ſeparatio. V. *letzen* ſeparare.

LETZEN, ſcindere, ſecare. Non occurrit eo ſenſu neque in antiquis neque in recentioribus Dialectis. Et nihilominus multos habet priſci uſus teſtes. Nam & fuiſſe, & rurſus cecidiſſe (cadunt enim vocabula ſi volet uſus, ut ſapienter HORATIUS), videntur evincere non nulla tam veterum quam recentiorum derivata, qualia ſunt judice ECCARDO, qui primus hoc verbum ab oblivione vindicavit, ſequentia,

Laiſa, *laiſu*, *leſu*, Latino - Barbaris ſinus, proprie ſciſſio vel fiſſura, quæ ad ſinum in induſio vel veſte exrat. Lex Sal. Tit. XLIX. 1. & *ſic feſtucam in* LAISAM *jactet*. Hoc eſt, in ſinum veſtis.

Laiſowerpire, Latino - Barbaris feſtucam in ſinum alterius jactare. A *werpen* jacere.

Lais, Burgundiones adhuc sinuosam vestis partem vocare, WENDELINUS observat.

Latz, *brustlatz*, tegumentum pectorale, proprie fissura, quæ ad pectus in vestimento est.

Litze, segmentum corii, & deinde communiter lorulum, laqueolus, quo olim vestes exornatæ, Gallis *las*, *lasset*.

Lasche, segmentum calceo aut cuivis alii rei assutum.

Lath, Cambro-Britannis virga, pertica tres pedes longa.

Latte, asserculus, paxillus, asser dissectus.

Leda, *lathe*, Anglosaxonibus portio Comitatus. Lege *lad* & *lerb*. Nam *leth* apud BENSONIUM est tertia pars provinciæ, *lad-man* dux, & *lad-seipe* ducatus.

Letzen, lædere, pro quo jam usitatius est *verletzen*.

Letzen sich mit einem, cum aliquo separari, sejungi, ultimum vale dicere.

Ledere & *lacerare*, cum cæteris videntur cognata.

Leſten, scindere. Pro *letzen*. Et inde

Laſt, portio certa suo genere separata.

Leſtum, *laſtum*, Latino-Barbaris portio Comitatus major, tres vel plures Hundredas continens, interprete SPELMANNO.

Leiſte, lignum ad certos usus dissectum, modulus.

Leſtern, calumniari, lingua discindere, frequentativum a *leſten*.

Leſterer, laniones, discissores carnium.

Schleiſſen, scindere, findere, secare. Pro *letzen*. *Federn ſchleiſſen* pennas disrumpere. Et hinc etiam

Slitz, fissura, apertura vestis ad sinum ducens, & deinde ipse sinus.

Hoſen-ſlitz, fissura in braccis.

Cuncta e penu Celeberrimi Commentatoris Salici in not. ad L. Sal. pag. 91. Quæ, quo usque nobis probentur, in singulis indicavimus. Interim *lezzen*, si unquam fuit in usu apud Francos, ut certe fuisse credibile est, non videtur primitivum, sed potius frequentativum verbi *lidon* secare, dividere, separare, quod sæpe occurrit in *Glossis Pezianis*, ut ostendi infra in *lid* membrum.

LETZEN, violare, damnum inferre quocunque modo. Utitur Luth. Esa. XI. 9. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XXIII. 494. de beatis in Cœlo: *niſt thar thaz inan gilezze*, non est ibi quod illis noceat. Fragmentum Poematis Germ. Sec. XIII. scriptum apud ECCARDUM in not. ad L. Sal. pag. 91.

Ir ſprachet nie zu keiner zeit
Dat wiſis ere letzin moge.

Factum a Lat. *ledere*, auctoribus Francis, e quorum officina multa similia prodierunt, quæ passim annotamus. Aliam conjecturam vide in *letzen* scindere. Hodie utimur composito *verletzen*.

LETZEN, separare, separationem facere, *ſich letzen* separari. Idem Græcis λυίζειν & λαίζειν. Utitur Auctor Hymni: *Wolauf du ſüſſes ſeitenſpiel*, §. 6.

Letze, *ſetze die verwandten*
Und bekanten aus den ſinnen.

Id est, separa & sepone ex oculis cognatos & familiares tuos. Inde *letze* separatio, præcipue amicorum, & metonymice quicquid cum separatione conjunctum esse solet, valedictio, & epulum valedictorium. Utimur eo sensu in permultis formulis, cujusmodi sunt, *zu guter letze* bonæ separationis causa, *die letze geben* cœnam valedictoriam dare, *letz-trünklein* haustus valedictorius, quia separatio amicorum plerumque fit inter pocula, *letzrede* sermo valedictorius. Nescio an alia origine opus sit præter eam, quam Græcæ Linguæ consensus sponte offert. Dedit tamen aliam, & figuratam, ECCARDUS in verbo *letzen* scindere, quod vide.

LETZT, ultimus, postremus. Anglosaxonibus *lateſt*, *latoſt*, apud SOMNERUM, Francis *lezziſt*, *lazzoſt*, Franco-Saxonibus *letiſt*, Belgis *leſt*, Angl. *laſt*, Suevis *lezſt*, Græcis λοίσθος. Proprie significat novissimum in tempore, hoc est, tardissimum, serissimum. Gloss. Pez. tandem *za lazzoſt*. Gloss. Lipsi *letiſton* novissima. Estque superlativus a positivo tardus, serus, extremus in tempore, qualis Anglosaxonibus dicitur *let*, *late*, Francis *laz*, Angl. *late*, unde Belgis *laat* sero. Hinc *tardi corde* interpreti Anglosaxonico vocantur *late on heortan*, Luc. XXIV. 25. & TATIANO Franco *lazze in herzen*, Cap. CCXXVII. 1. Cuncta a verbo communi *laſſen*, tardare, cunctare, morari, quod vide supra in loco. Postea sensus ab ultimo in tempore ad postremum in ordine translatus est, omnium Dialectorum consensu. Hic superlativus a Suevis rectius scribitur & pronunciatur, quam a reliquis Germanis.

LETZTE, finis, extremitas, pars postrema temporis, ordinis, aut loci, *auf die letzte* in fine. Subst. ab adj. factum.

LETZTERE, posteriores, tam temporis quam ordinis ratione. Comparativus a superlativo *letzt*. Quod nemini debet mirum videri. Nam Latini quoque habent superlativos, qui comparativos & superlativos progenerant. Sic a superlativo *proximus*, formatur comparativus *proximior*, a *poſtremus poſtremiſſimus*, a *minimus miniműſimus*, quæ vide apud BORRICHIUM in Dissert. de Causis diverſ. Ling. pag. 307.

LEUCHTEN, significatus suos accipit a *liecht* lux.

LEUCHTEN, lucere, lucem emittere. Goth. *liuhtjan* Matth. V. 16. Anglosax. *lyhtan* & composite *onlyhtan*, ibidem. Francis *liuhtan*. TATIANUS Cap. XXV. 3. *liuhte juuar lioht fora mannon*, luceat lux vestra coram hominibus. Inde *durchleuchten* translucere, *durchleuchtig* translucidus, & allegorice perillustris, quasi splendore generis radians.

radians, cujus oppoſitum eſt obſcuro loco natus, ignobilis.

LEUCHTEN, lucem adminiſtrare, *leuchte* laterna, lucis adminiſtra, *leuchter* candelabrum, *vorleuchten* prælucere, *beleuchten* irradiare, *erleuchten* illuſtrare, h. e. luce objecta clarum & conſpicuum reddere, *erlauchte* illuſtris, in luce hominum poſitus, honoribus & dignitate tanquam radiis auctus, cujus oppoſitum ignotus, & a fortuna in tenebris relictus. OTFRIDUS Lib. II. Cap. II. 25.

Thaz lioht iſt filu uuar thing,
Irliuhtit theſan uuoroli ring.
Lux eſt res valde vera,
Illuminat hunc mundi orbem.

Inde Francis frequentativum *inliuhtigen* illuminare, quo utitur interpres TATIANI, Cap. IV. 18.

LEUCHTEN, coruſcare, fulgurare, *das wetter leucht* aer fulgurat. Gothis *laubatjan* eſt coruſcare Luc. XVII. 24. Cambris *lluched* fulgur, manifeſto Celticæ linguæ cum veteri Germanica conſenſu.

LEUDE, *leudis*, *leudum*, compoſitio hominis occiſi. Vox Latino-Barbara, in Lege Salica, Longobardorum, Friſionum, Angliorum, paſſim obvia. Teſtimonia vide apud LINDENBROGIUM in Gloſſario in *Leudem ſolvere*. Hærent hic eruditi, imo tacent, etiamſi in mulcta & capitis æſtimatione omnes conveniant. GROTIUS in Indice: *leudum*, *leudis*, compoſitio, proprie quæ pro homine *leude* datur. Perperam. Nam *leude* proprie eſt homicidium, & occurrit eo ſenſu in Lege Sal. Tit. LVI. in verbis: *fredus de ipſo* LEUDI *ſolvatur*. Hoc eſt, mulcta de ipſo homicidio ſolvatur. Sic autem dicitur a verbo Celtico *lad* interficere. Familia vocis ſuperat apud Cambro-Britannos, quam hic oculis ſubjiciam e Lexico Antiquo-Britannico BOXHORNII; *lladd* interficere, necare, mactare, *lleidr* fur, latro, *lleiddiad* homicida, *lleas* lethum, cædes, *llaith* lethum, cædes, nex, mors. Itaque *leude* pro cæde vel homicidio eſt vox a Celtis relicta, non Francis ſolum, ſed etiam Angloſaxonibus, quibus *let* homicidium, probante HICKESIO in Gram. Angloſax. Inde *leodgeld* in Legibus R. Æthelbirhti §. 7. non eſt mulcta ordinaria, ut Lexicographi exponunt, ſed mulcta ordinaria homicidii, & ad homicidium recte reſtringitur a cel. WILKINSIO in notis ad hanc legem. Poſtea vox Saxonica truncari cœpit, & *leude* ſimpliciter poni pro compoſitione homicidii, ſenſu a delicto ad pœnam delicti translato. Qua translatione apud Legislatores nihil frequentius, ut plane imperitum eſſe oporteat, qui hoc negare auſit. Sic *murdrum*, quod proprie eſt homicidium, in Legibus HENRICI I. Angliæ R. ponitur pro pecunia quæ ſolet dari pro murdro, teſte CANGIO in voce. Plura delictorum nomina mulctis communicata paſſim annotamus.

LEUDESAMIUM, vox Latino-Barbara in Formulis MARCULFI cap. 39. cujus inſcriptio: *Ut* LEUDESAMIA *promittantur Regi*. Hoc eſt, ut novo Principi *leudeſamia* a populo convocato jurentur. Cum difficile ſit pronunciare de voce quæ ſemel tantum occurrit, malo de illa aliorum quam meam ſententiam depromere. GROTIO eſt *congregatio ſubditorum*, in Explic. Voc. Goth. Vand. & Longob. pag. 582. Quorſum reſpexerit vir ſummus liquet. Nam *leudes* ſunt omnis generis ſubditi, & a *ſam* ſimul, una, pariter, fit Latino-Barbaris *ſamium* congregatio. LINDENBROGIUS in Gloſſario accipit pro munere aut ſervitio, quod *leudis* domino debet, ut *litimonium* quod *litus*. Secundum hanc etymologiam *ſamium* eſt mera terminatio. SPELMANNUS dividit vocem, & *leude* interpretatur fidem, *ſamium* tributum, quia Angloſaxonibus *ſeam* onus, ſarcina. BIGNONIUS in notis ad Marculfum contrahit vocem ex *leudis ſacramentum*. ECCARDUS corrigit vocem, & legit *leudeſametum*, idque compoſitum arbitratur ex *ſam* una, & *ed* juramentum, ut ſit juramentum omnium commune, in Cat. Theot. pag. 110. Veroſimilius eſt, vocem ex ultimo Septemtrione petitam eſſe, & proprie *auxilium militare* denotare. Nam in Ind. VEREL. ita lego: *lid* auxilium militare, *lidzhoen* petitio vel rogatio auxilii exercitus, *lidfæda* paucitas militum, *lidæmenn* auxiliarii, *lidſemd* auxilium. Ab hoc poſtremo ortum eſſe *leudeſamium*, fidem faciunt antecedentia. Terminatio *ſamium* auxilio militari juncta non eſt inutilis, ſed notat auxilium militare decens, a *ſæma* decere. Lege integram MARCULFI formulam, & intelliges, Regem id unice flagitare, ut auxilia militaria ſibi promittantur & jurentur a pagenſibus. De vocula *lid* vide plura in *leute* milites.

LEUFTEN, ſignificatus ſuos accipit a *lauffen* currere. Significat autem (1.) pedes ferre, (2.) tempora, quia currere, fugere, & celeriter moveri videntur. (3.) herbam quandam erraticam & in via naſcentem, quam Latini *ambugiam* & *intubum erraticum* vocant, nos *hindleuften*, a Cambrica voce *hynt* via, vel Græca ὁδὸς, quod trans viam currere videatur. Aliud ejusdem herbæ nomen vide in *wegwart*.

LEUGNEN. Vide *Laugnen*.

LEUMUND, fama, celebritas. Dicitur etiam *leumut* & *leumde*, teſte STILERO in Theſ. L. Germ. Vox Francica. Gloſſ. Pez. exiſtimatio *liumunt*, præconium *liumunt*. Gloſſ. Boxh. *liumunt* favor. TATIANUS Cap. XVII. 8. *inti liumunt uzgieng thurah alle thie lanſcaf fon imo*, & fama exiit per univerſam regionem de illo. WILLERAMUS Merulæ pag. 73. *tharnah werthen ſie liumbeſtig godero wercho, ande ir ther liumunt alſo ſuoze ſamo odor nardi*, tunc celebres fiunt bonis operibus, & fama æque dulcis eſt ac odor nardi. Nomen habet a

ſono & auditu: a ſono quidem vocem edentium, ab auditu vero vocem editam auribus haurientium & percipientium. Utrumque convenit famæ & celebritati: Prius, quia fama eſt (definiente CICERONE) bonorum de virtute recte judicantium vox non ficta: Poſterius, quia fama fingitur aurita, & audire bene, infamia vero male. Latini certe de homine, qui ſermonibus vulgi diſcerpitur, dicere ſolent, quod male audiat, quia auditus pro fama eſt. Similiter & Græci eum, cujus fama paſſim auditur, a κλύω audio vocant κλυτὸν, hoc eſt, inclytum & auditum. Reſtat, ut radicem, quæ hæc omnia ſignificet, oſtendam. Illam videor mihi reperiſſe in verbo obſoleto *leumen*, quod in Dialectis antiquis duo ſignificat, *ſonare* & *audire*, unde poſtea exiſtit *leum* ſonus & auditus, & ab illo per varias terminationes *leumde*, *leumut*, *leumund* fama. Videamus primo de ſono. BENSONIUS in Voc. Angloſax. *hlem* ſonus, *hlynn* ſonus, *hlynnan* ſonare. M. & N. ſæpe permutantur. VERELIUS in Ind. *hliumur* ſonus, *hlium* ſonus, *hlomma* ſonare. STIERNHIELMIUS in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 90. *lomma*, *hliomma*, *hliumma* Suecis eſt ſonare, proprie obſcure, *hlion*, *hlium* ſonus obſcurior, qualis auditur in campanis durans poſt ictum. Alterum ſignificatum cognoſcimus ex CODICE ARGENTEO, in quo aures vocantur *hliumans*, quaſi audientes, haud dubie a *hliuman* audire, etiamſi verbum ipſum in Monumento tam exiguo & tot lacunis ſcatente, fruſtra requiratur. Marc. VII. 35. *jah ſunſaiw uſluknodedun imma hliumans*, & ſtatim ꝑpertæ ſunt aures ejus. Luc. VII. 1. *bi the than uſfullida alla tho waurda ſeina in hliumans manageins, galaith in Kafarnaum*, cum autem impleſſet omnia verba ſua in aures plebis, intravit Capernaum. JUNIUS in Additamentis ad Gloſſarium Gothicum exiſtimat, vocabulum Ulfilanum videri magis de auditu quam de auribus accipiendum, quod aures interpreti noſtro ſæpe dicantur *auſono*. Quaſi non eadem res diverſis inſigniri nominibus poſſit & ſoleat? Verum ſive de auribus (ut hactenus bene), ſive de auditu accipias, res eodem recidit, & noſtra omnino nihil refert, utrum aures in voce agnoſcas, an pro auribus auditum ſubſtituas, modo *hliuman* ſit audire. Suecis certe *lomma* aliquando eſt audire, ſaltim in compoſito *lombærd* ſurdaſter, graviter audiens, qui Germanis vulgo *barthörig*. Cæterum, ne quis duplici vocis ſenſu offendatur, oſtendendum eſt (quoniam excuſatius dicuntur quæ exemplis conſtant) nullam in dicto inſolentiam eſſe. Græcis κλυτὸς utrumque denotat, vocalem & auditum. Iisdem Pluto dicitur κλύμενος, quod omnes ad ſe advocet, & ab omnibus audiatur. Utrumque enim ſignificare poteſt, obſervante SCAPULA in Lexico. Omitto nunc vinculum naturale, quod eſt inter ſonum & auditum. Quid enim eſt auditus, niſi ipſa vox ab auribus hauſta & percepta? Et audire quid eſt, niſi in ſonum transformari? Jam enim ARISTOTELES dixit, mentem percipiendo omnia fieri, & ſpeciem cogniti eſſe formam cognoſcentis. Optime igitur & ſapienter a majoribus noſtris inſtitutum arbitror (neque enim tanta naturæ arcana caſu comprehendi poterant) ut idem verbum ambobus ſenſibus ſerviret. De terminationibus *und*, *ut*, *de*, vide PROLEGOMINA Sect. VI. Atque his puto me omnia abſolviſſe, quibus antiqua & optimæ notæ vox a pravis eruditorum interpretationibus vindicari, & priſtinæ gloriæ reſtitui poterat. JUNIUS, quem jam ſæpe laudavimus, vocem compoſitam putat ex *liut* homines, & *mund* os, adducto pro elegantia compoſiti PERSII verſu,

An erit qui velle recuſet
Os populi meruiſſe?

Id eſt, famam, laudem, & gloriam. Quod tolerari poteſt, quia celebres verſantur utique in *ore hominum*, eorumque fama volitat *per ora virum*, ut Poëta canit, etiamſi fama non ſit os populi niſi metonymice. PALTHENIUS, qui in Animadverſionibus ad Tatianum pag. 339. ſententiam Junianam prolixe confutandam ſibi ſumpſit, longe deteriorem amplectitur, dum mendacii & famæ vocabula ad commune principium *liu*, gratuito aſſumptum, refert, ea tamen modeſtia, ut conjecturam ſuam pro eo ac viſum fuerit, aut confirmandam aut confutandam peritioribus relinquat.

LEUT, homo. Apud Lithuanos & veteres Pruſſos homo vocatur *ludis*, quod videtur origine Gothicum. Gothis enim, iisque ſolis, *juggalaud* eſt adoleſcens, & vi compoſiti *junii homo*. Cod. Arg. Luc. VII. 14. *juggalaud, du thus quitha, uzreis*, adoleſcens, tibi dico, ſurge. Marc. XIV. 51. *ſums juggalauths laiſtida afar imma*, quidam adoleſcens ſequebatur eum. Proprie autem *laud* eſt unus ex populo, & ſingularis a plurali *leute* homines, plebs, vulgus.

LEUTE, homines obnoxii & fideles, vaſalli, clientes, ſive militent, ſive non. Militabant autem plerumque, & arma pro Dominis portabant. Scriptores rerum Francicarum *leudes*, *leudes*, & *leodes* vocant. GREGORIUS Turonenſis Lib. III. cap. 23. de Theodeberto Rege: *a* LEODIBUS *ſuis defenſatus eſt, & in regno ſtabilitus.* Id eſt, a Vaſallis & nexu feudali conjunctis, quos ſequens ætas *Barones* appellavit. Nam Lex Burgundica Additamento primo Tit. I. Cap. XIV. 2. *leudes* diſerte a vulgo eximit, quod appoſite obſervat SPELMANNUS in voce. Cum enim de omnibus caverit Burgundionibus in genere, particulariter adjicit: LEUDES *vero ſi hoc præſumpſerit facere*, tripliciter componat. Plura teſtimonia ex Legibus & Hiſtoria Regum Francorum deprompta, dabunt Gloſſographi. Videntur autem ſic dicti, non a militando ut legionarii,

narii, etiamſi hoc etymon ab officio eorum non alienum ſit; ſed potius ab obſequendo, quaſi fideles & ſponte obſequentes. Vetus verbum Scandicum eſt *lyda* obedire, quo etiamnum utuntur Sueci. VEREL. in Ind. *lyda* obſequi, *all-lydin* morem gerens, obſequens, *vahlydin* ægre auſcultans, male obſequens. Hinc *leudes & fideles* in monumentis veterum ſæpe conjunguntur. Hodie vocem cuſtodiunt Galli, qui *leudes* in nobiles & ignobiles dividunt. Ita me docuit SPELMANNUS, cujus hæc ſunt verba: „*Leudes* apud Gallos liberi ſunt aut ſerviles, „vernacule *leudes franc & leudes ſerfs*. Hi „rei ruſticæ adſcripti, tributa pendunt & „opera ſervilia. Illi ad militiam deſignati „Nobiles habentur & immunes a tributis.

LEUTE, plebs, populus, homines, vel cœtus hominum. Senſus omnibus nationibus Celticis communis. BOXHORNIUS in Lex. Ant. Brit. *lliwed* gens, natio, turba. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *leode* gens, populus, *leod-geard* patria, *leod-hata* tyrannus, populi oſor vel populo exoſus. VERELIUS in Ind. *lydur* plebs, *allaude* populus, plebs, communitas. Similia habent Franci & Alamanni. Gloſſ. Keron. populi *liuteo*. ORFRIDUS Lib. I. Cap. IV. 141.

Uze ſtuant ther liut thar,
Uuas ſie filu uuuntar.
Foris ſtabat populus
Valde mirabundus.

Græcis λαὸς populus, & hinc λεῖτον publicum, & λειτουργέω publicum opus facio, quæ malo ad harmoniam quam etymologiam referre. PEISKERUS vocem Germanicam a lapidibus, qui Græcis λᾶοι, ingenioſe deducit, quod genus humanum poſt diluvium e Saxis a Deucalione & Pyrrha poſt tergum jactis renatum feratur a Poëtis. Sed alia etymologia præter eam, quæ ab obſequio & ſubjectione deſumitur, opus non eſt, multo minus tam dura & fabuloſa. Refer ergo ad verbum Scandicum *lyda* obſequi, obedire. Olim fuit ſingularis numeri, hodie eſt pluralis tantum.

LEUTE, milites, legionarii, miniſteriales ad expeditionem lecti. Francis *liuti*. Patet ex compoſito *liutſtal* ſtationes, quod habent Gloſſæ antiquæ apud JUNIUM in Obſerv. ad Will. pag. 34. & 61. quodque ibidem exponitur per *heriuuahta*. Angloſaxonibus *bloth* eſt turma, *bloth-bote* compenſatio damni turba dati, apud SOMNER. & BENSONIUM. Similia habent Septemtrionales. Teſtis INDEX VERELII, ubi ſequentia: *lid* milites, item auxilium militare, *lidfæda* paucitas militum, *lidmanlegur* miles cui robur & animus, *lidvans* militibus carens, & alia magno numero e Scriptoribus Sagarum decerpta. Si originem ſpectes, vox pure Celtica eſt, derivaturque a verbo antiquo-Britannico & apud Cambros hodienum ſuperſtite *lluydda* militare, bellum gerere, unde iisdem miles *lluydŵr* & *lluyddiad* dicitur, teſte BOXHORNIO in Lex. Ant. Brit. Ex eodem fonte interpretationem capit vox difficilis & nemini hactenus intellecta

ALAUDA,

quam Gallicam eſſe, & *legionem* denotare, omnes qui ejus meminerunt, teſtantur. PLINIUS videtur exiſtimaſſe, Gallos ab avicula ejus nominis vocem formaſſe, quod galerita eſſet, Lib. II. cap. 37. *Galerita appellata quondam, poſtea Gallico vocabulo etiam Legioni nomen dederat* ALAUDÆ. Sed locus in mendo jacet, & ſenſus tanto Scriptore indignus eſt. BOCHARTUS vocem Gallicam more ſuo ex Orientalium fontibus hauſit, quod Syris *alafda* millenarium notet, & Hebræis *alluph* chiliarchum, in Orig. Gall. pag. 20. Verum cum vox Gallica non numerum, ſed ſtatum & ſocietatem belligerantium ſignificet, rectius e fonte Celtico quam aliunde deducitur.

LEUTEREN, purificare, *erleuteren* declarare. Illud dicitur de rebus immundis, quæ detractis ſordibus puritati reſtituuntur, & præcipue de metallis, quæ per ignem defecantur, a *lauter* purus: Hoc de propoſitionibus obſcuris, quæ diſcuſſa caligine elucidantur, a *lauter* lucidus. Quæ vide ſuis locis.

LEUTERIEREN, leuterare, ſenſu forenſi idem quod *erleuteren* declarare. Dicitur primo de eo, qui correctionem ſententiæ petit propter gravamina quæ declarat. Hinc *leuterant* proprie eſt declarator gravaminum, *leuterung* ſcheda qua gravamina declarantur & deducuntur, & *leuterat* pars adverſa quæ ad deductionem illam reſpondere tenetur. Dicitur ſecundo de Judice qui ſententiam mutat, quia talis mutatio plerumque fit per mitigationem & declarationem prioris ſententiæ.

LEW, leo, λέων. Vox Celtica. Cambris *llew*, Angloſaxonibus *leo*, Franc. *louuuo*, Sorab. *lew*. NOTKERUS Pſal. LXII. 11. *louuuo ſone Judon chunne*, leo de tribu Judæ. Cum *lewa* Armoricis ſit devorare, teſte PEZRONIO in Celticis pag. 397. & *hlewan* Angloſaxonibus mugire, boare, apud Lexicographos, & *luon* Francis rugire, apud LIPSIUM in Gloſſis, quæ ſingula Leoni conveniunt: hinc forte doctiſſimo Abbati Gallico haud male cecidit conjectura, dum nomen animalis Græcum & Latinum iis vocibus accenſet, quæ e Lingua Celtica deſumpta ſunt. Nulla enim ratio eſt, cur vox a lingua putetur aliena, quæ originem ejus cuſtodit, aut cur propria ſit iis Linguis, in quibus nullum originis nec cognationis veſtigium deprehenditur. Nam quod PORPHYRIUS leones dictos vult a λάω video, quod viſu ſint acerrimo, jejunum eſt, & lyncibus magis, quorum oculi in proverbium abierunt, quam leonibus congruum. Quis non videt, Leonem rectius & concinnius a devorando vel rugiendo quam a ſpectando appellari? Quamvis enim Leones ſatiati ſint innoxii:

innoxii: hominem tamen appetunt in ſenecta, quando vires ad perſequendas feras non ſuperant, & in fame etiam juniores. Tunc enim obſident urbes: eaque de cauſa crucifixos vidiſſe ſe cum Scipione in Africa Polybius apud PLINIUM refert, quia cæteri metu pœnæ ſimilis abſterreantur eadem noxa. Quæri poteſt, qui fiat, ut Germanis vocabulum domi naſcatur, cum in Germania nulli ſint leones, nec forte unquam extiterint? Et quibus auctoribus ad Græcos & Latinos pervenerit? Reſpondeo, Germanos non ſemper imitari exteros in animalibus denominandis, ſed interdum libentius ſuis uti vocabulis, ſive apud ſe natis, ſive a majoribus traditis. Sic Simiam vocant *affe*, quamvis beſtiam Africanam, & elephantum *helfant*, quamvis belluam Orientis. Verum hæc vocabula, quibus antiquitus utimur in Germania, non omnia apud nos nata ſunt, ſed partim Phryges habent auctores, partim etiam Gallo-Græcos. Phryges enim lingua uſos eſſe Germanicæ ſimili, jam ſæpe oſtendimus. De Gallo-Græcis idem teſtatur S. HIERONYMUS in Præf. ad Lib. II. Comment. ad Galatas. Quid obſtat, ut nomen Leonis a Phrygibus proſeminatum ſit in Græcia & Latio, ut *κύων* & *canis*, teſte PLATONE in Cratylo? Quamvis enim in Phrygia non ſint Leones, fuiſſe tamen in Græcia inter Acheloum Neſtumque amnes, viribus præſtantiores iis, quos Africa aut Syria gignant, PLINIUS ex Ariſtotele tradit Lib. VIII. cap. 16.

LEY, ſubfixum. V. *lei* in PROLEG.

LIBEREI, veſtis ſervientium. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *lifrai* veſtimentum quo ſervi dignoſcuntur. Dignoſcuntur autem ex coloribus, & color Cambris dicitur *liw*, teſte BOXHORN. loc. cit. Alii dicunt & ſcribunt *lieferey*, & derivant a *liefern*, quod vide.

LIBEREI, vel *librarey*, bibliotheca. Proprie *librarium*, locus ubi libri aſſervantur, & inde nomen. Utitur Luth. 2. Macc. II. 13.

LICH, terminatio. V. PROLEG. Sect. VI.

LICH, ſimilis. V. *leich*.

LICHT, lux. V. *Liecht*.

LICHTEN, levare quocunque modo, ſive id fiat ſurſum tollendo, ſive exonerando, ſive repente auferendo. Verbum in Belgio natum a *licht* levis. Inde Belgis *anker lichten* ancoram levare, *ſchip lichten* naves mercibus onuſtas exonerare, *volk lichten* milites cogere.

LID, membrum. Gothis *ains lithiwe* unum membrorum, Matth. V. 29. Angloſaxonibus *lith* articulus, *fingeres lith* extremum digiti, Luc. XVI. 24. Francis & Alam. *lid* membrum. Gloſſ. Keron. membra *lidi*. TATIANUS Cap. XXVIII. 2. 3. *ein thinero lido*, unum membrorum tuorum. Idem Belgis *lidt*, pl. *leden*, Succ. *led*, *ledamot*. Germani hodierni delectantur compoſito *glid*, *gelid*, ſed a ſimplici habent *lidlon* precium manuarium, proprie merces artuum, quod optime vidit MARTINIUS in voce *merces*. Unde ſit hoc nomen, non convenit inter ſcrutatores. JUNIUS, qui Græca ubique ingerit, originem vocabuli petit a *κλαδεύω* claudo, propter aptam articulorum membrorumque compagem & commiſſuram: MARTINIUS a *leiten* ducere, quia vi membrorum ducimur & gradimur, præcipue pedum, a quibus nomen ad reliqua membra derivat: SEPTEMTRIONALES a verbo domeſtico *leda*, quod tamen diverſimode explicant. VERELIO *leda* eſt flectere, & hinc *led* proprie flexus & commiſſio articulorum, in Ind. pag. 158. STIERNHIELMIO *leda* eſt aptari, jungi, & inde *led* junctura, annulus in catena, articulus, in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 108. Utrumque ſignificatum conjungit STADENIUS, & *leda* cognatum ait cum *loda* adhærere, in Voc. Bibl. pag. 273. Verum cum *leda* & *loda*, eo quo aſſeruntur ſenſu, non reperiantur, neque apud Antiquos, neque apud recentiores in vulgaribus Lexicis, quo loco habenda ſint neſcio. Forte nomen membris datum non a combinatione, etiamſi hic ſenſus bonus & commodus ſit, ſed a diviſione. Quamvis enim admirando artificio inter ſe cohæreant, diviſa tamen ſunt a natura, & diviſa habent officia, adeo ut tota corporis humani machina ex membris tanquam totidem ſectionibus coadunata videri queat, plane ut ex annulis ſeparatis catena. Francis autem *lidon* eſt fecare, ſeparare. Gloſſ. Pez. ſecabis *lidos*, conciſam *gilidotæ*, ſeparatum *gilidoten*, cedentes (lege cædentes) *lidonta*. Inde *lid* membrum, ſectio, articulus, pars corporis organica. Id enim eſt membrum definiente ARISTOTELE. Pars autem a partiendo dicitur, & diverſam a toto rationem & appellationem habet. Quæ, cum non Philoſophis modo, ſed etiam ignariſſimis nota ſint, noio proſequi prolixe. Præcipua veterum compoſita ſunt,

Uslitha, paralyticus, membrorum uſu privatus, a privativo *us*, ex. Extat in Evang. Goth. Luc. V. 18.

Kanzlidi, præputium, ab integritate membri vel cuticulæ. Apud NOTKERUM Pſal. XCIV. 4.

Scartlidi, circumciſio, a mutilatione membri genitalis. Apud eundem.

Lidaſcart, articulo mutilus. Gloſſ. Pez. murcos *lidaſcarta*. A *ſcheren* ſcindere, findere, ſecare, de quo infra.

Lidiſcarti, fiſſura membri. Lex Bojoar. Tit. III. Cap. I. 21. *ſi quis autem maculaverit, ut exinde turpis adpareat, quod* LIDISCARTI *vocant*. Vide plura in *Scharte*.

Lidwagi, humor ex fiſſura articuli decurrens. Lex Friſion. Tit. XXII. 35. *ſi quilibet digitus ex 4. longioribus, in ſuperioris articuli junctura ita percuſſus fuerit, ut humor ex vulnere decurrat, quod* LIDUWAGI *dicunt*. Ubi SICCAMA legere jubet *lidwater*. Sed nihil in lectione mutandum,

tandum, quia *wage* humidum fluens denotare poteſt, ut dixi infra in loco.

Lith-ſeawe, idem quod *liduwagi*, ſed alterius Dialecti, nempe Angloſaxonicæ, a *ſeawe* ſuccus. Lex Alfredi R. cap. 40. *gif mon eaxle bith gewunded that that* LITH-SEAW *utflowe*, ſi quis in humero vulneratus fuerit, ut humor articularis inde decurrat.

Lith-ſeawe, compago membrorum, a *ſeawe* gluten. BENSONIUS.

Lith-adl, morbus articularis, ab *adl*, morbus, quod Angloſaxonicum.

Lytiebot, mulcta ob alterius membra ex vulnerum inflictione deformata. VEREL. in Indice.

Cæterum, nec illud hic prætermittendum, quod *litera* HARSDÖRFFERO deducitur a Saxonico *lith* membrum. Quæ conjectura, etiamſi audacior quam probabilior videatur, non debet omnino contemni. Nam primus literas Latio intulit SATURNUS Phryx. Phryges autem Lingua Germanicæ ſimili uſos eſſe, jam ſæpe oſtenſum. Unde mirum videri non debet, ſi quædam vocabula apud Latinos ex Germanico idiomate aliquid trahant. Res ipſa mire reſpondet vocabulo. Quid enim eſt *litera*, niſi membrum vocis ſcriptæ? Et hæc etymologia longe ſanior eſt illa, quæ literas vel *lituras*, vel *legiteras*, quaſi iter ad legendum monſtrantes interpretatur. Ipſe HARSDÖRFERUS de etymologiæ ſuæ probitate adeo perſuaſus fuit, ut ſcribereat: *ſunt, qui nobis in his & ſimilibus ſtudium novitatis exprobrant, nos illis contra ignorantiam antiquitatis.*

LID, ſenſu allegorico & forenſi acceptum eſt *pars Comitatus*, in tres vel plures centurias diviſi, & Anglis vocatur *lath*, Latino-Barbaris *leda* apud CANGIUM, & inſerto ſibilo *læſtum* apud SPELMANNUM. Non certe a congregatione, ut Spelm. exiſtimat, quaſi ſit deductum a *laden* convocare, ſed quia *leda* eſt quaſi membrum iſtius corporis, quod Comitatum vocant.

LID, opertorium. Angloſaxonibus *hlid* eſt tegmen, velamen, *hlid-gata* valvæ, *gehlidad* operculo tectus, apud BENSON. Anglis *lid* operculum, Danis *lid* clauſtrum, apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 236. Cuncta ab obſoleto *hlidan* tegere, operire, claudere, quod ex antecedentibus cognoſcitur. Græci eodem ſenſu dicunt κλειθρον, Latini *claudere*. Hodie ſuperat in compoſito *augenlider* palpebræ, proprie tegmina & valvulæ oculorum.

LID, potulentum. Gothis *leith* eſt ſicera, Luc. I. 15. Angloſax. *lith* poculum, apud BENSON. Francis *lid* potus. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXXIII. 39.

Sie 'nan ouh tho qualtun,
Mit ezzichu drangtun,
Mit bitteremo lide,
Thaz datun ſe al bi nide.
Tunc ipſum quoque vexabant,
Aceto potantes,
Et amaro potu,
Cuncta ex invidia.

Plura ex Otfrido teſtimonia congeſit Cel. SCHILTERUS in Epinic. R. Lud. ad verſ. 107. & in Gloſſ. pag. 541. Miror ſilentium Gloſſographorum in voce Gothica. Angloſaxonibus *laden* eſt haurire, ut oſtendi in loco. Hinc *lid*, quatenus eſt verbale a *laden*, ſignificat quantum poteſt, hauſtum & hauritorium, imo etiam ſiceram per ſynecdochen generis. Hinc porro *litgeben* ſunt caupones, qui potum præbent hoſpitibus, in Jure Prov. Alam. cap. 359. Hodie in quibusdam locis dicunt *leygeben*, puta per ſyncopen.

LIDEMONIUM. Vide *Litimonium*.

LIDI, ſervi. Vide *Liti*.

LIDOLAIP, vox Longobardica. LINDENBROGIUS *laip* interpretatur corpus, ſed quid ſit *lido*, ſibi non liquere ait. VERELIO in Ind. *lidulaib* eſt dies obitus, a *laib* vita, & *lida* præterire, quod vero quidem propius, ſed textui Longobardico nondum ſatis congruum. SPELMANNUS & CANGIUS tacent. Miror Viros doctiſſimos in hac voce tantum ſudaſſe, cum ſenſus ejus manifeſtus ſit. Prior compoſiti pars obitum ſignificat, a *leiten*, diſcedere, obire, mori, de quo ſupra. Poſterior reſiduum notat in omnibus Dialectis, ut demonſtravi in *laib* reliquiæ. Hinc totum compoſitum nihil aliud ſignificat quam *bona ab obitu relicta*, qualia Alamannis in Jure provinciali vocantur *tot-laib*, hodie *verlaſſenſchaft*, alio quidem ſono, ſed eodem ſenſu. Et cum hac interpretatione manifeſto ſatis conveniunt verba Legis Longobardicæ Lib. II. Tit. XV. 2. *ſi quis res ſuas alii thingaverit, & dixerit in ipſo thinx* LIDOLAIP, *i. qui in die obitus ſui reliqueret, non diſpergat ipſas res poſtea doloſo animo, niſi fruatur cum vatione.* SCHILTERO *lidolaip* idem eſt quod *lih to leib* concedo ad vitam, a *leihen* concedere, & ſubſtantive vitalitium, uſusfructus, ſed invita Lege. Nam Lex agit de donatione inter vivos, vetatque, in præjudicium ejus, cui donatio facta, bona diſpergi.

LIEB, bonum, quod omnes appetunt, ſive ſit honeſtum & naturæ conveniens, ſive delectabile tantum. NOTKERUS Pſal. XXX. 20. *dax chunfiga liub*, futura bona. Hic primus & verus vocis ſenſus, quamvis apud Gothos & Saxones non obvius, nec ab uſu hodierno receptus. Credo, primos vocis ſtatores reſpexiſſe ad verbum Græc. λαυω fruor, unde magis uſitatum απολαυω eodem ſenſu. Nam bonum proprie eſt id, quo quis cum voluptate & delectatione uti poteſt. Quod vero tale eſt, ut nemo eo frui poſſit, negamus eſſe bonum, quantumvis præſtans ſit. Confer ſynonymum *gut*, & patebit, illud a pari cauſa produci. Ab initio deduxi a *lieben* cupere, quoniam na-

tura duce bona concupiſcimus, mala averſamur. Sed poſtea ex analogia omnium verborum, quæ deſiderativa vocantur, cujusmodi ſunt, *wollen* velle, *welen* eligere, *liiſten* concupiſcere, *freyen* amare &c. intellexi, quod *lieben* ejusdem indolis ſit, & nomen habeat a bono, ceu objecto appetitus, non bonum ab illo, etiamſi quam maxime appetibile ſit.

LIEB, verbale a *lieben* cupere, proprie eſt *deſiderabilis*, & aliis verbis *gratus*, *gratioſus*, *acceptus*, *amœnus*, *jucundus* &c. Gloſſ. Pez. deſiderabilis *liupemo*, deſiderabilius *liupora*. Gloſſ. Boxh. *libiu* mulier gratioſa. VEREL. in Ind. *liufr* jucundus. Inde formulæ, *es iſt mir lieb* pergratum mihi eſt, *für lieb nemen* frui præſentibus tanquam gratis & cætera tanquam accepta imputare, *allerliebſt* valde gratioſus, valde amœnus, valde acceptus. A *lieb* gratus, rurſus fit *lieben* placere, gratum eſſe, quia grata tantum placent.

LIEB, verbale a *lieben* amare, proprie eſt *amatus*, & aliis verbis *charus*, *dilectus*, *amicus*. Occurrit in omnibus veterum Dialectis. Hinc vox cœleſtis apud MARCUM Cap. I. 11. *Tu es filius meus dilectus:* Gothus reddit, *thu is ſunus meins ſa liuba:* Angloſaxo, *thu eart min geluſoda ſunu* (alibi filium dilectum vocat *leofan ſunu*, Luc. XX. 13.): TATIANUS Francus Cap. XIV. 5. *thu biſt min liobo ſun.* OTFRIDUS Lib. I. Cap. XXV. 33.

Thiz iſt min ſun diurer,
In herzen mir ouh liuber.

Idem Belgis *lief*, Angl. *leeſe*, Græc. φίλος per metatheſin. Huc ſpectat formula, *lieb haben* diligere, charum habere. A *lieb* charus, rurſus fit *lieben* favere, quia charis tantum favemus.

LIEBDE, *liebden*. Vide *lieber*.

LIEBE, quatenus derivatur a *lieben*, ſignificat quantum poteſt, (1.) amorem, a *lieben* amare, (2.) favorem, a *lieben* favere, (3.) gratiam, a *lieben* placere.

LIEBE, amor, dilectio. Angloſax. *luſe* Joh. XIII. 35. Francis *liubi*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XX. 87. *ſon alteru liubi*, a priſtino amore. Convenit Gr. φιλία per metatheſ. Vocem Gothicam vide in *freye*, Alamannicam in *minne*.

LIEBE, favor, gratia gratificans. Angloſax. & Francis ut ſupra. Inde formulæ, *einem die liebe erweiſen* teſtari alicui favorem, *zu liebe* in favorem. OTFRIDUS ad Ludov. R. verſ. 56.

Then ſpar er nu zi libe
Uns allen io zi liabe.
Quem ſervet (Deus) in vita
In noſtrum omnium favorem.

LIEBE, gratia gratum faciens. Gloſſ. Pez. gratia *liupi*. Hodie ſuperat in *lieblich* gratioſus, gratiæ ſimilis.

LIEBEN, cupere. Gloſſ. Pez. cupitis *liupen*. Conſentit Lat. *libet* & *lubet*. Oritur a *lieb* bonum, tanquam a ſuo objecto, ut ſolent omnia verba deſiderativa. Nam a natura ita facti ſumus, ut cupere nihil aliud ſit, nec eſſe poſſit, quam appetere bonum. Cui etymologiæ non obſtat, quod plerumque nitimur in malum, & eventu nocivum. Nam hoc quoque ſub ratione boni appetimus. Si quæratur, unde ſit illud malum, quod multa ſub ratione boni concupiſcimus, quæ bona non ſunt? Reſponderi poteſt, ab intellectu. Nam in bono & malo dijudicando apud omnes a juventibus & nocentibus fit indicatio. Verum cum pauci eo ſint conſilio præditi, ut juventia a nocentibus rite diſcernere poſſint aut velint, inde fit, ut malum ſæpe tanquam bonum amplectantur.

LIEBEN, amare, diligere. Rurſus a *lieb* bonum, ſive bonum illud fuerit utile & naturæ congruum, ſive pulcrum & delectabile tantum. Quid enim eſt amare, niſi tendere in bonum ea cupiditate, eoque affectu, quem in nobis ipſum excitavit? Et fierine naturaliter poteſt, ut præter bonum ejusque genera aliquid aliud diligamus? Quodſi hoc impoſſibile eſt, recte Veteres naturam magiſtram ſecuti a *lieb* bonum, ipſum diligendi motum, & re dilecta fruendi conatum, qui pro natura boni, quo afficimur, intenſior aut remiſſior eſt, denominarunt. Simile verbum ab objecto deſiderii formatum vide in *freyen* amare. Non igitur audiendi ſunt, qui vel ab Hebræo *lab* cor, vel a Gr. φιλέω, vel a Lat. *libet*, hoc verbum patrium deducunt, cum meliores domi origines habeamus, & ſyſtema pulcherrimum. Hoc verbum Angloſaxonibus effertur *luſian*, Francis *liuben*, quo tamen rarius utuntur, dum libentius dicunt *minnon*, ut ex OTFRIDO Lib. II. Cap. XIX. Lib. V. Cap. XV. patet. Uſos tamen eſſe, evincunt derivata, *liob* charus, *liubi* dilectio, *giliubta* dilectus. Convenit Græcum φιλῶν per metatheſin.

LIEBEN, favere, gratificari. Angloſaxonibus *luſian* nonſolum eſt amare, ſed etiam favere, teſtibus SOMNERO & BENSONIO. Et merito, quia idem naturæ motus nos amantes & faventes reddit. Hodie ſuperat in derivato *liebe* favor.

LIEBEN, placere, gratum eſſe. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XX. 227.

Sie Satanaſa dribent
In uuizi thiu in ni libent.
Diaboli eos rapiunt
In ſupplicium quod illis non placet.

Hodie utimur impersonalibus *belieben* & *gelieben*. Sic vulgo dicimus, *es beliebt mir* placet, *es beliebt mir nicht* non placet. Inde *beliebig* quod placet, *unbeliebig* quod displicet, *beliebung* placitum voluntatis, *bei allen beliebt* qui omnibus placet.

LIEBEN, vocare. Vide *kleiben*.

LIEBER, domine. SOMNER. in Dict. AS. *leof* domine, *la leof* o amice, dilecte, chare. Poſteritas ab antiquo *leof* formavit *leofde*, *liefde*,

liefde, *liebden* dominatio, quo titulo principes ſe hodie compellant.

LIEBGEWINNEN, amore capi. Refer ad *winnen* conſequi. Dicitur de amore, qui non primo ſtatim aſpectu, ſed ſenſim illabitur animo ex diuturno contubernio.

LIEBKOSEN, blandiri, blande & gratioſe loqui cum aliquo. Prior compoſiti pars gratiam loquentis indicat, altera ipſam loquelam. Cætera vide in *Koſen*.

LIEBLICH, gratioſus, & ob ſingularem gratiam amabilis, & inde nomen a *liebe* gratia gratum faciens. Gloſſ. Pez. elegans *liuplibiu*, venuſti *liuplibes*, urbanæ eloquentiæ *liuplibero*. Angloſaxonibus *luſtice* eſt amabilis & amanter, apud BENSONIUM.

LIEBSTOCKEL, *liebſtöckel*, leviſticum. Ita vulgo vocant in officinis. Gloſſ. Pez. libuſticum *lubiſtechal*. Gloſſ. Ælfr. pag. 63. lubeſtica *luſeſtice*. Vitiatum ex vitiato. Nam proprie eſt herba *liguſtica*, a regione Liguriæ, ubi ſponte in Apennino naſcitur, denominata. PLINIUS Lib. XIX. cap. 8. *Liguſticum ſilveſtre eſt in Liguriæ ſuæ montibus.* Galenus pro Liguſtico ſcribit λιϑυϛικὸν Lib. 7. ſimpl. med. apud MARTINIUM. Inde *libuſticum* in Gloſſa, & ex libuſtico *liebſtökel*.

LIECHT, lux vitalis, facultas cernendi, cujus opera ſpecies externas recipimus & videmus. NOTKERUS Pſal. XXXVII. 11. *minero ougon lieht ne iſt ſament mir*, lumen oculorum meorum non eſt mecum. Hæc lux Matth. VI. 23. interpreti Gothico vocatur *liuhath thata in thus iſt:* Angloſaxonico *leoht the on the is:* Francico *lioht thas in thir iſt*, in Harm. Evang. Tatian. Cap. XXXVI. 4. LUTHERO *liecht das in dir iſt:* hoc eſt, lumen quod in te eſt. Omnino a *lugen* cernere. Nam hinc recte fit *liecht* lux, eo quo dixi ſenſu.

LIECHT, lux elementaris. Codex Arg. Marc. XIII. 24. *mena ni gibith liuhath ſein*, luna non dabit ſplendorem ſuum. Verſio Angloſax. Luc. VIII. 16. *that tha ingangendan leoht geſeon*, ut intrantes lumen videant. NOTKERUS Pſal. CIII. 2. *bebeleter mit liehte ſamo ſo mit uuate*, amictus lumine ſicut veſtimento. Radix eſt *hla*, *gla*, ſplendere, nitere, ſcribit STIERNHIELMIUS in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 73. Unde hoc hauſerit, non liquet. Sed non opus eſt radice nova, nedum conficta. Nam a *lugen* cernere, rurſus oritur *liecht* lux elementaris, quia per ſe videtur, atque ut cætera quoque videri poſſint, efficit. Natura ipſa nos ad hanc etymologiam ducit. Nam utriusque lucis opera videmus, tam externæ, quam internæ: illa ſpecies luminoſas emittit, hæc recipit. Et ex hoc connubio divino oritur naturaliter inconprehenſibilis illa mentis perceptio, quam *viſum* vocamus.

LIECHT, lux prima, *vor liecht* ante dilucu-lum. Gloſſ. Boxh. *leobſtern* lucanus.

LIECHT, ignis, *irrliecht* ignis fatuus. Codex Arg. Marc. XIV. 54. *was warmjands ſik at liuhada*, erat calefaciens ſe ad ignem. Græce πρὸς τὸ φῶς. Utrinque manifeſta translatione ad ignem, ſive per metonymiam cauſæ, quia antiquitus creditum eſt, ignem eſſe lucem conglobatam, & lucem ante fuiſſe quam ignem, quod etiam videtur docere MOSES in Hiſtoria de ortu rerum Gen. I. ſive per metonymiam effectus, quia poſt creationem lux eſt emanatio ex igne.

LIECHT, luminare ex quocunque ignis alimento, *waxliecht* cereus, *windliecht* fax, *liechtmeſs* feſtum candelarum. Gloſſ. Keron. lumen lucernæ *darz leoht des leohtes*.

LIECHT, metaphorice ſignificat quantum poteſt, quantumque ſimilitudo rerum permittit, (1.) omne manifeſtum, & ſynecdochice veritatem, quia verum eſt lucis inſtar manifeſtum, & ab omnibus, qui oculum mentis habent, conſpici poteſt. (2.) cauſam veritatis & ducem veri. (3.) cognitionem & manifeſtationem veritatis. (4.) ſtatum mentis illuminatum. (5.) proſperitatem, quia luce nihil jucundius; inde haud abs re dicimus *im liecht ſtehen* pro obeſſe, obſtare, impedimento eſſe ne optatis fruamur. Quæ nolo longius proſequi, ne videar diffidere Lectori, aut ingenium ejus contemnere.

LIECHT, lucidus, clarus, *bei liechtem tage* die lucente, in conſpectu ſolis, *liechter-loh* lucidis flammis. Gloſſ. Pez. lucidus *liohitero*. NOTKERUS Pſal. CXXXVIII. 12. *uuirt diu naht ſamo liehte ſo der tag*, nox tanquam dies illuminabitur. Ita corpus lucidum interpreti Gothico vocatur *leik liuhadein* Matth. VI. 22. & interpreti Francico *libbamo lioht*, in Harm. Evang. Tatian. Cap. XXXVI. 3. Unam eandemque vocem ſubſtantive & adjective uſurpari, innumeris conſtat exemplis. Allegorice eſt manifeſtus, apricus. Inde formula *am liechten galgen* in patibulo publico & omnium oculis expoſito.

LIED, cantus & carmen. Epinicion in R. Ludovic. §. 91. *ther kunig reit kuono*, *ſang lioth frono*, rex accurrit intrepide, & cecinit canticum ſacrum. Gloſſ. Pez. pſalmos plebejos *uuinilioth odo ſcofteod*, arioli *leodarſezzun*. VEREL. in Ind. *liod* carmina, cantilenæ, *lioda-book* liber cantionum. FORTUNATUS in encomio Lupi Lib. 7. *Nos tibi verſiculos*, *dent Barbara carmina Liedos.* Quidam infauſtis Muſis abſcindit a μελῳδία, tanquam *lied* ſit λῳδία. Sed his ineptiis minime opus habemus. Nam *lied* eſt a *lauten*, quod inter alia ſignificat *canere* & *celebrare*, ut demonſtravi in loco: & vi originis deſignat quantum poteſt, *canticum* ex varia vocis flexione compoſitum, & *carmen* in honorem alicujus Dei, Herois, Principis, aut alterius laude digni viri conceptum. Illud eſt opus muſici, hoc poëtæ. Prius Francica lingua vocatur *ſangliod*, poſterius *ſcofliod*, a *ſcof* poëta.

LIEDERLICH, factu facilis. A Succico *lætt* facilis, quod eſt a *leicht* per ſyncopen. Significatum invenio apud STADEN. in

Voc. Bibl. pag. 414. Hodie non utimur niſi cum vituperio de rebus quæ nimia facilitate aut feſtinatione fiunt. Inde *liderlich gemacht* obiter & negligenter factum.

LIEDERLICH, duobus modis dicitur de moribus, a *levitate* & *diſſolutione*, nunquam vero a *cantu*, etiamſi STILERUS, vocabulorum linguæ noſtræ obſcuriorum raro bonus æſtimator, ſcribat, quod proprie dicatur de eo, *qui ſemper falcat & cantat more Gallo-Francorum*. Priorem ſenſum rurſus accipimus a Borealibus: poſteriorem finximus ipſi a *luder* diſſolute vivens. De priori obſervandum, quod *levis* apud Suecos & Islandos dicatur *lett, lett*. VEREL. in Ind. *lettſvettr* pedibus celer, *lettlatr* levis moribus, *lettleis kona* ſcortum, mulier levitatis vel levisſima. Sueci utuntur compoſitis, *lætheet* levitas, *lætſferdig* levis, *lætſinnigh* leviculus. Et ad hanc ſocietatem ſpectat etiam *liederlich* levis, quod certe eſt proles ejus linguæ, in qua *lett, lett, leit* levem ſignificat.

LIEFERN, dare, præbere, offerre. Frequentativum a ſimpliciori *lewjan*, quo utitur Codex Arg. Luc. VI. 29. *thamma ſlauandin thuk bi kinnu galewei imma jah anthara*, percutienti te in maxillam præbe illi & alteram. Unde Gothis ſit hoc verbi, non explicant Gloſſographi. Mihi videtur origine Celticum, factumque a *law* manus, quia manu damus in manum. Similia verba a manu formata vide in *geben* & *leihen*. Francos eodem verbo uſos eſſe, colligo ex Gloſſa LIPSII: *luwe thu* præſtitiſti. Nec non ex verbis OTFRIDI Lib. IV. Cap. XVI. 26. *liwun filu knehto*, quibus ſignificat, Sacerdotes ad expeditionem Judæ *multos ſervos obtuliſſe*. Anglos inde habere *allow* præbere, exhibere, recte judicat JUNIUS in Gloſſ. Goth. pag. 234. nec non in Obſervatis ad Willeram. pag. 143. Sed dum Gallicum *allouer* cum illo conjungit, ſignificatum *præbendi* & *concedendi* confundit: Qui, etiamſi ex communi fonte oriantur, notionibus tamen differunt. Veram verbi Gallici originem vide in *lauben* permittere. Interim a frequentativo *liferen*, Galli habent *livrer*, Latino-Barbari *liberare* dare, præbere, apud CANGIUM in Gloſſ. Et hinc multorum judicio deſcendit *liberei, liferei, livrée, libereia, liberata*, id eſt, præbitio, & per ſynecdochen generis veſtitus, qui ſervo datur a domino, cujuscunque ſit coloris. Aliam tamen etymologiam vide in *liberei*.

LIEFERN, tradere, prodere. Utitur antiquitas in negotio Judæ proditoris. Codex Arg. Marc. XIV. 42. *ſai ſa lewjands mik atnehwida*, ecce tradens me adpropinquat. Verſio Angloſax. Joh. XII. 4. *Judas Scarioth the byne beſawde*, Judas Iſcariotes qui eum prodebat. Bona verba ſæpe in malam partem accipi, quis neſcit?

LIEGEN, cubare. Vide *ligen*.

LIEREN, cujuscunque ſit ſignificatus, eſt a vetuſtiori *lieſen*, ſibilo antiquo, ut ſæpe alias, in caninam mutato. Tria autem ſignificat, (1.) *amittere*, (2.) *perire*, (3.) *perdere*. Compoſita vetera & hodierna vide in *verlieren*.

LIESEN, tria præcipue ſignificat in Dialectis, (1.) *amittere*. Idque Angli, omnium populorum qui Germanica lingua utuntur, ſoli cuſtodiunt in verbo *leeſe, loſe, looſe*, quod nonſolum ſenſum, ſed etiam formam veteris verbi proxime exprimit. (2.) *perire*, Græc. *ὀλέσθαι*, Angloſax. *loſian*, teſtibus SOMNERO & BENSONIO. (3.) *perdere*, Angloſax. *leoſan*, iisdem auctoribus. Inde Græcis *ὀλεσήνωρ* homini perniciem afferens, Latinis *lues* morbus contagioſus, Germ. *laus* pediculus, animal perniciosum, & inſtar contagii in proximum quemque tranſiens. *Primus* ſignificatus judice SKINNERO eſt a *loſen* ſolvere, ſeparare, quia amittere eſt ſolvi & ſeparari a præſentia, poſſeſſione, & nexu rei amiſſæ. *Secundus* eſt a primo, quia perire eſt amitti. *Tertius* a ſecundo, quia perdere eſt facere ut pereat. Compoſita veterum per ſingulos ſignificatus vide in *verlieren*.

LIFERN, *lebern*, coagulari, *gelifert, gelebert* coagulatus. Frequentativ. a ſimplici *laben*, de quo ſupra.

LIFTEN, levare. Angl. *to lift*. A Belgico *lichten* attollere, quod eſt a *licht, leicht* levis. Literæ CH. ſæpe mutantur in F.

LIGEN, jacere, cubare. Græc. *λέχεσθαι*, Gothis *ligan* Luc. II. 16. Angloſax. *licgan*, Franc. & Alam. *ligen, licken*, Belg. *liggen, leggen*, Suec. & Isl. *liggia*. Gloſſ. Keron. jaceat *licke*, ſubjaceat *untarlicke*. Gloſſ. Pez. cubate *liccet*. Unde ſenſus ſit petitus, an a loco, qui Celtica Lingua *lle* & *llech*, an ab humili ſitu, qualis Belgis *leeg* & *laag* dicitur, difficile definitu. Nam hæ voces ita ſunt comparatæ, ut originem verbo dare, & ab illo accipere potuerint. Metaphorice dicitur multis modis, (1.) de mora in loco: inde formulæ, *zu felde ligen* militare, in caſtris ſe tenere, *in winter-quartieren ligen* hibernare. (2.) de ſtatu rerum: inde *ligen laſſen* dimittere, linquere rem in eo quo ſita eſt ſtatu. (3.) de ſitu rerum in relatione ad nos. VEREL. in Ind. *lyggia* referre, intereſſe. Inde formulæ, *mir ligt daran, mir iſt daran gelegen* mea refert. Ducta autem eſt metaphora a rebus jacentibus, quæ dum locum tangunt, ſimiles ſunt earum, quæ nos tangunt. (4.) de partibus officii. Inde *obligen* incumbere ſub ratione debiti. (5.) de ſerio agendi ſtudio &c. Non enim vacat diutius proſequi, nec id operæ pretium, cum ex iis, quæ ſpeciminis loco adduximus, reliquæ dictiones ſymbolicæ, quibus tantopere delectamur, ſponte ſe offerant conſiderantibus.

LIGEN, quieſcere, dormire. Utitur Cod. Arg. Matth. XXVII. 52. *jah managa leika thize ligandane weihaize urriſun*, & multa corpora ſanctorum dormientium ſurrexerunt. Apud Græcos invenio *λεύχεται* dormit, & *λέχω* dormire facio. Dicitur metaphorice de rebus quæ ceſſant, vel ceſſare faciunt,

faciunt, quia quieſcentibus aut ſopientibus ſimiles ſunt. Ita vulgo dicimus, *es ligt alles darnider* omnia nunc ceſſant, *woran ligts* quæ cauſa cunctationis, *es ligt an ihm und nicht an mir*, ipſe cunctator eſt non ego, culpa cunctationis ejus eſt non mea, *verlegen ſeyn* impediri, cunctationem pati. Græcis quoque λήγειν eſt ceſſare, deſinere, deſiſtere.

LIGEN, fornicari. Venuſta & pudica metonymia, qua antecedens ponitur pro conſequenti, *cubare* pro *vitium in cubando committere*. Cognoſcitur ex compoſitis & derivatis. Gloſſ. Boxh. *ubarligida* adulterium. Id eſt, major ſcortatio. Gloſſ. Pez. concubitores *pilegara*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *legnyſſe*, *legerſcipe* fornicatio. LOCCEN. in Lex. Jur. Sueo-Goth. *Lægher* illicitus concubitus, *ligrübot* mulcta pro concubitu. VEREL. in Ind. *leger-vite* mulcta fornicationis. Ad conſenſum Linguarum ſpectat, quod Chaldæis *lechenah* eſt concubina, Sorabis *zliham* ſcortari, Græcis λέχος concubitus, & alia FRENZELIO obſervata in Orig. Sorab. pag. 64.

LILIEN. Vide *ilgen*.

LIND, mollis, lenis, mitis. Angloſax. *lith*, Franc. *lind*, Isl. *linur*. OTFRIDUS Lib. II. Cap. XIX. 37.

Sit io in datin filu lind,
Thaz ir uuefet Gotes kind.
Eſtote mites in operibus,
Ut ſitis filii Dei.

SOMNER. in Dict. Angloſax. *lith* lenis, mollis, quietus, *litheneſſe* lenitas, *lithebige* lenis, lentus, flexibilis. VEREL. in Ind. *linur* lenis, mitis, *linkinnur* mitis, miſericors, *linleikr* lenitas, *lina* mitigatio. Fallor, aut omnia ſunt a Latino *lenis* vel *lentus*. Hoc malo, quam a *linea* vel *lineo filo* metaphoram deſumere, quod illo nihil ſit ſequacius aut tractabilius, nihilque ſimilius animo ad obſequium parato, ut fert etymologia JUNII in Obſ. ad Willer. pag. 141. Hodie utimur compoſito *gelind*, ſed a ſimplici habemus *lindern* lenire, mitigare.

LINDE, tilia, philyra. Gloſſ. Ælf. in nom. arb. ſeno vel tilia *lind*. Gloſſ. Pez. tilia *linta*. Integra vox eſt *lindenbaum*, unde per apocopen fit *linde*. Hanc arborem MARTINIUS ſic dictam exiſtimat quaſi *arborem lenem*, a præcedenti *lind*, quod cortex ejus interior lentus & flexibilis ſit. Quod, etiamſi non procul abſit a genuino ſenſu, veram tamen nominis rationem nondum attingit. Nam Suecis *linda* eſt faſcia & faſciare, *lindat* faſciatus, & hinc *lindatræ* philyra, haud dubie ab uſu quem præbet in vinculis faciendis. PLINIUS Lib. XVI. cap. 14. de tilia: *Inter corticem ac lignum tenues tunicas multiplici membrana, e quibus vincula tiliæ vocantur*. Nos ejusmodi ligaturas vocamus *lindenbaſt*, i. e. vincula tiliacea. Et ab his vinculis ipſa arbor Suecis nonſolum *lindatræ*, ſed etiam *baſt* vocatur, quod eſt a *binden* ligare.

LINDWURM, ſerpens quidam alatus. Gloſſa antiqua: *lint* baſiliſcus. JUNIUS, qui hanc Gloſſam produxit in Obſervatis ad Willeram. pag. 141. exiſtimat, *linn* vel *lint* olim fuiſſe nomen omnibus vermibus & ſerpentibus commune, ductumque vel a Gr. λῖνον funiculus, vel a *lind* faſcia, quoniam ſerpentes quidvis ſpiris ſuis haud aliter atque funiculis implicare ſolent, & vermes faſciarum inſtar tenues & oblongi ſunt. Ita Græcis quendam lumbricum appellari ταινίαν, a ſimilitudine taniæ vel redimiculi. Ob ſimilem cauſſam Cimbros veteres ſerpentem appellaſſe *linne*, teſte WORMIO in Literatura Runica, & Cambros involvulum etiamnum vocare *llyndic*, & lumbricos *llyngyr*. Secundum hanc etymologiam *wurm* erit inutile additamentum, & ſenſum reddet abundantem. Aliis *lin-wurm* transponitur ex *nil-wurm* ſerpens niloticus. Hæc etymologia tribuitur Abrahamo ORTELIO. Difficile eſt, verum vocis ſenſum inveſtigare, cum nimis multos recipere poſſit. Cambris *llyn* eſt peſtilens, peſtiferus, Suecis *lund* lucus. Illud in compoſitione ſignificabit *ſerpentem peſtiferum*, hoc *ſerpentem ſylveſtrem*.

LING, term. V. PROLEG. Sect. VI.

LINGEN, ſuccedere. Suecis *lycka* eſt fortuna, & *lyckas* ſuccedere. Nos dicimus *glück* & *glücken*. Sed a ſimplici *lycken*, quod vulgus Saxoniæ inferioris uſurpare ſolet, haud dubie factum eſt *lingen* per epenthеſin. Auctores dicendi vide in *gelingen*, quod uſitatius.

LINK, ſiniſter. MARTINIUS ducit a *linquo*, ut *ſiniſtrum* a *ſino*; commode & ingenioſe, quamvis etiam ad fontes Græcos referri poſſit. Quemadmodum enim Latinis a λαιὸς ſiniſter fit *lævus* per epenthеſin: ita Germanis a λαῖος ſiniſter formari potuit *ling* vel *link*, quia G. & K. ut in *Prolegomenis* notavimus, ab elemento N. in multis vocibus attrahuntur. Similiter a δεξιὰ Latinis formatur *dextra*, Gothis *taihſwo*. Belgæ Germanico vocabulo præfigunt ſibilum, dicendo *ſlink*. Neutrum literis proditum eſt ab Antiquis. Verba vetera vide in *winſter*.

LINNEN, linteum. Vide *lein*.

LINS, *linſen*, notum legumen, a Lat. *lens*, *lentes*, auctoribus Francis. Gloſſ. Pez. lens *linſi*.

LIPP, margo oris. Lat. *labium*, Perſis *lib*, Armor. *lap*, *lipp*, Angloſax. *lippa*, Franc. *lep*, *leff*, Belg. & Angl. *lip*, Suec. *læpp*, Vened. *lippia*. Gloſſ. Ælf. pag. 71. labium *ufeweard lippa*, labrum *nithera lippe*. Gloſſ. Lipſ. *lepara* labia. WILLERAMUS Cap. V. 13. *ſine leffa ſint lilion*, labia ejus ſunt lilia. Cuncta a *leiben* dividere, partiri. Nam margo oris eſt res bipartita, & a natura in labium ſuperius & inferius diviſa. Aliam etymologiam, ſed forte minus præſtabilem, vide in

labben lambere. Gallis *lipe* eſt labium equi, quia ſolent voces noſtras non iisdem rebus, ut nos, ſed vilioribus aptare. Alias labia Angloſaxonibus vocantur *weleras*, Gothis *wairilo* Marc. VII. 6. Utrinque per metatheſin e *lepara* vel *labra*. Nam literas transponi, & B. in W. mutari, in omnibus Dialectis obvium eſt.

LISPELN, balbutire, impedite loqui. Anglis *to liſp*. SOMNERUS in Dict. AS. *wliſp* dentiloquus, *ſtomm-wliſp* balbus. Cuncta a βλωσσὸς vel *blæſus* per metatheſin.

LIST, ars, ſcientia, peritia. Gloſſ. Boxh. *liſti* pericia. Gloſſ. Keron. ars *liſt*, artis *liſti*, ſcientia artis *kiuuizidu deru liſti*, artifices *liſtara*. Ubi notandum, quod Regula S. Benedicti *artis* vocabulo plerumque in bonam partem utatur. Cap. 4. *Hæc ſunt inſtrumenta artis ſpiritualis*. Cap. 58. *Artifices ſi ſunt in Monaſterio, cum omni humilitate faciant ipſas artes*. Unde conſequitur, interpretem hujus Regulæ nomine *liſti* bonas artes intelligere, non malas. Eodem ſenſu utitur etiam OTFRIDUS in Hiſtoria de Magis ex Oriente Lib. I. Cap. XVII. 17.

Tho quamun oſtana in thaz lant
Thie irkantun funnun fart,
Sterrono giruſti,
Thaz uuarun iro liſti.
Tunc veniebant ex Oriente in Judæam
Qui cognoſcebant viam Solis,
Et ſtellarum pegmata,
Hæ erant ipſorum artes.

VEREL. in Ind. *liſt* ars, *hofudliſt* ars inſignis, liberalis, *meiſtare i aullum ſiu hofudliſtum* magiſter ſeptem artium liberalium, *ſaunglisſt* mulica, *lekninglisſt* medicina, *liſtuger* artificioſus &c. WILLERAMUS Cap. VII. 1. *halszviereda, die geſmidot ſint mit geleretes liſtmeſteres hant*, monilia, quæ docti artificis manu fabricata ſunt. Ortum traxit a *leiſten* facere, perficere, præſtare, cum quia ars eſt aliquid faciendi ſcientia, tum quia vitæ humanæ maximas utilitates præſtat. Hanc etymologiam debemus JUNIO in Obſervatis ad Willeram. pag. 126. Hodie videtur ſuperare in compoſito *argliſt* dolus, ſic dictus, quod ſit ars decipiendi & prava ſcientia. Saxonicam vocem vide in *kraft*.

LIST, fraus, dolus, aſtutia, *liſtig* callidus, aſtutus, verſutus. Gloſſæ Junianæ loco cit. *mith liſte* cum fraude, *liſtelich* doloſus, *liſtich* aſtutus, *liſtlihhiu* ſophiſtica, *liſtſanc* argumentum. Olim exiſtimavi cum JUNIO, hunc ſenſum ex vituperio vocis præcedentis ortum eſſe, cum quia hoc fatum aliæ quoque voces expertæ ſunt, ut Græcorum τέχνη, Latinorum *ars*, Anglorum *craft*; tum quia calliditas artificum, artibus ad fraudem abutentium, deteriori ſignificationi anſam dare potuit. Nunc autem mutavi ſententiam, ea præcipue de cauſa, quod ad vituperia vocum confugiendum non ſit, ſi ratio dicendi aliunde ſuppetat. Atqui *laſſen* eſt ſimulare. Et ab hoc primitivo Gothis fit *liutei* dolus Marc. VII. 22. Angloſaxonibus *lytig* aſtutus, Francis *liſt* & *liſtig* dolus & doloſus, Sorabis *liſ* & *liſchi* vulpes & vulpinus, Latinis *lax* fraus. A *liſt* fraus porro antiquitas Francica formavit *zouberliſt* ars magica, & *liſten* blandiri, quæ vide apud SCHILTERUM in Gloſſario.

LITGEBEN, caupones. V. *lid* potus.

LITI, *lidi*, *litones*, ſervi Francorum, ut *Laſi* Saxonum. Origo hujus ſervitutis non eſt a natura, nec a bello, ſed a neceſſitate, qua multi, alias libere viventes, fuere coacti, ut ingenuitatem ſuam Regi vel alteri domino pretio manciparent. Tales fuiſſe Francorum *Litos*, non natura aut captura ſervos, ſed voluntaria mancipia, & homines dedititione ſua proprios, LINDENBROGIUS, & alii poſt eum, colligunt ex Privilegio Othonis M. Eccleſiis conceſſo, ubi verba: *Si vero aliquis ex libertate voluerit jamundling vel Litus fieri* &c. Sed in etymo, quod vulgo ducitur a *laſſen* linquere, omnes ſunt erronei. Nam *Liti* & *Laſi* ſunt ejusdem etymi & ejusdem conditionis Servi. *Laſi* autem dicuntur minimi in Republica, ut demonſtravi in loco: Et tales quoque fuerunt *Liti*. Radix utriusque vocis eſt particula Angloſaxonica *lyt* parum. Unde Cambro-Britannis fit adjectivum *llyth* vilis, humilis. Quod poſtea translatum ad ſervos, quia ſunt hominum ultimi, minimi, & vilisſimi. De radice *lyt* vide plura in *litzel*.

LITI, ſervi Friſionum, aliorumque populorum, mediæ inter liberos & mancipia conditionis, & fortaſſe ſic dicti a verbo Scandico *lyda* obedire. Hos primus in Scenam produxit WENDELINUS in Gloſſario Salico, addito e Lege Friſionum *Compoſitionum* conſpectu, in quo tanquam ſpeculo ſtatum eorum medium contemplari licet:

Compoſitio hominis Nobilis libræ XL
Compoſitio Liberi libræ V. & dimidia.
Compoſitio LITI libræ II. & unciæ IX.
Compoſitio Servi libra I. & unciæ IIIIS.

Nec deſunt Chartæ, in quibus *Lidi* mancipiis opponuntur. VERELIUS in Ind. pag. 159. *Litos* vocat *ſervos melioris conditionis*, ſed eosdem cum ſervis Francorum confundit.

LITIMONIUM, obſequium erga Patronum, interprete VERELIO in Ind. pag. 159. Dicitur etiam de ingenuis. Ergo non a *Litus*, ſed ἀμέτρως a *lyda* obſequi, obſequium præſtare. De hoc verbo vide plura in *leute* homines obnoxii.

LITZEL, *lützel*, parvus & paucus. Gloſſ. Keron. parvus *luziler*. Idem Gothis *leitil* Luc. XIX. 12. Angloſax. *lytel*, Belg. *luttel*, Angl. *little*, Isl. *litil*, Suec. *lyten*, Pruſſis & Lithuanis *liatka*. Cuncta ab adverb. quantitatis *lyt* parum. SOMNER. in Dict. Angloſax. *lyt* parum, *lyte* pauci, *lytel* parvus, *lytel æcer* agellus, *lytling* parvulus, infans. VEREL. in Ind. *litt* parum, *litil* parvus, *litilleikur* parvitas. A poſitivo *lyt* parum eſt comparativus *leſs* minus, & *leſſen* minuere, apud

apud Anglos. Græca λιτὸς tenuis, & ἐλάσσων minuo, cæteris ſunt cognata. A *liitzel* parvus, ſunt nomina Urbium Germanicarum LÜTZELBURG, i. e. parva civitas, quod obſervante PALTHENIO nunc vulgo nulla de cauſa *Luxemburgum* dicitur, nomenque a luce, luco, luxuve habere ineptiſſime creditur, & LÜTZELSTEIN parva petra, Gallice *petite pierre*. Circa radicem *lyt* adhuc obſervandum, quod a quantitate ad qualitatem transferri ſoleat. Inde Angloſaxonibus *læs* minus & minor, Cambris *llyth* vilis, Islandis *litiſladdr* peſſimo loco conſtitutus. Et huc etiam ſpectant ſervorum nomina, *Laſi*, *Lazzi*, *Liti*, a vilitate & abjecto ſtatu deſumpta, ut oſtendi in ſingulis.

LITZEN. Vide *leiſte*.

LO, nominibus locorum annexum, ut ſunt *Venlo*, *Teſſenderlo* &c. varie exponitur ab Eruditis. WENDELINUS de Nat. Solo L. Sal. cap. 8. *Loo enim eſt ſilva*. BROWERUS ad Venant. Fortun. Lib. III. Carm. XII. *Particula Lo loca alta ac in palude ſita notat*. Mihi videtur denotare planitiem. Nam vetus *Toxandria* hodie vocatur *Kempen*, a Campis, non a paludibus, etiamſi paludibus cincta ſit. Et in Indice VERELII Scytho-Scandico *la* exponitur *mare*. Hoc eſt æquor. Manifeſto Græcæ originis indicio a λᾶος planus. Nam hinc recte fit *lo* æquor campi, & *la* æquor maris. Latinis certe *æquor* eſt ſuperficies plana tam terræ quam aquæ. Patet hinc, cur MARCELLINUS Lib. XVII. terram a Saliis occupatam appellet *Taxandriam-Locum*, mirum ſi non eam, cujus hodie pars eſt vicus amplus & nobilis *Teſſender-lo*.

LOB, laus. Angloſax. *lofe*, Franc. & Alam. *lob*, *lop*. Gloſſ. Keron. laus *lob*, ymnum *lob*, veſpertina cantica *abantlob*, nocturni pſalmi *nahtlob*, matutini hymni *morkanlob*. Verbale a *loben*.

LOBEN, laudare. Angloſax. *lofian*, Francis & Alam. *lobon*, *lopon*, Belg. *looven*. Gloſſ. Pez. benedicit *lopot*, glorificabant *lopoton*. Quemadmodum laudare Gothice dicitur *hazjan* Luc. XIX. 37. Angloſaxonice *herian*, ibidem, a primitivis *hat* & *her* altus, quia laudare eſt laudibus extollere; ita Belgis *looven* eſt a *levare*, ob eandem cauſam, & a Belgico reliqua per literas cognatas & æquivalentes. Mirum eſt, MARTINIUM, ad Latinas origines alias plus æquo propenſum, hoc non animadverſiſſe. Aliud laudandi verbum a notione altitudinis formatum vide in *hôben*, & confer *erheben*.

LOBESAN, laudabilis. Corruptum ex antiquiori & genuino *lobeſam*, quod eſt a *ſam* ſimilis, & proprie laudi ſimilem denotat, ut *tugendſam* virtuti ſimilem. NOTKERUS Pſal. CXLVI. 1. *in lobot der loboſamo lebet*, illum laudat, qui vitam laude dignam agit. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XXVI. 25.

Joh quedemes in vihti
Thaz iz loboſamaz ſi.
Vertit SCHILTERUS:
Et dicamus directe
Quod id laudabile ſit.

LOBEN, ſpondere, ſtipulari. Jus prov. Alam. Cap. 301. *der dem andern iht lobi*, de eo qui alteri aliquid promittit. Proprie nihil aliud eſt quam dextram fidemque dare moribus antiquis, derivaturque ab ipſa manu, quæ Celtice dicitur *law*, & alia Dial. *lob* & *lof*, ut demonſtravi ſupra in loco. Quamvis autem ſimplex videatur deſiderari, certum tamen eſt ex derivatis, Francos illud uſurpaſſe. Inde eſt, quod nuptiæ ab interprete TATIANI vocantur *brutloufti* Cap. XLV. 1. quaſi ſponſalia, quoniam, ut PALTHENIUS ait, inter nuptias & ſponſalia naturaliter nihil intereſt. Hodie ſuperat apud Suecos, quibus *lofwa* eſt polliceri, promittere, *lofwad* condictus, promiſſus, *löfte* promiſſio, *löftesman* ſponſor, *trolofning* ſponſalia. In Germania utimur tantum compoſitis, cujusmodi ſunt, *geloben* promittere, *gelobt land* terra promiſſa, *gelübde* votum, promiſſum, *angeloben* juramento promittere, in quo compoſito *an* motum manus ad locum denotat. Nam poſtquam Chriſtiana Religio inter nos efloruit, in Sacramentis præſtandis cœperunt adhiberi reliquiæ, Crux, Evangelium, & aliæ res ſacræ, & manu tangi a ſtipulantibus, ut ex Aimoinii Continuatore probat CANGIUS in voce *truſtis*.

LOCH, plures habet ſignificatus, ſed e diverſis fontibus oriundos, pro natura cauſarum a quibus res ipſa producitur.

LOCH, apertura, hiatus, ruptura. A *lechen* hiare. Gloſſ. Pez. aperturas *luchun*. Hic ſenſus transferri ſolet ad vulnera, ob rationem per ſe notam. Gloſſ. Pez. percuſſura *lohe*, cicatrix *lucha*.

LOCH, cavitas rotunda, foramen forando factum. Gloſſ. Pez. foramine *hol* vel *loh*. VEREL. in Ind. *lyk* concavitas. Ab *hol* foramen, per anaſtrophen, quod eſt ab *holen* cavare, excavare.

LOCH, orificium. Gloſſ. Pez. os *loh*. Refer ad unum ex præcedentibus. Hodie utimur compoſito *mundloch*, quod pleonaſmum ſapit.

LOCH, foramen ad proſpiciendum factum. A *lugen* proſpicere.

LOCH, latibulum. Vox origine Celtica. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *llech* latebra, *llocches* latebra, *llechu* latere. Hic ſenſus transferri ſolet ad foveas & antra. TATIANUS Cap. LI. 2. *fohun habent loh*, vulpes habent foveas. Hodie viles manſiones vocantur *löcher*, forte ad priſtini facti memoriam. Nam ante domos conſtructas ſpecus erant pro domibus, ut ſcribit PLINIUS Lib. VII. cap. 56.

LOCH, ſpelunca latronum, locus inſidiarum. A *lagen*, *lugen* inſidiari. Vide utrumque in loco. Inde OTFRIDO *ſcahero huge* ſpelunca latronum Lib. II. Cap. XI. 46. ubi *huge*

luage idem eſſe ac *loch* recte judicat Cel. SCHERZIUS, niſi quis ſpeculam interpretari malit, quo pacto originem referet ad *lugen* proſpicere. Hodie utimur compoſito *mordloch*.

LOCH, carcer, *ins loch ſtecken* in carcerem trudere. Proprie eſt locus clauſus, a *lucken* claudere. Hinc antiquitus tribuitur omnibus locis clauſis. Gloſſ. Keron. clauſura *piloh*, clauſtra *pilobbir*. SOMNER. in Dict. Angloſax. *loc* clauſtrum, *locas* clauſtra.

LOCK, cirrus, capillus criſpus. Gloſſ. Boxh. *locka* cincinni. Gloſſ. Pez. cincinno *loche*. VERELIUS in Ind. *locker* capillus contortus, *lockamadur* qui longos & criſpos habet crines. Angloſaxonibus quoque *locc*, *locca*, *loccas* interdum cirros denotare, teſtis SOMNERUS & BENSONIUS. Cuncta a Græc. πλόκος cirrus, coma plexilis, & hoc a πλέκω plico, concinno, judice HELVIGIO. Malim, ſi Græca origine opus ſit, ut certe opus eſſe videtur, evitare aphæreſin, & recte deducere a λοξὸν obliquare, torquere, quia cirrus fit obliquando crinem, nec aliter fieri poteſt.

LOCK, capillus. Angloſax. *locc* Matth. V. 36. Luc. XXI. 18. plur. *loccas* Matth. X. 30. Gloſſ. Lipſ. *locka* capilli. Dictio ſynecdochica, qua ſpecies uſurpatur pro genere, ſed hodie ni fallor extincta.

LOCKEN, mulcere, allicere. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *llochi* mulcet, mulcebit. Gloſſ. Pez. permulcet *lochot*. VEREL. in Ind. pag. 163. *locka* pellicere, ſeducere. WILLERAMUS Merulæ Cap. VII. 8. *ſiu thie abſentes mit hiro ſuavitate ze ſich locchet*. Ubi Paraphraſis metrica: *allicit abſentes gratanti aſpergine mentes*. JUNIUS, qui hæc & alia ex Willeramo citat in Obſervationibus pag. 128. *lochen* derivat a λοχᾶν inſidiis petere, ſenſu ab inſidiis ad blanditias translato, quia blanditiæ auribus inſidias ſtruunt. Mox ad Dialectum Belgicam converſus, in qua *locken* & *lacken* promiſcue uſurpantur, hoc poſterius ab Angloſaxonico *lac* munus, oblatio, ortum traxiſſe ſibi perſuadet, tanquam *lacken* nihil aliud ſit, quam privata benevolentia animum alicujus ad ſe prolectare, vel ſplendida effuſioris largitionis ſpe inescare. Sed longe ſimilius vero eſt, utrumque ex eodem fonte manaſſe, nempe a Lat. *lacio* (in comp. *licio*) invito, induco, laceſſo, vel certe a Gr. ἕλκω traho. Quid enim eſt allicere, niſi blande ad ſe pertrahere, ſenſu quidem metaphorico, ſed tamen vero? A *locken* Angloſaxones apud BENSONIUM habent *locce* illecebræ, Latino-Barbari *lecator* leno, *lecacitas* lenocinium.

LOCKEN, quid ſignificet in compoſito *frolocken*, jam dixi in *leken* ſaltare.

LOCKER, mollis. Vide *luck*, *lucker*, ejusd. ſignif. Metaphorice dicitur de iis, qui mollitiis indulgent. Inde *locker leben* molliter & delicate vivere.

LOCKER, remiſſus. Vid. *luck*, *lucker*, ejusd. ſignificatus.

LOCKER, falſus, expers fidei & veritatis. Vide *lucker* ejusd. ſignificatus.

LODDER. Vide *lotter*.

LODEN, pannus hirſutus. Vox Scandica, quam hodie cuſtodiunt opifices in Suevia. Runica lingua *lod* eſt villus, Suecica *ludin* hirtus, villoſus, Græca λάσιος hirſutus. S. & D. permutari, quid magis obvium? Inter Daniæ Reges celebratur quidam *Regnerus*, cognomine LODBROG, quem a braccis hirſutis, ſic appellatum eſſe, conſtans eruditorum opinio eſt. SPELMANNUS in vita Ælfrici M. pag. 19. *Saxo in Lodbrochi Hiſtoria multus eſt. Si non vererer Lectoris ſtomachum movere, principalia decerperem. Verum ejus nomen fuiſſe dicitur Regnerus ſive Regenfridus, Sivardi filius, Lodbrogh vero dictus eſt, quaſi birſute vel villoſe braccatus. Lode enim birſutum, & brogue etiamnum apud Hibernos, Anglo-Saxones brec, Kiluno broeck, braccas (ut apud Celtas) ſignificat.* Hæc Filius in notis, & plura alia, quæ vide.

LODER-ASCHE, vulgo exponitur favilla, & derivatur a *lodern* gliſcere. An recte, dubito. Potius eſt cinis lixivus, per quem aqua colatur, a Celtico *lludw* lix, quod exhibet BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *Lix* autem eſt aqua, ſic dicta a *liquor*.

LODERN, *loddern*, gliſcere, ardeſcere. Utitur Luth. Joel. II. 5. An a *loh* vel *log* flamma? Dubito, cum quia gliſcere non eſt perfecte ardere, tum quia mutationis hujus, qua H. & G. convertitur in D. nullum proſtat exemplum. Forte eſt a *lunte* fomes, per ſyncopen. Quid enim eſt gliſcere, niſi in fomite ſerpere?

LOFFEL, *löffel*, cochlear. Belg. *lepel*. Quemadmodum Latini nomen ſuum a ſimilitudine *cochleæ*: ita Germani ſuum a ſimilitudine manus vel volæ, quæ Celtice dicitur *law*, Islandice *loſa*, potiori jure efformarunt. Quid enim eſt cochlear, niſi manus lignea, plumbea, argentea, qua liquida apprehendimus?

LOFFELN, *löffeln*, amori operam dare, procari. Frequentativum ab Angloſaxonico *lufian*, quod vide in *lieben* amare.

LOH, flamma. Gothis *lauh* in comp. Angloſax. *leg*, *lig*, *lige*, Francis & Alam. *laug*, *louc*, *loug*, Suec. *læga*, Island. *log*, Belg. *ley*. Gloſſ. Keron. flamma *lauga*. NOTKERUS Pſal. LXXXII. 15. *ſo der loug*, *der die berga brennit*, ſicut flamma, quæ montes comburit. VEREL. in Ind. *log*, *loge* flamma. Idem Græcis φλόξ, φλογή, a φλέγω comburo, inflammo, accendo. HENISCHIUS ſcribit *loe*, ſed vitioſe. Nam H. hoc loco eſt litera radicali G. orta, adeoque non omittenda. Olim habuit progeniem in omnibus Dialectis.

llachar coruſcus, igneus, fulgurans, *cleddyf llachar* gladius igneus, *par llachar* haſta fulgurans, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Britanniæ.

laubmoni fulgur, in Codice Arg. Luc. XVII. 24. Cui ſimile φλεγμονὴ inflammatio.
leg-berend flammiger, *leget*, *ligette* fulgor, fulmen, coruſcatio, apud SOMNER. in Diſt. Angloſaxonico.
logbent flammant, apud JUNIUM in Obſerv. ad Will. pag. 173.
laugiwo flammeus, *lauginem radum* flammeis rotis, ex Gloſſa antiqua ibidem. Conſentit Gr. φλόγινος.
laucmediti fulmen, fulgura, ibidem.
laucſpiantaz flammivoma, in Gloſſis Boxhornianis.
logbranda titiones, miſſilia ignita, apud VEREL. in Indice.

Hodie e tam multis compoſitis & derivatis ne unum quidem reſtat. Spectat tamen ad eorum cognationem *liechterloh*, quod dicitur de incendio in flammas lucidas palam erumpente.

LOH, cortex rutilus inſtar flammæ, *gerberloh* talis cortex quo cerdones utuntur ad præparandum corium, *loh-gerber* cerdo, præparator corii rubri, alias *rotgerber*. Ab initio videntur dixiſſe *loh-rinde*, id eſt, *feurrinde*, a colore rutilo, poſtea *loh* per apocopen. Niſi forte ſit a Gr. φλοὸς cortex, per aphæreſin.

LON, ſtipendium, præmium, merces, & quævis retributio vel repenſio. Gothis *laun* Matth. VI. 1. Angloſax. *lean*, *edlean*, Francis & Alam. *lon*, *itlon*, Islandis *laun* apud VEREL. in Ind. Gloſſ. Keron. merces *loon*, de ſpe retributionis *fona uuane des itloones*. TATIANUS Cap. XXXIII. 1. *lon ni habet*, mercedem non habetis. NOTKERUS Pſal. LXVIII. 23. *ze lone*, in retributionem. JUNIUS e Græco latice vocem a majoribus hauſtam opinatur, vel a λῆνος lana, quod primi mortales, pecoris ante uſum pecuniæ abundantes, forte lanam ad veſtiendum tribuiſſent iis, qui aliqua in re illos juvaſſent: vel a λύειν ſolvere, quod præmii mercedisque oblatione ſolvamur ab omni nexu debiti quod contraxeramus. Priorem originationem videtur ipſe deferere tanquam longius petitam: poſteriorem admittere STIERNHIELMIUS. Nec indecorum eſt Linguæ noſtræ, in tam multis vocibus filiam Græcæ cenſeri. Præcipuum compoſitum eſt *launechild*, quod Longobardicum, & ſupra explicatum in *gilt* donum.

LONEN, retribuere, remunerari, rependere. Angloſax. *leanian*, *geleanian*, *edleanian*, Franc. & Alam. *lonon*, *gilonon*, *itlonon*, Islandis *launa* apud VEREL. in Ind. NOTKERUS Pſal. XVII. 21. *er lonot mir nah minemo rehte*, retribuet mihi ſecundum juſtitiam meam. Gloſſ. Boxh. *kilononst* remunerant. Gloſſ. Keron. retribues *itloones*. Confer *entlonen*.

LONGOBARDI. Vide *Langobardi*.

LOOS, porca, Dialecto Suevica & Helvetica, & fortaſſe etiam Francica. Nam in Lege Salica Tit. XIX. 8. ubi de incendio animalium & inprimis porcorum agitur, occurrit vox Malebergica *leosdeba*, quam celeberr. ECCARDUS vertit *porcos incenderit*. Ratio nominis petita videtur, vel a λάσιος ſetoſus, vel ab ἑλίσσω volvo, voluto, quia volutatio in luto huic generi pro lavacro eſt. Cambris idem animal dicitur *llodig*.

LORBER, bacca lauri & laurus. Vox hybrida, e Latina & Germanica compoſita.

LORD. Vide *lad* terra.

LOREN, *lören*, ululare, triſte ſonare. Utitur Luth. Hoſ. VII. 14. Verbum a ſono factum, quod STADENIUS confundit cum *leiren*.

LORKE, animal triſte ſonans. A *lören* ululare. Gloſſ. Pez. charadrionem *lerahhun*. Hodie in quibusdam Dialectis tribuitur buſoni.

LOS, adjective.

LOS, plures habet ſignificatus, proprios & allegoricos, quorum alii rectius a *laſſen* laxare, dimittere &c. alii a *loſen* ſolvere, liberare &c. alii aliunde ducuntur, ut in ſingulis mox docebo.

LOS, liber, ſolutus, liberatus. Puta a nexu vel vinculo, qualecunque illud ſit. Suec. *lös*, Belg. *los*. In nominibus propriis effertur *las*, ſi GROTIUM ſequamur. Inde

HUNNILAS, ab Hunnis liberatus.
TOTILAS, a morte liberatus.
ULFILAS, a lupo liberatus.

Et alia apud Grotium. Quemadmodum autem a ſummo viro ſæpe diſſentire cogor; ita etiam in nomine *Ulfilæ*, de quo, quid mihi videatur, expoſui in *wolf*.

LOS, alacriter, ut ſolent ii, qui nullis agendi impedimentis detinentur. Sic vulgo dicimus, *auf den feind los gehen* hoſtem alacriter aggredi.

LOS, mobilis. Idem qui liber, ſolutus, quatenus a cauſis, quæ motum cohibent, non impeditus concipitur. VERELIUS in Ind. *loſa-ſe* bona mobilia. Ad mores translatum, levem & inſtabilem notat. Inde Angloſaxonibus *leas-mod* & *leas-modneſſe* inconſtans & inconſtantia. Quibus conſentiunt reliquæ Dialecti. Gloſſ. Pez. levis *loſer*. VEREL. in Ind. *laus a velli* fugiens, in campo inſtabilis, *laufung* levitas, inconſtantia.

LOS, laxus, allegorice diſſolutus, incontinens, qui frenum laxat libidinibus, *los weib* mulier diſſoluta, LUTHERO interprete I. Sam. I. 16. Inde compoſita apud VERELIUM: *lauslæte* vita diſſoluta, *laulatr* laſcivus. Quibus ſimile, quod luxurioſorum feriæ Græcis & Latinis quaſi a libere vivendo *eleutheria* & *liberalia* vocantur.

LOS, malignus, qui nullis honeſte vivendi regulis ſe contineri patitur, *loſer man* vir ſceleſtus, *los geſindlein* turba nebulonum, *los maul* lingua maledica.

LOS, vacuus, expers, privatus. Hic ſenſus oritur a *liefen* amittere, privari. Quid enim eſt vacuus, niſi deſtitutus? Inde Gothis *laus* inanis, Luc. XX. 10. *laushandja* manibus va-

cuus, qui nihil habet in manu, Marc. XII. 3. *akranalaus* fructuum expers, Marc. IV. 19. *lausquithraus* jejuni, quorum venter adhuc cibis vacuus, Marc. VIII. 3. Idem Angloſaxonibus *leas* in compoſitis, qualia ſunt, *ſcomleas* impudens, *redeleas* præceps, *gymeleas* negligens, & alia innumera, in quibus *leas* privativum eſt, & rei, cui annectitur, expertem indicat. Similia compoſita occurrunt apud Francos & Alamannos. Gloſſ. Keron. negligentes *ruahchaloſe*. Gloſſ. Boxh. *auuiſilozer* amens. Gloſſ. Lipſ. *hulpilos* inops. Nec non apud Septemtrionales. VERELIUS in Ind. *ſkynlaus* irrationalis, *meinalaus* innoxius, innocens, *kuanlaus* viduus. Ad hanc claſſem ſpectant ex hodierno idiomate, *gotlos* impius, religionis expers, *heillos* immedicabilis, *kraftlos* debilis, *werlos* inermis, *fruchtlos* infructuoſus, & alia ſine numero.

LOS, falſus, mendax, doloſus. Gloſſ. Lipſ. *loſon* doloſum, *loſin* doloſo, *loſonga* dolos. SOMNERUS in Dict. Angloſax. *leas*, *leaſe* falſus, mendax, *leaſe Criſtas* pſeudo-Chriſti, *leas gewita* falſum teſtimonium. VERELIUS in Ind. *lauſungur ord* mendacium & promiſſorum violatio, *leyſung* perfidia. Anglis *leaſing* mendacium. Hiſpanis *liſongero* adulator, quia decipit, haud dubie ex Germanico fonte. Idem ſtatuendum de Italico *luſinghiere*. Huc ſpectat ex Verſione ſacra LUTHERI, *loſe geſichte* falſa ſomnia, *loſe predigt* mendax prophetia, Thren. II. 14. Unde hic ſenſus ſit deſumptus, a nemine (quod ſciam) hactenus inveſtigatum. Falſum & mendacem appellari liberum, quaſi nexu veritatis ſolutum, non placet. Alia igitur radix quærenda. Non invenio autem aptiorem, quam *laſſen* ſimulare, de quo ſupra.

LOS, callidus, aſtutus, *ein loſer gaſt* homo callidus. WINSBECKIA in Paræneſi ad filiam §. 4. *ſchüs wilder blike nibt ze vil, ſwa loſe merker bi dir ſin.* Ubi *loſe merker* non ſunt viri boni & honeſti (quæ GOLDASTI interpretatio eſt), ſed corycæi. Senſus eſt: noli micare oculis, ubi callidi obſervatores te circumſiſtunt. Callidus autem dicitur *los* ab ἁλίσκω verto, quaſi verſutus.

LOS, ſubſtantive.

LOS, ſors qua ſortimur, ſignum, teſſera. Gothis *blauts*, Marc. XV. 24. Angloſax. *blot*, ibid. & alibi *blyt*, *blete*, *bliete*, Francis & Alam. *loz*, *los*. OTFRIDUS Lib. IV. Cap. XXVIII. 18. *ſi uurfin iro loza*, conjiciebant ſortes ſuas. TATIANUS Cap. CCIII. 4. *ſantun loz ubar min giuuati*, miſerunt ſortem ſuper veſtimenta mea. Græciſſantes vocem Alamannicam petunt a λάχος ſors, Angloſaxonicam a κλῆρος ſors, per varias literarum mutationes, quas vide apud JUNIUM in Gloſſ. Goth. pag. 197. Sed præter neceſſitatem. Nam teſſera Veterum, qua in ſortilegiis utebantur, videtur ab uſu, quem in litibus definiendis, aut eventibus explorandis præſtabat, nomen adepta a *löſen* extricare, ſolvere difficultates. Et nonne teſſera etiamnum eſt ſignum, quo caſus dubius ſolvitur? De præjudicio ſortium apud veteres, vide TACITUM Cap. X. de M. G.

LOS, ſors quæ jactu vel tractu teſſeræ cadit. Gothis *blauts*, Luc. I. 9. cæteris ut ſupra. Gloſſ. Pez. ſorte *loze*. Gloſſ. Lipſ. *los* ſortem. VERELIN Ind. *lut* ſors.

LOS, fundus, hæreditas, patrimonium, quod cuique ſortito obtigit. Nam hæreditates antiquitus ſorte dividebantur, nonſolum apud Romanos, ſed etiam apud omnes fere Gentes, ſicut alibi oſtendo. Hinc modulus agri cuivis proprius in Legibus Septemtrionalium antiquis appellatur *lod* & *lad*, ſenſu a ſorte ad terram ſorte diviſam translato. VERELIN Ind. *lod* terra, fundus, & proventus fundi, *lod oc ſer* terra marique, *lad* ſolum, terra. Hodie quidem dicimus *land*, inſerto N. Sed *lad* antiquius eſt, & forte domicilium antiquiſſimæ illius & per totum orbem pervagatæ traditionis, orbem terrarum ante diſperſionem Gentium forte diviſum eſſe, quod etiam videntur docere ſacræ literæ Gen. X. 25. Inde eſt, quod *lad* & *land* nonſolum de fortibus hæreditariis privatorum, ſed etiam de vaſtiſſimis terrarum ſpatiis, a Gentibus occupatis, dicitur. Hinc porro lucem & interpretationem accipit vox Mœſo-Gothica *unleds* pauper, quæ hoc ſenſu occurrit in Codice Argenteo Luc. XVI. 20. Matth. XI. 5. & paſſim alibi. Nam qui nullum habet fundum nec patrimonium nec proventum, opinione veterum eſt pauper, & recte dicitur *unleds*, a privativo *un*, & *led* fundus, proventus, ſors. Græci ſortis expertem ἄμοιρον vocant, quod imitamur in *arm.*

LOS, pars, portio. Idem Armoricis *lot* apud PEZRONIUM in Celticis pag. 432. Angloſaxonibus *blot* apud SOMNERUM in Dictionario. Senſus ab herciſcunda hæreditate ad omnes diviſiones & partitiones extenſus. Inde compoſita, *blut-takare* particeps, *lutlos* exſors, in Indice VERELII.

LOSEN, ſortiri, ſorte explorare, certare, dividere. Angloſaxonibus *hleotan*, Joh. XIX. 24. & alibi *hlyttan*: Francis *liozen* in Harm. Evang. TATIANI Cap. CCIII. 3. Alamannis *lozzon*. Gloſſ. Keron. ſortiatur *ſi erlozzon*. VERELIUS in Ind. *luta*, *hluta*, *hlutaſt* ſortiri. Verbum a Subſtantivo oriundum.

LOSEN, audire, auſcultare. Verbum a Francis & Alamannis Suevis relictum. Gloſſ. Keron. auſculta *hloſe*. Gloſſ. Pez. attendiſſet *luſiti*. Exhortatio vetus ad Plebem Chriſtianam in Monumentis Catecheticis ECCARDI, pag. 74. *hloſat ir chindo*, audite filii. Inde *orono chihloſe* aurium auditus, apud ISIDORUM Hiſpalenſem in Fragmento contra Judæos cap. ult. §. 4. Item *hlyſa* auditus, Dial. Saxonica. Quamvis enim *hlyſa* apud SOMNER. & BENSON. ſit fama vel rumor: puto tamen auditum poni pro fama. Gothis *hauſjan* eſt audire, ab *auſo* auris. Angloſaxonibus *hlyſtan* auſcultare, atten-

attendere, a Celtico *cluſt* auris, quod ſuperat apud Cambros. Alamannos a ſimili ſubſtantivo, quamvis nobis ignoto, ſuum formaſſe verbum, credibile eſt. Hodie *loſen* nonſolum eſt audire, ſed etiam furtim audire, & *loſer* auſcultator furtivus, qui clam admotis auribus ſermones captat, de quo inter populares meos viget proverbium:

Der loſer an der wand
Hört ſein eigen ſchand.

LOSEN, *löſen*, ſolvere nexum & vinculum cujuscunque rei, ligata disjungere. Gothis *lausjan*, Marc. V. 4. quod dicitur de compedibus, Angloſaxonibus *leſan*, *lyſan*, Francis & Alam. *loſen*, Scandis *leiſa*, Angl. *looſe*, Belg. *loſſen*. Quibus convenit Græc. λύειν, λῦσαι ſolvere, λύσις ſolutio. Reliqui ſignificatus ab hoc deſcendunt per ſynecdochen generis.

LOSEN, *löſen*, expedire, extricare, difficultates ſolvere. VEREL. in Ind. *leyſa* ex difficultatibus expedire. Inde remedium *erloſida*, in Gloſſa antiqua apud JUNIUM in Obſ. ad Will. pag. 33. Hodie utimur compoſitis *auſtöſen* & *auſtöſung* in quæſtionibus nodoſis & intricatis.

LOSEN, *löſen*, ſeparare, dirimere. Græcis λυάζειν.

LOSEN, *löſen*, liberare a malo præſenti vel futuro. Gothis *lausjan*, Matth. VI. 13. Angloſaxonibus *alyſan*, ibid. Reliquis ut ſupra. Gloſſ. Keron. libera nos *loſi uns*. Hodie utimur compoſito *erlöſen*.

LOSEN, *löſen*, liberare debitum, *das verſprechen löſen* liberare fidem promiſſa ſervando, *pfand löſen* liberare pignus pecuniam reſtituendo, *ſich womit löſen* munus acceptum referre & alio munere compenſare, *einlöſung* reluitio.

LOSEN, *löſen*, redimere pretio, *ſein leben löſen* animam redimere, *gefangene löſen* captivos redimere. WILLERAMUS Cap. IV. 3. *die rote mines bluotes damit ih ſie erloſta*, rubor ſanguinis mei quo illos redemi.

LOSEN, *löſen*, recipere valorem, *gelt löſen* pecuniam capere ex mercimonio, *löſung* acceptum ex mercibus venditis, *tægliche löſung* reditus diurnus, *monatliche löſung* reditus menſtruus &c. Latini non habent verbum ſimile. Conſtat tamen Germanis ſua dicendi ratio. Nam qui vendit, recipit pretium, & qui pretium recipit, pecuniam ex aliena poteſtate in ſuam transfert. Et hæc pecunia eſt res a nexu prioris Domini ſoluta. Hinc pecuniam ex venditione capere recte dicitur *ſolvere*, ſeparare, disjungere.

LOSEN, *löſen*, exigere, repetere. Gothis *lausjan*. Uterque ſenſus occurrit in Evangelio Gothico. Ille Luc. III. 13. hic Luc. VI. 30. Idem quod rem nexu ſolvere. Nam qui rem alienam exigunt, aut ſuam repetunt, id eo fine faciunt, ut eam ex aliena poteſtate in ſuam redigant, quod fieri non poteſt niſi ſolvendo, disjungendo & ſeparando. Ad familiam verbi ſpectat, quod cenſus, tributum, & ſimiles exactiones, Angloſaxonibus vocantur *blot* apud SOMNERUM, & teſſeræ militaris Germanis *loſung*, quia tanto rigore repetitur, ut is, qui reddere neſciat, ſtatim interficiatur tanquam hoſtis. De verbo Gothico vide plura apud MARESCHALLUM in Obſervationibus ad Textum Gothicum pag. 449.

LOSEN, *löſen*, dimittere. VEREL. in Ind. *leiſa ut med godum giofum* hoſpites honorifice donatos dimittere. Hodie utuntur compoſito *auslöſen* præſertim in Aulis principum. Inde *auslöſung* honorifica dimiſſio, qualis eſt, quando ſumptus hoſpiti refunduntur.

LOSEN, *löſen*, ſuccenturiare, vicem & ſucceſſionem alteri tradere, qui dum alterius ſuccedaneus eſt, recte dicitur illum ſolvere, quia ſolvit eum a nexu cum loco, quem ante habebat. Hodie utimur compoſito *ablöſen*, quod eſt permutare vices, ſtationes, vigilias, & quamcunque ſucceſſionem, alio in locum prioris ſubſtituto.

LOSUNG, tantum ſignificat, quantum poteſt, quantumque uſus permittit, præcipue *reditum ex mercimonio*, & *teſſeram militarem*. Cel. ECCARDUS nomen poſterioris derivat a *löſen* auſcultare, ſic ut teſſera deſignet proprie id, quod attente audiri debet, in Cat. Theot. pag. 169. Haud male. Nos tamen vocem Gothicam eſſe arbitramur, quia Germani in re militari plus videntur debere Gothis quam Alamannis. V. *löſen* exigere.

LOT, ſors, *lotterie* ſortilegium. *Lot* & *los* pari paſſu ambulant, ob perpetuam literarum S. & T. permutationem. Utrumque eſt a *löſen* extricare. Verba veterum vide in *los*.

LOT, hæredium, patrimonium. Senſus a ſorte ad fundos ſorte diviſos translatus, quia hæreditates antiquitus ſorte dividebantur. Unde nihil frequentius quam terras appellare *ſortes*. Confer *los* hæreditas, & *anlot* ſors hæreditaria.

LOT, pars, portio. Vide *los* ejusdem ſignificatus.

LOT, tributum, *anlot* immunis a tributo. Refer ad *löſen* exigere, quia tributa ſunt exactiones imperantium.

LOT, merces, retributio. Gloſſ. Keron. merces *looth*, retributio *itloot*. Refer ad *löſen* recipere valorem. Germanis familiare fuit adhuc ante quingentos annos. WINSBEKIUS ad fil. §. 2.

Nu ſich der welte göchel an,
Wie ſi ir volger triegen kan,
Und was ir lon ze jungeſt ſi,
das ſolt dû ſinnekliche entſtan,
Si git ze lone ſunden-lot,
Der ir ir willen volgen wil,
der iſt libes und der ſele tot.

LOT, plumbum. Angloſax. *læd*, *leade*, Angl. *lead*, Belg. *loot*. Græcis λυτός eſt ſolubilis,

liquabilis, quod huic metallo præ cæteris convenit. Quo conceſſo, radix erit *loſen* ſolvere, vel *laſſen* fundere, liquefacere. SKINNERUS tamen malluit derivare a *leiten* ducere, quia plumbum maxime ductile eſt. Hodie utimur derivato *löten* ſolidare plumbo, ferruminare. Quod malo a plumbo repetere, quam a verbo neſcio quo *kludda* compingere, quod Suecis tribuit STIERNHIELM. in Gloſſ. Ulph. Goth. pag. 9.

LOT, pondus. Jus prov. Alam. Cap. 361. *von unrehtem loete*, de injuſto pondere. Senſus a plumbo ad pondus translatus, quia menſuræ gravitatis fieri ſolent ex plumbo. Inde *löten* ponderare, *lötig* ponderoſus, juſtum pondus habens, *lötig gold* aurum purum, quia puriſſimum eſt graviſſimum.

LOT, ſemuncia. Forte idem quod *lyt-lot* exiguum ponderis, ab A.S. *lyt* parum, parvus: Aut, ſi mavis, portio unciæ, a *lot* pars. Latino-Barbari *lotum* vocant apud CANGIUM.

LOTTER, ſubſtantive.

LOTTER, latro, fur, prædo. Vox Celtica, quæ originem ſuam ducit a verbo *lladd* interficere. WOTTONUS in Gloſſario Cambrico: *lladd* interficere. BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. *lladd* interficere, necare, mactare, *lleas*, *llaith* lethum, cædes, nex, mors, *lleidr* fur, latro, *leiddiad* homicida. Res mira, quod etiam Hebræis *lata* ſit interficere, niſi me fallat HELVIGIUS. Affinia ſunt quædam Angloſaxonica, *hloth* præda, *hlothere* prædator, *hlothian* prædas agere, apud SOMNERUM in Dict. Angloſax. & *læt* homicidium, apud HICKESIUM in Gram. Angloſax. Habent & Franci quod huc referri debet. Nam in Lege Salica Tit. LVI. *leudis* ponitur pro cæde in ultimis Legis verbis. In iisdem Legibus *leudardi* paſſim conjungitur cum furto, Tit. XI. 3. XII. 1. & alibi. In Gloſſis Lipſii *blothu* exponitur præda, & in Indice Verelii *lat* furto amiſſum. Cuncta e ſemine Celtico. Ante tempora CICERONIS *latro* militem denotavit, non prædonem, quod multis ex ENNIO & PLAUTO productis teſtimoniis demonſtrat HYDIUS in *Nerdiludio* pag. 178. Sic autem (eodem docente) appellabant militem veteres Latini, a Gr. λάτρις ſervus, famulus, quod reipubl. in bello ſerviret, prorſus ut Germanis milites vocantur *knechte*. Sed hic vocis ſignificatus longe diſtat ab eo, qui poſtea apud Latinos invaluit, & quem nos optimo jure Celticum vocamus. Cave autem, ne ex hoc fonte nomina Regum Francorum deducas. *Lotharius* non eſt prædator, nec *Ludovicus* aſylum prædonum, ut imperitis videri poſſet. Nam ejusmodi nomina pueris imponebantur virtutis excitandæ cauſa, non ut eſſent incitamenta ſcelerum.

LOTTER, ludio. Vox Islandica, a *lauten* canere oriunda. VEREL. in Ind. *loddari* ludio, hiſtrio, muſicus circumforaneus, *befr han oc mikin her loddara* magnas catervas ludionum & cacularum ſecum ducit. Plura vocabula ad cognationem ſpectantia vide in radice.

LOTTER, ſcurra. Vox Angloſaxonica. SOMNERUS in voce *tættecan: Nu ſe loddere mid hiſ tættecan min gelica*, non eſt hic ſcurra vel nebulo cum pannis ſuis mihi comparandus. An huc ſpectet compoſitum *lotter-bub*, quod HENISCHIO eſt ſcurra, qui riſum ab audientibus captat, nulla verecundiæ ratione & dignitatis habita, poſtea videbimus. Interim conſentire videtur Gr. λοίδορος conviciator.

LOTTER, fraus, dolus, mendacium. Vox Francica. NOTKERUS Pſal. XVII. 31. *ſiniu gechoſe ſint in ſiure irſuochet, dar iſt nehein loter ana*, eloquia Domini igne ſunt examinata, in illis non eſt dolus. Pſal. XXXV. 4. *ſines mundes uuort ſint unreht unde loter*, verba oris ejus ſunt iniquitas & dolus. Significatum primus animadvertit ECCARDUS in notis ad Leg. Sal. pag. 22. Inde *lotterpfaff* presbyter fraudulentus, apud eundem. Adjectivum, unde ſubſtantivum oriri videtur, invenies in *los* falſus, mendax, doloſus.

LOTTER, ſpuma. Islandis *laudr*, Suecis prioribus *löder*. Eadem lingua, Suecica inquam & Islandica, *lætt* eſt levis, futilis, & *letta* levare, attollere, quod inprimis convenit ſpumæ, quæ non eſt excrementum craſſum, ſed rarum, & levitate ſua ſupra liquidum ſe attollens. Allegorice dicitur (1.) de vano, quia ſpuma nihil vanius. NOTKERUS Pſal. XI. 3. *loter chooſont ſie alle ze ein anderen*, vana locuti ſunt unusquisque ad proximum ſuum. (2.) de vili, quia ſpuma eſt res nihili. Inde *lodurmenne* homo vilis, in Literatura Runica OLAI WORMII, & *laudurmenlegt verk* opus contemtum, in Indice VERELII.

LOTTER, adjective.

LOTTER, remiſſus. A ſimpliciori *los* laxus, ſolutus. Inde *lotteriche* fluxus, pendulus, *lotterichte kleider* veſtimenta fluxa, *lotteren* remitti, reſolvi.

LOTTER, deſes, piger, ſupinus. Suecis *laat*, Angl. *lither*. Senſus ad ignavum translatus, quia remiſſo ſimilis eſt.

LOTTER-BEDD. V. *luder* ignavia.

LOTTER-BUBE, ſpermologus. Ita vocem Græcam vertit Luth. Act. XVII. 18. EUSTATHIUS in E. Odyſſeæ interprete Grotio: *Eſt autem σπερμολόγος proprie, ut ajunt, avicula quædam, quæ ſemina depaſcit: Unde Attici ſic vocabant eos, qui fora eaque loca, ubi res væneunt, pervagantur, quod hi ſoleant ea, quæ ex oneribus, ut vocant, decidunt, colligere, eaque re victum quærere. Hinc eadem voce appellati fuere & qui nullius pretii ſunt.* Si ſpermologus eſt *homo nullius pretii*, quod fide Euſtathii aſſumo, vox Germanica proxime accedit ad Græcam, ſi ſit a *lotter* ſpuma. Tunc enim ſignificabit hominem ſpumæ ſimilem, i. e. vilem, nullius pretii, ejectamentum plebis. Quem Literatura Runica vocat *lodurmenne*, ut paulo ante

ante oſtenſum. Et ſic uſus Græci vocabuli, quem LUTHERUS non potuit ignorare, & multo minus negligere, quodammodo exprimitur. Commentatores vocum Bibli-carum alias commendant origines, ſed minus expeditas. Sive enim ducatur a *luder*, quod STADENIUS perperam exponit ludum, ſive a *loh* flamma, quod mallet FRISCHIUS, quamvis ſit durius & deterius, utrinque ab uſu Græcæ dictionis receditur, quæ nobis in hoc dicterio explicando debet eſſe inſtar cynoſuræ. Nam extra hunc reſpectum plura ſignificare poteſt, vel *conſortem prædonum*, quod aliquando ECCARDO ſe probavit, vel *hominem doloſum*, quod illi noviſſime placuit in notis ad Leges Salicas. Plures ejusmodi ſignificatus ex *lotter* & *luder* effingi poſſe, in propatulo eſt. Vulgata ſpermologum vertit *ſeminiverbius*, quod eſt quaſi ſeminator verborum, nugator, locutulejus. Hanc imitantur Verſiones ante Lutherum. Angloſaxonica habet *word-ſeawere*, Norimbergenſis 1483. *ſeer der wort*, Lubecenſis 1494. *word-ſeyer*. A quibus ſibi recedendum duxit Lutherus.

LUCHS, lynx, λύγξ. Gloſſ. Ælf. linx *lox*. Gloſſ. Pez. linx *luhs*. Cuncta a *lugen* perſpicere, auctore STILERO. Eſt enim animal viſu pollens acerrimo, cujus oculi in proverbium abierunt. Et hiſce oculis tam perſpicacibus inſidiatur cervis. Hinc idem nomen rectius refertur ad *lugen*, *lagen*, inſidiari. Qua in re ſatis mirari non poſſum ſapientiam veterum, quæ tam apta animalibus nomina impoſuit. A *luchs*, quatenus inſidiatorem ſignificat, vulgus fecit *beluchſen* inſidiis circumvenire.

LUCK, *lucker*, *locker*, mollis, ſpongioſus, *luck brot*, *locker brot*, panis mollis & ſpongioſus, qualis eſt qui multas habet cavitates. Videtur eſſe a Græc. λαγαρὸς vacuus, mollis, non plenus, quod eſt a λαγὼν cavitas.

LUCK, *lucker*, *locker*, remiſſus, & metaphorice ſegnis, ignavus. Cambris *llac* eſt laxus, remiſſus, apud BOXHORN. in Lex. Ant. Brit. Forte a Lat. *laxus*. Vocabulo Celtico Germani veteres & hodierni præfigunt ſibilum, dicendo *ſchlack*, quod vide.

LUCK, *lucker*, falſus, expers veritatis, quadam Germaniæ Dialecto, *ein lucker mann* homo nullius fidei. Gloſſ. Keron. falſum *lucki*, falſos *lucke*. TATIANUS Cap. CLXXXIX. 1. *ſuohtun luggu urcundi*, quærebant falſum teſtimonium. Et mox: *quamun zuene lugge urcundon*, venerunt duo falſi teſtes. Refer ad *lügen* mentiri.

LUCKE, hiatus, apertura, & ſeries interrupta cujuscunque rei. Gloſſ. Pez. aperturas *luchun*. Inde *maur-lucke* hiatus in muro, *zan-lucke* hiatus in ſerie dentium, *luckenbüſſer* qui abſentiam alterius ſupplet, *luckicht* hians, hiulcus, pervius, per intervalla ruptus. Cuncta a *lechen* hiare, & non a *lucken* claudere, quia hiatus continuum non claudit, ſed pandit. Affinia ſunt Gr. λακὶς fiſſura, λαχὶς χθονὸς hiatus terræ, & λακίζω rumpo, facio ut hiet, unde Latinis *lucare* & *interlucare nemus*. Allegorice dicitur de aditu ſeu occaſione adeundi, ob ſimilitudinem cum loco hiulco & pervio, qui liberum transeuntibus iter relinquit. OTFRIDUS Lib. II. Cap. IV. 27. de Diabolo:

Thia lukun uuolt er findan,
Ioh gerno nan giuuinnan.

Id eſt, aditum & occaſionem quærebat, ut Chriſtum poſſet vincere. WILLERAMUS Cap. VI. 9. *uuante ſiu niheine lucchon ne lazet den malignis ſpiritibus, da ſie aditum temptandi mugin invenire.*

LUCKEN, claudere. Goth. *lukan*, *galukan* Matth. VI. 6. Angloſax. *lucan*, Alaman. *lohhan*, Belg. *luiken*, Angl. *lock*, Isl. *luka*. BENSON. in Voc. Angloſax. *lucan*, *belucan* claudere, *belucen* obſeratus, *onlucan* reſerare, *utalucan* excludere, *loc* ſera, clauſtrum. Gloſſ. Lipſ. *anlucon* aperuerunt, *belucon* concluſerunt, *antloc* revela. Gloſſ. Keron. incluſi *pilohhaneem*, aperire *intlohhan*, clauſura *piloh*, clauſtra *pilohhir*. VEREL. in Ind. *luka*, *luka* contrahere, claudere, *luka aptr* claudere, *luka upp* aperire, *lykil* clavis, *loka* porta parva, peſſulus, obex. Conſentit κλείω per metatheſin, unde Latinis *claudo*. Vide annon *lucus* ſit nemus clauſum? Germanis verbum excidit. Utuntur tamen derivato *loch* carcer, fovea, & locus omnis in quo aliquid includi poteſt, item *lucken* valvæ cellarum & feneſtrarum.

LUCKEN, avellere, abſtrahere. BENSON. in Vocab. AS. *lucan* abſtrahere, *locen* avelli, *alocen* avulſus. Gloſſ. Keron. evellatur *ſi erlohchan*. Quod dicitur in Reg. S. Bened. Cap. 27. de artifice Monaſterii, qui a conſortio reliquorum ſeparatur. Hodie ECCARDO judice ſuperat in *pflücken*, quod vide. Sed unde *lucken*? Forte a Græc. ἕλκω traho, per aliquam metatheſin, aut citra metatheſin a Lat. *lacio* traho.

LUCUMONES, præfecti curiarum apud Hetruſcos. SERVIUS in X. Æn. *Mantua tres habuit tribus, quæ in quaternas curias dividebantur, & ſingulis ſinguli Lucumones imperabant, quos tota in Tuſcia duodecim fuiſſe manifeſtum eſt* &c. Videntur in nomine & officio convenire cum iis, qui poſtea dicti ſunt *Lagamanni*, a *lage* lex. VEREL. in Ind. *lag* lex, ſtatutum, *lagmadur*, *lagman* judex provincialis.

LUDER, cadaver, morticinium. Proprie eſt invitamentum vel illicium, quo feræ inſecantur, a *laden* invitare, quod optime vidit PRASCHIUS. Allegorice dicitur de pellice, quæ juvenes allicit & ineſcat.

LUDER, ignavia. Quemadmodum a *lotter* remiſſus fit *lottern* ſolvi, remitti; ita a *lottern* rurſus fit *luder* ignavia, remiſſio a labore. Inde *lodder-bedd* grabatus, ſtragulum hominis deſidioſi, qui ſomno meridiano indulget, alias *faul-bedd* a pigritia, La-

tino-Barbaris *lutherium*, unde Gallis prioribus *lodier* vel *loudier* apud CANGIUM.

LUDER, vita diſſoluta, *im luder ligen* diſſolute vivere, græcari, ſcortari &c. A *los* diſſolutus. STADENIUS *luder* exponit *ludum*, ſed invito Poeta, quem laudat, qui *luder* & *ſpil* tanquam duo diverſa diſtinguit. WINSBEKIUS ad fil. §. 42.

Sun, beidu luder vnd ſpil
Sint libes vnd der ſele val.
Et mox:
Swer ſus verluſet ſine habe
Mit diſen valſchen füren zwein,
Der lege bas in einem grabe.

LUDER, diſſolute vivens, *ſauſtuder* helluo, *liederlich* luxurioſus & luxurioſe. Rurſus a *los*, quatenus genium ſolvit.

LUFT, aer, aura, æther. Angloſax. *lyft*, Francis, Alaman. & Scandis *luft*. Gloſſ. Boxh. *luft* aer, *luft giuuennit ſubt* aer corruptus. Gloſſ. Keron. aerum temperiem *dero lufteo mezzlichi*. OTFRIDUS Lib. V. Cap. XVII. 27. 31. de adſenſu Domini in cœlum:

Ioh fuar in luſte ſcono
Thes Gotes ſun frono.
Et adſcendit in aere pulcro
Sanctus Dei filius.

Belgæ dicunt *locht*, *lucht*, quod cæteris melius & antiquius, & judice ECCARDO eſt a *lugen* videre, in Catecheſi Theotiſca pag. 149. Forte quia aer eſt elementum lucidum, & quodammodo nobiſcum videns. Quod etiamſi verum ſit, præſtat tamen derivare a *lichten* levare, quod eſt a *licht*, *leicht* levis. Nam hoc eſt præſtantiſſimum in aere, quod levitate ſua ſe ſuper reliqua elementa ab origine mundi extulit, ſummaque locum ſibi legit in arce, & vi ſua elaſtica quæcunque gravia in altum tollit, & ſydera quoque librat. Et hic ſenſus etiam reliquis vocibus aptari poteſt. Nam a *lichten* factum eſt *liſten* eodem ſenſu, & a *liſten* prodiit *luſt*, paulo quidem ſerius, ſed eadem cogitationis magnitudine. De permutatione literarum CH. & F. vide *Proleg.* Sect. III. Hinc aſſentiri non poſſum iis, qui ſpretis originibus domeſticis, quibus nihil concinnius aut elegantius, vocem Germ. derivant a Lat. *flatus* vel *fluidus* per metatheſin. A *luſt* rurſus ſit *lüften* ventilare.

LUGEN, cernere, videre, ſpectare. Angloſax. *locan*, *locian*, Francis *luagan*, Angl. *to look*. BENSON. in Vocab. AS. *locan*, *locian* videre, *lociend* videns, *loca nu* videſis, *geloca* ecce, *onlocian* intueri, contemplari. OTFRIDUS Lib. V. Cap. VII. 14. *ioh luagata auur in thaz grab*, & proſpexit iterum in ſepulcrum. Ducam ab *aug* oculus, per proſtheſin literæ L. Nam verba videndi pene omnia deſumuntur ab oculo per quædam initialia, ut patet ex *ſehen*, *ſchauwen*, *gucken*, ſi conferantur cum *augen* videre. Ita etiam Græcis ab ὄσσον oculus formatur ὄσσειν & λεύσσειν videre. Hodie in nullis Germanorum Dialectis occurrit, niſi Suevica, in qua *lugen* eſt videre, *anlugen* adſpicere, *lug-ins-land* ſpecula, turris quædam ad ſpeculandum facta. Græcis λεύω eſt video (opinor per ſyncopen, ut Anglis *loe* ecce), & hinc fortaſſe λυξ lux. Reliqua Græcorum, ut ſunt λύκη prima lux, λύκος ſol & lucidus, λογχαῖος oculi &c. commodius ad *lugen*, *luken*, quam ad λεύω referuntur. Nam ab hac vetuſtiſſima verbi forma in aliis quoque Linguis, præcipue Celtica & Germanica, nomina accipiunt, *lux*, quia per ſe videtur, & omnia facit conſpicua, *colores*, quia ſunt ſpecies viſibiles, *oculi*, quia media videndi, *facies*, quia ſpecula humani corporis, & nonnulla *animalia* quæ viſu excellunt. Inde

Cambris *llug* & *llewych*, lux, lumen, ſplendor, *liw* color, *llygad* (Armor. *lagad*) oculus, videndi inſtrumentum, *amlwg* conſpicuus, *amlwgyn* meta, nota conſpicua, & alia apud BOXHORNIUM in Lex. Ant. Britannico.

Armoricis & Hibernis *lug* corvus, apud TOLANDUM in Druidibus. BOCHARTUS inde derivat *Lugdunum*, duce Clitophone apud Plutarchum, & *lug* arceſit ex Arabico *lukcha* ejusdem ſignificationis, in Orig. Gall. pag. 33. Sed nihil obſtat, ut corvus a videndi perſpicacia ſic appellatus ſit. De corvo & Lugduno vide plura in *Dun* collis.

Francis *antucce* facies. Gloſſ. Lipſ. *antucce* facie.

Germanis *lieche* lux, tam vitalis quam elementaris, ob cauſas in loco memoratas.

LUGEN, inſidiari oculis. Græcis λοχᾶν. Idem quod *lugen* cernere, quamvis in malam partem. Dicitur alias *lagen*, ſed ex alio fonte. Inde *ſcahero luage* ſpelunca vel potius ſpecula latronum, apud OTFRIDUM Lib. II. Cap. XI. 46. Convenit hic rurſus λόχος inſidiæ.

LUGEN, *lügen*, mentiri, falſum dicere decipiendi cauſa. Goth. *liugan*, Angloſax. *leogan*, Franc. & Alam. *liugan*, Belg. *liegen*, Suec. & Island. *liuga*, Angl. *ly*. Gloſſ. Keron. mentiri *liugan*, fallitur *liukanter*, falſum *lucki*, falſos *lucke*. CASAUBONUS deducit a Græco λέγειν dicere, ſed in malam partem accepto. Et meo quidem judicio recte. Nam Germanis ſolemne eſt (quod me longa exercitatio docuit), omnia Græcorum verba, quibus oratio ſignificatur, vituperare, & in deteriorem ſenſum deflectere, ſive odio Græcorum, ſive aliis ex cauſis. Græcis λαλεῖν eſt loqui, Germanis *lallen* impedite loqui. Græcis βάζειν dicere, Germanis *ſchwatzen* nugari. Græcis φράζειν loqui, Germanis *fratzen* affaniæ, gerræ, & facetiæ inurbanæ. Plura exempla vide in *fatzen*. Idque fatum experiuntur voces, non foris tantum, quoties ex una lingua tranſeunt in aliam, ſed ſæpe etiam domi.

Hinc

Hinc Græcis λόγοι ſunt nugæ, fabulæ, mendacia. Et apud Germanos ſermo & vitia ſermone committi ſolita, ſæpe iisdem nominibus exprimuntur, ut oſtendi in *tal* ſermo.

LUGEN, *liugen*, mendacium. Goth. *liugn* Joh. VIII. 44. Angloſax. *lige*, Franc. *lugge*, *lugi*, *lugin*, Belg. *leugen*, Suec. *lögn*, Island. *lygd* in Ind. Verelii. NOTKERUS Pſal. IV. 3. *ziu ſuochent ir lugge*, ut quid quæritis mendacium? Pſal. V. 7. *ferliuſeſt die, die lugi ſagent*, perdes eos qui loquuntur mendacium. OTFRIDUS Lib. III. Cap. XVIII. 91. *in lugînon* in mendaciis. Omnibus conſentit Gr. λόγοι mendacia.

LUMP, lacinia, veſtis lacera. Gall. *lambeau*. Utrumque a verbo veteri *lamberare* ſcindere, laniare, quod habet FESTUS.

LUNGE, pulmo. Gloſſ. R. Mauri de part. hum. corp. pulmon *lungun*. SOMNER. in Dict. AS. *lungena* pulmones, *lungen-adl* pulmonum dolor vel morbus, *langen-wyrt* pulmonaria. Conſentiunt Angli, Belgæ, & Sueci in voce. Duci poteſt a *langen* trahere, quia ſpiritum attrahit. Hinc pulmones vocantur *ſpiramenta animæ*, apud VIRGIL. Æn. IX. 580.

Et lævo infixa eſt lateri manus, abditaque intus
Spiramenta animæ lethali vulnere rupit.

LUNTE, funis igniarius. Belg. *lont*, Suec. *lunta*, Angl. *lintel*. Proprie eſt fomes, a materia, qua ignis e ſilice excuſſus excipitur, h. e. a *linteo* ſic dictus. Quam etymologiam debeo SKINNERO. Hic primus vocis ſenſus, qui poſtea in caſtris funiculo ſtupeo, quo ignis ceu fomite alitur, apari cœpit. Nunc poſterior ſenſus delevit priorem.

LUPFEN, tollere in altum. Verbum Suevis unice uſitatum, & a Lat. *levare* factum. Reliqui Germani dicunt *heben*, *lichten*, *liften*, quæ vide ſuis locis.

LUPPE, venenum. Proprie aconitum, omnium venenorum ocyſimum, judice PLINIO Lib. XXVII. Cap. 2. Græci λυκοκτόνον vocant, Latini *lupariam*, Germani hodierni *wolfs-wurz*, quod lupos occidat. Ætas Francorum & Alaman. produxit *luppe*, *geluppe* ex Lat. *luparia*, & hinc porro *luppen*, *geluppen* veneno inficere. Gloſſ. Boxh. *kaluppas* toxica. Gloſſ. Pez. toxicata *kaluperu*. Scribendum fuerat *kalupperu*. Nam proprie eſt venenifera, a *peran* ferre. MARNER in cujusdam deſcriptione draconis apud Goldaſtum in Parænet. pag. 385. *Sin Smak der iſt gelippes vol, Gar giftig iſt ſin ort.* NITHART ibidem:

Sin meſching iſt geluppet ſo,
ſwen er damit erreichet,
Sehi der mus von ſinen handen ligen tot,
Iſt das niht eine groſſe not?

Inde *verlüpte pfeile* ſagittæ venenatæ. Poſtea ſenſus a veneficio ad incantamenta transferri cœpit, quia opinione vulgi omnes venefici ſunt necromantici, aut vice verſa. Inde Angloſaxon. *lyb* faſcinum apud BENSON. & Alamannis *zauber-luppe* faſcinum magicum, & hinc porro *luppen* faſcinare, incantare. R. TYROLIS ad fil. §. 42. *der kunde luppen mit du ſper*. NITHART loco citato:

Hat aber iender frunt ein ſtuppe,
Dæs mir were gut fur zöver luppe,
Dem wolt ichs mit golde verwegen.

LUPPEN, mutilare. Teutoniſta: *hamel, eyn gelubt ſcaip*, muto, berbix, berbicus. Id eſt, ovis mutilata. Belgis *lubben* etiamnum eſt caſtrare, a Gr. λοβῶν ejusdem ſignificatus, judice REIZIO. Nec aliunde Anglis *to lop* amputare.

LUST, quatenus derivatur a *lüſten*, ſignificat quantum poteſt, cupiditatem & oblectationem. Vide *lüſten*.

LUSTEN, *lüſten*, appetere, concupiſcere, *luſt* appetitus, concupiſcentia, *lüſter* cupidus, appetens. Gothis *luſton* eſt concupiſcere Matth. V. 28. & *luſtjus* concupiſcentiæ Marc. IV. 19. Similia habent Saxones, Franci, & Alamanni. SOMNER. in Dict. Angloſax. *luſtan*, *lyſtan* cupere, deſiderare, *luſt* deſiderium, *luſtfull* cupidus, *luſtlice* libenter. Gloſſ. Pez. appetunt *luſtont*, affectum *luſt*. Gloſſ. Boxh. *luſte* libeat. Hic primus verbi ſignificatus, quem JUNIUS petit a Gr. λώιστον, λῶστον optimum, quod ea tantum ſoleamus appetere, quæ optima judicamus. Ipſum vero λῶστον HELVIGIUS derivat a λῶ volo, & hoc ab Heb. *lo* utinam.

LUSTEN, oblectare, *luſt* oblectatio, *luſtig* jucundus, gratus, amœnus. Gloſſ. Keron. delectetur *keluſtidoot*, voluptas *uuunniluſt*, delectationis *luſtida*. Ratio, cur idem verbum cupiditati & delectationi commune ſit, hæc eſt, quia cupiditati naturaliter adhæret delectatio, major vel minor, pro ratione cauſarum, quæ cupiditatem vel augent, vel minuunt & cohercent. Nihil autem familiarius antiquis, quam metonymico uti dicendi genere, & ſubjectum ponere pro adjuncto, antecedens pro conſequenti. Hodie dicimus *beluſten* & *beluſtigen*.

LUSTERN, *lüſtern*, appetere cum pruritu, *lüſtrende oren* aures prurientes, rerum novarum cupidæ. Gloſſ. Pez. prurientes *luſtrante*. A *lüſter* cupidus. Niſi ſit frequentativum a *luſten* concupiſcere. Differt a *lauſtern* originè & ſignificatu.

LÜT, clarus. Vide *laut*.

LUTZEL, *lützel*. V. *litzel*. Utraque ſcriptura nititur auctoritate veterum.

LÜZ, parvus & paucus. Vide *litzel*.

LUZERN, candela. Gothis *lukarn* Marc. IV. 21. Utrumque a Lat. *lucerna*,